HEREDIA (GASPAR CALDERA DE).

2948. Casparis Calderæ de Heredia . . . Tribunal, medicum, magicum, et politicum . . . Pars prima (–altera). fol. *Lugd. Bat., apud J. Elsevirium*, 1658.

Bd. in 1 vol. At the end of pt. 1 are tracts on chocolate and on the plague at Seville in 1649. Pt. 2, with title-page 'Tribunal magicum', contains also the 'T. politicum'.

CASPARIS CALDERÆ DE HEREDIA,
Medici ac Philosophi Hispalensis;

TRIBVNAL, MEDICVM, MAGICVM, ET POLITICVM.

Pars prima.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
cIɔ Iɔc LVIII.

TRIBVNAL,
APOLLINI SACRVM,
MEDICUM, MAGICUM, ET POLITICUM,

In Publico orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI,

DECISIONES EX SUPREMO

APOLLINIS CONSILIO:

CONSILIARIIS,

HIPPOCRATE, ERASISTRATO, GALENO ET DIOCLE;

Supremo Consilio assistunt,

Serenissima Libertas ex COO, Prima & suprema Græciæ Academia: In Pergamo secunda, Galeni Academia: tertia utriusque orbis Salmanticensis: quarta aula Regia Apollinea, Serenissima: quinta Majestuosa Doctorum HISPALENSIUM Academia:

Et secundum merita,

Omnes aliæ Hispaniæ, Galliæ, Bataviæ, Italiæ & Angliæ Serenissimæ:

Ac tandem,

Ab Apollinis Consilio in Parnasso, Medica, Magia & Politica, Viri Excellentissimi.

Opus certe perutile,

Medicis, Philosophis, Theologis, & Iure peritissimis: & omnibus qui amæna & varia eruditione delectantur, ut Politioris literaturæ viris.

AUCTORE,

CASPARE CALDERA DE HEREDIA,

Medico ac Philosopho Hispalensi; illustrissimæ Domus de CALDERA.

NOBILISSIMO VIRO,

Generis Nobilitate claro, decore gentilitio, ac honore propria virtute comparato, clarissimo; sapientia, humanitate, & virtute supremo Heroï, vere avitæ Nobilitatis digno:

D. FRANCISCO RAMOS DEL MANÇANO,

PHILIPPI IV. Magni, supremi Senatus Consiliario.

Hoc opus, quod magnum, (ut patronatum mercatur) desidero, RAMOS frondosæ arboris & fructiferæ, quo ascendat assequitur, & non cujusvis arboris, sed pomi, qui & vitam producit & vegetam conservat, cujus fructus ad similitudinem Paradisi pomorum, mortalitati obstat, vitam cadentem reparat, & elabi non sinit, perenniter conservat, jam collapsam instaurat, amænitate recreat, virentis frondis umbra; fructus dulcedine delectat, spe lactat, & fructus secura possessione beat: ac tandem vitis humilis amplexu, permittit coronari, & ut vitis ascendat, ramulos alacriter expandit. Huic fœlici RAMO, pondus tanti laboris consecro, votis fœlicibus dico, Patrono, Mœcenati fulgentissimo, nominis claritate illustri, publico & noto genere generoso, supra fortunæ facilis invidiam, virtutibus emerito, vere unico Viro, si non dicimus Virum multorum sæculorum; cujus in comitate nobilitatis splendor ut lucet, ita placet, ut placet, ita diligitur, seque ipso superior: omnibus amabilis, spectabilis omnibus: quem Regia dignitas non extollit; est enim in illo virtus, Regia dignitate superior: & si supremi senatus decor est capax splendoris, splendet in illo & clariori luce: ô Felix Princeps, qui tam vasta Monarchia, tam spectatæ prudentiæ ministrum diligit & assequitur, pacis arbitrum & delictorum judicem; qui virtutis splendore, ad montem Gloriæ excelsum jam pervenit, ubi virtus præsidet coronata: & qui bravîum adeptus in stadio cæteros in cursu superavit; in sæculo ubi virtutes laboris immortalis præmio caruerunt, & fortunæ liberalitas fide: est enim Nobilis iste RAMUS morum suavitate, eruditione, & facundia ter maximus; sæcula enim sol format; sed vir iste publico ministerio, & format & colorat, dum priscum illud aureum sæculum hoc revocavit ævo: cum cæteri mortales ferreos agerent dies, compensante arte, curas & officia pietatis, dum politioris vitæ strident ferrea: & cæteræ nationes duro sub ferro laborant; Tu vero, ô Vir, semper illustris, chalybe laboris immortalis in literarum silice lucem elicuisti, non quo voret, sed luceat, ne comburat, sed foveat: est enim Vestræ Dominationis omnifariæ sapientiæ eruditio in palæstra, sicut rupes Gorgonia,

gonia, quæ jam fundebat aquas, jamque flammas, æque cito fons ac fornax; & sicut fons Epiri, quæ facem nunc accendit, nunc extinguit: hoc enim omnes licentiosa libertate fatentur, in publico orbis Scientiarum Theatro Salmanticensi, ubi fœlici in limine juventutis, ad cumulum, viritim laureas addidisti, cum plausus ex communi consensu, literarum triumphos fœlici plausu obtulit; à scientia enim in scientiam natus, in Academiarum Serenissima, ita in Jure clarus, clarior in prudentia, evasisti, ut à Te Jurisprudentia nomen accepisse, proclamaret; ut dubitare cogar, an te jus fecerit clariorem, an prudentia: à pueritia enim fere intempestive, ætatem & annos prævenisti, momentoque fere eversam Jurisprudentiam composuisti, inter amicos & inimicos fœlix, ut illi tuam virtutem amaverint, hi timuerint fœlicitatem: ideo se fœlices existimabant, qui nominis tui sub aquilis & signis militarent.

Libros, ô politioris literaturæ Vir, invidiæ capaces tibi darem, si ego essem capax invidiæ: neque perinde dubito quin ut favoris publici viam solita humanitate aperias, poteris exorari, ut qui literarum studiorumque merita toties appendisti; in hoc brevi opusculo Politicæ leges (si inter labores immortales datur otium,) vitiorum virtutumque certamina, nullibi quam in aulis frequentius obviantia, neque decipientia periculosius: ministrorum virtutes nunquam satis laudatas, dum honestatis zelo moderantur; & pravorum vitia detestanda, dum quid indulgentia peccaverit, expenditur, quidve audacia, ut oderis publicæ pacis infestos, gaudeasque multari; haud minus enim justitia præmio quam supplicio delectatur; in monarchia maxime, tot fatis, totque hostibus lacerata, quo virtute & dignitate charior omnibus videaris. Satis denique se hic liber tuo candido genio probabit, si intelligas in illo exempli tui laudes in exempla aliorum referri, ut quæ exemplis tuemur, sint posteris exempla: ibunt Musæ favore, temporumque licentia, & quæ gesseris, in orbem nobiscum facile dispergent; nec aliud ingerent sæpius, nec fœlicius, quam Tui Nominis dotes, in quo omnia Famæ Æternitati consecrantur; nam in altissimo scientiarum Theatro Atheniensi, nomen tuum jam olim celebratur: sed illud super omnia gigantisat, nil nimium esse, nil impervium, cum nihil à Fortuna, sed à Virtute omnia homines in Te videantur spectare; quoniam in Te solo, ut dixit Claudianus;

> —— *Quæ sparguntur in omnes,*
> *In te mixta fluunt, & quæ diversa beatos*
> *Efficiunt, collecta tenes.*

Excipe ergo Mæcenas omnium literarum, hoc qualecunque munusculum, splendore tuo nobis serenitatem afflante: quem oro ut adsis generosus, pius faveas, erudias Magister, regas Doctor, tuearis Patronus: da etiam generose Defensor clienti tuo, sub tanto Numine velitanti victricem laurum, quo immortalibus amaranthis inserta; per tuas aras viridi fronde gravida serpat vitis, ut sub fœlici umbra fœlicioris pomi, videamur fœlices; hoc enim genus opum, fœlicitas potius, quam rerum electio commendat;

Sub Tuo Numine Generoso, semper cliens,

D. CASPAR CALDERA DE HEREDIA.

Sub

Sub fœlici auſpicio legentium.

Hæc tibi, candide Lector, offero, candido proficiendi genio: non lima perpolito, non eleganti, non critico ſtylo: ſed quæ longa obſervatione, indefeſſo labore, & acriori collimata palæſtra, animum non ſemel acrioribus explorarunt ſtimulis; protracta multoties in arenam: pleraque alia ſolerti rerum notitia comprobata: non pauca continua lectione ſelecta; ſed non ab inſulſis exemplaribus: hæc enim ſemper, aut expurgata, aut exploſa deſidero.

Hæc omnia meo, qualicunque genio, ſcripſi, non tranſcripſi, neque rerum congeriem cumulare ſtudui; ſed tantum quæ ipſe practicavi: tanquam qui in mea arena, meoque profeſſionis ſtadio, cum fructu mihi videbar verſaturus; ſeu quæ prudentibus viris ſelecta videbantur: pleraque noſtri ſæculi, propria ab alio non antea obſervata; alia tandem quæ animum altius attritum curis ſublevarent; aut rerum novitate, aut delectabili varietate rerum; quæ indicibili harmonia, avido ſciendi deſiderio magis placent, delectant pulcritudine: nec ideo à ſeria lectione abſtinui; catholica legi: utile dulci miſcui: protuli quæ mihi videbantur veriora: ne inutilibus argutiis recentia ingenia implicarentur; ſed ut diſcat, caveatque poſteritas.

Quoniam ſcribentium multitudo talem confuſionem in ipſis Academiis introducit, ut vix, quæ veriora ſunt, queas ſeligere; nec tantum in Theorica, ſed in Practica etiam. Nam, auxiliorum congerie, confuſa & incompta, non ad indicationum limam, & lineam redacta, in electione aptioris auxilii, clarior, adhuc periclitatur intellectus, hæſitat in applicatione: quo certe minus, & tardius exculta, redduntur ſolertia ingenia, inutilibus & deterioribus opinionibus imbuta: à quibus nec facile diſcedunt; ita ut plerique in verba parentum juraſſe videantur. Sunt enim prima, quæ concipit ingenium, veluti quædam leges; quas tranſgredi, nefas eſſe exiſtimant; nec illud eſt deterius malum; ſed quod in illis poſtea quiſque ſibi maxime placet, & palliata vincitur ignorantia, in qua magna ſecuritate conquieſcit: nec veritati inhiat: quoniam, ut dixit Ariſtoteles, nullis magis videntur omnia conſpicua quam ignorantiſſimis, quia fit magna ex deſperatione, ſecuritas: ingenia enim, quæ appetitu potius quam mente reguntur, deterioribus ut plurimum quieſcunt; quia ut bene dixit Pythacus, Bonum manere, difficile eſt: licet Simonides, dum ſapientiæ gloriam adfectaret; proverbium illud refellere certaverit, ratus inſignem certatorem & illuſtrem, ab omnibus habitum iri; ſed revera adeptus eſt contrarium! ô ſi poſſem, opinione ſcientiam mentitam vendicare! ſub confuſione opinionum abſtruſam veritatem eruere!

Simplicem veritatem olim adoraverat orbis, uſque dum vanitatis inflatio aut præſumptio, rerum fortaſſe ignorantia, opinionem in orbem introduxit, quæ fucatis coloribus veritatis opes hypocriſi falſa negotiatur; vendicat apparentias: quoniam mercium nulla celerius quam Veritas navigatione corrumpitur, narrantium ignorantia, vel audacia; ſeu novitatis plauſu: non ſuperba, nec pervicax erat Veritas olim; (veluti nunc opinio) ſuavis, imo & amabilis erat; quia prius neminem ulla arte quam ſimplici veritate ſuperari patiebatur, imo omnes ſponte ad veri credulitatem impellebat; poſtquam autem opinionis præſumptio caput erexit ſuper terram, veritas

ſuffra-

suffragiorum multitudine superata, raptu vestium nuda, se abscondit, & pudore aufugit ab hominum consortio.

Inscriptio olim monimentorum antiquissima erat:

Quisquis ades, bene dic cineri, & bene manibus opta;

Ignobilis enim lex est, in hospites sævire: & est certe divinitus humanum, omnibus benefacere; quod tu etiam ab aliis expectas. Sub aquila & signis propositæ Veritatis pugnabimus: quod si in medio Virtus deficiat, & ingenium, in nidulo meo moriar, & sicut Phœnix, multiplicabo dies, aromatibus accensis flagranti Veritatis desiderio, ut posteritas fructum nostro in labore lucretur: & nostro in sepulcro Nomen incîdi faciam, & casus utriusque referri *marmoribus, quibus fidem posteri probent, damnentque fortunam.*

Hæc omnia, in publico Orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI *proposuit Antiquitas, variis Academiis, tam Græcis quam Latinis: ad Arabes pleraque devenerunt, Barbarie confusa: at hoc ultimo sæculo, sub nectare purissimo scientiæ, Academiæ nostræ Serenissimæ illustrissimo calculo floruerunt. Hoc nobis tantum in opere apprime necessario curæ fuit, à veteribus selecta, ut à recentioribus veriora, seligere; & non pauca quæ indefessus labor potuit invenire: illud tamen lacrimis dignius reputavi, humanæ capacitatis limitem, in altissimis rerum, nempe in humana salute; (nam à Platone inter fœlicitates annumeratur salus, utpote homini inter res naturales fœlicissima:) hanc enim sub fallacis conjecturæ ludibrium deposuit Natura; ne se merito fœlicem aliquis mortalium judicaverit.*

Sub hoc ordine ordo libri nostri incipiet: in Tribunali Medico, *dicemus prius de prognosis fallacia in communi; à quot & quam variis, artis pars nobilissima irretitur; & medentis periclitatur æstimatio. Secundo loco dicemus de fallaciis quæ latent primo in febribus acutis: Secundo in morbis acutissimis. Tertio in decidentibus, qui amant per abcessus finiri.*

In Tribunali Magico *&* Politico, *stationes invenies, ubi animus, seu altioribus studiis delassatus, sive curis attritus, velut in amœnissimo campo soletur & quiescat: sed ista tali concatenatione, & nexu sunt* Medicinæ *principiis unita, & ab illis deducta, ut ab illa, (ut revera probatur) ortum traxisse videantur.*

COPIA

COPIA
De las Cartas Originales escritas al
D^R. GASPAR CALDERA DE HEREDIA,
De los mas celebres y illustres Varones de nuestro siglo.

Carta del Señor, DON LORENÇO RAMIRES DE PRADO, del Consejo de su Magestad en el Real de Justicia.

S^r. DOCTOR CALDERA DE HEREDIA,

M*ucha merced me ha hecho Vuestra merced con su carta, y su papel* de años climactericos, *que venero y estimo como es justo: y da mui bien a conocer las letras de su dueño: con que e passado una noche mui entretenida; es papel verdaderamente grande, tanto como su auctor; de que e aprendido y hallado mucho que admirar: el mio sobre* el mismo lugar de Plinio, *le remito à V. m. (pecados de la mocedad;) que a no aver le impresso, le detuviera por lo bien que me a parecedo el de V. m. que al fin es de hombre de un siglo; V. m. le perdone, y à mi me mande quando de su servicio se le offresca: Guarde Dios a v. m. como desseo. Madrid y Enero 17 di 1634.*

DON LORENÇO RAMIRES DE PRADO.

Del Señor DON FRANCISCO RAMOS DEL MANÇANO, Cathedratico de Prima de Leyes de Salamanca; del Consejo de su Magestad en el Real de Justicia.

S^r. DOCTOR GASPAR CALDERA DE HEREDIA,

M*ui Señor mio; no entendi que las obligaciones en que estoi al Señor Don Nicolas Antonio, podian ya crecer: y es tan grande el aumento, en que se hallan en mi estimacion, con averme franqueado la puerta a su comunicacion de V. m. y leccion de sus obras, que no entendere ya, poder reconocer las dignamente; he leido los tres discursos que an servido à V. m. de* Nuevo Theseo, *para sacarle del labyrintho de tan intricadas disputas, y acabar gloriosamente con el monstro de la invidia; que sin duda es grande vencimiento: pero le admiro menos, avista de las luces de juisio, ingenio, y erudicion de todas letras, con que V. m. entro en esta empressa: el ajustamiento que V. m. haçe de la fuerça de* los años climatericos, *valiendose tan diestramente del instrumento de todas artes, y noticias, me a enseñado juntamente, y quitado el horror, con que hasta aqui attendia, casi fatales estos terminos de nuestra edad. Los otros discursos en* materias Physicas *y* Medicas, *y* sobre el celebre lugar de Plinio: est etiam morbus aliquis per sapientiam mori; *me an admirado y delecado igualmente: que solo se deçir à V. m. lo de Horacio,* Sume superbiam quæsitam meritis: *y esto por que nunca llegara, à ser si no conocimiento, y estimacion justa, de la que hallaran siempre en los Professores de buenas letras: à mi me an devido las que llaman* Humanas, *genio y aplicacion des*

de la primera edad; bien que ocupada siempre principalmente, en la tarea de la Jurisprudencia, *y obligaciones de cathredas, a penas me à quedado hora, para estudios amænos: y assi solo puedo estimar, y admirar lo que aun a la primera vista descubre quilates tan subidos de erudicion; como estos papeles de V. m. y concurarlos con piedad; o sin ella fuera contra justicia, en quien, como yo se halla falto, de lo mas necessario para esta cencurà; el credito que nunca puede darle la mia, aura V. m. cobrado aventajadamente de los doctos, que huvieren visto estas obras: y los hallara siempre crecidos, en el aplauso y aprobacion comun; a mi solo me toca offrecer me mui de corason, como lo hago, a su servicio de V. m. y suplicarle me tenga des de oi, por mui suio, y me perdone la dilacion desta respuesta: que mi poca salud notablemente quebrantada este verano; no me dexa cumplir tan promptamente con lo que es mas de gusto y obligacion: guarde Dios a V. m. y prospere como desseo; Salamanca, y Septiembre 11. de 1638.*

D[r]. Francisco Ramos del Mançano.

Del Reverendissimo Padre Joan de Pineda, de la Compañia de Jesus, &c.

S[r]. Doctor Gaspar Caldera de Heredia,

Por *ser su* Theseo Climaterico *de V. m. tan valiente, como quien es de casta de Hercules, y de domadores de Amazonas, y Mynotauros, puede parecer en todo el mundo, sin temor, de que nadie lo venca; ni haga daño; y por ser peregrino, nadie aura que no lo reciba en su pecho, y posada con toda estimacion y reverencia: y por ser* Climaterico, *le podemos prognosticar, tanta y mas vida, que aquellos antigos y primeros hombres tuvieron: Adan, Cain, Abrahan, Jacob, Tobias, que al fin por mucho que vivieron, tuvieron su año climacterico; en que vinieron à morir, como los curiosos que tratan desta materia, Rancovio, Codroncho, y muchos otros, pretenden, sacar per buena cuenta; y assi den de luego nos podemos alegrar dando a V. m. el para bien de que no tema, para su* Theseo, año fatal, y climacterico: *como se aligrava y se drava assi mismo el para bien Augusto Cæsar, quando se vio fuera del año de su edad de 63. que es el* climacterico *mas peligroso para los viejos, de lo qual con razon hicieron mencion* Suetonio, *y* Aulo Gelio. *Al Padre Antonio agradesco la noticia que medio de su papel de V. m. y la ocasion de resebir esta merced; por que le B. L. M. aquien suplico me mande como à su mui afficionado sieruo, y capillan; nuestro Señor à V. m. guarde muchos años, y aumente en todo como su persona de V. m. merece, y yo desseo,* &c. *Sevilla de Otubre ultimo, de 1633.*

Joan de Pineda.

Del Padre Reverendissimo Martin de Roa, de la Compañia de Jesus, Varon de los mas cellebres desta edad.

S[r]. Doctor Gaspar Caldera de Heredia,

D*iome el Padre Antonio de Quintana dueñas su papel de V. m. que he leydo con tanto gusto como attencion: por que hallo en el tratado, el punto tan difficultoso,* de los años climacthericos, *con mucha buena Philosophia, erudicion, y açierto, que no puede dexar de paracer mui bien à los varones doctos: y verdaderamente, que para mi evidencia haçe V. m. que los accidentes climacthericos; (si los ai) no nacen de la desigualdad de numeros, si no de la mudança o passo de una edad à otra, en que se altera la constitucion o temperamento natural de los cuerpos: bien que podrian decir, que como*

mo esta mudança se haçe de los numeros de siete en siete , y no en otros, que ultimamente se viene a reduçir à estos numeros de años; muchos otros puntos decide V. m. con grandesa de ingenio, y singular erudicion; pero lo que mas a labo en sus escritos de V. m. es, que son escritos de juizio y conjuizio; cosa rara en este siglo, en que muchos escriven, y no con el que V. m. Dios le guarde, para que tengan aquien imitar, que realmente a hecho dichoso, y llano este camino.

Al Padre Antonio di en retorno de su papel de V. m. otro del Doctor Francisco le Leiva, en razon de, si por la urina se puede conocer la preñes? *que por aca se a estimado; del de V. m. y su persona, y conocidas letras he ablado aora, y antes en otras ocasiones, como devia, y hallo tan grande aplauso en ellas, que aun no hallo en que merecerle à V. m. lo que le desseo servir. Dios le guarde, para honrra y estimacion de nuestro siglo, largos años, con la felicidad, y aumentos, que à V. m. desseo; Sevilla y Otubre 25. de 1633.*

MARTIN DE ROA.

Del Sr. DON FRANCISCO DE RYOJA, del Consejo de Su Magestad en el Real de la General y Suprema Inquisicion, y su Bibliotecario, &c.

Sr. DOCTOR GASPAR CALDERA DE HEREDIA,

Mucho me alegro que V. m. tenga salud, que como à buen amigo sola desseo: por aca, Señor, se trata menos, de letras que por alla, todos duermen sobre el negocio, y aun velan, y como es tanta la necessidad, llevatras si el gusto, de todo, que el gasto de las oras en el negocio de las letras siempre, siempre huie, los extremos, ni quiere delicias ni hambre, si no un mediano descuido de las cosas. Dios fue servido de quitarme la ambicion, en todo genero de cosa, por que yo no desseo mandar à nadie, ni que me manden mas personas, que las que Dios quiso que me mandassen; por comer mejor, no quisiera por mi elleccion, entrar en otras obediencias, ni por parecer docto; quisiera fatigar las noticias de los otros; pocos vi que no esten contentos consigo, con que no pueden hacer estimacion de otros: y yo como los puedo medir, y se el tamaño que tienen, me rio y me consuelo de estar solo, y de no hablar con nadie: de mas de que los años y las obligaciones, me apartan de las conferencias, en que se aprende poco, y se agradeçe menos, lo que se diçe; à V. m. Señor, devo de todas maneras mucho, y cierto que no conosco, ni aun e conocido, de su professīon de V. m. à ninguno que mas estudie, ni aquien mas justamente convenga el nombre de Philosopho; yo aun que sin libros, siempre estudio y callo, por que no ai aquien hablar, que me entienda, ni aun que me quiera entender: V. m. de todas maneras negociara bien con los Elcybirios: *y yo le suplico, que no se fatige por nada, que como dice Garcilasso:*

El fruto que de aqui suele cogerse,
Mal es, amargo, alguna ves sabroso,
Mui mortifero siempre, y ponçoñoso.

Yo no veo personas de tanta bondad, ni de tanto amor à las letras como V. m. y assi lo venero y lo estimo: de mi vida poco tengo que deçir à V. m. en qualquiera parte estoi bien, à pocos veo, y essos pocos son de buen tamaño: no pido nada, ni vine a esso, contentareme con poderme mantener, aqui, y no aspiro mas que si los de alla no me tratassen como à muerto, tan bien me podria sustentar aqui como alla, y yo no e de estar de otra manera, en no podiendo mas, lo dire al dueño, y me bolvere con mucho gusto, aviendo hecho lo que me toco ami; Dios me guarde à V. m. muchos años, como desseo; Madrid y Setiembre 8. de 1654.

B. à V. m. L. M. su mui amigo, y servidor,
FRANCISCO DE RYOJA.

Carta del Doctor FRANCISCO DE LEIVA, Medico illustre de Cordoua.

Sr. Dor. GASPAR CALDERA DE HEREDIA,

En visto su Theseo climacterico de V. m. para mi el mas precioso don, cierto, Señor, que V. m. à hecho immortal la mas fatal Ruina, y llevantado del poluo de la tierra, el mas illustre assumpto, y hecho que el domador de Amazonas, el mas illustre Griego, no tema para si año fatal; pues despues de tan peligrosos siglos, à la memoria, en que an peligrado tantos heroës, le à buelto à la vida con tan hermosas luses, y resuscitado en mas preciosos aromas, que los de Arabia encendidos con el fuego de tan lucidas alas: que desmiente lo fatal de la comun Naturalesa, en cujos escalones climactericos à quedado rendida no sola la vida de los hombres, si no de las monarchias: en recompensa de tan precioso don, (aun que no igual) le embio à V. m. un soneto al mesmo assumpto, bien que imitado de Lucano, sugete de un ingenio ocioso y desperdicio del precioso tiempo del Señor, Don Luis de Gongora, Phenix de nuestro siglo, y Cisne de nuestra ribera:

En

En este occidental, en este, o licio?
Climacterico lustro de la vida,
Todo mal affirmado pie, escaida,
Toda facil caida es precipicio;
Caduca el passo, illustrase el juizio
Desatandose va, la tierra unida
Que prudencia del poluo prevenida
La ruina a guardo del edificio?
La piel no solo sierpe venenosa,
Mas con la piel los años se desnuda,
Y un hombre no: ciego discurso humano:
O aquel dichoso, que la ponderosa
Porcion de puesta, en una piedra muda
La leve dà a el zafiro soberano.

Dios me guar de à V. m. à quien suplico no me prive de cosas de tanto gusto, quando aia otra de las muchas que se pueden esperar de tan aventajado juizio. Cuia vida guarde nuestro Señor, &c. Cordoua y Majo 28. de 1633.

De V. m. y su mui afficionado servidor que S. M. B.

El Dr. FRANCISCO DE LEIVA.

Carta del Sr. Doctor JUAN NUÑES DE CASTRO, Medico de Camara del Sr. Rey, PHILIPPO IV.

Sr. DOCTOR GASPAR CALDERA DE HEREDIA,

Mucha merced me ha hecho V. m. con su carta: y estimo la memoria que de mi tiene, y el favor de aver me embiado el indiçe, que promete ser el libro de todas maneras mui aplaudido por lo nuevo de las materias; y por lo particular de las difficultades: suplico à V. m. que sea yo de los primeros que goçen tanta doctrina, que con ansia lo estare desseando.

Remito a V. m. unas conclusiones, que es de tenor delante de Su Magestad, por aver se offrecido ocasion de aver se dudado en el aposento del Se or Marques de Liche, *de si tenia virtud de curar energumenos, y lançar espiritus, y aver me mandado que lo puseisse en disputa, y e agregado à esto todo lo de mas de la Medicina, que V. m. vera, anse de hallar los Reyes presentes y vienen à arguir las Vniversidades, duraran tres dias, yo oro el primero de esta preminencia que tienen todos los Reyes de la Casa de Austria: quiera Dios dar me en todo açierto; à qui me tiene V. m. para servirle y desseare ocasiones, en que mostrar lo que desseo el premio de sus muchas letras: Guarde me Dios a V. m. Madrid y Março 30. de 1655.*

De V. m. servidor que S. M. B.

Dr. JUAN NUÑES DE CASTRO.

Del Sr. Doctor JUAN GUTTIERES DE GODOI, Medico de Camara del Sr. Rey PHILIPPO IV.

Sr. DOCTOR CALDERA DE HEREDIA,

Mucha merced me à hecho V. m. con su carta, remitiendome el indice de sus obras que dignamente trata, de juntar las en un grande tomo, o en dos por ser todas tan selectas, y doctas: pues por la muestra del paño, se pareçe mui bien lo que son, y sin duda espero que corresponderan à la aprehension y juizio que e hecho de todas, y ansi le suplico solicite la emprenta, por que estoi mui abboraçado para leerle todo, y siendo en buen papel y letra, como son las emprentas de Olanda, se facilitara mas el leerlas: Nuestro Señor de à V. m mucha salud, para que continue tan provechosos travajos; si yo puedo servirle à V. m. en algo, me lo mande; Guarde nuestro Señor V. m. muchos años. Madrid, y Março 30. de 1655.

Suplico à V. m. me haga merced, de que seia yo de los primeros aquien se remitta este tomo, o tomos;

De V. m.

El Dr. JUAN GUTTIERES DE GODOI.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE PROGNOSIS FALLACIA IN COMMVNI,

IN Parnassi Apollinis Consilio, sub alto Parnassi vertice,

Fons ubi Castalius vitreo torrente superbit,

Vnde novem Dominæ vina bibisse ferunt;

Omnium scientiarum convocato consilio, adstantibus, secundum merita, scientiarum conditoribus, ac nuper initiato Pieridum Choro, & Academiarum Serenissimis Clarissimisque (antiquitatis calculo) Apollinea, Magica, & Politica Viris; Apollo Pythius, corpore radiante aureo sedens pro tribunali, sic alloquitur.

Recentes hodie (Scientiæ Serenissimæ) fontium Crystallos consecramus, recentes dicamus undas, quarum larga fluenta tantum flaventis metalli volvant, tantum gemmati ponderis fotent, ut

Non Tartesiacis illas superaret arenas

Tempestas prætiosa Tagi, non stagna rubentis

Aurea Pactoli.

Quin etiam novum antrum excidimus, quale apud Britannos repertum legas, quod ad cujusque venti flatum, seu nubibus bacchantis Boreæ, seu fulmine pollentis Austri, vel floribus vernantis Zephyri suavissimo concentu repleatur, eximios cantus edat, ac multis sonorum intervallis distinctam harmoniam moduletur. Huc ergo vos vel antri novitas trahat, vel aurei torrentis Latices allectent. ac postea alumnum primogenitæ scientiæ audite, parentem observate, & præceptorem colite: huic enim de prognosis fallacia disserere amplissimo coram senatu, in vasto orbis scientiarum theatro Atheniensi, imperavi. Cujus præclare gesta plus habent admirationis quam fidei. Impiger ad labores, ad consilia prudens, expeditus ad omnia, ad Remp. felix, & fixo in Galenum intuitu, provocat ad dicendum.

Inde toro medicinæ Parens sic orsus ab alto: Multa me possent (Galenus majestuosa severitate incipit) à difficili provincia abdicare: Scientiæ, Luminis, ac Diei Pater, ô formosæ Pierides, Scientiæ serenissimæ, & harum conditores, & vos maxime illustres Academiæ & Clarissimi Viri. At provinciæ difficultatem superat necessitatis fatum, & imperii: & sic necessitati servio, obsecundor imperio. Ac primo de impossibili prædictione prius dicam: postea de omnium maxime difficillima: ac postremo de illis quæ valent & arte & solertia præsagiri. Erat adhuc in loquentis ore dictio,

Quando toro medicinæ Parens sic orsus ab alto.

SECTIO I.

De prædictione impossibili.

Inter medendum prædicere contingit de morbi futuro eventu, ad mortem vel salutem; aut de illis quæ possunt supervenire morbo. In hoc sæpe falli aut errare contingit, adhuc sapentissimis, & exercitatissimis in medica palæstra. Hoc ex triplici principio nobis usu venire observamus: aut ex parte artificis, aut morbi ratione, aut constitutionũ, quibus morbi per tempora vagantur. Ex parte artificis, vel quia non attendit ad morbi ideam, morem morbi, accidentiumve magnitudinem: vel quia non exacte vires æquali lance librat, aut comparat cum morbi magnitudine: seu morbi tempora ad artis principia non distinguit, in constitutione universali morbi, aut in

A tempore quoque singulari, quo illa non expendit cautissima solertia, quæ solent in unoquoque tempore advenire, prout petit principium, augmentum, vel status. quoniam præscire debet artifex, eos, qui succorum multitudine pereunt suffocati, mori in principio, sive universali, sive accessionis particulari; ut etiam, qui malignitatis violentia, accidentiumve magnitudine, aut amplius fusa, aut profundius putrescente materia, gravioribus cumulantur laboribus in augmento, aut saltem in statu; ut etiam, B qui viribus pereunt exolutis, præ atonia succumbente natura, ut plurimum falsa, in declinatione. Quod fere medicis nihil tale verentibus inopinato accidit; quod nos exacte observare docuimus lib. 1. de crisibus usque ad finem libri, de morbi principio, per augmentum, & statum, usque ad declinationem discurrentes.

In cap. 2. 3. 4. 5. & 6. 7. 8. 9. & 10. & 11.

Si qui è contra sanantur, id auxiliorum accidit privilegio, quæ copias à morbo detrahendo, forte attemperando, ablatis impedientibus per accidens sanare dicuntur, (sunt enim naturæ morborum medicatrices) excepto, ubi à sola copia morbus incipit: tunc enim auxilium, si æqualiter vacuat, per se sanare dicitur. Quo in sensu, in juvene Synocho laborante, sanguinis missione ad animi deliquium nos febrem jugulasse exclamavimus. Vel secundò accidit ex vi superantis naturæ. Quod scimus dupliciter contingere: vel dum valide manifestas excretiones movet, quas criticas vocamus, interdum Symptomaticas, eas etiam utiles: per insensilem expirationem aliquando, quod sensim & paulatim fieri comperimus: morbificum humorem concoquendo, postea tenuando, ac tandem exolvendo; quod fieri per abscessus non infrequenter novimus, ad ignobilia membra materia utiliter transposita; nam inter morbum & naturam est quoddam singulare certamen, quod vocamus duellum ex condicto: pugna enim inter illa initur, & victoria cadit ad vincentis fortunam.

9. meth. 5.

Sed jam ad impossibilem prænotionem veniamus. Sunt enim pleraque, ex parte morbi, natura sua adeo abdita & abstrusa, ut sint extra nostræ capacitatis metam. Medicina enim in prędicendo verisimilibus utitur conjecturis, & non ita infallibilibus, ut nō possint aliter evenire. Et adhuc inter ista sunt alia adeo fortuita, ut nulla de se præbeat signa, quibus prænosci possint. Sit nobis exemplum, cum intra corpus nostrum latitat venenum intus genitū, (de quo latius in Theatro magico,) hoc nulla arte nec humano judicio potest cognosci, quia nec per accidentia, nec per signa sui ullam præstat notitiam; usque adeo (in perfecta salute) in cor subito irruit, & palam insidiatur ex levi quoque motu aut passione, ac levi quoque morbo nacta occasione, improviso & subito interficit. quod nos vidimus accidisse Salmanticæ Doctori Zamoræ, & Præceptori nostro, in quadam honestissima Domina, D. Maria de Solis. Hæc febrem satis levem patiebatur, simplicem intermittentem, tertianam, ex qua ad infebricitationem omnino veniebat: quo in statu illam quodam mane invenimus, & in occasione, qua Syrupum endiviæ cum scorzoneræ aqua capiebat, quo accepto, subito (adhuc nobis præsentibus) animam exhalavit omnium cum tristissimo dolore. Quis ergo hoc valebit prædicere? aut quæ prudentia hoc prævenire poterit? Hæc est certe prædictio impossibilis.

Anno 1616.

Nec etiam video, qua possit cautione prævideri subitus & inopinatus raptus humoris, qui fortuito accidit, aut pravi alicujus humoris aut turgentis. Neque enim in hoc casu aliqua vidimus signa, nec Symptomata, quæ raptum futurum certo valeant præmonstrare; nam leves conjecturæ nihil certi adducunt. Hoc enim vidimus accidisse, non tantum in accessionum principio intermittentis tertianæ aut malignæ, nacta occasione à commoto humore, sed in continuis etiam; & ex duplici causa: aut in die aliquo decretorio, ubi natura ex virtute diei concitatur, & crisin perficere non valet, & commotum humorem sine delectu pellit, fere gravi cum noxa: aut dum oppressa natura onus grave, aut irritans fortasse, dum nititur excutere, erranti impulsu violenter extrudit. de quo non est ulla certa præsumptio, præter multitudinis aut irritationis suspicionem, quæ pariter potest naturam irritare, aut omnino succūbere. Illud etiā accidisse observavimus, ubi maxime protrahuntur auxilia, vel lentius quam par sit exercentur, seu forte fiunt, non ubi morbi causa delitescit; veluti, si ex talo sanguis mittendus erat, & mittitur ex brachio, seu cum superiores adaptantur cucurbitulæ ante debitam causæ revulsionem. Nec illud minus vidimus accidisse, cum à natura concitatas excretiones criticas aut Symptomaticas utiles retinemus: seu naturæ impetu non exacto: seu dum retentus humor ita pravæ conditionis est, ut naturam fine fine irritet & lacessat. Quam importunam noxam, ut à se avertat natura, sine delectu pellit: & cum ad principalia membra sint latiores viæ, ad illa facilius impellitur, & fortasse ab illis, quia calidiora, commodius attrahitur. quo humore excepto illud etiam fatalius accidit, ut vix à membro principali iterum repellatur. Nam imbecillitas, quæ patitur accipere, humore jam excepto adaugetur: quo fatali augurio fataliter cætera membra trahuntur in consensum; quia tali connexione inter se mutuas tradunt operas, ut una deficiente, perire reliquas sit omnino necesse. Nam si cor facultatem vitalem jecori impartitur, jecur cum sanguine puriori illud cordi beneficium rependit; & si cerebrum accipit ab utroque spiritum & sanguinem adinvicem, animales spiritus pro sensu & pro motu retribuit.

In hoc humoris raptu illud etiam haud semel observavimus, si decumbentis humoris qualitas sit longe venenosa aut maligna, quod partem, in quam decumbit, mortificet, aut saltem vehementer intemperet; quod non tantum in præcipuis membris, sed cruribus & mensenterio vidimus accidisse: ex quo subito veluti gelu frigidi ægroti reddebantur, seu à morticinio vaporibus ac cor elatis, seu serpente morbo epigonesi.

In hoc tamen est certa cautio adhibenda, ne errare contingat: cum hoc etiam accidat, dum tepido in corpore, seu non pro ratione calido, sanguinem mittimus, sanguine & spiritu corpore defraudato; seu febris malignitate, Symptomatumque sævitia; seu narcotico in nocte antecedente propinato: quod maxime consulo fugiendum.

Omitto, quod sit fere impossibile, fideli libra & æqua lance librari subjecti resistentiam, & morbi aut accidentium activitatem. Nam quantitas in unoquoque, ut Galenus prudenter advertit, heic nec dici nec scribi potest: nam inter subjecta quod minus validum videbatur, interdum magis resistit, aut è contra magis validum, facilius succumbit: & inde fere accidit, ut deplorati interdum reviviscant, & qui validi in pulsu & bona tolerantia videbantur, subito deficiant, & sæpius spem medici fallant.

Lib. de vena sect. cap. 12. 1. ad Glauc. 1. & 8. 3. meth. 3.

Quot vidimus subito periisse rupto intus tuberculo, de quo nulla fidelia antecessere signa. Dicam quod ipse vidi. Iuvenis satis validus, in florenti ætate lascivientibus delitiis occupatus, ad fenestram cujusdam nobilis Hispalensis subito

to intra horæ quadrantem expiravit; & vocatus, jam mortuum inveni: ac de causa perquirens, illud tantum ab assistentibus potui adipisci; illum super guttur descendere sensisse humorem subito irruentem, subitoque suffocantem. Ex quo certe judicavi, super gutturis valvulas subito quantitatem humoris descendisse, & respirationis canali intercluso, respiratione denegata, juvenem in tam brevi spatio suffocasse. Inter infinita, quæ possunt in hac rerum serie evenire, quæ antea prædicere est prorsus impossibile, ista tantum selegimus, quæ sint veluti aliorum exempla.

SECTIO II.

De Prædictione omnium difficillima.

NVlla est prædictio secura, & nulla infallibilis; quoniam nulla non potest ab aliquo impediente irrita fieri. Sunt tamen alia, quæ secundum artis principia & præcepta ut plurimum eveniunt; illa maxime, quæ pendent ex coctionis aut cruditatis signis: quibus si coincidant etiam signa critica, fidelior instituitur prognosis, quia tunc indicia præmonstrant aut naturæ victoriam, aut è contra. At vero in illis, ubi decipiens prævalet fraudulentia, & in ancipiti alea, nullibi certum petimus, nulla in scientiæ principiis est securitas, nulla in observatione neque experientia. Sit nobis exemplum pestilens aut maligna constitutio: ex hac & illa non pauci moriuntur; sed plerique evadunt; & hoc eisdem fere Symptomatibus & signis promiscue utrisque venientibus, bubonibus nempe, carbunculis, vomitibus, dejectionibus, maculis & puncticulis. Hæc enim tripliciter solent prorumpere: seu cùm valida natura ab onere gravante aut malignitate pungente se expurgat, gravissimorum medio accidentium, & ad cutem illa utiliter transponit: seu cum ex principalibus visceribus aliquod vehementi intemperie corruptelave periclitatur, ex qua dum suas vires colligit, vehementi conatu, aut congestum, seu quod de novo congeritur, extrudit symptomatice, & haud sine periculo; gravioribus Symptomatis fortasse: seu postremo, dum in maligna aut pestilenti febre natura irritatur à nimia corruptela, seu qualitate urente & maligna putridi & bullientis sanguinis, & præsertim atri & venenosi, qui circa cor ebullit; ex cujus violento conatu, & fortasse turgentia, per cutem natura irritata propellit aliquando puncticula, bubones, aut anthraces, sed horrendis oppressa Symptomatibus. In prima differentia critica hæc omnia videntur, ex naturæ levamine, & accidentium demissione. In secunda vero sunt plane Symptomata gravis affectionis membri illius quod graviter laborat. In tertia vero sunt signa fere pathognomica harum febrium; cum proxime illarum essentiam consequantur: quod certius confirmabit judicium, si cum subita virium debilitate compareant, aut cum dejectione colliquante.

3. Epid. & 6. Epid. Sect. 1. 28.

Hæc, quæ tibi videntur sub hac distinctione facillimi judicii, sunt certe difficillimi in praxi. Nam Symptomata illa sunt fere æqualia in omnibus: & dum expectamus, an cedant in naturæ levamen & auxilium, alia subito & inopinato interficiunt, alia gravissimam noxam derelinquunt, alia subito in caput propelluntur, cum fatalis phrenitidis periculo, pleraque subito ad viscera (fere semper lethaliter) recurrunt, aut tandem aliqua sunt prorsus ad salutem, à nullo expectatam. At de neutro illorum sunt aliqua securissima indicia; nec ulla evidentia signa; ut experiuntur qui in praxi attentius versantur.

Attamen in hac confusione qui attentius occasionem construunt, aptius Symptomata perpendunt, & æqua lance librant signorum vires, & cujusque magisterium pensant docta manu, ut qui genio medico magis pollent, ii ut plurimum ad proximum veritatis accedunt: quoniam in ipsis accidentibus considerant, agnoscunt & aperiunt nescio quid latentis energiæ, in qua latet aut salus aut periculum. Nam si vomitus sit ita pravus, ut sit notissimæ malignitatis soboles velut æruginosus, seu pravi & exusti humoris, cum lingua arida & exusta, & anxio halitu, quo certe vires repente cadunt, aut alia similia sese produnt; hæc facile periculum portendere noscuntur. Et adhuc in istis sese natura aliquando expurgat, & pellit à se noxia, ut libera præter expectationem resipiscat.

Sunt etiam malignissimæ febres, de quibus est illa Hippocratis sententia, *debiles & parvæ febres quandoque valde malignæ*; quæ tali fraudulentia decipiunt, ut omnem spem fallant, & hoc, quanto magis prævalet maligna qualitas putredine. Hæ sunt illæ, in quibus docti viri conferre jubent cum febris remissione accidentia, quæ si graviora sint, (inquiunt,) quam illa febris intensio videtur postulare, ad malignitatis prævalentiam confugiunt, etsi forte nulla sint accidentia, præter illa communia: ut nullus non observat quotidie. Nos enim vidimus, in constitutione malignissima febrium, quæ nostro idiomate dicuntur *tabardillo*, plerosque velut fulmine ictos periisse, pulsibus fere à naturali statu non mutatis, & urina subflava, cum laudabili & albo sedimento, & integris adeo facultatibus membrorum principalium, ut talium effectuum causam impossibile esset humanæ solertiæ divinare. Nos enim ducimur per verisimiles quasdam conjecturas, & per causas, quæ effectus ostentant: at hi, hæ, & illæ deficiunt. De quibus etiam Galenus causam reddit (& meo judicio non satis evidentem) quare ita aliquando contingat. Sed quomodo talia possint ab humano judicio prævideri, hoc nullibi constat protulisse: est enim consonum rationi, ut, cum natura suæ conservationis gnara, à veneno præcognito terretur, illud perculsa aggredi vereatur; ac ideo conversa ad alios humores, concoctioni habiles, hos concoquit; ex quibus est illud sedimentum. Et cum illo in statu otientur etiam facultates, dum venenum suas vires non exerit, vitalis rithmum servat & ordinem, naturalis & appetit & concoquit, animalis sine damno gubernat facultates rectrices, & sensum & motum impertitur, non distracta, nec ad repellendam injuriam compulsa. Illud enim tunc mihi videtur accidisse naturæ, quod ei, qui, subito serpente viso, & timore perculso, horrido quodam pallore immobilis persistit, in quo nulla vitalis, nec animalis elucet operatio, ad cor retractis spiritibus, & velut ad arcem confugientibus: nulla enim editur

Anno 1633.

tur operatio, cum vita est in dubio. Sed illud accedit damnum irreparabile in hac falsa quiete, quod venenum humoribus contractum,&latebris absconditum, aut suas vires exerat fermentata putredine, aut in actum secundum à nostro calore reducatur. quo incerto & non præviso motu, inopinato & clam insidiatur, subitoq; interficit.

Difficillime etiam prædictio instituitur, si non forte negligitur, ex duplici principio. & primo, dum seducti morbi apparente benignitate, ut aliquibus solet, fraudulenter, lente, aut non æqualiter pro imminenti morbo, auxilia magna imperamus: ignota fortasse, aut nõdum contracta putredine. Quo morbus, in principio lentus, postea vires acquirit eundo: ut in pleuritide & plerisque febribus adnotavimus. cum jam ad 11. vel ad 14. morbus vires exerit, pullulant accidentia, & sævit morbus amplius, aut recrudescit, fortassecum medici rubore. Vidimus enim, morbos lento cursu procedere, fere sine symptomatis; postea in processu malignari, intendi, & sævire, ex causæ inveteratione, putredine contracta, aut maligna qualitate pullulante, vel, si aliquod ex præcipuis membris immodicam contraxit intemperiem. Novimus enim, in his sitim inexhaustam concitari, ex omnimoda sitis carentia, cum lingua arida & sicca, fastidio fere inexpugnabili, invicta tristitia & lethargo profundo. quibus dudum venientibus symptomatis utplurimum perire vidimus.

Hoc præsagiri, ex parte cogniti affectus & imminentis apparatus, non repugnat: sed ex parte præsumptæ securitatis animum non explorat morbus, qui præsumitur levis: ideo neglecta prædictione in insperata discrimina incidimus. Quare cautissime agere consulimus, quoniam, ut Hippocrates dixit, nihil temere, & nihil negligenter.

Secundo, ex parte accidentium non est minor occasio fallentiæ, dum salutem promittimus, & postea emergit aliquod grave accidẽs unius principii ignorantia, quod nempe non attendimus. Quæ indicationis auxilii æqualitas non tantum est æquanda, in quantitate & qualitate, sed in celeritate operandi; non tantum in eo quod in præsens elucet, sed etiam quod imminet: quoniam, si aliquod omittimus, aut non æqua lance libramus, aut non exacte indicationes adimplemus, quantum petit acutus, & vires ferre possunt, damus occasionem, (quod plerosque vidimus factitasse, qui morosæ cunctationi falsò dare nomen prudentiæ consueverunt) ut gravia accidentia, quæ & loco & tempore poterant inhiberi, confirmentur, certa veluti desperatione. Hoc accidisse vidimus in phrenitide, lethargo, fastidio, siti non extincta, & febribus quibusdam, quæ ex inæqualium succorum maligna putredine foventur, biliosis nempe & pituitosis fermentata putredine permixtis; ex quibus continuo vapores putridi & maligni ad cerebrum sive ad ventriculum ascendunt, & ex causæ inveteratione, (neglecta fortasse curatione) ingravescunt, seu medentis ignavia, seu attentione derelicta, aut partis aptitudine, contracta intemperie, ex imbecillitate, seu diu fermentata putredine, unde malignitas redditur efficacior. vapores enim, exinde continuo elati, & ventriculo recepti, primo fastidium, sitim deinde, ac linguæ ariditatem imprimunt, & ultimo in singultum, fortasse desperatum, illud accidens transit, neglecto fastidio aut siti in principio.

Ex eadem fermentata & maligna putredine, vapores in cerebrum continuo expirant, vehementer intemperant, delirium, aut lethargum inducunt, in principio levia. quæ etiam per intervalla cessant: febris vero non demittit, licet non valde intensa, imo decipienti fallacia remissa. Sed hac perennitate, vaporum calidorum continuo effluvio, cerebri substantia, ex causæ inveteratione, à se ipsa alienata, aut omnino confirmatur phrenitis, lethargus, aut delirium; seu impotentia vigilandi contrahitur, præ imbecillitate jam contracta, à longa intemperie, loco paraphrenitidis, sive pseudolethargi; quo spes, quę antea secura videbatur, salutis omnino fidem fallit; & tunc magis & citius, si falsa præsumptione peractis auxiliis, plerisque illis universalibus, ad sanguinis missionem in fronte, antequam confirmetur phrenitis aut lethargus, non accedimus; de lusi apparenti quadam deceptione; eo quod per intervalla videtur resipiscere, nec deliret perpetuo, nec dormiat profunde. Nam ideo à plerisque in capite hæc sæva accidentia firmata non videntur, sed adhuc per consensum, etiam viris doctissimis; ac si phrenitis deberet esse in continuo delirio, & in somno perpetuo lethargus. Quod Galenus non dixit, nisi postquam omnes cerebri mansiones humor ille, producta intemperie, pervadit, aut inflammatione: quoniam tunc solum omnes potentias allicit in consensum. Quod ut plurimum in statu vidimus accidisse: nam in phrenitidis principio, augmento, & declinatione non est necesse, ut in perenni sit delirio: sat est enim, ut frequenter deliret, licet habeat aliqua quietis intervalla, dummodo illa non sint determinata, neque certo, tempore, neque determinato. Quoniam, si æger ab accessionis incremento ad statum delirat, & in continuis in ipso incremento, & dum exacerbatur, cessat tamen delirium in declinatione, & adhuc paululum cæteris temporibus quiescit. Sed quia hoc est determinato tempore, est evidens paraphrenitidis argumentum; quoniam habet certa & determinata intervalla. Sed has intermissiones non habere in continua febre, licet ad tempus non deliret, hoc perpetuum delirium non excludit: imo cum his perpetuum compatitur delirium. Et hoc est secundum omnia medicinæ principia, & auctorum decreta: licet illud adhuc plerisque doctis viris errandi occasionem dederit. Idem de lethargo intellige, ac de ipsa vigilandi impotentia, cum tremore & subsultatione manuum; quoniam in hoc statu est ultima calamitas. & hanc mortem prædicere nullius artis erit. hæc ut exempla damus; nam omnia referre est prorsus impossibile.

Illud ultimo nolui prǽterire, in hac febrium sorte, quod in his cum illa febre lenta, est quædam acrimonia.

In calore, in pulsu, & universo corpore adeo cum siccitate acris est & adeo perennis, ut ex vaporum & fuliginum conditione, & ex perennitate, talia accidentia timere par sit. Ex illa peculiari febris energia plerisque in illa alvum solutam

tam vidi, sed nulla conferentia, ex importuna quadam diarrhœa. Capitis dolor omnes comitabatur, sed non valde intensus; ac tandem postea in progressu, (cum antea bene se haberet ad oblata) cum tremore manuum, & pulsus levi subsultatione, febris sensim & paulatim intendebatur, Symptomata, sine alia evidenti ratione, præter intensionem febris, aut quæ præexistebant, reddebantur majora; ut dum sitis aut arida linguæ siccitas vertatur in singultum, aut motus convulsivos, aut nova superveniunt, ex recenti producta intemperie supervenientium vaporum aut exhalationum.

Difficillime etiam potest prædici abscessus ruptio, qui sensim & paulatim, in pectore, pulmone, jecore, & ventriculo, fortasse mensenterio, ortum tulit: quoniam ruptionis dies non potest præfiniri in iis, quæ per congestionem cumulantur; quia nec semper congestus humor est æqualis; neque par resistentia, neque caloris vigor. Et pleraque externa possunt etiam ruptionem differre, ut intensa frigiditas: fortasse citatiorem reddere, ut casus, qui improviso accidit, aut tussis vehementia, & similia. Illud tamen certius possumus præsagire, quod ruptio, quomodocunque accidat, fere semper interficit, ut plurimum repente, fere inopinato: quoniam puris quantitas, si non etiam malignitatis pravitas, in pectoris aut pulmonis abscessu, in valvulas cordis repente irruit, & vitalis spiritus distributionem prohibet, quo fornacem cordis suffocat, calorem obruit, vitalitatem intercipit, spiritus lancinat ac exolvit. Ex aliis vero, in jecore nempe & ventriculo ruptis plerosque vidi ruptione levari, sed omnes tandem paulatim mori tabidos aut atrophicos, cum lenta & hectica febricula. In mensenterii abscessu dicam quod observavi. Ita lente & paulatim per congestionem abscessus est productus, ut nullis antea signis innotesceret, neque doloris, neque pulsionis. De ventre imo ægrotus querebatur; cum en subito rumpitur, & puris quantitas per egestiones dejicitur, cum ægroti levamine: Sola enim satis lenta febricula innotuit. Quæsitum est postea inter socios; an hic abscessus esset in mesenterio, an intestinorum cavitate congestus? & visum est, intestina non ita obtusi sensus esse, ut omnino dolore caruissent in abscessu, quæ tam acriter sentiunt flatus ubertatem & humoris seu calidi aut frigidi; imo talem abscessum fuisse in mesenterio productum, & naturam vias quæsiisse, per quas ad intestinorum cavitatem puris quantitatem expulisset.

SECTIO III

Difficillimæ prædictionis historia ad finem perducitur.

EX parte constitutionum, illud referam, quod hoc tempore vidi. Dicam postea, quod Hippocrates & Galenus per varias sententias docuerunt. Omnes fere prægnantes, quæ ab æstate ad finem autumni partus suos ediderunt seu legitimo partu seu aborsu, omnes fere periisse observavimus; non ex partus laboribus; nam major pars illarum levissimis peperit accidentibus: nec lochiorum suppressione aliqua; nam adhuc illis bene fluentibus peribant, aliæ paucis horis à partu, & in partu non paucæ, fere inopinato, cum optime degere videbantur; ut filia nobilis viri, Simonis de Gaviola: aliæ secunda aut tertia die oborta febricula, lochiis non male procedentibus, & nullo gravi Symptomate præcedente, deficiebant subito, neque gravi fastidio, neque siti, imo ad oblata placide se gerebant. In iis illud erat mirabile, quod animalis facultas nihil noxæ perpeti videretur, imo loquendo & apte discurrendo, velut sub quadam Syncope subito interibant. ut de futura morte aliquid præsagiri, prorsus impossibile videretur, neque per conjecturas, neque per aliquod rationale signum; nisi per solam constitutionis observationem.

Anno 1649.

Illud etiam in aliis observavimus. ad 7. 9. 11. & 12. bene lochiis procedentibus sine febre degisse, ac postea levem febriculam incepisse; aliis de Synochorum sorte, cum Diarrhœa biliosa plerisque; aliis cum invicta tristitia, aut insuperabili fastidio; & non male aliæ ad oblata se gerebant, in cibo, in potu, & in somno: has etiam paucis ab incursu diebus occubuisse vidimus, & hoc tam inopinato, ut vigor omnium facultatum omnem securitatem falleret: nam vitalis tam repentinæ mortis nulla præ se ferebat signa; licet enim non robusta, erat tamen mediocris, nullo pacto dejecta. reliquæ facultates, in fallaci constantia, occasio deceptionis erant.

Nec erit operosum, hujus constitutionis causam reddere. Solet enim aliquando cœli singularis influxus radio invisibili à peculiari patibilis dispositione determinari, seu ad productionem, seu ad corruptionem, prout est patibilis dispositio. Inde judico, quod hujus anni singularis influxus, non tantum invenit, sed produxit, in ventribus prægnantium, talem succorum apparatum, (attracto puriori sanguine in fœtus alimentum) ut, quod postea reliquum est, pravam deleteriam & venenosam conditionem contraxerit; quod (partus occasione commotum) venenosos vapores in cor parturientium intulerit, aliis in principio, in progressu plerisque, ut occasio fuerit tam repentinæ mortis omnibus fere illis, quoniam non paucæ velut fulminis ictu periere. Quod aliter quam veneno apponendum non existimo: & hoc ex aliqua velut communi causa, cum paucissimæ ex communi periculo evaderent. quod certe arguit peculiarem causam in hoc anno: quoniam illud nec antecedentibus nec subsequentibus vidimus. Nostram præsumptionem postea confirmavit (proh dolor) pestilens constitutio, quæ vicinas civitates devastavit, & nunc in hac Hispalensi Civitate incipere (quod omen Deus avertat) experimur. Raro enim incipit pestilens aliqua constitutio, quin præcedant pestilentis qualitatis indicia, sive sit in communi contagio, seu in promiscua hujus aut illius morbi pernicie, veluti, in variolis & morbillis communiter vagantibus, seu bubonibus sub alis, & ad inguina, quantumvis in principio salutares videantur & critici. Quod his diebus novimus accidisse in quadam vicina civitate, quæ satis periculosæ deceptionis causa fuit. Inceperunt enim in illa magni quidam bubones, ita tamen benigni, ut critici & utiles omnes judica-

dicarentur à viro etiam certe quodã docto;quoniam pauciſſimi ex illis interibant: omnibus fere erat ſuppuratio laudabilis & benigna, ex quibus puri exitu dato facile curabantur. Sed eventus edocuit, hos fuiſſe venturæ peſtilentiæ præſagium: paucis enim nondum elapſis menſibus,in peſtilentes adeo ſunt mutati, ut omnes apprehenſos interimerent.

In his omnibus certam inſtituere prognoſim, poſſibile non reor. neque aliquem ita feliciter præſagientem vidi, quem ſæpius non falleret docta præſagiendi ſolertia. Sunt enim pleraque ita abſtruſa in arcanis naturæ, ut non cadant ſub hominis judicium; & illa maxime, quæ fortuito accidunt, ſine aliquo ſignorum præjudicio; ut venenum, quod intra corpus alitur, & clam inſidiatur. Eſt enim impoſſibile præſciri, qua hora aut inſtanti ad actum ſecundum reducatur: ut etiam fortuitus raptus, malignæve qualitatis efficacia, ac tandem ſubjecti reſiſtentia, ut dicebamus antea:ut & pleraque alia, quæ dominus naturæ ad executionem ſuorum decretorum deputavit, quæ ſub artem non cadunt.

Veniamus ad conſtitutiones, quæ incertam, ſed non impoſſibilem prognoſim reddidere. has commendat præceptor obſervare 3. Aph. 8. *In conſtantibus temporibus*, inquit, *cum tempeſtive tempeſtiva redduntur, morbi conſtantes & boni judicii fiunt. In inconſtantibus autem, inconſtantes & mali judicii.* Per varias hujus libri ſententias Hippocrates conſtantia & inconſtantia tempora ad exempla reduxit: & qui ſequantur morbi ad hanc aut illam mutationem temporis. Galenus etiam, in illius ſententiæ Commentario, & libro de humoribus, & de aquis,& de locis, cap.6,uti ſolet,expoſuit, quare conſtantibus temporibus conſtantia & ſecura adveniant judicia, in inconſtantibus autem inſecura, ſi non prorſus infida; quæ certe fidem fallunt, ac prognoſis etiam certitudinem. *Si quidem*,inquit Galenus ex Hippocrate, *pro ratione facta fuerint ſigna in ortibus & occaſibus ſyderum: & in autumno ſi aquæ deſcendunt; & hyems mediocritatem ſervaverit, neque valde ſerena, nec frigore excedens: & vere aquæ evenerint tempeſtivæ, & æſtate; ſic par eſt, annum fore ſaluberrimum: è contra vero ſi hæc & illa contraria evenerint.*

Hipp. 3. aph 8.

Com. in aph. Hipp. & lib. de hum. aq. & loc. c. 6.

Hæc Galenus in his conſtitutionibus fieri obſervavit.Nos pleraque alia in illis evenire exiſtimamus: quod conſtantibus nempe temporibus judicia & ſuis temporibus eveniant,pro morborum acutie, materiæ tenuitate, & craſſitie; & certa & invariata ratione contingant: quia tunc natura, nec excedentibus alterationibus delaſſata, nec accidentium contrarietate diſtracta, ſed tantum in morbo ſuperando occupata, ordinem communem & regularem ſervat; & ſuo loco & tempore, proportionibus quibuſdam definitis movet, ut Galenus aſſeruit. Quo etiam contingit, ut hæc patibilia ad hunc naturæ ordinem redacta, (humores nempe ad ſuſcipiendam actionem diſpoſiti,) cœleſtis influxus terminent actionem, ab illa parte cœli emiſſi, quæ magis ſuper illos dominatur, in hac hora electa, in 4. nempe. 7. aut in 14. ſecundum ipſius Lunæ quadraturas, ut Galenus eſt autor. Non quod talis influxus ſit adæquata cauſa hujus criſis, per ſe ſolus, & quatenus abſtractus; ſed qua determinatur à certa quadam diſpoſitione humoris & naturæ, quæ ſimul cum influxu, & criſes & judicia perficiunt in morbis.

In inconſtantibus autem temporibus, quæ tunc morbis adveniunt judicia,non tantum accidunt cum periculo,& ſunt certa lege funeſta; ut Galenus notavit; ſed cum certa fallentiâ & deceptione,quæ nequit humano judicio comprehendi; patet, nam his temporibus omnes fere conatus ad criſim ſunt incerti; quia concitantur, ſeu ab incerta humorum turgentia & irritatione, qua naturam compellunt ad noxam depellendam,& nulla certâ lege,nec tempore, nec loco; quoniam motus illi conditionem ſequuntur irritantis humoris, (abſque ullo naturæ magiſterio) in illa hora maxime,ubi magis putreſcit,aut acriorem adſciſcit violentiam.quod licet magis eveniat in circuitus die,aut in aliqua critica, fortuito tamen accidit, & non determinatur ab aliquo ordine regulari;quoniam non eſt opus naturæ ordine definito operantis, ſed irritantis morbi, fortuito moventis,qui æque & fortaſſe frequentius in die non critica vocat ad pugnam invitam & irritatam naturam. Et hæc mihi videtur Hippocratem potius inconſtantia judicia appellaſſe,quam inſecura aut omnino infida. Quis enim non videt,prava ut plurimum judicia advenire in intercalaribus diebus,cum non ſperabantur, neque præindicata, nec alio præjudicio promiſſa.& illud ſemper mihi maximum extitit argumentum, quod talia judicia, non tantum commotum humorem ad membra principalia extrudunt, ſed caſu & fortuito etiam advenire; quod non eſſet, ſi ex naturæ regulari conatu moverentur.

Talia, tamque incerta judicia etiam novimus advenire, dum humores intima & profunda putredine ad peregrinam & alienam ſui naturam tranſmutantur. Tunc enim tales ſucci ſi forte concitantur & moventur, non ſequuntur naturales circuitus, aut exacerbationes illius humoris,prout antea, ſed propriam conditionem & naturam,quam denuo adſciſcunt tranſmutati. Qui certe motus non præindicatur ab aliquo naturæ præjudicio; cum incertam & nondum exploratam putredinis aut malignitatis naturam inſequatur, quæ non cadit ſub humanum judicium,quia illud nulla ſigna anteacta præſignant. Et hoc certe in praxi obſervavimus, ut, dum iſti humores prava corruptione mutarentur, qui antea movebantur per impares, per pares poſtea in illis exacerbationes clarius innoteſcant; quod certe deceptionis eſt evidens ocaſio, adhuc ſolertiſſimo judicio; quoniam ad motus impares erat omnis attentio: & natura acrius laceſſita ab alia putredinis conditione, in die pari potius edit criſim, quæ non ſperabatur, aut pravam,aut lethalem. Nec potuit illud ulla ratione præveniri, nec ſub aliquo ſigno expectari; quoniam noſtrum non cadit ſub judicium occulta illa & latens tranſmutatio, quæ poſtea detegitur, aut ſanguine detracto,aut ex permutatione accidentium: nova enim ſemper ab illa peregrina corruptione & tranſmutatione pullulant accidentia.

Inde etiam inconſtantia judicia credimus adveni-

venire;quia cum temporibus,quæ debitam temporis rationem non ſervant,ſucci inæquales producuntur, ex quibus & ex contrariis alterationibus, quas tempus inæquale in naturam induxit, natura delaſſatur,aliàs irritatur ab inæquali ſuccorum pravitate. Quo fere accidit, ut incerti motus veram criſis rationem anticipent, & certam criſis diem protrahant craſſiores. Quo in ſtatu illud etiam pariter obſervavimus,quod natura amplius delaſſata, aut ſuccumbat in motu, aut raptu incerto æger ſubito moriatur; ſi non forte editur imperfecta criſis in tempore incerta, ſed certo recidivæ periculo.Quod utrumque ſequitur ad imperfectam criſin: quoniam ſic cum natura comparatum eſt,ut,qui commoventur humores,ſi naturæ magiſterio non cedant, (ut vere in hoc caſu non cedunt) aut grandem noxam inferant membris in quæ decumbunt, aut ſaltem intemperiem productam derelinquant, aut poſtea putreſcant : qui, ſi non mortis, ſunt tamen gravis noxæ aut relapſus occaſio, prout vires aut debiles aut fortes nanciſcuntur. Et hæc eſt ratio,quare decretoria non diſcernentia,ſint partim lethalia,partim difficilis judicii.

De accidentibus, quæ poſſunt morbo ſupervenire,ex arte etiam prognoſis poteſt inſtitui,ſed ſatis difficulter. Nautica enim & medicina probabilibus ventura colligit, & ſignis quibuſdam conjicit, hiſque non ſemper fidis : ad hæc tamen concitatur portionibus quibuſdam cœleſtis orbis, ac viribus, ut à membris corporis illius, quæ certe perſentit, ob aliquod ſenſuum acumen, ſeu ex illis,quæ jam jam ex morbo videntur pullulare. Sic Galenus 2. de criſibus 9. ex ſimplici tertiana duplicem aut triplicem futuram prædixit: cum tam magnum corporis apparatum videret,ut ex cauſa amplius cumulata facile conjiceret,ex ſimplici futuram duplicem. Nos etiam ex ſimplici quartana, non tantum duplicem, ſed triplicem prædiximus,& ex pravo apparatu conjecimus, poſtea continuam futuram. Quodſi eo res deveniret, ut poſſet maligna ſperari; & hoc poſſet prædici. quod ita contigiſſe palam fecit eventus, in Domino Comite Nebulenſi, anno Domini 1627. Octobris menſe. & Nobili quodam cive Carmonenſi D. Joanne de Flores, & Salacœr, anno 1633.

Hoc idem nos etiam poſſumus præſagire, ſi in caſu propoſito febris tertiana aut quartana inciperet in ſubjecto plethorico, aut in temperato; ubi non tantum prævalet ſuccorum abundantia, (quod indicat venarum plenitudo) ſed prava etiam cacochymia. Quoniam ex peculiari febris acceſſione, totam ſanguinis maſſam, fortaſſe cacochymiam,acceſſionis occaſione & ebullitione extraneo calore concitatã, commoveri,accendi, putreſcere, ac ebulliri contingit, ac jure vicinitatis deteriorem putredinem concipere : qua jam contracta labe,in toto apparatu, in acceſſione ſubſequenti, quæ antea erat interpolata febris, fit poſtea continua; etſi malignus apparatus acceſſit de malignarum ſorte. Hoc nobis ſæpius contigiſſe fideliter teſtari poſſumus : & hoc etiam ſub his conditionibus, ſecundum artis principia præſagiri contingit.

Ex eiſdem fere principiis poſſumus etiam futura accidentia prædicere : illa maxime, quæ ſupervenientia dicuntur; veluti, dum febris incipit de ſynocharum ſorte; aut bilioſa febris,cui etiam copulatur prava aliorum ſuccorum miſcella, forte pravi & deuſti ichoris; ſeu alterius etiam cacochymiæ, quæ prioris febris occaſione putreſcant aut ebulliant. In his ſi exit in principio urina perturbata, ſive intenſe flava,aut etiam craſſa, & ſpuma permixta, quæ ad flavum declinet, ſeu ad croceum (nam alba vehementer ſpuma,&bullis amplioribus circundata, flatuoſæ ſubſtantiæ & crudæ eſt indicium) cum capitis dolore vehementi, & quadam veluti vacuitate capitis, vel ut ita dixerim, potentiarum confuſione, tunc præſagire poſſumus lethargum aut delirium & fortaſſe cataphoram, prout prævalet bilis aut putridæ pituitæ miſcella, & pro corporis habitu, etiam aliud cataphorum accidens; quod ſi magna capitis imbecillitas accedat, facile in vigilandi impotentiam tranſitura, phrenitide aut lethargo confirmatis, ex minima cerebri reſiſtentia.

In ventriculo etiamſi continua & perennis ſitis urgeat, cum inſuperabili faſtidio, ſi maxime cum ciborum abominatione copuletur, hanc facile in ſingultum tranſituram poteris præſagire;quod nobis frequenter eveniſſe, aliis in obſervationibus notavimus : quoniam ex continua ſiti, & tam magno faſtidio, facile deprehenditur, calidiſſimam bilem, & illam putreſcentem,in ventriculi tunicis & ſubſtantia fuiſſe imbibitam, ut ex retentione & putredine major contrahatur acrimonia : hinc natura ad illius expulſionem irritata inſurgit, ac violento motu noxam illam conatur à ſe pellere, ſubſultatione & ſingultu.

Pleroſque etiam frigidos reddituros, febris in principio novimus & prædiximus, in quibuſdam febribus maligniſſimis, ubi ægroti corpus, maxime in extremis caleſcere poſſibile non erat, imo ſemper extrema erant tepida, ſeu non pro ratione calida. Quod duplici ratione accidiſſe notavimus : ſeu quod intus uri viſcera videbantur: ſeu quod præ malignitate ſuccorum & putredinis vitales ſpiritus adeo exoluti reddebantur, ut extremis recaleſcendis non ſufficerent; aliquo internorum membrorum fortaſſe in gangrænam verſo ex maligni humoris appulſu aut decubitu. Et in his illud etiam attente obſervavimus, ut ſi in hoc ſtatu, dum corpus univerſum, aut extrema non eſſent ſatis aut pro ratione calida, ſi ſanguis mitteretur, quod protinus frigidi reddebâtur,ut non amplius poſtea recaleſcerent.

In his tamen & aliis ad morborum conſtitutiones quæ vagantur, attendere debemus : nam aliis conſtitutio ad ſudorem inclinat, ad fluxum ventris aliis, multis ad hæmorrhagiam : quorum omnium ediſcere providentiam, ut nos monet Hippocrates, ſingulariter faciet ad præſagium. Vidimus enim, ſæpius in malignis & urentibus febribus ex manuum tremulis motibus veluti convulſivis ad unum duorum devenire, ſeu ad convulſionem nervorum,principio putridi, corrupti aut urentis humoris acrimonia laceſſito, quo retrahuntur nervi: ſeu ad certam dementiæ ſortem,quæ breviſſime in fanaticam tranſit, ex cauſæ inveteratione, cerebri temperie omnino à ſe ipſa alienata. Nam quotieſcumque ad ultimum diſpoſitionis patientis vehementiſſima

accidit

accedit agentis efficacia, facillime, & ſine reſiſtentia effectus producitur, in ultimo fere receſſus gradu : non quod per alios antecedentes non pertranſeat, ſed quod ita breviter, ut inſenſibiliter, tranſire videatur. Solet enim in his, & caſibus ſimilibus, magna agentis efficacia ſupplere indiſpoſitionem patientis, ut effectum in ultima intentione producat. Ut nunc in hac conſtitutione peſtilenti experimur; nihil enim adverſus peſtilentiam prodeſt firmitas corporis, nec diligens valetudinis cura; ſed promiſcue imbecilla robuſtaque invadit, palam inſidiatur atrociter, inopinato jugulat; &, ut Tacitus dixit, non ſexus, non ætas periculo vacua, ſervitia perinde ac ingenua plebs raptim extinguitur inter conjugum ac libertorum lamenta, qui dum aſſident, dum deflent, ſæpe eodem rogo cremantur.

Anno 1649.

SECTIO IV.

De prædictione, quæ ſecundum artis principia initur.

Poſſibile eſt tamen, & mortem & ſalutem præſagiri, aut morbi longitudinem; dum artis principiis innitimur. Sed illud cautiſſima ſolertia acquiritur, ac longa obſervatione, & peritia rerum, quæ ad ſpecialia præſagia conducunt: non enim ſat eſt, generalem doctrinam tenuiſſe, nec theoricæ pelagum immenſum transfretaſſe. Non enim multum prodeſt, multa præcepta prænoviſſe, ſi ad manum non habeas ea, quæ ſunt ſingulari præſagio neceſſaria. Quoniam luctator in arena capit conſilium, in ſtadio curſor, gladiator in palæſtra, ut medicus in conſultatione. Viam parat occaſio conſilio, ſed conſtruit occaſionem medicus, ex illis accidentibus & ſignis, quæ magis prævalere cernuntur.

Sed quia judicium ad mortem vel ſalutem diſcernitur in criſibus, illorum notitiam prius callere debet, qui optat præſagiri ſecurius: deinde, ſigna critica æqua lance librare: ac poſtea, patognomonica, ac ſupervenientia, ipſam morbi naturam, morem atque vires ægroti. Et illud, ſi poſſibile, maxime ad præſagium conduceret, proprietates ſpecificas & morbi & ægroti prænoſſe; ſed maxime diſtantiam exceſſus in morbi & naturæ certamine. ſi credimus Galeno lib. de conſtitutione artis med. cap. 18.

Galen. l. de conſt. art. med. cap. 18.

Antequam ergo vaſtum vaticinii campum percurramus, criſis prius eſſentiam ac ejus diviſionem exponemus. Criſis eſt ſubita mutatio ad mortem vel ſalutem. Hæc dividitur in ſimpliciter bonam, nullo morbi veſtigio derelicto; & in illam, quæ mutatur ad melius, ſed repente; & in illam, quæ morbum ſolvit ſubito, ſed paulatim finitur, ut ſolvi morbus potius videatur; quoniam ſubito convertitur ad melius, paulatim ad ſalutem. Sit nobis Dealcis hujus criſis exemplum. Hæc 14. ſudore ſublevatur, non judicatur integre uſque ad 40. ideo hæc dicitur compoſita ex duplici illa ſolutione, ſubito & paulatim. Sic legimus accidiſſe Horophonti, qui, nono à morbi principio, & nono à recidiva ſudavit & judicatus eſt.

3. Epid. ſect. 13.

3. Epid. ſect. 3. ægrot. 3.

Eaſdem differentias ſortitur criſis mala. Eſt enim prima ſubita ad mortem permutatio. Exempla ſunt omnes excretiones peſtilentes, quæ in morbi acutiſſimi principio ægros tollunt: ut Critoni in Thaſo legimus accidiſſe; cui in 2. dejectiones fuerunt meræ benioſæ ſubcrebræ, quas mors fere ſubito excepit. Et Mulieri, quæ apud Pantamidem degebat; cui alvus erat à principio lubrica, & ſeptimo interiit. Ut & Ocæti uxor. Secunda differentia eſt, ſubita ad pejus permutatio, non ad mortem ſimpliciter. Sed hæc fere cum tertia coincidit, quæ non tantum eſt ſubita in deterius mutatio, ſed paulatina ad mortem, ut 3. de criſibus 7. jam probatum reliquimus. Mirabile eſt Philiſcus hujus malæ criſis exemplum, hic enim primo die ſudavit, poſtridie omnia exacerbata ſunt, ſudores poſtea perpetuo frigidi, & die 6 ad meridiem defunctus eſt. Quod non immerito Sileno vidimus accidiſſe, quod morbo in acuto exitialia ab initio continenter haberet & ſigna & ſymptomata. Ut etiam & Philini uxori, quæ parem ſortem tulit. & Eraſino, qui in quinto perpetuo cum ſudore occubuit.

1 Epid. ſect. 3. ægrot. 9. & 11.

1. Epid. ſect. 3. ægrot. 1.

1 Epid. ſect. 3. ægrot. 2.

1 Epid. ſect. 3. ægrot. 8.

Sed inquires, quî differt à critica ſolutione vera criſis? In eo nempe, quod in hac ſubito, & paulatim in illa morbus finẽ ſortitur: ſub manifeſta excretione in prima & in bona: in ſecunda autem, abſceſſu, tranſpoſitione, aut etiam conſpicua evacuatione fieri non repugnat; dummodo ſenſim, & non ſubito fiat: in hoc enim à prima criſi differt. Neque hæc doctrina patitur antitheſim cum alia, quam 3. prognoſticorum 1. tulimus; quam à divino Sene accepiſſe fatemur, diviſionem nempe criſis ſubito aut paulatim, ad mortem vel ſalutem, ad pejus vel ad melius. Semper enim eſt eadem doctrina. Nulla tamen eſt melior quam quæ à Galeno perfecta judicatur, 1. Aph. 20. *Quænam igitur* (inquit) *eſt perfecta & indeficiens judicatio? nempe, in qua cuncta bene procedunt, & cui nullus numerus deficit judicatorius. Primum enim, melior eſt judicatio quæ fit per evacuationem inferiorem, quam quæ per abſceſſum: deinde, per quam humor noxius & redundans, quam per quam alter evacuatur: tertio loco, quæ κατ' ἴξιν & ſecundum proceſſum fit, id eſt, recto tramite: & quarto poſt has quæ facile toleratur, quæ cum coctione fit, & in die decretoria. Hæc omnia adeſſe convenit perfectæ judiciationi: cui ſi quid deſit, vel plura, neque exquiſita neque integra fuerit judicatio.*

1. Epid. ſect. 3. text. 16.

Galen. in Aph. Hipp. 1. Aph. 20.

Sed dicam præter iſta quod ſæpe obſervavi; fateor, & ingenue fateor, quæ eſt Præceptoris & Galeni doctrina, quod vehementiſſimi caſus criſes edunt: ſed ad quam criſis ſpeciem reducantur, neque legi nec vidi. Fortaſſe, quod illud fere ſemper eveniat in cronocis, aut longa macronoſia morborum, in quibus non eſt criſis. ſic perinde ſæpius vidimus accidiſſe: ſed aliter interdum, nempe intra acutorum metam intra 14. ſed in acutis ex decidentia frequentius. Sed illud magis mirari eſt, hanc criſim fere ſemper eſſe ad criſim per antonomaſiam reducendam, nempe quæ ſubito ad ſalutem mutatur, nullo morbi veſtigio derelicto: vidimus enim ſæpe hoc in lenta & nothiſſima tertiana. Quid multum, in importuna & rebelli quartana, vehementiſſimam concitari acceſſionem, quæ morbum penitus & omnino delevit, nullo ejus veſtigio derelicto, abſque ulla excretione conſpicua, ſola intenſione caſus vehementiſſimi, (ut Præceptoris

ris verbis utar) neque tantum in chronicis,sed in acutis etiam proprie & ex decidentia, qui à lentitudine sua subito vires exerunt. Non est ergo illa sola vera & legitima crisis, (ut communiter fertur) quæ per conspicuam & manifestam excretionem morbum finit, nullo ejus vestigio derelicto; si æqualia vehementissimi casus, absque ulla conspicua excretione, operantur.

Sed quia ad veram medendi ratione̅ non sat est prænovisse, an crisis subito an paulatim fiat; sed per quas actiones ad crisim concitetur:ideo ad singulares mutationes, quæ accidunt in morbo, oportet animum applicare, non ad eas tantum, quas fert idea morbi, velut in circuitibus, sed ad illas,quæ addunt aliquid peculiare; ut, dum præter communem ordinem intenditur, aut novum venit accidens, quod animum novitate solicitat, seu recenti decubitu, nova excretione aut transpositione: ac deinde, sub quibus auspiciis illud accidat, dominantis naturæ, aut succumbentis, aliter ancipitis in operatione. In hoc enim libratur verum prædicendi judicium. Non enim omnis motus, qui cedit naturæ magisterio, bonus censetur ideo, nec qui soli irritationi, semper pravus: is enim potest esse indifferens; ille profusa excretione perniciosus.

Hanc subitam mutationem in crisi, ad bonum vel ad malum, quo præfinito termino talis censenda sit,ut&paulatinam,à nemine video observatam, neque insinuatam: hoc certe ex ipsa natura rei maxime ediscendum existimo. Illa subita mutatio, vel sequitur excretionem, morbificæ causæ coæqualem, vel alterationem, quæ contrariis superat resistentiam.Et licet terminus non possit præfiniri in puncto, in omni agente, & in omni passo, ob mille certe causas; hanc tamen subitam mutationem, meo saltem judicio, viginti quatuor horis finiendam non dubito asserere. Nam intra prædictam metam, aut vehemens alteratio, aut liberalis & libera excretio, potest esse causæ morbificæ æqualis, aut passi resistentiam superare. Nam præterquam quod illud ocularis convincit experientia, & protinus recuperatæ salutis aut mortis elucent signa, hoc facile monstrant exempla superius adducta: nulla enim in illis subita crisis tertiam diem transcendit, & si prima non numeratur dies, ut par est, in 24 horis illud accidisse ratum putamus. Quo etiam termino præfiniendum judico, quando mors dicitur repentina: quoniam repente mori, intra breve tempus æstimatur. Et Valesius repente mori judicat, qui 4 aut 5 horis animam exhalavit. 5. epid fol. 257. Hoc etiam à Galeno colligitur 2.de præsag.ex puls. 4. circa finem. *Nam quibus,*inquit,*cordis corpus frigidum redditur, pulsus fiunt tardi & languidissimi: & hi è vestigio pereunt. Mors autem eorum minus potest declinari, cum teneat frigiditas corpus ipsum cordis. Repentina porro & in altera differentia fit: nam alii moriuntur inter dormiendum potius;alii tum illo modo, tum etiam inter loquendum: & hi subito, ut qui animo deficiunt, expirant.* Ut nos in febribus malignis vidimus, antea toto corpore cum extremis reddito frigidissimo. Et hoc, quod præfinitur, participat de utroque extremo. Mutationem verò paulatinam illam censendam judico, quæ ad septimam diem, saltem ad quartam extenditur, ab illa qua incepit: nam critici dies solent actiones naturæ terminare, Et intra hos dies, seu paulatina excretio, seu alteratio, plus minusve, ordine præfinito, continetur. Nec illud certe obstat, mutationem ad plures dies extendi: illud enim efficit aut perennis morbificæ causæ generatio, aut singularis ægroti resistentia. Sed ingenuè fateor, nos hæc sæpius vidisse permutata, & nulla certa lege præfinita: nam crises etiam secundum tempora & temporum constitutiones permutantur; aliter enim eveniunt in hyeme, aliter in autumno, in æstate, aut vere. Et *constantibus temporibus accidunt constantia judicia*, ut Hippocrates dixit, *in inconstantibus autem incerta & confusa.* Et si talia in aere operatur influxus cælestis invisibilis, quid mirum, quod majora in corpore humano operetur?

Valesius 5. Epid. fol. 257. Galen. 2. de præsag. ex puls. 4.

Hipp. 3. Aph. 8.

Ut ergo prædictio secundum artis principia instituatur,falsæ & veræ crisis conditiones oportet perlustrare. Quatuor conditiones crisim securissimam instituunt, & secundum artis principia absolutam, si credimus Galeno. Prima, ut illam antecedat fidelissima coctio, (non subita, non intercisa) per gradus comparata, & quæ singulis diebus manifeste conspicitur. Secunda, si crisis adveniat in die decretoria: virtutem enim discernendi in his diebus veteres posuerunt, mutationibus edocti, quæ his diebus accidunt, seu à virtute Lunæ, ut voluit Galenus, in quadraturis maxime; seu à causæ morbificæ virtute, quæ certam dispositionem his diebus assequitur, qua terminat actionem influxus cælestis invisibilis, qui his diebus movet; seu à diei virtute, in quo natura proportionibus quibusdam definitis operatur, ut Galenus est auctor. Tertia, ut præindicetur à die contemplabili. Quare autem talis præindicatio antecedat, ex duplici radice est petendum, nempe superiori & inferiori. Quoniam luna morbificam materiam disponit ad crisim per quadraturas, quarum unaquæque septem adimplet dies, paucis additis horis, ut impulsui cedat, in tempore & loco, ut Galenus est auctor; fit inde, ut in medio quadraturæ materia dimidium dispositioins consequatur, & in modo substantiæ, & necessariis qualitatibus ad crisim. Quare, cum movere intendat in medio quadraturæ, & materia sit tantum dimidium dispositionis consequuta; fit inde, ut moveatur ad portionem suam, licet non perfecte:quod sat est,ut præmonstret,quo natura inclinet, ut perficiat crisim, quando materia morbifica ultimam dispositionem sortiatur, movetur. Cum ergo in medio quadraturæ est dies contemplabilis (est enim 4. ad 7. undecimus ad 14.) inde accidit,ut ad perfectam crisim sit necesse,ut præindicetur à die contemplabili: quoniam est argumentum, morbum ad crisim tendere, & esse jam in via. A radice inferiori,eadem militat ratio, quoniam in medio hebdomadæ in morbis, qui ad crisim pertendunt, materia est à natura dimidio disposita ad finem, quem natura intendit, seu in coctione, seu mediocritate substantiæ. qua necessitat, ut causæ moventi obsequatur, dum ad crisim: disponitur & cum in medio hebdomadæ sit tantum dispositionis dimidium, quando est futura crisis in fine, etiam inde fit, ut tantum de se præbeat signa, in primo quaternario

3. de Cris. 2. & 3.

ternario manifesta, quæ crisin futuram præmonstrent in fine sequentis quaternarii. Hujus discursus paucis infra lineis clarior tibi dabitur lux.

Quarta & ultima conditio est, ut tam causæ, quam symptomata critica, cum specie morbi symbolizent, hoc est, sint morbo gentilitia, quo crisis speratur. Nam, tam signa quam causæ & symptomata possunt esse à morbo aliena, & ab alio principio concitata: & ista fidem fallunt, & loco crisis, cedunt in ægroti perniciem. Facile est iter per præcepta, facilius per exempla. Detur, quod sit febris de Synocharum sorte, fortasse de genere ardentium biliosa, si in prima, observatis primis conditionibus, in 4. stilla sanguinis adveniat, secundum rationem crisis per hæmorrhagiam speratur in 7. & hoc idem judica in 14. si veniat 11. In febre biliosa est æquale judicium, si sit præindicatio in sudore; quoniam per sudorem est speranda crisis: cùm tam causæ & signa critica cum specie morbi symbolizent, & sint harum febrium gentilitia. Si vero ècontra adveniat in Synocho fluxus ventris adustus ex nigro & pessimo humore, aut ex humore indicibili, dum ad peregrinam vertitur qualitatem; hæc sunt certe à morbo aliena, & ab alio principio, & non ad veram crisim concitata, sed ad ægri perniciem: nam arguunt recentem putredinem contractam, ex qua forte malignitas suboritur. Idem in symptomatibus considera: nam critica symptomata, quantumvis vehementia, sunt fugacia, & adveniunt ad speciem crisis: quod si adveniant in ipsa crisis die, aut parum antea, & critica die jam exacta adhuc perdurent, hoc est inveterationi causæ, aut recens orienti malignitati tribuendum, sive delirium, cataphora, aut alisinus implacidus adveniat.

Hæc omnia in hoc Hispalensi Theatro variis rationibus novimus permutata. Vidimus enim perfectissimam crisim, & non præindicatam, ex robore naturæ, & aliquando violento conatu. *Coctio securitatem judicii & securam salubritatem ostendit*, dixit Hippocrates. Et vidimus, absque ullo pepasmo securissimas crises advenisse, & sub perfecta coctione insecuras, multiplici relapsu. Metonem etiam Hippocrates observat in 6. cum urina, & stilla nigri & usti sanguinis (quæ non tantum arguunt coctionis defectum, sed ustionem) perfecte liberatum, & sine recidiva. Et, si libere proloqui fas est, sunt semper naturæ morborum medicatrices, si ablatis impedimentis operantur. Et, ut Plinius dixit, *naturæ majestas in omnibus momentis fide caret.*

1. Aph. 12. 1. Epid. sect. 2. 45. & 4. Aph. 22. & 29.

1. Epid. sect. 3. ægrot 7.

Ulterius adverte, signa decretoria non sufficere, si alio quam tempore status sese prodant: hoc enim arguit, supervenire ex alio principio: & cum hoc etiam graviori damno ægros cumulant, quoniam, quæ non decernunt decretoria, mortem minantur aut recidivam. Dicam, quod sæpe observavi, febres, quæ inceperunt ab aliqua excretione ad cutim, seu rubore in corpore disperso, si maxime in principio morbi, omnes degenerasse in malignas. Quod si accidat in imbecillo & invalido corpore, in extrema discrimina deveniunt: si in robusto, fluctuant ancipiti fortuna. Ideo forte Galenus 3. de diebus decretoriis 8. has conturbatas crises, quæ pepasmum anticipant, gravissimis symptomatis fortiter exoluentibus, ægros cumulare æstimavit, sub ancipiti, & incerto discrimine. Sed non paucis innotuit (& hoc frequenter accidit) profusas & exolventes excretiones symptomaticas aliter morituros liberasse, ut notavit Valesius. Sed hoc est virtutis valori tribuendum, quæ talem violentiam ferre noluit. In hoc enim differt vera à falsa crisi, quod in illa naturæ sunt certamina, in ista morbi turgenter irritantis: ideo hæc exolvit, illa liberat; ut Galenus variis in locis adnotavit.

Galen. 3. de dieb. decr. 8.

3. de cris. 2. 1. de dieb. decr. 1. & 2. 1. Epid. cit. & 2. Epid. sect. 2.

Hæc omnia Prudentissimus Senex, & Galenus, ad exempla traxere, ut innotescat omnibus, virtutem inesse in criticis diebus ex inferiori & superna radice, in illa aphoristica & celebri sententia; *Sudores boni sunt, qui 3. adveniunt*, 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. & 34. *Non sudores tantum, sed alvi excrementa, urina, vel abscessus*, dixit Galenus 4. Aph. 36. Laudabiles crises sub his conditionibus amant his diebus criticis advenire, in his securi, in aliis incerti, seu malefida securitate infideles recidivæ periculo: quoniam mutationes, quæ subito & universim fiunt, absque excretione vel abscessu non accidunt; in quibus adhuc non est discernendi potestas, nisi accedat diei efficacia; ac propterea diei specialem conditionem sequuntur & naturam. sed aliquibus, ob specialem rationem, nobilius elucet privilegium. Septimus enim frequenter, cum fide & salubriter judicat, magis absque periculo, cum signis perfecte, manifeste, & clare: quia morbus, qui tam cito movetur, ut in septimo finiri teneatur, causam impetuose movet, materiam sortitur aptam in tenuitate & in modo substantiæ, ut obsequatur nutui imperantis. Ac tandem in hac die coincidit hujus humoris motus gentilitius, qui cum motu lunari in prima quadratura copulatur; qui validior est cæteris, qui sequuntur, aliis quadraturis, quoniam influxus, quanto magis recedit à principio, tanto magis accedit delassatus. Cum ergo tot causæ simul coeant in hebdomadæ primæ fine, non est mirum, si sit validius in illa discernendi privilegium, & ad proportionem in secunda & tertia, ad 21. in quibus tanta magis efficacia delassatur, quanto magis recedit à principio.

Hipp. 4. Aph. 36.

Ex his formalis & potissima ratio elicitur, quare in sexto accidat non tantum infidele judicium, recidivæ periculo, sed pravum & cum vitæ discrimine: quia nempe in illo omnes rationes deficiunt, quæ septimum constituunt in ratione valide discernentis, ex superna & inferna radice; in hoc enim naturæ sunt certamina, in sexto vero & diei & morbi tyrannidem sequuntur, & irritationem, & turgentiam, contra naturæ leges, & contra ipsam morbi naturam. Ideo forte tyranno comparatur: quoniam, si hoc accideret in morbo bilioso, in quo natura movet de 3. in 3. si crisis, quæ secundum naturæ & morbi leges erat in 7. futura, anticipat in sexto, clare patet, ordinem ab alio principio inverti, contra naturæ leges. Nec ideo aliquando me legisse inficior, quod Larisea virgo est in sexto optime judicata. Sed hoc est raro naturæ miraculo apponendum, & non sexto diei: quia nulla est regula,

1. de dieb. & cret. 4.

la, quæ non aliquam ferat exceptionem: & monstra in arte aliquando contingunt, ſicut & in natura. Et adhuc in hoc caſu, ſi vitæ periculum excuſat, non recurſus periculum: ideo ex hoc aut illo principio ſemper eſt infidelis. Qui plura cupit, legat 4. aph. 29.

Sed video, poſſe excuſari adhuc ſexti judicium cum illa Hippocratis ſententia, *qui paribus diebus exacerbantur, paribus etiam judicantur.* Ex quo bene infertur, in 6. poſſe advenire judicium, & bene judicari. Veniamus ad ipſam rei naturam. Morbi omnes, qui amant per criſim terminari, ſanguinem, bilem, pituitam, melancholiam, aut maſſam ſanguinis univerſi pro cauſa ſortiuntur; in quo portio hujus aut illius humoris interdum prævalet: horum quiſque pro ſua portione ſervat periodum; ſanguis unica acceſſione clauditur, bilis per impares movetur, pituita quotidie, quarta die repetit melancholia: dum per corruptionem propriam eſſentiam non omittunt in alienam verſa.

Ex eo tamen, quod ſoli acuti morbi per criſim finiantur, & laudabiles criſes maxime in imparibus fiant, in eam mentem veni, hoc acutorum genus pro cauſa bilem ſortiri, etſi fortaſſe ſanguis aut maſſa ſanguinaria ad quartam diem in bilem tranſmutetur, ſaltem vires & conditionem bilis ſibi aſciſci. Mirabile eſt enim, quot ſententiis Galenus & Hippocrates impares criſes laudent, pares condemnent. Quo certe argumento convincitur, laudabilem criſim paribus diebus non advenire; & ſi forte ad pares permutetur, hoc fore in felici augurio, ſi non in impari incepta, in paribus perficitur: ſed hæc non eſt paribus diebus apponenda. Veniamus ad eruditionem hujus argumenti difficilis. Dictatoris eſt illa aphoriſmi ſententia, qui paribus diebus judicantur & repetunt, libenter, & male diſcernuntur. febris ideo, quæ paribus demiſerit, recidivare ſolet. Miratur & dubitat Galenus, an talem ſententiam Hippocrates ſcripſerit, cum criſes, quæ per quaternarios celebrantur, paribus diebus fieri obſerventur: ut in Epidemiis & Aphoriſmis docuit, in 14. 20. 40. 60. 80. Et Galeni auctoritatem colimus, ut par eſt; ſed non omnia vetuſtas adinvenit, non eſt enim vetitum recentibus & abſtruſa rimari. Nam pares dies in duplici linea perpendimus: alii enim ſunt natura ſua pares, quoniam ſemper componuntur ex paribus; ut 4. 6. 8. &c. alii vero ſunt pares ſola computatione numerica, ſed impares natura, & peculiari conditione critici, quod eſſentia impares; ut 14. & 20. quoniam primus conſtat duobus ſeptenariis, alter vero tribus in ſe ductis, ideo ſunt impares natura: ideo forte etiam decimus, licet pares videantur computo numerali. deinceps vero cæteri morbi ſolvuntur. Quod ſi forte judicari contingat, hoc tribuendum reor acceſſionis motui, aut vehementiſſimo caſui; ut dicebamus, antea; aut naturæ ad impetum gliſcenti, ut Galeni eſt etiam doctrina. & hoc non obſtat paribus accidiſſe: ſunt enim tales criſes fortuitæ, non certæ, neque prælindicatæ. Hoc idem Hippocrates repetit in prognoſticis: Si febris nec criticis diebus, neque notis ſalutaribus ſolvatur, recidivare ſolet, ut & criſi pellas, quæ non ſolvitur diebus decretoriis, ſi tumor ſine ſignis ad interna recurrit. In dolore eadem eſt doctrina: ſolet enim ſolvi lethaliter, recurrere ſaltem ancipiti judicio.

4. Aph. 61

3. de criſ. 4. & 8. 1. de dieb. decret. 2. 3. prognoſt. 1. & 19. 8. & 22.

Sed quia ſolet acuta febris, quæ antea movebatur per impares, ſine cauſa, per pares, acceſſiones ducere, & tranſmutari ad acceſſiones parium dierum; (quod nos frequenter Hiſpali obſervavimus) videamus, an ſaltem in hoc caſu laudabilis criſis poſſit paribus diebus ſperari: nam in illis coincidit acceſſio; quod maxime ad criſim conducere antea dicebamus. Et eſt vulgare dubium, ſæpius obſervatum, ſed neminem vidi ſuper illud reflexionem agere. In libro 3. Coac. eſt ſatis nobilis Præceptoris ſententia; febrem acutam per pares exarcerbari malum; malignius in quarto. *Invaleſcente cauſa,* dixit quidam doctus, *aut malignius fortaſſe putreſcente,* ut *Philiſco, qui ſexto mortuus eſt.* Hæc intellige in peracuta febre: nam in mitiori fluctuat in ancipiti alea, non prorſus infelici judicio. Nam morbum, qui per impares antea movebatur, per pares moveri poſtea, tripliciter contingit. Primo, ratione caloris nativi, & naturæ pugnam repetentis, ut dum pus conficitur, cum dolores & febres magis creſcunt; & tunc non eſt abſolute damnanda illa tranſmutatio. Secundo, cum accidit ratione putredinis, nihil amplius agente calore; ut in gangrænis accidit, & maxime internis. vel Tertio, cum natura oppreſſa & irritata anticipare cogitur acceſſionis motum in paribus diebus; quod in acutis morbis lethale obſervavimus; ut etiam in mitiori morbo, in longum tempus produci. Et ſi fas eſt dicere, quod longo tempore obſervavimus, ad pares motus impares relabi vidimus, etiam in pleriſque acutis, ex maligna fermentata putredine, dum materia conſtant heterogenea: ſolet enim bilioſa diſſolvi, quia tenuis, & acceſſiones craſſiori pituita putreſcente perſiſtere, quæ paribus movetur. Hoc non eſt ſemper & abſolute lethale, ſed illis tantum, ubi ex ſumma putreſcentia corruptio humoribus accedit, ut degenerent in aliam humoris naturam: tunc enim non eſt mirum, ut qui per impares antea movebatur, moveatur per pares; quoniam jam eſt alius humor, per corruptionem tranſmutatus, qui forte paribus diebus magis irritat; ut Hippocrates in Philiſco accidiſſe notavit, cui acceſſiones diebus paribus erant. Sed ſupra omnia eſt illuſtre exemplum Pythionis, qui ſupra Herculis fanum decumbebat, hic interiit in 10. ob humorum corruptionem ſummam. & addit Hippocrates in fine, *diebus huic paribus labores.*

Hipp. l. 3. Coac. 3.

3. Epid ſect. 3. ægrot. 3.

Videamus, quid ſenſerit Galenus de parium dierum judicio & criſi. Hæc Galenus in Philiſci hiſtoria: *Merito in hoc ægro tertio die mortem impendere quis prævidere poterit; quoniam primo die cum acuta febre ſudor incepit, & non diſcuſſa febre. ſecundo omnia exacerbata ſunt, & cum urina nigra; & tertia die excretionem habuit nigrarum urinarum, & his perſeverantibus. in quarto omnia exacerbata ſunt. Quare fac memineris, ubi quartus perinde ut tertius gravia habeat ſymptomata & ſigna, in morbo acuto, brevi expectandum judicium eſſe: ſi paribus diebus invadebat potius, in paribus, ſi vero in imparibus, in his; judicium nempe aut mors ut in exitialibus. Ideo Philiſcus in ſexto periit, quod acceſſiones paribus diebus haberet.* Sic pariter ſen-

Galen. in 1. Epid. ſect. 3. ægrot. 1.

sentire ausus est de Pythionis historia: quia nempe huic paribus diebus labores, mors quoque in die est consecuta pari. sed æque futurum æstimavit, si in imparibus lethalia signa & accidentia advenirent; illud verò nunquam dixit, se laudabile judicium unquam in paribus vidisse. Et tam secure constat hoc Galeni judicium, ut cum videret virginem in Larissa in sexto optime judicatam, ut Hippocrates narrat, in hujus historiæ commentario sic loquitur: *Puellæ vigentem ætatem esse, monstrant menses. Morbum ex copia humorum, judicatum in sexto, quod dolores in dies pares incurrissent. At mirum, non revertisse, cum sextus dies non judicet unquam fideliter. Quare novum hoc & rarum illi accidisse indicavit, cum scripsit: Huic non repetiit, sed judicata est: tanquam debuisset repetere. At vero causam, cur non redierit, scripsit, addendo: Dum febricitaret, & jam judicata esset:* (hæmorrhagia nempe copiosa) *menses primo illi provenerunt. nam vacuationis perseveratio diebus post judicium, satis erat, ut firmum servaret judicium, quod die sexto præcesserat per sanguinis eruptionem & sudores.* Sed, quod deinde addidit, summa attentione dignum existimavi; nempe *quod nulla esset princeps pars inflammata, neque maligna humorum abundantia*: ac si diceret: Si aliquod horum subesset, fidele numquam foret judicium, relicta intus malignitate, aut inflammationis empyreumate, ex quibus recentia accidentia repullulare novimus, quæ reddunt infidele judicium.

Galen. com. in 3. Epid. sect. 3. ægrot. 12.

Quare tamen aliqua febris fuerit in quarto judicata in acutis, (quod semel Galenus, bis Archigines vidit) hoc non diei ratione contigisse semper existimavi, sed quia in sanguinea febre, quæ ut plurimum quarto degenerat in bilem & melancholiam, dum putrescit, naturam ad pugnam provocat; unde crisis in illa concitatur: seu quia quartus dies, dum hebdomadam scindit, est primi quaternarii finis, in quo luna notabilem facit mutationem; inde nacta occasione, si inveniat materiam paratam, non est mirum, ut crisis in illa concitetur, & perficiat, quo natura inclinat. Quod accidisse legimus in Pericle in Abderis, corrupto febre acuta & continua, & fortasse sanguinea. *Nam capite gravato sanguis è nare sinistra profluebat, quia sublienosus. sed febris erat perpetuo accrescens, cum urina turbata in tertio concocta.* unde non est mirum, si in quarto sudore copioso judicetur.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 6.

Nec tamen inde inferas, Pericles in quarto judicatur; ergo in paribus laudabile celebratur judicium. verùm illud tantum Præceptor benignissimis concessit, & signis firmatis securissimis pepasmi, non privilegio diei. Patet interpretatio: *Nam si benignissimæ febres, & signis firmatæ securissimis, bene quarto die finiuntur; malignissimæ quarto die interimunt.* Ergo ex parte diei non est judicii securitas. Et quando Hippocrates dixit, *febres eisdem diebus judicari, quibus servantur, & quibus intereunt homines*, non de diebus venit intelligendus, sed de judicationibus, ut Galenus est auctor, in antecedentis sententiæ commentario. Nam judicationes fieri per insultus & impetus, qui his diebus accidunt; quibus est tribuenda judicatio, clarissimè edocuit in tertia sententia, quæ talis est: *Itaque primus insultus hunc in modum finitur*, nempe in quarto. *Secundus vero ad septimum producitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartumdecimum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum* ex additione. *Hi ergo, ex morbis acutissimis per quatuor ad viginti ex additione terminantur.* cum ergo primus impetus ad quartũ diem fiat, in quarto judicium advenire, Galeni & Hippocratis auctoritate constat 2. Aph. 24. sed laudabilem fore, exinde non colligitur: quoniam, prout impetus & insultus à natura producitur, aut à morbo infertur, est probitas, aut infidelitas judicii æstimanda; ut placuit Galeno 1. Prorrhet. text. 1. hoc autem est petendum ex alio principio, nempe à signis, quæ talem insultũ antecedunt. Si æquali judicio virtutes, & merita signorum æqua lance librare queas, quænam præponderent ad bonum vel ad malum: quod nec facile, interdum nec possibile est. Sed ut plurimum ex bonitate aut malitia insultus, in quarto colligitur qualis futurus septimus, ex undecimo qualis decimusquartus, & per quam regionem sit speranda crisis.

Hipp. 3. prognost. 2.

3. prognost. 1.

Idem, 3. prognost. 3.

Hæc expressit Hipp. celebri in oraculo 2. Aph. 24. Sed Præceptoris mens potius Pythagoræ sequitur philosophiam, qui omnia numerorum voluit harmoniæ, quam naturæ motum in hac die inceptum: sic legitur sententia: *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus principium. Est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim est quartus secundæ septimanæ. Rursus vero & decimusseptimus contemplabilis: ipse siquidem quartus est, à decimo quarto, septimus vero ab undecimo.* Galenus in hujus sententiæ commentario, *indices*, vocat ἐπιδήλους, *contemplabiles* verò θεωρητὰς, & hos etiam solet nominare dies indicativos.

Hipp. 2. aph. 24.

Pro hujus sententiæ intelligentia adverte, Hippocratem Pythagoræ fuisse discipulum, qui perfectionem rerum humanarum & divinarum harmoniæ numerorum detulit: seu ductus rerum experientia, quas sic perinde in certa numerorum harmonia accidisse contemplatus est: seu quia rerum perfectio in hac numeri determinatione præfinitur. Secundo adverte, ἐπίδηλος, idem esse ac maximus, perfectus & absolutus numerus, nempe summam perfectionem terminans; sic enim Henricus Stephanus in græcæ linguæ Thesauro, Tomo 1. illam dictionem interpretatur, ἐπίδηλος, *manifestus, perspicuus, apertus, illustris*; hoc enim sonat illa jonica dictio: quia continet perfectionem simpliciter numericam, quæ ad decem extenditur. Ultra decem quidem est alia perfectio numerica composita, at non simplex; non æque igitur nobilis. Et hanc perfectionem sortitur quaternarius numerus, quia in se continet decimum numerum perfectissimum: continet enim quatuor, tria, duo, & unum, quæ decimum complent, qui est perfectissimus numerorum simplicium. Cum ergo quaternarius contineat in se omnem simplicem perfectionem numericam, est maximus, optimus, & perfectissimus in significando: quoniam significat & continet omnem perfectionem. Ideo quartus in prima septimana est index futuri eventus in proximo septimo; & cum octavus sit secundæ septimanæ principium, ideo fit undecimus contemplabilis, quia est quartus secundæ septimanæ, si ab octava incipit computatio; & sub

ſub eadem perfectione indicat, quia habet & continet in ſe perfectionem quarti; & eadem ratione decimus ſeptimus, quia & ipſe eſt quartus à decimoquarto, & ſeptimus ab undecimo: unde ex duplici perfectione finitur, quarti nempe & ſeptimi. Quare, ii omnes quarti, ſub illa perfectione numerica, ſunt omnium valentiſſimi in indicando quid ſit futurum in ſui duplicatione & multiplicatione quaternorum, uſque ad vigeſimum. Nam primus quartus indicat futurum in ſeptimo, ſecundus in decimoquarto, tertius in vigeſimo; quia ille quartus terminat perfectionem ſui, & illam in ſignificando multiplicat in quarto ſubſequenti. Et ideo ſeptimus, decimuſquartus, & vigeſimus ſunt in judicando & diſcernendo morbos omnium valentiſſimi, non ex ſe, ſed ex numeri quaternarii perfectione, ex qua illi componuntur & conſtant: illud enim ſignificat illa dictio, ἐπίδηλος, & non tantum, ut voluit Galenus, quia indicativus. Quare, quartus non tantum eſt judicandus index, quia nuntiat id, quod eſt ſeptimo futurum; ſed quia ſui ratione maximam ſortitur diſcernendi rationem & virtutem ad bonum vel ad malum. Ideo, mea ſententia, ſeptimus virtutem diſcernendi accipit & ſortitur à quarto, & in ſui multiplicatione ad ſeptimum, hoc eſt, in bis quatuor: ideo potentiſſime judicat, quia in illo multiplicatur virtus quarti, in ſe bis ducti, quia bis decem complet, hoc eſt, binam perfectionem, quæ poſtea numeris ſubſequentibus exoluitur, quanto magis à ſui principio recedunt: quia in illis incipit alia numeratio quaternorum, jam compoſita, à numero decimo, quæ non æqualem perfectionem ſortitur in multiplicatione, ut ſimplex numerica perfectio, ad decimum. Nam prima numeratio, quæ in decimo terminatur, eſt omnium perfectiſſima. Ideo veteres (teſtis eſt Iamblicus) per decimum jurabant: tanquam non eſſet alia ulterior perfectio, nec nobilior. Et licet nobis antea aliter viſum eſſet, re altius penſitata, nunc ita nobis videtur.

Sed ſi in contemplabili nullus inſultus adſit in morbo acutiſſimo, ut in praxi frequenter obſervamus, quomodo erit inſtituenda prognoſis? aut quod judicium de criſi proferendum? Scias, oro, quod plura quotidie docet natura, quam veterum præcepta, & noſtri indefeſſi labores: ſunt enim naturæ morborum medicatrices, & non noſtra proloquia. Quoties, non ſperata criſi, inopinatus morbus excretione ſolvitur? Quoties artis auxiliis & vacuationibus criſis præripitur occaſio? Et quam frequenter poſt longas evacuationes criſis cernatur advenire, quæ non ſperabatur, in his melius eſt tacere, quam temere pronuntiantem falli. Itaque, qui non falli deſiderat, honeſta & cauta ſimulatione animum à præſagiendo avertat: nam fidem fallit prognoſis, adhuc ſecundum artis principia ſuſcepta. Neque nos à male prædicendo excuſant veterum ſapientium præcepta, neque artis principia, quin illud cedat in reprehenſionem potius quam honorem artis. Neque non adhuc recte prædicentis honor periclitatur apud profanum vulgus.

SECTIO. V.

Dies qui decretorii: & quare in ipſis à duplici radice critica mutatio adveniat.

Omnes criticos dies numerare, ad oſtentationem potius quam ad medendi uſum apud artifices ſemper fuiſſe exiſtimavi: quoniam uſque ad 21. vigilanti ſolertia attendimus: illa vero exacta, neque dies expendimus, neque excretiones, ut medici illi vetuſſimi, æquali lance libramus, an veniant ad criſim, an fortuna contingant; quia, cum in noſtra regione rariſſimæ ſint criſes, acutorum impetu jam exacto, & omnes ſolvi potius quam ſubito judicio terminari videamus, non eſt mirum, dies illos medentis animum acrioribus ſtimulis non explorare.

Illa dies eſt vere decretoria ad judicium, in qua ipſa terminatur hebdomada; & illa contemplabilis, quæ ſcindit hebdomadam per medium, & complet quaternarium: & qui ſuperſunt dies, intercalares merito vocitantur, non in totum inutiles, quia ſæpe in illis finiuntur judicia, in criticis incepta. Ideo forte Galenus hos inter decretorios numerat. Tertiam diem Hippocratem etiam decretoriis adnumerare vidimus, quæ nec dividit, nec terminat hebdomada, ſed quia criſis, quæ futura in quarto, in tertio anticipat; quare tales non erunt abſolute ſed ex eventu critici.

2. de dieb. decret. 2. 3. prog. 2. 3. de dieb. decret. 4. & 5. 1. Epid. ſect. 3. 14 & 24.

Si non dicimus, (quod omnes fere oſcitanter prætereunt) quod ſicut morbi, natura homogenei, in cauſa & principio æqualem ſortiuntur aſcenſum, ſic heterogenei inæqualem in tempore acutiem, & fere ſemper in primo quaternario moventur lento motu, celeritatem & acutiem reſumentes in ſecundo aut tertio, putredine forte reduplicata, aut fuſo & liquato humore (ex quo acuties incipit:) nam tunc ſolum talis dicitur morbus, cum celeriter movetur cum periculo. Quare, ſi acuties incipiat in quarto, in ſexto, in octavo, aut nono, criſis poterit advenire in decimo, duodecimo, decimoquinto, decimooctavo, & vigeſimoquarto, aut alio quopiam die intercalari: & criſis illa, quæ celebratur, poterit eſſe in vero decretorio, & non intercalari, ut in decimoquinto, aut vigeſimoquarto. quod Senis gravis experientia non præteriit, nec etiam Galeni: ut reſpectu hujus aut illius diei hæc dies ſit vere decretoria & contemplabilis, ſi non intercalaris, ad febrem acutiſſimam, phrenitidem, aut lateris dolorem. Hujus doctrinæ dedit Galenus varia & diverſa exempla in præcitatis locis, ſi lente morbus à quarto moveatur, aut à ſeptimo, ut mirum non ſit, ſi in decimoſeptimo criſim experiatur, aut vigeſimo tertio: & hoc intra metam proprii decretorii, hoc eſt intra 14. (terminum acutorum.) Quare autem vigeſimus & vigeſimus primus ſint ambo decretorii, olim adnotavit & docuit Galenus: nam ſi dies integri numerentur, ut ſunt dies ſolares, 21. tres præfinit hebdomadas: ſi vero ad peragrationem circuitus lunaris, is peragitur diebus viginti octo, paucis detractis horis: qui diviſus in quatuor hebdomadas, unicuique ſeptem compartitur dies, minus quibuſdam horis, ut tertia hebdomada vigeſimum conſtituat decretorium. Quæ ſane computatio fuit

3. progn. 31. de dieb. decret. 2. 3. 5. & 10.

3. de criſ. 9.

Hipp. 3. progn. 4.

Hipp. 3. prognost. 4. fuit satis Præceptori dilecta, quando dixit, *nec mensem nec annum medicinalem fore integris diebus computandum.* Si alia non placet numeratio. si à fine 14. dies annumerentur, fit vigesimus primus decretorius: si autem 14. ultimum comprehendas principium tertiæ hebdomadæ, erit sane vigesimus. & quomodo libet, par erit computare, nec erit contra vera præcepta, crisim vigesimo incipere, & perfici in vigesimo primo.

Quare autem, eo quod finiatur hebdomada in hac aut illa die, vim discernendi habeat ista dies, hoc altiori judicio nos oportet expendere. Hoc Galenus à perenni lunæ cursu deduxit, utpote à firma & constanti radice: humores enim ad lunæ lationem agitari, ratione & experientia contendit, & se illud ab Ægyptiorum peritissimis didicisse fatetur. Continet enim mensis peragrationis lunæ dies viginti septem, insuper horas octo, per lunæ quadraturas subdivisus. Quare, primæ hebdomadæ septem respondent dies, & cæteris proportionali multiplicatione per hebdomadas septem. Unde numeratio illa, ducta per septenarios, fit vere critica, seu simpliciter in quovis septenario, seu ipsis in se ductis, majori aut minori efficacia, prout magis aut minus recedunt à principio. *3. de dieb. decret. 1. & 6.*

Satis aperte patet lunaris influxus efficacia, tum in cæteris rebus sublunaribus, tum Oceano mari, quod non tantum, ad lunæ lationem, perenni & repetito fluxu & refluxu exæstuat, sed quadam mensis parte longe lateque diffunditur, cum lunaris influxus magis super illud intenditur.

Pythagoras & Plato hanc mirabilem & abditam virtutem discernendi dierum criticorum numerorum harmoniæ detulerunt, non tantum in crisibus, sed etiam in annis, per suas climacturas, quæ imparibus numeris finitur, non tantum septenario numero, sed illo septies aut novies in se ducto, scansili lege occidua. Nec ab hac sententia alienus Hippocrates sic loquitur: *Medicum, qui ægrorum salutem conjectare volet, attendere oportet, & contemplari omnes dies, ex paribus 14. 20. 42. hic enim terminus ponitur à quibusdam pro harmoniæ ratione integer & perfectus numerus.* Qui plura de hoc argumento desiderat, videat nostrum Theseum Climactericum, in quo hæc sententia est satis accurate refutata. *Hipp. libro de septim. partu.*

De propria & naturali causa Crisis.

De naturæ principio & causa: & quomodo ad crisim concurrat, cum influxu cœlesti.

Crisim salutarem fieri à natura viventis, à morbifica causa & influxu cœlesti, utpote à duplici radice: mortalem vero seu ad pejus, à morbifica, & influxu cœlesti, patibili illum determinante ad diem & horam crisis, antea diximus. Nunc restat exponamus, quid sit natura, & quam conferat actionem ad crisim, & quomodo determinetur influxus à patibili.

Illud proximo considera, naturam esse quoddam operandi principium, inditum ab altissimo, quod rebus cunctis naturalibus, (ad rerum supernaturalium differentiam,) inest. Sic illam definit Aristoteles; *est principium & causa, ut id moveatur & quiescat, in quo primo & per se & non ex accidenti inest.* *Aristotel.*

In mixto est materia & forma, sicut & elementis, & in cœlo. sed in mixto est etiam miscibilium unio, & accidentia, alia, quæ proxime consequuntur essentiam, & alia, quæ remote. Materia nullum habet operandi principium; cùm sit pura potentia. Accidentia essentiam ab inhærentia sortiuntur, seu ab unione resultantiam: quod verò ab alio habet essentiam, ab illo quoque habet operandi principium. Restat ergo, ut principium operandi sit à forma, aut simplicis, aut mixti, & quod illa sit actus, & omnis actionis principium; actio vero suppositi. Determinatur tamen illius actio in mixto ab elementi portione prævalente: ut cum in miscibilium unione ignis superat, terra, aqua, ut aer.

Si ergo natura est principium motus & quietis, quod ab essentia dimanat, & non ex accidenti, bene concluditur, naturam esse ipsam formam mixti, corruptibilis, aut incorruptibilis, prout illius actio dimanat à supposito; determinari verò à materia, quam informat, sive sit elementorum corruptibilis sive incorruptibilis cœlorū. Et hoc est essentiale principium & causa operandi.

A summo conditore non tantum operandi principium credimus dimanasse, sed etiam artem & magisterium, quo illa perficiatur actio: nam qui dat esse, dat cuncta, non tantum necessaria ad essendum, sed etiam ad operandum.

Verumtamen, cum ex illa actione non tantum universi, sed & individuorum pendeat conservatio, in illo principio debent illa omnia contineri, quæ conferunt ad conservationem. Ad hoc facit insita & perfecta rerum cognitio, quæ partes universi conservare aut perdere conantur. Inde ortus & interitus perennitas; inde mirabilis naturæ non tantum sapientia, sed majestas, ut omnibus momentis fide careat; inde præfinito ordine, loco, & tempore, natura operatur.

Illud tamen est hujus naturæ privilegium, ut, quo altius sit illius principiū, eo operationes perfectiores edat. Ideo, cum rationalis anima purissimam cœlestium spherarum & rerum sublunarium essentiam excellat, & omnia quæ sub sole sunt, necessario illius operandi principium, in omnibus & ad omnia, excellentius erit. Inde fit, ut mentis scintilla fortificata, & rationis radius multiplicatus in se, producat fortiores effectus: quoniam longius & fortius emittit radios suos invisibiles & spirituales, quo etiam instrumenta promtiora & obsequentia reddit. Ut nos etiam Proclus docuit, parum tribuens bonæ malæve corporis, ceu oppaci ejus velamenti, dispositioni; quæ licet aliquid faciat, vel impediat, tanta tamen est mentis, spiritui rationi præsidentis, potestas in homine, ut, si modo sit efficax & plena in sua actione, ejus influentiis resistere nullo modo possit corporis caligo & oppacitas: quoniam splendor divinus in ipsis tenebris illuminat; imo vero tenebræ (dixit Proclus) non sunt tenebræ ei, sed nox illi clara dies. Est enim ipsa *mens, lux illuminans in tenebris*, ut Mercurius Trismegistus testatur. Nam corporis oppaci resistentia non in totum influxum impedit, ut etiam in sole experimur.

Sint nobis exempla illi, qui spiritus afflatu, & ple-

& plenitudine fiunt ex simplicibus vates, diserti ex inertibus, ex pusillanimis animosi, ex artis & scientiæ ignaris peritissimi: ut nostris in Feraliis jam probatum reliquimus.

Quod tamen ex eo accidere Mercurius docuit Trismegistus, quod anima in corpore maligno vacare videatur; (ut etiam Jamblicus Platonicus est auctor) non quod corporis actionibus impedimento sit, sed quod ipsa agere nolens veluti conquiescat: quia non multiplicatur ejus actus, veluti in piis & bonis, ubi libere agit. Hæc in mentis intellectivæ actionibus accidunt: nam aliæ corporeæ actiones, veluti cum homo agilior & vivacior est, in animæ mediæ, hoc est, animæ sensitivæ actione consistunt; quæ cum sit communis hominibus & brutis, irrefragabile facit argumentum, ab illa ut à suo principio procedere. Nam pleraque animalium, in levitate, in saltu, in velocitate, in cursu, in facilitate & motu, hominem superant & excellunt. & hoc illis præcipue animalibus accidit, quorum corpora non sunt validiora. Hoc est naturæ operandi principium in rebus naturalibus.

In genere causalitatis duæ sunt causæ efficientes naturalium rerum, natura nempe, & ars, illius imitatrix. Et cum naturæ principium operandi, (forma nempe) non valeat nisi mediis instrumentis operari, inde est, quod natura ab aliquibus dicatur elementorum quasi nodus & vinculum: ab aliis, in debitis proportionibus contemperatio, & in omni composito commixtio miscibilium, (cum actiones sint suppositorum;) ad formam, cuique speciei congruam, imprimendam. Quo fit: *ut natura sit vis quædam, rebus insita & ingenita, ex similibus similia procreans, in genere causalitatis effectiva.* Nam qualitates, quas generat, auget, alitque, ac materiam ad formæ introductionem disponit, aliquid producendo, quod antea non erat. Hinc homo producit hominem ex semine suo naturali calore & facultate formatrice in illo derelicta; disponendo seminis materiam ad formæ, vegetantis, sensitivæ, & rationalis introductionem; ad quam etiam Solis influxus adjuvat, radio invisibili. Sic animalia similia producunt; sic terra germinat herbam virentem; sic partes insita & nativa virtute attrahunt alimentum, magnes seu herculeus lapis ferrum, bilem rhabarbarum: & sic omnia naturalia insita & ingenita virtute operantur. Hinc zoroastes & Heraclitus naturam ignem invisibilem & animam mundi dixere, quod omnium rerum operandi perfectionem contineat.

Naturam quidam Philosophus depinxit, (ut aptius vis ejus & potestas à mentibus nostris comprehendatur) virginem nempe nudam, corpore & facie pulcherrimam, coma stellifera & colore rubente peramabilem; cujus singulari providentia primum mobile gubernetur: hujus dextræ manui est catena aurea, à cœlo empyreo descendens, alligata, (ut à summo conditore, & à virtute cœli, agendi efficaciam & principium accipere intelligas:) & alteram catenam, transientem per sphæras cœlestes, per quatuor elementa ad terræ superficiem, manu sinistra, arti (per simiam, quam depinxerat, denotatæ) alligat: ut noscas, quod cœlestes influxus æque conferant & arti & naturæ, quoniam artificem ad recte operandum instruunt & inclinant, & ad generationes rerum elementarium terminantur ab ipsis refractis elementis; ut etiam corpora planetarum, ad metalla in terræ visceribus producenda. Ideo Solis sedes est cordis & pectoris illius virginis regio, & venter ejus lunæ corpore impletur: ex mamillis vita & vegetatio oriuntur, cum radicali humido, & hujus lac perpetuo instillat, ac res producendas lactat & productas. Cum hujus naturæ actionibus planetæ simul coeunt, & coeundo res varias, specie diversas, in regione animali, vegetabili & minerali producunt. Pes dexter terram occupat; sinister vero aquam, aerem & ignem reliquum corpus tangit. Ideo naturam Deam vocitavit antiquitas; quod rebus omnibus naturalibus præesset ut causa & principium.

Hæc in statu accidunt naturali: sed adhuc in præternaturali sagax & provida natura, quantum est in se, tuetur individua; in cujus tutelari actione & crisis continetur. Nam cum se urgeri sentit, seu causæ morbificæ volentia, seu ab angente onere periclitari videt, copiis undique collectis insurgit, potentiarum maxime, quæ expellendo serviunt; morbum ad pugnam vocat, ac foras causam, qua potest violentia, extrudit; quod crisis à medicis vocatur, sive morbi judicium: crisis enim est subita mutatio. Sed à quo principio ista oriatur, & quare in septimo aut in decimo quarto felicem mutationem consequatur, aut aliter, altius nos oportet expendere.

Pro cujus intelligentia adverte, crisim laudabilem à natura, ut ab efficiente principio, ortum ducere; mortalem, seu ad pejus, à morbo, ab ipsave morbi causa. Cum ergo natura in homine sit omnium rerum materialium perfectissima; (nam est animæ rationalis actus, tanquam à principio, & actio, tanquam à supposito) non tantum est propriæ conservationis gnara, sed loco, tempore, & ordine præfinito operatur: & ad perfectiorem operationem non tantum radio invisibili, sed absoluto imperio facultatibus ministrantibus imperat, quo, radiis multiplicatis, effectus fortiores producat, & instrumenta obsequentia reddat, ut ejus influentiis resistere non valeat. Quidni adhuc cœlestes influxus ad singularem productionem suæ actionis velut ad proprium patibile determinet, dum corpus, in quo inest, modificat, ut ad illius actionem coincidat influxus: ut cum ad metalla producenda determinat influxum, productis dispositionibus, quas petit introducenda forma.

Quare, cum non adveniat vera & laudabilis crisis, nisi omnibus impedientibus ablatis, nempe morbi causa concocta, & utili ab inutili separato, & viis ad fluendum dispositis, & in morbi vigore, (quæ sunt dispositiones ad illam actionem) mihi non est dubium, crisim laudabilem non tantum ab illo naturæ principio incipere, sed perfici in septimo potius quam sexto, in decimo quarto quam duodecimo: quia in his diebus coincidunt non tantum morbi coctio, & materiæ discretio, sed & motus morbificæ materiæ, & certantis naturæ.

Prima actio, qua tales dispositiones ad crisim comparantur, est coctio naturæ. Et hæc est

actio

actio perfectiva, à calore tum naturali tum proprio, ex oppositis patibilibus; quæ per alterationem comparatur & terminatur ad qualitatem, ut ad terminum intrinsecum, nempe ad modum substantiæ illi coctioni prærequisitum, sive sit in ordine ad se, seu in ordine ad usum, & nutritionem viventium: nam terminus extrinsecus est ad formam substantialem, quæ denuo comparatur.

Ex quo elicitur, causam morbificam, qua celebratur crisis, primo à natura, medio naturali calore, contemperari, reduci ad mediocritatem, quæ ad talem expulsionem prærequiritur. quæ actio interdum ab arte adjuvatur, ablatis nempe impedientibus, & fluidis redditis viis.

Hæc naturæ actio etiam determinatur & præfinitur ab ipsa causæ morbificæ resistentia: patet, nam in febre ex tenui & ferventi sanguine, quia minus resistit, crisis in quarto, auctore Galeno, celebratur; quia motum peculiarem non habet talis humor. In bile autem, pro tenuitate aut crassitie, in septimo, aut in decimoquarto ad crisim venit, adjuvante morbi motu.

Sed quia ad crisim non solum coctio prærequiritur & discretio, sed motus; quem non tantum putredo concitat, fusa & ebulliente materia, ex quo utcunque irritat, maxime dum incipit accessio; verùm etiam cœlestis influxus, seu à planetis, seu à stellis fixis, radio invisibili; reor, hunc influxum à proprio patibili determinari ad motum, in septimo concitandum, non octavo: non quod sit totalis causa crisis, ut Valesius dixit, & tenet Valeriola; parum enim refert influxus fortitudo, inepta recipiendo materia: solum enim cum causa morbifica est cocta, & expellendo apta, cœlestem determinat influxum, ut motus illius adjuvetur; quoniam, licet Luna semper influat in humores, super quos dominatur, hos tamen non movet, nisi quando sunt ad movendum parati, quando loco, & tempore, & ordine præscripto movet. Nam bene potest, dum crisis est ad malum inordinatum, motu adjuvare, & hoc, quacunque die; sed hic determinatur à morbifica causa, & non à natura, quæ sub ordine movet. Quæ dispositio ordinata, cum in septimo accidat, in aliquibus aliis in decimoquarto, aut in vigesimo, ob individualem resistentiam ad hanc determinatam dispositionem, ideo in illis magis conspicuas & celebriores crises accidere videmus quam in aliis: quia his præfinitis diebus & dispositiones ad crisim comparantur, & motus materiæ morbificæ, & naturę, quæ, quantum in se est, discrimen avertere conatur. quæ omnia cœlestem determinant influxum, & ad bene operandum modificant.

Dum autem crisis mutatio à morbo, seu à causa morbifica, non à natura fit, hæc illorum cedit magisterio, passivam actionem conferente natura. Quo etiam in casu, patibile (morbi nempe & causæ) cœlestem vel ad mortem vel ad malum determinat influxum. Nam si morbus & causa in totum superant naturæ actionem, otiatur & non pugnat natura, & tunc à prava crisi victa cadit & omnino succumbit: si non in totum superant motus causæ morbificæ, sive in die critico, sive intercalari, crisim concitat inutilem seu ad pejus, per regulam crisis, quæ non discernit, ut Hippocrates dixit: quia illa omnia, quæ conferunt ad motum, conspirant ad perniciem; quia deficiunt naturæ tuentis & conservantis actiones, coctionis nempe, sequestrationis, & motus regularis naturæ, suo loco, & tempore. Ac ideo iis diebus, quibus crises contingunt, iisdem etiam homines moriuntur, aut servantur, seu ad pejus, aut melius mutantur: nam æque humores, suo insito & naturali motu, aut etiam ab irritatione comparato, moventur, in bona ac in mala crisi; sed sub hac differentia, quod in bona à natura moveantur, in mala à morbifica causa. Sed quia in diebus criticis per Lunæ quadraturas fortius luna movet; ut oculari patet experientia; & in illis coincidit etiam morbi motus, fere semper his diebus ægrotos videmus aut subito perire, aut levari, seu redintegrari incipere. Ac ideo, ut attendatis, oro, maxime ad dies decretorios, nam ab illis est fidelior instituenda prognosis. Mutatio enim, quæ his diebus accidit, futurum morbi exitum ad bonum vel ad malum determinat, si prudenti solertia perpendatur: nam influxus cœlestis ab illo patibili statu recipitur, prout est in se; & cum patibile jam sit ad malum concitatum, adhuc magis concitatur ab influxu ad malum, ad mortem, vel perniciem; quoniam quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Nam si corpus, ubi habet producere, est in illa dispositione, ut impressionem adæquate accipiat, producitur adæquate effectus; si vero dimidiam dispositionem sortitur, medius effectus producitur; si vero penitus actioni agentis reluctatur, nihil inde producitur; excepto, ubi agens supplet indispositionem patientis, actione penitus elevata, tunc enim supplet magnitudine actionis indispositionem patientis, licet semper sit aliqua dispositio necessaria: nam illa actionis magnitudo patientem aliqualiter disponit, quantumvis sit ineptum. Quo nititur principio Albertus magnus, ut æstimet, in fortissimo stellarum influxu, & animæ imperantis magisterio, effectus in corporibus alienis & extraneis produci, ad nutum imperii potius quam dispositionis; velut dum casum facit imaginatio, & odio alius fascinat inimicum.

Sed in hoc est alia consideratio, & maximi momenti: quia, cum materia primo sit subjecta corporibus cœlestibus, necesse est, quod capiat formam alicujus speciei, determinatam ab illa parte speciali cœli, cum qua cognatam habet affinitatem; & non à toto cœlo, quod differenter influit, respicitque & formam & materiam. Quare, si illa pars cœli, quæ huic humori peccanti correspondet, tunc influit, fortiorem imprimet actionem tam ad bonum quam ad malum, si maxime concurrat hora conveniens, aut ordo cœlestis: tunc enim fit mirabilitas rerum, in aspectibus & stellis, à quibus contrahunt res proprietates mirabiles & occultas. Et illud fere accidit ex eo, quod res omnis habeat propriam figuram cœlestem, sibi convenientem, ex qua etiam provenit ei mirabilitas in operando. Sed quia semper super omnem humorem, (cum vario respectu ad sanguinem aut bilem) his aut ille influxus dominatur, hujus aut illius planetæ, aut stellæ, aut cœli pars determinata respicit, ideo hunc movet, & non alium, ut sanguinem, bilem, aut

aut serum, sed ab hac aut illa dispositione determinatur ad bonum vel ad malum, perrenniter in septimo, aut in decimoquarto, aut aliis diebus, prout dispositio determinat. Ac ideo etiam hæc semper est firma & constans causa crisis, quæ accidit in morbis in diebus imparibus. & hinc pleraque accidere videmus, quorum ratio reddi nequeat: quia & hæc & illa influxu invisibili moventur.

SECTIO VI.

Signa, quæ crisim in communi antecedunt, expenduntur.

Quæ crisim jamjam advenientem præmonstrant signa, sub duplici differentia attendere oportet: alia enim crisim instare notant, alia vero ad bonum vel ad malum portendere. prima dicuntur critica; secunda coctionis aut cruditatis signa. illa dixit Hippocrates, quæ judicium fieri de homine præmonstrant. Hæc Galenus 3. de crisibus 2. ad longum ita protulit, ut nobis excuset recitandi laborem: quæ tu leges per otium, nobis enim non suppetit. Sed quia ista sæpe peritissimos fallunt, qui cautiores reddat, plus de arte emeritum semper existimavi. Nam hæc critica signa sunt ita infida & incerta, ut nisi singulari solertia expendantur, vix poteris in illis acquiescere. *Coctionis* enim *signa*, dixit Galenus, *semper bona sunt, judicationis vero semper infida.* Nam illorum quæ non judicant, licet in statu adveniant, aliqua mortem, aliqua difficilem judicationem portendunt. In quo ergo fallacia consistit? Nec est facile, neque semper possibile hæc ad limam & lineam redigere: quoniam neque præceptis, nec observationibus comparatur prædicendi securitas. Illa tamen fideliora semper existimabis, quæ veniunt ad diem & ad horam crisis, in morbo tamen, in quo est sperabilis; si maxime fidelia coctionis signa antecedant, quæ ad quartã diem ad minus perseverant, continua, non intercisa, usque ad diem crisis anticipat accessio, etiam crisis cum instare videtur; aliquando à die antecedenti incipit, inopinato interdum pullulant accidentia, nulla prævisa antecedente causa. Sed illud super alia Hippocrates extollit (quod nec semper nec in omnibus advenire videmus) *quibuscumque judicatio fit, iis nox gravis ante accessionem: quæ vero subsequitur, magna ex parte levior existit.* Nec illud est mirum, quoniam hæc subita mutatio fit, dum natura separat à bonis mala, & ad excernendum praeparat; ut auctor est Galenus in com. Sed, meâ sententiâ, quod majorem nobis securitatem affert, illa mutatio fuit judicatoria, si hæc fugacia & leviter impressa accidentia, crisis die exacto, mox deficiunt, aut ita brevi subsidunt, ut morbus evidenter ad melius mutetur, urinæ coctione procedente deinceps: quoniam, quæ sunt plane symptomata, tantum abest, ut levent, quin graviori labore ægros cumulant, & post illam turbationem urina crassa, intensa, aut perturbata redditur semper cruda. quod non tantum advenire comperies in iis, quibus prava symptomata superveniunt, quia nova putredo suboritur; sed etiam in mala crisi, quæ ad pejus mutatur. Hæc sunt crisi communia, propria, & inseparabilia

Galen. 1. Aphoris. 12.

Hipp. 2. Aph. 13. & 6. Epid. sect. 2. text. 23.

A ad judicium; quæ non tantum crisis signa, sed causas crisis intelligit Galenus, quod & causæ & crisis subita mutatione consequantur.

3. De cris. 4. 1. Aph. 12.

Quomodo ergo discernere par erit illa, quæ prava crisis, à nova advenientibus symptomatibus sine ullo judicio & crisi. Hoc tantum per dies judico discernendum. nam illa prava symptomata, quæ veniunt ad dies decretorios, judicii sunt signa, & crises, licet pravæ: quoniam eisdem diebus, quibus natura ad bonum concitatur, morbus & morbifica causa ad malum commovetur. Si vero illa maligno dierum intercalarium adveniant, prava potius symptomata æstimabis, quam judicii signa: sunt enim illa interdum malignitatis præsaga, & mortem indicantia, fortasse macronosiam in futurum. Et hæc in principio morbi aut augmento cernimus advenire, critica in processu.

1. de dieb. decret. 11.

B

Et sicut coctionis signa intrinseca ratione sunt fida & secura; sic cruditatis infidelia. Adeamus tribunal medicæ veritatis. *Coctiones securitatem judicii, & morbi brevitatem ostendunt. cruda vero & incocta, & in malos abscessus conversa, aut mortem, aut acrisiam,* seu difficile judicium. Illa dicuntur *cruda*, quæ in morbi principio nondum sunt adepta coctionem, sed ad illam sunt apta. *incocta* vero, quæ post justam elaborationem mansserunt incoctilia, non naturæ defectu, sed sui pervicacia; ut incocta pleuritis, & maligna putredo. Et hoc, in morbo peracuto, cum debili virtute, si alio complicatur pravo signo, mortem instare notat. in longiori morbo, macronosiam seu morbi longitudinem, & non absque periculo: potest enim ulterius malignari; ut sæpe experimur. At vero *in malos abscessus conversa* illa dicimus, cum morbus, natura sua pravus, vertitur in suppurationem, seu ad talem abscessum, quem status ægroti superare non valeat: ut dum angina vertitur ad pulmonem, seu lateralis dolor in suppurationem, aut soporosa febris, ægro jam debili, in parotidem, & plane suffocantem, ut & febris in fæmoris abscessum, quem natura non valet ad nutum gubernare.

Hipp. 1. Epid. sect. 2. 45. & 46. & 2 Epid. Sect. 1. & 1. Aph. 12. 4. Aph. 40. & 50. & 65. Galen. com. in Aph. Hipp. 1. Aph. 12. & lib. 1. de cris. aph. 12. 14. 15. & lib. 1. ad Glauc. c. 14.

C

D

E

In his signis & causis, dum crisis rationem fortiuntur, est etiam alia differentia, quod signa & monstrant & antecedunt crisim, causæ vero præcedunt & sequuntur. Hæc & illa & tempore & loco redduntur decretoria: alio in statu causæ, & prava signa sunt, sive prava ut signum, & ut causa. Sit rigor in exemplum utriusque præcepti. *Rigor Causoni superveniens, febrem solvit.* si ad illum sudoris vacuatio subsequatur, & in critica die, post signa coctionis. aliter vero *si rigor incidat febre non deficiente, & ægro jam debili, lethale.* quoniam ad hunc nulla sequitur vacuatio, nec fit loco & tempore; ex quo accidit, ut à concoctione virtus imbecilla dissolvatur. Et tunc illud judicium est funestum, ut signum & ut causa: quoniam ægrotum novis accidentibus cumulat, quoad ultimum debilitatis agitur.

Hipp. 4. Aph. 58. Idem 4. Aph. 46.

E

Coctionis vero signa, in ordine ad morbum & ad judicium, non tantum brevitatem in morbo, sed securitatem in judicio portendunt: & quia victoriam naturæ causæque, & quia malum à bono separatum ostendunt. hoc ad facilem expulsionem, illud ad securitatem conducere par est. Sed morbi conditio inter monstrantia

crisis speciem constituit: hæc enim, prout est apparatus aut humoris conditio, vel ad crisim impellit, vel retardat, secundum conditionem causæ. Sit nobis in exemplum illa Præceptoris sententia: *quibus septima die judicatur, iis nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia, ex ratione.* Postquam Galenus in hujus Aph. comment. symptomata proposuit, quæ crisim antecedunt, quanto propius accedunt ad judicationem, hæc absque urina sufficere contendit, firmius cum urina simili modo cocta.

Hipp. 1 Aph. 71.

Quare, ex his duo principalia elicimus. Primum, ex cocta urina cur comparetur securitas judicii ad bonum. Et secundum, quare in hac die potius quam in alia sit certa præsagienda crisis. Illud jam satis ex antecedentibus, ac variis Hippocratis sententiis, constat. Hoc autem ex proposita nobis constare arbitror; quando nempe urina in quarto apparet, saltem cum aliquo coctionis signo, licet non sit perfecta. Illud enim indicat nubecula rubra; hoc enim patet & ex Galeni verbis in contexu. *Nam cum quarta dies*, inquit, *sit index, & qualis sit futura crisis septima, indicet: omne, quod in ipsa dignum effatu signum coctionis apparuerit, futuram septima die judicationem ostendit, adeo ut non solum rubra aliqua nubes, antea non visa, judicationem ostendat, sed & alba multo plus ipsa, adhuc autem magis & sublinamentum album, æquale & consistens.* Attende etiam ad ea quæ sequuntur. *Si vero velociter admodum morbus moveatur: & coloris & substantiæ mutatio sunt sufficientia futuræ judicationis signa. ut etiam tenuis urina si mediocriter crassa efficiatur, & si ex alba pallida fiat: in tali morbo judicationem significat, &c.* Hæc Galenus & ante illum Hippocrates, pro exemplo futuræ judicationis in septimo proposuit. Ex quo nos etiam elicimus doctrinam, ad prædicendum in criticis diebus, quæ à septimo imposterum sequuntur. nam per eandem regulam, si urina subcocta, aut nebula suspensa nono aut undecimo appareat, in decimoquarto judicium expectare par est; si in decimoseptimo, in vigesimoprimo, aut vigesimo, secundum velocitatem aut tarditatem motus ipsius morbi. Nam in fine hujus commentarii etiam adnotatum reliquit, non eamdem semper futuram doctrinam in criticis, quæ sequuntur à septimo. *In hoc enim*, inquit, *bene currit doctrina, in aliqua autem alia indice non significabit*: ideo est diligentius inquirendum ex aliis signis; quoniam nec in septimo illud est infallibile, nisi morbus vehementer admodum moveatur. Nam si, quod sequitur, tempus æquale fiat antecedenti, in quo apparet coctio, non est impossibile, ut judicationem ostendat; si vero inæquale, non erit certa prædictio: longius enim distat undecimus à principio (cum in illo apparet coctio) quam ut prædici possit in decimoquarto futura crisis: ideo Galenus; *In undecimo autem apparens*, inquit, (nempe tale signum) *non mihi admodum videtur tribus solis egere diebus, sed multo pluribus.* Quare nos remur, quod idem Galenus sentit, nempe, quando crisis est futura decimoquarto, quod tum in septimo debet incipere coctio, apparere in substantia, colore, aut sedimento urinæ. Nam propria experientia dicit: *cui igitur in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit judicatus: cui autem in quartodecimo, hic in vigesimo. Apparuit autem cuidam alteri in undecimo, qui decimoseptimo judicatus est: rursus cuidam alii in undecimo, qui vigesimo die fuit judicatus.* Hanc doctrinam etiam non tantum volumus intellectam de vera & regulari crisi, per excretionem vel abscessum, sed determinatione quoque ad bonum vel ad malum, in his ipsis diebus: dum his etiam contemplabilibus ad bonum vel ad malum talis præindicatio observetur, si eisdem diebus pereunt, quibus servantur homines. quoniam, si loco nebulæ, caloris, aut substantiæ in urina in his diebus, cum cruda aut aliter prava urina, deterrimum aliquod apparet symptoma, aut certe prava crisis, quæ non judicet, in illa quæ sequitur die judicatoria, aut mori, aut mortalia accidentia sperabis: nam patientis resistentia nec dici nec scribi potest, sed quia his decretoriis diebus materia ad crisim commovetur, in illis aut levatur aut succumbit natura.

Galen. com. in Aph. Hipp. 4. Aph. 71.

Idem ibid.

Hæc sunt, quæ nos docent principia & præcepta per tria annorum millia observata. Quæ penitus inficere non erit sanæ mentis; quantumvis ocularis experientia, & semper veneranda observatio hæc viderit inversa. Hoc enim raro naturæ miraculo est apponendum potius, quam rerum cursui ordinato: veluti, quando vehementissimi casus crises edunt, aut natura conatus omnibus collectis viribus assumit, dum se urgere sentit, aut vehementer lacessita operatur, sine delectu ac electione dierum crisimorum; quas etiam nos vidimus, & aliquando crises non ad melius tantum, sed prorsus ad salutem, nullo morbi vestigio derelicto, & in diebus indicantibus, & intercalaribus.

In hoc etiam apparatus ad crisim considerandus est, & quotus sit ægritudinis dies. Quidam enim ad crisim apti sunt parvo motu à natura accepto, & parvo etiam morbificæ causæ apparatu: cum multis adhuc in magnis motibus in irritum cedat perturbationis magnitudo. nam septimus etiam parvo naturæ apparatu ad crisim per excretionem commovetur, quia à Lunæ motu etiam adjuvatur; sextus vero magno indiget apparatu, & sæpe neque ulla in eo crisis perficitur: quod si fiat, neque sine periculo, nec fideliter accidit. Ideo forte quos tertia tempestate Præceptor periisse observat, in sexto periere, ut Epaminondas, Silenus, & Philiscus, Antagorei filius. A contrario Phanocritus in septimo perfecte judicatur; & Herophon à febre acutissima: & in communi periere, quibus accessiones diebus paribus erant, ubi neque magnus ad crisim sufficit apparatus: At Larisseæ virgini fuit satis, quia cum magno apparatu tres simul evacuationes successerunt, & inter eas illa, quæ mulieres à majoribus periculis tuetur, nempe liberalis & libera mensium vacuatio, si tempore & loco superveniat. Quo etiam privilegio Meton in sexto liberatur per crisim, quæ incepit in quinto; licet urina nigra, sed nebula suspensa, forte virtute valida, copioso sudore, & libera & liberali hæmorrhagia. Melidia etiam perfecte judicatur undecimo, quia validus ad crisim apparatus; hæc septimo sudavit copioso & calido sudore, & albo & levi sedimento in urina; ideo absolute judicatur undecimo, quia motui morbi tales conditiones accesserunt.

1. Epid. sect. 2. 83. *1. Epid. sect. 2. 84. & sect. 3. ægrot. 1.* *3. Epid. sect. 3. ægrot. 12.* *1. Epid. sect. 3. ægrot. 7.* *1. Epid. sect. 3. ægrot. 14.*

SECTIO. VII.

Quæ in quaque peculiari crisi observentur & signa & symptomata.

Critica mutatio, ad singularem crisim; interdum ad liberam & liberalem excretionem terminatur, ad bonum vel ad malum; interdum ad abscessum, in quo dolor & transmutatio etiam continetur; dum ex foco aut minera putredinis natura, aut libere propellit ad extrema, aut compulsa, ad membra principalia extrudit: qua prava crisi subito ægros vidimus periisse. Nam quod humor ab externis recurrat, aut ibi gangræna concitetur, hoc ex eventu accidit, & est petendum ab alio principio; interdum ad casum vehementem, dum vehementissimi casus crises edunt. Paulatina quippe solutio, qua morbi plerique finiuntur, non est crisis; quoniam illa nec est mutatio, neque subita.

Excretio deinde, qua crisis inducit rationem, ad sanguinem interdum terminatur; aliquando ad bilem, seu calidos ichores; sæpe ad ustam melancholiam; ad pituitam raro; non infrequenter ad omnes illos simul. Has etiam excretiones natura, aut urgens irritatio, per varias regiones compellit, aliquando seorsim, sæpe per omnes simul, per quas maxime patent & viæ & canales, quas natura, ut se à noxiis tueatur, deputavit: ut cutis ad sudorem, ventriculus ad vomitum, aspera arteria ad sputum, nares ad hæmorrhagiam, & ad egestiones intestina, ut etiam ad perirheam & canales urinæ, ut venæ hæmorrhoidales ad fæculentum sanguinem, & uteri ad menstrua.

Quare, signa alia monstrabunt regionem, ad quam talis excretio inclinat; alia humoris sortem, ad quam illa mutatio terminatur; alia tandem & signa & symptomata, non tantum regionem perquam est celebranda, sed humoris peculiarem sortem indicabunt, non solum in termino à quo, sed etiam ad quem, in abscessu aut transmutatione.

Sed adverte, quod hæc divisa & separata signa nihil fere ad prognosim conducunt, nisi ex omnibus simul signorum syndromem copulatam constituas, ex quibus simul una efficiatur proprietas, quæ scientiali judicio monstret aliquid certum. Aliter enim in paucis respondet exitus, quia multa & separata præsagium confundunt; ut dixit Aristoteles: quia solus signorum omnium consensus & multitudo copulata scientificam parit certitudinem.

Secundo, ut præsagia securiora sint, & morbus & symptomata debent causam sortiri stabilem & firmam, sive sit sola febris, sive sola malignitas, seu inflammationis magnitudo, sive sola obstructio: quoniam, si accidentia sunt ab externa causa, aut ab interna quidem, quæ in partis alicujus vitio sita sit, quæ à febre essentiali non dependeat, aut ab ipsa morbi causa, nempe ab inflammatione, non facit ad præsagium in febre acuta & essentiali, de qua agimus; Galenus enim nos docuit, lib. 5. de locis, quid agendum, quando judicium fluctuat inter hæc ancipitia. *Expecta nempe*, inquit, *& suspende judicium, donec excretio appareat, ad secundam & tertiam considerationem.*

Galen. 3. de crisis 4.

Pleraque tamen inter hæc ita patent, ut de illis dubitare non liceat; veluti, quando ad crisis mutationem, maxime die critica, ad membrum principale fit humoris recursus, veluti ad cerebrum, seu ad cor: tunc enim semper illa crisis est judicanda prava; nam super membrum principale nunquam fit bona crisis. E contra, si ad illam levamen cum pulsu & urina correspondent, securitas judicii æstimanda: nam quæ judicio jam exacto novis symptomatibus ægros cumulant, arguunt de imperfecto aut de pravo judicio ad perniciem.

Sed in complicatione symptomatum, & horribili apparatu ad judicium, cave ne de illo cito deliberes: nam talia adhuc cum pravis signis ægrotum, aliter moriturum, solent à discrimine liberare, licet humor in transitu tremorem, convulsionem, aut aphoniam concitet; quod nos sæpius vidimus. Si vero talia accidentia post, aut ipsa crisi superveniant, & nulla sequatur vacuatio, tunc mortem aut grave discrimen præsagire est ad artis præcepta: quoniam illud arguit, humorem jam commotum refluere ad cerebrum, thoracem, aut ad cor; quod respiratio indicat intercepta, cum gravi delirio aut sopore.

Non æque certe mors, ac sanitas potest præsagiri: nam licet coctionis notæ possint fidem fallere, ob latentem quandam malignitatem, hæc tamen detegitur fallacia in coctione per gradus comparata, dum ab augmento ad statum perdurat. Quo in statu licet alia in contrarium eant, plus tamen ponderat unum validum signum ad salutem, quam plura in contrarium, si non sunt ita valida. Deinde, in omnibus acutis, ubi periculum est potius ex onere gravante in morbifica causa, quam ex imbecillitate essentiali, licet accidentia sint deterrima, quin imo & lethalia; adhuc nihilominus in hoc casu salus sperabilis est: quia virtus interdum, licet debilis, etiam per momenta vires colligit, & facto agmine morbificas causas adoritur, & interdum per virium unionem & conatum menses inopinato provocat, aut hæmorrhagiam, ac ubi non sperabatur, morbum superat. Ego vidi fere jam deploratum reviviscere. sed hæc sunt fortunæ prodigia, non artis: quia nonnunquam ècontra quæ virtus per conatum robusta videbatur, in certamine concidit, propriaque imbecillitate, certamine contracta succumbit. Et fit inde, ut Medicus in opposita judicia trahatur, nec facile queat securius eligere. Nam ex morbis mortiferis alii non judicantur, alii perperam, alii ita fraudulenter insidiantur, ut nulla sat sit valida virtus ut nos securos reddat; ut dicebamus antea. Ideo præsagium in periculo, ubi virtus ab oppressione debilis videbatur, neque posse ad morbi vigorem perdurare, est longe minus certum, quam ab imbecillitate, resolutione contracta: hæc enim non ita cito valet redintegrari, quam illud grave onus deponi, à quocunque conatu; fiunt enim aliquando conatus in materia cruda, qui varias excretiones movent pravas & symptomaticas, quæ ægrotantem liberant, quando mors sperabatur certius; ut in Metone & Larissea Virgine satis clare docet experientia. & si æqualem auctoritatem nostra ac Hippocratis exempla sortirentur, noster improbus labor plura fortasse daret.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 7. & 3. Epid. sect. 3. ægrot. 12.

Illud tamen accipies sub hac distinctione, quod in morbo natura pravo ac lethali, unicum signum, in hac morbi specie natura sua pravum, ad mortis præsagium plus ponderat, quam multa signa bona. De hoc nos possumus certam fidem præstare in pleuritide, ubi sputum nigrum fuliginosum plus valuit ad præsagium mortis in quodam ægrotante, quam quæ valida virtus videbatur in pulsu, alacritas in surgendi frequentia, & in ciborum appetentia non ignava. Idem meo judicio intelligendum reor in pleuritide, si morbo jam progresso fluxus ventris adveniat. A contrario, etiam in morbo mitiori non acuto, unicum bonum ac firmum signum plus ad salutem ponderat, quam multa certe mala.

Plura interdum singularis docuit observatio, quam multa & varia præcepta. Dicam, quod in hac rerũ serie observavi. Incipiebat febrilis morbus, non ita pravis signis, sed tantum gentilitiis symptomatibus, cum valida virtute, quam morbum posse superare, sperare par erat: nec ex urina, jam cocta, jam non omnino cruda, aliquis erat timor; ac principium, & augmentum percurrens, urina apparebat intensior, in substantia crassior; capitis dolor videbatur intendi, & febris non remitti, nec auxiliis cedere, ac æger in obscuro delirio versabatur, aliquando sopore, quotidie exinde sæviora symptomata. Quid ergo ex arte præsagiendum putas? fidem fallere præsagium bene potest. Dicam quod sæpe vidi; quoties in morbo acuto sævissima anticipant symptomata in principio, quæ deberent in statu advenire; aut lenta & subdola fallacia, quando declinatio sperabatur, sæviora symptomata incipiunt, ex causæ inveteratione, forte recenter fermentatâ putredine, ubi maxime inveteratæ obstructiones subsunt, aut certe succorum inæqualitas, ut accidit in colore maxime defœdatis, dum pituitæ & bilis retrimenta fermentantur in utroque casu, infelicem fere semper exitum observavimus.

Sed qua in die hoc præsagiri liceat, ex alio est petendum principio: nam prognostica signa suam etiam latitudinem sortiuntur, nec pares vires habent. Hæc enim sub triplici differentia considerare licet: quoniam aut sunt valde lethalia, aut valde salutaria. hæc in propinquo esse aut mortem aut salutem ostendunt: & hæc sunt primi ordinis. Alia sunt lethalia aut salutaria simpliciter; hæc ut plurimum evenire contingit; & sunt secundi ordinis. Alia ultimo ad hoc aut illud extremum declinare videntur per comparationem; ut quando sunt magis aut minus perniciosa aut salutaria; & sunt tertii ordinis. Quare, si cum lethali signo, delirio nempe, sopore, tremore, epilepsia, aut aphonia, hoc est, vocis privatione, aut nigro sputo, malum primi ordinis accedat, cum virium imbecillitate, & hoc in principio, ad sextum aut septimum mors expectanda erit; si apparet in septimo, in undecimo, in decimoquarto expectabis. si vero & cum his misceantur alia signa, admodum salutaria, ad vigesimumprimum prorogabitur, ancipiti judicio. Quod si æqualia signa confundantur ad mortem vel salutem, merita utrorumque æqua lance librari difficillimum judico, ne dicam impossibile. Quare, in hoc difficili concursu, unica nos poterit adjuvare prudentia, si acerrimo judicio utrorumque signorum syndrome & concursus perpendatur, ex quo evidentius unica proprietas resultat, ex his aut illis signis, ad bonum vel ad malum. Ex quo certe proferendum est judicium de morte aut salute.

Hæc de causæ & de morbi judicio protulimus judicia; sed non de facultatibus: de quibus præcipuum præsagium instituere licet. Nam à triplici principio tres principes facultates oriuntur, & secundum quod morbus præcipue & magis in hoc impetit, aut illud lacessitur, magis hæc aut illa periclitatur; sed citius & potiori discrimine vitalis: quare semper oculus dexter est ad illam, & mox ad animalem, ad naturalem ultimo. Cum hoc tamen attende, quod si morbus primo & præcipue animalem adoritur facultatem, ut in omnibus cathaphoricis morbis; primo ad actiones facultatis animalis attendas: nam, si est valde lapsa, mox trahit vitalem in consensum, deinde naturalem; ut clare patet in animi deliquio, quo etiam coafficitur vitalitas in imbecillitate. Quare, cum aliquam ex his videris valde lapsam, tu præsagies, discrimen jam præ foribus esse. Non est ista suprema difficultas. sed morbi violentiam, symptomatum, & causæ, conferre cum lacessitæ facultatis resistentia, an hæc possit resistere ad certaminis finem, ad actiones harum principum facultatum nos remittunt auctores, solita negligentia: nam si in certamine, aut illo jam exacto, persistit robur in facultate quæ magis lacessitur, naturam indicat superiorem esse, ac morbum posse exinde superare.

Pleraq; tamen hoc rationabile præsagiũ illudunt. Illud enim quod à pulsibus sumitur, sæpe fallit nisi peculiarem ægri conditionem agnoscas, tempora accessionum consideres, animi passiones, & externa perpendas, malignam intus latentem conditionem timeas, & quod intus latet vitium collimando aperias, ut aperuit Galenus in Antipatro. Infinita est enim in pulsibus varietas. Nam pulsus intermittens juvenibus & mediæ ætatis viris pravus à Galeno judicatur, & senibus non ita, ob imbecillitatem fortasse naturalem. Quare, qui soli pulsui credit, facillime decipitur. Nos enim in constitutione pestilenti, Anno 1649. ægrotos non infrequenter vidimus, pulsibus fere à statu naturali non mutatis, subito periisse, medicis nihil tale verentibus. Quid multum, adhuc in maligna constitutione Anno 1632. neque pulsibus nec urina mutatis: nec tantum in malignis, sed in aliis morbis, & alia, quã vitali facultate, hoc idem sæpe vidi. Observavimus enim in cerebri jam progressa phrenitide, ut etiam in sphacelo cerebri, animalem facultatem subito jugulatam, valida adhuc facultate vitali, & præter omnium opinionem ægrotum subito cecidisse. Sed nec in tanto morbo, adhuc in profundo lethargo hoc idem sæpe vidimus, pulsum phantasticum vigorem ostentare, (forte flatuosa materia cum cæteris humoribus arteriis permixta) ac breviter & subito ad contrarium extremum devenisse, nempe animali facultate concidente, pulsum ex undoso ad fermicantem verti. In iis etiam, qui ab interna inflammatione præfocantur; ut in principio etiam accessio-

acceſſionis accidit, in his nulla in facultatibus principibus præcedit imbecillitas, quæ nos prognoſim doceat. ſed ut clarius pateat, à quamvariis fallaciis adhuc verior intellectus illudatur; nos vidimus paralyſin à cruribus deorſum, quæ ab oſſe ſacro videbatur incipere, nervis amborum crurum totaliter obſtructis, ac tribus diebus nondum bene elapſis, æger difficulter incepit reſpirare, & in die ſequenti ſubito expiravit, præter opinionem, adhuc regulari curatione optime inſtituta. Ac cauſam tam celeris interitus in ſatis longo morbo nos poſtea perpendentes, invenimus, quod à vertebris thoracis duodecim emergant nervorum paria, quorum quinque conjugationes ad thoracis ſpatia feruntur, ad muſculos nempe, & cætera reſpirationis inſtrumenta; alia vero quinque per lumbos deſcendant, per partem internam & externam, uſque ad os ſacrum, ex quo per ſex nervorum paria deferuntur ad fœmora, ad teſtes, ad utrum &c. Quare, in noſtro caſu, nervis, ab oſſe ſacro derivatis, obſtructio obvenit, unde fœmorum paralyſis; poſtea vero cauſa multiplicata, tenuis & fluxilis pituita, thoracis nervos, à ſpinali medulla orientes, obſtruxit, ac motum à muſculis ademit, & à cæteris reſpirandi inſtrumentis, animalitate intercepta: quod fatale fuit, ac porro neceſſarium, reſpirationem deficere, ad cujus defectum ſequitur non tantum neceſſario, ſed ſubito interitus. Ex quo ergo principio, in morbo, natura diuturno, mors ſubita poterit præſagiri, & in morbi principio?

SECTIO VIII.

De prima criſis ſpecialis ſorte, critici rigoris exemplo ad bonum vel ad malum.

Galen. 3. de criſ. c. 11.

Calidus & acutus morbus celeriter & valide movetur, ideo criſis in eo amat excretiones; quas etiam ad decimumquartum (terminum acutorum) expectare par eſt. Qui ex acutis decidunt, medio quodam judicio finiuntur, abſceſſu nempe, quantum celeritas remetitur & motus. Tardi & macronoxii potius finiuntur ſine criſi; quia utrumque deficit: licet interdum per naturæ conatus humoris tranſpoſitio lentæ & importunæ durationi in illis finem adferat; ſed adhuc in illis, quibus critica excretio eſt congenea, & morbi peculiari ſorti gentilitia. Solerti genio perpendes futuræ excretionis ſigna; dum omnia inſpicies & ſingula conſideres: quoniam, ſi in morbo acuto & bilioſo, maxime in quo eſt ſperabilis criſis, ſi prope diem criticam alvus & urina, præter tempus neque occaſionem ſupprimuntur, ut in externa cauſa nulla ſit excuſatio; juxta venturam criſim per rigorem expectare par eſt, & illum ſane criticum. Poſtea vero incipiente rigore, aut forte jam exacto, alia nos vocat conſideratio, & animum acrioribus ſtimulis explorat; an ad illum ſequutura ſit alia vacuatio. Illud alta mente repone, rigorem in his exquiſitæ bilis eſſe indicium; ac ideo, quæ eſt ſecutura vacuatio, juxta hujus humoris inclinationem & naturam eſſe expectandam: ſed per quam viam attende, an urina tantum, an etiam alvo ſuppreſſa obriguerit. Eſt enim Hippocratis ſententia. *quibus rigor, urina ſubſiſtit.* ſi

Hipp. 1. Coac 30.

A enim ambobus ſimul ſuppreſſis accidat, Galeni judicio criticus neceſſario ſudor ſubſequitur; at ſi ſolis urinis, tunc conſidera, an alvi excrementa ante criſim plura aut pauciora ſint. ſi enim plura, manifeſte natura ad criſim inclinat per ſeceſſum; ſin pauciora, ad ſudorem; ſi vero poſt rigorem, ad vomendum inclinat, vomitum criticum expectare par erit: aut forte per utramque regionem, ſeu per illam, quæ magis prævalebit. ſed tunc magis ſudorem expectabis, ſi ad acceſſionis incrementum delirant, & partes externæ B calidiores rubicundæque fiunt; tunc certius, ſi madidus quidam vapor expirat, qui antea non erat; quod ſi ad hæc fiat undoſus pulſus, & inſigniter mollis, de critico ſudore non eſt dubium. At in horum defectu, ſi pulſus ſolito durior apparebit, tunc vomitum potius expectabis; pulſus enim & vehemens & altus conatum tantum ad excernendum notat: ſi vero magnus, etiam movere potius ad externa quam interna.

Eſt enim in critico conflictu duplex motus, ad externa nempe, & interna. primus ad hæ- C morrhagiam vel ſudorem; ſecundus ad ſeceſſum, vomitum, vel urinam. quare, undoſus pulſus ſudores magis, & magnus hæmorrhagiam ſimpliciter oſtendit. Motu vero ad interna ſuperante, ſi non ſunt ſigna vomitus, judicium ad alvum inclinabit; ſi vero illa prævalent, per vomitum: ſi utriuſque ſigna, utraque regione. Sed illud fere ſemper ſingulari obſervatione notavi, quod in omni criſi, quando incipit pugna, ſemper pulſus redditur inæqualis ſingulari inæqualitatis differentia, pro criſis imminentis ratione: D ſed multo magis, cum bilioſi ſucci ad ventriculum confluunt, aut ibi laceſſendo ſubſiſtunt; tunc enim non tantum duri fiunt, ſed in omnibus & ſingulis pulſationibus inæquales.

Hinc patet interpretatio illius Præceptoris ſententiæ; *à febre ardente habito, rigore ſupervenient e, ſolutio.* habito, hoc eſt, *detento*, & morbo jam progreſſo, quando poſſunt adeſſe jam coctionis notæ. Hæc enim eſt congenea, non principii, non augmenti, ſed jamjam venientis ſtatus in Hippocratis & Galeni doctrina. Ideo in libro E de judicationibus, ubi legitur hæc eadem ſententia, dixit, *A febre ardente occupato.* Et in coacis prænotionibus; *Febris ardens rigore ſolvitur.* Patet interpretatio ex alia Præceptoris ſententia; *qui ſextum morbi diem agentibus fiunt rigores, judicii ſunt plane ſiniſtri*: quia (meâ ſententiâ) nondum pervenerat ad criticum rigorem neceſſaria coctio. ſed adverte, rigorem, ut laudabilis ſit, debere præcedere: nam qui ſubſequitur criſim, eſt pravus, & ſiniſtri judicii. Patet etiam in quadam paritate: ante rigorem commodè urina & ad F criſim ſupprimitur; ſi vero poſtea, à Præceptore ut prava & funeſta damnatur. Sic legitur in primo coac. 5. *Ex frigore peſtifera eſt urinæ ſuppreſſio.* Hoc eſt, ſi poſt rigorem incidat. *Nam ſi rigor incidat febre non deſiciente, & fractis jam viribus, eſt omnino funeſtum.* Quare illud? Quia commotum, nedum expulſum humorem inſequuntur, ut in pravo ſolet evenire judicio. celebris eſt illa Hippocratis ſententia. *Qui crebro cientur in acutis rigores, peſtiferi.* hoc eſt, in incepta & non perfecta criſi. Ideo fortaſſe alii veternoſi evadunt, alii phrenitici, ex humoris excurſu ſymptomatico:

Hipp. 4. Aph. 58.

Hipp. 1. coac. 15.

Hipp. 1. Coac. 5.

1. coac. 9.

1. Coac. 12 & 14.

 nam

nam per dorsum ad caput facile feruntur humores. Ideo, *quæ à rigore incidit ignoratio & oblivio, mala.* & ut legitur In prima coacarum sententia; *Qui ex rigore perfrigent, & una dolore tum capitis tum cervicis impliciti, mox voce capti, parvo sudore madent, ut se collegerint, moriuntur.* Ex hac patet sententia, quam facilis excursus à cervice ad caput observetur. Quod vero criticus rigor debeat omnino præcedere, patet ex ipso Galeni commentario propositæ sententiæ, in principio. *Flava bilis* (inquit) *per membra sententia movetur in rigore, & veloci motu defertur: post quem videlicet & alvi solvuntur, & sudores, & vomitus biliosi superveniunt. cum ergo bilis, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatur, solvitur febris.* &c.

1. Coac. 6.

Galen. com. in Hipp. 4. Aph. 58.

At si daretur rigor, ad quem nulla sequatur vacuatio, is ne poterit esse criticus? Non certe solis auctoritatibus acquiescerem, nisi & hoc nostra fidelis probaret observatio. Nos enim vidimus, in febre biliosa rigorem à venis ad paniculum carnosum, materia transposita, absque ulla alia vacuatione, prorsus à febre liberasse, & hoc in die critica. Hoc etiam Jacotius testatur se vidisse. Hoc etiam legimus accidisse & Hippocratis rempore, & variis exemplis illustratur. Nam, sicut vehementissimi casus, absque ulla manifesta excretione, crises edunt; sic & vehemens rigor, materia transposita, illud valet efficere, dum à venis ad cutim universam morbificam materiam transponit. Sic epilepsia & convulsio in morbillis critica extitere, materia ad ambitum depulsa, inæquali & vehementi motu; ac interdum alias crisis sortes præcessere. Pythioni profuit humoris derivatio ad inferna, in importuna oris contorsione. *convulsio paralysim capitis & colli dolorem solvit, sola motus vehementia materia translata*; ut Hippocrates dixit. *Rigor & Epilepsia quartanam; febris convulsionem curat.* forte tenuata & concocta materia in nervis, quo facile cedit exolventi calori. Ideo forte, ut in coacis docet, *delirium tremorem solvit; & tremor delirium*: à cerebro ad nervos materia depulsa; sed non sine periculo; ut mihi altius cogitanti videtur; licet Pythion à tremore & delirio sanus evaserit. Sub eadem linea continetur alia Præceptoris sententia. *A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutim, vel mentis alienatio, bonum.* Rationem dixit in commentario Galenus. *Cum à capite noxii humores transferantur ad inferiora.* Hinc etiam vehemens furor moderatum exolvit; ut nos vidimus, & vehemens dolor moderatum; ex vehementi motu causarum: ob hanc etiam eandem rationem levamen accipiunt lenti morbi, cum iidem vehementer intenduntur. Ideo Alcypum acuta febris ab insania prorsus liberavit; fortasse, quia lenta, & ex frigido succo. Hoc intellige, si illud fractis viribus non accidat: hæc enim exceptio est Hippocratis in Causone. Hoc etiam probant diuturnæ febres, quæ sæpe aut solo dolore, aut latente fluxione finiuntur; ut quidam doctus notat. Inde vehemens delirium sedat insaniam melancholicam; ut Galenus est auctor. judicari enim morbos dixit, esse vehementer intendi, diminui, aut in alios morbos verti: sic Causus rigore solvitur, mitificata prius materia, si ad paniculum carnosum deferatur; ut advertit Duretus. Sed non indiscrete hæc omnia intelligenda volumus; sed adhuc talem crisim, quam vehementi motu causarum, aut materia transposita accidere videmus. hoc etiam materiam mitificatam, aut manifestam coctionem postulare: nam in summa cruditate nulla est bona nec electa crisis sperabilis.

Hipp. 3. prorrhit. 26. 1. epid.

Hipp. 7. Aph. 5.

Galen. comment. in Hipp. 7. Aph. 5.

Hipp. 4. Epid. text. 132.

1. Coac. 141.

SECTIO IX.

De secunda sorte Crisis particularis, vomitus critici exemplo.

In acutis etiam, quinimo acutissimis, per vomitum fit crisis. Quæ peculiarem etiam signorum syndromen præscribit, ex qua una etiam proprietas efficitur, quæ hanc peculiarem crisis sortem præmonstrat, non generalem crisim. Inter morbos, qui maxime amant crisim per vomitum, biliosi excellunt. Cum bilis natura sua superiora petat, ac sit de maxime irritantibus, cumque de acriori sensu sensibilibus ventriculi ostiolum; ad quod etiam loci, vasorum, & regionis comoditas, non tenet inferiorem locum: ideo forte ad naturæ imitationem Hippocrates consuluit *medicari æstate superiores magis; hyeme vero inferiores.* Galenus in Com. dixit; *Ventres subaudire oportet. Recte autem æstate purgat superiores, quoniam & qui tunc humor superabundat, flava bilis est, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora movetur. Quæ libet autem superfluitas, eo, quo vergit, ducenda est, per loca convenientia* &c. Et hanc docuit doctrinam variis in locis.

Hipp. 4. Aph. 45. Galen. in 4. Hipp. Aph. 4. 4. Aph. 6. Lib. quos purga. conv. Lib. de salubri dicto. & 1. de humor. 3. prognost. à 30. ad 34.

Signa vero specialia, dum per crisim natura ad vomitum inclinat, sic docet, in prognosticis; nempe, *in febre non exitiosa, capitis dolor fugax,* & semper consensum ab elatis vaporibus & exhalationibus, quæ conscendunt humore jam commoto, & ore ventriculi lacessito, in febre non prorsus exitiosa dixit. Sunt enim vomitus exitiosæ febris anxii exolventes, ad quos sequitur implacidus alismus, & non febris levatio, hinc signis, nec die decretorio, cum flava, intensa, crassa aut turbata urina, in critico concocta. Et est secundum signum, *tenebricosum obversari ob oculos*; ob fuliginem quandam, dixit Galenus, à bile jam commota, ustione calefacta, elevata, quam ad caput remittit, ac exinde ad oculos; unde perturbatur spiritus visorius. Quod idem signum ex aliis causis in malignis febribus evenire videmus, quin imo & visum obscurum reddi, & totam domum tenebricosam: sed hoc per eadem (ut antecedens) signa distinguitur. Sic Hipp. 1. Epid. Sect. 2. text. 56. tempestate secunda. *At vero quibus totius capitis gravitates, tum autem cordis dolores & fastidia sunt, biliosa, post pituitosa vomunt.* Et est tertium signum, *si oris ventriculi morsus in eo extiterit, biliosa vomitio aderit,* nempe critica; sed sub hac differentia, quod hæc febrem levabit, non critica intendet, & ægrum gravioribus malis cumulabit; nempe insuperabili fastidio, & cum pulsu, in singulis pulsationibus inæquali, extrema tepidiora reddit, seu non pro ratione calida: quoniam oris ventriculi dolor, qui cordis dolor, ob magnitudinem nerverum quos habet sentientium, ab antiquis vocatur. 6. Epid. sect. 1. 14. vires omnium maxime & repente exolvit. *Sin rigor quoque prehenderit,* (hoc est quartum signum) *& hypochondriorum partes frigidæ*

Hipp. 1. Epid. Sect. 2. text. 56. Hipp. 3. Prognost. 30.

gidæ fuerint, adhuc citius vomitio aderit. In quo rigor cum vomitu consentiat, non est alia causa, si credimus Galeno, quam quod bilis, cum copia diffundi incipit, non tantum ad caput, sed ad externa etiam diffundatur; quod arguit, ut Galenus est auctor, criticũ uberiorem fore vomitum. Sed illud volo maxime commendatum, ut rigorem cum aliis signis copulaveris, ut ex omnibus una proprietas ad talem crisim efficiatur: aliter enim rigor perniciosus erit; ut antea vidistis. Pro signo, quinto loco, constituit etiam; *si quid vero bibat esitetque sub hoc tempus, perquam cito devomet.* Fluctuat enim jam commota & alterata bilis, ut nihil in ventriculo quiescere permittat. Ad securitatem tamen proferendi judicium, attende ad ante acta signa. Vidimus enim quotidie, ægrotos, ex malignitate humorum affluentium ad ventriculum, nec ciborum conspectum ferre posse, nausea importuna, quæ desinit in vomitum frequenter, nullo morbi judicio, neque crisi.

In illa constitutione pestilenti, quæ Athenas afflixit, hoc video comprobatum. Ad literã enim Tucidides referens accidentia in hac peste communia, hoc illis accidisse testatur, quando ait; *& cum in cor inhæsit, subvertit id, ac purgationes bilis, quæ à medicis sunt appellatæ, subierunt.* Illud verbum *subvertit*, intellexit *de impetu ad vomitionem*, dicit Galenus. Nos etiam in alia constitutione pestilenti hoc persæpe observavimus; ut in nostro libello de peste Hispano idiomate diximus. Nam febre incipiente, quicunque offerebatur cibus, quicunque potus, ventriculo subverso, vehementi impulsu pellebatur, non crisi, nullo morbi levamine, sed in omen atrocioris mali: rari enim, quibus febris à vomitu inceperit, evasere, si maxime æruginosus vomitus, qui omnibus fere communis erat.

Anno 1649.

In hujus etiam prognosis Com. Galenus aliud ad vomitum criticum indicium proponit ex Hippocrate 2. Acut. text. 44. *Tremorem nempe inferioris labri.* Motu videlicet tremulo agitari, cum ad vomitum natura concitatur, veluti quodammodo intremiscat. *Propterea que*, inquit Galenus, *si bilis mordeat internam oris ventriculi tunicam, ita commovetur labrum: Est enim utriusque una communis tunica, quin imo & gulæ, & linguæ, & palati.* De pulsus inæqualitate in hac vomitione critica, quod antea dicebamus, sat est. Sed ne decipiaris, attende, an hæc omnia veniant in febre, & non exitiali, omnibus numeris biliosa, in tempore, & loco, nempe, in die critica, quæ morbi speciei correspondeat, fideli præcedente coctione, saltem ab indicanti die, à tertio scilicet, si in septimo est eventura crisis: aliter enim vomitus, non erit ad crisim, sed ad ægri perniciem. sic Galenum intellige 1. ad Glauc. 15. sic celebrem Hippocratis sententiam, quando dixit; *quibus totius capitis gravitates, tum & cordis dolores, & fastidia sunt, biliosa post vomunt.* Ita etiam, quæ ab hoc loco ad coacas translata est, sententiam. sic mulier, quæ prægnans decumbebat in littore, adhuc non tali signo, dejectione, & vomitu bilioso, à febre ardente liberatur. sic puer, qui ventris ingluvie laborabat, & cibo jam corrupto, inde oborta febre, convulsione valida, vomitu copioso, periculo defungitur. Vomitu etiam decretorio absolvitur alius, à confuso & raro hemitritæo: ut etiam & Appemanti, & Theotimi uxor.

Galen. com. in 3. Progn. Hipp. 30.

Hipp. 1. Epid sect. 2. text. 56. Idem 1. Epid. sect. 3. ægrot. 3

5 Epid. 39.

7. Epid. 85. & 86.

His jam edoctus signis, haud certe operose distingues, an vomitus concitetur ad crisim, an ad ægri perniciem. Sed exinde ulterius progreditur Hippocrates, ut nos doctos efficiat, non tantum de critico judicio per vomitum, sed qua die sit eventura crisis. Hæc sunt illius verba; *Si quibus autem horum cœpit dolor primo die fieri, quarto premuntur magis, septimo vindicantur. Plerique eorum incipiunt dolore vexari die tertio, quinto fluctuant magis, deinde vindicantur nono aut undecimo. quod si quinto die incipiant dolore vexari, & alia quoque secundum rationem ipsis ex prioribus accidant, quartodecimo morbus judicabitur.* Et hic est etiam hujus sententiæ Galeni diorismus: *Tres dixit differentias ex tempore ductas doloris capitis: & item tres terminos judicationis earum &c. Sed omnibus his commune est, septimo quadammodo die, à quo incepit, desinere. si igitur incipiat primo die, septimum habet decretorium. si tertio, quantum in ipsum agitur septenarii numerum, decimum. inter nonum & undecimum quo incipit aut finitur judicium. Tertia differentia, quæ quinto die incipit, ad quartumdecimum prorogatur: propterea quod non admodum calidus sit, neque festinet, judicio est, quod incipiat quinto die &c.* Et concludit Hippocrates; *Hæc accidunt viris & mulieribus potissimum in tertianis maxime. Iunioribus accidunt etiam in illis, magis vero & in febribus continuis, & veris tertianis.* in hæc & in ista commentatur Galenus, *quod ætas biliosissima, & quod veræ tertianæ etiam biliosissimæ sint. Porro accidunt etiam in morbis acutissimis: nam hi quoque biliosissimi sunt.*

Hipp. 3 Progn. 32.

Galen. in 3. Hipp. prognost. 31

Hipp. 3. Prognost. 32.

Galen. in 3. Hipp. prognost. 32.

Hippocrates hic studet numerare crisis diem, non semper à primo die morbi, sed ab illo, qua incipit acutus. Nam si à prima morbi die acuties incipiat, quarto, qui est septimi index, magis intenditur cum dolore acuties; ideo in septimo finitur, seu per crisim, aut aliter: si vero acuties incipiat à tertio morbi die, ab alio numerando; à tertii principio ad finem quinti primus completur quaternarius, in cujus fine acuties magis intenditur: (ut patet in Hippocratis dictione, *fluctuant magis*) & talis quintus est index & noni & undecimi. Ideo acuties, quæ incipit in quinto, finitur in nono, ut in vere septimo, respectu tertii, quo incepit acuties; aut in undecimo, qui etiam est septimus, respectu quinti; quod quinta die inceperit acuties, in decimoquarto præfinitur, ut in tertii quaternarii fine, respectu quinti; aut in bis septem, respectu principii, quatuor completis quaternariis. Sed ne videatur deficere suum etiam indicans decimoquarto, qui certe est nonus aut undecimus, attende ad Præceptoris verba; *quod si quinto die incipiat dolore vexari, & alia quoque secundum rationem ipsis ex prioribus accidant, quartodecimo morbus judicabitur.* Hoc est, si aliæ quoque exacerbationes secundum rationem, ipsis nempe diebus indicantibus, ex prioribus accidant, nonus scilicet aut undecimus in decimoquarto judicabitur, ut antea in septimo, præindicato à quarto, & nono, & undecimo, à quinto præindicato.

Sed quia non infrequenter vidimus, hæc non fixo nec stabili ordine advenire; nam in decimotertio cum accessione judicium incidere notavimus, & in decimoseptimo, rerum vicissitudine

dine edoctus æstimavi, crisim interdum sequi magis materiæ morbificæ peculiarem motum, aliquando (in fine cujusque quaternarii) à Lunæ latione valentius impelli, & aliquando à naturæ impulsu, materia jam concocta, saltem mitificata; nam cum natura novit, peracta coctione, materiam esse discretam, hoc est, utile ab inutili separatum, ipsa natura, satis majestuosa, naturali instinctu, ne dicam providentia, ad expellendum surgit. Ideo, cum ab hoc triplici principio pendeat triplex motus; quando hic magis prævalet, sibi facit obedientem crisim; ut forte etiam hac die anticipet, quæ non est vere critica, aut illa finiatur, quæ est intercalaris. Et adhuc magis reor, cum cælestes influxus perennes & continui sint, in hac vero aut illa quadratura valentiores, quod hic motus naturæ aut periodi Lunæ motum determinat; ut dicebamus antea; ut crisis evidenter appareat, magis in fine, principio, aut medio hujus aut illius quadraturæ, & non semper in uno puncto fixo. Attamen hoc est semper stabile, quod, quanto magis Lunæ motus recedit à principio, tanto magis remittitur influxus.

Sed in hoc etiam rerum vicissitudo admirabilis est, quod ex rebus sublunaribus aliæ ament primum Lunæ exortum, & illo delectentur crescantque; aliæ plenitudinem, ut fluxus & refluxus maris, & omnia conchilia; & aliæ magis proficiant in silentio, & in Lunæ defectu, ut patet in mandragora; juvenes mulieres etiam crescente Luna à menstruis felicius purgantur, & in Lunæ defectu seniores. Ideo forte duximus, quod Lunaris influxus (semper pro vice sui motus uniformis, licet in exaltatione ad domum alterius planetæ elevatus, differat à se ipso) à proprio patibili, qui actionem recipit, determinatur. Id etiam morbi acutissimi motus, in principio velox, Lunæ motum determinat in primo quaternario, ut acuties & velocitas intendatur in quarto, & crisim perficiat in septimo; postea vero, cum acuties, & motus velocitas remittitur, forte quod crassior materia, aut major ex abdito principio resistentia, intenditur in quinto, terminatur in nono, aut undecimo; & ob eandem causam, servata paritate, in decimoquarto, decimo septimo, aut vigesimo, sive in fine ultimæ quadraturæ, vigesimo octavo. Sed illud, ni fallor, attente observavi, quod in principio fortius movet Luna per quaternarios, quovis acuto morbo, sed per septenarios in fine, quod etiam in natura observare par est, dum alii morbi, qui moventur velociter, per motus quaternarios judicentur, & motu septemplici, qui tardius: nam motus critici, qui periodis fiunt ante vigesimum, fiunt per quaternarios; qui vero ante quadragesimum, per septenarios; & qui ante centesimum, per vicenarios.

Cæteræ vero vomitus prænotiones, quas Hippocrates à multiplici observatione, à variis ægrotis ad coacas prænotiones transtulit ex Epidemiis, pertinent potius ad infelicem exitum in morbis peracutis & malignis, quam ad liberam & liberalem crisim, & ad diem quo est eventura crisis: ideo illa nobis non sunt tantæ curæ, utpote in quibus nulla est certitudo. Quare de his consulito Ludovicum Duretum, doctum sane interpretem. Nobis enim in ostentationem potius quam doctrinam videntur cumulata; quoniam in his nec semper, nec ut plurimum veritas reperitur, quin imo sæpe fallunt; sunt enim illa exempla, ex pestilenti & maligna constitutione cumulata, non ex morbis communibus, adeo forte ab antiquis sæpius observata, nobis inter medendum nec semel observare contingit.

Nam sub triplici differentia militant omnes excretiones; aliæ enim sunt loco, & tempore, & absolute criticæ; & hæ in totum liberant: aliæ absolutè symptomaticæ; & hæ aut perdunt, aut novis & gravioribus ærumnis ægros cumulant, adhuc excretione procedente: aliæ tandem mediæ inter crisim & symptoma, prout de hoc aut illo participant extremo; sed semper sunt ancipitis judicii. Inter ista verò vidimus, excretionem criticam ex eventu symptomaticam reddi, & è contra, quæ pure symptomatica, in criticam absolute converti: nam sicut interdum critice natura præcipitata ruit, aut osculis venarum aut vasorũ adapertis retinere non valet; ut in sanguinis hæmorrhagia Galenus adnotavit: sic incepta prava excretione, sine signis, proritata natura, simul cum bonis etiam prava pellit, ut exonerata ab eo, à quo superata succumbere deberet, interdum præter opinionem resipiscat, & ubi mors certo sperabatur, salus redintegrata comparetur. Nam ab his excretionibus (ut quidam doctus notat) illa magis & potiori jure laudabilis censetur, quæ magis de morbo quam de viribus tollit; & illa certe pessima, quæ dum virtutem atterit & prosternit, novis & gravioribus malis ægros cumulat; ut Hippocr. notat 1. Epid. sect. 2. text. 67. & 68. mediocris vero, & quæ anceps pollicetur judicium, est illa, quæ licet vires dejiciat, morbum tamen aliquantulum videtur sublevare: in nulla verò est secura prædictio. Illud tamen unicum ut advertatis oro, quod longa experientia edoctus sæpe vidi, ut quæ in criticis diebus concitantur aut excretiones aut symptomata, ex quibus morbi status mutatur in deterius, aut nova accidentia superveniunt, quod hoc est proprium malignorum morborum. Et hoc, ni fallor, Galenus solita diligentia adnotavit. Comment. in 1. Epid. sect. 3. 25.

Hippocr. 1. Epid. sect. 2. text. 67. & 68.

SECTIO X.

De tertia crisis peculiaris sorte, exemplo hæmorrhagiæ, seu sanguinis fluoris.

Quia natura ut plurimum etiam crises per hæmorhagiam solet concitare: (est verò hæmorrhagia sanguinis fluor, venulis narium adapertis, seu osculis aliarum venarum dehiscentibus;) ideo prius oportet nosse, qui morbi magis ament illam excretionis sortem, inter alias crisium differentias; secundo, per quas vias perveniat ad nares sanguis, qui in mali causam cesset, dum critice à natura propellitur. Hæmorrhagia solvuntur synochus accrescens, decrescens, & homotona, seu putrescat intra venas majores, aut aliter. Solvuntur & causones, & tertiana febris: ea enim proportione, qua bilis supernatat, cum sanguine miscetur, dum fervet aut putrescit intra

intra venas. Nam quando per vomitum mera ducitur bilis, à folliculo fellis ad fundum duodeni propellitur per vas sibi consociale; ad id à natura deputatum, exinde ad ventriculum: siquidem ibi tantum separata persistit, extra consortium aliorum humorum. Hæc præcipue supernatare dicitur. De hoc latius in nostra quæstione minorandi.

Solvitur etiam hæmorrhagia interna, & systrophica viscerum inflammatio, hepatis, lienis, & pulmonis: membranarum intercipientium inflammationem hæmorrhagia etiam solutam vidi. At cerebri inflammationes præcipue, & capitis dolores vehementes, certa lege, forte jure vicinitatis, narium solvuntur hæmorrhagia. Ut & pleraque alia quæ inter medendum observantur quotidie.

Sed quo impetu, quove naturæ magisterio sanguis, à loco ubi pyra incanduit, ad venas narium, critice deferatur, ut attendatis, oro: crisis tempore, fortasse in augmento, sanguis seu fervore, putredine, aut tenuatione, dum ampliorem locum occupare desiderat, aut naturæ magisterio impellitur, aut expellentem irritando solicitat, ut à foco aut minera, seu febris, seu inflammationis, per venas communes sibi consociales ad jugulum extrudat: unde quatuor rivuli: ex quibus ultimus emersit superclavius, à Silvio sic dictus; ab hoc duæ jugulares ascendunt venæ, interna & externa, per latera cervicis: altera enim in musculos laryngis, altera subcutanea in labra, narium pinnas, in faciem & frontem, & in oculi angulos, dum partes aurium posteriores irrigat, derivatur. Ideo, cum impulsus sanguis intrat in superclavium, & tenuitate, aut ardore, fortasse multitudine, reserat harum venarum extremitates, quæ ad interna narium perveniunt, inde concitatur hæmorrhagia.

Et hinc facile patet formalis ratio accidentium, quæ hanc crisis sortem antecedunt: nam fulgores, qui, dum instat hæmorrhagia, præ oculis apparent, creat spirituosa & flava sanguinis exhalatio, quæ per has venas ad oculos ascendit; quibus veluti fulgura observantur. Quod si magis adusta obscuræ visiones, si non forte, quod ad superna sanguis affatim elevatur, ut obseret meatus, ne transeat spiritus, ut visui tenebræ offundantur; hinc facies etiam rubore saturato suffunditur, & sanguine inebriantur oculi, ac externæ narium cartilagines, & narium extrema, à sanguine, qui per hæc vasa ad hæc loca concurrit.

Alia accidentia sequuntur obsessam aut inflammatam partem, & alia conatum, quem assumit natura; sed nulla fere in illis est certitudo, nisi ex omnibus simul una proprietas resultet, quæ hanc crisim præmonstret. Nam in naturæ conatu præcordiorum tensio indicat, naturam sanguinem ad superna impellere; sed hæc & sine dolore, & fere brevi transit; quoniam tantum durat, quantum musculorum tensio sanguinem ad superna compellit: quo etiam differt à tensione, quæ cum dolore accidit; hæc enim est inflammationis consectaria, non crisis. Anhelitus difficultas quando recenter accidit in tempore status, sanguinem indicat per thoracem transire. Capitis dolor, (alias indifferens) si veniat cum capitis gravitate, & pulsu ad tempora, & cum aliis signis, minatur hæmorrhagiam. Quod nos etiam legimus accidisse in quadam tempestate, quam Hippocrates narrat de ardentibus febribus, ubi omnes, quibus largiter per nares sanguis erupit, evasêre, cujus defectu Philiscus, Epaminondas, & Silenus, quibus parum quarto & quinto die de naribus effluxit, periere. Larga etiam hæmorrhagia Heraclidem servavit, qui triplici evacuatione defungitur periculo: nam cum natura insurgit, qua potest via, liberat. Longe aliter ac Phanagoreon servus, qui harum periit inopia, forte exilitate: nam nullum paucum est criticum. Sed illud ultimo notat, quod *sanguis plurimis erupit, præcipue tamen adolescentibus & adultis.* Maxime ætas conducit ad notitiam, cum maxime est ferax illius humoris, quo speratur crisis.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. 63. *64. & 65.* *Hipp. 1. Epid. sect. 3. 66.*

In Metone alia hæmorrhagiæ signa Hippocrates observat; *nempe lumborum dolorifica gravitas, capitis gravans dolor, quinto die bis de nare dextra sanguis paulatim fluxit.* Præindicatio, quæ certe ad crisim majorem fidem addit; seu illius humoris, & illa regione, per quam natura indicat vacuandum. Alia accidentia in Metonis exemplo observabis, & longe à sanguine diversa; ut forte aliis in ægrotis observare continget. Sed hæc sunt etiam alteri excretioni propria, dum natura per varias regiones unam molitur crisim: nam retrimenta biliosa subrubra ventris excretionem præmonstrabant, delirium, hæmorrhagiam, & alia sudorem, quibus omnibus æger ille perfecte liberatur, licet nigra & incocta urina. Sed, quia quid suspensum in illa appendebat, levem & inceptam coctionem præmonstrabat: nam cruda aut incocta perfectum judicium impediunt, sed non ex te auferunt. Multa de hoc judicio in Hippocrate leges, 1. Epid. sect. 2. tertia tempestate, à sententia 63. ad 68. in febribus ardentibus quæ magis vigebant in illa tempestate. Sed illud asterisco notavi, quod omnes illi, quibus larga excretio supervenit, fuerunt illa perfecte liberati; quibus autem aut parva quantitate, aut nulla, omnes fere periere. Sed ex mulieribus illæ maxime, feliciorem tulerunt crisim, quibus sanguis è naribus erupit, & simul menses copiose fluxerunt; ut in Detarsis filia virgine. Hic aliud signum hæmorrhagiam præcessisse Hippocrates nos docet; successerunt nempe spontaneæ lacrymæ, quibus sanguis è naribus erumpebat. Sed in secunda tempestate antecedente text. 55. varia signa colligit; *In ardentibus autem, cæterisque febribus*, inquit, *quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contensio, neque cum dolore corripit, his è naribus sanguis erupit.* His Galenus adjecit in Commentario: *Quando vero calore capitis sursum sanguinem trahente, & jecore impellente, contensio fit, sanguinis est expectanda eruptio.* Hæc est illa contensio sine dolore: quoniam, quæ cum dolore est, potius inflammationis est indicium; hæc legitur sententia, 3. prognost. 33. in cujus comment. Galenus adjecit, *in febre non exitiosa*, ut antea in vomitu dixerat; sed hoc maxime ex pulsu discernendum existimat, nempe magno, & alto.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 7. *Hipp. 1. Epid. sect. 2. 55.* *Galen. in Hipp. 1. Epid. sect. 2. 55.*

Sit ergo hujus hæmorrhagiæ corollarium, quod illius triplicem sortem vetustas observavit; nempe

6. Epid. sect. 3. 23.

nempe ephebis naturalem, cum hircire incipiunt, & desinunt accrescere, ab illo qui sanguine redundat; solet enim natura, cū se sanguinis abundantia vigere sentit, aut sub illa periclitari, venarum ruptionis periculo, aut salutarem hæmorrhagiam concitare, ut se immunem ab imminenti discrimine tueatur, & illud sine febre, & tempore salutis. Quod etiam in aliis humoribus, ac per diversas vias, per ventrem, vomitum, & sudorem, æquali providentia & prudenti solertia operatur. Et sic videmus, adhuc in salutis statu, veris tempore maxime, plerosque, & viros, & mulieres, repetita hæmorrhagia ab angenti onere corporis universi sublevari; alios fluxu ventris in æstatis principio; alios copioso sudore in æstate. Et hæc etiam critica dici potest, si non morbi, actu affligentis, respectu, respectu tamen imminentis, & pugnæ jamjam ad duellum paratæ, inter causam morbificam, & oppressam naturam.

Sors alia est vere & realiter critica, febri ardenti propria, aut inflammationi; ut dicebamus antea. Illa tamen jure & loco venit; merito in causone; Loco, quæ pepasmo antea fuit præindicata, & erethismo proprio, cum hypochondriorum fugaci meteorismo, rubore faciei & oculorum, & pulsu aspectabili arteriarum, temporum, ac tandem fugaci cephalalgia; ad quam sanguis liberaliter ac libere prorumpit, non merus, sed permixtus sua serositate, & κατ' ἴξιν, hoc est, à directo. Fit tempore, si die decretorio, secundum morbi sortem, febris aut inflammationis. Illam tamen jure dixeris Symptomaticam, sanguinis meracissimi, pauci, & stillantis, & die infœcundo, pari nempe, intercalari; ut scimus Philisco contigisse. Symptomatica est etiam, sanguinis dilutissimi, ut quæ in cachexia solet venarum laxitate advenire, & quæ nimis profusa, & quæ fit ἔμπαλιν, hoc est, à latere contrario. Sed illa est prorsus lethalis, quæ à capitis tromate, seu à concusso vulnere solet supervenire, & omnis illa, quæ motu morbi venit, & à viscerum exolutione cietur, membrorum cacopragia, ac tandem, quæcunque est immodica, licet in die veniat decretorio. Nobilis est illa prognosis Coacarum; *Quæ diebus criticis ex hæmorrhagia incidit refrigeratio, pessima*: sicut enim sanguinis substilla est jure prava; sic omnis hæmorrhagia profusa est jure terrifica, ut signum, & ut causa; est enim sedes animæ sanguis, ac vitæ nuntii spiritus, quo profuso, ac illis exolutis, corpus frigidum redditur, ex quo non recalescit, in signum ultimæ cacopragiæ, & nectaris eclipsis. Ideo, quantumvis die critico adveniat, si est nimis profusa, ab Hippocrate ut prava condemnatur.

Hipp. 1. Prorrhet. sect. 3. 45.

Hipp. 2. Coac. text. 11

Nam criticæ perturbationis symptomata, ad speciem crisis, certa ex incertis redduntur, dum natura ad nutum operatur; incerta, dum hoc opus prævertitur: veluti, cum natura & humor, eo cursum inflectunt, quo est sane sperabilis crisis, & sanguinis inchoata exclusione cernitur, in quarto, tunc omnia & signa & symptomata, (alias communia) crisim per hæmorrhagiam in septimo futuram ostendunt; quod in sudore, & quavis alia crisis forte ex suis signis sperare par est. Et hic est illius obscuræ sententiæ diorismus. *Qui febrium initiis perturbantur in somnis, si sanguis stillarit, sanguinem liberaliter fundunt.* Sed parum infra alia ista interpretatur: *Quibus oborta sternutatione sanguinis stillicidia è naribus erumpunt, si habet in quarto albam hypostasim urina, vacationem morbi in septimo specta.* Non enim sufficit sanguinis substilla in quarto, nisi etiam & alia critica symptomata, cum urinæ coctione conspirent; ut legitur in illa quæ sequitur sententia: *Si cui febricitanti*, dixit Hippocrates, *rubor in facie eluceat, grandis capitis dolor, venarum pulsus emicet, profluvium sanguinis è naribus venit.* Non enim sat est scire, quod morbi acuti sanguine prorupto judicentur; nec, quod hæmorrhagia sit partium supernarum, unica salutaris; nisi & alia simul signa consideres. Nam grandis capitis dolor, peculiarem in illo repletionem indicat: sicut rubor in facie, per sanguinis excursum flava bile perfusi, incipientem crisim, quo brevis & facilis est transitus ad nares. Nam qui capitis dolor repletionem indicat, hæc translatione humoris morbifici contingit: unde micantium arteriarum ictus, non cordis, sed capitis gravati. Quod, si cum his sit meatuum amplitudo, ac virtutis robur æqualis, tunc sanguinem jamjam ebullientem, per has venas excludet: quoniam nec omnis capitis repletio, nec temporum pulsus, nec faciei rubor, est ad crisim; ut nos sæpe vidimus ab excursu fieri symptomatico, fortasse ad delirium, sæpe ad epilepsiam. Tu leges per otium hujus & illius differentiam in Prorrhetico.

Hipp. 1. Coac. 92. 155.

Hipp. 1. Coac. 92. 156.

Hipp. 1. Coac. 92. 157.

Horum enim defectu, (coctionis nempe aliarum) stilla in quarto perniciosa redditur. Nam sic Hippocrates 1. Prorrhet. text. 1. *Qui comatosi inter initia fiunt*, inquit, *cum dolore vigilantes, nunc phrenitici existunt, stillatio è naribus his perniciosa, tum alias, tum si quarto die cœperit.* Satius est enim, interdum naturam otiose feriari, quam aliquid importune moliri. Hoc Hippocrates dixit sub ænigmate; Galenus Senis auctoritatem ratione fulcitur; *Cum itaque stillatio è naribus*, inquit, *semper malum signum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die: videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam conata esse ut expelleret, sed nequivisse. Talium autem signorum genus deterrimum esse constat. Siquidem hæc deteriora sunt his, quæ nullo apparent pacto, si ubi cœperint, cessent. Contingit interdum, coquentem adhuc contristantia naturam, nondum ad horum expulsionem excitari: in illis vero, quæ cœperunt quidem, sed protenus desierunt, apparet veluti excitatio quædam, conante natura excernere quæ molesta sunt, atque ita ob imbecillitatem, quod proposuerat, perficere nequeunt.*

Hipp. 1. Prorrh. text. 1.

Galen. com. in Hipp. 1. Prorrh. text. 1.

Sed adhuc non leve restat dubium; nempe stilla sanguinis in quarto potest etiam advenire ad crisim in septimo futuram, & ut præludium graviorum malorum; ut Hippocrates notat. Quare unica restat ratio differentiæ, ut venit ad crisim, alba præcedit nebula, sive sublimamentum; cum ad symptoma, cum urina cruda, nigra, aut perturbata, & capitis dolore importuno, seu alio pravo signo.

Sunt inter ista alia Hippocratis oracula, adeo confusa, adeo incerta, ut pene dixerim, Delio natatore indigeant. Sic 3. Prognosticorum legitur; *Capitis dolores vehementes continui cum febre, cum aliquo signo exitiali, lethale: si vero sine illis dolor trans-*

Hipp. 3. Progn. text. 11. & 12.

eat

eat ad vigesimum diem, & febris non demittat, hæmorrhagiam expecta, aut abscessum ad inferna. In dolore recenti, dixit quidam doctus; expecta hæmorrhagiam; abscessum in protracto: deinde transcendit ad juvenes & senes, ut in illis expectes hæmorrhagiam, & in istis abscessum; & in nullo est veritas, in nullo certitudo, in omnibus confusio: nam in plerisque vidimus tempore procedente pus è naribus erumpere in salutem ægroti; in aliis nequidem abscessum fieri, sed tempore procedente morbum solvi; ac in aliis tandem capitis dolorem vehementem in cerebri sphacelum transire. Adhuc in ipsis Hippocratis exemplis hæc omnia haud sæpe inversa vidimus; Larissea virgo hæmorrhagia etiam judicatur, hæc cum urina tenui inhorruit, perpetuo fastidiosa erat, & horrebat, ac facies ejus rubicunda, & oculi dolebant, & erat caput grave. Sexto è naribus largiter sanguis fluit, sudavit toto corpore calidum, ac menses illi proruperunt, diebus dolores paribus erant; sine febre judicata est, & non repetiit. En paribus diebus bona crisis. En sexto, plusquam laudabilis, & cum urina cruda & tenui. Hæc sunt Naturæ opera, hæc Naturæ majestas, quæ in omnibus momentis fide caret.

Quid multum? dicam quod ipse vidi, mulier Synocho laborans, quæ à principio inhorruit, fastidiosa erat, cum capitis dolore vehementi, cum rubore in facie saturato, & fere continua cephalalgia: & quando in septimo sperabatur crisis, & hæc per hæmorrhagiam; post varias sanguinis missiones ex talo & ex brachio, & scarificatas cucurbitulas; & ano adaptatas hirudines, incepit leviori tremore subsultare in septimo, cum ex vi diei humor moveri cœpit, & cum natura adhuc post tot evacuationes ab onere gravata, sanguinem per excursum ad cerebrum translatum non valeret deponere, per nares, nec aliqua regione: exitu denegato ebullienti sanguini, incidit in delirium, inde in epilepsiam, ac irrito eretismo ad nervorum principium materia translata, convelli cœpit, ut brevi animam exhalaret; & nec sanguinis missio, nec alia auxilia, quæ possent supplere sanguinis exitum denegatum, profuerunt; nec adhuc sectiones ex fronte. Hæc dixi, ut videamus, quam in paucis crisis respondet eventus.

SECTIO XI.

De quarta crisis sorte peculiari, Dejectionis exemplo.

UT per alias regiones, sic per ventrem, liberali & libera excretione, suas edere crises morbos acutos vidimus; sed magis incerto, ac infideli calculo hæc valet præsagiri: ut quæ sit omnium aliarum incertior; quoniam per negationem aliarum excretionum hæc valet prævideri: nam ad alias crisis sortes sufficiunt symptomata & signa peculiaria, interdum ita propria, ut certum determinent judicium, non tantum singularis humoris, sed singularis etiam regionis. At vero signa, quæ ad ventrem crisim inclinare præmonstrant, sunt adeo communia aliis crisium differentiis, ut illa nulla pene differentia valeas interstinguere. Detur ergo, ut, quo humor & natura, eo crisis inclinet; ventris murmur, cum illo fugaci borborismo, humorem ad ventrem indicat inclinare, ac naturæ vergentiam. Detur etiam, quod sit in die critica, & adhuc præcedente pepasmo; hoc idem etiam fidelis monstrat experientia, comprobant & auctorum decreta, ad crisim, per hæmorrhoïdas, ac in mulieribus per menses, advenire: quid multum, etiam ad urinas, cum morbus solvi amat perirrhœa?

Quare, nutante judicio, inter hæc ancipitia serio considera opere signorum singularium differentiam: non cum itur ad judicium, in morbo acuto, non lethali, præcedente pepasmo, saltim à die indicabili, si ventris murmur adsit, & fugax borborismus, & ventris excrementa liquidiora fiant, biliosa, & valde solubilia & impermixta; neque urina multa, saltem nec ad urinam inclinatio, cum hypostasi subsidente, & multa, crassa, & inæquali; in hoc statu, crisim per ventris solutionem sperare par est: nam eo est sperabilis crisis (in proposito casu;) quo humor & natura inclinat, si maxime nulla sint signa vomitus, hæmorrhagiæ, aut profusi sudoris, fortasse perirrhœæ.

Hic est casus, in quo ipse Galenus fere sibi ipsi non constat. Nam 3. de crisibus, 11. *Nunquid, inquit, urinis tantum, vel etiam alvo suppressa obriguerit? si enim ambobus simul, necessario sequetur sudor multus: & si urinis tantum, tunc considera, an alvi excrementa plura quam antea, vel pauciora ante crisim prorumpant. Si enim plura, manifeste natura ad crisim per secessum inclinat: sin pauciora, ad sudores. Quod si etiam vomitus signa fuerint, per utramque excretionem judicabitur: vel per illam, quæ magis prævalebit; vel æque per utramque, si æqualia extiterint indicia.*

Galen. 3. de cris. 11.

Neque aliquid certum adhuc in singularibus ægrotis potui invenire. Nam in tertia tempestate in Thasso plurimis accidit, qui sexto die afficerentur ictero, ut purgatio per vesicam profuerit: vel alvus turbata critice; ut Heraclidi. Adolescentibus tamen & adultis magis profuit hæmorrhagia; senioribus vero, vel ad morbos regios, vel ad alvos turbatas, & dysenterias res devenit; ut Bioni, qui apud Silenum decumbebat. Hoc idem aliis accidit per urinas, aquosas, multas, puras, & tenues, vario sedimento & multo: qualia Bioni acciderunt, & Crisiæ, Aretonis filio, & uxori Mnesistrati. Post hæc, omnes dysenterici evaserunt; quod urinas reddiderint aquosas, (bilioso humore fortasse ad ventrem critice translato) quo perfecte sunt omnes judicati. Quo in statu quatuor his præcipue signis servabantur, quibus nempe è naribus probe sanguis erupit; ut etiam, qui per vesicam urinas multas bonoque præditas sedimento ediderunt, aut per ventrem turbatum biliosa, eaque tempestive; aut tandem, qui in dysenteriam inciderunt. Multi vero per omnia simul liberabantur; ut virgines etiam per menses. Nec aliquem (dicit Hippocrates) vidi, quibus istorum quid recte eveniret, mortuum, nisi Filonis filiam, quæ adhuc copiosa hæmorrhagia, septimo die intempestivius cœnata, defuncta est.

Hipp. 1. Epid. sect. 2. à 65. ad 79.

Ex his duo certiora colligimus; quod crises maxime sequuntur humores, qui per ætates etiam dominantur: nam constat, juvenes magis

 hæmorrha-

hæmorrhagia judicari, quia prævalet in hac ætate sanguis: adulti vero, aut dejectione aut urina; quia prævalet bilis; seniores vero dysenteria, seu quia salsa pituita in hac ætate prævalet, seu quod ad magis celerem excretionem vires non suppetunt. Et secundo colligimus, solam copiosam excretionem, cujuscunque humoris sit, hanc solam esse criticam. Nam, sicut auxilia, ut talia evadant, debēt esse quantitate, qualitate, & alteratione æqualia: sic critica, debent esse, morbi respectu, proportione talia. Quomodo autē & per quas vias hæc celebretur crisis, non parum faciet ad comparanda signa hujus criticæ excretionis per secessum; non semper enim bilis à venis communibus (dum fervet intra venas) ad os ventriculi regurgitat, licet sit communis in venis & partibus consensus: neque venæ quæ circundant ventriculum, ad internam illius penetrant superficiem, ut ab illis aliqua via pateat, per quam bilis feratur; ut patet à vesicula fellis, (per quam mihi videtur hæc crisis celebrari) quæ in concavo hepatis supposita, duos sortitur ductus à cholidoco; alter in hepar, inter portæ & cavæ radices numerosis surculis distributus, quibus in se allicit bilem, eamque sinceram, nec mixtam alieno humore: alter ad duodenum fertur, quo vesicula paululum humoris nativa cognatione oblectata, eam bilem ad intestina trudit, ut eo stimulo, tardiora ad excernendum intestina irritentur, & ciborum reliquiæ abstergantur; hic meatus inter duas intestini tunicas inseritur, ut foras expellat, ac bilis impediat refluxū. Ideo reor, per has vias, utpote ad cernendum deputatas & patentes, secessus meræ bilis celebratur, ut symptoma aut crisis, dum à consortio aliorum humorum separatur, attracta aut expulsa. Tertius ductus interdum reperitur, (sed hoc non est in omnibus) qui ad ventriculi fundum protenditur, per quem etiam vomitus meræ bilis concitatur, & consequenter etiam per secessum expellitur: sed hæc est vitiosa conformatio: nam isti bilem vomunt continuo, supernatantem & sinceram. Sic bilis expellitur sincera aut permixta sua serositate, quantumvis supernatet, aut putrescat, aut intra venas ferveat, in crisibus prius mitificata: symptomatis ratione non domita.

SECTIO XII.

De quinta Crisis speciali sorte, exemplo Perirrhææ.

Qui morbi maxime perirrhœa solvantur, nunc oportet expendere: sed illa est prius tollenda æquivocatio, an etiam morbi qui urinæ coctione solvuntur, sint hujus argumenti? Nullo modo: nam illos tantum expendere intendimus, qui per crisim urina multa, turbata, aut copiosa solvuntur, conspicua & manifesta excretione; Nam per has vias naturæ aut morbi magisterio succi expurgantur acriores; veluti per ventrem, & sudores: sunt enim urinæ, excrementa jecoris & venarum, ubi febres assistunt, utpote serum sanguinis & aliorum humorum, ideo illarum morbos per se indicant, & mox aliarum partium morbidarum, ubi excipiuntur, aut per quas deferuntur; & ex eventu etiam partium supernarum, quibus istæ ex eventu communicant; ut merito urinæ in his morbis, ad faciendam prognosim, omnes pulsus differentias antecellant: tanta enim (dixit Galenus) signorum ab urina in acutis febribus vis est, ut & soli ipsi credendum sit; aliis vero accidentibus etiam divinatio tibi erit firmissima: quoniam urina facultatis naturalis robur indicat aut imbecillitatem, & plus confert in morbis facultas naturalis ad crisim, & gravia causæ morbificæ propulsanda symptomata, quam cæteræ corporis facultates, ut per febres acutas illi soli credatur.

Deinde, ut fidelior instituatur prognosis, attende, quod urina ex triplici materia deciditur; aut de cruditate rerum quæ assumuntur, aut de seroso ichore, qui venis in ipsis separatur, aut de humoribus, & solida substantia quæ in morbis liquantur. Quod Hippocrates dixit illa brevi sententia, *urina cibo & potui concolor, & talis, ut consuevit, ubi humiditas, & colliquatio.* (*Hipp. 3. Epid. sect. 3. 15.*) Quare, quæ ducitur à cruditate rerum, nil facit ad præsagium; ideo sæpe decipiuntur Medici urinæ multitudine, æstimantes morbum per illam solvi: cum potius, aut colliquatione, aut humidæ substantiæ, ad putrescendum aptæ, multitudine intendatur; quare sola illa, quæ de venarum ichore separatur, conducit ad præsagium; ut quæ partium, renumque hepatis & vesicæ affectionem indicat, vasorumque sanguinem continentium, & virtutis succos generantis, tum robur, tum imbecillitatem; quoniam illa febris de qua nostrum præsagium, ibi focum habet, ubi urina ducitur, & à motu, aut à collectione concitatur; ut à naturæ etiam magisterio, si non à succorum corruptione prava, & non absque insigni partis alicujus conspicua affectione.

Deinde morbus ille acutus, qui motus celeritate & periculo, & infert vim naturæ & irritationem, crisi amat finiri, & pugna judicari, & hoc illa humoris sorte, ex qua ille fovetur, & producitur: unde sanguinei morbi, potius amant finiri hæmorrhagia; biliosi vomitu aut excretione biliosa; febris ardens copioso sudore, aut urina multa & copiosa, utpote quæ sua urenti pyra tenues ichores colliquando efficiat, aut ex ipsis jam factis producatur, qui sunt valde urinæ & sudoris materia congeneres; ut lassitudinariæ omnes febres, cum venæ arefactæ per æstatem calidos ichores ad se traxerint, ut Hippocrates dixit: & hoc idem intellige de inflammationibus.

Non dubito etiam quin aliæ nothæ & spuriæ febres, ut, quæ ex diu fermentata putredine pituitæ & bilis oriuntur, amant etiam urina copiosa judicari; & illæ maxime, quæ inter acutas & lentas tenent medium; de quibus dixit Hippocrates, quod amant abscessu judicari: istæ sunt illæ febres, de quibus est illud Hippocratis judicium, *quibus speratur abscessus ad articulos, urina alba, & multa, & crassa liberat:* (*Hipp. 4. Aph. 74.*) dum valida natura humorem *iturum* ad articulos, ad vasa urinaria, compellit; peremulgentes nempe, (à vena cava) ad renes, exinde ad ureteres, ac tandem ad vesicam, ut inde foras pellat: hæc enim est actio naturæ validæ operantis, si non etiam acriter irritatæ, quo ab abscessu liberat, materia substracta; est tamen cæteris ista crisis prolixior, ut quæ in

evacua-

evacuatione plures exigat dies: albam intellige urinam, non lacteam; sed expertem biliosæ tincturæ, velut sunt paleares, aut etiam perspicuæ & claræ: De his etiam legitur alia Præceptoris sententia, *Citam quoque febris demissionem ostendit urina, quæ ex confusa quidpiam pingue ostentans acquiescit*: potius in hac febrium sorte, intensio remittitur ad excretionem urinarũ, subito aut paulatim morbifica materia depulsa, exitu liberali, quam ad lentam materiæ morbificæ coctionem; nam illud pingue indicat coctionem in albo & levi sedimento; sed hoc est via ad levamen, non causa, quoniam illud excretionem sequitur; ac ideo Hippocrates in Epidemiis, ubi varias crisis sortes expendit, hanc protulit sententiam, *mutationes excrementorum omnes undique tempestive considerandæ sunt, an bonæ; considerandi etiam abscessus decretorii*. Non enim quorumlibet morborum sunt pepasmi securi, nec omnibus ad crisim; sed eorum imprimis qui expertes orgasmi, & à natura domiti, & mitificati, symptomata inferunt partium obsessarum, & humoris morbifici propria; illis enim ita feliciter dominatur natura, ut humores ad vias communes educendos impellat, per quas sunt illi perducendi, quo cursum inflectunt, & illi & natura; si maxime in his per tempora observantur pepasmi.

Hipp. 3. Coac. 2.

1. Epid. sect. 2. 44.

Horum exempla sunt in secunda tempestate in Thasso: *Vnum vero bonum*, (dicit Præceptor) *maximumque inter signa quæ fiebant, quoque multos à maximis periculis vendicavit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diverterent, & in hoc abscessus fierent, accidit autem plerisque strangurîa, in his ætatibus potissimum, item in aliis qui in morbis nunquam decubuerunt, & subito his magnaque omnium mutatio fiebat; etenim ventres, si forte humecti essent, statim maligno modo sistebantur; sed diuturna his fuit stranguria, atque laboriosa: erant his urinæ copiosæ, crassæ, variæ, rubentes, purulentæ, cum dolore*, &c.

1. Epid. sect. 2. 41. & 42.

Adhuc ad majora Hippocrates procedit, quoniam urinæ criticæ non tantum ibant in crisim morbi illius cui abscederent, sed etiam in auxilium pravi alicujus accidentis, quod superveniebat utroque modo critice; dicit enim in tertia tempestate, *erant etiam qui morbo regio sexta die afficerentur, sed his purgatio profuit per vesicam, vel alvus turbata, vel sanguinis eruptio: quibus copiosus humor abundabat, urinæ autem plerisque erant boni quidem coloris, cæterum tenues, & pauca habebant sedimenta, cum retrimentis tenuibus biliosis; ac multi alii qui judicati erant, ad dysenteriam veniebant, ut Xenophon, & Crisias: aliis urinæ aquosæ, multæ, puræ, tenues post judicium, in quibus multa subsiderunt, aliaque sunt rite judicata, ut Bioni, Crisiæ, & Xenophani Aretonis filio & uxori Mnesistrati; hæc per febres ardentes evenerunt, & finem non solum adferebant, morborum qui occupabant homines, sed etiam illos liberabant periculis quos morbi inclinatio habebat in periculo, ut de ictero mortifero sexto die oborto, ex quo certe illi solum icterici sunt perfuncti periculo, quibus purgatio incessit per vesicam, vel etiam alvo turbata; cæteri vero periere, perirrhœæ defectu, ut Phanagreon servus.*

à text. 65. ad 70.

Hipp. 4. Aph. 74.

Nos etiam Hispali observavimus in muliere laborante pleuritide versa ad empyema, à ruptionis die pus illud ad urinæ vias divertisse, ac laboriosam stranguriam concitasse: qua certe periculosa crisi, raro naturæ miraculo, evasit; cum jam videretur deplorata: quod quomodo contingat, & per quas vias à pectore ad urinæ vias impellatur, tu leges per otium in Galeno, *quarto de locis, ultimo*.

Quæ vero signa monstrent futuram criticam perirrhœam, à nemine traditum video, nec prorsus observatum; sunt enim adeo confusa & similia signa crisis, quæ per ventris regionem celebratur, ut nisi à posteriori penitus dignoscantur: nec illud miri erit, cum raro ista crisis ad validam mutationem insequatur, excepto ad urinæ frequentiam insolitam, aut urinæ ardorem insolentem, & cum alvus subsistit, & horripilatione à renibus oborta, renes ipsi, gravi & molesto dolore, jamjam humorem illabentem ad has vias persentiunt; unde febris levamen: sed illud peculiare habet ista crisis species, ut raro ab urinæ pepasmo crisis per urinam futura dignoscatur; nam humor ille qui ad urinæ vias confluit critice expurgandus, multitudine, crassitie, aut irritatione, sedimentum confundit, interdum & colorem & substantiam, ut alba, & perspicua, & tenuis appareat; aliquando confusa, & turbata, si pars humoris crassa cum tenui etiam expurgatur.

Nec adhuc ex ægrotis, quos Hippocrates urina judicatos scribit, quid certum colligi posse video, ut per eorum signa, crisis per urinam certo ventura dignoscatur: unus ex ægrotis qui critica perirrhœa, perfungitur periculo, *fuit ille Pericles in Abderis; hunc febris acuta corripit & continua, erat sublienosus cum fastidio, à sinistra nare multus sanguis erupit, & febris increscebat, indeque minxit multum, & album, & turbatum, nec considebat reposita urina, secundo die urinæ quidem crassæ, sed magis subsidebant, unde levatum est fastidium, & dormivit: tertio febris mollita est, quia urinæ multæ coctæ & subsidentes, quo & nocte quievit, sudor quarto die prorupit, ad meridiem calidus & multus, toto corpore profluens, & penitus à febre judicatur.* In hujus Comm. Galenus. *Exemplum*, inquit, *acutissimi morbi, illud fuit judicium, nam cum sublienoso statim hæmorrhagia, & crassæ urinæ albo colore essent, nec consisterent, si altero die constitissent, melior spes erat: at certior ex dimisso fastidio, & veniente somno; erat tamen certissima postquam in tertio copiosissimæ urinæ essent optimæ; ut quarto spes esset, certissime ægrum liberaturum, per regulam illius prognosis Coacarum, urina autem liber aliter meiendo emissa, quæ habet pinguem hypostasim, febrem abire nuntiat.* Si maxime antea parce reddita esset, spissa & confusa; postea vero pleno meatu, plenaque manu mittitur copiosa, & facta tenuior substantia; ut antea Hippocrates notavit in Pericle. Et hic est certior diorismus illius aphoristicæ sententiæ, *quibus urinæ crassæ, & grumosæ, paucæ, non sine febre, veniens multitudo ex his tenuis juvat*; maxime si ab initio, aut non multo post, hypostasim ostendant. Non simpliciter *urinas crassas* dixit, sed *grumosas* adjecit, *cœnosas* scripsit Dionysius Numesianus, fortasse ob latentem fœtorem; fiunt enim cum febre, aut sine illa, natura per renes, corporis & venarum superfluitates critice expurgante; ex quibus quispiam forte existimaret, ad contraria transmutationem non esse bonam, quoniam magna ex parte in febribus, ex urinis ab initio tenuibus fit ad crassiores transmutatio, morbo ad solutionem jam tendente: sed ita est scriptus aphorismus, ut id, quod raro accidit, edoceat;

tertio Epid. sect. 3. ægrot. 6.

Hipp. 3. Coac. 26.

4. Aph. 69.

edoceat; contingit enim aliquando, ut per initia morbi, aut non multo post, urinas factas crassiores, crassum etiam & grave habere sedimentum: quod bonum signum non est; sicut tenuibus (quæ tenues ab initio) sedimen accipiunt post morbi coctionem; ideo enim crassæ sunt paucæ, quod vix renes pertranseant. Cum itaque simul major pars malorum humorum fuerit vacuata, & fuerit concoctum residuum, tunc excernuntur multo prioribus tenuiores: non absolute tenues; sed mediocres, ad utrumque extremum comparatæ: ac ideo multæ cum ratione excernuntur, retentæ prius, cum crassæ existentes difficulter exibant: hoc etiam inter sedimenti interest differentias, ut quod est album & leve, sit semper absolute laudabile; nec ideo rubrum erit semper damnandum: nam *Cleonactides subrubra minxit, cum rubro sedimento, & multo; & mox levius habuit, & judicatus est*; album vero & crassum, & quod in fundo residet, iis qui obierunt, legimus advenisse: nam ita de Sileno Hippocrates scripsit, *minxit multum subcrassum, & sedimentum album, simile farinæ crassioris in decimo, & undecimo obiit*. Hæc etiam in prognostico damnatur.

[*Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 6.* — *ægrot. 10.*]

[*Hipp. 2. Progn. 28.*]

Est aliud exemplum Clasomenii: *is ex causone ad undecimum usque afflictabatur variis accidentibus; dejectiones multæ, ab initio ad decimumquartum tenues & aquei coloris, undecimo urinæ erant tenues; sed boni coloris, disperso sedimento; & ad decimumsextum, quo die paulo crassius minxit, & habebat aliquid sedimenti, quo certo salutem pollicetur; nisi decimoseptimo iterum essent tenues; ideo enim non est perfecte judicatus vigesimo, quod non fuerit absolutum judicium: nam tubercula ad aures eruperunt, sicut & excrementa dysenterica, quibus cum urinæ crassæ advenirent, tumores ad aures resederunt, & die quadragesimo est prorsus judicatus*. Nam urinæ multæ liberant, aut abscessu, & ipsæ per se judicant, ut ex præceptoris mente sæpe vidimus.

[*ægrot. 14.*]

Melida etiam judicatur undecimo, sed advertit Hippocrates, quod urinæ perpetuo boni coloris essent, licet tenues, paucæ dejectiones, & mordaces, in urina subsedit album, leve, sudavit, & judicata est, urina potius, quam sudore: si non virtutis robore; nam haud minus faciunt ad judicium, crassæ ac tenues urinæ, si multæ, in utroque extremo; crassorum succorum expurgatione illæ, & tenuium istæ; nam sicut urina crassa Periclem liberavit, sic Pythionem tenuis. *Hujus febris incepit à manuum tremore, febris erat acuta, nugabatur quarto, mera biliosa dejecit: & adhuc manuum tremores erant, urinæ à primo ad octavum tenues, decolores, quæ suspensionem habebant nebulosam, decimo judicatus est, & urinæ circa judicium subtenues, & quadragesimo stranguriosus abscessus factus est: probabile est*, (addit Hippocrates in fine) *fuisse urinarum multitudine sanatum quadragesimo*.

[*3. Epid. sect. 2. ægrot. 1.*]

Quam infida securitate fidem fallant, signa urinæ decretoria, inde licet conjicere: quod alias urinæ multæ tenues liberant abscessu decretorio, ut nuper adnotavimus: aliquando & ipsæ crisim securam afferunt, ut vidimus paucis antea lineis; interdum illud accidit, ut contraria faciant, ut nempe abscessum ad articulos futurum portendant, & hoc non tantum in morbis, qui ab acutis decidunt; sed in illis, qui vere sunt acuti; quare cuique peculiares sunt imponendæ leges: nota satis est illa prognostici sententia, *tenues & crudæ urinæ abscessus indicant infra sedes abdominis in morbis non lethalibus. Definiendum prius est*, dixit Galenus, *an æger duraturus? an judicandus per abscessum morbus? nam in his signa exitiosa mortem notant, mitiora salutem; at vero abscessus, ubi frigidi prævalent humores, ad inferna; ubi calidiores, retro aures*. Paulo accuratius Galenus hanc expendit sententiam; *si vero morbus*, inquit, *jam diu duraverit, neque ullum ex his signis affuerit (lethalibus nempe) sed in aliquo ex locis inferioribus vel gravitas, vel tensio, vel inflamen, vel dolor apparuerit, huic abscessus ad partes inferiores expectandus, ut Hippocrates dixit*. Morbi enim difficiles & crassorum humorum, ubi suppetunt vires, cum urina pertinaciter cruda, solent per abscessus finiri; ad partes ubi humor inclinat. Sit hujus crisis exemplum, qui in Dialcis horto ægrotabat ex causone spurio, *hic nono superriguit, inde febris acuta, sudavit, refrixit, deliravit in somnis, mente in undecimo constitit, à febre erat liber, & cum sudore tenues erant circa judicium urinæ, & hæ judicariæ, licet brevi postea recidiva, quod tenuitas certo indicabat; crisim tamen postea securiorem reddunt urinæ in vigesimoquarto; cum in illo haberent subsidentiam, quo prorsus delirium cessavit: sed vigesimoseptimo dextra coxa dolebat, & tenues urinæ in quibus subsidentiæ; sed remissa sunt omnia, urinæ tenues etiam in vigesimonono, in quadragesimo alvus pituitosa dedit, sudavit toto corpore, & judicatus est*.

[*Hipp. 2. Progn. 34.*]

[*Galen. 3. de Crisib. 11.*]

[*Hipp. 2. Prog. 67. & 1. Epid. sect. 2. 45. & 2. Epid. sect. 1.*]

[*3. Epid. sect. 1. 3.*]

Aliud etiã advertit in Coacis Præceptor, quod urina tenuis, quæ ex grumosa venit, est critica: *quibus enim*, inquit, *urinæ paucæ & grumosæ in febre, tenuiũ copia ex his emissa prodest*. Tales autem mittuntur ab initio, vel postea; & hæ cito habent hypostasim, & tales mutatione gradus ad crisim sunt; cum de urina pauca & crassa, & statim grumosa, mox tenuior & copiosa emittitur. Hæc est urina tenuis, quæ singulari lege critica ab Hippocrate, & Galeno censetur; nam tota illa humoris morbifici causa, quæ crassitie & paucitate non exibat, tenui urina per coctionem reddita exitum liberalem sortitur, quo perficitur crisis. Quod nos etiam accidere ducimus ex vehementi motu causarum tenuata, & robore naturæ propulsa; licet nec crassa nec grumosa præcedat; Solo Calvo in Tarisa urina multa non profuit duplici ratione, quia de statu pestilenti erat morbus, quo nulla crisis secura: si prævalet maligna, & pestilens conditio: 2. quia talis urina symptomatis ratione exibat fortasse colliquata; hoc etiam constat ex Hippocratis mente, non tantum ex causa ab apparatu pestilenti producta; sed ex ipsamet hujus status historia; sic enim legitur text. 61. *Vrinæ multæ erant, non ex potu ingesto, multumque etiam vitiosæ: neque enim inerat crassitudo, vel concoctio, vel purgatio proba: nam purgationes per vesicam commodæ, bonum multis portendebant, plurimis vero colliquationem, turbationem, dolores, diuturnitates, & nulla judicia*. In hujus Commentario Galenus: *Hæc memoriam, non interpretationem postulant, quod aliquando urinæ symptomatis ratione vacuentur, sicut sudores, vomitiones, &c.* Quare, cum nobis talia obversantur, recurrere debemus ad tempus, seu ad diem, quo tales urinæ superveniunt; nam, si in status tempore, forte in die critica, & sub remissione accidentium, & cum aliqua morbi conferentia, tunc tales sunt judicandæ

[*Hipp. 3. Coac. 53.*]

[*Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 5.*]

dæ

dæ criticæ, si nulla adsit malignitatis, aut inflammationis, aut anadromes seu recursus suspicio, *ut Calvo in Tarisa*, aliter enim symptomatis ratione superveniunt, infida certe securitate; *In hac ipsa constitutione, urinæ tenues, & multæ virginem in Abderis servaverunt*, quia loco & tempore proruperunt. Sed addit Hippocrates, *quia boni coloris & in septimo nobili decretorio: & ad undecimum tales urinæ erant, ad decimumquartum morbus remittebatur, & postea abscessus ad pedes; in vigesimo recidiva, in vigesimoseptimo perfecte judicatur. Anaxion à læva pleuritide urina copiosa & tenui, in vigesimoseptimo liberatur; quia in hac die multa & alba subsiderunt, ex purgatione & judicio critico, quo sedata est sitis, & dormivit, quo trigesimoquarto erat jam perfecte judicatus; ut etiam Herophilus ex satis longa febre.* Quo etiam judicio finem accepit febris alterius Nicodemi in Abberis *qui vigesimaquarta judicatur urina copiosa & sudore, ubi multa & alba subsidebant, quod adjuvatur postea copioso sudore, quo completur absolute judicium.*

Hipp. hujus sectionis ægrot. 7.

ægrot 8.

Ægrot. 9.

Ægrot. 10.

SECTIO XIII.

De sexta Crisis specialis sorte, sudoris Critici exemplo.

Sunt etiam inter morbos, qui hac peculiari Crisis sorte solvuntur; hi sunt valde acuti, si ad causam attendimus, quæ debet esse aut tenuis natura, & substantia, & qualitate aëris; aut valde intenso calore tenuata: ideo signa quæ antecedunt crisim per sudorem, sunt morbo gentilitia, & humori congenea, haud ita tamen morbo consocialia, ut illi soli & semper conveniant, quoniam ichores qui sudoris materia, æque etiam urinæ, atque dejectioni causam præstant; ideo forte, si attendimus ad exempla proposita, rarissima est crisis per sudorem, quæ comitem non habeat perirrhœam.

Sed, quia sudores alii sunt eliciti à morbi violentia symptomatisve pugna: ut à subito animi angore, aut subito deliquio, retractis ad cor undique spiritibus, quo cogitur natura, ne suffocata pereat, illos foras expandere, & cum illis colliquata humiditas, qua ancipiti alea, sudor inutilis elicitur: ut etiam à caumatis interni violentia, aut sub condenti pyra, quam concitat aut qualitas maligna, systrophica ut visceris inflammatio, aut febris exurentis conditio: & hoc in morbis acutissimis. Elicitur etiam, dum natura cogitur irritata ichoris multitudine, ut in tertiana notha, & importuna quartana sæpe vidimus, importuno symptomate, & nulla conferentia: quoniam fere nihil de morbi materia inutili sudore vacuatur; seu dum, à prava qualitate colliquati humoris seu ichoris maligni elicitur lethali diaphoresi: seu ultimo, dum natura, à malo superata, seu morbi violentia seu malignitate continere non valet. Quo in statu, vix aliquem vidimus restitutum, est enim talis sudor diaphoreticus, in quo nectar vivificum cum humido radicali exhalat. Alii sunt proliciti suo loco & tempore, dum natura in barbaro duello, omnibus collectis viribus, super morbi insolentiam vires exerit: & hic est sudor criticus; cujus effectus sunt, morbi levamen, appetitus restitui, alacrius ad oblata se gerere, & ab omni accidenti levari.

A Quibus autem signis, quave solerti providentia possimus de futura per sudorem crisi enuntiare, Veterum sententias perpendamus, oportet, morborum acutorum generales differentias, ut specialissimas hujus sudoris critici: nec inter ista parum observationi tribuendum existimo, ut quæ nos de singularibus edoceat: per generales regulas, cum expectanda crisis, sic Galenus edocuit. *Deinceps qualis futura crisis*, (inquit,) *hoc modo distinguendum est; primum quidem si calidus & acutus sit morbus, & si crisis fiat in primis periodis: necesse est* B *enim in talibus crisibus non abscessum, sed excretionem subsequi; secundo autem loco, si diuturnus & tardus; nam hi per abscessus quiescere consueverunt: tum præcipue, cum urinæ tenues & crudæ, longo tempore exierint: si enim multa & multam subsidentiam habuerint, rationabile est, morbum potius paulatim debere coqui, non per abscessum terminari, & si per excretionem, per quam scilicet, sudoris nempe, hæmorrhagiæ &c. & si, ad articulos, ad quem.* Inde Galenus in eodem loco ad signa specialia procedit, *si vero signa vomitus non affuerint*, (inquit,) *solos sudores expectare oportet, & ma-* C *gis, quando ægrotantes delirant, increscente accessione, & partes externæ calidiores rubicundioresque extiterint, & vapor quidam calidus exeat, qualis antea non aderat; quod si pulsus undosus fiat, & insigniter mollis, adhuc amplius sudores expectare oportet*, &c.

Galen 3. de Cris. 11.

Idem.

Aliud signum, sudorem criticum antecedit, dixit prudentissimus Senex, *urinæ nempe suppressio; si cum rigore accidit.* Hæc sunt illius verba; *ante sudorem urina subsistit*; ideo forte *à febre ardente habito rigore superveniente solutio*, quoniam ad illum sequitur sudor: aliter enim non solveretur febris, D nam urinæ suppressio indicat alio crisim verti: rigor autem, materiam de ferri ad panniculum carnosum, per quem nempe materia morbifica vacuatur salubriter, utpote per loca conferentia, & excrementorum vacuationi destinata: quod si stata accidat, à fideli pepasmo præindicata, sudor placide effluit, recreat, non exolvit, & non morbi violentia elicitur; tunc etiam mitificata bilis exitum habet per cutim, eo violenter à natura expulsa, proprio erethismo concitata, ad legem excretionis criticæ.

Hipp. 4. Aph. 18.

E Quibus autem signis laudabiles sudores dignoscantur, & quibus natura sua pravi, aut lethales, aut etiam qui medium tenent inter duo extrema: satis clare nos Hippocrates docuit in Prognosticis; cujus sententia plus indiget memoria, quam expositione; nam satis docte & clare hanc exponit Galenus, quam per otium legite.

Idem, 1. Prog. 26.

Inde tamen mihi videtur orta potissima erroris occasio, in hac nobili præsagiendi arte, quod signa generalia & communia, quæ veniunt ad crisim, & hujus aut illius ægroti peculiaria, rarissime in ægrotis, qui nobis obversantur, nedū eadem, F sed nec adhuc similia observentur; imo longe diversa: aut ob singularem morbosi humoris apparatum, seu ob focos diversos morbi & accidentium, seu quia in hoc aut illo prævalet, ichorum malignorum colluvies, aut serosæ substantiæ congeries, aut sinceræ bilis supernatantia; interdum solus sanguis: aut miscella variorum succorum, jam spurii & adulterini humores, ustione, seu aliorum succorum confusa mixtione, aut fermentata & profunda putredine producti: & inde fere accidit, ut morbus unus, hete-

rogenea

rogenea cacochymia inæqualis, focorum diversitate multiplex, non unica crisis forte solvatur, quin imo plures amet crisium differentias: prout focorum diversitas exp ostulat, aut inæqualis humor permittit, & in hac aut illa die decretoria, naturæ cedere magisterio, aut proprio erethismo compellitur, & inde oritur, ut crisis interdum incipiat per sudorem in quarto aut in septimo; ut ex materia quæ facilius cedit, & hæmorrhagia, aut dejectione finiatur in decimoquarto, aut vigesimo interdum; in vigesimoseptimo, si constat morbus inæquali materia.

[Hipp. 1. Coac. 25.] Sit nobis hujus catholici theorematis exemplum illa nobilis Coacarum sententia: *si cum perhorruit, rursusque exsudaverit critice: & postridie horror sine causa ingruerit, tum à pepasmo in somnis huic venturam hæmorrhagiam expecta.* Hæc videtur Hippocratis divinatio non sententia: en sudor & hæmorrhagia critica complicatur, forsan ab illo observata; sed ubi sunt vera hæmorrhagiæ signa, unde vera sudoris? pleraq; accipimus incompta & non pauca confusa: in quibus exponendis consulimus; ut, si oleum perdimus, ne operã perdamus; nec enim audienti, nec legenti frugi sunt, ex triplici foco triplex evacuatio critica à Præceptore traditur *in Larissea virgine, per sudore m nempe, menses & hæmorrhagiã: & mulier morosa, quæ ex levi febricula in horrenda symptomata incurrit, in tertio copiose sudavit, & judicata est: at sub judicium menses illi copiose provenerunt.* [Hipp. 3. Epid. sect. 3. 11. & 12. ægroto.] *Herophontis exemplum est etiam sudoris, & aliarum etiam excretionum: huic febris acuta, & alvus initio subsistebat: postea biliosa dejecit, & cum urina nigra, erat in quinto surditas, in sexto deliravit, sub noctem madidus exsudabat, cum delirio; septimo ad noctem obdormivit; octavo dolores in utramque tibiam; postea noctem facilem habuit, quod urinæ melioris coloris; nono sudavit, & judicatus est: rediit die quinto febris, & accidentia die tertio omnia mitescebant, sudavit iterum die septimo, & judicatus est.* [Hipp. 1. Epid. sect. 3. Ægrot. 3.] *Epicratis uxor, à partu laborioso causone urebatur, undecimo sudavit, & minxit copioso sedimento melius colorata, & habuit commodius, die decimoquarto superriguit, unde febris aucta, decimoquinto vomuit biliosa, sudavit, febris eam dimisit, sub noctem rediit, urina crassiori, sicut decimosexto noctem non bene egit, deliravit, decimooctavo urebatur: vigesimo riguit comatosa, & sub noctem obsurduit, dolor lateris in vigesimoprimo, urinæ turbatæ permanserunt, ad fauces calida destillatio, ad vigesimum septimum erat à febre libera, quod esset sedimentum in urina in vigesimoquarto, venter in quadragesimo turbatur, vomuit biliosa, quo est plene judicata octogesimo.* [Hipp. 1. Epid. sect. 3. Ægrot. 4.]

En exemplum variæ excretionis criticæ à multiplici & varia cacochymia, & in foco diverso putrescente; sed quia die undecimo, prima coctionis signa apparuerunt, diuturnum fore morbum præmonstrabant, & maxime quod primum judicium in decimoquarto incepit; inde crebri relapsus, relicto empyreumate in membris principalibus, unde perennis morbificæ materiæ generatio: nam, quotiescunque ad vim efficientis causæ accedit facilis suscipientis dispositio, est promptior morborum generatio. *Ideo mille relapsus experitur Cleonactides, qui etiam octuagesimo sudavit, & judicatus est; Erasinus tamen, non est adjutus sudoris beneficio, quoniam diateleos, hoc est, sine judicio, sudor ille per totum morbi tempus: decretoria enim, quæ non discernunt, aut sunt plane funesta, ut Dromidæ Vxori, & Erasino; aut penitus acrisia, hoc est, mali judicii, aut relapsus importuni præsagia.* [Hipp. 1. Epid. sect. 3. Ægrot. 6.]

Mulier, quæ littore decumbebat, trimestri fœtu gravida, rarissimo exemplo, sudore ab igne liberatur, cum lethalibus signis: nam crisim varia, ac terribilia symptomata antecedunt; *nempe colli & capitis dolor, & secundum claviculam, & statim obmutuit, & prorsus delirabat: alvus biliosis turbatur; quinto convulsa, ut etiam hypochondrium sub dolore retractum: urinæ tenues, & non boni coloris: & in eodem quinto sudavit, & liberata est; in sexto non dormivit, septimo tremuit soporata, moderato delirio: febris eam reliquit per tres dies; undecimo iterum superriguit, tanquam in decimoquarto sudorem indicaret; quo vomuit biliosa subcrebra, copiose sudavit, & judicata est, sine febre, sed non sine dolore. Rarum est exemplum,* dicit Galenus, *prægnantes aliquas præter abortionem talibus morbis defungi.* [Galen. in com. 6. Ægrot. 14.] *Melida etiam sudore defungitur periculo, in præacuta febre.* Videamus symptomata, quæ crisim antecedunt; *Huic cœpit caput, collum & pectus vehementer dolere: statim febris acuta, menses pauci apparuerunt, perpetui dolores sexto die, comatosa, fastidiosa, horrida, malarum rubor, aliquantum deliravit: septimo sudavit, febris intermisit, dolores permanserunt, repetiit somni parum: urinæ semper boni coloris, cæterum tenues, biliosæ, mordaces, paucæ, nigræ, fœtidæ; in urinis subsedit album leve, sudavit, judicata est absolute die undecimo.* In hoc exemplo dicit Galenus, *mulierem servatam, & proprio robore, & quod urinæ semper boni coloris essent: bonus tamen color est, qui supra palearem existit, non prorsus albus, neque omninò niger.* Quod in his ægrotis observare par est, illud maxime erit, quod in nullo, signa, ad unicam crisis sortem antecedunt, imo ad crises per varias regiones celebrandas: raro enim contingit, per unicam perfecte morbum solvi, maxime per sudorem, per quem tenuis tantum, vacuatur materia, intus crassiori relicta.

In illo qui in Dealcis horto decumbebat, sudorem video magis præindicatum, in suo contemplabili ad diem decretorium; *hic quarto vomuit biliosa pauca, & virulenta: à sinistra nare sanguinis stilla fluxit, circa caput, & collum exsudavit, sub noctem deliravit, & eadem in quinto; septimo lingua arida, vigilia, delirium: urina non boni coloris; sexto melius habuit, ut etiam octavo, nono superriguit, febris intendebatur; sudavit, & refrixit, dexter oculus, & lingua distorquetur: undecimo sudavit & judicatus est; urinæ circa judicium erant tenues; duos per dies intermisit, decimo quarto rediit, decimoquinto urina perturbata, & febris intensior, & delirium, urinæ tenues in decimosexto, quibus inerat nebulosa suspensio, decimoseptimo sudavit toto corpore, & allevatus est, sed non à febre liber, vigesimo sudavit, & liberatur; vigesimoquarto urinæ subsidebant; quadragesimo sudavit absoluto judicio;* en sudoris indicatio in suo contemplabili, ad diem decretoriam; sed quia signa non ibant ad perfectum judicium, usque ad quadragesimum differtur; quare vix unum aut alterum exemplum invenire fas erit, in quo per unicam regionem sit crisis; quod si solo sudore aliquando contingat, hæc erit cum relapsus periculo, ut patet propositis exemplis.

Ex his observationibus pleraque etiam ad medendum utilia nos elicere decet; nempe, ut plurimum recidivas diebus decretoriis incipere, quoniam in his maxime materia commovetur morbifica, ex singulari diei efficacia: *una enim,*

Galen. Com. in 1. Progn. Hipp. 26.

inquit Galenus, *dierum decretoriorum vis est, reddere fidam judicationem, sive in bonum, sive in malum finitura sit.* Et secundum, quod crises, quæ adveniunt post vigesimumprimum, & per excretionem, quod hæ sequuntur acutiem, non à morbi principio, sed in progressu nova occasione contractam. Utrumque Galenus vigilanti solertia nos docuit, per hæc verba. *Contingit sæpe, diebus quibusdam decretoriis recidivas incipere, & cum numerum aliquem decretorium excesserint, denuo alio decretorio die iterum judicari. Hac ratione omnes particulares acuti fiunt,* (licet tales non incipiant) *veluti, si quis undecimo die judicatur imperfecte, decimoquarto morbus repetat: deinde vigesimo rursum die judicato parum integre, recidiva vigesimoseptimo adveniat: postea acute ægrotans quadragesimo iterum judicetur.* Hæc Hippocrates observare nos præcipit, &c. Hæc Galenus veluti ab exemplo proposito nos docuit.

Galen. 2. de dieb. decret. 5.

SECTIO XIV.

De septima Crisis specialis sorte, abscessus decretorii exemplo.

Jam ex Galeno vidimus, qua crisis sorte morbi acutissimi appetant judicari: nunc restat observare, quam ament, qui ex acutis decidunt. Hoc est receptum in communi doctrina, ut morbi longi maxime appetant abscessu judicari; ac si vere acuti non etiam illa crisis specie liberentur; quod est aperte falsum, nam peripneumomonia & lethargus militant sub aquilis & signis acutorum, & tamen abscessu post aures liberantur, ac interdum ad inferna materia transposita; ut postea videbimus. Ergo non tantum longi morbi, sed etiam acuti abscessu liberantur.

In hoc tamen mihi videtur ratio differentiæ observata, ut, qui materia morbifica calidiori prævalent, aut cephalica premuntur plenitudine, potius ament abscessus retro aures; qui vero morbi, ob materiæ morbificæ peculiarem sortem quæ omni excretioni reluctatur, non valent illam nec despotico imperio superare, nec absoluto magisterio propulsare; ut illi, qui ex acutis decidunt; in his natura, si non valet quod optimum, in minori malo acquiescit, & prudenti solertia; ac ideo ad ignobile membrum materiam opprimentem protrudit, critico judicio utplurimum, interdum symptomatico: quod tripliciter accidit, seu, dum turgenti & inæquali motu humorem, jam commotum, ad membrum principale propellit, maxime quando illud, aut calidum, aut debile recipiendo non resistit; & hoc utplurimum est cum mortis periculo: nos enim aliquando vidimus, ægrotum in die decretoria, præter expectationem, repente inopinato mori. Aut secundo, quando expulsus humor in majori quantitate propellitur, quam membrum capere & recipere valeat: tunc enim fit certa metastasis aut recursus occasio, *ut in illo cuipes doluit,* Hippocrates observat. Cui Galenus causam mortis attribuit, & Calvo in Larissa; seu quia ita malignus est, qui decubuit humor, ut facile, quæ illum pars recepit, vertatur in gangrænam, de quo etiam habetis Hippocratis exempla. Aut tertio, quando talis decubitus seu abscessus ante pepasmum venit, in omnimoda morbi universalis cruditate, seu dum viscidi, crassi, & frigidi humores dominantur; & hi omnes sunt fere symptomatici. Hoc in longa febre potissimum expectare par est, aut etiam in illa, quæ non perfecte solvitur, recidivæ periculo. Utrumque est Hippocratis, *Quibus longæ febres,* inquit, *iis tubercula vel labores in articulis fiunt.* Causam refert Galenus, *in multitudinem humorum, crassitiem, frigiditatem, visciditatem-ve, quam natura coctione non valet superare. Par igitur est,* inquit, *& tubercula ab eis fieri, & ad articulos superflua decumbere,* à venis nempe, seu à foco, ubi talia, ab altius radicata intemperie, perenni generatione, seu à causæ inveteratione, generantur. Si vero in recidiva febres longæ adveniant, hoc cibi & potus delictis referendum, Galenus judicavit; ut patet in illa, quæ sequitur sententia. Quod si tales abscessus in primis judiciis adveniant, hoc est, in primis decretoriis, & febris finem non afferant, & ipsi non solvantur, sed adhuc postea perseverent, morbi longitudinem notat; per regulam judicii, quod non judicat, nisi forte aut fortuna contingat, ut in ipso judicio natura, quæ movet ad abscessum, humorem jam commotum, ad urinæ vias vacuandum, compellat: tunc enim abscessus præripitur occasio, & in urinæ multitudine, crassitie, & sabulo fit crisis, quæ erat per abscessum futura. Quod in febribus lassitudinariis quarto die Hippocrates docuit accidisse, perirrhœa pariter, ac hæmorrhagia. In Aphorismis etiam hæc legitur sententia.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. Ægrot. 9. & 3. Epid. sect. 3. Ægrot. 5.

Hipp. 4. Aph. 44. & 45.

Hipp. 4. Aph. 74.

Sed, quia non sat est prænosse, qua in febre par sit abscessum expectare; nec quod abscessus in unum semper locum decumbant: ideo signa singulari energia oportet interstinguere, primo de futuro abscessu; secundo, ad quem maxime locum teneatur decumbere.

Febrem diuturnam abscessu potius quam excretione finiri, est Galeni: quia, quo longius crisis recedit à principio morbi, tanto vis & conatus naturæ remissior apparet. Galeni est doctrina, quando dixit: *Cum vehementissima pugna crises fiunt, quæ usque ad decimumquartum veniunt; cum minori, quæ ad vigesimum: inde usque ad quadragesimum, & adhuc etiam magis vehementia exolvitur, ab illo autem die perfecte exoluta redditur.* Hanc Galeni sententiam intellige, dum morbi acuties à principio æqualiter procedit: quoniam, si lentus in principio morbus, in medio acutiem resumit, aliam crisis rationem quærit, cum pugna vehementi, respectu supervenientis acutiei, & non totius morbi. Hoc etiam pulchre Galenus alia sententia dixit: *Quod autem solutio,* inquit, *quæ per excretionem, & commotionem fit, in morbis diuturnis paulatim exolvatur, pulchrè dictum est. At non amplius subitam eorum mutationem uno die fieri, non recte dictum est: legimus enim Cleonactidem post octogesimum sudore judicatum, & plures alios in Epidemiis relatos.*

Galen. 2. de dieb. decret. 8.

Galen. 2. de dieb. decret. 5.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 6.

Veniamus ad cujusque singularis abscessus singularia signa, quæ hanc peculiarem crisis sortem antecedunt. Jam ex Galeno vidimus, quomodo distinguendum, quando est crisis per excretionem expectanda, & in primis periodis; quando, & qua febris conditione, per abscessum, & quando finienda sine crisi, sola solutione: nam mortem sine crisi venturam, est magnum argumentum (ut Galenus est auctor) virium imbecillitas, quia morbo ad pugnam est impar. Secundo, si nullum adsit coctionis signum. Tertio, si ma-

Galen. 3. de cris. 11.

Galen. 3. de Cris. 10.

si magnus sit morbus, aut malignus, & celeriter moveatur.

Quando igitur in morbo, crisim ostendente, (& hoc est commune in omni crisis sorte) etiam nox molesta fuerit: & etiam accessio citius invaserit cum quibusdam insolitis accidentibus, necesse est in eadem accessione crisim fieri, in Galeni judicio: quod fortasse accepit ab Hippocrate, quando dixit, *quibus judicatio fit, iis nox gravis ante accessionem, quæ vero subsequitur, levior; magna ex parte est.* Crisis est subita mutatio dicit, in Comm. Galenus, hæc fit natura separante à bonis mala, & ad excernendum præparante, ideo in tali turbatione ægroti gravius se habent, & gravitas fit noctu manifestior, quia rumpitur somnus, & somno à turbatione interrupto clarius percipitur gravitas. Licet hæc eadem fiat interdiu turbatio, quando crisis fit etiam interdiu, est nox, quæ sequitur, levior: scimus enim plures esse ex ægrotis, qui servantur, quam qui moriuntur; nisi pestilens constitutio sit; ut etiam tertio legitur epidemiæ.

Galen. 3. de Cris. 10. Hipp. 2. Aph. 13.

Hipp. 3. Epid. sect. 2. 23.

PostquamGalenus in tertio deCrisibus, undecimo, in quaque singulari crisi signa dedit; *Si vero ad abscessus convertantur*, inquit, *communia quidem omnium indicia sunt, salutariter se habente ægro, quod neque morbus solvatur, neque urina multa, cum multa subsidentia, sed cruda & tenuis appareat. Parotidum vero propria, si morbus non fuerit valde diuturnus, si subita difficultas anhelitus laboranti superveniens, mox quiescat, eamque capitis gravitas ac dolor subsequatur, & gravis somnus, ac surditas; huic post aures*, (dicit Galenus) *necesse est abscessus fieri.* Solet enim natura, aut cerebri onere gravata, aut irritatione lacessita, in proximo emunctorio deponere, quod se gravat onus.

Galen. 3. de Cris. 11.

In hac crisis sorte etiam dicam quod observavi. Parotides vidi, in affectu cephalico, & sub Galeni signis: vidi etiam Parotidas subito eructare in febre, quæ nec erat acuta, nec prorsus diuturna, sed inter illas media, sine capitis dolore, nec surditate aliqua, sed cum aliqua m. 'ignitatis suspicione semper; quo certe in ill am mentem veni, hanc etiam abscessus differentiam interdum à genere venoso, materia transposita, ut à cephalico capitis apparatu advenire; neque enim rationi repugnat, metastasim in caput fieri, & cerebrum, omnibus collectis viribus, materiam translatam retro aures deponere, antequam aut surditas, aut dolor superveniat, nec in cerebro aliquis affectus producatur: quid multum? adhuc neque affecto cerebro.

Hoc etiam in crisi per abscessum adnotavi, rarissime fuisse præindicatum à die contemplabili, quo cessat illa conditio à Galeno toties decantata; in quo unica mihi videtur ratio assignabilis, quod utplurimum ista crisis species veniat, cum morbi vehementia jam paulatim exolvitur, cum jam natura conspicuos conatus non assumit, ideo aliquo singulari motu abscessum non præmonstrat; neque deficit in Galeno doctrina, ad hanc præsumptionem; *Vt enim judiciorum vehementia*, inquit, *paulatim procedente tempore exolvitur: ita & imbecilles decretorios obscurari plane accidit; solos autem semper persistere, qui perfectum decretoriorum numerorum circuitum describunt.*

Galen. 2. de dieb. decret. 9.

Duo certe concurrunt, ut sit omnino fidelis præindicatio; primum est naturæ conatus, velut digito monstrans, & asterisco notans, quo se vertat ad crisim, illa humoris excretione, licet parca, per quam est postea perficienda crisis: secundum autem est urinæ pepasmus, quo certo dominari præsumitur, ut perficiat in die decretorio, quod incepit in die contemplabili: ideo forte ad securitatem præsagii est æque necessarium, ambo simul concurrere, morbis saltim in illis, ubi crisis primis expectatur circuitibus, dum persistit ad crisim vehementia; aliter fidem fallit præsagium. In aliis verò, ubi deficit vehementia aut remittitur, sat est, coctionem adesse in die decretoria, ut crisis sit fidelis, licet non sit præindicata: *Vna enim dierum decretoriorum vis est* (dixit Galenus,) *reddere fidelem judicationem, sive in bonum, sive in malum finitura sit.*

Galen. Com. 1. in Prog. 26.

Futuræ parotidis præindicatio, in die contemplabili, nec in Galeno, nec Hippocrate legitur: signa quæ præmonstrent parotidem futuram, & legimus, & vidimus. Aliam crisis sortem præindicatam legimus, dum nempe urina multa parotidis, aut abscessus alterius sortis præripitur occasio. Sic dictat in oraculo Senex; *Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu urina multa, crassa, & alba facta, qualis in lassitudinariis febribus, quarta die quibusdam incipit fieri: si vero etiam ex naribus sanguis fluxerit, brevi admodum solutio fit.* Ita in Commentario Galenus; *si itaque natura valuerit per urinam expurgare corpus, æger ab abscessu liberatur, humorem ad articulos iturum per vesicam evacuans. Satis autem habuit, lassitudinariis febribus pro exemplo uti, quæ initium ad urinam motionis in die indice accipiunt. His enim lassitudinariis hoc inest, quod cito abscessus faciant, non expectantibus, ut aliæ, tempus prolixius. His vero ipsis & juxta aurem fieri abscessus consuevere; utpote quibus caliditas major magis materiam subtiliavit, in quibus aut sanguinis profluvium, aut parotidas expectare par est.* Sed non sic semper intelligas futurum, ut necessario sit talis præindicatio futura in quarta, adhuc in istis febribus sed attende ad ea, quæ sequuntur. *Quod autem quarto die dicitur, pro exemplo positum est*, dicit Galenus: *te vero oportet transferre ad omnes dies alios, quicumque sunt contemplabiles & indicatorii.* ac si dixerit, si urina in quarta apparuerit cruda, & pauca, licet indè incipiat parotis, non liberat, nisi multa, crassa, & alba compareat: si verò à septimo incipiat parotis, & talis urina appareat in nono, in decimoquarto solutionem expectare par est: si in decimoseptimo, in vigesimo; sic enim se habet quartus respectu septimi, ut undecimus respectu decimiquarti.

Hipp. 4. Aph. 74.

Galen. Com. in Hipp. 4. Aph. 74.

Sed illud minime prætereundum duxi, quod à nemine video observatum: quod talis urina liberat ab abscessu tantum, dum fit, & in quantum complementum & perfectionem non sortitur: nam qui confluit humor ad parotidem, vel alium abscessum, non difficulter à natura transfertur ad urinæ canales; nam impactus & imbibitus humor non facile educitur, nec cedit. Illud enim hoc tempore tantum valet natura, ut inhibeatur abscessus magnitudo & augmentum, materia substracta, ad fluendum parata. Quod nos videntur docere illa Galeni verba, *Si itaque natura valuerit per urinam expurgare*; ac si dixerit, quia non semper valet.

Signa

Signa vero parotidis futuræ, fateor, & ingenue fateor, me nunquam ita certa observasse, quin sæpe fidem fallerent præsagii; nec illa, quæ Hippocrates narrat, quibus Galenus non facile subscribit in Prorrhetico, quid certum contestantur; nisi ex omnibus simul concursus fieret: quæ simul observare in uno singulari ægroto, est pene impossibile. In penultima sententia Prorrhetici citati Galenus concursum ad parotidem facit: sic legitur sententia Hippocratis, *hypochondrii contentio, cum comate fastidioso, & capitis dolore, parotides effluere faciunt.* *Coindicat autem hypochondrii contentio* (dicit Galenus) *si phlegmonem excludas: si vero absque illa contentio fiat, in humorum ad superas partes inclinationem signum ad parotidum generationem notabile est; sanguinisque ostendit eruptionem*: fastidium, & cætera, nihil nisi concursu indicant; quare concursus erit, si in febre, quæ inter acutissimas & lentas mediat, ex fermentata, & maligna putredine, ex qua perenniter vapores ad cerebrum ascendunt, cataphorica incipiant accidentia, nempe lenta ad somnum inclinatio, cum placido delirio, & capitis dolore gravante, cum cervicis continuo dolore: surditate, & aurium tinnitu flatuoso, cum fastidio nauseoso, ex præcedente crapula, & vino, cum hypochondrii contensione, non perpetua, sed ad tempus adaucta, absque flogosi, nec in inflammationis suspicione, cum urina interdum perturbata, & aliquando crassa, semper cruda, cum pulsu, non insigniter debili, qui magis ad undosum declinat; tunc parotidas expectare par est, criticas, aut symptomatis ratione concitatas; prout antecedit pepasmus incipiens, aut omnimoda cruditas. De hoc judicio sequuntur omnes Prognoses Coacarum, à prima ad decimam, ex libro primo, quas tu leges per otium.

Galen. 3. Prorrh. à text. 64. ad 78.

Parotidis jam factæ, & proruptæ sunt alia in Hippocrate, & Galeno judicia; Celsus est auctor, *parotides semper morbis malignis supervenire*, hoc est, semper esse maligni morbi argumentum: hæc ita prolata sententia non placet, excepto, ubi vagatur maligna morborum constitutio; nam in communi abscessus est indifferens, maligno, & salutari morbo. Et hoc etiam constat Hippocratis & Galeni judicio; ut antea notavimus; nam, variam fortunam parotides sortiri, hoc illis venit ex alio principio; quoniam, si pictoris ancilla, & Crastinonactes parotide suppurata moriuntur, hoc illis evenit ex venarum, & totius morbi cruditate, quam natura superare non valuit. *Ex parotide etiam Nicolai concubina interiit*; quia parotis ad intus retrocessit, ex quo dissolvitur corporis universa compago, & massa sanguinis universi corrumpitur; quo non tantum arguitur, fuisse ad membrum principale excursum, sed maligni humoris, qui semper est suo jure lethalis. Ideo etiam & *Polemarchi uxor anginosa, adhuc ex abscessu ad genu non juvatur*, quia materia à gutture ad pulmonem vertitur recursu prorsus lethali, & maxime, quando alvi fluxus supervenit; accidens in morbis pectoris jam progressis desperatum, & ob eamdem causam ex volvulo parotides damnantur ab Hippocrate, quia ab ignobili ventre, ad partem nobilem materia recurrit, *solo in Hermippo & Clasomenio adhuc cruda parotis non interficit, quia per ventrem & uri-*

Celsus lib. 6. cap. 16.

Hipp. 1. Epid. sect. 2. 84. 7. Epid. 37.

Hipp. 5. Epid. 57.

Hipp. 3. Prorrh. 65. & 66. & 68.

A *nam excretio materiæ morbificæ movetur*, quo periculi adimitur occasio: est enim illa crisis forte morbo congenea, tempore & loco celebrata; licet cruda parotide: terminatio abscessus ab Hippoc. ut antea vidimus, celebrata, 4. Aph. 74.

Ad varias sedes etiam materia morbifica abscedit à natura propulsa, aut à morbo, pari etiam crisi, cujus signa nunc oportet expendere; abscessus, qui præter naturam ex decubitu fiunt, apostasis, & phymata dicuntur ab Auctoribus, & absque profasi seu causa manifesta, extumescunt, aut sine tumore illabuntur, sive solo B dolore, aut alia quapiam fluxione, ex sibi consociali morbi sorte. Nam per venas, per ossa, per nervos, & alias emotiones, etiam fiunt abscessus, ex quibus boni sunt, qui infra membrum accidunt, ubi morbus assistit; optimi, qui longissime, & pro morbi accidunt ratione, & non parvi; *nam Iemini nepti, ex forti morbo, ad digitum abscedit, qui cum capax non esset recipiendi humorem jam confluxum, recurrit, unde mortua est*, ut notavit Hippocrates, 1. Epid. sect. 1. 12. C quoniam sicut excretione judicantur acuti; sic amant longiores, aut paulatina solvi solutione, præcedente pepasmo; aut humoris decubitu, abscessu vel apostasi: metastasis interdum est abscessus, hoc est, humoris translatio symptomatica, sive fiat recursu, sive epigenesi, dum succi irrito erethismo, ab uno loco ad alium transferuntur: velut, dum ad caput, ad renes, ad vesicam: sive successione mutua morborum, aut critica, aut symptomatis vice, quod cernitur, dum levat, & Medicum consolatur & ægrotum, aut D opprimit graviorum malorum successione.

Hipp. 1. Epid. sect. 8. text. 10.

Quibus autem signis possimus de futuro abscessu præsagiri nos Hippocrates docuit in Prognosticis, & est prima sententia; cui titulus est signa, & accidentia abscessus affecto loco, nequaquam definito: *quæ febres non ex ratione solvuntur, recidivare solent.* Hoc nos non tantum intelligimus de successione morbi recidivantis, sed de abscessu, seu humoris decubitu, illius certe causæ, quæ falsa levatione quiescit: nam hæc postea, quando recens putrescit, aut novo erethi- E smo concitatur; æque naturam irritat, ut à se pellat onus: ac ejusdem aut alterius morbi, successione occasionem præstet. Confirmatur nostra interpretatio, alia Hippocratis sententia: *Quibus*, (inquit,) *tubercula ad articulos, vel labores ex febribus longis fiunt, ii pluri utuntur cibo.* Galenus in Com. *de convalescentibus ista docet Hippocrates; nam sicut his repletis, rationale est advenire decubitus*: Sic ex materia, quæ intus recentis putredinis periculo laborat, morbi alterius successio; & maxime, si non desinit in die decretorio: & si desinit sine F excretione, eodem certe periculo vidimus laborare.

Hipp. 3. Progn. à sententia 21. ad 29.

Hipp. 4. Aph. 45.

Galen. in Com.

Est secunda sententia: *si febris prorogetur salutaribus signis: nec illa foveatur à dolore, nec inflammatione, aut ab alia evidenti occasione, abscessum expectare oportet, dolore aut tumore, maxime ad inferna*; nos ut plurimum prognosim non attingimus, quia auctorum sententiæ non bene cum torno, & cothurno expenduntur; facile quis seductus ex febris longa serie abscessum expectabit: nec veniet abscessus; *non enim quæcunque prorogationis causa sat est* (inquit Galenus) *ad prognosim fidelem, sed ex*

interna causa: nam, quæ febris ex dolore fovetur, interna flogosi, inveterata obstructione, errore, tempore, terra, aut domicilio, aut animi angore: in hac non est ad artis principia abscessum expectare; sed quando una è tribus causis producitur, & conservatur febris: nempe, aut ob partem aliquam affectam & curatu difficilem; aut ob humores crassos, crudos, atque incoctos: seu ob commissum aliquod (tu errorem intellige in cibo & in potu), quare restat, ut humoribus crudis, aut coctu difficilibus prorogetur; hos igitur assolet natura in partem aliquam minus nobilem expellere, quoties per excretionem excutere non valuit: sed adhuc quando coquitur, excretione per urinam levatur; raro per ventrem.

In tertia sententia adhuc hæc signa acriori judicio expenduntur; *talis autem abscessus*, inquit, *magis & minori tempore evenit, junioribus quam trigesimum annum agentibus.* In hujus Com. Galenus, *crisis per excretionem duo præcisa petit, & tenuem humorem, & validam virtutem.* (ideo interdum accidit, ut licet materia tenuitate polleat, ob virtutis defectum nulla sequatur crisis:) *quod si accidat, ut debilis sit virtus, & frigidi humores, non sequitur abscessus, nec excretio: sed aut ægrum corrumpunt, aut vix longissimo tempore concoquuntur; porro inter has mediæ sunt affectiones, quæ per abscessum certe judicantur.* Alia nempe sumitur ex natura humoris: & alia ex virium natura; etenim, si humores calidi sunt, non oportet facultatem validam esse, ut abscessus quispiam futurus sit; si vero frigidi, facultate opus est valida ad abscessum: sed virium libratio in facultatis dignotione est: an valida, an debilis: ideo Hippocrates nos docet, ab ætate hoc judicium facere, & indicium capere, prout in juventa, aut senectute est; præsumit enim, juvenem robustam virtutem possidere, quantum abscessui futuro conducit, ut certius & minori tempore adveniat: in productis ætate, hoc est, à trigesimo anno, minus adhuc; sed in senibus omnino abscessum erumpere non posse, ob virtutis defectum. Sed nulla est, in medicina regula, quæ ita stabili veritate nitatur, quin sæpe in parte conjecturali fidem fallat; nam in simili casu nos admonet Hippocrates, ne senex sanguinis missione vacuetur, adhuc à morbo magno sanguinis missione judicata; & facto in senibus periculo, nos edocuit Celsus, tuto sanguinis missione curari: non enim dixit Galenus, attendas quæ ætas sit, sed quod virium robur; nam potest dari casus, in quo validus senex sit aptior ad abscessum, quam invalidus puer, aut juvenis inermis.

Hippocr.

Galen. in Comm.

In quarta sententia ex febris duratione aliud cepit signum; *considerandum*, inquit, *de abscessu est; si vigesimum diem febris detinens transcendat.* ac si diceret, quod futurus abscessus est magis expectandus post vigesimum diem, qui pro termino ponitur acutorum; quando nempe crisis vehementia exolvitur: ideo enim loco excretionis fit abscessus: quia deficit vigor, ex parte delassatæ naturæ: ac major ex parte humoris elucet resistentia, & tandem major criticorum dierum virtutis exolutio, quanto magis recedunt à principio.

At in quinta considerat, adhuc in tali febre, quando minus, & forte nullo modo, sit ille abscessus sperabilis. *Senioribus vero*, inquit, *per febrem longiorem minus fiunt*; *Merito*, inquit Galenus, *quia in morbis judicandis per abscessum, facultatem habere firmitatem quandam, nec prorsus ad extremam imbecillitatem concidisse oportet, ac ideo quanto virtus magis projecta fuerit, tanto minus fieri accidit; senibus vero non minus, sed minime accidunt.* Hæc decisio magnam judicii solertiam exoptat, quanto animum acrioribus stimulis explorat, neque valet, ad limam & lineam redigi, nec auctorum decretis præfiniri, quod non valet æqua lance librari; ut facultatis robur, ad ferendum abscessum; & causæ resistentia, in proposito casu; ut sæpe, nec etiam ad ferendum auxilium; quotidie enim videmus, ubi nulla sperabatur crisis, subito advenire, neque præindicata, neque adhuc præsumpta: & agnovimus senes annis septuaginta, cum firmissimo robore, & plusquam credi possit, (vivit Hispali hodie, Michaël de Victoria, cujus ætas supra quatuor & nonaginta annos jam ascendit, & vigore & viribus validissimos superare videtur) & juvenes in florida juventa, primis annis decrepitos, vigore jam collapso; quare hæc sententia est potius Medico genio, & prudenti ingenio committenda, quam præceptis Auctorum generalibus, ex quibus quid certum vix elicere queas; ideo in quacunque ætate, ubi facultatis naturalis vigor mediocris elucet, (cæteris non collapsis) in proposita febre erit secundum rationem abscessum expectare post vigesimum diem, & in quacunque, ubi illa virtus deficiat, nec alia excretio, judico, spectanda, sive virtutis languor sit, ob febris acumen, sive malignitatem, forte durationem, seu nativa imbecillitate comparata.

Galen. in Com.

In hoc tamen casu, Hippocrates advertit, cum urina cruda abscessum expectare, non tanquam sit semper necessarium; nam, quæ virtus abscessus expulsioni valet, valebit etiam concoquere, discernere, separare, resolvere: & ad urinæ vias derivare tenuatam materiam, seu halitu insensili dissipare. Ideo forte Hippocrates & Galenus addiderunt, si urina cruda post terminum acutorum perseveret; nam alba multa, & crassa, abscessus præripitur occasio, & cocta cum albo & multo sedimento, morbus solvitur absque ulla crisi, nec abscessu: aliis etiam occasionibus abscessus præripitur eventus: quando nempe corpus plusquam moderate vacuatur, ab arte, aut natura, ut quando venter solvitur, ut est auctor Hippocrates; aut morbifica causa conspicua, alia vacuatione minuitur; à forti naturæ contentione: nec ad hoc est necesse, ut corpus sit positum in ultima penuria, sufficit enim fuisse moderate vacuatum: & in facultate non est assignabilis gradus roboris aut imbecillitatis; sunt enim illi soli naturæ noti, non humanæ solertiæ, quantumvis nos seducat vanitatis præsumptio.

Hipp. 2. Coac. 23.

In sexta, septima, & octava sententia, tres alias conditiones Hippocrates proponit; sic in prima ex illis alloquitur Præceptor: *oportet autem expectare abscessus, per febrem continuam: quartanam vero decisuram sperabis, si ex continua reddatur intermittens, errabilemque modum apprehendat; maxime, si autumno appropinquet*: ac si diceret, si continua vigesimum transcendat, est certe sperabilis abscessus; si vero in medio, aut in fine, ex continua in typi-

Hippocr.

typicam vertatur, & in typum erraticum, potius par est expectare quartanam quam abscessum: quia in hoc casu, ustione aut cinere, fit ab uno humore ad alium mutatio; nempe ab humore, qui in venis deferbuit, melancholicus cinis: ex quo in alium morbum est solutio: cum humor inordinate recalescit, & in vario foco, ut una non sit prorsus affectio, sed varie & inordinate stimulet naturam, tunc potius ad quartanam disponet, quam abscessum; quæ etiam abscessus poterit rationem sortiri lato modo; quia à venis ad extra focum mutat; si vero febris materia in eodem foco, nempe intra venas perdurat, & neque finitur coctione, neque urina ducitur, naturam urget interdum erethismo symptomatico, &aliquando cedit naturæ magisterio, per abscessum, & vi naturæ ducitur, aut superne deorsum, & aliquando sursum, prout calidus & tenuis, aut frigidus & crassus cursum inflectit humor, seu aut humor & natura inclinat.

In secunda distinctionem legimus, quando est certius sperandus abscessus: aut potius quartana; *nam quemadmodum*, inquit, *in junioribus quam triginta annos agentibus, abscessus fiunt, ita quartana potius agentibus quadragesimum annum, aut etiam senioribus accidunt.* In hanc sententiam video, Galenũ inclinare; seu, quia in juvenibus (maxime cum præpostere vivunt) major cruditatum copia cumulatur, forte cum bile mixta, ideo in his potius adveniunt abscessus: in illis vero, qui jam quadragesimum annum transcendunt, major atræ bilis proventus, qui magis ad quartanam disponit, aut morbos melancholicos, quam fluentes abscessus, si maxime æstate cumulata ad autumnum perveniat, fiunt enim abscessus magis ex succis ad fluendum paratis, quales sunt crudi biliosis permixti; quam ex atrabilariis, & melancholicis, ineptis ad fluendum.

Et ob hanc certe causam proponit, in tertia & ultima sententia, (*potius hyeme abscessus fieri, tardius desinere, & minus retrocedere.* Mirabilis est hujus sententiæ diorismus in Galeno; cæterum abscessus per hyemem potius, inquit, evenire, id enim exuperans in ea humor ostendit; etenim, ut antea dictum est, per excretionem calidos, per abscessum frigidos vacuari humores, ac tardius desinere, ob ambientis aëris frigus, & ipsius humoris frigiditatem crassitiemque, quæ illius discutionem prohibet, & ob easdem causas, & minus retrocedere, cum abscessus postulent motionem, quam frigidi & crassi humores non assequuntur facile.

His conditionibus abscessum præsagiri loco non definito nos Hippocrates docuit; cui sententiæ albo calculo suffragium Galenus addit; *si vero ad abscessus convertatur febris*, inquit, *communia quidem omnium indicia sunt, salutariter se habente ægro, quod neque morbus solvatur,* (*paulatina nempe solutione*) *neque urina multa, cum multa subsidentia, sed cruda, & tenuis appareat; non desunt enim etiam in hac crisis specie indicia communia, perturbatio nempe, difficilis anhelitus, delirium*, &c. Dum inferne sursum cursum inflectit humor; si vero, è contrario ad inferna natura materiam extrudit, tunc alia signa nobis Galenus tradidit observata: *si vero morbus*, inquit, *jam diu duraverit, neque ullum ex his signis affuerit*, (*nempe excretionis, aut superni abscessus,*) *sed in aliquo ex locis inferioribus vel gravitas, vel tensio, vel inflamen, vel dolor apparuerit: huic abscessus ad partes inferiores, expectandus, ut Hippocrates dixit; erit ille & certa lege criticus, si longe à foco impellatur; si virtus est media inter fortem & debilem, & urina inter coctam, & crudam.*

Galen. 3. de Cris. 11.

Idem, eodem loco.

Hipp. 2. Progn. 67.

Pari crisis mensura abscessus, in febre, ac in aliis morbis, observantur, ad bonum vel malum, & haud impari lege in signis, duratione, symptomatis, in securitate, & periculo.

Pulmonia pro diverso suæ originis principio diversas amat crises: nam, quæ venit ex tenui, aut ichoroso sanguine, ex quo alitur pulmo, hæmorrhagia solvitur, & sudore, quæ ex pituitoso, salso, aliter crassiori pituita permixto, aliquando abscessu defungitur periculo, jam post aures materia transposita, jam longe à foco, & ad inferas sedes vi naturæ propulsa; de hac legitur illa Præceptoris sententia: *quibus autem abscessus fiunt, ex pulmoniis aut circa aures, ac suppurantur, ac ad inferas sedes, ac fistulantur, ii supersunt.* Validæ naturæ est argumentum, materiam morbificam à vasculis pulmonis extrudere, ad partes aurium adenosas; validioris adhuc ad infernas: quod tunc mihi videtur accidisse, cum validius suffocationis periculo urgetur; tunc enim operatur natura, ut contra pondus palma; sed tunc certe defungitur periculo, cum non tantum est expellendo valida, sed suppurando apta, quam expulit materiam, in utroque abscessu; idem enim valet suppurari in parotide, ac in inferno abscessu fistulari; hoc enim Galenus intellexit, *dum pus per ulcus sinuosum excurrit*; sedes inferas, quæ sunt infra thoracem, intellexit; non tantum crura, sed lumbos, & renes, & totam regionem naturalem, ad quæ potest, per abscessum materia extrudi.

Hipp. 2. Progn. 64.

Galen. in Com.

Quando vero in tali pulmonia, sit potius sperandus abscessus, quam alia solutio, dixit Hippocrates in sequenti sententia; *si febris retinet;* (inquit) *& dolor non desiit; & screatio non excernitur ex ratione: neque biliosæ sint alvi dejectiones: neque urina multa & crassa, quæ multum habeat sedimentum: tunc est certe abscessus sperabilis; salutaris vero, cum aliis signis salutaribus.* Galenus in Comm. *merito Hippocrates ex his signis quædam bona, quædam mala adscripsit, si febris detinet*, inquit, *hoc est, non intermittit; & dolor non desiit: nam, ubi desierit, nihil amplius opus est abscessu ad solutionem, eo quod morbus placidior habeatur, & excreatio non excernatur, ex ratione dixit; prorsus enim morbus non requiret abscessum, quoties excreationibus purgatur, biliosis dejectionibus, aut urina multa: per biliosas, aquosas & incoctas intellexit, & non bile permixtas; nam morbi, qui solvi amant per abscessus, ex crudis crassisque humoribus sunt; non tamen exitiosis; tales enim, ubi diutius immorantur, committunt abscessus, nisi concoctionem eorum solutio præveniat; at vero indicia concoctionis erunt, si urinæ copia excernatur, cum multo sedimento.*

Hipp. text. 65.

Galen in Comm.

Aliud singulare signum, nos Hippocrates docet, in illa quæ sequitur sententia; quando nempe abscessum ad inferas regiones portendit, seu superas inclinat; *abscessus autem fiunt*, inquit, *his quidem ad inferas regiones, quibus aliquid phlegmatis circa hypochondria adsit; illis vero ad supernas, quibus hypochondrium quidem flaccidum, ac doloris expers persistit; difficultas autem spirandi aliquo tempore facta* de-

Hipp. text. 66.

desierit sine occasione alia. *Quotiescunque*, inquit Galenus, *in morbo jam prædicto, in quo abscessum expectare par est, supervenit respirationis difficultas: rursus de repente desistat, utrumque sine causa externa, (prosases enim tales vocantur ab Hippocrate) significat tendere humores ad caput; quemadmodum ad infernas sedes calor quidam evidens in hypochondriis; non enim per illam dictionem (quibus aliquid phlegmatis) humorem pituitosum intelligas, sed calorem præter naturam flammidum, qui evenit ob ignem sacrum, phlegmonem, aut inflammationem; quod si fuerit à contrario, ut flaccidum quidem, & doloris expers hypochondrium, & cum illo adsit respirationis difficultas; tunc potius abscessum erupturum supernis sedibus expectato.* In tam longa observatione, nondum hæc signa vidimus observata, forte quia ægroti de illis non aperte loquuntur, & cum difficultas respirationis interdum intendatur, in febris augmento, aut statu, & in pulmonia, sit illius signum inseparabile, non video quanta securitate, possit per hæc signa abscessus præsagiri; detur hoc etiam, ut pleraque alia inutilia, venerabilis vetustatis memoriæ.

Galen. in Comm.

Securius est, quod sequitur præsagiū, *nempe abscessus qui veniunt ad crura in periculosis, in pulmonijs esse securiores*; tanto magis, quanto longe à foco materia extruditur; hoc enim naturæ vigorem arguit: optime judicantur, qui non tantum cocto morbo, sed viribus valente natura, superveniunt: sed tunc, meo judicio, natura non indiget abscessu, & forte non intendit, sed morbum resolutione demolitur; ille censetur pravus, quando simul concurrunt, naturæ imbecillitas, & cruditas in morbo, aut incocta materia; tunc enim periculum claudicationis in articulo imminet, saltim multi negotii.

Hipp. text. 67.

En abscessus longe à foco propulsus, quem Hippocrates laudat in Epidemiis. Hippocratem intellige, si morbo jam concocto, ex forti naturæ contentione superveniat; nam talis ex incocta materia, & nondum concocto morbo, nec viribus valentibus (quod notatur, si screatio non recte excernatur) in hoc loco ab eodem Præceptore damnatur; nam licet pulmoniæ defungitur periculo, articuli motus illo periclitatur; ut etiam adnotavit Hippocrates, *ex mucore articulo luxato, aut ligamentis etiam madefactis, aut mucore cavitate repleta, ex quo excidit coxa, ac inde claudicatio*: forte corruptis nervis à malignitate decumbentis humoris: si non etiam minori periculo laxatis, habituali intemperie contracta. Sed in hoc loco, ut attendatis, oro, illud quod Galenus notavit. *Maleficæ ægrotationis signum est*, inquit, *non excreari, sed nec screari tantummodo signum securum est, aut concoqui tantummodo; neutrum enim idoneum existit; eo quod sæpenumero satis screatur, quanquam morbus adhuc incoctus sit.* (nempe ex capite continua fluxione instillante, & non ex materia in pectore recondita, quod nos etiam sæpius observavimus:) *& item quandoque concoquitur morbus, screatio vero non satis excernitur, interdum præ imbecillitate moventis thoracem facultatis, interdum propter crassitudinem, & lentitiam screationis, quandoque propter amborum concursum: tum virium imbecillitatis, tum qualitatis puris; itaque necesse est, concoctum esse morbum, & screationem recte fieri, si affectio in sanitatem itura est.* Tunc recte fieri censetur, cum ex pectore facile & valida facultate educitur: quod idem alibi tradidit observatum non eodem, sed in simili casu; *in pictoris ancilla, quæ parotide optime suppurata, moritur, quod morbo non concocto; quod & Crastinonacti* legimus accidisse.

Hipp. 2. Epid. sect. 1. Idem. 2. Epid. sect. 2. 45.

Hipp. 1. Epid. sect. 2. text. 39. & 7. Aph. 59. 60.

Galen. in Com.

Hipp. 1. Epid. sect. 2. text. 84.

Periculum claudicationis in articulo, ubi humor decubuit, aut magni negotii periculum. Nos de illo abscessu intelligimus, qui, ut symptoma venit, ex sola irritationis violentia; nam critici abscessus in mitificata & domita materia celebrantur; de illis etiam volumus intellectam, quam ultimo Hippocrat. nobis dixit, sententiam; quæ ita legitur; *si autem abscessus evanescunt, ac retrocedunt, nequaquam egrediente screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est, periculum enim delirii mortisque imminet; evanescere, dixit Galenus, non, resolvi, significat, sed relicto priori foco retrocedere, cito & derepente, quod multis modis accidit; ob humoris nempe tenuitatem, partis laxitatem, circumvenientis nos aëris caliditatem, medicamenti potestatem, viriumque ægri infirmitatem.* Quibus addere licet, interni & nobilis membri caliditatem, quæ attrahit violenter ab externis, aut est vehemens attrahendi occasio; ut nos Larmonæ vidimus, in Medico, & non infimæ notæ, sed ita dedito præpostero, & indecenti tabaci usui, ut irrationalis videretur; huic erysipelas supervenit in facie, ut totam capitis regionem ambularet; cum repente evanuit, attracta, à cerebri exurenti calore, à tabaco, inducto, ea diabolica & adusta fuligine, quæ sine fine fugitur. Neque minus retrocessus periculo laborat, dum externa ambientis frigiditas humores intro pellit; sed evanescere magna ex parte accidit, humoribus expulsis in eamdem sedem, unde commoti sunt. Quod proprie Hippocrates dixit, *retrocedere, aut ad alias sedes sitas in corporis profundo*; ideo forte, omnis retrocessus est ipso jure pravus, quod ab externis ad interna feratur, per Hippocratis regulam: sed humoris maligni, semper lethalis, eo quod, aut corrumpit, aut saltim vehementer intemperat interna, ad quæ recurrit, viscera. Et hinc elicitur contrarietas, quam Galenus dixit in Comm. *In causis & in fine, quoniam una foras expellit, quæ affert liberationem humorum contristantium; alia intro compellit agere, quo deterrimam affectionem imprimit, eis in partes præcipuas remeantibus*, Nec ideo recursus est semper lethalis judicandus, *nam parotis Hermippo Clasomenio evanuit, & per ventris excretionem periculo defungitur.*

Hipp. in Progn. text. 68.

Impressæ affectionis signa ex recursu, nos Galenus considerare consulit, ut propria affectarum partium indicia dignoscamus; *ideo enim* (dixit) *Hippocrates hoc loco, spiritalium partium propriam diffinitionem, ab egrediente screatione, & febre detinente considerat, ut difficilis morbus æstimetur; hoc enim est indicium ad viscera interna remeasse, abscessum repente desiisse, sine causa, quoniam, si discuteretur, nihil novi afferret, neque febricitaret, & screaret facile; quod si à contrario superveniat, verisimile est, in pulmonem cessisse fluxionem: & ob illud etiam delirare; est enim illud etiam proprium pulmonis inflammati,* (*forte septi transversi vicinitate*;) *difficulter ex hac causa spirantes non dixit morituros; sciens nos etiam illud intellecturos; quo exemplo nos Hippocrates docet, ex parte patiente & symptomatis, quæ à recurrente humore superveniunt, difficultatem judicii, mortem,*

tem, aut morbi longitudinem prædicere. Ideo tuum erit æqua lance librare pericula humoris recurrentis ad cor, ad cerebrum, ad hepar, aut ventriculum, &c.

SECTIO XV.

De octava Crisis speciali differentia, Hæmorrhoïdum, & Mensium exemplo.

An sit aliquod speciale signum, ita fidele, ut hanc crisis speciem certo nuntiet, neque legi, nec vidi, nisi in concursu aliorum signorum, & secundum etiam morbi tempora. Ad fidele præsagium tria signorum genera nos consulit Galenus fideliter expendere: *Coctionis nempe, & cruditatis, & mortis & salutis: & illa, quæ sunt simul signa & causæ criticæ: & in nullo istorum,* inquit, *est plena certitudo, præterquam in coctionis & cruditatis signis.* (& nos dicimus, quod nec adhuc in istis: quoties enim salutis spem fallit coctio infidelis, illusa ex latenti veneno? & cruditas non obstat, miscella diversorum humorum natura occupata, quæ in die sequenti coctionem ostendit, & citra opinionem crisim edit?) aut secundum tempus, in quo talia superveniunt; nam alia indicant statum, alia crisim. Ideo, ut horum differentias separatim agnoscas, prius te oportet prænoscere *principium, augmentum, statum, & declinationem,* ut Galenus est auctor. Nam crises non nisi in statu adveniunt; sed longe diversa interdum est morbi mutatio ad statum, ac ad crisim, & ita aliquando similia, ut vix illa inter se distinguantur, excepto cum simul copulantur causæ & signa critica; mutatio nempe, & excretio.

Galen. 1. de Cris. 14.

Galen. 2. de Cris. 11.

Hæc adeo confusa inter Doctores legimus, ut illa singulari asterisco notanda censeamus. Ideo, si non altiora quæ nostro cesserunt magisterio, in publicam utilitatem dabimus in hoc Hispalensi Theatro. Sunt enim quidam morbi, quorum omnia tempora brevissimo spatio clauduntur, non inter se distincta, veluti apoplexia, quæ sæpe in sex horis interficit; ut etiam venenum intus genitum, fortis angina, & ex venarum interceptione suffocatio, quam etiam Syncopem Hippocrates appellat. Sunt alii, qui habent statum in principio, & ita longa declinatione postea producuntur, ut vix per annos postea finiantur; ut paralysis, quæ maxime incipit à cerebri ventriculo posteriori, quo annectitur principio spinalis medullæ. Alii longum principium & productum augmentum sortiuntur, & forte ad quadraginta dies, ad quorum proportionem est status; ut quartana, in qua etiam par aliquando declinatio observatur, & aliquando brevior; ut in quotidiana.

Aliæ febres habent tempora brevia, sed distincta; ut legitima & vera tertiana, cujus prima accessio est principium, in secunda & tertia augmentum, in quarta & quinta, ut plurimum status, in sexta declinatio; & ad proportionem in continua, quæ in septima die, ut ista in septimo circuitu, finitur. Est & alia febris, quæ tota est status, seu cujus status incipit à principio; ac ideo in illa cæteris temporibus est longior status: hæc est synocha febris, maxime perpetuo accrescens, & homotona: quarum semper est brevis declinatio. Et hæc est ratio, quare synochus per crisim finiatur in quarto, ut auctor est Galen. quia à principio velociter movetur, hoc est, quod celeriter properet ad statum: ac ideo etiam in continua hujus sortis biliosa anticipat crisis in tertio, aut in quinto, si maxime cum accessione crisis coincidit. Et hoc est maxime morborum peracutorum proprium: *In omnibus enim morbis peracutis,* dixit Galenus, *necesse est, ut synochi sint, aut febris continua biliosa.*

Galen. 3. de Cris. 4.

Idem, eodem loco.

Hæc maxime conducunt ad status notitiam; sed sola non sufficiunt ad prænoscendam crisim in statu venturam: nam acuti morbi, (in quo est sperabilis crisis) debes acriori solertia perpendere singularem ideam; secundo, magnitudinem; tertio, motum; quarto, & ultimo morem si hæc in illo sunt distincta. Nam ideo ex pathognomonicis, quæ proxime essentiam sequuntur, accidentibus dignoscitur magnitudo ex quantitate & intensione accidentium, motus ex peculiari duratione accessionis, seu ex singularium temporum extensione aut brevitate in continuis. Mos autem ex accidentibus, quæ morbo superveniunt super propria & communia morbi: quæ quid additum monstrant, quod cum ipso morbo non incepit; ut, si in lente incipiente morbo cataphorica superveniant accidentia, sympeptica, aut aliter maligna, seu majori intentione adaucta; quæ licet ex eadem causa morbifica producantur, & ex morboso corporis apparatu, non semper sunt ex eodem foco, semper tamen ex diverso principio, nempe, aut ex malignitate, quæ ex recenter fermentata putredine elicitur: aut ex intentione, quæ ex nova putredine à veteri aut recenti obstructione comparatur: aut ultimo, ex aliqua furiosa metastasi alicujus humoris, substantia tenuis, & meracis, qualitate acris, seu conditione maligni: dum ad membrum principale inopinato ruit, à proprio erethismo compulsus.

Ad hoc etiam maxime conducit morborum quæ vagatur constitutio, anni tempus, ætas, regio, & similia; ut mors, aut salus præsagiatur certius; sed ex nullo principio securius, quam ex ipso morbi more, & supervenientibus; *Vtrum vero per crisim terminabitur morbus,* dicit Galenus, *annon ad motum, & magnitudinem debes prius inspicere, postea ad ideam, deinde ad ætatem, anni tempus?* &c. Nam supervenientia non omnia sunt critica, sed illa tantum, quæ parum ante crisim, aut in crisi adveniunt; nam hæc etiam separatim aut morem morbi ostendunt, quando longe à crisi superveniunt, aut jamjam crisim advenientem, cum parum ante crisim, aut in critica die sese produnt; aut tandem sunt signa & causæ criticæ, si cum crisi adveniunt, & excretiones, aut abscessus secum ferunt; quæ secundum morbi tempora sunt bona aut mala æstimanda, prout aut in salubri morbo, aut lethali.

Nam tunc solum crisim in statu te sperare decet, dicit Galenus, *quando morbus est salubris, & vires ægroti sunt morbo ferendo pares: neque acumen, nec morbi magnitudo festinat, nec aliquis error est circa ægrotantem. Et illa quidem optima crisis erit, quæ fit morbo concocto. Si vero ob morbi magnitudinem, motus celeritatem, vel propter aliud irritamentum, ante statum crisis advenire cogatur, tanto hæc optima deterior erit, quantum statum anticipaverit. Quod si non possit ad statum sufficere, necessarium est, ægrotantem ex hoc morbo perire;*

Galen. 3. de Cris. 6.

perire, *non semper in statu, sed multo celerius, interdum circa morbi initia. Crisis enim vel fit in statu, vel parum ante ipsum: mors autem in principio, augmento, & statu poterit advenire. Nemo enim subito morbum evasit sine crisi, si credimus Galeno; multi vero sine hac subito periere*. Sed sub hac differentia, ut, qui ob materiæ multitudinem, crassitiem, aut inflammationis magnitudinem, deficiunt, hi in principio moriantur: qui vero ob imbecillitatem, in falsa declinatione; quæ talis, exolutis viribus, apparet.

Galen. 3. de Crif. 9.

Si ergo crisis est necessario in statu futura, vel parum ante ipsum; bene sequitur, si prima die adveniat status, in illa etiam posse esse crisim. Hoc patet ex Hippocratis & Galeni doctrina. Sed talis erit ex validissima naturæ contentione potius, quam virtute diei; si bene meministis, quod antea vidimus ex Galeno, ut crisis, in quarto futura, in tertio anticipet. Nos etiam quid præter ista vidimus, fortem nempe apoplexiam prima die, ex valida naturæ contentione, critice in paralysim versam, & terminatam; & hoc propria & verissima crisi, subita nempe ad melius mutatione, ex qua à præsentaneo periculo evasit, & nil amplius consequitur illa, quæ in septimo venit, aut in decimoquarto; nam ad melius verti secundū magis & minus, crisis non variat speciem. Hoc etiam attente observavimus in febre satis valida, & acuta, tertia morbi die, aliquando in quarta, hæmorrhoïdas, aut menses erupisse, ex ordine naturæ præscripto, & crisim attulisse, subita ad melius mutatione, interdum ad salutem. Nec ideo inficior, alibi observasse, hæc eadem symptomatis ratione advenisse, nec tempore, nec loco excretionis, nec morbi ratione, in majoris periculi augurium; ut decretoria certe, non decernentia, ab irritatione concitata. Sed illud inter medendum frequenti observatione adnotavi, validissimam naturæ contentionem, si vires non deficiunt, supplevisse indispositionem patientis, & plusquam credi possit, mirabilia opera perpetrasse.

Prænosse etiam, quo in statu sit speranda crisis, & quando sit futura in hac morbi specie, maximi est momenti; quoniam ut status, sic & critica dies poterit esse talis ad morbum, non ad crisim; quia nec in omni statu fit crisis, nec omnis critica dies est morbo singulari decretoria. Quare, si critica, & status signa, non coincidunt, non differas auxilium; ut morbus & occasio postulat: plures enim in hoc Theatro Hispalensi, insulsa spectandi ignavia, quam rapida temeritate vidimus interemtos: quod melancholici, ignavæ cunctationi, falsa opinione, nomen prudentiæ dare consueverunt; forte, ut cunctationis delicta excusarent. Nec ideo temeritatem laudo; sunt equidem æque timenda utriusque pericula; sed occasio inducias ignavæ cunctationi non permittit. est enim cuique modus prudentiæ præscriptus. Nam rapidus occasionis cursus non valet nisi sedula præoccupari diligentia. Quod alicui fortasse temeritas videbitur, ut temerario uti in desperatione auxilio; & utrumque prudentia consuluit, postulavit necessitas, urgentia præcepit; regulari indicatione non coacta, ut plerique dixere: pluries enim elapsæ occasionis pœnitentia nos Archilocos reddidit, quam præceps temeritas insanos.

Veniamus ad signa, quando crisim natura per hæmorrhoïdas, aut per menses intendit. Hæc difficilia Galenus judicavit, non prorsus humanæ solertiæ impossibilia. Hæc sunt Galeni verba, postquam expendit aliarum crisium & signa & symptomata. *Et præter hæc ipsa signa*, inquit, *sunt alia etiam, dum per hæmorrhoïdas etiam crises fieri contingit, & mulieribus per menses: quæ non est impossibile omnino distinguere. Gravitas enim lumborum insolita, & essatu digna, & dolor, & tensio hîc menstrua antecedit. Hæmorrhoïdes vero non omnibus consuetæ sunt. Quibus autem sunt consuetæ, in his solis non facile quis distinguet; & hoc, si aliarum excretionum signa non affuerint. Nam in his etiam signa crisium communia observabis: sed per hæmorrhoïdas in illis tantum, quibus sunt consuetæ.*

Galen. 3. de Crif. 11. & ult. cap.

Ad hoc facit alia Hippocratis sententia. *Ex utero menses*, inquit, *qui judicationem postridie, ut in lumbos, aut femur*; hoc est, ex utero menses fieri solere, & menstruas judicationes postridie, ex quo in lumbos aut femur dolor decumbit. Hæc enim fiunt, quibus non facile menses erumpunt, & quibus, incumbente in uterū humore, antequam reseratis osculis in cavum subeat, tumescunt venæ, aut quæ ex lumbis ad uteri fundum tendunt, aut quæ recurrentes à femoribus in illius os recurrunt.

Hipp. 1. Epid. sect. 1. 13.

Sine aliquo peculiari signo menses judicium attulisse in aliis affectibus præter febrem, nos Hippocrates docuit. *Anhelosæ famulæ*, inquit, *tunc cum vasa sanguinem funderent, in menstruis autem fientibus anhelationes illæ cessabant*. Est enim satis manifestus consensus ex utero ad mammas, & ad pectus, per venas mammillares, per venas nempe secundū rectos abdominis musculos productas.

Hipp. 4. Epid. 84.

Mulier etiam in Pheris, ex capitis dolore nihil auxiliis juvabatur, usque dum illi copiosi menses prodierunt, quo melius habebat: qua experientia Hippocrates adductus, subditis bene olentibus, uti consultum duxit, sumpta indicatione à juvantibus, ac mulierem à dolore liberavit.

Hipp. 5. Epid. 12.

Cleomenis uxor est aliud exemplum febris mensibus judicatæ. Hæc incepit à cervicis & humeri dolore, quibus horror & sudor, gravis tussis, cruenta screatio, pallida multa erat, lingua alba, mediocris dejectio, urina nebulosa; quarto ad noctem venerunt muliebria multa & copiosa, quo soluta est tussis, dolor & screatio. Reor retentionem mensium præcessisse.

Hipp. 7. Epid. 88.

Alia etiam licet observare symptomata & signa in Phelistidi, Heraclidis uxore: *huic febris acuta cum rubore faciei sine causa: eadem die riguit: in pedum & manuum digitis convulsio, minxit nebulosa & dispersa. secundo superriguit. tertio urina melioris coloris; ac eadem hora superriguit, & facta est icterica. quarto, sanguis è sinistra nare fluxit; & muliebria pauca inceperunt, ordinate; eadem hora febris exacerbata. in quinto ad vesperam sudavit toto corpore, & muliebrium excretio. sexto, ad meridiem riguit, sudavit per totum. septimo judicatur perfecte.*

Hipp. 7. Epid. 108.

Plura signa communia hanc crisim præcesserunt, nulla peculiaria: sed illud crisim securiorem fecit; urinæ pepasmo, & ordinate mense incipiente in quarto, ad crisim per muliebria in septimo futuram fuisse præindicatam. Nam licet stilla sanguinis futuram hæmorrhagiam indicaret, vicit mensium præindicatio, quod illi ordinate suo tempore, & morbi, apparerent; & quod

quod illa esset magis naturæ consocialis vacuatio, quam quæ venit per nares; cætera accidentia, horroris, convulsionis, & icterici, æqualiter veniunt ad sudorem, & ad sanguinis fluxum, quam ad menses. In hoc tamen concursu singulari solertia attendes, an menses instare videantur, & dolor ad lumbos, ad coxas, & juxta umbilicum recenter superveniat, & os ad tempus rubore suffundatur; tunc crisim per menses expectare par erit, forte per hæmorrhoïdas, in illis, quibus assolent fluere: & tunc instant suppressæ, forte cum pondere gravante, in lumbis B & in renibus; maxime, si calor & punctio insolita circa anum venis hæmorrhoïdalibus superveniat.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 11.

In Thaso etiam mulier morosa, prima die, ex febre & delirio melancholico insomnis & convulsa, dolores magnos assiduosque habebat: secundo eadem febris magis acuta: tertio convulsiones quieverunt, comatosa; sub hanc noctem sudor multus toto corpore, calidus: quo febris judicatur: dormivit mente constans; in tertio urina nigra, tenuis, & sub judicium (id est, cum subita mutatio incepit,) *menses proruperunt.* Galenus in C Com. *Cur in hac muliere non addiderit Hippocrates, vel cohibitos omnino fuisse menses, vel non perfecte profluxisse, certe miror. Sed, quia abundantia laboravit, est sudore & mensibus judicata, absque ulla malignitatis suspicione. Vrinæ color niger nil attulit periculi, quod retenti menses essent maxime melancholici.* Ex hac historia nos etiam elicimus, nullum fuisse peculiare signum, quo crisim per menses possimus præsagiri; nisi forte addidisset, quod Galenus præsumit: *mensium nempe retentionem, seu illorum imperfectam vacuationem; & dolores assiduos ad femora fuisse, seu circa lumbos, & renes.* Hoc enim menses jam instare portendit. Quod etiam poterat indicare plenitudo, sed satis communi ratione. Ideo forte in hac & similibus, non solis mensibus, sed aliis simul evacuationibus fit crisis, sudore nempe, dejectione, & mensibus proruptis. Ex quo fortasse etiam virgo in Larissa, omnibus simul à febre ardente judicatur. *Nam huic cœpit febris ardens & acuta. Primo die urina tenuis, sed boni coloris, lingua arida. Secundo non dormivit; Tertio alvus multa reddidit, & aquei coloris, & commode;* E *Quarto suspensio in urina non subsidebat; ideo forte ad noctem deliravit. Sexto è naribus largiter multū fluxit, mox sudavit toto corpore multum & calidum, & judicata est. Menses tunc illi primum proruperunt. Perpetuo fastidiosa erat, & horrebat, facie rubicunda, oculi dolebant, & caput grave erat. Dolores diebus paribus erant.*

Galen. Comm. in. Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 11.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 12.

Consulto placuit omnia accidentia recensere, an ex illis constet aliquod peculiare signum ad judicium per menses spectandum: & tantum potuimus eruere, ex veterum, & nostra observatione, communia symptomata & signa omnium F aliarum crisium; sed ad syndromen & concursum reducta illorum, quæ menses jam instare portendunt, etiam judicium per menses aut hæmorrhoïdas præmonstrabunt. Ideo enim Galenus in hujus virginis historia, ætatem puellæ, & humorum copiam, pro signis mensium attulit; judicatamque dicit sexto die, quod dolores in pares incurrissent: ac menses copiosos recidivæ periculum prævenisse; quam par erat spectare ex die infideli. quia dum febricitaret, & judicata esset, menses primum illi proruperunt. Nam A evacuationis præservatio, diebus post judicium, satis erat, ut firmum judicium conservaret, maxime, quia nulla esset pars princeps inflammata, neque maligna humorum abundantia; tamquam, si hæc adesset, nulla esset illius judicii securitas. Illud enim erat certum plethoræ argumentum, (ad quamque crisis speciem indifferens, non ad crisim per menses singulare,) perpetuo in facie ruborem, in oculis dolorem, capitis gravitatem habuisse: tunc enim forti conamine natura grave conatur à se pellere onus; non tantum, quo humores inclinant, sed quo magis patent viæ: seu est major commoditas à foco, ubi illa fervet humoris abundantia. Cætera illius Commentarii non faciunt ad nostrum argumentum.

SECTIO XVI.

De nona & ultima Crisis speciali differentia, per varias excretiones simul, vel etiam abscessus.

Si ad unicam tantum crisis speciem tam graviter exiliunt ægroti, clamant, & conturbantur, tam gravia, confusa, tamque sæpe contraria concitantur symptomata, quænam ad omnes simul sperare par erit? interdum graviora, quando nempe cum bonis mala permixta conturbantur, non bene sequestrata, neque pepasmo domita: si vero patent viæ, & domita & obsequens materia morbifica, expulsioni cocta, jam cedit naturæ magisterio, ab utili, medio coctionis, sequestrata, facillime quovis impulsu pellitur, & D quantumvis cum pugna, semper tamen minori resistentia. Et ideo sæpius observavimus, plerosque per varias simul excretiones critico judicio liberari, nulla insigni conturbatione præcedente. Quod præcipue accidere videbitis in morbis, ubi magis putredo, quam malignitas prævalet; aliter ac in morbis malignis: quoniam malignitas non cedit, neque excretionis, neque naturæ legibus, sed semper sui juris ad nutum operatur; sint nobis puncticula exemplo, adhuc cum critice erumpunt; quam indicibili alismo ægrotus conturbatur, omnis loci & figuræ impatiens? Quot motionibus, ut remediis, utitur? ac nullibi quiescit; cordis angor utraque manu angit, donec cutis universa maculis defœdata conspicitur. Quod etiam aliis excretionibus accidere videmus, in morbis malignissimis.

Veniamus ad signa morbi, saltem illius, ubi ad varias excretiones simul, vel etiam abscessus, & humor & natura inclinat. Quod illis præcipue accidisse notavimus, ubi in diverso foco materia computruit, & diversis humoribus fermentatur putredo, crassis tenuibus permixtis.

Sicuti, simplicium febrium cognitis differentiis, haud certe difficulter, dignoscuntur commixtæ, & compositæ; ut Galenus est auctor; sic pariter, cognitis specialibus speciebus crisis, per signa & symptomata, cuique specialia, & crisis singulari differentiæ gentilitia, ut & morbo & humori congenea, in quibus est celebranda crisis; nec erit operosum, neque valde difficile, varias crisium differentias, per diversas simul excretiones, vel abscessus, vigilanti solertiæ

 præsagiri.

præſagiri. Jam ſingulares vidimus criſium differentias, & quas unaquæque excretiones, amet, vel abſceſſus; nunc oportet, quando ſimul inſtabunt commixtæ & compoſitæ, harum permixta ſigna & diverſa ſymptomata æqua lance perpendere, & virium cujuſque merita ad limam & lineam redigere.

In morbo ergo ſalubri, cum jam inſtat ſtatus, quæ ſigna ſuperveniunt, ſtatus ratione, acerrimo judicio expende: hæc ſunt propria morbi, ſed ſtatus ratione adaucta. deinde, quæ ex alio principio ſuperveniunt, ſed jam circa ſtatum; quæ ſunt proprie critica. Et hæc facile noveris, ſi, quo prævalet humoris & naturæ inclinatio, attendas, &, ſi unius tantum criſis extiterint indicia, (ſudoris nempe aut hæmorrhagiæ) hanc ſolum præſagiri, erit prudentis Medici: ſi vero ad diverſas ſimul excretiones, tu merita expende inclinationum: &, ſi æqualia diverſarum criſium ſymptomata & ſigna obverſantur, diverſas ſimul excretiones, vel abſceſſus, expectare par erit. Quæ quiſque poterit facile recolligere, ſi animum ad ea, quæ dicebamus antea, attendat. In hoc aſſumptu in tertia tempeſtate, in Thaſo, ſic Præceptor loquitur: *quatuor præcipue ſignis in hac conſtitutione ſervabantur. Quibuſdam enim ex naribus ſanguis fluebat, aut per veſicam multa urina, & multum ſedimenti; aut per turbatam alvum, bilioſa tempeſtive, aut dyſenteriæ fiebant. Multis tamen uſu venit, ut non ab uno illorum judicarentur, ſed per omnia plurimi excernerent: qui habuere gravius* (adaucta nempe conturbatione). *Sed omnes, quibus hæc acciderunt, ſuperſtites erant. Fœminis, virginibus, & aliis eveniebant etiam omnia, quæ meminimus, ſigna. Quibus autem aliquod ex his rite fieret, aut menſes largius ſupervenirent, ſervabantur, & judicabantur, nec ex his mortuam ullam vidi. Nam Philonis filia, cum ex naribus ſanguis copioſe fluxiſſet, ſeptimo die intempeſtivius cœnata, defuncta eſt.* Hinc patet, quam facile, & quam gravi periculo natura ab opere laudabili divertatur. Si ſola cœna, plus juſto copioſa, mortis fuit occaſio, in ipſa criſis die, quanto potiori ratione hoc timere par erit, ex magnis artis auxiliis, criſi incipiente, importune adhibitis.

Hipp. 1. Epid. ſect. 2.

Harum criſium, in ſingulari morbo, dum ſimul ſuperveniunt, varia tradidit Hippocrates exempla; quorum ſigna nos reddent cautiores in præſagio, vigilantes in obſervatione, cautos in fallacia, collimando perennes, & in penſando ſignorum merita, prudentiores. Eſt enim ille ad præſagiendum aptior, qui eſt fidelior ponderis prognoſtici æquator. In Methonis hiſtoria legimus, fluxu ventris, ſudore, & hæmorrhagia febrem fuiſſe criſi ſolutam. Veniamus ad harum excretionum ſigna. Hanc criſim antecedit lumborum dolorifica gravitas, capitis gravis dolor, (ſanguinis ad illud confluentis argumentum) per ventrem retrimenta bilioſa, tenuia, (quæ denotant humoris & naturæ vergentiam ad ventrem;) quarto die è nare dextra ſanguis paulatim fluxit, (certa præindicatio hæmorrhagiæ, in ſeptimo futuræ, ſi Hippocrati credimus;) nox gravis anteceſſit, quintam nempe diem, in qua natura criſim incipere decreverat. Anticipare acceſſionem in nocte, criſis mutationem adferre, paucis antea lineis in Hippocrate legimus. Dejectiones proceſſerunt in quinto, ut erant die tertio, & hoc, cum urina ſubnigra, diſperſo & nigro ſedimento; quod certe naturæ miraculo eſt apponendum, aut ægroti vigori, & nihilominus in quinto affatim fluxit ſanguis, ſudavit, & judicatus eſt. Sed à judicio iterum deliravit; forte quod imperfectius, ſeu, ut nos arbitramur, quod urina nondum perfecte cocta. Sed repetita poſtea hæmorrhagia, judicium abſolvit, & perfecit. In Hippocratis mente exponenda nunquam non eſt mirabilis Galenus. *Sanguinis hæmorrhagia, inquit, judicatus, & ſervatus eſt æger; quamvis non omnino tuta ſigna haberet.* Nam, qui omnia ſemper ſigna deſiderat, nunquam præſagiri audebit. *Et cum pervigilio valde magno premeretur* (quod ſemper eſt delirii comes), *præſtantiſſimum remedium te docuit, nempe capitis lotionem; ut in libro de victus ratione in acutis, antea conſuluerat.* Quia, cum pervigilium veniret ex delirio, delirium ex ſanguine retento, dum è naribus non largius efflueret, hæmorrhagiam, ut omnium auxilium, largius provocare conſultiſſimum duxit; ac ideo tepida embrocha ex aqua capitis lotionem imperavit, quo vergebat natura, per loca conferentia: & licet hoc eſſet cum urina incocta atque cruda, evacuationis abundantia ſupplevit, quod cruda in materia ſuppleri bene poteſt: non tamen, dum in malos abſceſſus eſt converſa; ut, quando parvi nimis aut plus juſto majores.

Hipp. 1. Epid. ſect. 3. ægrot. 7.

Galen. Com. in Hipp. 1. Epid. ſect. 3. ægrot. 7.

Hipp. 1. Aph. 21. & lib. de hum.

Cleonactes, variis excretionibus, & abſceſſu, vomitu nempe bilioſo, interdum virulento, dolore, & hæmorrhagia, ac tandem critico rigore, ad quem ſequitur ſudor, perfecte judicatur: ſed non priuſquam urina album & læve haberet ſedimentum; & hoc, per dies criticos uſque ad octogeſimum peculiare in ſignis nil eſt obſervatum. In Pythione, qui urinarum multitudine potius judicatur, illud tantum advertit ad hujus judicii præſagium, à primo ad octavum urinas tenues & decolores præceſſiſſe, quæ ſuſpenſionem habebant nebuloſam, & in majori copia fortaſſe, quam potus ratione. Nam, licet quarto & ſexto bilioſa dejiceret, & decimo ſudaret; hæc tamen nec morbi, nec diei reſpectu erant decretoria: quod eſt valde notandum ad præſagium. Nam in tanta cruditate non erat judicium ſperabile tam cito; ideo in quadrageſimo abſceſſu & ſtranguria judicatur. Quod ſi interdum accidat judicari, ſemper eſt recidivæ periculo; ut legimus in illo, qui in Dealcis horto ægrotabat, qui cum tenui urina in ſeptimo, nono riguit, ſudavit cum delirio & oculo convulſo (omnia decretoria ſigna), undecimo mente conſtitit, à febre liberatur in virtute præcedentis judicii. Sed, quia urinæ erant tenues, & circa judicium, duos dies febris intermiſit; quartodecimo rediit, gravioribus fortaſſe accidentibus; ex quibus abſceſſus ad genua venerunt, decimoquinto; quadrageſimo tandem per varias excretiones & abſceſſus judicatur; & ſuper omnes, copioſo ſudore, præindicato in vigeſimo: virtutes enim criſium, tempore exolvuntur.

Hipp. 1. Epid. ſect. 3. ægrot. 6.

Hipp. 3. Epid. ſect. 1. ægrot. 1.

Hipp. 3. Epid. ſect. 1. ægrot. 3.

Virgo in Abderis, eſt aliud exemplum multiplicis judicii. *Huic febris cœpit, & inceperunt menſes. In ſexto die facies rubuit colore phœniceo. Septimo eadem erant, urinæ tenues, ſed boni coloris. Octavo ſurditas*

Hipp. 3. Epid. ſect. 3. ægrot. 7.

&

& horror. Quartodecimo mens perturbata fuit, febris remißior. Septimodecimo multum fluxit è naribus: surditas deminuta. Vigesimo ei pedes dolebant, surditas & delirium cessarunt, sanguis è naribus erupit, sudavit, & liberata est. Quarto & vigesimo repetiit. Vigesimoseptimo multum sudavit, & iterum judicata est. Incepere menses non copiose fluere; quod fuit raptus occasio in caput, & in faciem. Ideo colore saturato suffunditur; hinc surditas ex humoris confluxu, & horror, ex malignis vaporibus, qui à venis ad ambitum expirant. Sed est gravius ex humore ad caput confluente periculum, si exitus per nares humori denegatur: nam ex retento humore mox sequitur aliquod grave accidens. Ideo in hac mens perturbata est continuo delirio, quod per aliquot dies postea perduravit, usque ad decimumquartum, quo fortasse intenditur: quoniam, cum in die decretoria morbifica causa ex virtute diei moveatur expellenda, si exitum non habet, fit ad pejus mutatio. His igitur diebus gravius intenduntur accidentia, aut in illis fiunt crebri relapsus; ut per has historias longe lateque patet. In decimoseptimo certa præindicatio eluxit crisis, quæ erat in vigesimo futura: nam in illo sanguis fluxit è naribus, cujus exitu surditas imminuitur, causa surditatis evacuata. Quo naturæ conatu in vigesimo natura varias excretiones simul & abscessus intendit, ut se à periculo immunem tueatur: nam in vigesimo ei pedes dolebant; abscessus laudabilis argumentum; quia longe à foco, ad loca ignobilia, quo surditas, & delirium cessarunt; & validiori adhuc contentione sanguis è naribus erupit. Quid multum? etiam copiose sudavit, quo perfecit judicium ad salutem: nam, cum natura ab impedientibus se valet expedire, facile à se omnia projicit nocumenta. Ac ideo coctio in humoribus tantopere laudatur: est enim signum causæ morbificæ omnino superatæ, ab utili discretæ, ac tandem facile cuivis naturæ expulsioni obsequentis. Non itaque mirum videatur, si in unica singulari crisi, & die decretorio, varias excretiones simul natura tentet & perficiat.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 11.

Morosa mulier ex lenta febre turpia loquebatur, & pacato delirio melancholico. P°. die mane convulsiones, & contumax delirium, multosq; dolores, magnos, aßiduosq; habebat. Altero die eadem permanserunt, febris magis acuta. Tertio convulsiones quieverunt, sed magis delirauit, febris magis acuta. Sub noctem copiose sudavit, & liberata est. Circa tertiũ, urinæ nigræ, tenues; suspensione rotunda, & non subsidebat. Sub judiciũ menses copiosi provenerunt. Duo mihi subit mirari in hac febre; ex melancholico nempe apparatu tam breviter ad crisim pervenisse; & magis certe, in contumaci & profundo delirio dolores persensisse. Cessit postea collimationi admiratio: si enim à mensibus retentis, ut à causa mandante, talis apparatus fovebatur, non est mirum, ipsis profluentibus cessisse in auxilium; si vera est illa Avicennæ sententia: *Et cum suppreßio alicujus evacuationis est morbi causa, ejus reditio est morbi medela.* Definit etiam admiratio, phreniticam dolores persentire, si in Galeno legimus, cerebri potentias posse seorsum lædi; nempe Cogitativam, Phantasia illæsa, & hæc etiam, reservata Memoria; ut patet in puero lanifico, & in illo, se æstimante gallum, ac tandem in illo, qui tibicines ex domus angulo ejiciendas exclamabat. Quod certe non est mirum, illæsâ potentiâ dolores persentire, & aliâ delirare; excepto, ubi omnes cerebri mansiones extrema & lapsa intemperies pervadit: tunc enim nulla potest illæsa conservari. Potest etiam dolores persentire, in principio, cum nondum advenit extrema depravatio; si maxime dolorifica causa sensationis defectum intensione superat, tristi sensatione vehementi, seu, dum partem dolentem vehemens lacerat irritatio.

Avicenn.

Galen. 3. de locis affect. 7.

Sed hæc collecta simul in principio, delirium, convulsio, & dolores, crisim in quarto futuram indicabant: nam talis symptomatum acuties & intensio, aut mortem cito venturam, aut crisim, præmonstrabant. Hujus tamen arbitrii judices erant pulsus: nam, si hi constabant, potius crisim expectare par erat; si vero impares morbo & symptomatibus, mortem potius: nigra enim urina tunc tantum est in malis ducenda, cum est extremæ ustionis, aut intensæ malignitatis consectaria. Nam, quando menses instant, cum retentione reddantur melancholici, jure vicinitatis urinæ atro colore fucantur, si non est excusatio in naturæ forti contentione, ut dum aggreditur crisim, etiam melancholicum succum per urinas deturbet; quo nigræ utiliter expurgantur: quod in hac etiam historia est Galeni judicium. Nos fere semper observavimus, præter Galeni mentem, suspensionem illam rotundam in urina, dum à medio sursum natat, delirium portendere, seu humores sursum in caput extrudi, fortasse, quod flatuosa substantia, humoribus permixta, sursum humores elevet. Securius tamen reddidere judicium menses, post sudorem prorupti: nam tenuis materia, aut magis tenuata, sudore expurgatur, crassior verò per menses. Et, ni fallor, menses copiosi fere semper mulieribus extiterunt securius judicium, quam alia excretionis sors: quod in illis semper, quod febris reaccenditur, peculiarem causam sortitur, ex putridis humoribus, qui stabulantur in uteri sentina; quoniam illi, aut febris occasione effervescunt, & efferuntur, aut ultra propriam malignitatem putredinem concipiunt, unde per se, aut per consensum cedunt in febris causam, aut saltem illam deteriorem reddunt; ut etiam accidit, adservatis humoribus in mesaraïcis venis.

Et hæc fuit potissima nostræ tam celebratæ observationis occasio, quæ jam longe lateque vagatur, per universam fere regionem Hispaniæ; in mulieribus nempe, adhuc recte à mensibus purgatis (aliter non est dubium) in quovis morbo, sed maxime in febre, à sanguinis missione ab utroque talo, fore curationem incipiendam: ac deinde, prout petit urgentia, & morbi singularis conditio. Quod etiam in viris, quadam singulari paritate, imitandum feliciter, consuluimus, & ut singularem observationem commendamus; quando nempe febris, seu alius acutus affectus, fortasse etiam diuturnus, supervenit; in viris, qui antea hypochondriaco affectu vexabantur, forte hæmorrhoïdibus, licet adhuc numquam sanguinem fuderint, seu, utcunque aliter melancholicis, in his etiam observavimus, prospere à talo prius sanguinem fundi, non bis tantum, sed sæpius, si ita petit casus, ac postea sanguisugas

 apponi,

apponi, & sanguinem extrahi, osculis hæmorrhoïdarum adapertis. Et si exinde casus ulterius sanguinem mitti postulat, ex brachio, aut salvatella, aliquando ex carpo sanguinem mittere non dubitamus.

Hoc nobis in mulieribus videtur Hippocrates Laconice brevi quadam sententia commendasse, quando dixit; *In mulieribus omnes morbi ex utero*: per se, aut per consensum; ut dicebamus antea. Quod etiam Galenus supponere videtur, non in mulieribus tantum, sed & in viris, cùm in hos morbos incidere videntur, nempe, quando hæmorrhoïdes aut menses cum aliis morbis complicantur; aut quando in his locis est aliqua suspitio humores detineri, cum infectionis aliorum periculo. Hæc sunt Galeni verba: *Cæterum, si retentæ hæmorrhoïdes mittendi sanguinem occasio sint: siquidem cohibere eas voles, quæ in brachio sunt; sin provocare, quæ in cruribus sunt, venas secare convenit. At in iis, quibus repreßi sunt menses, semper in cruribus*, &c. Hancque ipsam aliis in locis prosequitur sententiam. *In locis muliebribus in contrarium trahes, si venas, quæ in cubito sunt, secueris, cucurbitulas mammis applicaveris, manusque calefeceris, aut fricaveris. Derivabis autem, si eas, quæ sunt in poplitibus, venas secueris, aut cucurbitulas coxis applicueris, crura calefeceris aut ligaveris.* Quod etiam, secundum generalia præcepta, & principia revulsionis & derivationis, quis facile eliciet. Hoc verò tantum locum habet, ubi in his inferioribus locis pravos humores coasservari, ac detineri, est aliqua suspitio, ex quibus superveniens morbus foveatur, per se, aut per consensum; aut saltem, si his locis impacti, febris occasione effervescant; aut aliter, cum gravi noxa moveantur. Hoc idem etiam confirmatur supra recitatis historiis, quæ nos docent naturam imitari, si non per eandem viam (cùm non semper sit possibile) saltem quo humor & natura inclinat: hoc enim sagax, & suæ conservationis gnara natura velut digito monstrat. Nam, in Larissea Virgine, & Morosa Muliere, in febre ardente & acuta, sub crisim menses copiosos prolicita, ægrotas ab imminenti periculo liberavit. Quod etiam in viris, hæmorrhoïdibus provocatis inassuetis, nos etiam interdum vidimus observatum. Erit ergo, secundum optimam medendi rationem, eâdem, qua natura, intentione, sanguis ex talo mittendus, in proposito casu. Qui plura, & latius exposita desiderat, legat nostram quæstionem; *An in morbis febrilibus à sanguinis mißione ex talo semper incipiendum.*

Hipp. lib. de morb. Mul. cap. 2.

Galen. lib. de Curand. Rat. per sang. miss. cap. 19.

Galen. 2. ad Glauc. 2. 13. 4. Meth. 6.

Judicium Virginis in Larissa, nulli vacuationi pepercit, & nullam non peregit: illas tamen variæ excretionis antecesserunt signa; *Vigilia, sitis, lingua salsuginosa, urinæ tenues, sed boni coloris. Diem sequentem in labore transegit, insomnis. Tertio alba & multa dejectio, ac per dies sequentes biliosa, quibus commode habuit. Quarto deliravit, & cum urina tenui. Sexto sanguis è naribus largiter fluxit, horruit, ac mox sudavit toto corpore multum & calidum, & judicata est. Postea menses illi copiosi provenerunt.* Et Hippocrates addit; *fastidiosa erat, horrebat, facie rubicunda, oculi dolebant, & caput grave erat. Dolores diebus paribus erant.* Bis repetit fastidium, tanquam futuræ dejectionis signum: nam, à ventriculo ad intestina facile via patet, per quæ confluxus humor facillime dejicitur. Ideo tertio die dejectio incepit, & cum morbi levamine: nam urina, licet tenuis, erat tamen boni coloris; quod in acutis sufficit, secundum Galeni judicium: nam idem valet in tenui humore bonus urinæ color, quod album sedimentum in crasso. Quarto, deliravit, non ex humoris efferata metastasi, sed in signum futuræ hæmorrhagiæ in sexto. Conferamus hoc signum cum aliis, quæ in illa ægrota acciderunt, ut fiat ex omnibus concursus. Facies rubicunda, oculorum dolor, & dolor capitis gravativus, capitis repleti sanguinis, non alterius humoris, est indicium; ex cujus calida intemperie inducitur delirium. Ergo illud delirium erat ad hæmorrhagiam, in hac signorum syndrome; horror erat in sudoris augurium, in fidem illius Aphorismi; *A febre ardente habito, rigore superveniente, solutio.* Solùm mensium eruptionem nullum legimus antecessisse signum; quia fortuito in hac occasione inceperunt; ut Galenus advertit; quoniam virgo erat: nisi forte dolores, diebus paribus factos, de ventris ac lumborum doloribus quis intelligi velit, qui gerunt, ad judicium, vices accessionis: nam, sicut in istis observamus advenire judicia; sic etiam in illis, non tantum in imparibus, sed quoque paribus diebus, prout in his aut illis materia morbifica movetur; in fidem illius catholici theorematis: *Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus etiam judicantur*: sed non æque fideliter

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 12.

Hipp. 4. Aph. 58.

Nicippus raro febris exemplo judicatur per somnum, ac seminis effusionem repetitam. Utrumque fore aliquando ad judicium, in Hippocrate legimus. De somno decretorio, in Prorrheticis. At, seminis effusionem tunc tantum fore criticam, intellige, cum ex forti naturæ contentione, valida virtute, & calidi sanguinis abundantia prolicitur, in juvenibus maxime; aliter enim, virtutis exolutæ est indicium. Sed est maxime crisis, in morbis à pituita. Sic legitur Hippocratis sententia; *Venus à pituita morbis remedio est.*

Hipp. 4. Epid. 130.

Idem, 2. Prorrhet. 29.

Hipp. 6. Epid. sect. 5. 23.

Sunt etiam aliæ crises, quas sola natura novit, quæ fortuito accidunt, neque sub signa cadunt. Est enim aliquando natura miraculorum feracior quam legum. *Eumelus in Larissa, rigidus erat ad crura, & ad manus & maxillas, tarda convulsione. Vigesimo die supinus cecidit, & caput fortiter ad lapidem allisit, vertigo supervenit, & paulo post resurgens, sanus erat, & soluta sunt omnia.* Forte, capite & nervis calefactis ex allisu: forte etiam aliò materia transposita; quod repentina salus magis arguit.

Hipp. 5. Epid. 23.

Cleomenis uxor à lateris dolore acutissimo judicatur in quarto, libera & liberali anacatharsi, & copioso menstruorum profluvio. In Philistide, Heraclidis uxore, judicium legimus per sudorem, per auriginem, per menses, ac per hæmorrhagiam, Videamus signorum concursum ad has excretiones. *Febris acuta prima die cum rigore incepit, cum rubore faciei, convulsio facta est in pedibus & manibus: ac postea incaluit; minxit densa, nebulosa, dispersa. Secundo superriguit, rubor & convulsio mitiora. Tertio urina melioris coloris, & subsidebat: eadem hora superriguit, & intenditur febris, inde sudor, & color ictericus. illa nocte dormivit, & sudavit per totum. Quarto sanguis è sinistra nare bene fluxit, & muliebria pauca apparuerunt, ordinate. Quinto sudor & menses processerunt. Sexto minxit confertim multum,*

Hipp. 7. Epid. 89.

Hipp. 7. Epid. 168.

tum, cum pauca subsidentia. Ad meridiem parum riguit, recaluit, & sudavit per totum. Septimo, sudore judicatur; urina melioris coloris. Ruborem faciei, criticam hæmorrhagiam antecedere, & repetitum rigorem, judicium sudoris, in quaque singulari crisi, sæpe legimus. Nunc videmus, postquam densa, dispersa, & nebulosa minxerat, convulsionem & ruborem mitescere, crassiori materia ad urinæ vias derivata. Sed quia in tertio, urina melioris coloris, quando febris intendebatur & rigor, erat certius sperabilis sudor, ex subita febris mutatione, naturâ ad panniculum carnosum deferente materiam: nam, quo humor & natura inclinat, ibi certe est sperabilis crisis, non tantum per sudorem, sed etiam per aurigineim. Tenuis quippe materia diffluit per sudorem; crassior verò in cute retinetur. unde color corporis universi defœdatur. Et hæc est ratio, quare sudor & icteritia simul & ambo critica observentur. Muliebria, & hæmorrhagia, inceperunt in quarto, & cum sudore pervenerunt ad quintum. Non miror, naturam superantem tot crises simul concitare: nam fit subita in corpore mutatio, & in omnibus membris alteratio, in massa sanguinis universi & omnibus humoribus conturbatio. Ac inde certe accidit, ut cerebrum extrudat, quod sibi grave est, onus, & cor foras propellat, quod periculò angit; (ideo enim in nobis ipsis vidimus, repentino timore aut angustia totum corpus sudare) inde hepar conturbatam & agitatam bilem foras ducit; &, quæ in uteri vasis servabantur muliebria, suo tempore, & loco expellenda, nunc subita mutatione agitata, ordinate aut inordinate, etiam propelluntur. Ac eadem violentia urina sequestrata, per vesicam producitur: ideo in sexto minxit confertim multum; ac alia serositatis parte ad ambitum propulsa, rigor concitatur, & febris: unde copiosus sudor in septimo prolicitur; quo completur judicium. Ex Hippocrate etiam constat, rigorem fere semper criticum sudorem antecedere. Nam præter illa, quæ Aphorismo dixit; sic etiam legitur in Epidemiis: *Plerique enim,* inquit, *circa judicationem obrigebant, & quibus maxime sanguis non erupit, postea exsudarunt.*

Hipp. 3. Epid. sect. 3. 65. & 6.

Hæc sunt luminis & diei pater, quæ longa experientia observavimus, in hoc orbis Theatro, in quorum historia pondus rerum consistit, & curandi solertia libratur. nunc, postea venientibus lampada tradimus: nondum enim observata sunt omnia, quoniam plurima latent in visceribus scientiæ, plura in naturæ arcanis, & in humana solertia non pauca; ut dixit Aristoteles.

Hæc sunt, quæ in singulis ægrotis observavit vetustas, in illo scientiarum theatro Atheniensi; & sic perinde vidimus accidisse. Quæ si medicus præsagiat & prævideat, peregit partes suas: quoniam sunt errores, qui possunt prædictionem fallere, ut & omnia illa, quæ inopinato superveniunt, & extrinsecus incidunt; ut Galenus est auctor, inquiens; *Vt, si domus, tempore crisis, incendio conflagrat, aut etiam latronibus turbatur, fluvio repente inundatur, ut æger fugam capere cogatur. Si tegmen & paries decidat, vel tegula, vel terra copiosa cadat super ægrotum. Vicinorum tumultus, vel triste nuncium. Hæc pro noxæ ipsius magnitudine etiam prædictionis perfectionem corrumpunt: nam, quæ extrinsecus inopinata veniunt, horum nihil medicus præcognoscit; unde nec futuram inde offensam conjicere potest, neque prædictioni, secundum morbi rationem factæ, adjicere,* &c. Hæc Galenus: ac si diceret, quod si ab aliquo horum præsagii securitas illuditur, hoc medico non est imputandum.

Galen. 1. de dieb. decret. 11.

SECTIO XVII.

Continuatur historia, de prognosis fallacia.

Sicelides Musæ paulo majora canamus; usque dum de crisi, quando sit futura ad salutem, sententias expendimus. Nunc de illis, quæ promiscue, & mortem & salutem portendunt, disseramus, exposcit cauta præsagii solertia, utrorumque signorum merita expendentes. Ut ergo hæc felicius practicentur, Præceptorem consulamus oportet. *Medicum* enim *uti solerti providentia,* cum Prognosis historiam inciperet, *optimum* dixit. Hoc verbum, *providentia,* non tantum comprehendit illam partem prudentiæ, quæ media ad finem recte dirigit, & sagaci solertia raptim occasionem captat; sed etiam observationem & analogismum: ars enim utroque ceu pedibus ambulat, ut inter incerta jactet securitatis anchoras. Observatio, sive experientia, est memoria illius, quod sæpius & eodem modo observamus accidere. Analogismus autem, est hujus comparatio, ad similitudinem alterius, quod sic semper evenisse visum est. Quare, in fluctuante prognosi, & incerta, manu nos ducit prudentia, memoria dirigit, reddit cautiores solertia, sed gnaros de futuro eventu providentia. *Est* enim *Pronœa,* Græcis, quæ providentia Latinis (ut 1. de Natura Deorum dixit Tullius) *Vis quædam clara luminis, qua quis providet multis, & multa, ut oportet, disponit.* Ac ideo, cum futura prævideat observatione, enuntiat de futuro eventu. Quod hominum vetustissimi divinum æstimantes, Pronœam finxere deam, à qua omnia in hac orbis sphæra gubernentur. cùm tamen homini insit ex interno rationis principio; si credimus Galeno, dicenti: *Dii nempe ad divinas & humanas artes insatiabili inhiat appetitu, futurorum avidissimus: ac ideo in arte medendi, tum AEsculapium, tum Apollinem æmulatur; rerum esse summã necessitatem, æstimantes, hanc divinam providentiam deos prius edocuisse, quod humana fortasse non sufficeret, ob fatalem capacitatis metam. Hac igitur ratione, artium inventiones, vel deorum filiis, vel quibusdam eorum propinquis, quibus dii inter homines primi artem communicarunt, Græci ferunt acceptas. Ac ideo AEsculapius medicinæ, quam primus, ab Apolline patre institutus, hominibus tradidisse fertur, inventor extitisse apparet. Vt, si quid divinum sit in morbis, abstrusum in naturæ arcanis, hoc etiam divino lumine assequatur.* Hinc fortasse homines, haud sibi posse credere æstimantes, libenter Hippocrati artem vaticinandi, utpote, quem Græci ut deum coluere, detulerunt. Nam, ut alibi dixit Galenus, *nunquam in prædictione aberrare, supra captum hominis est: sed quam minimum, solius artificis.*

Hipp. 1. Prog. 1.

Galen Oratione suasoria, cap. 1.

Galen. in Introduct. cap. 1.

Idem, lib. de Præcog. ad Post. c. 1.

Galen. in Hipp. 3. Prog. 41.

Jam vidimus, in quo consistat præsagii securitas. Nunc merita signorum intendimus appendere, & æqua lance librare, atque jus suum unicuique tribuere: quia eadem signa, sub diverso

merito, & mortem & salutem operantur, cum sunt causæ & signa; cum vero signa tantum, ut manus horologii, dum, horam, & punctum mortis aut salutis præsignant, vias, locum, & tempus, quo est futura crisis. Horum pleraque se Galenus docet, dum morbi aut virtutis excessum consulit, contemplari. Quid? si est magnus, non tamen manifestus, tempus morbi appende, & signorum excessum, non in numero, sed in intentione; (plus enim ponderat unum signum natura sua pravum, quam multa sæpe bona;) Et, si forte in morbo est accessio, aut in parte diei gravius invalescit, cùm jam morbus virtutem superare videtur, moritur in die quo gravior accessio; aut in hora diei, qua sæviora accidentia esse consuevere. Quod accidere solet in illis, qui multitudine, pereunt suffocati; in principio universali morbi, aut singularis etiam accessionis; & in augmento potius, quibus malignitas procacius diffunditur; at vero in statu, quibus liquatur & funditur materia, aut exurenti flamma comburit retorrido marasmo, seu pabulo humidi radicalis absumpto. Si vero æqua lance signa judicium suspendunt, prudens erit in ancipiti alea, suspendere judicium. *Interdum enim,* dixit Galenus, *nobis feliciter apparent aliqua certa signa, interdum vero omnia ambigua sunt: & ideo secundam & tertiam considerationem expectamus.* Et, in hoc statu, attende, ne te juventutis fervor præcipitet, aut senectutis timiditas retardet. mox enim sequetur, in futuro laudabili judicio, laudabilis excretio, quæ te spe citæ liberationis consoletur; aut in pravo, in aliquo membrorum principalium, deteriora signa, ex humori commoto exitu denegato, quo spes retro collapsa ruit. Illud tamen tibi semper salutis spem ferat, adhuc in turbatione multorum & gravium symptomatum, quinimo, adhuc cum pravis signis, si morbus multitudine peccat, & non malignitate, si natura excretionem aliquam intentavit, spes erit, ægrum liberatum iri: quoniam multi per evacuationes, etiam symptomaticas, fuerunt liberati, aliter morituri; ut nobis tot historiæ monstrant, quot antea vidimus recitatas. si à Methonis historia incipimus: nam liberalis & libera vacuatio, amoto impediente, faxit, ut exonerata natura reliquum facilius expellat, aut concoquat, quod concoqui est habile. Tunc enim vere redduntur naturæ morborum medicatrices: sub inæquali, quippe, pondere impeditæ, aut subdola malignitatis fraudulentia superatæ, medicari non valent. in illo enim statu symptomata, certantis naturæ sunt indicia; in hoc vero, non tantum bellantis, sed superantis morbi. Si vero post symptomata, quæ vere critica videbantur, nulla excretio sequatur, si maxime in sexto aut alio die infelici contingit, tunc certior erit metastasis, sive refluxus timor, ad membrum principale; quod forte accidentia indicabunt, dum postea gravioribus malis ægros cumulant. nam, si fiat ad cerebrum, recenti delirio aut cataphora premitur. Si vero ad thoracem, difficillima indicat respiratio; ad cor, impatiens alisinus, cum anxietate indicibili. Quid multum? ex ignota & occulta metastasi nos aliquando vidimus inopinato homines mori, medicis nihil tale verentibus. Nec hoc ulla humana arte præsagiri, quis valet.

Galen. 3. de locis, 7.

De hoc etiam afferamus aliqua Hippocratis exempla, ut merita signorum appendantur. Nobilis est illa prognosis Coacarum: *Quæ criticis diebus una cum frigore jactatio incidit, expers sudoris, mala: & male habent omnes, qui sine sudore injudicato perfrixerint.* En oppressæ & languentis naturæ accidentia, & commota in criticis diebus, ad excernendum impotentis. Quod certi refluxus est indicium: si enim motus humor nequit foras propelli, restat, ut intus refluat, attractus aut expulsus, cum partes mutuo à se pellant, quod motu aut qualitate irritat. Hoc etiam confirmat alia hujus libri sententia: *Qui in febre continua muti jacent, & oculis nictantur; siquidem sanguis è nare stillarit, & vomuerint, ut ex eo loquantur, & redeant ad mentem, defunguntur periculo. quod si nihil horum acciderit, in difficilem spiritum redacti, in brevi moriuntur.* Hæc confirmat sententia, quæ sæpius in hac crisis historia proponitur; nempe, cum humor commovetur, & in partem principem decumbit, si ejus refluentis non datur exitus, quod hoc semper cum vitæ periculo adveniat: est omnis recursus pravus, sed humoris maligni semper lethalis. satis constat ex hac Præceptoris sententia, in febre continua metastasim factam in cerebrum, ex qua nervi reversivi & oculorum musculi convulsi, ac cerebri substantia occupata. Constat etiam, naturam aliquando, omnibus collectis viribus, materiam morbificam extrudere, narium nempe hæmorrhagia & vomitu. Constat ultimo, illa excretione periculo defungi, si partes obsessæ à refluente humore liberentur. Si vero per hanc contentionem natura nequeat ab oppressione liberari, hoc est, si nulla inde sequatur evacuatio, causa, quæ semper in majori copia præsumitur, quam valeat expelli, non tantum ad cerebrum, sed quoque ad cor, aut ad pulmonem refluit; ac ideo difficillima respiratione in brevi suffocantur. Et hæc est ratio, quare in critica die firmiora sint præsagia ad mortem vel salutem, quia scilicet in illis semper humores commoventur, seu ab influxu cœlesti, ut dicebamus antea; seu quia in illis accessio coincidit. Hinc Oecetai uxor ex aborsu & continua febre comatosa, insomnis, licet quinto omnia sint adaucta accidentia, mortua tamen est septimo. Quia commoto humori exitus denegabatur. Et ob eandem causam, mulier, quæ in mendacium foro decumbebat, quartodecimo defuncta est. Et adverte, in omnibus indicantibus & criticis superriguisse, (magnum commoti humoris argumentum) & omnem excretionem fuisse, aut ipso jure pravam, aut non pro morbi ratione. Cyzici mulierem, quæ etiam quartodecimo moritur, advertit Galenus per omnes criticos dies aliquam mutationem pertulisse, ac raptum in caput factum, occasionem delirio dedisse. *In conspicuo porro est,* inquit, *vitiosis humoribus ad caput sublatis, delirium furiosum extitisse, simulque convulsiones insequutas.* Et licet alvus multa & turbata reddidisset, erat tamen malignitatis potius & multiplicis cacochymiæ argumentum, ex icteri consensu, quam ex pravis humoribus ad caput recurrentibus.

Hipp. 1. Coac. 40.

Idem 1. Coac. text. 83.

Hipp. 3. Epid. sect. 2. ægrot. 11.

Idem, 3. Epid. sect. 2. ægrot. 12.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 14.

Galen. com. in Hipp. 3. Epid. sect. 3. Ægrot. 14.

Inter hæc tamen natura, miraculorum ferax, in juvenibus maxime, interdum in robustis, vires per momenta resumit & recolligit, &, facto agmine,

agmine, morbificam adoritur materiam, ut sæpe, licet debilis, ob virium tamen unionem & conatum, aut menses inopinato provocet, utilem hæmorrhagiam, aut sudorem, ita ut, quæ jam omnino videbatur concisa, præter opinionem morbum superet, quemadmodum sæpe luctatoribus accidit. Quod contigisse legimus Mulieri morosæ, & Larissææ Virgini. Sed in hoc etiam alta latet fallacia: nam illa ipsa virtus, quæ ob conatum antea robusta videbatur, solet interdum in ipso certamine concidere, & propria imbecillitate elanguescere, in quo ut effœta languet, subito, inopinatoque succumbit, ut Medicus in opposita judicia trahatur, nec facile queat præsagiri, quo res sit evasura: hominis enim captum multa superant. Ideo prudenter dixit Senex; *Non sunt certæ prædictiones mortis neque salutis.* Quia hominis corpus qua sanabile, quod ut subjectum scientia respicit, oppositis & occultis subjicitur. Nam venenum ad intra corpus genitum, nullo præcedente signo, insidiatur: &, quæ latet in occulto obstructio, improvisa præcipitat, repente necat nobilis visceris corruptela, prava in crisi dum intus repit humor, fatali retrocessu, mors repentina venit; sicut, rupto pulmonis aut pectoris abscessu, veluti in Antipatro. Subita hæmorrhagia improviso interficit; sudoris diaphoresi subito dissipatur cordis nectar; ut in laryngem irruens & subito suffocans destillatio.

Quare, in his unica restat cautio, quæ nos majori securitate informabit, si vero & exacto judicio imbecillitatis essentiam perpendimus: est enim alia per aggravationem, alia per essentiam, quæ nec facile pulsu nec actionibus distinguitur. Nec omnes pulsus inæqualitates agnoverunt antiqui; quantumvis Galenus eas elucidare tentet, per inæqualitatem aut æqualitatem pulsationum. Nam, cum pulsus est essentia debilis, semper est imbecillitas in singulis pulsationibus æqualis; in imbecillitate per aggravationē non est in singulis inæqualis æqualitas: non paucis quippe pulsationibus alia altitudine excellit, alia magnitudine, alia ex imbecillitate vix percipitur, alia est æqualis, alia inæqualis, non tantum in singulis, sed etiam in omnibus simul. Deinde, imbecillitas, quæ in morbi principio apparet, suspicionem auget, fore per aggravationem: quæ vero in morbo jam progresso, per essentiam. Sed hoc potius ex causæ efficacia innotescit: nam malignæ & venenosæ qualitatis efficacia, brevissimo spatio, facultatis essentiam, & actum propriæ virtutis dejicit, longe aliter, ac primarum qualitatum excessus; ut non sit mirum, in maligna & pestilenti febre, prima morbi die vires essentia debiles apparere, & in putrida febre nec ad decimumquartum. Quo judicio, æqua lance librato, certius erit præsagium, ubi vires sunt essentia debiles; hoc enim arguit permanentem & uniformem causam: sed ubi per aggravationem, nulla est in præsagio securitas; quoniam æque natura in accessione, seu quovis causæ motu, suffocationis periculo laborat, ac liberationis in conatu, dum vires expellendo resumit.

vide Galen. 4. de Præsag. ex pul. cap. 12.

Ex nullo igitur principio prudentius elicitur præsagii securitas, quam ex syndrome & signorum concursu, ex quibus una significandi efficitur proprietas. Quod ut ex arte consequamur, nos attendere decet, hæc signa in triplici ordine contineri: alia enim sunt absolute lethalia, & alia salutaria simpliciter; quoniam hæc & illa, & mortem aut salutem in propinquo esse denuntiant, & fere necessario. Et hæc sunt primi ordinis. Sunt alia, cum addito, seu sub conditione, lethalia; aut à contrario etiam salutaria: & hæc non necessario, sed utplurimum afferunt, quod portendunt. Hæc sunt secundi ordinis. Tertia & ultima signa, aut sunt bona, vel mala, respectu illorum, seu cum illis comparata: ideo dicuntur magis aut minus perniciosa, aut salutaria, suntque tertii ordinis. Sigillatim ergo horum omnium afferamus exempla, ut quisque valeat ab his ad alia transire, & ex concursu proprietatem solertia elicere. Supponamus pleuritidem legitimam, cujus omnia signa sint graviter adaucta in principio, cum respiratione celerrima, & pulsus duritie insigni, cum urina nigra, saltem intense flava, & justo crassiori, cum majore pulsus imbecillitate, quam ut superare valeat inflammationem, jam progressam resolutione aut suppuratione, cum pravo, nigro, aut pallido sputo, fortasse denegata anacatharsi: quod si cum his consentiat cacopraxia stomachi aut hepatis, cum insuperabili fastidio, aut excretione biliosa, seu crudorum succorum; signa sunt lethalia primi ordinis, quæ non tantum mortem necessario portendunt, sed in sexto aut septimo venturam: nam ex omnibus simul quædam proprietas resultat, (ut sic dicam) lethalis, quæ vim, mortem significandi, de omnibus participat. Quod si hæc ipsa signa cum virtute accidant robustiori, nec ita sint intensa, nec aliqua superveniat vacuatio, qua speres ægrum liberatum iri; mors ad undecimum seu decimumquartum prorogabitur. Et hæc erunt signa secundi aut tertii ordinis, cum aliis comparata.

Si vero, à contrario, levissima incipiat pleuritis, cum sputo sanguineo & permixto, & ad proportionem reliqua accidentia, cum libera & liberali anacatharsi, in quinto, aut septimo, salutem sperare par erit. Si vero, alia signa lethalia, alia salutaria, in eodem ægroto misceantur, tu numerum & merita cujusque signi expende, ut proferas judicium, prout prævalere videntur, aut pondus, aut merita signorum, ad mortem vel salutem.

Fiat concursus etiam in febre, quæ lento gradu incipit, sed accidentibus, quæ videntur oriri ex alio principio: nam illa, aut febris putredinem sequuntur, aut caloris incendium, aut malignitatem, quæ ex utroque oritur, (nempe tam ustione, quam putredine.) Dimitto partium aliarum consensus, quorum accidentia, aut febris propria deteriora reddunt, aut novis & recentibus ægros cumulant. Si in hac febre prævalet implacidus alismus, & intensior sitis, quam postulet febris conditio, & loco fastidii, cibi abominatio, cum fluxu ventris bilioso, (& est longe deterior, si ad peregrinam vertitur qualitatem; si credimus Galeno) cum animi deliquio quo se vertat ægrotus, & invicta tristitia: ex hac signorum syndrome, utpote primi ordinis, quædam proprietas resultat significandi mortem in prima aut secunda hebdomada: natura enim extremæ violentiæ multum resistere

non

non valet. Ideo, quando excessus est justo major, ex parte morbi, seu ex parte naturæ, aut cito sine pugna succumbit, aut de morbo triumphat, aut in celeritate judicii, aut secura salubritate sine illo; ut Galenus est auctor. *Ideo debiles & parvæ febres, quando valde malignæ, interimunt in in quarto: quando benigniores, in illo finiuntur.* Quodsi relatis accidentibus ita pravis accedat urina cocta, cum albo sedimento, cum tepidis extremis, aut non pro ratione calidis, ac pulsibus fere à statu naturali non mutatis, præsagii judicium confirmant; sed multo magis, si languidi & debiles: nam horum signorum concursus, licet unumquodque aliis morbis sit commune (& adhuc multa simul), facit tamen quandam scientificam notitiam, ex proprietate, quæ resultat ex omnibus, in proposito casu, non tantum ad notionem febris, sed etiam illius eventus & terminationis ad bonum vel ad malum; dum mala signa notabili excessu supra bona præponderant: aut è contra, in bonis. Nam, si febris, sive sit biliosa, sive sanguinea, sola illa fert accidentia, illius humoris gentilitia, licet magna, sed cum virtutis robore, quæ auxiliis cedit; &, si urina per gradus quotidie, in colore, substantia, & sedimento, ad meliorem vertitur; ex hac signorum syndrome, etiam contraria proprietas resultat ad salutem.

Hoc idem licet considerare in phrenitide, dum per gradus vires acquirit eundo, usque dum confirmetur; in lethargo, in ileo, & colico dolore.

Non est difficile, in his morbis simplicibus, has Hippocratis & Galeni regulas observare; licet in illis prodigiosæ limitationes observentur: sed ubi varii morbi complicati miscentur, confusa & contraria accidentia, & morbus, & causa aliquando contraria; quomodo ex hoc contrario concursu, & syndrome signorum, unica proprietas resultabit? Nec tamen in hoc casu videtur impossibilis: nam illa scientifica notitia non oritur ex essentia complicatarum rerum, sed ex proprietate significandi, quæ resultat ab excessu aut intensione morborum, aut symptomatum, quæ ibi complicantur. Quare, si omnium simul signorum (quantumvis confusa videantur) merita perpendas, aut cujusque seorsim, notitia, quæ ex illis resultat, informat intellectum de futuro eventu, qualis sit sperabilis, prout majorem aut minorem inferunt vim naturæ, & pro majori aut minori illius resistentia, ferendi aptitudine; quod constat ex alio principio, nempe, ex ægroti natura, & facultatum robore.

Considera ergo, quod illorum citius periculum minatur: nam inde major agnoscitur urgentia, & illud certe erit, quod infert majorem vim naturæ: seu, quod membrum princeps vehementer alterat aut corrumpit: seu, quod à tota substantia, maligna qualitate, contra naturam pugnat. In prima specie omnia illa continentur, quæ affectus magnitudine aut recessu interimunt: in secunda, quæ commune officium, quo vita carere nequit, intercipiunt. In tertia, venenosa, pestilens, & maligna qualitas.

Sed adverte, accidens interdum tantæ vehementiæ esse, ut, relicto regimine, non tantum morbi, sed causæ, totam ad se vocet curationem,

A periculi urgentia; ut, cum sudoris iniquitas emerserit (si verbis uti licet Garioponti;) quod in vehementi dolore, sopore, & phrenitide observare par est. Causam interdum tali celeritate ægrotum præcipitare vidimus, ut celerius periculum minetur, quam expectet auxilium; ut, quando ita vehemens, ut non speres, illam posse naturam superare, veluti, quando multa seu ita prava corruptione vitiata, ut à naturæ regimine penitus deseratur. Morbus etiam, aut superat excessu, aut malignitate maligna, venenosa, B & pestilens qualitas, citissimum periculum minatur: quia, una cum sit, mortificat, corrumpit, inflammat, dissolvit mixtionem, & comburit. Ultimum vero, quod complet scientificam notitiam concursus, est ipsa contrarietas: nam, dum natura, omnibus collectis viribus facto agmine, diversa & contraria adoritur, in ipso conatu retro collapsa cadit, difficultate actionis superata; dum enim alteri superando incumbit, ita labefactatur, ut, vertens ad aliud, sit ita delassata, ut contrariis simul non sufficiat, si ex hy- C pothesi illa naturam urgent: & inde non est minor periculi occasio. Ex hoc ergo concursu non vulgari solertia elicitur, celerius tardiusve periculum, aut spes liberandi, si proprietas, quæ ex illo resultat, æqua lance libretur.

Ex signis ergo, primi, secundi, aut tertii ordinis, si memoria teneas, non est valde difficile judicium proferre de futuro eventu crisis ad mortem vel salutem. Nec aliter Galenus, quam prædicto concursu & syndrome signorum, proprietatem significandi eliciendo, judicium protu- D lit de illis, quę acciderunt in historiis, quas in Epidemiorum libris commentatur. Sic in historia Philisci, qui die sexto obiit: *Hic merito*, inquit, *periit in sexto, cum, die tertio mortem impendere, qui generalium præceptorum meminit, clare perspiciat. Nam primo die invasit acuta febris, quam sudor excepit: unde non est discussa febris, sed nox etiam gravis fuit. Secundo omnia exacerbata sunt. Vrina tertio die nigra. Itaque omnia, quæ à primo die acciderunt, pernicialia erant. Nā decretoria non decernentia, aut lethalia, aut difficilis sunt judicii: lethalia, si qua iis symptoma-* E *ta vel signa lethalia accidant. Difficilis judicii, si absq; his signa permaneant incoctorum humorum. In Philisco vero signum accidit lethale, quòd ad sudorem, non discutientem febrem, tertio die nigra urina & sitis accesserint, linguaque exusta & arida, & implacidus fuerit tota nocte.* Sed, quod, mea sententia, lethale confirmavit judicium, fuit quinti diei deliramenta, & frigidus sudor, quæ omnia extremorum frigiditas excepit; ex quo ultima nectaris vivifici eclipsis & extinctio portenditur. En, Galen. ex concursu & syndrome lethalium signorum, mortem F sexto die venturam, auguratur. Sic de Sileno, in sequenti historia: *Ille merito periit die sexto, quod in acuto morbo, exitialia continenter ab initio haberet signa & symptomata. Hic non aliter atque ille à principio affectus, tamen ad undecimum progressus est diem, propter virium robur.* Eodem fere signorum concursu Erasinum obiisse legimus in quinto, & ad solis occasum, non in quarto, quia levius habuit prima die. quia tamen omnia signa prava continenter durarent, maxime, cum sudore non decernente, nulla salutis spes erat, imo necis metus, celeriter venturæ. Crito in Thaso, est exemplum

Galen. in Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 1.

Galen. in Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 2.

Hipp. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 8.

Hipp. 1. Epid sect. 3. ægrot. 9. Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 5.

plum mortis, ex pravi humoris retrocessu. Hujus etiam retrocessus exemplum est Calvus in Larissa, qui quarto die obiit. Nam, ut antea diximus, omnis retrocessus ad intus, est ipso jure pravus, sed humoris maligni, semper lethalis. Rationem dedimus paucis antea lineis. idem colligis ex illius historia, qui in foro mendacium ægrotabat: *Huic ex lassitudinibus cœpit febris. Alvo primo die turbata, & cum urina nigra, non dormivit*, forte, ex siti nimia. *Altero die omnia exacerbata sunt: plures dejectiones, & mere symptomaticæ*, (hoc enim notat illud *intempestivæ*) *& inde mente excidit, & exsudavit levi sudatiuncula. Tertio graviter se habuit, sitibundus, fastidiosus, implacido alisimo delirio perplexus: extremæ partes lividæ & frigidæ. Quarto non dormivit. Septimo obiit. Ætatis anno vigesimo.* in hujus Comment. ita Galenus: *Sed unde periculum præsagias, vel mortem? Primo quidem die erat urina nigra. Secundo, paulatim sudavit. Tertio multum se jactavit: at omnibus diebus nil plane dormivit. Atque hæc quidem periculosa sunt. Extremæ vero partes tertio die lividæ & frigidæ, in acuto morbo, lethales sunt: fiunt enim, vel ex viscerum inflammationis magnitudine, vel nativo intereunte calore, &c. mortis vero apertum signum est, extremarum partium livor & frigus, quæ tertio die in morbo acuto, & ætatis vigesimo anno accedunt, &c.* Quod etiam ut lethale signum Volvulosæ Mulieri accidisse Galenus adnotavit. Aliud hujus judicii significatum Galenus addidit, in Pythionis historia, qui supra Herculis fanum decumbebat. *Vel hujus offendes omnia* (inquit) *ab initio symptomata & signa lethalia fuisse, & accessiones diebus paribus, ut ipse indicavit Hippocrates, cum in decimi diei narratione, quo obiisse illum dicit, addidit: Diebus huic paribus labores. Etenim, mortem generale judicii significatum amplectitur, ut est ostensum. Iam observatum in hoc etiam est ægro, ut judicia his essent fere diebus, quibus graviores labores: nam, cum in dies pares inciderent, mors quoque in die est consequuta pari.*

Idem, sect. 2. ægrot. 8.

Galen. Comm. in Hipp. 3. Epid. sect. 2. ægrot. 8.

Ibid. ægrot. 9

Gal. in Hipp. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 3.

Adhuc in horum signorum syndrome & concursu pleraque adnotavit Galenus, (in illo nempe, qui ex relatis historiis colligitur) quæ certius reddunt judicium, securius præsagium, illa nempe fere, quæ perpetuo aut sæpe in ægris spectantur. *Hæc enim, inquit, sola literis mandavi, citra ullam sugillationem horum, qui aut rara, aut nunquam visa tradunt, & falsa omnino. Et talia sunt, quæ in his Commentariis scripsi; ut in hac syndrome & concursu signorum acquiescas, & similibus securius proferas judicium. Nam hæc omnia multum valere in ægris, demonstravi. Si vero, quæ sunt in Prædictionũ libro omnia scripta, quis accipiat pro generalibus, longe hunc lateque erraturum. Hujus etiam generis esse partem eorum plurimam, quæ in Coacis præsagiis sunt prodita, demonstrabam, commixta cum quibusdam, quæ in Aphorismis dicta vel in Præsagiis sunt, cum quibusdam item, quæ in libris De morbis vulgaribus proferuntur. excepto in illis, qui vere sunt Hippocratis.* Ex quibus colligo, securius Galenum æstimare, ex singularibus exemplis judicium proferre, quam ex communibus & generalibus præceptis, non tantum in simplicibus, sed complicatis etiam & morbis & symptomatis; ut ex illa Præfatione clare patet: si illa sunt, quæ frequenter, aut utplurimum eveniunt.

Galen. in præf. lib. 3. de mob. vulg. com. 2.

Præsagii securitas non tantum consistit in statu præcognoscendo, nec in morbi excessu, nec in critica pugna, nec in librandis meritis signorum & symptomatum, nisi simul facultatum tenorem, & imbecillitatem æqua lance perpendas. Sæpius enim nos fefellit validæ facultatis præsumptio satis in posterum futuræ, quam præsentis morbi actualis excessus. Quam frequenter enim in ipsa facultate confisi, nec speramus, nec timemus periculum, cum nos à vana præsumptione deturbat; ne dicam improvisa, importuna fiducia? Sed ingenue fateor, me tot annis studiis insumptis, inter longas experientias, & observationes, in ancipiti alea, regulam nec legisse nec vidisse, quæ nos securos reddat ancipitis fallaciæ. sic enim videtur natura comparatum, quantumvis peculiarem ægri conditionem agnoscere præsumas, accessionum tempora consideres, externa & interna perpendas, ac tandem animi passiones ad lineam & limam reddas, aut de facultatis essentia deliberes: quoniam cedit interdum conatus ad exitium, &, qui magnus eluxerat, inopinato concidit; ut navigia, quæ mane eluxerunt, velis flatu tumentibus subito absorbentur, ex latenti & interno principio, quod omne mentis acumen fugit, & sensus subtilitatem superat. Sic bis diebus vidimus, in hac constitutione pestilenti, homines robustissimos mane domo exire, ne dum virtute valida, sed integra & robusta salute, ac, ut fulmine icti, proximo parieti admoti, subito animam exhalare.

Sed inter facultates, cui magis in morbis febrilibus attendimus, est vitalis facultas, quæ si valida, & in rithmo æqualis, quantumvis febrilis persistat inæqualitas, ad crisis felicitatem spem facit, & ad morbi victoriam, utut valida accidentia in contrarium pugnent. In hoc tamen pleraque nos edocuit continua ægrorum observatio. in hac enim consideravi, sicut in animali, duplex munus, & duplex beneficium: est enim pulsifica facultas in conservationem individui, & cæteris functionibus, membrisque vitalitatem impartitur, unde cæteræ potentiæ etiam vegetantur. Quæ duæ functiones, licet oriantur ab unico & interno principio, sunt tamen inter se diversæ, in actionis termino, & in fine cujusque singulari, licet tendant ad unicum commune, nempe ad conservationem: quo fit, ut una possit lædi, altera illæsa permanente, aut è contra. In hac linea dicam quod observavi. pulsificam facultatem vidimus ita lædi in febre, & non magni timoris, neque in accidentium magnitudine, nec in intensione, ut pulsus tardam raritatem simularet, necessaria vitalitate ita ad necessitatem impartita, ut cæteræ potentiæ, & partes corporis universi, pro sua portione suum munus obirent; quoniam nec in animali, neque naturali facultate singularem læsionem observavimus, præter febrem, & satis moderatam; attamen subito, præter omnium expectationem, æger expiravit. existimo, ex imbecillitate facultatis pulsificæ; hoc enim indicabat illa raritas & tarditas pulsandi, quoniam, in Galeni doctrina, illa est extremæ debilitatis soboles, aut oblivionis, delirio inductæ. Quod cum ibi defecerit, restat, ut fuerit nectaris vivifici eclipsis; aut ex latenti vitio, aut cordis vehementi intemperie,

perie, seu inopia vivifici caloris. Vidimus à contrario alios, pulsifica facultate integra permanente, ex subita syncope expirasse, seu vitalitate intercepta, seu præ atonia omnino exoluta. Quod etiā est commune in Hippocratis & Galeni doctrina. Nam Galenus, in Expositione illius sententiæ Acutorum; *Si quis repente obmutescat, id venarum interceptiones occlusionesque faciunt.* ita inquit: *Hinc epilepsiæ, apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ oriuntur. Nempe illo communi Aphoniæ nomine significata*, &c. *Hæc fieri potest interdum, læsis duntaxat iis, quæ voci efformandæ serviunt, instrumentis, vel etiam iis, quæ respirationi deputavit natura. Potest quoque contingere ob recentem quandam exolutionem & afflictionem virtutis.* Hæc Galenus. Raritas enim & tarditas in pulsu inducitur ex duplici principio; seu, quia frigiditate imminuitur usus; seu, quia invalida facultas non potest movere instrumenta. Ideo tristitiæ pulsus est parvus, languidus, tardus, & rarus. *Tristitia enim*, inquit Galenus, *refrigerat, & calorem intrò concitat.* Frigiditas enim, seu positiva, seu inducta privatione vivifici caloris (ut solet in malignis & ardentibus febribus) pulsus efficit parvos, tardos, & raros etiam; ut Galenus est auctor.

Hipp. 4. de vict. rat. in morb. acut. 23. Galen. Com. in Hipp. 4. de vict. rat. in morb. acut. 23.

Galen. 4. de caus. pul. cap. 4.

Idem, 3. de præsag. ex pul. cap. 4.

Neque minor occulitur fallacia in pulsu intermittenti, quippe in quo quis, facile seductus, mortem præ foribus adesse, facile judicabit. In hoc tamen non est mature tantum, sed lente festinandum. Nam pulsus intermittens, vel à gravi pondere fit, præ pedita ad motum facultate; vel, dum lentore & copia humorum obserantur oscula cordis, vicinarumque arteriarum, quibus trahitur vel mittitur spiritu vitalitas; vel copia osculis affusa; seu, dum oneris instar gravat, vel, dum spatia obstruendo occupat inflammatione aut indurato scirrho; dum corpora, arterias cingentia, & ligant, & coercent, ut prorsus distentiones arceant. Si vero arteriarum tunicis tale malum insederit, est certe grave malum; quod si jam cordis corpus occupat, est malorum extremum; nam tales subito syncope moriuntur: sed, dum pulsus intermittens incipit apparare, tunc gravius metuitur discrimen, quo quiescit diutius. *Sed, cum ad duas pulsationes mox intermittit pulsus, ut arteria manifeste quiescat, haud scio*, inquit Galenus, *an superstes esse quisquam possit.* Quo certe pulsu magis periclitantur & frequentius, qui juvenes, & qui valentes sunt habitu: quia sola in illis valentissima causa valet efficere cessationem motus. Ideo imbecilli & senes facillime servantur, pulsu intermittente; cum minima in illis ad hoc sufficiat causa. In medio sunt pueri, & qui corpore sunt facile transpirabili. Quare, senibus interdum talis fit connaturalis pulsus; & temere pronunciat, qui solo ex pulsu facillime deliberat.

De cæteris facultatibus, naturali nempe & animali, delibera, libratis earum actionibus, seu, quà serviunt officio communi, in publicam nempe utilitatem corporis universi; seu, quà utili proprio operantur, membri scilicet illius, cujus sunt facultates. Nam cibi appetitus, est actio naturalis ventriculi, ut naturalis sitis, in fruitionem ordinata, & huic membro insita, quo utili proprio primario dirigitur; ut & cibi attractio in sui alimentum. Coctio autem, in publicam utilitatem potius, & primariò à natura intenditur, in conservationem individui, secundariò, membri, in quo hæc celebratur; ut chilificatio in stomacho, & sanguificatio in jecore. Idem etiam considera in animali facultate, dum proprio sensorio sensibiles producit actiones, in æstimativa nempe, phantasia, memoria; seu, dum ad extra movendi & sentiendi facultatem emittit, vel illustratione, vel spiritu etiam animali, in cætera membra, sentiendi & movendi capacia. Dum ergo, in acutis, harum facultatum actiones, valde à natura sunt egressæ, quo longius à medio recedunt, ad quod sunt ordinatæ, tanto majus adaugetur periculum: si vero jam sunt in ultimo recessu, imbecillitate in facultatis essentia contracta, non discrimen, sed mors est sperabilis. Sed non semper in illa, quæ per aggravationem comparatur: hujus enim auxilium in forti naturæ contentione aliquando libratur, dum facto agmine, violento conatu, omnibus collectis viribus, à se excutit onus. Horum etiam aliqua afferamus exempla. *Qui frequenter ac fortiter*, dixit Hippocrates, *absque causa manifesta exolvuntur, derepente moriuntur.* Reddit rationem Galenus: *Arguit enim extremam exolutionem & imbecillitatem facultatis vitalis; ut in illo, cui cor palpitabat, qui & repente mortuus, non aliter, ac illi, qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas vocant, corripiuntur.* Ideo etiam, *si rigor incidat febre non deficiente, & ægro jam debili, lethale est.* Quia arguit humoris acrimoniam, si non semel, sed sæpius incidat, & omnium facultatum imbecillitatem, sive sequatur aliqua vacuatio, sive nulla: ab illa enim quod penitus exolvitur; & ab illo quod ab irrito eretismo dissolvitur. Nam ibi vitalis facultas patitur, reciproca caloris latione intus, foras; naturalis, quia nativus & influens calor importuna motione exolvitur; & animalis, quod motibus importunis lacessita, cū aliis consentiat.

Hipp. 2. Aph. 41.

Galen com. in Hipp. 2.

Aph. 41. Hipp. 4. Aph. 46.

Eadem in Coacis legitur sententia, hoc addito in illis, quæ antecedunt & sequuntur, ut; *Si recenti rigori, fractis jam viribus, & non demissa febre, novum aliquod accidens superveniat, hoc desperationem certiorem efficiet.* ut legitur in sexta hujus libri sententia: *Quæ à rigore incidit ignoratio, mala est, mala item oblivio.*

Hipp. 1. Coac. 9.

Sed singularis lapsus solius facultatis naturalis aut vitalis, legitur illa prognosis: *Extremarum partium cita in utrumque mutatio, ac sitis hujusmodi prava est.* Hęc inter febrium acutarum prava symptomata numerantur: nam subito mutari, in acutis, à summo frigore, ad summum calorem, ac à siti vehementer intensa, ad sitis vacuitatem, ut arguit summam causæ activitatem, ita valde lapsam naturæ resistentiam, ac extremam facultatis naturalis imbecillitatem. Nam à defectu sensationis, ad extremum sensus, est extrema distantia, ad quam non itur, nisi per extremas actiones, in proprio sensibili, aut illius actionis carentia. Ideo falso credita sitis levatio, manente causa sitifera, quæ liberali potione non sedatur, nec inspiratione satis frigidæ auræ, nec somno, nec epithemate; male habet ægrotum, qui vel ex dementia, vel emortua potionis appetentia, non sitire se putat. Quod si inde sitis intendatur, aut à summo frigore corpus, aut extrema, ad summum calorem convertantur, hoc

hoc non nisi causa fortissima efficit, quam lapsam facultatem superare est pene impossibile; in angusto enim hujus salus est, quoniam, ad nobilissimæ partis oppressionem, & ad lapsum validæ antea facultatis, accedit perennis morbificæ causæ generatio, perennisque affluxus. Sic legitur in Dromeadai uxoris historia: *Sudor undique frigidus, è vestigio calor illi rediit. Quarto lingua perarida, sitibunda erat. Quinto fastidiosa, deliravit, statimque ad mentem aliquantulum rediit*; (falso nempe credita levatione) *surgebat, mox soporata erat, paululum frigebat: nocte dormivit, postea deliravit. Sexto superriguit, cito percaluit, sudavit toto corpore, extrema membra frigida; inde subito obiit.* Quid enim aliud, quæso, poterat sperari, ex tam frequenti ac cita mutatione accidentium, suo jure lethalium, à quiete nempe ad delirium, à sopore ad motum, à summo frigore ad intensum calorem? *Hermocrates etiam lingua arida & adusta non sitiebat*, (emortua potionis, & postea cibi, appetentia,) unde *moritur in vigesimo septimo. Etiam Mulier, quæ in foro mendacii decumbebat, septimo sugerriguit, febris acuta: Sub vesperum frigus partium extremarum, deliravit*; *postea ad mentem rediit. Octavo ad meridiem rediit calor, sitibunda. Nono omnia quieverunt, postea superriguit. Decimo febris exacerbata: vomuit biliosa: rursus extremæ partes frigescebant, quartodecimo moritur.* Istæ pravæ mutationes, mea sententia, argumenta sunt, aut pravæ alicujus metastasis de loco ad locum, aut extremæ corruptionis humorum, qui versi ad aliam naturam, varia & diversa afferunt accidentia, aut tandem, vehementis alterationis, forte corruptionis alicujus membrorum principalium, aut saltem communis facultatis, quæ ex illis ortū habet. Et sic vidimus, in morbis malignissimis, accessiones ex imparibus ad pares dies mutari; quod utplurimū accidit funesto & lethali judicio; ut in Pythionis historia etiam Galenus æstimavit: *Qui prima die riguit, febris acuta. Secundo extremæ partes frigidæ, magis manus & caput: obmutuit, rediit calor. Tertio refrixit. Quarto rediit calor. Octavo mane obdormivit, mox frigus eum cepit. Vesperi calor rediit, deliravit. Ac decimo frigidus obiit. Diebus huic paribus labores.* Omnia ab initio, & signa, & symptomata lethalia extitisse, indicat non tantum accessiones diebus paribus fuisse, sed per has mutationes advenisse, ob dictas antea rationes: hæc enim cum respiratione exili & imminuta accidunt, cum vitalis moritur facultas, & nativus calor pene extinguitur.

Hip. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 11.

Hipp. 3. Epid. sect. 1. ægrot. 2.

Idem 3. Epid. sect. 2. ægrot. 12.

Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 3.

Et hic est certe diorismus illius Hippocraticæ sententiæ; *Omnino autem malum denunciat, quæ in acuta febre sitis immerito sedatur.* Quæ etiam alia explicatur: *Prava est etiam cita stuporis ad dolorem mutatio.* Quoniam non minus periclitatur, qui hebetudine sensificæ facultatis stupet, quam cum sensatio repente excitatur per dolorificæ causæ intentionem: fit enim de extremo ad extremum mutatio, quam natura sine insigni dispendio non valet tolerare. Illa tamen sitis dicetur immerito sedari, quando causa sitifera præsente, quæ valet sensationis instrumentum excitare, non excitat, nec omnino immutat: veluti, cum linguæ adest scabrities, cum flava & intensa urina, forte etiam nigra & æstuosa, in febre ardente, aut maligna, seu in valde lapsa jecoris, venarum, aut ventriculi intemperie; ut nos in plerisque senibus observavimus, cum prærubra & præarida lingua; tunc enim falso creditur sitis extincta, nisi mente omnino perturbata, aut potius appetentia abolita omnino. Idem etiam suo modo intellige de collapsa omnino ciborum appetentia; idem, de sanguificatione penitus immutata, de qua illa sententia intelligitur: *Icterici multum fœdati pereunt.* Idem de extremorum livore, & frigore, in acuta febre & ardente. Quod idem observare par est, dum in his sine fine profuse fertur alvus, præ retinentis facultatis atonia, nativo calore jam pene defraudato. Hoc in acuta febre ita frequenter accidit, ut alio testimonio non indigeat; sæpissimeque in Hippocrate legitur: *Quæ livent in febre* (nempe extrema,) *mortem nuntiant brevi venturam. Sic in dolore lateris, alvus dum liquidis & biliosis in principio fertur, utplurimum mitescet: si vero postea collapsa appetentia, & cardialgia non sedata, hi,* dixit Hippocrates, *pereunt stertore, velut peripneumonici.*

Hipp. 1. Coac. 82.

Hipp. 1. Coac. 38. & 70.

Idem 1. Coac. 72. Ibid. 73.

Animalis facultas collapsa, in acutis, ut sit mortis præsagium, aliæ sunt sententiæ. Sed, ne te illæ decipiant, adverte, tunc stare præsagium, aut cum ipsa facultas à causæ vehementia, (sive sit malignitas, sive morbi acuties, quantitate suffocans, qualitateve corrumpens) superatur; aut, quando imbecillitas hujus animalis facultatis, fractis jam viribus, à morbi vehementia seu acutie comparatur, & ita est jam in essentia debilis, ut non valeat vacuante auxilio resipiscere. Nam imbecillitati per aggravationem est unicum auxilium, vacuatio, & miraculi instar; ut his diebus vidimus profuisse.

Nec erit à præsenti instituto alienum, referre, quæ in Viro Hispalensi, satis nobili, inter medendum vidimus. D. Lucas de Jaurigi, noto, atque publico genere clarus, in prima juventute, & vigesimo ætatis anno, ex præpostero & importuno exercito delassatus, incidit in febrem satis magnam, de Synochorum sorte, cum urina crassa, rubra, cum pulsu celeri & frequenti, cum aliquo rubore faciei, & cum intensa siti, lingua præ siccitate arida, licet non deficeret ciborum appetitus. Huic prima die clysterem imperavimus, ut ventrem cum attemperatione demolliret; & hoc certe peregit. Insequenti die sanguinis missionem consuluimus, ac de aquis cordialibus, cum tribus granis lapidis Bezoar Orientalis, moderatam portionem accepit, vitæ ordine ad limam & lineam redacto; febris & accidentia in eadem intensione persistebant. Pensatis viribus cum morbi magnitudine, auxiliis cum morbo pugnabamus. nam iterum sanguis ex utroque brachio mittebatur, ad noctem cucurbitulis, scarificatis, & siccis adaptatis, potionibus frigidis fervore temperato. Iam in quarto febris malignior videbatur; nam incepit ad somnum inclinare, ac in decubitu loci & figuræ jam impatiens erat, in tibia dextra velut parvi carbunculi principium incepit apparere, cum nigriori pustula, sed nullo circumdata rubore, nec inflammatione. Et hoc plerisque videbatur ex cruris fricatione advenisse, mihi, ex ustione, succi jamjam ebullientis. Hoc enim fere semper in hac febrium sorte observare nobis contingit, à quarto die partem tenuem in bilem verti, crassam, in

Anno 1636. 15. Martii.

in melancholiam; ut etiam est Galeni judicium; illudque nova suboriente putredine, aut præexistente recenter fermentata, seu novis stimulis adaucta. Post meridiem, & quarta sanguinis missione jam exacta, procacius incepit delirare, sub noctem furiose, insomnem egit noctem, implacido alismo & delirio. Sed, quia malignus humor videbatur deorsum inclinare, carbunculi vergentia, ideo visum est, in quinto sanguinis missionem ex talo è directo instituere; quo facto, summo mane quievit, ac cibum bene cepit. Sed sub vesperam delirium, velut à postliminio, revertebatur; & licet antea raso capiti, communi oxyrrhodino, cum rosacea aqua, & embrocha, cerebrum attemperatum tueretur, revertebatur tamen phrenitis furiosior, omnibus fere potentiis oblæsis: quod de cerebro inflammato semper arguit. & hoc amplius etiam confirmatur nova pulsus duritie, rubore faciei, aridiori febre, torvo vultu, & oculorum lemis aridioribus. Quorum accidentium urgentia nos impulit, ut in sexto vena frontis audacter secaretur; idque Hippocratis consilio, qui in tali casu hoc consuluit, quando dixit: *Derivare, cedentem retrahere statim, renitenti cedere.* In cujus Comment. Galenus: *Vt succũ, qui in affecto membro prius inhæserit, excerni permittamus.* Quo auxilio præsentanee levatus videbatur: nam sedatur delirium ac febris, alacrius se habet ad oblata, bene cibum accipit. In septimo de febris statu, ac de futuro eventu consuluimus. Plura se nobis in ancipiti illo statu obtulerunt: primo, hanc diem, natura sua decretoriam, criticam in hoc ægroto non futuram; quoniam nulla antea præcessit præindicatio, nec humoris, nec naturę vergentia. Et dato, quod in hac die aliquid moveretur ex virtute diei, hoc tamen putavimus maxime fore metuendum, quia nulla antea fidelis coctio antecessit; & cerebrum, intemperatum & debile, fortasse recepturum, quod natura symptomatis ratione extruderet: ac ideo posse indicatum à morbo auxilium celebrari in illa die critica, quod talis huic morbo non esset. Cuidam consulentium visum erat, sanguinem ex talo mittere, ut longe revelleret, quod futurum timebat, & ad fluxionis originem retraheret. Alteri videbatur, humorem intra venas majores venenosa putredine contineri, ac cerebrum adhuc intemperatum esse, & recipere eum, ac receptum non mediocrem urgentiam præ se ferre, ideoque sanguinis missionem, ex carpo manus, amplius & celerius auxilio futuram. Vicit prima sententia, & ex talo sanguinis missio instituebatur. Quid inde? Insequenti nocte furiosius delirium efferatur, phrenitis reaccenditur, subito obmutescit æger, ac sensus motusq; apoplectico modo penitus abolentur. quod nos inde advenire putavimus, apoplecticum nempe accidens ex adaucta cerebri inflammatione advenisse, ventriculis tumore obstructis, in se ipsis etiam conniventibus; ut solet à crassis & lentis humoribus accidere. Ac ideo statuimus, celerius à parte vacuandum, quod in ipsa continetur, inflammatum; imperavimus igitur, prius siccis cucurbitulis aliquid revocare, & binas scarificare ad humeros, & juguli radicem; si non revocaretur, super nucam apponere ventosam, illamque altioribus scissuris penetrare: & ita factum est, quo etiam oppressum exoneratur cerebrum, ac animalis facultas resipiscit, licet longe lateque delassata. hinc mente constat, alacrius se gerit, ac spem facit cito revaliturum, & levioribus auxiliis, ac cordiali potu, attemperatur, & instaurantur vires parco cibo, sed validæ substantiæ. Cum adhuc febris non cederet, & aliquid delirii, sanguisugæ hæmorrhoïdibus apponuntur, & quatuor unciæ sanguinis extrahuntur. Usque ad duodecimũ hæc gesta sunt. In decimotertio iterũ incepit delirare: & à duodecimo inceperunt ventris excretiones liquidæ, biliosæ. In decimiquarti principio excretiones continere non potuit, præ atonia virtutis naturalis: ac tandem diaphoritico sudore apoplecticus, animam exhalavit, cum totius civitatis dolore. Omnia signa & symptomata à principio extitere lethalia, & maxime, nil auxiliis levari. Ut non sit mirum, facultatem animalem, ita ad ultimum debilitatis actam, cæteras trahere in fatalem consensum. Illud etiam asterisco dignum existimavi, in utroque decretorio, septimo nempe & decimoquarto, motum ad perniciem fuisse: quoniam, cum ad criticum motum vacuatio non sequitur, fit ad membrum principale decubitus, ex commoto humore, maxime, si aliquod est debile; ut in hoc ægroto tale fuisse contigit.

Hip. 6. Epid. Sect. 2. text. 8.

Gal. Comm. in Hipp. 6. Epid. Sect. 2. text. 8.

De imbecillitate animalis facultatis, ex acutie morbi, hæc legitur sententia: *Quibus, jam morbo fractis, videndi vis aut audiendi perit, aut accidit labiorum, palpebrarum, perversio, mors instat.* Tunc maxime, cum nulla crisis est sperabilis, aut cum ex critico motu, in die, naturâ suâ decretoria, nulla sequitur vacuatio; imo, refluente humore, aut facultas in radice corrumpitur, aut lapsa, instrumenti intemperie, fit essentia debilis, (cum omnis immodica actum propriæ virtutis dejiciat;) aut, dum facultatibus, vitali & naturali, collapsis, trahitur in consensum: quia vitali vigore, & vegetatione naturali deficiente, mox collabitur movendi & sentiendi animalitas. quod certius metuere par est, quibus morbo jam fractis illud accidit, sive ex causæ inveteratione, sive malignitate, accidentiumve magnitudine aut complicatione. Ac inde, (ut in alia sententia legitur;) *quæ cum exolutione veniunt vocis carentiæ, pessimæ.* Et merito sane, nam aphonia, quæ venit ab exolutione, aut caloris nativi extinctionem arguit, unde paupertas materiæ vocalis; aut summam facultatis motricis imbecillitatem, unde vocalium instrumentorum & modulationis impotentia. nisi sit vocalis, & dialecticæ articulationis excusatio, in nervi reversivi mollificatione singulari, aut vocalium instrumentorum retractione: quæ certe non ita cito necant, imo producti morbi sunt indicia. Ideo *deliria cum fixa virium exolutione funesta* dixit Hippocrates.

Hip. 1. Coac. 38.

Idem, lib. Coac. Sect. 8. text. 1.

Hip. 1. Coac. 105.

SECTIO XVIII.

De falsa ægri levatione: ac de signis, quibus fidere non oportet.

Innumera sunt mortis signa, dixit Plinius, *salutis autem nulla.* Secura & fidelia intellige. Est enim certa prognosis, sicut perfectus numerus, quorum unus in quolibet centenario invenitur; & incerta, sicut adulterinus, is enim in quantum-

Plin. 7. Nat. hist. 51.

vis

vis magno acervo adulterinus est. Quoniam, cum prognosis ex signis comparetur, & hæc incerta per ipsa morbi tempora reddantur; nam eadem diversa & sæpe contraria significant; nil mirum, si in acutis sit parum certa prognosis: est enim in illis facilis de extremo ad extremum mutatio. Syllogistica tamen signa, utpote quæ sunt morbi propria, illiusque essentiam proxime sequuntur, plus præsagio conferunt quam verisimilia. deinde, quæ sunt inter se consocialia in eadem specie, quam illa, quæ dissentiunt inter se: ex illis enim una significandi proprietas resultat, non ex his.

Sed adhuc illa, quæ proprie significare solent, syllogistica signa, licet bona, irrita tamen sæpe fiunt ex eventu; ut sputum laudabile in pleuritide, quod dolorem non sedat, ob rheuma concitatum à capite ad pectus. Hoc etiam nos aliquando vidimus, liberali anacatharsi, & febrem, & dolorem intendi. Quod si in hoc statu pravum quoddam signum accedat, quod certe emendari non possit, plus ponderat, quam multa alia bona, ex alio principio. Sit nobis exemplum, lividum, flavum, aut pallidum sputum, cum alvo liquida & profusa, præ hepatis atonia; & ex alio principio, sit urina subflava, cum hypostasi forte, sedimento laudabili, & pulsus sit mediocris vigoris, optimeque se gerat æger ad oblata in cibo & potu, nec ulla læsio in potentiis rectricibus appareat, quinimo, justissima œconomia mente constet; quale tibi erit præsagium in hoc casu? mortem potius præsagiri, quam salutem, erit ad artis principia & præcepta: quoniam illa sunt prava signa, hujus morbi propria, & proxime essentiam sequuntur; cætera vero possunt irrita fieri ex alio principio: quoniam urina est ex venoso genere, stomachus & cerebrum possunt esse illæsa, & pleura pati potest necrosim, & gangrænam, & hepar affici ultima cacopraxia, per se, aut per consensum. quod ad certitudinem præsagii sat est. Dicam, quod ipse vidi, in alio exemplo, sed simili casu. D. Franciscus de Silva, Nobilis Hispalensis, cœpit cum lenta febre, prorsus intermittente tertiana, capitis dolorem pati & alisimum, & bene ad oblata se gerebat, cibum potumque avide capiebat; ac ita bene constabat judicio & cæteris potentiis, ut superiorem discursum superaret, nemini cederet prudenti œconomia. Urina in colore, substantia, & sedimento, statum naturalem non excesserat, neque pulsus in vitali vigore interim deficere visus erat. accurate tractatur, ac vigilanti solertia medetur, ut febris & hominis conditio postulabat. Sed à tertia febris accessione inceperunt extrema frigidiora reddi; unde de malignitate suspicari incepimus, (vagabatur enim malignarum tertianarum constitutio, prorsus intermittentium.) Die subsequente tepida perstiterunt extrema, saltem non pro ratione calida. Quarto vero, accessione incipiente, reddebantur veluti gelu frigida, ac per totam accessionem talia, imo, ulterius ad brachia & femora ascendebat frigiditas. Quod certe signum unicum & solum, ex febris malignitate ductum, ita cætera symptomata & signa superavit, ut, cæteris æqua lance libratis, cum pondere & meritis hujus signi, hoc facile totum pondus præsagii secum duceret, meritis aliorum superatis. mox ideo

Galen. 1. de Crisib. 13.

Anno 1638.

A ægrotum moriturum prædiximus, quantumvis bene mente constaret, & adstantibus diceret, se nihil mali pati, vitalique vigore se validum sentire. Cum hoc tamen in diei septimi fine, cursum vitæ peregit. Nam vitali vigore dissoluto, cæteræ potentiæ, veluti necessaria connexionis consequentia, facile collabuntur. Licet enim in hac calamitate, œconomiæ naturalis integritas persistat, animalisque vigor & perfectio; hoc tamen ad spem tantum facit, non ad securitatem: nam contumax vitiū, quod superari nequit, dum vires B acquirit eundo, adhuc nutantem spem adimit.

Alia etiam conditio in signis prærequiritur, ut sint fideliora ad salutem, non iis tantum, sed in illis, quæ morbi tempora designant, aut de morbi eventu fidem faciunt; ut nempe semper appareant, continuo, neque sint intercisa, neque immerito sine causa adveniant. De hoc nos etiam habemus exempla apud Hippocratem: & in ipsa experientia testimonia. Hippocrates inquit: *Quæ ex improviso, immerito, paulisper urinæ concoquuntur, pravæ, & quidquid immerito coctum est, in acutis.* Et C ad singularia descendens, sic dixit in Prorrhet. *Vrinæ, in parotidibus, quæ cito & paulisper coquuntur, pravæ, & sinistri judicii*: comment. Galenus, *quovis acuto morbo.* Nam, dum cito & paulisper concoquuntur urinæ, non tantum improviso, sed immerito, non satis constat, domitam esse morbifici humoris, aut mali dolorifici feritatem, propterea falso credita levatio putatur, & merito reversio timetur. Cum enim coctiones per suos gradus fiant, & tempore, & loco, non est credibile, tam cito ab eximia cruditate edi posse pepa- D smum: sunt quippe in illa certi gradus, ut primo, coctionis inchaotæ, secundo, manifestæ, & tertio, perfectæ. Erit ergo insidiosa hæc repentina coctio, connotans nempe, aut naturæ conatum, qui mox cecidit, aut ex reliquiis alimenti derelictam, aut naturam succumbere in pugna, aut tandem, in heterogenea materia diversas actiones, dum benigna & tenuis cedit naturæ concoquenti, feritate indomita, natura, aut putredine, & crassior fortasse reluctatur. Ideo coctæ urinæ, quæ in eadem die, saltem sequenti, fundun- E tur crudæ, aut ex pallido colore, aut aqueo, mox saturatæ veniunt, aut funduntur, sunt signum invalescentis morbi, aut fatiscentis & oppressæ naturæ: nunquam enim de bonis prava fiunt auguria, neque bona de malis. Fit etiam illa cruditatis & coctionis vicissitudo, nova succrescente cacochymia, ex imperio & dominatu morbi, seu, dum amplius materia morbifica corrumpitur, seu, dum putredo, ulterius per intactos antea humores epigenesi serpit: nisi sit excusatio in cibo & potu, quæ incaute sumuntur; quæ solent co- F ctionem turbare: sed alio discrimine; nam, si hæc vicissitudo adveniat, nova succrescente cacochymia, & ex morbi imperio, symptomata aderunt insueta, quę antea non aderant, forte præexistentia adaugentur. Quæ mutatio cernitur, in nova morbi aut humoris metastasi, ubi non erat sperabilis crisis; aut, si in die critica nulla sequatur vacuatio. Quod si in hoc statu pravum aliquod accidens recenter superveniat, ne æger in medio deficiat, metus erit. quod si plura & mala, mortem cito venturam metuere par erit; tanto celerius, quanto major fuerit symptomatum

Hipp. Sect. 3. Coac. text. 11

Idem, 1. Prorrh. Sect. 3. 61.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. Sect. 3. 61.

urgentia, aliter, tanto tardius. Si vero bona signa æqualia sint malis, utrorumque merita æqua lance librari, est solius artificis, ut etiam terminum præfinire, an septimo, nono, aut decimoquarto sit finiendus morbus; quo omnes acuti morbi solent præfiniri.

Hinc elicitur ratio illius Hippocraticæ sententiæ, quando dixit: *Quæ cum pravis signis mitescunt, aut cum salutaribus non concedunt, contumacia sunt.* Æque enim periclitatur, qui repente factus est coloratior & speciosior, ac qui repente facie Hippocratica defœdatur. nemo enim est omnium, qui de seipso possit esse securus, si ante vigil, nunc soporetur, nunc sitiat, antea sitis expers, sine causa. Sint nobis exempla, duo adolescentes, quorum alter febre omnino perfunctus videbatur, cum urinis tenuibus, & nigris. Et alter, cum ventris profluvio prærubro, & aqueis urinis, quo curationem febris lentæ recepit. Sed uterque interiit. quoniam utrique in vitio insanabili partes erant, quarum potentia vita carere nequit: in illis quippe ante malum non proditur, quamvis effœta lanqueat, ex diuturna morbificarum causarum impressione aut inveteratione; sicut in hydrophobia, Elephantiasi, & etiam veneno intus genito. Quod etiam experimur in maligna febre, & pestilenti, ut, in diabete, in quo non ante sitis proditur, quam malum insanabile; & in omni valde lapsa, aut habituali membrorum principaliam intemperie. Sic est suspectus lethargicus, qui immerito ad vigiliam permutatur, & garrulus, qui repente silet, ut &, qui ab effreni delirio repente conquiescit, qui ab exurenti febre repente febricitare desinit. Nam hæc levatio falso credita febris, solet esse imbecillitatis facultatis vitalis consectaria, quæ ante celerem & vehementem pulsum ostentabat, nunc fatiscente vigore vitali dissoluto, & usu fortasse imminuto, fit debilis & tardus, humido primigenio febris violentiâ exhausto, ut febre carere videatur, falsa levatione. quod nos aliquando observavimus. Illa etiam est suspecta levatio, si à crebra respiratione subito permutetur ad raram. sic Philiscus tertia die visus est apiretos, cum nigris urinis; at in sexto interiit. Visus est Pythion levari quarta die, decimo tamen obiit. Hæc omnia Præceptor comprehendit celebri in oraculo, quando dixit: *His, quæ non ex ratione levant, non oportet fidere; neque multum formidare mala, quæ præter rationē eveniunt: talia enim stabilia non sunt.* Sic Galenus hanc exponit sententiam: *Cum morbus invadit vehemens, & mox subito quiescit, non modo per sudorem, aut vomitum, aut alvi excretionem, aut profluvium sanguinis, corpore non evacuato* (hoc enim est, non ex ratione levari) *sed ne viso quidem signo coctionis,* (sic enim solet natura medio coctionis superare, ut medio excretionis devincere:) *existimandum est, signum infidum talem quietem esse: sicuti etiam, si quis præter rationem spiret difficulter, vel deliret, vel febricitet vehementius, vel magno rigore corripiatur. Nam & hæc quoque firmitatem non habent: tantumque abest, ut malum aliquod significent, ut nonnunquam bonum judicium, haud ita multo post futurum, enuncient.* Quomodo autem hæc oporteat dignoscere & prægnoscere, ex antecedentibus petendum est. Nam si circa criticam diem superveniant, in morbo salutari, ubi est sperabilis crisis, potius sunt ad crisim; si vero repente, morbo non præcedente, ex cujus radice illa possint oriri, formidanda non sunt. Ut nos his diebus observavimus. Repente nos magna turbatione vocarunt ad ægrotum (de quo talia præsumere indecens videbatur:) hic in alto sopore jacebat, obmutescens, nec vocatus nec punctus aliquid sentiat cogi potuit, ut apoplecticum omnes existimarent. Quid multum? oblivione fere non respirabat, nisi per intervalla, difficili & conciso spiritu, pulsus erat cum quadam vibratione altus. Considerationes diversæ nos in opposita & contraria traxere judicia, usque dum, libratis meritis accidentium, & quæ colligi ex confusa relatione potuerunt, (nam præcessit convivium) super illius caput viridia vitis folia mandavimus imponere; æstimantes, talibus accidentibus illa breviter auxilio futura, ut canis rabidi morsui ejus pila. Et ita vere cessit, ut nocte non exacta, evaporationis causa calore dissipata, facile resipisceret. Nam ubi ad horam pervenit, qua crapulæ solvuntur, vocem recepit. ut Hippocrates loquitur.

Illa vero levatio, quæ sine signis accidit, in morbo acutissimo, sive etiam natura sua pravo, aut pravam metastasin, aut naturæ oppressionem, arguit: ut, si vehemens dolor, aut suffocans angina, subito delitescat. In angina, ad intus recurrente, nos vidimus, difficilem respirationem subito ad meliorem mutari, ac deglutiendi difficultatem subito evanescere. sed inde materiam ad pulmonem verti, & à tertia die ægrum difficulter iterum respirare, veluti Ortopnæa, ut inde anginosus, oborta pulmonia, in septimo, nullo proficiente auxilio, deficeret. Hoc Hippocrates etiam multis antea seculis adnotavit. *Quicunque ab angina liberantur,* inquit, (sine causa immerito, intellige,) *iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt. Si vero has effugerint, suppurantur.* Melius legit Fontana; *quibus ex angina ad pulmonem mali fit conversio,* &c. Hæc enim lectio retrocessum maxime adnotare videtur. Sed adhuc restat dubium, quare talis retrocessus contingat? nos enim anginam sæpe vidimus, cum ulcere & inflammatione, aut cum utroque seorsim, neque ad pulmonem verti adnotavimus. quare, quando convertitur, par est, illud accidere ex aliqua speciali causa. Hanc nos inter medendum adnotavimus, nempe, in illa tantum angina accidisse, cum suffocationis periculum instaret, præ magna humoris abundantia, antequam tota materia esset musculis impacta, sed adhuc fluctuaret antecedens, licet multa imbibita. Hoc etiam postea ad literam interpretatum legimus in doctissimo Valesio & Salio, qui talem ab angina recursum ad pulmonem, in sola suffocante accidere existimant.

Salutaribus signis etiam morbum non cedere, arguit contumaciam, dixit Hippocrates. Hoc quoque attentionem petit; nam effectum videmus, causa penitus ignoranta. Quam frequenter enim videmus, adhuc cum urinæ pepasmo, febrem intendi, & saltem non remitti? Nonne coctio brevitatem ac securam salubritatem ostendit? Nonne effera humoris conditio coctione mitescit? ita sane: sed in morbis interdum varia, & sæpe contraria complicantur, ut non sit mirum, si ex oppositis principiis contrarii effectus producantur. Detur,

Hip. 2 Coac. 51.

Hipp. 2. Prorrhet. Sect. 1. 17.

Hip. 2. Aph. 27.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Aph. 27.

Hip. 5. Aph. 5.

Hip. 5. Aph. 10.

tur, quod in pleuritide, pulmonia, aut asthmate, prospere eant vitalis & naturalis œconomia, & A sit valde lapsa, ex alio principio, animalis, ex cujus impotentia non valeat libera & liberalis anacatharsis duci, in cujus expurgatione salus hujus morbi consistit: in hoc casu, licet urinæ pepasmus spem ferat, & cibi appetitus non deficiat, neque vitalis vigor, plus tamen ponderat hoc partis obsessæ signum ad perniciem, quam cætera bona ad salutem, si votis non respondet expurgatio adhuc materiæ laudabilis & coctæ. Et idem intelligimus, si sputum partis corruptionis suspicionem adferat, si pallidum, aut lividum, seu, B si pars alia princeps patiatur, cujus officio vita carere nequit, quæ reliqua consensu coafficiat; ut, si præ hepatis atonia, fluxus ventris in hoc casu accedat: & licet adhuc votis respondeat expurgatio, quantitate omnino expetenda, doloris tamen vacuitatem non ferat, hic etiam spes est in angusto: quoniam perennitatem arguit materiæ, ex alio principio prolapsæ.

Idem accidit in febre, cum urinæ pepasmo, sive intermittente, sive continua, quando nempe accidit, ex alio principio, perennis morbificæ C causæ generatio, & perennis affluxus, dum ex causarum inveteratione, in aliquo membrorum principalium altior radicatur intemperies, seu, dum continua & perennis putredo, ex altius radicata obstructione, quotidie perennem causam suggerit. Sed perennem affluxum magis indicant urinæ saturatæ, & flavæ, & rubentes. obstructionem vero, cum fere naturales colore & substantia, quando aliæ partes sunt in vitio; nec est focus in hepate & venis. In parotidibus etiam, cum urinæ pepasmo, non est fida securitas, imo, D in illa sæpe latet fallacia, si maneant suppurati expertes, & pravus superfit corporis apparatus: quoniam aliæ ad pulmonem vertuntur, aliæ ad gangrænam, aliæ præfocationis periculo laborant, aliis tandem fit funesta palindrome ad cerebrum transitu aut progressu; nisi forte natura per ventrem aut urinam laudabilem excretionem moliatur. quarum terminationum nulla sunt certa signa; quoniam natura, valida contentione, sed motu plane dubio à se excutit onus, &, quo valet, extrudit, si antea forte non succumbit à E malo superata. Quid multum? Nec adhuc suppuratio in parotide periculum excludit, si est venarum cruditas. Frustra enim particularis suscipitur pepasmus, si in universo sint cruda excrementa: hæc enim, aut contumacia, aut immanitate accidentium, solent periculum afferre; ut Pictoris ancillæ, & Cratistonactæ, qui apud Heraclium habitabat; ut in historia generali adnotatur. Singularia quædam & rara dixit in hujus Comment. Galenus, adnotavit Hippocrates. Ita inquit Galenus: *Parotidas citra suppurationem, cu-* F *rationem excretionibus per inferiorem regionem accepisse, exemplum parum frequens est. Ejus tamen novitatem excedit, quod in hoc sermone scripsit, Cratistonactem, & Pictoris ancillam, cum tubercula secundum aures suppurassent, periisse. Sed hoc ideo accidit, quod causæ febrium, quæ intra venas continebantur, non erant concoctæ Cratistonactæ, & ancillæ Pictoris, aliter enim non obirent. quoniam bene potest in parte quapiam privatim coctio adesse, toto morbo non concocto.* Hæc Galenus.

Hip.1.Epid. Sect.2. text. 84.

Gal.Comm. in Hipp. 1. Epid.Sect.2. text.84.

Si vero detur morbus, cujus sola idea pendeat, sive ex multitudine, sive ex cacochymia, qui non sit suo jure lethalis, sed dubius ad crisim, vel ad mortem; in hoc plura salutaria signa superant unum, natura sua pravum: quoniam nulla facultas est insigniter læsa. Et tunc natura valida, omnia pericula contemnit, quando supra se ipsam elevata, & à valido impediente non detenta, toto suo imperio operatur; tuncque illius opera plus habent admirationis quam fidei. Aliter ac in morbo lethali, aut saltem acutissimo, ubi unicum signum, natura sua pravum, superat multa bona: quoniam in illo omnes pene facultates insigniter læduntur, ut signum illud pravum significet, superari unam ex illis facultatibus, quæ facile reliquas sympathiâ in consensum adducat, cum omnes sibi ipsis ad invicem ministrent, & consentiant, in fine, & opere communi.

Hoc interdum accidit in principio morbi, aliquando & morbo jam progresso. Nam, quando in principio à summo incipiunt gravissima symptomata, quæ deberent esse leviora, arguunt repentinæ generationis inveterationem, ex causa, quæ paulatim & subdole ante morbum suas impressit vires. ut in Thasia muliere, quæ subito obscure deliravit, & invicto delirio occubuit. Ut in phrenitico, qui à principio virulenta vomuit, & in tertio periit. Ut etiam in illo, cui pes doluit, subitoque ad caput recurrit, & mortuus est tertio. *Est enim horum morborum* (dixit Galenus) *admiranda generatio, quonam pacto commode valentes subito invadat. Neque enim sicuti earum generatio subita est, ita & generationis causa: ut in bestiæ morsu: sed pedetentim in corpore causæ, quæ sunt excitandis hujusmodi malis, crescunt; veluti fera rabie, &c. Sic in phrenitide vitiosus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali haud absimilis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens: quæ quando vitio jam aliquo pacto oportuna erant, humorque evaserat malignissimus, lethale repente apparuit symptoma. Ideo statim vomuit virulenta: quod febribus adurentibus fere est consequens.*

Hip.3.Epid. sect.3.ægrot. 2. Idem, 3. Epid. sect 3. ægrot.4. Gal Comm. in Hipp. 3. Epid.Sect 3. ægrot.4.

Hoc etiam confirmatur celebri illa Coacarum sententiâ: *Quæ in phreniticis à principio manifesta symptomata crebro huc & illuc cientur, mala.* Hoc enim cernitur, cum feritas causæ phreniticæ, jam antea genitæ, subito peragrat omnes cerebri mansiones; ut in cæteris morbis acutis, orgasmus furiosæ materiæ mutationibus creber est, creberoque facit ab una parte in aliam transcursum, cum materia est substantia tenuis, qualitate acris, temperamento calida. Quæ omnia, in summo jam adaucta, non fiunt à principio, sed cum jam generata præcesserunt, per ustionem, aut per malignitatem. Quod si talia veniant in principio, est præludio graviorum malorum. Unde firmiora sunt argumenta, aut mortis aut salutis, quæ è signis, quam quæ à symptomatis sumuntur: nam symptomatum crebra mutatio est, signorum autem constans & firma debet esse, ut etiam talis prognosis in alterutram partem. Et hæc est ratio, quare, *morbis quibuslibet incipientibus* (ut Hippocrates dixit) *si atra bilis vel supra vel infra exierit, lethale* sit. hæc enim nō producitur, nisi à valde lapsa hepatis intemperie, vel saltem ex urenti. Neque unquam certius est discrimen, quam quando membrum princeps vehemens prehendit alteratio vel corruptio, & quando talium excretio accidit

Hip.1.Coac. 73.

Hip.4.Aph. 22.

in principio, in quo aliquid critice aut bene vacuari est impossibile; ut Galenus dixit in Commentario. Ideo *pleuritidis initio* (dicente Hippocrate) *si in pectore multum sputum perstrepit, & facies mærens, & oculus ictericus, in brevi moriuntur.* Eadem enim signa, & ita plane firma accidunt in principio, quæ mortem contestentur, ac illa, quæ in statu veniunt, aut augmento, quæ principum facultatum notas ferunt ita læsarum graviter, ut inde nisi interitus sperari non possit. Nam, quando animalis in principio est ita imbecilla, ut non valeat sputum anacatharsi duci, accedit inde in pectore stertor, cui proxime accedit suffocatio, præ occlusione bronchiorum pulmonis seu inflammatione, aëris transitu præpedito: unde facile cæteræ facultates, sympathia consentientes, fataliter labuntur. invicta enim tristitia, est extremæ exolutionis soboles, & oculus ictericus, in acutis, sanguinis extremâ corruptione extraneati consectarius. Nam ob eam certe causam dixit Hippocrates, quod icterici multum fœdati pereunt.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 22. Hip. 2. Coac. 11.

Hip. 1. Coac. 88.

Pari cedunt discrimini hæc gravia symptomata, & morbo jam progresso: quoniam illa inveteratio maleficæ & morbificæ causæ, quæ paulatim & subdole in principio repentinæ generationis causa extitit, hæc eadem interdum, dum lente morbus incipit, illo progrediente, vires exerit, ut, si quando declinatio sperabatur, lethalia sese prodant symptomata, tuncque rarissime evadere contingit; (ut nos fidelissima observatione sæpe vidimus) mulieribus maxime, quibus ex improspera purgatione mensium, corruptus corporis apparatus accedit, & defœdatus color, ex obstructionibus altius radicatis. Hæ enim ex quaque levi corporis motione in animi deliquium dilabuntur, neque sanguinis missionem, nec ullum aliud æquale auxilium, ferre possunt.

Libratis ergo signorum meritis, & symptomatum signis, facultatum etiam actionibus. Restat ultimo, ut attendas, quæ sint cujusque propria, ne signa confundas. Nam in laterali morbo, ex sputo, non ex urina, mortis aut salutis desumitur augurium. Secundo, ex urinis, si forte consentiant viscera naturalia, aut ex illis complicetur affectus. In febribus autem, & aliis renum, hepatis, & venarum affectionibus, ad urinas attendimus, interdum etiam ad exerementa, si forte ventris affectiones in perniciem mutuas tradunt operas. In ventris passionibus, si sine febre, ad sola excrementa; si cum illa, etiam ad urinas. Quod si ista consideratio cum morbi temporis conjungitur, firmius judicabitur. Nam decretoria in statu convenit apparere; aliter in principio, & augmento: nullum enim in declinatione periisse vidit Galenus, si vera est declinatio. quam à falsa levatione sic distingues, quod in vera, quæ accidit ex robore naturæ, pulsus (quando levari incipit) recenti vigore vehementiores apparere incipiunt, æquales, & magis ordinati; urina, substantia, colore, & sedimento laudabilis; ac tandem, febris & accidentium manifesta levatio. quæ si simul coindunt, per gradus comparata, tunc erit in præsagio securitas. Si vero à falso credita levatione, pulsus adhuc persistit debilis, veteri inæqualitate non deposita, nec urina melius coloratur, licet in symptomatis & febre sit aliqua levatio, nunquã tamen erit fida: quia, quando cum calore febrili, nativus etiam dissipatur, duplici ratione, & sensationis defectu, omnia videntur mitiora, seu, quia caliditas intensa, quæ omnem sensationem acrius excitabat, & omnes potentias sensibiles urgebat, ab illo gradu excedenti remittit, inde fit, ut accidentia etiam remitti videantur. Quod in malignis & ardentibus febribus frequenter experimur; sicut & in pleuritide, cum inflammatio vertitur in gangrænam. Quo in statu aliud operatur insecuritas, ut inopinato, medicis nihil tale verentibus, ægroti moriantur. In hac falsa levatione etiam vidimus, quod, licet de majoribus remittat, semper tamen aliquod singulare restet symptoma, quod arguat de morbo non prorsus superato; ut importuna sitis, insolita vigilia, aut invicta tristitia, oculorum demissio, virium languor, aut insuperabile fastidium.

Galen. 1. de Cris. c. 8. Galen. 3. de Cris. 9.

SECTIO XIX

Prosequitur historiam eorum, quibus fidere non oportet.

Coctionem in urina, puris in abscessu, & sputum in pleuritide & vera pulmonia, brevitatem judicii, & securam salubritatem portendere, Hippocrates & Galenus docuerunt. Hujus regulæ generalis, plures limitationes, in parotide cocta, venarum cruditate complicata, in pleuritide, ubi vires deficiunt, (quibus certe fidere non oportet) antea exposuimus. Plures restant, quæ Medici judicium acrioribus stimulis explorant. Urinas quippe repente coctas, ut dicebamus antea (ceu hujus regulæ limitatio) Hippocrates damnavit, licet cum sedimento albo & æquali. Ideo in Philisco, morti proximo, urinæ apparuerunt melioris coloris. solet enim talis urina apparere in lethalibus morbis, interdum prope mortem, vel natura cessante, aut extremos conatus edente; seu, quia morbus occupat aliquod membrorum principalium, maxime extra venas; seu, quod eneorema, aut nebula laudabilis, quid multum, & hypostasis alba, si talis fiat ex colliquatione, ut in Sileno legimus accidisse, cum esset prope mortem, in urina cum hypostasi alba; seu, quia ex veneno, quod intus latitare prænovit præterrita natura, morbificam materiam non aggreditur, & apparet quę coctio, alimentitii humoris affusione, fabricatur.

Sed unum principium Hippocrates nos docuit, quo possimus elicere, quando non sit fidendum simili coctioni, quando nempe morbus cum illa non remittit, & symptomata crescunt. Hoc enim arguit, ex alio principio, quam à causa morbifica, urinæ coctionem apparere, dum ab alimento, non à morbi materia secernitur, seu, dum pars subtilior heterogeneæ materiæ, magis cedit calori concoquenti, reliqua relicta contumaci.

Hipp. 3. Prorhet. 57.

Urinas, repente coctas, diximus insecuras: quomodo autem hoc debeat intelligi adverbium *repente*, nemo forte exposuit. Nam, quæ facile cedit materia calori concoquenti, brevissime concoquitur, tenuis, aut benigna; hæc si repente con-

concoquitur, non erit insecura; sed illa tantum, quæ per signa dignoscitur posse coctioni reluctari, contumax, aut maligna, aut propria natura incoctibilis: ut, in crassa materia, bile mixta, fermentata putredine, in adustis humoribus, ut in atra, æruginosa bile, sive in cacochymia, ubi prævalet pituita, aut succus melancholicus. In his, si in prima periodo coctio apparuerit, *repente* dicemus apparere, & præter rationem, subitoque. Et de his intelligitur illa Hippocratis sententia: *In parotidibus urinæ, cito & parum coctæ, pravæ.* Idem etiam interrupta significat: hæc enim, aut naturam exolvi, aut vivificum nectar dissipari, aut inæqualem & contumacem materiam portendit, si est in parte cocta, cum sit in toto cruda. Ideo *peripneumonicis lethalis est urina, in principio cocta, post quartum tenuata.* Illa enim sola fidele constituit præsagium, tuta & tempestiva ab humore morbifico secreta, quæ per gradus, ex ordine, procedit, ab augmento ad declinationem, continuata serie, nec tempore, nec loco interrupta. hinc in Prognost. damnatur interrupta; in Epidemiis, quæ ex perniciosa subito ad coctam permutatur. Natura enim qualitates per alterationem paulatim introducit, nec quidquam ex his repente patitur, aut molitur; per media quippe fit motus ad extrema. Ordinata quidem res est natura, atque per gradus agit, ut dixit Aristoteles, certisque temporibus movet: & criticis diebus, quod coctum est, aut profert, aut excernit. Nam, si hæc omnia pati repente sineret, non oporteret, ut nos Galenus docuit, quo felix sequatur vacuatio, præire coctionem, subsequi discretionem, ac tandem evacuationem. Quare, hujus naturalis ordinis inversio, aut materiæ malignam vim ostendit, aut, humorem in alterius humoris naturam transmutari; cui dominari natura certe nequit. Quo in statu non acquiescas infideli quiete, licet omnia videantur leviora: hoc enim accidit natura superata; veluti in Hermocrate.

Hip. 1. Coac. text. 19.

Idem, 3. Coac. 45.

Arist. lib. 1. de gener. & corrupt. & 6. Physic.

Nec perinde in omnibus æqualem coctionem expectabis. sufficit enim, in valde biliosis, urinæ bonus color; secundum Galeni judicium; &, in tenui antea urina, si accedat crassities; in crassa, si ad mediocrem substantiam convertatur: tenuia enim coctione crassescunt, & tenuantur crassa. Ideo non tantum mane, sed vesperi etiam urinas inspicere Hippocrates mandavit; & nos dicimus, alia quoque corporis excrementa, an cæteris conveniant. omnia enim simul securius naturam redintegrari indicant, in victoria partium concoquentium, in robore & virtute vivifici caloris & radicalis humidi.

Ars, quæ principiis nititur & præceptis, illis maxime ducitur, quibus natura, ordine præscripto, operatur. Illa igitur, quæ insita lege natura producit, firmiora in præsagio sunt: quæ enim ordinem communem excedunt, aut certe sunt fortuita, aut prorsus insecura, admirationi potius quam imitationi. Fiunt enim etiam prodigia in natura; quæ non sunt imitanda, nec cadunt sub præcepta, utpote quæ fiunt fortuito conatu, aut singulari robore, & nihilominus & possunt esse bona, & non communi lege; stabile tamen præceptum neque firmum principium unquam valebunt constituere. Sunt exempla hujus singularis doctrinæ, Methon, qui cum urina nigra, (coctioni opposita) felici hæmorrhagia & sudore, à febre ardente liberatur, absoluto judicio, & sine recidiva. Cleonactes etiam, tenuibus urinis, copioso & calido sudore. Mulier, quæ in littore decubuit. Pythion, prope telluris ædem. Larissea virgo, pauca & tenui urina, copioso sudore, mensiumque copioso profluvio, præter expectationem, liberatur. Sola tria signa integra & inculpata ferunt, utpote quę ad salutem magnam vim habere comperiuntur, *pulsus* nempe, *respiratio*, & *appetentia* (ut Galenus in Cleonactidis & Heropiti historia adnotavit) si ita cum aliis conveniant, ut ex omnibus unica significandi proprietas resultet.

Nec etiam accidentium significationi (qua symptoma vel signum) fidere oportet. Nam idem signum, in diversis temporibus, & in eodem morbo, potest esse bonum, malum, indifferens, & pessimum. Patet in Tremore; hic enim in principio oppressionem notat, & nervorum principii affecti est indicium; velut in Pythione; indifferens tamen ad bonum vel ad malum. Nam, si inde humor epigenesi serpit, aut inflammatione, ut cerebrum conscendat, delirium minatur, aut phrenitidem, & pravo certe signo: si vero in statu, & quando crisis instat, adveniat, cum signis salutaribus, tunc est salutis signum; non est enim ex vi adaucti morbi, sed certantis naturæ, & humores ad inferna per excretionem molientis. Nam tremulus ille motus concitatur ab acris vaporis punctione, aut ex humoris transitu per loca sentientia. Idem tremor est signum absolute lethale, si morbo jam progresso, & viribus labentibus, ex vi adaucti morbi, oriatur, ubi nulla crisis fit separabilis, veluti in causone, in prava phrenitide, lethargo confirmato, in progressa febre, pituita & bile ex putredine altius fermentatis, nervis spinalis medullæ mollificatis, gravatis, vel oppressis, aut illis, qui ad manus feruntur. Ex illis autem, quibus nervis arefactis tremores superveniunt, nullum sanatum vidi: quia à privatione ad habitum nullus datur regressus. Quod *hoc symptoma vehementissimas consequatur phrenitidas*, Galenus adnotavit. veluti in singultu, extrema siccitate inducto, importuna vigilia, exurenti calore, maligna qualitate, & evacuatione ita profusa, ut sequatur retorridus marasmus, ex humore, substantia tenui, qualitate acri, putredine maligno.

Galen. Com. in Hipp. 1. Prorrhet. 9.

Nec in ipsa extremorum nigredine firmum quid poteris præsagiri. quoniam, si fiat per progressum, & vi adaucti morbi, priori foco non relicto, extremam extinctionem notat vivifici caloris. dum plumbea gravat moles, idem instat discrimen: suspicionem quippe facit pigræ & labentis virtutis, maxime motricis facultatis, principiique nervorum exoluti. Idem indicat invidiosus livor in digitis & unguibus. tunc enim spes ægri & medici retrocollapsa refertur; nam citius opinione mors anticipat. livor enim notat nectaris vivifici in ipso corde extinctionem, aut interceptione, aut extinctione spiritus vitalis. Quod idem de nigrore suspicari non licet, quando fit per abscessum, relicto priori foco, ut qui talis apparet in extremis, prolapsu venenosæ materiæ, aut multæ, per decubitum; qui si levationem

tionem affert, superstes manet æger, attamen cum periculo, ne pars decidat, quæ virore computruit, & necrosi marcescit. Quod etiam Hippocrates advertit, quando dixit: *Nigri digiti, minus sunt mortiferi, quam lividi.* Non enim in livore fit abscessus, quemadmodum in nigredine; excepto, quando livor est à causa externa, aut fugaci, veluti in deliquio, in febre diuturna, syncopali, humorosa, ut hemitritæo, sub hyemis algore, ut etiam in nothæ tertianæ aut quartanæ principio. In tussi vehementi, & asthmate, hoc etiam non ita præsentaneo cum periculo notavimus, ut nec in vehementibus animi passionibus, timidisque hominibus, & pueris, ex tussi vehementi.

Hipp.

Inde tamen securitas præsagii innotescet, si differentiæ signa æqua lance perpendas, quando videlicet nigredo, aut livor, in extremis accidat per progressum, aut veniat per abscessum. Prior enim casus in febre maligna observatur & acuta, febrisque non remittit, imo magis intenditur, cum pulsus ἀσφυξίᾳ, plumbea gravitate & lentitudine, cumque mentis torpore, dum calor igneus, aut qualitas maligna, floridum spiritum absumit, & terream concretamque sanguinis portionem exurit, humidumque depopulatur primigeneum, extinguit, aut absumit. sic emortuus sanguis partem livore afficit, ut vitam amplius recipere non valeat. Sic quoque extrema frigiditas nigredinem inducit, aut etiam humoris multitudo, dum calorem influentem suffocat, aut innatum extinguit. quæ maxime ab extremis incipiunt; cum à caloris fonte magis distent. Gravius tamen erit, si livor à palpebris, aut auribus incipiat, ab unguibus & digitis secundo, & postremo à pedibus. Quando vero nigredo accidit per abscessum, quæ antea vidimus accidentia, apparent leviora; est promptior in surgendo alacritas, & cibi appetitus restituitur, corporis mentisque torpor acriori sensatione redintegratur, & principes facultates, quæ antea sopitæ aut oppressæ videbantur, paulatim incipiunt resipiscere. hoc enim est maximum argumentum, illam extremorum nigredinem futurã laudabilem abscessum: quia, quando aliquod membrorum principalium corruptione aut vehementi intemperie coafficitur, perit ejus facultas, nec amplius reficitur, adhuc humore ad inferna transposito.

Quoniã tres principes facultates, à triplici principio orientes, (corde nempe, cerebro, & hepate) tripliciter etiam atteruntur, (nec ab his ventriculi facultatem excipias,) seu spirituum substantia exoluta, vel etiam humorum, dum colliquantur; seu, ex magna oppressione nobilium membrorum; seu à vehementi aliqua intemperie vel corruptione in propria substantia: ideo, ad præsagium instituendum, has oportet attendere. Spiritus & humores dissipantur, vel excretione manifesta, vel resolutione insensibili, dum corpus difflatur, interna vel externa. Oppressio in humorum aut crassorum vaporum copia observatur, cum pulsus inæquali imbecillitate innotescit; &, quod magis miri est, ille pulsus, etiam oppresso vel attrito ventriculo, parti inæqualitate immutatur: ut in Antonino Imperatore Galenus observavit. Gravis & lapsa intemperies arguitur ab exurenti febre, seu ab excretione adustorum humorum. Magis vero ab ingenti inflammatione corruptio arguitur, vel à putridis & corruptis vaporibus, ab aliqua gangræna sublevatis, sive sit in aliquo membrorũ principalium, sive in membro ignobili, dum cæteris consentit.

Gal. lib. de Præcogn. ad Post. cap. 11.

Has tres principes facultates Medici ad præsagiendum observant. Nescio, an inde tantum comparetur præsagii securitas. Est enim pulsus ratio ab aliis omissa, à pluribus neglecta, negligenter ab aliis tractata. *Pulsui, ut fallacissimæ rei, credimus,* dixit Celsus. Herophilus, Hippocratis Interpres, pulsus morborum indices mirabili artificio expressit; sed ob nimiam subtilitatem à posteritate desertus est. Galenus super omnes pulsuum consonantias descripsit: Musicæ potius quam Medicinæ utiles. nec ideo non illum sæpe pulsus arteria fefellit, dum soli pulsui credidit. quo factum est, ut meliori consilio morborum exitum, velut à luctatorum palæstra, expectaret, quoniam, veluti in conflictu, ab excessu peritus victoriam judicabat futuram sic in morbis, artis prædictoriæ gnarus. qua sola consideratione se nunquam in prædictione deceptum gloriatur. ô gloria ætatis anteactæ, cujus magis venerationi quam veritati credimus. Sub hac præsumptione, in Libro De totius morbi temporibus, *Ubi ægroti vires,* inquit, *maxime à morbo superantur, desperata res est.* Morbi tantum supra vires considerans excessum, fortuitum conatum non considerans; ut in Muliere, trimestri fœtu gravida; Virgine, in vestibulo templi; in Muliere morosa, & Larissea Virgine. Si hæc & illa serio & peræque consideres, ubi intellectus quiescat, non invenies, nec in complicatis morbis, nec in multis, quæ adhuc latent in arcanis naturæ, facile, quod citius periculũ minetur, comprehendes. Nec ullum adhuc adeo inviolabile est præceptũ, quod non aliqua limitatio invertat: & omne rarum est, cujusque præcepti limitatio, ut tot sint aliquando limitationes, quot præcepta.

Celsus.

Gal. lib. de totius morbi Temp. cap. 5.

Plurimum in hac prædicendi ratione insudavi, & longa observatione hæc omnia perpendi, quæ protuli; sunt, quæ mihi veriora videntur, & certe merentur fidem: nos enim etiam manum ferulæ subduximus, ut est in Parœmia.

Illud ultimo pro coronide adverte, morbos, quorum præsagium libratur per robur, aut imbecillitatem principum facultatum, esse illos maxime, qui habuere & ortum & progressum extra venas; si credimus Galeno: quorum vero materia morbifica intra venas putrescit, per urinas, & pulsus. Et in facultatibus maxima est cordis officii dignitas: secundo, cerebri, ob respirationem, quæ ad vitam convertitur: tertio, naturalis facultatis, ut quæ maxime morborum coctioni conducit, & partium redintegrationi. Hoc vero non promiscue & confuse intelligas; sunt enim morbi, quorum auxilium potius huic quam illi natura deputavit; ut etiam ex Galeno colligitur. Talis autem est connexio inter illas facultates, ut, si una insigniter lædatur, cæteræ protinus calamitatem sentiant. Ita ut in hoc casu æqualem sortiantur certitudinem signa læsæ facultatis insigniter, ac in aliis morbis signa pathognomonica. nam, si illa læsionis speciem & magnitudinem proxime consequuntur; hæc etiam & morborum essentiam, & affectus speciem, morem, & ma-

Gal. lib. de Const. artis med. cap. 18. & lib. 9. Method. med. cap. 5.

Gal. lib. 7. Meth. c. ult. & Lib. de loc. affect. 1.

& magnitudinem. Quomodo vero firmitas aut imbecillitas harum facultatum agnoscatur, antea dicebamus. *Cogitare & meminisse*, dicit Galenus, *sunt præcipuæ cerebri functiones: subservientes, sentire & moveri ad arbitrium. Cordis vero, arteriarum motus. Iecoris, generatio sanguinis & humorum.* Quare, ab his erit certior prognosis contemplatio, prout distant à suo naturali statu: ut, si facile se æger in surgendo vertat, robusta adhuc erit animalis facultas, seu non valde dejecta; si ut plumbea moles, imbecillis; si maxime delabitur ad pedes, ut inutile pondus.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Progn. 6.

Nec est contemnenda & illa pars præsagii, quæ à constitutionibus & temporibus sumitur. Nam *In constantibus temporibus, cum tempestiva tempestive redduntur, morbi constantes, & boni judicii contingunt.* quoniam suo decretorio morbi constantes judicantur. *In inconstantibus autem inconstantes, & mali judicii.* Vel enim cum casibus periculosis adveniunt in his morbis judicia, vel statim fiunt perniciosi, seu recidivæ periculo laborantes; ut non tantum Hippocrates notavit, sed etiam sæpe inter medendum ipsi vidimus.

Hip. 3. Epid. sect. 3. text. 88.

Idem, 3. Aph. 8.

Hæc omnia sunt ex medicinæ principiis deducta, tradita ex Veterum præceptis, longa experientia confirmata; sed non æterna veritate necessaria. Est enim duplex necessitas in rebus sublunaribus: una, simplex, æterna, & immutabilis; velut in mathematicis, per hypothesim, & rebus, quæ non sunt, sed finguntur adesse: Altera, est sub conditione necessaria, sub illa nempe conditione rerum, qua mutantur perenniter. hæc enim sequitur entitatem rerum, à quibus incipit, & in quibus finitur. Ideo hanc scientia considerat, sub illa conditione necessaria, ut possit etiam aliter evenire. quia verò utplurimum sic evenisse observavit, ideo sic perinde necessario futura nuntiavit, sub illa conditionali necessitate, quæ sic utplurimum evenisse cernitur. Nam signorum, ex quibus pendet futuri eventus certitudo, alia certa sunt, alia magna ex parte, alia proxima certis: ab his ambigua multa. Quod etiam per varias sententias & historias Hippocrates digessit. In alia enim dixit absolute *lethale*, in aliis, *malum* tantum, in aliis ἐπιεικῶς, hoc est, *mediocriter*; ut in illa sententia Prorrhetici: *Surdis* ἐπιεικῶς *parotides fiunt.* hanc enim dictionem Erotianus *mediocriter* Æthicis significare dixit, hoc est, *non necessario*: quoniam syllogistici signi ea vis est, ut ea semper subesse ostendat, quæ indicantur. quæ vero ex ancipiti Marte ratio præsagiendi compararur, ancipitem quoque habet eventum. De cerebro syderato hæc legitur Hippocratis sententia: *Cerebro syderato alii quidem tertio, alii septimo vitam finiunt: & his elapsis, defunguntur periculo.* Hoc est, quibus à principio incipit sphacelus, tertia die moriuntur; quibus à magna cerebri inflammatione, in septimo: quod si ab illo transeat, indicat, resolutione terminatam. Nihilominus tamen pulcra Nerei Virgo, ex magna cerebri inflammatione, per aurem pure excreto, sublevatur in septimo: postea comatosa, convulsa, moritur in nono, septimo jam exacto. Verùm, hoc laudibus Hippocratis tribuendum. nos enim à cerebro syderato nullum sanatum vidimus. Si non dicimus, ab inchoata inflammatione aliquos fortasse liberari, sed non sphacelo: nam a privatione ad habitum non datur regressus. nisi velimus Aristotelis sphacelismum intelligere. est enim illi sphacelismus, *crudor cerebri.* in codice Græco correspondet, *mador multus & frigidus*, quem fortasse quis recte nominaverit *carum*, quo cerebri calor obrutus, penitus suffocatur primis tribus diebus, à quibus si evaserit caloris vigor, frigidum humorem dissipabit intra terminum septimi decretorii: à quo si evaserit, superstes permanebit. Nihilominus caute prognosim dicere mihi semper prudentius videtur: plerique enim solo mortis præsagio periere, aliter evasuri. Ideo Galenus semper sub conditione prædicebat. Despectum quippe capitis vulnus, sæpe attulit mortem: attamen à magno evasit moriturus.

Hipp. lib. de Humorib. 1 Epid. sect. 3. text. 1. lib. de Aere, Aquis, & Loc. cap. 6.

Hipp. 3. Prorrhet. 67.

Idem, 2. Coac. 11.

Aristot. 1. part. Prob. 11.

Galen. 1. de dieb. decret. 1.

LIBER SECUNDUS. DE PROGNOSIS FALLACIA IN PARTICVLARI. IN PARNASSI APOLLINIS CONCILIO.

STATIO I.

An febris, eo quod intermittat, salutaris?

De prognosis fallacia, in communi, quantum rei difficultas permisit, ad legentium captum, ad limam & lineam, redegimus; non communi scribentium genio, sed prout inter medendum nobis observare contingit. Nam, præsagiendi communia præcepta, confundunt, non edocent, quæ sunt præsenti consilio necessaria. Non enim interest, quam multa præcepta teneas, si ad manum non habeas, præsenti occasioni, & recenti consultationi, maxime profutura: hæc enim, & propriæ æstimationi, & ægrorum saluti, magis usui futura, semper existimavi. Ideo ad singularia nunc descendimus, ut hæc & illa practicentur felicius, in acutis, in crisi, in symptomate, quod sæpe morbum urgentia antecellit, seu alia singulari conditione febris; ut docta præsagiendi arte certius futurorum eventus valeas præsagiri. Non aliter enim Galenum præsagientem vidimus, non aliter Hippocratem. Non aliter Aretæus nos præsagiri docuit de futuro eventu epilepsiæ, ac de ejus periculo; nec aliter tandem de gradibus diversis apoplexiæ, in quibus deterrima sors mali citius aut tardius deputavit discrimen, quam ex respirationis differentiis. à difficili usque ad stertorem erit certa prædictio.

Aret. lib. 1. de caus. & sign. acut. Cap. 2.

Febres, dixit Hippocrates, *quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, periculosæ magis. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.* Intermittere per quietem febre vacantem Galenus commentatur, sed in illis, quæ repetunt, per tertium. *Solæ enim illæ*, inquit, *quæ in quietem febre vacantem desinunt, defunguntur periculo, licet vehementissimam & satis longam habuerint accessionem.* Non enim solæ exquisitæ tertianæ hoc mirabili fruuntur privilegio, & cito judicantum; sed etiam illæ, quoniam est alia tertiana oblonga, quæ ad octodecim horas prorogatur; & hæc, citra periculum, si ad quietem febre vacantem venit: non vero æque cito judicatur. Haud immerito sane ista quies periculum excludit, quoniam istæ febres, sua singulari conditione & natura, nec inflammationem, nec malignam consequuntur putredinem, quæ utplurimum continuas comitatur. Nec propter hoc tantum, sed quia in quietis die redintegratur, quod de viribus perditur accessionis die. ideo accessio, seu vehemens, seu longa, hominem in portum securitatis ducere ominatur.

Hip 4. Aph. 43. 1. Epid. Sect. 3. 5. & 6. Epid. Sect. 2. 23 Variis Coac. sent. Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 43.

Ex hac tamen elicimus doctrina, non solam continuitatem in febre esse periculi causam; (est enim in hoc magna æquivocatio) sed tunc tantum, cum illa continuitas est malignæ putredinis, aut systrophicæ inflammationis consectaria; seu, quando copulatur in febre virium imbecillitas; seu magna succorum contrarietas, in foco aut minera putrescit; seu, vix superabilis congeries contra naturam pugnat: quod etiam ex ipsamet sententia colligitur, ex illa dictione, *periculosæ magis.* Hoc enim respectu febrium intermittentium intelligimus. non quod semper continua sit periculi soboles: nam febris continua, ex sanguine, aut bile, ubicunque putrescit, putredine communi, cum virtute robusta, non erit ad exitium, si, ut decet, tractetur; excepto, cum ex illa putredine communi, ut duo ex suppositione, in altiorem transit magis reduplicata, & ad tertium vel quartum putredinis gradum pertransit, quo maligna comparatur putredo. Quod sæpe in eadem febre, dum mitis in principio appareret, experimur. Hæc sententia aliæ Hippocratis sententiæ symbolizat, quando dixit: *Deliria, quæ cum risu fiunt, securiora.* Non intelligas, absolute secura, sed respectu delirii biliosi mitiora. *Nulla quidem desipientia est secura*, dicit Galenus, *minus vero periculosæ, quæ cum risu fiunt: periculosissimæ, temerariæ: mediæ, quæ fiunt cum studio.* Ac si dixerit, quæ ex sanguine naturali fiunt, securiores.

Hipp. 6. Aph. 53.

Galen. Com. in Hipp. 6. Aph. 53.

Ex alio etiam principio intermittentis tertianæ comparatur securitas, maxime, si legitima: quia, sicut fere semper incipit cum rigore, sic solvitur fere semper excretione. Galeni hæc est sententia: *Statim autem, in tali tertiana accessio fiet cum rigore: & solutio ejus cum sudore vel per vomitum aut alvum inferiorem flava bile vacuata, vel omnibus istis pariter factis.* Ideo brevissima & securissima est, quia septem non transcendit circuitus, nec duodecim horas singularis periodus: quibus solutionibus in septima judicatur periodo, in qua fit vera crisis, ut in decimaquarta, in continuis. Sed, quia in decimumtertium diem incidit accessio, ideo decimumquartum non expectat; quoniam

Galen. Com. in Hipp. 4. Aph. 59 & 3. de Cris. 3.

niam cum accessione coincidunt judicia. Nec ideo repugnat, posse solvi in tertio aut in quinto circuitu, ut nos frequenter docet experientia. Audiamus Galenum, ex tripode loquentem. *Rursus autem, sicuti in peracutis, morbus poterat judicari, in quinto, quarto, & in tertio die: sic & in tertiana, in eisdem circuitibus fieri solutionem contingebat, non expectante natura septimum circuitum.*

Gal.Comm. in Hipp. 4. Aph. 59.

Hinc facile rationem elicies, quare accidentia, quæ Hippocrates refert de febre non intermittente, condemnet ut lethalia, illa ut salutaria enunciet. *Dignum animadversione est*, inquit Galenus, *nunquid hujuscemodi casus possint in febre fieri intermittente. Ego enim neque vidi, neque animo capio. Videntur siquidem solis accidere in febribus, quæ causones ab incendio nominantur, perniciosis, vel, si aliter libeat appellare, malignissimis.* Acsi Galenus diceret, hæc accidentia, frigus nempe partium extremarum, interiorum ustionem, labri, oculi, & nasi perversionem, difficilem spiritum, & delirium, à causa firmiter fixa, viribus exolutis, non est possibile, esse febris intermittentis gentilitia, quia nec in illa est maligna putredo, nec ulla interna inflammatio. ideo dixit, in febre non intermittente, quia in illa facilis est suspicio, talia continuitatis ratione advenire, dum fovet empyreuma, malignitatem ducit.

Hip. 4. Aph. 48. 49. 50. Gal.Comm. in Hipp. 4. Aph. 48.

Quod ut facile pateat, attendite, (inter illustriora medicinæ,) uno ex quatuor principiis intermittentem febrem in continuam verti, ut, si forte contingat talia in intermittente observare, aut de continuitate suspicetis, aut de recens suboriente malignitate timeatis: videlicet, cum humoris unius aut plurium talia est abundantia (maxime in prima accessione mota) ut gravata natura illam nequeat extra vasa propellere; seu, unicum pluresve ex humoribus putrescere contingat. quod etiam monstrabit febris singularis idea. aut, cum humor, natura sua crassus, occasione viscidus, accessionis fervore tenuatur, seu sub ardenti pyra humoris, natura sua calidi: unde major obstructio, vel major inde quantitas, sub eodem humore. nam ille tenuatus, eadem, qua antea, nequit capacitate contineri, sed magis per venarum spatia diffunditur, sed non ad extra propellitur; ut in febris statu fieri observamus. Et hoc tibi erit maximum argumentum, ut etiam prædicendi occasio, interpolatam in continuam verti, si hac occasione accessiones protrahit ultra morem, seu, si novis & insolitis accidentibus ægros cumulat, & laboribus auget. Hoc etiam tertio observabis accidere, cum humor, jam ad febrem paratus, seu antecedens causa, ad plures accessiones adservata, ex novo, advenientis accessionis intensione, adeo incalescit, ut intensius empyreuma, sive novam putredinem causa antecedens concipiat; ac licet in causa præcedentis tepescat, indeficiens tamen in cæteris permaneat. Quod utplurimum accidit, neglecta evacuatione in principio: & inde provenit, ut intermittens febris fiat in posterum continua. Quod nos aperte docet solerti providentia, & providenti solertia, vacuare, aut imminens periculum attemperatione prævenire, antequam sese prodat malum irreparabile: nam cedit attemperatus calor, & ventilatus succus, evacuatione repetita, non dat manus putredini. aliter enim accidit, ut continua fiat, putredine inculpatis humoribus inducta, vel ejusdem humoris & similis naturæ, vel à prima diversa; si non diversæ febres inter se complicantur: nam succorum universa congeries consunditur, ex ebullitione putredine inducta.

Hoc nos solerti diligentia observavimus, in illustri civitate Carmonensi, in Nobili & satis noto Viro, D. Joanne Flores & Salacar. Hunc quartanæ typus apprehendit, sub plethoria magna; erat enim sanguineus, sed curis agitatus, laboribus, & equitatione. Hæc hominem sub illa repetitione ad quintam periodum exercuit: postea indeficiens & continua febris sequuta, de ardentium sorte, quæ febrem sanguineam æmulatur. nam nullus in ea observabatur typus, sed ex ebullitione intima, & profunda putredine contracta, in malignam degenerabat, massa universa succorum in putredinem acta. inde varia & contraria pullulabant accidentia; soporem enim præoccupabat vigilia, & furorem delirium: tandemque his omnibus accedebat fanatica dementia, ad quam sequebatur vigilandi feralis impotentia. ac interim corpus universum maculis subdiversis perfundebatur, & lividis, & nigris, corpus extremaque, si non frigida, nunquam tamen erant pro ratione calida. Tandem in decimoquarto contracta acutie, non à morbi principio, (adhuc omni curatione ex arte instituta) accidentium immanitate, & morbi sævitia occubuit. Hæc ideo dixi, ut prudentissimum elicias consilium, si in talem febrem intermittentem, in corpore plethorico, te inducat fortuna: quoniam in hoc statu, auxilia non tantum præsenti, sed imminenti quoque morbo debent esse æqualia, & accidentibus, quæ ex corporis plethoria timentur. Quid multum? non sola quantitate, sed in celeritate succurendi. Est enim inevitabile periculum, si causa conjuncta putrefacta, cæteros humores, nondum labe infectos, maligno contagio coafficiat, majori aut minori discrimine, prout sors, putredinis conditio, aut morbosi corporis apparatus tulerit; veluti in hoc Viro.

Ann. 1636.

Semper veritas inter ambigua fluctuat, inter ancipitia animum acrioribus stimulis explorat, quia inter opiniones delitescit. Ideo super veritatem antiquæ lites, quibus nec finem imposuit antiquissimæ veritatis splendor, nec ille Academicus Carneades, philosophicæ pacis insequutor, nec tot seculorum tempora collabentia, si verum est, quod Philosophus dixit, veritatem, in puteo abstrusam, diem aperire. Hæc Hippocrates dixit, cana veritas. hæc in oraculo fidelissima observatione tradit comprobata. Contrarium postea fidelior docuit observatio, ocularis experientia comprobavit. quoniam intermittentes tertianas, sane lethalissimas, præter Arabes, non sine dolore nostra monstravit ætas. Hispali, & in Betica Provincia, quædam tertianarum viguit constitutio, quas frigidas vocarunt Hispalenses. Invadebat enim quædam tertiana, sane mitis à primo ad tertium paroxismum, & ea intermittens, cum ad perfectam infebricitationem deveniret, benignitate subdola absque ullo symptomate decipiens. A tertio aliis

Ann. 1632.

erat cum fluxu colliquante, cum nausea plerisque, importuna vigilia non paucis, multis erat, supra calorem, sitis, & fere naturalem non excedebat calor. Accessionis hora erat alismus in omnibus implacidus, inquies,& jactantia omnes comitabatur: à principio ad finem urina naturalis, colore subflava, substantia mediocris, cum albo & lævi sedimento, licet multis dispersum, & in modum coronæ. Mens omnibus constabat, ut se sanos omnes (singulari delirio) judicarent, nihilque mali se pati exclamarent. Alii,sanorum munia obeuntes, facetiis ludebant. Hoc unum in omnibus observavi,quod nusquam,nec in quietis hora, sitis importuna dimitteret, & nescio, quid implaciditatis. Hisque omnibus erat cum melancholia fere dejectus animus, & agreste fastidium, à potu, subque accessionem & quietem, rigebant. Omnibus verò erat fatale, si in invasione accessionis corpus universum frigesceret: quod tertia,quarta,aut quinta accessione accidebat, ut inter plures non unus recalesceret. nam omnes veluti gelu frigidi interibant. ita placide in quiete degentes, ut, Medicis nihil tale verentibus, in tertia aut quarta accessione fatis inopinato cederent.

Malignas, non vere pestilentes, has fuisse tertianas,indicabat, accidisse ex maligno corporis apparatu, non ex causa communi;ut inHispalensium peste observavi; nec fuisse constitutionem vulgarissimam, nec ita diffusi & præsentis contagii, ut in istis. Inter has tamen alias non intermittentes, sed continuas vidimus, maxime in obesis & crassis, qui protinus à prima sanguinis missione, aut non ultra secundam, frigidi reddebantur.

Ann.1649.

Sed inde major oritur difficultas, an ex putretredine maligna febris oriatur intermittens, possitque à maligno apparatu foveri, ne in aliam febris sortem degeneret? Aperte constat, hanc febrium intermittentium, & certe malignarum, constitutionem viguisse per tempora, quæ dixi. Constat etiam ex Galeni sententia,citato Aphorismo, intermittentes febres ex communi putredine oriri. *Vt quæ* (hæc sunt Galeni verba) *non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine fiant. Neutra enim harum ad quietem pervenit, febre vacantem, &c.* Nam, ex maligna putredine febrem continuam semper produci, Galenus æstimavit. Nec huic auctoritati sua etiam deficit philosophica ratio; quia malignitas vicem putredinis dupliciter præoccupat, & ut causa simpliciter corrumpens, & alteratione, per continuum facta, similia producens, & intimius penetrans, ut sine intermissione cordis corpus alteret, & continuo putredinalem calorem in cordis humoribus conservet: quo fit, ut semper ex illa putredine maligna sit continua febris.

Gal.inHipp. 4.Aph.43.

Utrumque posse contingere, non dubito, & febrem intermittentem, de malignarum sorte, & continuam, ex illa putredine maligna; & maxime, quando utrumque constat ex docta Hippocratis sententia. Nam in statu pestilenti,quem enarrat, inter varia accidentia, quæ illis in ægrotis accidisse observat, *His*, inquit, *adjuncta aliquando, aliquando non erat febris.* En, pestis sine febre. Et ulterius procedens. *Multa præterea febrium alia genera vulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, vagarum, fastidiosarum, constantium.* in cujus Commentario sic Galenus: *Meminit autem intermittentium, quæ numero tres sunt, &c. postea vero continuarum.* En etiam, febres intermittentes in illa constitutione viguisse, confirmat.

Hip.3. Epid. Sect.3. text. 73.

Idem, 3. Epid.Sect.3. text.64.

Gal.Comm. in Hipp.3. Epid. Sect.3. text.64.

Illud tamen in illa constitutione, & nostra febrium malignarum, dupliciter accidisse existimo;aut febrem tertianam incepisse ex simplici putredine, & à tertia aut quarta accessione in malignam prorsus degenerasse, non tantum in continuam,sed lethalem. quod nos eventus docuit, cum à tertia accessione lethalia inciperent symptomata, & frigiditas universum corpus obtineret. seu, à tertia accessione, putrescentem jam bilem, vel adustam, accessionis motu, in membra principalia irritatam naturam depulisse, tuncque factam malignam, ex humoris decubitu ad membrum principale: aut tandem, illam malignam & pestilentem qualitatem ab alio membro quam à corde incepisse; ut patet ex statu, quem antea citavimus, in quo non est credibile, pestem interdum extitisse sine febre, si à corde inciperet. Nam, quando ossa & mentum denudabantur, decidebantque, multis brachium & totus cubitus decidit, nonnullis femur & crura, idque sine febre; ut patet ex contextu. Hoc certe arguit, aut malignum humorem ad extrema transpositum, ad illa fuisse ab aliis extrusum, aut ab illis membris malignam qualitatem incepisse, humores ibi contentos defœdare, & omni corruptione coafficere, nullis ad cor vaporibus delatis; ut etiam in epilepsia contingere videmus, dum aura venenosa à brachio aut tibia emergit.

Si non dicimus, (quod nos etiam in hac peste Hispalensi observavimus) quod plerisque affectus erant adeo leves, ut nec cordis humores immutarent. Vidimus enim bubones & carbunculos, adeo benignos, absque ulla suspicione febris, ut nulla pene accidentia concitarent; nec tales ægroti viderentur, cum solita munia & naturales functiones obirent: qui etiam intra breve tempus penitus evanuerunt, nec relapsus periculo. quod seminariorum pestilentium imbecillitati,aut robusti corporis resistentiæ,apponendum existimo. Non ergo repugnat, dari febrem intermittentem,in maligno corporis apparatu, non à corde, sed ex alio principio. Nec repugnat, in tali apparatu bilem posse putrescere putredine communi, si datur pestis sine febre. Et sic Hippocratis & Galeni traditionem intelligendam reor; ita nempe intermittentes febres in illa pestilentia incepisse, ac postea degenerasse in continuas, & vere pestilentes. quod etiam Thucidides ennarrat accidisse, in eadem peste, quam describit Hippocrates. *Nam morbus iste*, inquit, *ejusmodi erat omnino naturæ, & alius nullus morbus illo tempore vexabat, quique exoriebatur, in hunc desinebat.* Ac si diceret, si benigna tertiana incipit, in malignam degenerat postea, ex communi contagio.

Thucidid.

Et licet nullus alius in Galeno nec Hippocrate esset locus,quo apertius dicat,malignas & pestilentes intermittentes fieri; attamen Georgius Agricola, antiquissimus Auctor, *pestilentes cum inter-*

Georg. Agricola.

intermissione suo tempore viguisse, apertissime dixit. Quare, licet contra Galenum non fiat argumentum, in dari, contra Hippocratem & Agricolam, qui constitutiones ennarrarunt, concluditur. Hoc etiam haud ignobili ratione probatur. Dabilis est pestis absque febre: Ergo cum intermittente fieri non repugnat. Hippocrates probavit antecedens, ex illa pestilentia, in qua absq; febre membra corrumpebantur, ut ossa nervique nudarentur. Quod Mercurialis Andreas Gallus, & Cardanus, absque contradictione acceperunt. Ergo maligna qualitas poterit humores, ad partes ignobiles transmissos, afficere, extra venas. Quod etiam suo tempore expertum Saxonia fatetur, & intermittentem malignam se vidisse testatur, cum puncticulis nigris. Non ergo repugnat, nec ex parte febris, nec ex parte subjecti, febrem intermittentem malignam aut pestilentem fieri; si verum est, quod Galenus fatetur, *in sano nempe corpore venenum ad præsens & ad tempus produci, diuque latitare; ut menstrui excrementum, corruptum semen, & fera hydrophobia*.

Hip. 3. Epid. Sect. 3. 25.

1. de Venen. 12.

8. de Febrib. 37.

Galen. 3. de Loc. aff. c. 7. & lib. 6. c. ultim.

Hujus etiam diræ & gravissimæ febris, quantum nobis licuit observare, est sua peculiaris & gravissima ratio: nam febres intermittentes, aut generantur prorsus lethales, aut prorsus salutares, aut gravissimæ quidem, sed quæ tempore, & æquali auxilio, propriam curationem consequuntur. omnium lethalissimæ, à loco quidem determinato oriuntur, ubi est focus & minera putredinis. Et hic aut est maligna inflammatio, quæ protinus vertitur in gangrænam, aut humoris conditio, qui ad focum confluxit, si antea malignus: quoniam mox focus, ab illius accubitu, ubi recipitur, absque ulla resistentia corrumpitur, sive sit in ventriculo, hepate, aut pancreate. Tunc enim certa intermittentia observatur; quia febris, emortuo aut extincto calore, cessare videtur, toto illo maxime tempore, quo nova putredo ad alias partes non pervenit, ut ἀπυρέλος, hoc est, absque ulla febre videatur. Sed quia corruptio ulterius progreditur, nec in loco persistit, (ut in externa gangræna etiam experimur,) fit inde, ut in partibus internis, quæ corrumpi incipiunt, nova excitetur putredo, & illa nova febris, de genere humoris, qui corrumpitur. quæ crescit aut intenditur, duplici ratione; aut, si humoris putridi ideam insequatur, (biliosi ex suppositione;) aut, si pars, quæ longe à corde distat, inflammatione corrumpatur, ut possit secundo febris intermittere, & tertio ad membra, cordi vicina, ultra serpere. Sed jam statim æger inopinato moritur, Medicis nihil tale verentibus; ad modum, quo aliquibus morbus lethaliter revertitur, cum ex falsa declinatione jam in tuto esse judicarentur, maxime, cum fit absque signis levatio: interim enim inveteratione fermentato veneno, à sphacelismo, emortuo calore, videntur febre liberi, & serpente inflammatione, aut gangræna, secundo aut tertio redit febris, acsi legitimo typo moveretur. Aut sane, (quod sæpius accidere varia monstrant exempla) quod venenosus humor, à parte, qua recipitur, prava metastasi retrocedit ad cor, sive motus occasione impellatur, sive quod pars tali & tantæ receptioni non sit capax, vel si

A sit, non ferat; ut Galenus advertit in Critonis exemplo. In cujus Commentario sic: *Solet enim natura*, dixit, *pravos succos ad partes ignobiles deponere, qui aut propria malignitate membra, in qua decubuerunt, prorsus corrumpunt: aut si hæc illos recipere non valent, in tota quantitate ad membra præcipua recurrunt, non ancipiti certissimo periculo.* Sic Calvo in Larissa doluit dextrum femur. Inde febris acuta, passimque dolores comitabantur, altero die absque causa remissi; febris vero increvit, extremæ partes frigidæ. Tertio cessavit dolor, excepit tamen quietem alienatio. mortuus B est in quarto. *Etiam ipse, supra*, (dixit Galenus) *de istis abscessibus verba fecit, quorum aut capax pars non sit, aut, si sit, non ferat, ut mirum non sit, ut mors inde sequatur.* forte inopinato, aut repente. Idem etiam legimus accidisse Adolescenti, cui doluit calcaneum, & parte denigrata, antequam illud effluxerit nigrum, mortuus est. seu, supra recurrente veneno, seu, à gangræna tetro & maligno vapore ascendente.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. sect. 3. 26.

Hip. 3. Epid. sect. ægrot. 5.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 5.

Hip. 5. Epid. 45.

Vidi ego Venetiis (dixit Hercules de Saxonia) C *ægros, cum sine febre decubuerint, post tertiam aut quartam accessionem periisse.* Et nos in hac constitutione, & annis postea subsequentibus, à tertia ad septimam accessionem plures etiam occubuisse vidimus; obesos vero & crassos, cum à secunda recessione inciperent tepescere, nunquam amplius recalescentes, veluti gelu frigidi interiisse.

Hercul. de Saxon.

Hæc omnia nec forent opportuna, nec utilia, ni ex illis maxime profutura in praxi daretur observatio. Cum enim frigus inciperet, sive in in- D termittente, sive continua, fatale illis erat sanguinem mittere: cautissime igitur illis sanguinem mittere consultissimum erat; idque antequam corpus tepescere, aut frigidiuscule sudare inciperet. Nam, cum frigus extremorum inceperat, nefas erat per hirudines, perque sanguinis missionem, sanguinem extrahere: per illam quippe sanguinis extractionem calore defraudato, quo vita carere nequit, veluti gelu frigidi reddebantur, ut non amplius recalescerent. Idem etiam accidere notavimus ex aqua, nive refrigerata, E qua pene extinctus calor interibat.

Quare autem, qui hac febre laborant, tertia aut quarta accessione fataliter frigescant, in causa, ut mihi videtur, est, vel gangræna, quæ in foco & minera putredinis accidit, ex humoris accubitu, vel corruptio nobilis & principalis membri, nativo calore plane debellato; unde videntur, veluti febre liberi, & in alta quiete: quoniam tunc natura non redintegrat bellum, quando superata quiescit, imo, ex remisso calore sperato levamine, pudenda fallacia succumbit, F quia nihil amplius molitur; veluti Hermocratem, oppressa vel extincta natura, occubuisse legimus. Noxius enim humor induit putredine virorem, haud absimilem venenis deleteriis, ratione cujus naturæ dominatu contineri non potest, sed peculiari abstrusa qualitate, relictis ignobilibus, vitæ primordia & principatus adoritur, formamque, formæ rationali incompatibilem, introducit, medio corruptionis membri, aut recentis gangrænæ, per malignos vapores, quo dispositiones, priori formæ incompatibiis, producit. Cujus operis medio cum se debellatam

latam natura sentit, tacito se recipit timore, præscitoque periculo, humorem seu causam corrumpentem non aggreditur; Inde repente deficit, subitoque emoritur: quia per quietem venenum, supra quam credi potest, vires exerit; vel subita visceris corruptela, si forte focus in illo delitescit; vel sanguine veneni naturam induente, cum cor necessariò & fataliter petit, & vitæ præsidia labefactat, ut citius mortem quam periculum afferat. Et hæc est prima hujus febris fallacia. Non enim, eo quod intermittat, est secura, ut Hippocrates dixit; potest quippe illi advenire periculum, vel ex humoris decubitu ad membrum principale, vel ex malignitate apparatus.

STATIO II.

De horrifica febre: & rigoris judicio.

Galen. lib. Finit. Med. fol. mihi 46.

Horrida febris est, juxta Galenum, *quæ habet admistam rigori caliditatem, pulsus adeo infirmos, ut ne ad tactum quidem usque perveniant, sed intro recesserint. Hac detentis venter tumefactus murmurat: lingua humida admodum est, quæ quiddam acescenti simile habet, quo veluti saliva circumluitur.* Reor, Galenum hic de sola febre ex cruditate loqui; quæ est certe continua, ad intermittentis differentiam. Nam postea, *Typus*, inquit, *est passionis tempus, cui & accessio & remissio ordinata contingit. Periodus, seu circuitus, est tempus in morbis, ex intensione & remissione consistens.* Sed vere horrida febris est illa (prout omnes alias comprehendit,) quæ incipit & finitur cum horrore, rigore, aut horripilatione, non certis & statis temporibus, sed per omnem febris durationem, maxime, per ascensum & incrementum accessionis. Hæc aut est hemitritæa, aut constitutione & natura maligna, semper in hac sorte continua, potest esse in illa intermittens. Utrumque constat ex illa historia generali, prima Tempestate, in Thaso, quam Hippocrates narrat. *Infestabant*, inquit, *illos plerosque hæc incommoda, febres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes. Modus erat semitertianus. uno die leviores, altero gravius iterum invadentes. in summa, indies acutiores evadebant.* Et 24. *Sudabant semper quidem, sed non toto corpore: multum extremitates frigebant, ut vix calorem reciperent.* Galenus in Commentario sic ait: *Præcateris autem meminit, febres fuisse horrificas. Quod quidem significat, per ascensum, & incrementum quod vocant, accessionis horruisse diutissime ægros. Neque enim, quibus initio accessionis horrores incesserunt, isto appellavit nomine, sed quibus per totam propè accessionem produceretur horroris symptoma. Et fit bifariam: modo cum reduplicationes faciat intensio; modo hoc ipsum solum, inæqualem scilicet ascensum*, &c. continuas autem nominavit, quia ad infebricitationem non deveniunt: licet altero die mitiores reddantur. Hoc vero habent peculiare, quod ægre incalescant, vixque ad vigorem perveniant, quin altera anticipet accessio. Quod nos & sæpe vidimus. Vidimus etiam, usque ad totum morbi vigorem increscere, indiesque intendi.

Hip. 1. Epid. sect. 1. 23.

Ibid. 24.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. sect. 1. 23.

Difficilis est certe febris, & prænuntia graviorum malorum, quæque fere semper exitum portendit. Dicam, quod observavi in hac febre; postea, quod Hippocrates narrat. Juvenculæ & robustæ mulieri, dum prægnans esset, febris cœpit, cui fuit occasio nescio quid potionis, ut concitaret aborsum: illum vero non consequitur, imo febris accenditur, & non quæcunque febris, sed horrifica. Incipiebat enim post meridiem horror, cum aliqua levi concussione, adque noctis dimidium perdurabat, cum extremorum levi frigiditate. Sed illud miri erat, quod, in horroris medio, calor inæqualis, & acer, veluti per cribrum expiraret, ut intro foras delatione esset in continua pugna, usque dum inæqualis calor exteriora membra calefaceret. At febris incremento nondum bene exacto, cum lux incipiebat, jam inæqualis horror velut à postliminio revertebatur. Interim impiam amarissimi poculi potionem pia dissimulatione contegebat. Nos vero gravioris mali causam inquirentes, illam fuisse novimus, ut prægnantis etiam apparatum. Exinde febris hemitritæa & maxime confusa sequebatur. Cujus prima accessio, quæ per impares potius movebatur, semper horrifica, sed non ita extensa, humoris biliosi naturam sapiebat, in acerrimo urentique calore, siti vix ullo potu compescibili, implacido & frequenti alismo. Secunda autem, quæ hanc excipiebat, perque pares accessiones ibat, ex bilioso succo pituita permixta erat, sed magis horrifica, & reduplicationis intensione, & prorsus ascensu inæquali. Nec unquam ad statum venire videbatur: quoniam erat in incremento universa accessio, pulsus contractione & horroris frequentia. Neque status signa unquam adesse vidimus: erat enim extensa omnis accessionis constitutio. quippe, antequam hujus accessionis levamen cerneretur, furtim & improviso subsequens ingruebat, nec ad infebricitationem venire videbatur, cum esset utriusque accessionis in perenni circuitu. ubi nulla erat auxilii occasio, neq; vires ferendo auxilio pares erant. In quo febris miserrimo statu, ad summũ atrophiæ redacta, symptomatum vehementiâ absumpta, malignitate fermentatæ putredinis massa sanguinis universi corrupta, succorum contra operantia inæquali natura delassata; tandem, febris intensione hectica complicata, post quadraginta dies fatis cessit.

Hæc erat proprie rigorifera febris: hanc descripsit Hippocrates in illa Tempestate. De hac ita dixit Galenus: *Nam, si brevibus intervallis sint à se motus horrifici dirempti, inæqualis dicetur & horrificus motus: Sin ampliora sint intervalla, horroris potius dicetur reduplicatio, velut in hemitritæo, cum horror alterius incrementum insequitur, antequam hujus veniat declinatio.* Apertius Galenus signa hujus febris descripsit. *Invadat igitur*, inquit, *febris aliqua horrida simul, atque omnino inæqualis in pulsibus, atque in eo, qui per totum corpus sentitur, calore, ut sæpe prope statum esse existimetur, vel medium augmenti obtinere: rursus vero horrida fiat, & pulsus minores, obscuriores, ac tardiores & rariores habeat, & calorem quidem ab extremis partibus recedentem, circa vero ventrem atque thoracem redundantem: hanc non absque ratione quispiam, hemitritæum, id est, semitertianam fore sperabit, vel potius jam esse: à multis vero in tertio die dignoscetur.*

Ibid.

Gal. lib. 1. de Cris. cap. 9.

Sic pariter incipere videmus febres intermittentes, tertianam nempe notham, legitimam & quar-

quartanam. Harum tamen differentiam oportet asterisco notare. In pure enim intermittentibus unicus est insultus rigoris aut horroris, quo exacto, æqualiter incipit febris ascensus, æqualiterque devenit ad statum, sine interruptione alterius horroris: in pulsu est æqualitas. ad quæ omnia manifesta sequitur declinatio. Quæ cuncta deficiunt in horrifica febre; ut dicebamus antea. Hoc ipsum manifeste etiam colligitur ex hac Hippocratis sententia: *Si rigor incidat febre non deficiente, & ægro jam debili, lethale.* Attente nota illam dictionem *incidat*; quoniam non est idem, ac si dicat, inciderit, hoc enim unicum significat insultum, *incidat*, vero, plures, hoc est, in tota fere accessione, ut exinde nulla sequatur declinatio. Nam, *quibus in febribus* (dixit Hippocrates, de simpliciter intermittentibus) *quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.* Quod etiam Galeno & Avicennæ placuit. Et hoc fit sine periculo. Quod de febre horrifica sperare non licet. Causa videre est in Galeno, quam in antecedente Statione legimus. In hac vero non excludit periculum: quia rigor, in magnis & pluribus insultibus, est de maxime principalis notæ motibus, ac ipsa spirituum intus foras delatio, est etiam inter pravos eximia, quia membra principalia dissolvit, cum multas animi perturbationes passionesque insequatur; ut etiam nos docet Galenus. Nam spiritus & sanguis, in rigore, aliàs ad viscera interna contrahuntur, aliàs ab ipsis membris, ne suffocata pereant, expanduntur, mutua contentione inter motus contrarios.

Hip. 4. Aph. 46. *Idem, 4. Aph. 63.* *Gal. lib. 1. de Arte curat. ad Glauc. c. 5. & 8.* *Avic. Fen. 4. 1. Tract. 1. c. 2.* *Lib. de Symp. caus. cap. 2. & de Rig. & Trem. c. 6.*

Quare, solus ille rigor, aut horror, cum vehementia, brevis, cum sensu punctionis, qui sub ordine determinato repetit, est febris periodicæ, non certe rigoriferæ; & sic securitatem brevitatemque notat: est siquidem ille intermittentis signum, maxime, quando ab infebricitatione recens exacerbatio præoccupat. Nam continui horrores, pyræ antecedentis gradum non intendunt; ut Methodus Galeni adnotavit: hoc enim accidit, quando congeries mordacium fuliginum, quas venarum capacitas non capit, ex aliquo accidenti retenta, ab ipsa natura irritata per partes sentientes propellitur, non relicto priori foco. Quod aliter accidere videmus in febre prorsus intermittente, ubi pars mittens, humorem, quem generat, propellit, qui in parte recipiente putrescens, novam accessionem concitat, sive antecedentis exacerbationem; sed relicto priori foco.

Lib. 9. & 10 Meth. Med. cap. 4.

Sunt etiam in periodico rigore aliæ considerationes ad præsagiendum utiles. Longus enim intermittentis rigor, cum pari sensu frigoris, est potius longitudinis quam periculi soboles: è contrario, brevis, licet concessione validus, longitudinem & periculum excludit. Nec omnis rigoris anticipatio est ad febris augmentum: in illa enim pariter declinare contingit. Rigor, cùm quotidie anticipat, & accidentia pariter intenduntur, aut nova in singulis repullulant; non tantum arguit, febrem augmentum non transcendere, sed non ita cito finituram durationem, arguit: perennius enim tunc humores generantur, & ad focum mittuntur, quam in accessione dissipentur. Si vero in hac eadem anticipatione, rigor accidentia pari vehementia non intendit, quinimo, qualibet accessione debiliora fiunt, rigorque & accessio breviora; tunc febris fit finis in anticipatione, non tantum declinatio: quoniam illa anticipatio, est tenuis & acris potius humoris gentilitia, quam multi & perenniter antea generati. pariter enim tenuitas & humoris acredo naturam anticipare cogit, quam ipsa cogens multitudo. Sin autem eàdem hora, qua hodie incepit, cras repetit, difficilis sane solutionis est: quoniam pars mittens & recipiens, æquali perennitate, hæc tantum recipit, quantum illa & generat & mittit: nec plus in accessione dissipatur, quam illa perennitate generetur; ut Galenus est auctor. quo fit, ut, ubi nullus antea timor erat periculi, nunc discriminis eluceat periculum: quoniam rigoris & accessionis continuitate natura delassata, interdum resistere non valet, maxime, si aliquod grave accidens delassatam præcipitat naturam, veluti fluxus ventris, lethargus, aut phrenitis: quæ solent, nova succrescente cacochymia, sive diu fermentata putredine, sine causæ inveteratione, malignitate pullulante, supervenire febri, quæ antea insulsa & discriminis expers videbatur. Si vero in eadem accessione frequens incidat rigor, calorque mutuo alternatur, redintegrata pugna, de morbi longitudine, aut malignitate suspicari par est; illud, in interpollatis; hoc vero, in continuis: quoniam multitudinem arguit inæqualitas, si non succos diversos, veluti in hemitritæo; nec loco nec tempore determinatam horroris alternationem, malignitas. Ideo ad temporis particularis mensuram, in typica febre, tempus universale comparatur: nam, si est productus rigor & accessio longa, longum fore morbum sperabis; sed non cito futuram declinationem ex postpositione: in illa enim longe productam febrem vidimus. Cujus eventus eadem est doctrina; ut in anticipatione dicebamus. Hæc in typica febre nos observare docuit continua ægrorum observatio.

Comm. in Hip. 4. Aph. 30. *1. Aph. 12. 3. de Cris. 4.*

Nunc de febris continuæ rigore aut horrore alia nobis obvenit consideratio: in illa quippe, dum febre jam progressa, (solet enim interdum continua à rigore incipere) rigor aut horror incipit, ille aut est criticus ad speciem febris, sive absolute symptomaticus, aut tandem inter utrumque medius. Crisimon solere esse in causone, & secundi judicii, si tempore locoque superveniat, & in illa peculiari causonis conditione, quam arida lassitudo induxit ex arefactis venis, vetustissimi senis est doctrina. Hoc enim de illo Præceptoris est judicium: *Qui in rigores validos tendunt*, inquit, *non admodum mitigantur, sed prope statum.* Et text. 10. *Ante rigorem urinæ suppressiones, si crisimon alvus excreverit, & somni fiant: forsan verò & febris modus, forsan & quæ ex lassitudinibus.* In cujus Comm. sic Galenus: *Per deos immortales, quid dicere debeam, nescio, &c. Est enim criticus rigor, succorum indicans motionem, suppresso maxime lotio, in statu & in crisima die, & si ex bonis fluxerit, hoc est, ex urinæ pepasmo: tanta enim signorum ab urina in acutis febribus vis est, ut & illi soli credendum sit. aliis vero accedentibus, etiam divinatio tibi erit firmissima, perpetuoque veridica.* Hoc tamen erit in ancipiti, an illa crisis ad sudorem, an ad alvum in-

Hip. 6. Epid. Sect. 1. text. 9. *Ibid. text. 10* *Gal. Comm. in Hipp. 6. Epid. Sect. 3. text. 10.*

inclinet? quod ex aliis signis confirmabit præsagium. Nos hoc aperte colligimus ex illa dictione *forsan & febris modus*; hoc est, an calida & biliosa, & ardens: novimus enim, rigores judicatorios, quicunque in acutis febribus, potissimum ardentibus, fiunt, ex bile flava extra venas per sensoria corpora delata excitari. Verùm, quia febres, ex lassitudinibus venientes, temperatura biliosissimæ sunt, ut qui ex lassitudine causi nascuntur; ideo videtur verisimile, illas maxime sudore terminari: quia tales gignuntur, cum arefactæ exhaustæque venæ, acres & calidos ichores ad se traxerunt; qui sunt maxime ad sudoris materiam, non tantum, quia tales, sed quia jam in corporis ambitu collecti. Lassitudo enim indicat, corporis ambitum jam ichores occupare, &, qui adhuc in venis fervet humor, si exitum affectat, dum movetur celeriter, sensationem suæ feritatis excitabit; unde ichores jam deferuntur locis, successione ad id, quod vacuatur, per illam maxime regionem, qua illi vacuantur, naturæ dominatu, humorisque impulsu, regionis forsan commoditate: inde rigor concutiens, dum partes stimulo perculsæ, ad exclusionem rei molestæ concitantur. quod si fiat salutari causone, naturæ dominatu, rei noxiæ & commoti humoris insequitur exclusio. Et inde est, quod, *à causone habito, rigore superveniente, solutio.* Si jure, loco, & tempore, dieque maxime decretoria. Si iis considerationibus accedunt futuri sudoris signa, qualia in historia generali adnotavimus, securissima tibi erit prædictio.

Hipp. 4. de Vict. Rat. in morb. acut. à 1. ad 4.

Hipp. 4. Aph. 58.

Nulla tamen sententia in hac signorum syndrome acrius judicium expostulat, quam illa Epidemiæ: *Ante rigorem urinæ suppressio, salutaris.* an, quia ex eadem materia suppressio, rigor, materiæque morbificæ exclusio? Quod verò de critico rigore hæc sit intelligenda, patet ex iis, quæ sequuntur & suppressionem & rigorem; nempe, si alvus excreverit, & somni adsint, maxime, si addideris, quæ leguntur in Galeni contextu, nempe: *Si in acuta febre & alia signa tibi salutaria videantur, & judicationem paulo post futuram speres, te scire oportet, suppresso lotio, judicatorium rigorem necessario futurum. Quod si & nox difficilis antecesserit, & dies judicatorius sit, certius futurus rigor prædici poterit. at, si nota ex arteriæ pulsatu accesserit, &c.* & tanto difficilior redditur hujus sententiæ diorismus, quanto clarior est antithesis cum alia ejusdem Præceptoris sententia. nam 1. Coac. ita dixit: *Quæ cum rigore sistuntur urinæ, convulsificæ sunt & sane pravæ.* Et alio in loco; *Ex frigore prava est urinæ suppressio: & crebri ex lumbis rigores, acerbissimam urinæ suppressionem notant.*

Idem, 6. Epid. sect. 1. text. 10.

Gal. Comm. in Hipp. 6. Epid. sect. 1. text. 10.

Hipp. 1. Coac. text. 26.

Idem, 1. Coac. 5. & 9.

In unica dictione, tota antithesis solutio consistit, nempe, num ante, num post rigorem urinæ suppressio incipiat? quoniam, si rigorem præcedat, est judicanda critica, sub illis conditionibus, quas antea notavimus: si post rigorem veniat, est præsaga gravissimi symptomatis. Primum constat ex antea citata Hippocratis sententia, ubi expresse, *ante rigorem*, dixit. Quare autem sit critica, quæ rigorem præcedit, Galenus in hujus sententiæ Commentario causam hanc dixit: *Verum, urina etiam alvo multa excernente supprimitur: illuc enim serosam humiditatem vergere signum est. Cujus redundantis triplicem evacuationem esse didicisti: per alvum, per lotium, per sudorem. Igitur, si alvus plura dejecerit, urinæ suppressæ ad futurum rigorem præsentiendum fidere non convenit. at, si alvus fluxa non sit, proximamque esse morbi judicationem prænoveris, ægrotum rigere sudareque necesse est.* Maxime, si calida sit & biliosa febris: nam potissimum in ardentibus rigores judicatorii fiunt; quia ex flava bile: & lassitudinariis, quod ichoroides maxime.

Hipp. 6. Epid. Sect. 1. text. 10.

Galen Com. in Hipp. 6. Epid. Sect. 1. text. 10.

Quare autem suppressio lotii, quæ sequitur rigorem, semper sit symptomatica, causa est, quia commotus humor, horrificæ concussionis occasione, contentione mutua, dum natura noxam excutere conatur, pravam facit anadromem ad viscera interna: quo fere accidit, ut, exitu humori denegato, loco expectati judicii acrisia contingat (quod in decretoriis non discernentibus accidere vidimus, & Hippocrates docuit:) ut inde dolores, difficultates, recentesque labores superveniant. atque ita non sit mirum, ut lotii suppressio, quæ sequitur rigorem, sit ducenda prava, quia gravioribus ærumnis ægros cumulat, præexistentes auget, vires recenter atterit, ut tandem morbus, qui mitior antea videbatur, irrito cretismo nutet ancipiti fortuna. quod si accidat viribus jam collapsis, erit prorsus lethale. Et hi sunt rigores, ut Hippocrates dixit, certa lege funesti. Quare, si rigor crebro incidat, febrisque nullum afferat levamen (cum semel debuisset accidere) ante tempus pepasmi, cumque urinæ fugaci retentione, ad spem crisis prona; tunc, si præsidia naturæ sint collapsa, spes Medici cadit, & ægroti retrocollapsa fertur: quia validam rigoris concussionē, suppressionisq; acerbitatem ferre nequit, nec natura adhuc ad liberam & liberalem excretionem sufficit. Et hæc est ratio, quare crebri rigores sint utplurimum lethales, quia videlicet decretoria non decernentia, ex crebra & inutili motus concussione, parique humoris delatione; excretione omnino denegata, quia frustra cietur. præstaret enim, naturam feriari, quam aliquid frustra moliri: nam si, quod non excluditur, frustra cietur, occasionem oppressionis auget: parique discrimine translationis humoris jam commoti: ut patet in urina suppressa, quæ post rigorem accidit. Pariter enim poterit, (ut & nos observavimus) ad caput, ad cor, ad pulmonem recurrere: quorum signa, humore recurrente, sunt ἐπιφαινόμενα adauctæ passionis & periculi. Omnis enim recursus, est suo jure pravus, humoris verò maligni, aut ad nobile membrum, lethalis observatur. Si ad cor ruit, id subita virium eclipsis, repentina pulsuum inæqualitas, tremor, dolor, aut palpitatio, cum frequenti deliquio, indicabit. Rubores maxillarum, cum parvo & celeri spiritu, formicantique pulsu, signa erunt, ad pulmonem recurrere. Si ad caput, rutila erit cum sudore facies, torvo, nec connivente oculorum intuitu, pari metu delirii & epilepsiæ; forte ad hæmorrhagiam.

4. Aph. 46. & 1. Coac. 2.

Hujus catholicæ doctrinæ Hippocrates constituit exemplum in illa Coac. sententia: *Crebri ex lumbis rigores* (horrores vertunt alii) *cum cita caloris vicissitudine, calamitosi: nam acerbissima urinæ suppressio denuntiatur. Est etiam his ephidrosis pestifera.* hæc eadem sententia legitur in Prorrhet. ubi Hippo-

Hipp. 1. Coac. 8.

Hippocrates interceptiorum addidit dolorosam: quia, ut suspicatur Galenus, non tantum ex humoris accubitu sequatur interceptio, sed systrophica etiam inflammatio, non tantum in illa renum & uretrum regione, sed quoque ambitu & membranis vesicæ. quoniam urinâ simpliciter retentâ, ægroti implacidi redduntur, vesicâ inflammatâ, dolorosi. bene etiam potest suspicari de inflammatione spinalis medullæ, ejusque membranarum. *Quod ex dictarum partium phlegmone fiant, verisimile est*, dixit Galenus. Verisimilius tamen mihi videtur, ad renum, uretrum aut vesicæ inflammationem, horrores insequutos, sive tantum, quod urina suppressa. si non dicimus, ex humoris accubitu urinam interceptam, absque ulla inflammationis suspicione. Ideo enim fiunt vicissim redeuntes horrores calamitosi, quoniam partes vi caloris contra naturam ardent, nativa autem caloris paupertate refrigerantur, dum mutuo recurrit & expanditur. Ideo, ut in Coacis legitur, *Sudatiunculæ & rigoris crebra vicissitudo, funesta.* quod intellige, si accidat fractis jam viribus. nam facultates crebra rigoris vicissitudine vigorem sustinere non valent: unde animi angor sudorem elicit, quo debilitas alibilem substantiam dissipari, perque sudatiunculam exolvi, permittit. Ideo, Hippocratis judicio, in febre horrifica, (de qua agimus) *Qui sæpe & multũ sudore diffluunt, miserandi*. ut etiam legitur in Prorreth.

Idem, 2. Prorrh. 43.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Prorrhet. 43.

Hip. 1. Coac. 10.

Idem 1. Coac 11. & 2. Prorrh. 23.

Quomodo autem hæc lethalis exolutio dignoscatur in fraudulenta febre, non minus solet facessere negotium; cum sæpius pulsus videantur persistere. Dicam, quod sæpe in praxi observavi. In febre jam progressa, si, quando levatio sperabatur, flava & crassa urina redditur, & febris magis est intensa, ampliusque sitis ægrotum urget, cum alismo implacido, tunc ferè ægroti incipit desperatio. Verùm, nec in hoc tantum prognosis certitudo observatur; sed quando his insuper accedit, ut aliqua ex præcipuis facultatibus insigniter lædatur, animalis nempe, vitalis, aut appetitiva, naturalis aut sanguifica: quoniam fatale est indicium, ægrotum frequenter sine causa exolvi, ex quaque levi corporis motione: & loco fastidii aversa cibi abominatio; & in sanguificatione, omnimoda sanguinis corruptela. Quod idem ab antiquissimo medicinæ Archiatro, & in eadem febre, legimus observatum, quando dixit: *Quæ à rigore incidit ignoratio, mala: mala est etiam oblivio.* Quoniam utrumque Symptoma, extremam exolutionem animalis facultatis consequitur, si à rigore perseverent firmiter fixa mala. Fuit hujus sententiæ exemplum Apollonius qui à decimoquarto factus est obliviosus: postea a rigore incaluit, & inde insanuit. quo fere obiit in trigesimoquarto. Hoc idem enarrat accidisse in quodam statu pestilenti. *Hæc*, inquit, *erat natura illarum quæ vagabantur febrium: Initio comatosi erant, fastidiosi, atque horrescentes: febris non acuta: nec magnopere erant sitibundi, neque deliri.* Et 36. *Accessiones plerique diebus paribus habebant.* Et 37. *Oblivio sub accessiones, languor, vocisque defectus.* Hoc idem his diebus in statu pestilenti observavimus, sub Hispalensi clade. Rigor incipiebat à tertia aut quarta die: inde talis oblivio, & omnium rerum ignoratio ingruebat, ut puncticulis ad extra prodeuntibus, extremus languor omnes facultates occuparet. & hi omnes peribant. Ideo, quæ immemoribus funduntur urinæ, pestiferæ. Hoc etiam fuit fatale signum Dealcis uxori. Hinc etiam, *Si liquidis alvus feratur, ægro non sentiente, malum* dixit Hippocratis, *ut hepatico.* Hinc vera elicitur tecmarsis illius Coacarum sententiæ: *Qui crebro cientur veternosi rigores, funesti.* Quia, quo plures affectiones sunt in vitio, eo pejus res eunt. nam, si malignæ & horrificæ febri inclinatio accessit veternosa, vel oblivio, seu naturalis facultatis impotentia, cum torpore & corporis & mentis, cum plumbea quadam affectione; extremus languor arguitur, qui non redintegratur: cùm à privatione ad habitum non detur regressus. maxime, si præcedat hos affectus symbolica temporis constitutio; ut 3 Aphorismorum legimus: ubi austri cum quadam segnitie notantur veternosi. quod fere accidit, quia nervorum principio madefacto, aut cerebri substantia nimia humiditate irrigata, segnities accidit, ex qua obliviosus torpor, si transitus præpeditur spirituum. Interdum solus cerebri languor est in causa, dum ab exhausto laborat cerebro à se ipso alienato; quod alteratio diuturna invexit, si non inveteratio causæ, mille modis malignæ, aut jam adaucti morbi: quod potius vigilandi inducit impotentiam, quam veram lethargicam affectionem.

Hip. 1. Coac. 9.

Apud Hipp. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 13.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 34.

text. 36.

text. 37.

Ann. 1649.

Hipp. 1. Prorrh. 28.

2. Prorrh. 46.

Hip. 1. Coac. 14.

Sed inde major symptomatici rigoris notitia comparatur, si accidat vel adveniat die non decretoria. quod etiam cæteris excretionibus commune judicabis. De hoc nobis Hippocrates luculentum adduxit testimonium. *Qui sextum morbi diem agentibus*, inquit, *fiunt rigores, judicii sunt plane funesti.* Hujus sententiæ occasione Galenus satis necessariam nos docuit doctrinam, dicendo: *Crises omnibus diebus accidunt, sed neque æquales numero, neque æquali fide. Hoc intercedit discriminis inter illas, quod aliæ bonæ, aliæ malæ eveniant. Quædam cum plurimis & difficilioribus symptomatis, & majori certamine: nonnullæ statim ab initio, tuto invadunt. Quin etiam in hoc plurimum differunt, quod hæ deficientes, illæ perfectæ sunt: nec minus, quòd aliæ certis statutisque diebus indicatæ prius, fiunt: aliæ repente. Nam tot sunt differentiæ crisium, quot dierum. In duodecimo enim & in decimosexto nullum unquam judicatum vidi. In septimo ne vel numerare omnes possum. Sextus judicat ut tyrannus, cum difficillimis symptomatibus, & periculo maximo, ad hæc absque fide, imperfecte, obscure, sine signis, & ad malum. Hæc dierum differentia, non tantum à me, fideliter observante, inventa est, sed Archigini patuit, in artis operibus diligenter versato: insuper huic superiori, Tarentino Heraclidi, qui speculationem celebriorem fecit experientia: postremo etiam Philotimo & Diocli; aliisque veteribus: tum ante hos universos Hippocrati divino.* Hoc etiam habent considerationis istæ crises, ut, quæ veniunt in die decretoria, ex parvo naturæ apparatu, ad crisim commoveantur; ut Galenus advertit. Et ideo accidere videmus, ut crises absq; ullo naturę prę judicio adveniant, ex virtute diei, & ubi nulla interdum sperabatur crisis, in septimo maxime aut in decimoquarto. *Sextus vero*, dicit Galenus, *magno indiget causæ morbificæ apparatu, & sæpe neque ulla in eo fit crisis; &, si fiat, neque sine periculo, nec fideliter accidit.* Quod in ictero Hip-

Hip. 1. Coac. 15.

Galen. 1. de dieb. decret. cap. 2.

Idem 1. ad Glauc. 15.

Hippocrates reduxit ad exemplum, & in historia generali in variis ægrotis comprobavit. In tertia Tempestate in Thaso, inquit, *Plurimi, qui perierunt ægri, sexto die defuncti sunt, ut Epaminundas, Silenus, Philiscus, Antagorei filius.* ideo *Dromedæ uxori, & Hermocrati, icteros fuit sexto die funestus.* Et, si Larissea virgo & Hermogenes sexta die per crisim liberantur, hoc est rarissimo miraculo, hujusque regulæ exceptioni apponendum, ex naturæ forti contentione; in illa, liberali menstruorum profluvio; in hoc, copiosa ventris excretione. Ideo dixit Galenus fortasse: *In quibusdam exemplaribus adjectum est Aphorismo circa finem, Nisi humores ex alvo prodeant. volentibus iis, qui hæc adjiciunt, per alvum bilem expurgari.* Quod etiam in historia generali legimus adnotatum. *Erant enim*, dicit Hippocrates, *qui sexto die morbo regio afficerentur, sed iis purgatio profuit per vesicam, vel turbata alvus, vel sanguinis eruptio. ut Heraclides, qui vigesimo judicatus est; at periit Phanagoreon servus, cui nihil horum advenit.*

Hip 1. Epid. sect. 2. 83.

Gal. Comm. in 4. Hipp. Aphor. 62.

Hip. 1. Epid. Sect. 2. text. 65.

Hæc sunt signa rigoris symptomatici: damna vero, quæ timere oportet, ex irrito rigoris cretismo, quando non concitatur ad speciem crisis, jam prosequimur. Convulsionem expectare ex symptomatico rigore, in cephalalgico capitis apparatu, nos Hippocrates docuit, maxime, si nocturna fiat exacerbatio; nisi virium exolutio in rigore syncopem concitaverit. Hoc alia Hippocratis sententia comprobatur: *Quæ cum rigore sistuntur urinæ*, inquit, *convulsificæ sunt & sane pravæ; tunc magis, si sopore consistant: & tunc erunt parotides expectabiles.* Cum rigore, hoc est, à rigore: nam, ut antea vidistis, urinæ ante rigorem ad crisim sistuntur, postea semper symptomatice. Rigor enim & urinę suppressio poterunt esse critica: & sane experiuntur prava, si causarum & temporis spectes varietatem; quoniam, si fiat anadrome à rigore ad lumbos, aut ad vias urinæ, inde prava metastasis experitur; ut dicebamus antea: cum aliter fiat, ante rigorem, urinæ suppressio salutaris; ut Hippocratis dixit. sed illud ab urinæ pepasmo denuntiatur, à tempore, febris conditione, & à crisis die; & illud à contrario, ad vias urinæ maligno humore recurrente, aut ad membranas spinalis medullæ, ubi rigores ob sympathiam partium nephriticarum concitantur, indeque forte convulsiones, ob sympathiam spinalis medullæ, & nervorum principii. Sopor, & cephalalgia indicant oppressionem cerebri, quo natura in proxima emunctoria, aut in canales proximas, repletionem deponit, æquali convulsionis ac parotidum periculo. Nos etiam vidimus à rigore, ut & urina, anadrome retenta, sævam epilepsiam concitari.

Hip. 1. Coac. 20 & 22. Et 3. Prorrh. 4. Idem, 1. Coac. 26.

6. Epid. sect. 1. text. 10.

Sunt alii rigores, inter malignitatem & excursum medii, inter crisim & symptoma, rigoriferæ febris gentilitii; nec ideo non pravi, semper incerti, certa quadam lege maligni in plerisque, indifferentes aliis: quorum alter arguit contumaciam, alius humoris feritatem, alius mixtionem diversorum succorum, ex qua inæqualis putredo; alius tandem translationem de membro ad membrum, per loca sentientia, seu nervorum propagines, seu derivationes. Harum exempla sunt in illo Coacarum theatro, ubi inter alias hæc legitur sententia. *Tritæophyis febris incerti rigores, valde maligni, qui medio febris cursu exacerbantur.* Harum etiam febrium in historia generali celebrem fecit Hippocrates memoriam. *His erant febres*, inquit, *continuæ omnes, quæ non remittebantur, sed tertiano circuitu excandescebant; cum altera die leviores, graviores altera sentirentur. Erant febres omnium pessimæ, mansuetiores per initia, in pejus versæ continuo, ac, si quando remissiores essent, è vestigio excandescebant: sed criticis diebus maxime harum rigores inordinati erant & erratici.*

Hip. 1. Coac. 2.

Idem, 1. Epid. sect. 2. 3. Tempest.

Sunt febres istæ, ob accidens rigoris, natura sua pravæ, conditione malignæ, & accidentium sævitia terrificæ, & motu, & periodo, remedio incertæ, natura inconstantes, ut in illa vix certi quid elicias, &, quod magis est, neque operandi, nec cibi resumendi occasionem valeas invenire. Hæ sunt inæqualis fermentatæ, & malignæ putredinis, consectariæ: unde multiplex & diversa cacochymia, quæ vix unius humoris naturam sapit; unde motus inordinati, frequentes & incerti horrores, hocque in singulari quaque accessione, sed criticis diebus motu magis conspicuo, cum in illis natura ad pugnam concitetur. Ex quo accidit, ut, si nulla sequatur vacuatio, ex rigore virium oppressio sequatur, ubi nulla est viarum libertas, & effœta facultas delassata rigoribus: unde importunus alismus, omnis loci & figuræ impatiens, quo anorexia & fastidio ægroti contumaces redduntur, judicio ancipites, & ad somnum prolapsi, à rigoris excursu.

Nam, cum istæ laboriosæ febres ex diversorum succorum cacochymia sortiantur initia, calidior & tenuior portio acutam accendit febrem, frigidiore interim putrescente, & putredinem forte reduplicante, ut corruptio evadat malignior: unde fit, ut, cum prima remittit, accendatur secunda; &, quæ prior invasit, importuno rigore postea exardescit accerrimo calore, in comparatione ad remissa. & secunda pari vicissitudine, non rigore sed horrore recurrit, ut nullibi ac nulli detur quies: imo, in medio cujusque exacerbationis interdum concitatur inopinatus rigor, ob motus succorum importunos, & malignam humorum acrimoniam. Unde crises funestæ, viribus importuna molestia jam collapsis, symptomatum sævitia concidentibus, ventriculo stomachi dolore debellato, oppresso cerebro lethargico sopore, ac obliviosо mentis & corporis torpore, ac tandem, corde malignitatis fato concidente. Ideo tritæophyes febres sunt incerti rigoris, absque intermissione, tertio quoque die ingravescentes. quod fere semper semitertianis vidimus accidisse; sed certo & periodico rigore, in tritæoph. semper incerto, & non stato ordine. Et hæ sunt illæ febres, de quibus est illa Hippocratis sententia: *Tritæophyes febres erraticæ, in pares mutatæ, sunt contumaces.* Duo in hac sententia nostrum judicium exoptant: & quare tritæophyes febres sint erraticæ; & cur ex imparibus ad pares mutentur; quod in aliis arguit contumaciam, in plerisque, ex recenti putredine humore transmutato in deteriorem succi conditionem, inevitabile discrimen; quod nos sæpe sic evenisse vidimus.

Hip. 1. Coac. 39.

Erra-

Erraticas semper peperit febres diversa & inæqualis temporum constitutio, non pressa leviter, neque ad breve tempus: non potest enim jecoris œconomiam immutare, nisi illa, quæ ad tempus producitur. Ubi non simplices, sed diversi humores dominantur, qui à multiplicis cacochymiæ corruptione & vitio accenduntur: & inde fit, ut corruptionis incremento, lacessitarum partium complexio alteretur & immutetur. Hoc enim est ipsa natura comparatum, & ratione naturali fulcitum, ut, cum humores & corpus universum, nativam conservant œconomiam, ut æqualia & similia, quæ ab eadem facultate alterantur, prorsus æqualia faciant excrementa; & tunc morbi æquales & constantis judicii, ut in constitutione accidit naturali, in vera temporis ratione, prout cuique debetur; ut tertio Aphorismorum legimus. Si vero tempestates, (secundum quatuor anni divisiones, veris, æstatis, hiemis, & autumni) nativam & gentilitiam rationem non servant, sed ad prorsus contrariam convertuntur, aut sane inæqualem; multiplex & diversa succorum diversorum producitur congeries, & facultates naturales, inæquali alteratione mutuo superatæ, in suis functionibus patiuntur ab invicem, ut nativa prorsus perdatur œconomia, excrementaq; partes non æqualiter gignant nec suscipiant. Hinc etiam inæqualis est harum febriũ feracior autumnus, ut auctor est Hippocrates. Hinc morbi inconstantes, nec facilis judicii; hinc accessiones citius quam opinemur repetunt, insperatò anticipant; hinc erraticę febres in typo & ordine incertæ; hinc tandem dierum mutatio à paribus ad impares, febrisque contumacia.

Quorum omnium ratio in humoris dominatu consistit, in cujus irritatione alternata periodo commovetur natura, impulsa ab humore, qui recenti putredine efferatur, dum alter hujus occasione, nova effervescentia, suas exerit vires, ut accessionem alternet & rigorem. Vidimus enim, notham tertianam per rigorem incipere, ac medio febris cursu pugnam redintegrare, horripilationem alternari. Cumque hæc febris biliosa mitescit, febrilis calor sævius in altero & vicino humore exardescit; unde nova concitatur accessio, & ita præpostero ordine, & confuso, ut non sit certa quies, nec ulla determinata auxilii occasio. quin imo, sæpius humore bilioso absumpto, in illo, qui remanet, per ustionem genito, sæpe duobus aut tribus diebus interjectis, nova repullulat accessio, vel in pituitoso bile mixto, vel in melancholico, accensis à calore, cineribus illius, qui jam deferbuit, humoris: quo erratico motu, & incerta periodo, ægroti patiuntur & tractantur miserius. Illud etiam in hac confusione vidimus evenisse, ut, quibus per initia validiores fierent paroxismi, forte domita aut excussa materia, sævitia quiescat, non ex toto deficiat, & novo concepto empyreumate, aut recenti putredine in crassiori succo putredini disposito, altero die sæviora concitentur symptomata. quod diuturniorem morbum, id est, morbus naturam contumaciorem arguit. Et hoc est, quod communiter fertur, & Hippocrates dixit, febrem ab imparibus ad pares mutari; quæ in imparibus ferebat sæviora symptomata, si hæc ad pares dies postea permutantur: quæ cernuntur in graviorum malorum accessione, in febrili ardore, doloris incremento, vigilia, & siti, & alisino implacido; quæ antea in imparibus diebus cernebantur.

Hæc venerabilis vetustas observavit. Aliquid etiam ætati nostræ tribuendum existimo, rationem nempe illius observationis addidisse: quæ certe talis est; febrium accessiones ab imparibus ad pares dies permutari. Et, morbo jam progresso, dupliciter accidere semper existimavi; aut in morbo malignissimo, ipso jure lethali; aut febre contumaci, cujus permixta causa ex bilioso succo & pituita, in minera putrescit, in eodem aut in diverso foco. primum malignæ cacochymiæ tribuendum, ratio & Hippocrates docuit; quæ omnino invertit œconomiam & sanguinis, & hepatis, à se ipso prorsus alienati. Nam ex communi putredine sæpe talis corruptio emanare contingit, ut humores in humores alios, à se ipsis diversos, degenerare faciat, & partes, generantes suscipientesque excrementa, adeo labefactet, ut inveteratione, aut perennitate causarum morbificarum, alia perennitas, & alius ordo, permutetur, ut, qui humor antea movebatur per impares, postea per pares moveatur; nec sit mirum, naturam impari non excitari, & pari laboris violentia insurgere: quoniam transmutatus humor, semper prioris comparatione evadit malignissimus, ex corruptione, in quam degeneravit. ideo acrius naturam cogit & irritat, & natura incitatur, quando amplius cogitur: & sicut antea ex insita humoris motione, & cogente putredine, movebatur per impares, nunc humor, in quem degeneravit, & aliam sequitur movendi rationem, & aliam putredinem, quæ pari die cogit & irritat naturam, ut in pari accessiones moveat. Si quæras, quisnam sit iste humor, in quem degeneravit? respondeo, talem esse humorem indicibilem, per transmutationem naturalis humoris comparatum. nam, sicut in cruditate, (in Galeni judicio 82. in Loc. 6.) pejor est illa transmutatio, quæ in peregrinam qualitatem, juxta cruditatem fit; sic, in transmutatione, quæ per corruptionem inducitur, ille humor, qui ex illa resultat, erit sane deterrimus, juxta corruptionem, ideoque ipso jure lethalis.

Sed, quare natura in illa die pari potius excitetur; alia convincit ratio, ducta ex arcanis naturæ: nam sicut in vicissitudine sitis, ejus falso sedatæ sensatio non excitatur, priusquam anima incremento causæ sitiferæ insurgat; sic etiam fatiscente natura, in imparibus diebus, mitescunt accidentia, & cum nõ vehementer lacessitur, non excitatur anima: postea vero, crescente gravissimorum malorum causa, ab illo deterrimo humore, in quem prior degeneravit, mali violentia anima excitatur ad gravissimi laboris perceptionem. Ideo enim sitire, à siti immeritò sedata, pravum Præceptor judicat, ut & repente à frigore verti ad calorem: arguit enim passionis magnitudinem, quæ sopitam facultatem valeat excitare. Sic Galenus in hujus sententiæ commentario: *In morbis autem valde malignis, permutatio harum hora una, ad contrariam efficitur, &c. Quid nam ergo est,* inquit, *quod in ita affectis contingit?*

2. Prorrh. 8.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Prorrh. 8.

git? Sanè, quod his, qui toto die totaque nocte interdum nullo pacto secernunt urinam. Prius siquidem neque corporis affectiones mens ægra consequuta est, collectaque urina nondum valenter vesicam distendit. at posteaquam mens consequuta est, & vesica impleta, ob hac ambo sentit affectionem æger. &c. Sic & quod in siti dictum est: cum ægri quidem sitiendi affectionem semper habeant, sed non sentiant, donec earum anima sensu prædita magis reddatur, & sitiendi affectio ad summum augeatur. Summarum igitur corporis partium ad contraria permutationem, malum esse putandum, utpote quæ caloris nativi imbecillitatem ostendat, & ejus, qui præter naturam est, robur. Sitis vero permutationem, languorem quidem sensificæ facultatis, robur vero siticulosæ affectionis.

Sic evenisse legimus in historia generali, in illa Tempestate pestifera, & febrium ardentium pestilentia, quam Hippocrates refert; ubi inculpati humores, pestilentis contagii efficacia, ad veneni naturam convertuntur; ut in phrenitici historia, qui virulenta vomuit, Galenus adnotavit. In plerisque, inquit Hippocrates, *parium dierum fuere paroxismi: cæterum, ad sextum diem cum sudore moriebantur.* Inæqualis tempestas etiam ab eodē describitur in Thaso, ubi *frigora non secundum tempus erant, sed repente, spirante Aquilone, ad Austrum commutata, ver frigidum, aquilonium, pluviis nebulosum, fervida æstas, sed totus annus humidus. Ab hac ab initio statim febris acuta eos corripiebat, aqua parum superrigebant, insomnes, graviter angebantur, sitibundi, fastidiosi, delirabant, mœrentes, extremitates frigidæ, accessiones diebus paribus erant. Plurimi quarta die maxime laborabant. cæterum, ad sextam diem cum sudore moriebantur.* Descriptio potius est malignæ cacochymiæ, per transmutationem succorum comparatæ, quam illius mixtionis succorum, in qua prævalent crassi: in his enim potius foret ad contumaciam, quam ad mortem, sexta die venturam, in principio secundi quaternarii; quod exacte acutorum est proprium. Sic etiam legimus accidisse in alio statu pestilenti, ubi omnes fere fermentato veneno periere, & *Accessiones plerique diebus paribus habebant.* Ideo Philiscus hujus constitutionis exemplum, per hæc omnia symptomata delatus, *Die sexto ad meridiem est defunctus.* Huic *accessiones diebus paribus erant.* Pythion etiam in decimo occubuit in Thaso, ex acuta & pestilenti febre; *huic* etiam *diebus paribus labores.* ut quoque Nicodemo contingit; in febre acuta, ex venere & potu (ex quo etiam malignitas arguitur.) cui etiam *accessiones & labores præcipue diebus paribus incesserunt.* Fateor etiam, quod plerique perirrhea, aut abscessu strangurioso, transposita materia, evasêre, singulari robustæ naturæ privilegio; ut in eadem historia adnotatur. Sic evasit Eraclides, sic Bion, apud Silenum: at periit Phanagoreon servus, cum illi nihil horum fortius eveniret.

Hip. 1. Epid. sect. 2. text. 75.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. sect. 2.

Hip. 3. Epid. sect. 3. text. 36.

Idem, 1. Epid. Sect. 3. ægrot. 1.

Hip. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 3.

Ibid. ægrot. 10.

Si vero, humore bilioso, qui per impares antea movebatur, absumpto, prævaleret postea pituitosus succus, qui computruit jure vicinitatis, indeque accessiones ad pares postea mutarentur; hoc potius ad contumaciam fore existimamus, quam ad mortem præpropere venturam. Et de his volumus intellectam illam Hippocratis sententiam, quæ nos tam laboriosæ expositioni coëgit.

Reor etiam, alium esse rigorem, nec absolute criticum, nec pure symptomaticum, sed in eventu dubium: cujus prognosim determinat eventus; cum non valeat antea præsagiri. maxime, si nec in die critica, nec laudabili præcedente pepasmo, superveniat. Est quædam in Coacis sententia, quæ nobis hoc satis clare demonstrat. *Quæ à rigore incidunt aphoniæ*, inquit, *tremore superveniente excutiuntur*: (solvuntur, vertunt alii,) *sed & supervenientes crebro rigores, tremore oborto, quiescunt.* Quænam sint istæ aphoniæ, aut quæ vocis privatio, & quomodo à rigore contingat; est major difficultas: nam sunt aliæ, quæ à rigore fiunt, insanabiles, si effœta natura superveniunt; collapsæ enim animalitatis, vivificique nectaris est indicium. unde, ob summam potentiæ imbecillitatem, & vocalis materiæ inopiam, vera vocis articulatione defraudantur ægroti. Notum est illud Prorrhetici præsagium: *Quæ cum exolutione, & veterno, fiunt aphoniæ, pessimæ.* Quia ad extremam exolutionem sequitur illa vocis privatio, cum facultas motiva nec musculos thoracis nec laringis movere potest. quod veternus, sive impotentia vigilandi confirmat. Sunt enim aliæ vocis privationes inter istas, de quibus aliter sentire & præsagiri licet: quæ nempe cerebri compressione accidunt, virtute musculis intercostabilus denegata, seu transitu spiritibus præpedito (serviunt enim musculi ad vocem efflatione eliciendam;) ut etiam, quæ metastasi inopinata fiunt, hoc est, ab humoris symptomatico excursu à venis, aut aliter, ad cerebrum; ut etiam à debili apoplexia, aut forti paraplexia, spiritibus virtute denegata. Est enim in his rigor infallibile argumentum excursus. Hæc sane aphonia potest, transposita materia, aut aliter discussa, maxime, quando est vaporosa, aut quomodocunque aliter vacuata, ab arte aut natura, salubriori crisi sublevari. Et hæ sunt. quæ tremore superveniente solvuntur: indicat enim tremor conatum in natura, ut excutiat, nervorum ministerio, quibus ut instrumentis utitur animalis, expellens materiam, quæ jam cerebrum opprimit. & tanto magis erit fida securitas, si tremore superveniente rigores conquiescant: quoniam illud arguit, humores in rigore commotos, alio fuisse compulsos. quod ad aphoniæ levamen satis erit; ad fidam securitatem non semper; nisi ad inferna humores transferantur. Non enim qualibet transpositio sufficit ad salutis præsagium; ut satis clare patet in aphoristico Hippocratis oraculo: *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.* In hujus Commentario Galenus inquit: *Quæ enim hanc febrem efficiunt causæ, in venoso genere existentes: quando ad nervos transferuntur, primum tremores faciunt: compatiente vero principio, etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio, sic & in omni alia febre fieri potest: & omnino ex arteriis & venis ad nervos transfluxus humorum noxiorum, sicuti cursus ex nervis ad has.* Non tamen semper absque supervenientis periculo. Ideo enim, *In febre ardente, rigore superveniente, fit solutio.* quia à venis ad corporis ambitum materia transponitur. Ideo profuit Pythioni humoris derivatio ad inferna, in importunaoris contorsione. Hinc *à furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio,* sanat,

Hip. 1. Coac. 28.

Idem, 3. Prorrh. 4.

Hip. 6. Aph. 26.

Gal. Comm. in Hipp. 6. Aph. 26.

Hip. 4. Aph. 18.

Idem, 7. Aph. 5.

Gal. Comm. in Hipp. 7. Aphor. 5.

sanat, *cum à capite*, (est Galeni judicium) *noxii humores ad inferiora transferantur.* Ideo nec semper crebri rigores tremore finiuntur; quando nempe natura delassatur, sed quando in principio febris, evacuatione aut abscessu natura à se excutit onus, aut ars in hoc opere naturam imitatur; quoniam sic Pythioni profuit sanguinis missio, in manuum tremore.

Si tamen à rigore nulla sequatur vacuatio, neque ad inferiora transpositio, sed inde febris exarsit; motu efferatam indicat cacochymiam, aut in membrum principale metaptosim: quia is concitatus humor, si exitum non habet, adauget oppressionis damna, aut affectum sane priori longe deteriorem reddit: melius enim esset quiescere naturam, cum oppressa, quam aliquid frustra moliri. Nam omnis critica, quæ frustra suscipitur, perturbatio, & signo, & causa, tam est in vitio, ac si ægroto manus adferret: sed multo magis, si pravæ materiæ excretionem moliatur, ex qua magis de viribus quam de morbo detrahit.

Tremores isti, qui febri superveniunt, sunt convulsivi motus: qui cum rigore etiam in essentia communicant & causa; dum nervi, ut molestiam pellant, in æquali vibratione subsultant, ab acri & mordaci humore irritati, seu talis reddatur ustione, seu maligna putredine. Hi sunt in principio febris ex fermentata & inæquali putredine malignæ, seu urentis causonis prænuntii gravioris periculi, utplurimum phrenitidis. nam, si veniunt in febre jam progressa, jam sunt plane funesti, cum scilicet nervi aruerunt, aut punctione & imbecillitate, tremore non desistunt. Quod primo cernitur in arteriæ pulsatu, resiliente pulsu; aut etiam, cum ægroti moventur, semper contremiscentes, sed in manibus maxime: qui utplurimum in deleteriam convulsionem migrant, & celerius quam æstimetur, mortem afferunt. Hos præcedunt dentium stridores, phrenitis aut lethargus, cum fixo oculorum intuitu, prava obmutescentia, dum pertinaci animo morem gerunt, cum vago & torvo vultu, & profunda tristitia, oris contorsione, aut manuum subsultu, cum pulsu plane tremulo, insigni & insolita duritie. Hæc, in morbi progressu, sunt febris violentiæ aut malignitatis consectaria; excepto, in variolis puerorum, in sanguinea febre: tunc enim sunt indicia decertantis naturæ, quæ apparent ad crisim, & solent esse ad statum fugaces, & constanti virtute, ægrotique facili tolerantia: nam mox, à variolarum aut morbillorum exitu quiescunt. In febre autem, in qua bilis pituitam maligna putrescentia fermentavit, aut venarum apparatus nova ebullitione perturbatur, longo peracto morbo; (quod urinæ indicant subjugalium) convulsivi motus valde lethales sunt. ut apparuerunt in Philini uxore, & Erasino, cui convulsiones multæ (motus convulsivos intellige) & in fine interiit. ut etiam phrenetius in quarto, & Philista in quinto: licet gravida mulier, & Cheron, mulierque Abderæ, quæ in littore decubuit, & Pythion, à continuo tremore & delirio, & mulier, sudoris & liberalis profluvii beneficio, rarissimo exemplo, liberentur. Ast motus convulsivi, qui sola accidunt ex humoris acrimonia, aut vi medicamenti; aliorum comparatione sunt mitissimi, maxime, quando accidunt ex peculiari cum nervis sympathia; ut in Adolescente legimus accidisse, cui ab ærugine lacessito ventriculo, convulsio accessit, & bile vacuata cessavit. si excipias, quando ad immodicam medicamenti vacuationem motus convulsivi insequuntur; tunc enim possunt esse lethales, ut Hippocrates dixit, & Galenus in Comment. vertit. Ideo, qui motus super purgationem convulsivi sequuntur, sunt ipso jure pravi; nisi humore vacuato mitescant: quod nos etiam vidimus. qui verò à timore sequuntur, à perturbatione repentina, à flatu, aut à vomitu; cedunt utplurimum opportuno auxilio, & importuno sæpius irritantur, ut accidere solet in illis, qui veniunt ad diurentes febres. Nam, qui accidunt à causa cum repletione mordicante, vacuante auxilio medentur; veluti in Pythione sanguinis missione. Et nos his diebus in puero decem annorum observavimus: qui, cum in febre jam progressa, continua, ex bile pituita permixta, convulsivis tremoribus agitari inciperet, quatuor sanguinis missionibus ex brachio peractis; misso ex talo sanguine, in satis moderata vacuatione invenerunt auxilium. Si vero tremores superveniunt ab urenti calore, insensibiliter humidum dissipante, & ariditatem inæqualem inducente, humidiori deperdita substantia, unde partium fit concursus, propter vacui fugam; hi differunt & curatione & periculo. quoniam, si est prima causa difficilis, aliquando est lethalis, & quando vacuante auxilio curatur; hæc solis lenientibus & attemperantibus medetur cibis & unctionibus.

Aph. 1.

Ad hæmorrhagiam etiam tripliciter motus convulsivi sequuntur, haud certe rigoribus absimiles; seu, dum refrigeratio subito & nervis & musculis inducitur, spiritu & sanguine exhaustis, seu violatis, & veluti compunctis immodica frigiditate nervis: ut accidere solet, dum fronte & temporibus (jure vicinitatis cum nervorum principio) remedia narcotica aut frigida adaptantur, ad sistendum sanguinis immodicum fluorem; quod etiam Galenus adnotavit. aut ultimo, dum sanguis retinetur improvide, seu ante tempus, importuno auxilio: subito enim inde repellitur ad nervos, pro convulsione aut convulsivo motu; ut belle Præceptor adnotavit in illa Coacarum sententia; *Quibus è naribus larga & violenta sanguinis eruptio vi supprimitur, est ad convulsionem; solvit autem phlebotomia.* principis est illa nobilis expositio: *Et cum suppressio est morbi causa, ejus reditio est morbi medela:* natura aut arte comparata. Plerique etiam voluerunt, in hoc casu, ex inanitione motus convulsivos seu veram convulsionem advenire, ab exhaustu inducta siccitate in nervis. Nobis autem videtur impossibile: quoniam ante æger deficeret toto exhausto sanguine, quam in talem siccitatem incurrat, vitæ thesauro, vivificoque nectare dissipato. Potius enim consonum rationi videtur, tunc motibus convulsivis, aut tremore convulso, insurgente natura, agitari ad morsum; qui aut inducitur ab efferata bile, ejus detracto fræno; seu frigiditate, quæ ex sanguinis absentia resultat, pari contentione cum morsu & imbecillitate decertante natura. si vero tremor jam in convulsionem permutatur, tunc est omnino lethalis: arguit

2. Progn. 29.

Hipp. 2. Coac. 24.

guit enim, retorrido marasmo humidum primigenium exhaustum, quando ad se invicem imbecillitas & inanitio consequuntur. Quare, qui convulsivi motus ad frigiditatem insequuntur, non sunt plane lethales, si, ut decet, tractentur: quoniam tales sæpe redduntur, cum ex narcotico summa coloris extinctio comparatur; tunc enim extrema imbecillitas arguitur: at, si tremor adveniat in sanguine suppresso, morbi medela est ejus reditio, aut per eandem viam, sin minus, (servata rectitudine partium & venarum) per illam, quæ à loco, ubi instat suppressio, minus distat: ut, si ab ictero, vel hæmorrhoïdibus, ex talo; aut, si inde non cedat provocatio, ut sanguisugis pro hæmorrhoïdibus ciendis detur locus; si vero hæmorrhagia ante tempus supprimitur, sanguinis missione ex talo suppressio deponitur; ut etiam detur postea locus ad narium fluorem provocandum, venulis illis narium adapertis. Quod nos caute faciendum consulimus: quippe in hoc opere vidimus profusam hæmorrhagiam nullis postea potuisse cohiberi auxiliis.

STATIO III.

Malignæ & pestilentis febris quam incerta conditio; ac ideo, quam infidelis Prognosis.

Hæ sunt febres omnium fallacissimæ; quia in quaque constitutione singularis latet efficacia veneni: nulla est enim, quæ non aliquod ferat peculiare accidens, quo occultet fallaciam; ut hujus ignorantia interdum sit ipsa pestilentia infelicior. nam, dum inter consultationes pro veritate eruenda decertatur, universa devastatur provincia; ut nostra adhuc Hispania anteactæ ætatis pœnas luit.

Anno 1600. & 1649.

Has febres in duplici differentia considero; nempe, qua vere pestilentes, seu qua malignas tantum: ab istis illæ differunt in communi principio, & in qualitatis similis productivæ efficacia. Nam in vere pestilenti fere semper principium est extra corporis apparatum, nempe in influxu cœlesti, qui aëris patibilia, & corporis apparatum disponit ad veneni naturam; aut in communis alimenti prava corruptione: ex quibus qualitas, quæ producitur, ita præsentanea actione operatur, ut venenum, quod velut ictu oculi suas exerit vires in corpore disposito, & ineptum patibile brevissime disponit. Maligna autem febris, semper ex morboso corporis apparatu principium sortitur; seu, dum ita prava corruptione alteratur, aut maligna ustione deuritur, ut inde orta illa maligna qualitas, vaporibus permixta, cor, cerebrum, ventriculum, aut hepar, pervadat, per venas, per arterias, per nervos. Differt etiam in impressionis efficacia: hæc enim assimilatur veneno, quod ad tempus tribuitur; cujus maligna qualitas paulatim disponit, & paulatim corrumpit; excepto in plerisque, in quibus malignissima evadit. Tertio etiam differunt in contagio: nam, licet utraque contagiosa sit, alteratio tamen aëris, qui est commune utriusque principium, longe deterior in pestilenti constitutione observatur, quam in sola maligna. in illa enim, aut propria substantia corrumpitur, aut plane deleterio veneno subjicitur, quo vehementer à pestis seminariis alteratur. ut in nostro Libello de Constitutione pestilenti, Hispano idiomate notavimus. In sola autem maligna, ab ægrorum expiratis vaporibus inficitur; quo non ita vehementer alteratur, quia natura sua non sunt ita præsentanei veneni, nec ita longo tempore moratur.

In quo ergo consistit prognostici fallacia? in præsentanea aut tarda veneni actione, semper incognita, & nunquam satis nota: nulla enim singularis species veneni assimilatur alteri, ut possit observatio per similia judicium explere; aut in resistentia singulorum, quæ nec dici, nec scribi, nec exacte doceri potest. Dicam, quod ipse vidi, & nullus fere credet. In illa constitutione pestilenti, quæ viguit Anno 1649. major strages juvenibus fiebat, inque robustis præsentanei veneni efficacia omnem resistentiam superabat. quid multum? omnes fere juvenes, à decem ad triginta annorum, in viginti quatuor horis vidimus periisse: seniores verò, aut mortem protraxisse, aut bubonum suppurationem expectasse, pluresque ex illis vidimus evasisse, quam de utriusque sexus juventute, ac deploratos, & supra omnem fidem debilissimos, citra expectationem, alios robustissimos, & nihil fere discriminis timentes, supervixisse. In quo ergo principio erit fida præsagii securitas, si neque pulsus, nec urina, neque virtutis, neque ætatis robur, sunt fidelia signa, neque morbus, in essentia magnus, nec accidentium vacuitate parvus, nos valet de signorum infidelitate securos reddere?

Deducamus ergo malignitatem febrium ab ipsa rei essentia & natura, & videamus, an sit aliquod principium, aut signorum concursus, quæ scientificam notitiam constituant, in qua præsagii securitas consistat.

Mira ex cœlesti harmonia in terra producuntur, & cœlestis calor, unus cum sit, jam varia producit; non, quod illius actio non sit constans & permanens, similis & unicolor; sed quod subjectum illud, in quo recipitur, patibile & mutabile sit: unde calorem & influxum accipit juxta naturæ modulum, & non juxta amplissimam & maximam divinitatis vim. Accipit enim mutationem à corpore id, quod generatur; &, mutabiliter temporalia, capiunt æterna mutabiliter. Ut hæc materialia, immateriales cœlorum vires, capiant sine ordine, ita ut susceptacula, quæ ab illis accipiunt, quandoque fiant mala: non, quod talia essent à principio; sed, quod talia hoc ordine evaserint miscella materialium cum immaterialibus influentiis. Varie enim capitur, quod varie distribuitur. Ac tandem, omne id accidit ex receptaculorum præversione, variante scilicet materia & patibili. hoc facit rerum materialium, locorumque terrestrium, imbecillitas; quæ influxus impatiens, passiones suas in primas causas retulit; idque propter sua incommoda & passiones, tanquam ad sanitatem & vitam non conferrent.

Sic pariter febrilis calor, qui interdum naturalem fere non excedit, extraneatione conversus ad igneam naturam, indicibilia creat mala, & quæ vix numerantur, imo. quæ vix creduntur: non,

non, quod actio illius in suo principio univoca non sit; sed, quia ob varietatem patibilium fit æquivoca; unde varia ab ipso producuntur, quod subjectum mutabile & patibile sit, quod accipit juxta naturæ modulum illius, quo recipitur, patibilis. Nam prima utriusque caloris actio est calefacere, dum fovet naturalis, & febrilis corrumpit. Unde talis varietas à corpore accipitur, non semper ex ipsa pravitate caloris, sed ex receptaculorum præversione. Quo fit, ut materia, putredini disposita, facile fermentetur in malignam putredinem. Et, si hoc in constitutione pestilenti accidere videmus à calore cœlesti, qui conservat, & fovet, producitque; nulli certe mirum erit, accidere à calore febrili; cujus secunda actio est corrumpere: quo fit, ut materiam ad hæc prave disponat, & corpus jam dispositum corrumpat. Inde tot venenorum fermentatæ putredines; inde variæ corruptionis sortes, ustiones malignæ; ac inde virulentiæ indicibiles: ex quibus tam rara & confusa symptomata, inopinatæ mortes, ac varietas febrium & confusio. Alia enim accidentia & signa febris essentiam proxime insequuntur; velut pathognomonica: malignitatem & putredinem alia; ut epiphænomena, quæ vi adaucti morbi superveniunt: alia focum & mineram putredinis, quæ partes, quæ sunt in vitio, demonstrant; nam, quo plures fuerint, eo ægroti res pejores sunt: alia febris tempora, & hæc sequuntur humoris motionem. ideo alia critica, alia symptomatica fiunt. Nam, licet utraque humoris commoti irritationem sequantur, irrita tamen fiunt illa, quæ pure symptomatica; critica, quæ naturæ dominatui obsequuntur. sed hæc fieri in statu oportet & in critica die: illa tempore cruditatis, & die infœcunda. Alia tandem signa peculiarem ægri conditionem sequuntur: plures enim quovis febris incremento delirant: deliquio in quavis sanguinis missione corripiuntur alii. Et agricolam satis divitem novi, qui si gustabat adhuc exiguam galinæ portiunculam, sive coctam, sive assam, &c, quod magis subit mirari, si de illius jure sorbitionem sumebat, in veneni accidentia incurrebat, nempe clamosum ventriculi dolorem, anxium & pertinacem vomitum, cum alismo implacido, corde tristissimo dolore lacessito, ut omnia ejus viscera divelli viderentur: nec horum finis erat, donec hæc omnia, summa contentione, vomitu, aut secessu, projiceret. Plura symptomata in Epidemiis Hippocrates descripsit, mirabilibus & variis historiis; in Prognosticis multa, Prorrheticis non pauca; sed in Coacis omnia in Volumen redegit, cæterisque in libris observata, reduxit in Compendium. Sed ex omnibus vix quid certi elicies, nisi singulari prudentia, & observatione singulari, in iis, qui occurrunt, ægrotis, secundum hic & nunc, ad limam & lineam redigas. Quoniam, si exemplis certatur, firmissimi nihil adferri potest, quia est longe diversa ægrorum resistentia, neque producendis neque suscipiendis & morbis & symptomatis æqualis promptitudo. Quare, legibus & præceptis, non exemplis, potius est docendum. Vix enim unum & alterum ægrotum observabis, ex eadem morbi differentia, qui eadem nedum similia ferat accidentia: hæc enim in diverso corporis apparatu sunt longe dissimilia.

TITULUS I.

In quo vera malignitatis essentia consistat.

Si attendimus ad ea, quæ ab Hippocrate & Galeno appellantur maligna, & ea de vera malignitate enunciata volumus; nunquam satis malignitatis essentiam consequemur: *Quoniam*, ut inquit Galenus: *Morbos appellamus malignos, quicunque periculum minantes, spem tamen salutis non adimunt.* Et in illo Coac. theatro: *Ex hypochondriorum dolore febres, malignæ: quod si sopor accesserit, pestiferum.* Hæc eadem sententia legitur in prorrhetic. paucis fere mutatis, & non semel, sed bis: & in utroque Commentario Galenus, ut & in Epidemiis, hanc sententiam definite pronunciatam judicat. Nos aliter, nempe in constitutione pestilenti, ab illo observatam, ac ideo prolatam existimamus: ut qui vidimus, & fideli observatione notavimus, in illa omnium maxima constitutione pestilenti, in Hispalensi urbe, ægrotos, qui à febris principio infimi ventris clamoso dolore premebantur; qui cum nullis cederet auxiliis, vitali robore omnino exoluto, & animalitate jam collapsa, sopore seu vigilandi impotentia oppressos, tertio aut quarto die vidimus periisse. Et, si placet audire causam hujus calamitatis, nos talem ventris dolorem bubonem pestilentem, virium defectu incompletum, extitisse rati sumus; ex humoris pestilentis accubitu ad inguina, qui, cum foras protrudi nequivisset, manens in epigastrio, nervosis illis partibus, uti diximus, dolorem inferebat. De hoc latius in nostro hujus Constitutionis Libello, Hispano idiomate.

(Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrh. 14. — Hip. 1. Coac. 12. & 2. Prorrhet. text. 21. & 58. — Ann. 1649.)

Deinde, malignitatem arguit ex mente Hippocratis; *si ab incepta crisi, morbus & accidentia amplius invalescant.* Arguit enim, malignum humorem ad membra principalia recurrere. *Bubones etiam & omnes excretiones aliæ, quæ ad intus sine causa recurrunt*, ab illo judicantur *malignæ.* Sic etiam in Galeni sententia: *Materia, in principio mitis, si propriæ substantiæ corruptione, aut putredinis inveteratione, in venenatam quandam humoris degenerat naturam, hoc est certe malignum: ideo talem judicavit humorem in phrenitico, qui virulenta vomuit.* Ex sola etiam humoris ustione Galenus & Hippocrates malignitatem arguunt; quando nempe in illa putredine maligna ustio prævalet fermentata; ut in atrabiliario humore, & æruginoso ex ustione genito. Galenus etiam de malignitate suspicatur, *dum febris protinus à remissione invalescit.* & decretoriis diebus deteriorem fieri, malignum judicat. Hæc sunt illius verba: *At vero, deteriorem fieri diebus decretoriis, tertianæ naturam referentium est proprium; (quia nempe in illis circuitus respondet) non commune omnium. Nam in libris de diebus decretoriis didicimus, usu venire istud morbis malignis, & maxime illis, qui à remissione incandescunt.* Dum nempe in biliosis, pituitosis mixtis, fermentatur putredo, & ubi rigores inordinati se ipsos consequuntur, non in principio tantum accessionis, sed & in incremento & statu. Hi enim

(Hip. 1. Coac. 27. & 37. — Idem, 2. Coac 37. — 3. Epid. Sect. 3. — Aph. 22. 23. 24. — Gal Comm. in Epid. sect. 2. & 15.)

accidunt ab efferæ materiæ occursu non domita neque mitificata.

Hujus sent. est Fernel. 2. de abdit rum.caus.12. Galen.6. de loc. 4. Eustachius Rod. Lib. 7. cap.30.

In his omnibus potest malignitas adesse; sed illa non consistit, nec in symptomatum sævitia, nec morbi feritate, nec inflammatione, nec exurenti febre: hæc enim potius malignitatem arguunt quam constituunt. Est enim malignitas quædam qualitas deleteria à tota substantia interficiens; quæ oritur interdum ab insigni putredine seu humoribus adustis comparata, seu tantũ putredini paratis; aliquando à venenoso principio, quod expirat venenum, & in minoralibus & plerisq; animalibus patet, & vetulis plerisque, & hominibus qui venenum fascinando expirant. Hæc qualitas ad morbos in intemperie reducitur, non qua primam qualitatem, sed qua secundam aut tertiam constituit, & illam indicibilem. Hæc qualitas continet eminenter primarum qualitatum virtutes, & in actu secundo producit sui similem; quoniam calefacit, refrigerat, & siccat, & humectat, & in actu secundo inflammat, putrescit, corrumpit, & mortificat, si credimus Galeno in libro de cibis boni & mali succi, c. 1. Hæc qualitas aliquando elucet in colliquante fluxu, in febre adurente, in bilis æruginosæ vomitu; &, quod magis est, in febre, cujus calor intensione naturalem fere calorem non excedit, sed illa maligna qualitate ita extraneatur, ut non tantum viribus ignis operetur, sed corrumpat, inflammet, mortificet. &c. Ideo *debiles & parvæ febres quandoque valde malignæ*, ut nos Hippocrates docuit: quas Galenus describens, dum febrium magnitudinem, morem, & motum considerat, *Reperiri febres* (inquit) *ad manum mites, quæ tamen ægros perdunt, cum careant symptomatis.* In hac febrium sorte, tam moderatus calor est satis periculosæ deceptionis occasio: sed pulsus & urina magis fallit, quia nedum videtur ad pugnam insurgere natura. De his antiqua fertur Avicennæ traditio (quæ mihi certe apocryphica videtur, quia illam in ejus operibus nedum videre, nec legere permisit studiosus labor:) *Pulsus bonus, & urina bona, & æger tendit ad mortem:* quoniam illa falsa quiete peritissimos decipere contingit. Hoc etiam suo & Hippocratis tempore sic proinde evenisse Galenus tradidit observatũ; causam tamen hujus fraudulentæ & quietis, & æqualitatis deceptoriæ in pulsu, legetis per otium.

Hipp.

Galen. 3. de crisib. 4.

Avicenn.

3. de Præsag. ex puls. cap. 2. & 3. seq.

Mihi v. acriori judicio cogitanti videtur, tanti viri doctrinã apertam in antinomia deprehendi. Hæc sunt illius verba: *Nam alii in pestilentia probum pulsum habebant; qui omnium maxime periere: quoniam cordis corpus venenum occupavit.* Postea vero in eodem capito: *Pulsus illorum, qui talia patiuntur, imbecillimos fore.* Facile solvitur antinomia, si consideres, pulsus illos probos apparenter incipere, quia nondum mutati. ut nos his diebus etiam observavimus, & velut in hecticæ principio mediocres, quia nondum vires suas exeruit venenum, nec à succorum putredine natura irritatur, neque bellum solicitat, aut inæquale pondus, aut veneni turgentia: quo fit, ut illa probitas videatur, respectu inæqualis & celerrimi, & omni inæqualitate debilissimi; & non, quod absolute sit pulsus naturalis, moderatus, & probus. Si est in corde putridinosus calor, & maligna conditio, ut supponitur, pulsus etiam poterit in principio naturalem æqualitatem æmulari, cum primum impetum venenosi humoris robusta natura à se pellit: quo in statu, neq; respiratio neq; pulsus mutatur. Si vero secundo aggreditur malignitas motu accessionis, occasione data, mox succumbit natura lacessita, jam ex conatu debilis; & pulsus immutantur, jam frequentia, jam inæqualitate, & nova pullulant accidentia, si non omnino natura debellata quiescit. Nam bellum à jactura incipit, qui à propria fragilitate superatur. Solet enim victa aut præterrita, à certamine aut à pugna desistere, & cessare fraudulenta quiete, levatione subdola; ut melius ægroti habere videantur, cum tempus magis patet insidiis veneni, & tunc pereunt subito: à naturali urina nihil fere mutata. & hi pulsus probi à Galeno judicantur. Si vero febris pestilentis putredinosus calor non tantum cordis corpus, sed humores attigerit, horum pulsus imbecillimi sunt, dixit Galenus; nempe illorum, qui putrida pestilenti laborant: quia, cum promptius & brevius dissipentur humores & spiritus cordis, quam substantia, brevius & celerius pulsus debilitatem sentiunt: in illis enim præsentanea actione malignitas atterit, putrefacit, corrumpit, resolvit, dissipat, excruciat, & potenter exhalat, ac tandem vitæ nexum, quem habent, quatenus animæ instrumenta, & cum illo omnem vitalitatem exolvit: quo fit, ut deficientibus pulsuum instrumentis, (spiritibus nempe, & purissimo sanguine) pulsus necessario deficiant, ac omnium imbecillimi reddantur. Et, quod in fine addidit, *horum plurimi fuere superstites*, non absolute intelligendum volumus; sed respectu hecticæ pestilentis: putredo enim in cordis substantia inhiberi non valet: & sanguis & humores, maligna & pestilenti qualitate inquinati, aliquando bonis ægri auspiciis aut naturæ beneficio ad extra propelluntur, manifesta nempe excretione aut abscessu. quo dubia interdum redintegratur salus.

TITULUS II.

In quibus etiam deprehendantur malignitatis signa.

Hæ febres, quanto magis malignæ, tanto securius caloris remissione decipiunt: quoniam febricitare fere non videntur ægroti. Hoc fideliter observavit Thucidides, fideliter Galenus. Et nos testari possumus, has febres, nisi in constitutione pestilenti, quæ tunc communis vagabatur, certo deprehendi potuisse. Incipiebat enim gravans capitis dolor, insolita tristitia, inde lenta febricula, & vespere bubones, in noctе extremorum frigiditas, & mane expirabat. & hoc communi contagio per omnem civitatem grassabatur. illud erat commune robustis & debilibus, juvenibus & senibus. Hoc facile ex communi constitutione deprehenditur; sed non ita ex singulari febre, ut his diebus vidimus celebriores medici Hispalenses, (statu pestilenti exacto) in Domina Comitissa de Arenales. Incepit anxius & importunus rigor, cum vomitu æruginosæ bilis, ad quem sequuta parum intensa febris; quorum occasione extrema tepescere incepe-

9 Simpl. cap. de terra samia.

Ann. 1650. 25 Octob.

cœperunt, inde crevit alisinus, difficilis & crebra respiratio, per horas adaugetur extremorum frigiditas, ac potentiis rectricibus integris permanentibus, intra septem & decem horas expiravit, totius civitatis tristissimo dolore. Aliis videbatur ex febre syncopali, cordis calore omnino intercepto & obruto nimia cruditatum congerie; mihi certe ex febre pestilenti, de syncopalis forte. Accidit enim alia syncopolis ex crudorum colluvie antea cumulata inter hepatis & mesaraei venas, ut placuit Galeno: alia ex venenosa bilis corruptione, maxime, quando crassa; cujus occasione vitalitatem exire non permittit occlusio in venis aut arteriis, quæ cordi famulantur, ut ab illa, quæ ducitur à cava cordis ad ventriculum dextrum, delationi sanguinis seu ab arteria venosa, & vena arteriosa, à ventriculo sinistro ad pulmonem: quibus obstructis transitus præpeditur spirituum, & purissimi sanguinis. quo vitalitas etiam intercipitur, cum extremorum frigiditate insuperabili, & maxima occasione syncopis. quo etiam difficilis & crebra redditur respiratio, non tantum his obseratis vasis, sed veneni etiam violentia debilitate aucta.

12. Meth. 3.

Hoc unum si non plane convincit, (quoniam sic etiam incipiunt benignissimæ febres) illud malignitatis erit certius argumentum, si à febris principio statim appareant malignissima signa: hæc enim, quæ sunt alterius febris epiphænomena, hoc est, quæ vi adaucti morbi superveniunt, sunt in hoc febris principio malignitatis pathognomonica; quoniam hęc morborum principii non sunt propria, quia, ut Hippocrates dixit, circa principia & fines omnia sunt imbecilliora: nec vi adaucti morbi superveniunt, cum sit adhuc intra metas principii: ergo ex alia causa, & hæc violentissima. Attendite ad illam historiam phrenitici. *Phreniticus*, inquit Hippocrates, *primo, quo decubuit die, virulenta vomuit.* Quare principium singulariter notat? Galenus in hujus Commentario. *Acutissimæ phrenitidis hic æger est exemplum, primo statim die una cum febre incessentis. &c. Est vero horum morborum admiranda generatio, quonam pacto commode valentes subito invadat. Neque enim sicut ipsorum generatio subita est, ita & generationis causa: ut si medicamentum homo lethale sumpserit, aut bestia eum virulentissima momorderit: sed pedetentim in corpore generatur, ut, quando postea subito ingruit, auxilio non sit locus. Ita in hac phrenitide vitiosus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali assimilis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens: quæ quando vitio jam aliquo pacto opportuna erant, humorque evaserat malignissimus, lethale repente apparuit symptoma.* Hoc idem confirmatur & Critonis historia. *Critoni in Thaso, inquit, recto ambulanti, pes dolere cœpit: decubuit eodem die, horruit. altero die pustula nigra, febris acuta, valde insanivit, & postridie periit.* Galenus: *Æger hic, quia tam periit subito, memoratu dignus est. &c. Malignitatis excrementi*, statim *erat judicium, quod pustulæ nigræ generarentur ad talum.* Bene ergo concluditur, quod quando maligna signa in principio anticipant, arguunt, aut ex causæ inveteratione, prava corruptione, maligna ustione, contractam antea malignitatem, quæ subitam sui generationem nunc producat, cum humor evasit malignissimus; ut Hippocrates dixit: & confirmatur ultimo antea recitata Dominæ Comitissæ de Arenalis historia, cujus accidentia à principio extitere maligna.

Hip. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 3.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 4.

Hip. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 9.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. sect. 9. ægrot. 9.

Quis unquam in bene morata febre, fluxum ventris colliquantem à principio vidit? quis vomitum æruginis, & alismum implacidum? quis sitim inexhaustam, lethargum, aut phrenitidem, & cum urina nigra, forte intense flava? qualia Hippocrates in quodam statu pestilenti & generali historia tradidit observata. Extremorum frigiditas unum duorum arguit; aut summam virtutis imbecillitatem; aut interni phlegmonis magnitudinem. Quare, si in principio adveniat, semper est de malignitate suspicandum: ut docet Galenus, qui nos cautos desiderat.

Hipp. 3. Epid. Sect. 2. ægrot. 8. & Ibid. sect. 3. in princ.

4. Acut. 16.

An detur pathognomonicum malignitatis signum.

An vero detur aliquod pathognomonicum malignitatis signum, haud facile præceptis & legibus assequitur, exercitatione indiget & prudentia. Hoc certo scimus, & absque ulla limitatione proferimus, nullum esse hujus febris signum pathognomonicum, per se sumptum, quod omni soli & semper conveniat: nam alia sunt omnibus communia, sed non propria: alia quidem propria, non omnibus communia: alia tandē semper indifferentia, quoniam nec semper, nec omnibus conveniunt. Nam illa pulsus maxima differentia, repente inæqualis, in omni genere inæqualitatis malignitati propria, est communis syncopi, deliquio, & oris ventriculi dolori, ac levim arteriarum obstructioni. Extremorum frigiditas, est etiā lypiriis communis, & phlegmaticis febribus, subito timori, & febribus horrificis. Urina ab statu naturali non mutata, neque pulsus in rithmo, hoc etiam est commune morbis illis, qui incipiunt à materia cocta, diariis febribus, ut synocho non putri, & terrianæ, quæ maxime accedit ad legitimas, si à levi putredine incipiat. Lethargus & phrenitis solent à principio incipere in plerisque, in aliis sequuntur febris conditionem, ut phrenitis causonem, & notham tertianam lethargus, ex miscella crudorum. Sanguinis stilla & hæmorrhagia sunt communia aliis acutissimis febribus. De colliquanti fluxu plerique dubitarunt, à Galeno delusi, 3 Epidemiæ, ubi narrat, in illa constitutione pestilenti, illos ex fluxu colliquanti periisse, qui hectica pestilenti laborabant. Sed hic est communis, non tantum febribus deurentibus, sed calidæ intemperiei universali; ut nos Galenus docet in illo libro aureo de Symptomatum causis. Illæ tandem puncticulæ, bubones, & antraces, quæ aliqui dixere maligna, & pestilentis febris signa pathognomonica, nec semper, nec omnibus conveniunt; (& illa nequeunt à morbi essentia separari, siquidem morbi essentiam proxime insequuntur) sed inter supervenientia numerantur, quæ à morbi essentia longe distant. Puncticulas enim absque febre aliquis observavit, nullus non vidit, & multi in putrida sanguinea, ex simplici putredine, absque malignitate. De antrace non est dubium, absque malignitate, & cum illa posse supervenire.

3. de Sympt. caus. 2.

De bubone, quæ post febrem sequitur, aut il-

lam comitatur, non ita facile discernendum puto: aliud enim est, febrem subsequi ad exitum bubonis, & aliud, febrem bubonem eructare; nam illa, quæ legitur, Hippocratis sententia, de febre intelligitur, quæ ad bubonem sequitur. Hæc sunt verba sententiæ: *Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.* ac si diceret, (si credimus Galeno) qui veniunt à causa procatarctica, febrem diariam concitare; qui à causa interna, nempe à viscerum inflammatione, putridam, magis aut minus pravam, pro magnitudine aut malignitate inflammationis aut corporis universi apparatus. Si vero febris bubonem eructaverit, acrioribus stimulis & curam solicitat & animum explorat. Nam usque dum neque legi, nec vidi, neque aliquem, qui viderit, audivi, febrem simpliciter malignam, quæ vulgo dicitur *taberdillo*, bubonem pestilentem eructasse, sub alis, aut ad inguina: illam attamen cum puncticulis, nigris pustulis, & cum variis excretionibus & maculis ad cutim sæpe vidi. Vidimus etiam, & à Viris doctissimis legimus observatum à trecentis fere annis, quæ præcesserunt febres, cum bubonibus omnes pestilentes extitisse, & semper in statu aut constitutione pestilenti, ex causa communissima, quam producit aut influxus cælestis, aut causa vulgarissima. Quare bubones, qui quadam veluti constitutione vulgarem sequuntur febrem, sunt veluti character febrium pestilentium, sed sub alio concursu & syndrome signorum. & tunc possunt dici signa patognomonica, si communi contagio accedant veneni accidentia. Et, ni fallor, jam à longinquo ævo hæ pestilentes febres bubones ferebant pestilentes. De carbunculis satis luculentum testimonium est Hippocrates, in 2 & 3 Tempestate in Thaso. Nam inter accidentia, quæ refert, quæ illis ægrotis acciderunt: *Bubones*, inquit, *glandularumque tumores plurimi fiebant, & quod hepaticis affecta esset.* Hepate nempe succos, maligno contagio affectos, in sua emunctoria deponente. Attendite ad illam dictionem, *plurimum fiebant*: ac si diceret, hoc illis febribus erat commune. Et Anno 10 Imperii Marci Aurelii Imperatoris, generalis Romæ viguit pestilentia. cujus timore Campaniam se Imperator contulit. quam hujus temporis Scriptores dixere inguinariam, hoc est, cum constitutione bubonum pestilentium, qui inguinum emunctoriis superveniunt. Sic in vita Marci Aurelii narratur. Sed his temporibus illud maximam dubitandi occasionem præbuit, an esset pestilens constitutio, quæ apud nostros viguit Anno 1649. (ut discat, caveatque posteritas) benignissimos nempe bubones in principio constitutionis extitisse, & tali vacuitate accidentium, & laudabili & brevi suppuratione, ut prorsus critici viderentur; sed mox constitutione procidente, hæc decipiens & subdola benignitas versa est in bubones maxime pestilentes, & ita præsentaneo veneno necantes, ut febres, quarum erant symptomata. Sed nec adhuc hi maligni bubones, sub hac præcisione, possunt esse hujus febris signa patognomonica, quippe qui possunt esse à causa procatarctica, & cum febre diaria, aut ab interna quidem, neque semper maligna; ut nos his etiam diebus in medio constitutionis observavimus.

Hipp. 4. Aph. 55.

1. de Diff. febr. 5.

Hipp. 6. Epid. sect. 7.

A Nam, hæc omnia, quæ germinare solent, puncticulæ scilicet, bubones, aut carbunculi, una è triplici ratione erumpunt: seu, cum valida natura illud, quod intus lædit, ad externa transponit, & ad cutim producit: seu, cum aliquod ex membris principalibus insigni intemperie, inflammatione, aut corruptelæ periculo laborat; tunc enim ad proxima & sibi consocialia emunctoria deponit, omnibus collectis viribus, id à quo lacessitur: aut tandem, cum natura à concitata sanguinis ebullitione, putredine, corruptelave massæ sanguinariæ irritatur, dum fervet circa B cor, aut in venis majoribus putrescit, ut deterrimam aut malignam contrahat qualitatem; quoniam hujus irritamento natura, sui diligens custos, partim ad extra trudit, ad cutim nempe puncticulis & maculis, carbonibus & pustilis maligni s; partim ad emunctoria, ut quæ magis debilia, & recipiendis excrementis destinata. Ergo neque puncticulæ, carbunculi, antraces, nec bubones, quantumvis maligna videantur, poterunt esse malignitatis signa patognomonica; excepto, C cum ex concursu & syndrome signorum simul una significandi proprietas resultat, quæ ex omnibus collectis signis comparatur, & certam malignitatem contestatur, veluti in pleuritide, tussis, dolor, difficilis respiratio, pulsus durities, & febris; ex quibus omnibus pleuritidem significandi proprietas resultat, quæ de nullo alio singulari potest enunciari. nullum enim signum, per se sumptum, scientificam pleuritidis nobis præstat notitiam, ex quibus scientifica elicitur conclusio. Quare, tunc solum hæc esse pa-D tognomonica malignitatis signa judicabis, quando proxime & inseparabiliter illius essentiam consequuntur & non possunt attribui alterius principio, nempe intensioni primarum qualitatum, putredini, obstructioni, aut prævalenti succorum multitudini: ex quibus eadem, quæ in malignitate, observantur symptomata.

TITULUS III.

In quo differant, & signa, & symptomata febris ex simplici putredine, ab iis, quæ à sola malignitate superveniunt.

E Signa sunt expressiva rei, cujus sunt signa. Symptomata super illam repræsentationem addunt aliquid amplius: quoniam sequuntur, aut morbi magnitudinem; & tunc vi adaucti morbi superveniunt, alia in principio, quæ sunt propria morbo, majora in augumento, gravia in statu: aut morbosum corporis apparatum, & F tunc merito dicuntur accidentia illius morbosi apparatus, quæ concitat coacta & impulsa illius stimulis natura, aut vi morbi augentur: alia tandem sequuntur focum & mineram putredinis, ut si fiat in corde, ventriculo, aut hepate; tunc enim nobilitatis membri, aut communis officii ratione, graviora pullulant accidentia, ut vomitus & nausea, fastidium & sitis, lethargus aut phrenitis, difficilis anhelitus, & pulsus inæqualitas, rigoris importuna concussio. dum extinctionis periclitatur calor, cum exolutionis & syncopis periculo, cum urina cruda aut perturbata, flava,

flava, nigra, aut cocta, cum omni varietate sedimenti, laudabilis aut pravi, ac tandem, cum febrili calore intenso aut remisso, aut leni aut mordaci, & cum omni excretionis genere, aut abscessus specie.

Hæc omnia, & signa & symptomata, possunt eadem quantitate & numero adesse in febre ex simplici putredine, & in maligna & pestilenti febre; excepto, quando in peregrina & rara malignitatis conditione peregrinum accidens supervenire solet. quoniam unumquodque singulare venenum, singulari energia producit sui simile; & nullum assimilatur alteri. ut nos satis accurate probavimus in Magia, & in Constitutione pestilenti, quam dedimus in lucem Hispano idiomate. Malignitas enim & pestilens conditio febris essentiam non mutat, sed addit super illam communem febris putridæ rationem quid occultum & abditum, quod singularem constituit differentiæ rationem.

Videamus nunc, quæ sint solius putridæ febris signa, quæ illius symptomata, ut postea per illud quod addidit venenum, vera differentiæ ratio dignoscatur. Galenus libro 1. de Differentiis febr. 7. in febre ex simplici putredine signa quinque ex fontibus nos docuit haurire. Primo, ex caloris conditione singulari: quoniam cum ille veniat ex putredine, debet febrilis calor esse intensus, ustivus, acris, & mordax; non tantum quia putredine intenditur ab extraneo, sed quia ab illo etiam extraneatur, dum à regimine naturæ destituitur. quo illi ab intrinseco venit, ut viribus ignis operetur, detracto aut impedito illo naturæ fræno: tunc enim ille calor febrilis operatur ut calor, & non ut naturalis. De hoc signo hæc sunt Galeni verba: *Maximum autem est earum quæ ex putredine fiunt febrium indicium, qualitas caliditatis. Nihil enim est in ea suave atque moderatum, neque ullo pacto similis est ei, quæ in ephemeris sentitur, sed mordax quodammodo potius existit, tactuique molesta sentitur, & erosio. non in accessionis principio, cum adhuc fuligines suppressæ detinentur; sed cum in augmento & statu expanduntur.* Secundo, si à causa præincipiente non incipiat: quod est maxime ephemerarum proprium; excepto, cum ex illa alia subsequitur ex humorum putredine, quando quod afficitur corpus, ad hoc habile fuerit, hoc est, quod impurum extiterit, ac superflua materia redundans, utque hinc putrescendi principium acceperit. Nam quando febris incipit, nulla externa occasione data, internam putredinem per fuligines calorem febrilem excitare est indicium. Tertiò, *initium capere à rigore*, sic Galenus loquitur. Dummodo rigor ille à causa externa, eaque semper valida, non sortiatur impetum. *Hoc enim*, dicit, *existit signum febrium, quæ ex putredine accenduntur humorum: sed non inseparabile.* Patet causa in ipsis fuliginibus, quæ ab incipiente putredine expirant, dum per membra sentientia delatę naturam intus foras solicitant. Quarto, etiam est putredinis signum pulsuum inæqualitas, alia in principio, in augmento, & in statu alia, sive accessionis singularis, sive totius morbi. *Hoc est*, inquit Galenus, *hujuscemodi febris proprium signum, sed non inseparabile.* Illud tamen est proprium, ut sit in principio contractio celerior, quia major necessitas expurgandi fuliginis; sed in fine augmenti, ut in toto statu, velocior & magis conspicua dilatatio, quoniam pro attemperatione tunc magis usus adaucti necessitas impellit. *Ideo comitatur has febres*, inquit, *in initiis pulsus parvus ac velox; cum vero consistunt, magnus simul ac velox.* Hoc est, cum velocitate parvitas in principio, & in processu cum velocitate dilatatio. Quinto, est cruditas urinæ. *Debilis etiam earum concoctio*, inquit Galenus, *proprium est indicium febrium, quæ putredine humorum accenduntur.* Hoc est, cruda aut debiliter cocta: si hanc febrem excipias, quæ ab ephemera putredinem accipit; hæc enim solet incipere à materia cocta.

Gal. lib. 1. de Diff. Feb. c. 7. — *Galen.* — *Idem.* — *Galen.* — *Idem.*

Illa sunt signa febris ex simplici putredine: hæc symptomata, quæ hanc ipsam humorum putredinem sequuntur: quæ nos Galenus docuit in primo ad Glauconem, in capite, cujus titulus est; *febrium quæ cum accidentibus affligunt curatio.* In hoc capite invenies ventriculi accidentia, in hoc cordis symptomata, uteri & cerebri consensus; hic sudoris iniquitas, dum vicem morbi gerit, & acrioribus stimulis omnem curam solicitat. Hæc tamen omnia sunt, aut solius putredinis aut morbosi apparatus gentilitia.

Cap. 4. & 14.

Si vero his addatur venefica malignitas, aut pestilens conditio, ex eadem putredine forte reduplicata, aut fermentata etiam ustione, seu causæ morbificæ inveteratione comparata, tunc eadem accidentia aperiunt & monstrant nescio quid latentis energiæ, quo vere & realiter differunt à se ipsis: nam alterius principii essentiam proxime consequuntur, & tunc fiunt morbi à tota substantia, signa patognomonica sub prædicto concursu & syndrome signorum.

Bene poterit febris, aut maligna aut pestilens talis, à principio incipere, absque alterius morbi præcedentia: sed tunc illud erit maximum argumentum, si symptomata, quæ deberent venire in statu, principio anticipant, si vires ita subito cadunt, ut tam cita & brevis resolutio recenti & simplici putredini non valeat attribui: aut tandem, si symptomata sint graviora morbo; ut ex colliquanti fluxu & plane exolventi, & vomitu bilis æruginosæ, & insuperabili fastidio, & siti, quæ non valet ullo potu sedari, in febre apparenter benigna facillime colligitur, ut etiam ex inflammatione, si celerius opinione sphacellum inducit, si mox pustulæ nigræ ad humoris accubitum sequantur, si recursus inopinato fiant, ex humoris appulsu. nam hæc prava metastasis turgentiam malignitate comparatam designat, ut patet in Phrenitico in Critone, & Calvo in Larissa.

Si vero in febre, quæ antea videbatur benigna, saltem non ita prava, in progressu illius naturæ peregrina pullulant accidentia, & longe aliena à simplici putredine, unum duorum arguit, aut fermentatione & morbificæ causæ inveteratione in aliam corruptionis sortem degenerasse, ut jam humor videatur mentitus, & in aliam naturam transmigrasse. Quo in statu accidit, ut incrementa & gravia symptomata ab imparibus ad pares mutentur. Et illud certe patet: nam hæc prava symptomata aliam putredinis conditionem insequuntur, &, ut sic dicam, aliam febris sortem, graviori periculo; ut con-

tigit Hermocrati & Pario. Patet etiam ex illa generali historia quam Hippocrates narrat. *At*, inquit, *cum febres ardentes inciperent, erant prorsus exitio. nam statim febris acuta, & rigor inæqualis, vigilia, alismus, fastidium, & sitis, & cum ephidrosi delirium & mœstitia. extremitates frigidæ. accessiones diebus paribus erant. & quarto die maxime.* nempe incipiebant tales fieri. *Sudores longi & frigidi; extremitates lividæ. urinæ nigræ, & alvi sistebantur. è naribus stilla. & ad sextum diem cum sudore moriebantur.* Aut arguit, in eadem febre, ulterius progressa corruptionis sorte, aut recenti ustione inducta, recens malignitatem pullulare, quo accidentia, quæ antea, licet gravia, vires non ita prompte dejiciebant; nunc magna exolutio in quovis, licet levi, experiatur: veluti in sudore, in quavis levi dejectione, aut inæquali corporis motione, velut in syncopali. Et hoc sane coegit medicos peritissimos, ut, cum accidentia morbum mentita cernerent, de malignitate non tantum suspicari, sed timere. At, cum ista malignitas eadem plane ferat accidentia, forte non magis aucta, ut antea ferebat prima febris conditio, ut soporem, delirium, alismum, fastidium, & sitim; illudit adhuc peritiores.

Hipp.1. Epid.Sect.2. 75.

Quod ut construat altior providentia, æquali æque scientiæ reflexione est opus quã solertia, & præcepta in promptu & ad manum habere. Dixit enim Galenus: *Morbus malignus est, qui facultate magnus & difficilis est, specie tamen apparet perexiguus.* Et hinc, quando symptomata febris remissionem superare videntur, & alia à febris forte maligna æstimabis. Nam illud addit venefica malignitas super communem febrem ex simplici putredine, ut præter opinionem principes facultates corrumpat, vires ante tempus dejiciat.

Gal.lib.de Diffin.med.

In hoc tamen est singularis cautio adhibenda. Nam æque solet in principio curam solicitare imbecillitas per aggravationem, ac illa quæ malignitatis exolutione comparatur. Et illa tibi erit ratio differentiæ, quam antea notavimus, in dignotione imbecillitatis per aggravationem & per essentiam. Dicam etiam quod in hac differentia observavi, præter jam supra dictam; quod in morbis, ubi nulla suspicio malignitatis erat, si absque conspicua evacuatione, aut ventris, aut sudoris, fortasse hæmorrhagiæ, unius tantum facultatis vires essent oppressæ, ut cerebri, aut cordis; tunc de gravante pondere est magis suspicandum: cujus auxilium in sola vacuatione libratur, non in falso credita instaurationis necessitate. Ubi vero vires veneni exolutionne atteruntur, vitalem vidimus præcipuè per momenta deficere, & mox reliquas trahere in consensum, tepescere extrema, & invicta tristitia superari, defectu spirituum, qui maxime & primi veneni violentia exolvuntur. Quo in statu nulla fere sunt accidentia; quoniam natura debellata quiescit, & fortasse perterritã morbificam materiam non aggreditur, nec humorem, qui morbum excitavit, attingit. Quo fit, ut morbi coctione non tentata, nec expulsione materiæ morbificæ, neque labor sequatur, nec febris intendatur. quod erat necessario futurum, ad Galeni judicium. Similis est enim coctio in humoribus, sicut puris confectio: & dum pus conficitur, dolores & febres magis crescunt; quia fit media caloris actione, & ebullitione concoquendæ materiæ. Quod idem accidere videmus in partibus externis, dum maligna fluxione tentantur, ut, si non concoquatur, aut resolutione evanescat, silenter vertatur in gangrænam, præ imbecillitate natura nullum opus patrante. Ideo in maligna & pestilenti febre, cum omnia silent mala, & quiescunt symptomata, spe ægri & medici mentita, mors medici præoccupat deliberationem. Sed adhuc in hoc casu si vigilanti solertia attendas, semper in pulsu haud ignotam observabis frequentiam cum imbecillitate, & cum fastidio sitim incompescibilem.

Sed illud majorem fidem facit, si accidentia, longe à febris natura aliena, in illius principio adveniant, ubi maxime degeneres humores, longe à se ipsis diversi, aut pravam sortiti sunt malignitatem, aut corruptionem peregrinam. Hæc omnia Hippocrates velut asterisco notavit in quodam statu pestilenti accidisse. *Febrium ardentium quæ vigebant*, inquit, *hæc erat natura. Initio comatosi erant, fastidiosi, inhorrescentesque: febris non acuta, neque magnopere sitibundi, nec deliri. Nares stillarunt pauca. Accessiones plerisque diebus paribus erant. Extrema frigidiora, maxime circa accessiones. Oblivio sub accessiones, languor, vocisque defectus. Vigiles & comatosi cum labore. Alvus turbata plerisque erat, atque excrementa cruda excernebant, & multa, & tenuia. Vrinæ multæ, tenues, nihilque decretorii, neque boni abscessus. Moriebantur: magis circa judicia.* Galenus: *Accidentia illa*, inquit, *longe aliam naturam sequebantur, quam exurentis febris: neque enim est febris ardentis gentilitium, initio fieri comatosos, inhorrescentesque, nec febris non acuta, neque sitis privatio. Est enim proprium deurentium, fastidiosus calor, & importuna sitis. Sed neque his solis alvi biliosa redduntur, neque syntexis sive colliquatio accidit. Sunt siquidem hæc etiam symptomata maligna.* Et procedit Galenus: *De naribus stilla pravum est signum. Hoc quoque inter rara est, diebus paribus accessiones fieri. Ardentes enim, sicut omnes acuti, imparibus moventur. Oblivio & languor, inter pernitiosa numerantur.* Hujus constitutionis & febris exemplum facile tulit Python; cujus si perpendas symptomata, omnia sic perinde accidisse invenies, ut ab hac historia ad illam videantur translata. Ad hanc historiam est Galeni judicium: *Omnia ab initio symptomata & signa læthalia fuisse, quia valde maligna, & longe à febris natura aliena. Nam cum dicit, diebus huic paribus labores, mortem generale judicii significatum amplectitur. ac inde factum est, ut cum judicia iis essent diebus, quibus graviores labores, & hoc in pares caderet, mors quoque in die est consequuta pari.* In Philisci historia, præter ista, quæ etiam venerunt in principio, aliquid amplius adnotavit Galenus, nempe *decretoria non decernentia, cum aliis malignitatis signis, illi mortem tam cito attulisse; in sexto scilicet, quia per pares accessiones ibant.* Ideo etiam in quarto vitam finit Erasinus ex febre Diateleos, hoc est, perpetuo sudore exolutus, à principio, ex febre malignissima; de qua dixit Præceptor, *quod quarto die aut citius interimit.* Huic etiam causæ apponendum existimo, quod Crito periit postridie quam ægrotare cœperat. si non forte quis vellet, hoc maligni humoris recursui tribuendum. Non est enim illud debilius malignitatis

Hip 3.Epid. sect.2.à text. 34. ad 41.

Galen.Com. in Hipp.3. Epid.Sect.2.

Gal.Comm. in Hipp.3. Epid.Sect.3. ægrot.3.

Gal.Com.1. Epid.Sect.3. ægrot.1.

1.Epid.Sect. 3.ægrot.8.

Hipp.3.Prognost.1 & 2.

1.Epid.Sect. 3.ægrot.11.

gnitatis argumentum: ut etiam ex historia probatur de Aristonis serva; & de illo navis gubernatore, & Euphranonis filio: quas enarrat Hippocrates.

5. Epid. 39. 76. & 90.

Sed humoris morbifici, per corruptionem in aliam naturam transmutati, est singulare Hermocrates exemplum: *Hic in sexto,* (dicit magnus Præceptor) *ex ardenti febre auriginosus factus est, in bilem versa per corruptionem massa sanguinis universi: sicut in venenosi animalis morsu, aut effrænis medicamenti potione, accidere vidimus. Et hic moritur in vigesimo septimo.* Et forte ab hac historia ad Coacas hanc transtulit sententiam, quando dixit: *Icterici multum fœdati pereunt.* Quia, ut advertit Duretus, aut hepatis inflammatione, aut scyrrho, alteratione corruptiva, à se ipso extraneatur humor, qui ad externa funditur. Hoc nos etiam, in progressu tertianæ continuæ, ex latenti corruptione in malignam conversæ, vidimus accidisse, in Reverendo Patre, Joanne Goneales, Societatis Jesu, in hoc Hispalensi Collegio primariæ Theologiæ Cathedræ Professore. Nam in decimotertio aurigine saturata suffunditur, quod illico, cum accidisse vidimus, mortem prædiximus præpropere venturam; & intra quartam diem vitam suo cursu felicem in præmaturam mortem commutavit. Hoc in aliis etiam observavimus. & in omnibus extitit fatale mortis signum. Ii sunt, quorum color, in cute maxime, defœdatur, colore malicorii, velut illi, qui à veneni potione, aut morsu venenoso inducto, ita colorantur. Et, si ad Hippocratis historias recurrimus, inveniemus, etiam Phanacreontem ab illo periisse: &, si Heraclida evasit, hoc triplicis evacuationis privilegio legimus accidisse. Et tandem, qualis sit futurus calor talis icteri, (cum omnem spem fallit) nos docuit Hippocrates in tertio de morbis: *nempe, cum color universus corticis mali granati est similis, & lacertæ virori, & urinæ hypostasis est orobea.* Et inde est, ut subiti hydropum status sint pestiferi; ut Hippocrates dixit. Sed illud minime prætereundum duxi, scilicet, ad exitum viroris vitalitatem cadere, & simul animalem, cum invicta tristitia, potius dejecti animi quam turbati.

Hipp. — *Hipp. 1. Coac. 38.* — *Hipp. 3. de Morb.*

Hæc signa & symptomata de malignitate arguunt, & febrem & inflammationem. Sed, quod proxime malignitatis essentiam consequitur, est languor inexhaustus, & subita virium eclipsis, (est enim vitalitatis parenthesis) & subito advenìens, & omni pene alimento obsistens: si absque evidenti causa superveniat, nempe, aut alvi fluxu, sudore, hæmorrhagia, aut importuna & insuperabili vigilia; (& adhuc ista malignitatis suspicionem non excusant,) & hoc in quavis facultate, maxime in vitali.

Si hoc signum, ut est hujus malignæ febris proprium, non esset, & aliis commune, nempe syncopali, & humorosæ & minutæ, possit inter pathognomonica numerari. Sed præter ista in aliis etiam evenire conspeximus, in subita ruptione empyematis, & abscessus interni & externi, & variis deliquiis, quæ incipiunt ab exolutione; ut 1. ad Glauconem nos Galenus docuit. Sed, si in febribus nihil ex prædictis præcedat, si similis languor accidat in principio, non video, cui alteri sit apponenda hujus languoris causa. Nam illa aphoristica sententia, de exolutione, quæ sine febre accidit, intelligitur. Patet ex verborum contextu: *Qui frequenter, ac fortiter, sine causa manifesta exolvuntur, derepente moriuntur.* Sunt enim hujus exolutionis aliæ à malignitate causæ. Consulite in Commentario Galenum. *Ii*, inquit, *ob virtutis vitalis imbecillitatem, hoc patiuntur, ut ille, cui fortiter cor dolebat, aut syncope frequenter vexabatur, aut circa cor etiam palpitabat, ut 5. de Locis. 2. etiam dixit.* Eadem legitur in Coacis sententia: *Qui absre, neque ulla exhausti ratione, languent infirmi, mortifere laborant.* nempe fortiter, sæpe, & sine causa, externa intellige. Nos contrarium vidimus in hac constitutione pestilente, chirurgum in secando bubonem pestilentem, sola exhalatione in syncopem lethalem incidisse. Hæc eadem legitur in Prorreth. *Quæ præter vacuationis vasorum rationem contingunt impotentiæ, infirmitatesque, non existente vasorum evacuatione, malæ.* In hujus sententiæ Commentario Galenus quid amplius quam cæteri docuit, & præsagio majorem lucem dedit. *Invalidos*, inquit, *imbecillosque in operationibus, sicuti plurimum vacuatos, in periculo esse existima, si nulla in ipsis facta sit insignis vacuatio. Nam, si virtus absque ulla manifesta vacuatione imbecilla fuerit, gravantem ostendit copiam, vel unius principiorum intemperiem. Cum vero principia tria sint, cerebrum, cor, & jecur: naturalis virtus imbecilla, non ita cito necat; virtutis vitalis imbecillitas deterrima est, & cito hominem tollit. Nempe & una cum ea, quæ à cerebro est, confestim exolvitur: quæ si primo afficiatur, non protinus cor læditur.*

Cap. 14. — *Hip. 2. Aph. 51.* — *Gal. Comm. in Hipp. 2. Aph. 51.* — *Hip. 1. Coac. 58.* — *Hip. 1. Prorrhet. sect. 2. text. 3.* — *Gal. Comm. in Hipp. 1 Prorrh. sect. 2. text. 5.*

Quare ex his elicitur, quod in copia gravante, auxilium in vacuatione libratur. Nec de illa imbecillitate omnino desperaveris; ut etiam ex Galeno colligitur, in antea citata Pythionis historia: cujus imbecillitatis auxilium in sanguinis missione libravit. *Quod si quis*, inquit, *faceret, viribus progresso morbo jam collapsis, ægrum dabit exitio.* In illa vero unius principiorum intemperie, maxime, quando magna, aut valde lapsa, secundum rationem, de mortis discrimine timetur. Et de hac haud minus est suspecta malignitas, quam reliquæ excellentes qualitates; imo, quo citius illa facultas labitur, tanto magis malignitatis suspicio adaugetur: cum hæc veluti ictu oculi operetur, quod aliæ longa alteratione & per gradus inducta operentur. Quando ergo in febris principio cadunt vires, nec de gravante copia est suspicio, & de principii intemperie suspicatur, & nec ex febris statu, neque intensione, vel magna vel lapsa intemperies arguitur, tunc evidenter contra malignitatem concluditur, quod hæc sola tam cito valeat facultatis essentiam dejicere, utpote, quæ citissime valet, non tantum universam temperiem, sed modum substantiæ invertere, quibus facultatis essentia libratur.

Galen.

Hæc venerabilis vetustas observavit, his nostrorum importunus labor acquiescit. Majorem fidem facit, Præceptoris & Galeni sententias ad limam & lineam redigere, libratis undique hujus doctrinæ meritis ad observationis dignitatem, Philosophiæ & veritatis lucem. Illud etiam cedet in hujus insidiosæ malignitatis clariorem notitiam, si, quæ in constitutione pestilenti, & febrium malignarum vulgaritate, & observa-

ſervatione comprehendimus,& manibus tractavimus, fideli & decenti ſtilo in medium adducimus. Hujus veneficæ & indicibilis qualitatis inſidias, & præincipientia ſigna, & aſſidentia, in illa conſtitutione peſtilenti, quam vidimus Anno 1649. in noſtra hujus peſtis memoria, Hiſpano idiomate luce clariora produximus. Anno etiam 1632. quædam malignarum febrium viguit conſtitutio in Betica Provincia; ubi febrilis calor erat ſane mediocris, & fere naturalis, ut tepiditas potius videretur, quam pro ratione calor: aliis ſitis calorem ſuperabat intenſa: aliis nulla ſitis: aliquibus erat implacidus aliſmus: aliis omnimoda placiditas, ut ſe in tuto eſſe exiſtimarent. Pulſus erat mediocris in robore vitali, licet in illis eſſet manifeſta celeritas, ut adhuc in intermiſſione, in celeritate, & frequentia à medio recederet, cum manifeſta arteriæ duritie in pleriſque. quod morbi cruditati apponendum ſemper exiſtimavi. Prima acceſſio erat ſane leviſſima; at per pares major exacerbatio: invadebat enim in modum duplicis tertianæ: aliis in continuo erat manifeſta febris exacerbatio, licet in pleriſque ſimplicis tertianæ typum æmularetur. Sed in his tertia acceſſio invadebat, in ſimilitudinem ſyncopalis minutæ, cum rigore, vomitu meræ bilis, & ventris ſeceſſu bilioſo, velut liquatæ bilis; ſed tali ſtrage in robore vitali, ac ſi vires eſſent longo morbo confractæ, & facie vere cadaveroſa longe à ſe ipſa exterminata. His tertia die cum acceſſione incipiebat extremorum frigiditas, toto corpore tepido, & non recaleſcebant, licet candenti pyra intus comburi viderentur: & in declinatione quartæ acceſſionis frigidus incipiebat ſudor, quo algidis & madidis extremis in quinto aut ſexto interibant; illi citius, quibus ſanguis antea mitteretur, in prima aut ſecunda quiete.

In aliis erat febris continuo à principio ab horripilatione aut rigore incipiens, ſimilibus ſymptomatis; nec in ambitu corporis erat pro ratione calor; & per pares manifeſta erat exacerbatio, & cauta fraudulentia, peritiſſimos viros & pulſus & urina decipiebant; iſta colore ſubflavo, ſubſtantia mediocri, & albo ſedimento, non diſperſo; æqualitate pulſus, in rithmo, & manifeſto robore in vigore vitali. Iis etiam funeſtum frigus erat, & maxime, ſi à quarto inciperet: pleriſque tandem erat humoroſæ ſyncopalis ſimillima, cum tumida facie, & colore albido cineritio, ut quavis motione animo linquerentur. In iis erat cauſa, tenuis & craſſi ſucci fermentata putredo in majoribus venis; ſed maxime in iis, quæ os ventriculi circundant: nam in illo obrutum pene calorem oſtentabant, cordis etiam viribus oppreſſis & obrutis, jure vicinitatis aut conſenſus, cum indefeſſa nauſea, & omnimoda cibi averſione, ut vellent mori potius quam comedere. His febris incipiebat à frigore remiſſo, ſed ad tempus prolixo: & à prima aut ſecunda ſanguinis miſſione, adhuc rite peracta, frigus incipiebat per extrema, ut amplius non valerent recaleſcere. Quo in ſtatu, neque ſanguinem mittere, nec aliter tutum erat; ſed illud apud cautiores conſultiſſimum fuit, cum corpus tepeſcere inciperet, à ſanguinis miſſione ſuperſedere. Nec erat purganti medicamento locus: nam, præterquam quod tunc obſtabat cruditas, malignitas amplius fundebatur, & fervor & putredo turgentiæ occaſionem dabat: quo ex ſimplici vertebatur in duplicem, exinde in continuam, & ex hac in malignam, amplius fermentata putredine. Et his urina erat, & confuſa & craſſa, interdum vacuatis aut coctis cruditatibus, & corpore recaleſcente amplius, ſalubrius erat mitti ſanguinem, ſi ſupereſſent vires. quod à principio fuit ſæpe fatale. his hirudines hæmorrhoïdibus maxime profuerunt.

Hæc eadem accidentia, ſi vigilanti ſolertia perpendas, ſimplicem putridam à maligna fraudulenta diſtinguunt: nam eadem quantitate & numero, & æquali forte intenſione, in maligna, continuo & citius vires perdunt, quanto magis videntur à febre aliena, ut morbum prorſus videantur mentita. At vero, in ſimpliciter putrida, gravia adhuc ſymptomata, niſi per longum tempus vires atterunt, & ſemper febris intenſioni videntur gentilitia. Illud etiam habent ſymptomata maligna, ut, quantumvis levia videantur, præter opinionem altius radicentur, nec auxiliis cedant, adhuc rite curata, quin in alia tranſeant graviora; ut ſitis, & ſtomachi dolor, & levis diarrhea in ſingultum; continua vigilia in deliriū; & illud in phrenitidem, in cibi abominationem, faſtidium, tædium in dejectam omnino appetentiam, appetitiva facultate moriente, levis tepor, ab incipiente caloris paupertate, in extremam vivifici nectaris privationem; à qua nullus datur regreſſus, cum reddantur veluti gelu frigidi; ac tandem, ex levi impotentia ad extremam virium eclipſim dilabuntur, jam ad pedes prolapſi.

Sed adverte, quod illa accidentia haud ſemper incipiunt à corde, quantumvis venenoſa conditio ſingulari antipathia cor petat; ſed à membro, ubi ex ſingulari diſpoſitione altius & prius radicatur malignitas: nam, ſi prius in tunicis ventriculi imbibitur, aut inteſtinorum involucris, aut colliquanti fluxu, aut inſuperabili faſtidio, perimit ægrotantem: ſi furioſo raptu, & metaſtaſi prava, involucra, aut cerebri ſubſtantiam invadit, immedicabili phrenitide rapit hominem. Ubi duo in praxi obſervabis, quod intra viginti quatuor horas confirmatur. Et phrenitides tribus quatuorve horis interimentes obſervavit Alpinus in Ægypto, Lib. 1. de med. Ægyptiorum cap. 3. Ex quo ſecundum ſequitur; ut nulli, licet extremo, cedat auxilio: quia partem recipientem extreme lapſam reddit, & ineptam breviſſime diſponit. Si non accidit, quod acri collimatione ſemper exiſtimavi, nempe quod venenoſus humor, ſive ad focum ruat, ſeu in aliquod membrorum principalium, partem, in quam decubuit, non putrefacit, tantum vehementer alterat, ſed omnino corrumpit, ut pars illa in gangrænam vertatur, & quadam veluti conſequentia, forte jure vicinitatis, ſimili contagio cæteras coafficiat. Et inde mihi accidere videtur, tam breviter corpus reddi veluti gelu frigidum, confirmari phrenitidem, & ab exhauſto humidi radicalis, in vigilandi impotentiam, & in tremorem verti, & in exolutionem ſyncopalem. Inde livent extrema, & nigræ ſuboriuntur puſtulæ; ac tandem, tandem plumbea gravat mo-

moles: & veternosus sopor, si venit à phreniti-de, est prorsus insanabilis.

TITULUS IV.

De febre Elodes: & de sudoris prognosi.

Dicemus prius, quæ sudorosa febris. 2. qualis sudor oppressionis signum; & qualis exolutæ virtutis. 3. qualis criticus, & qualis symptomaticus: quis dubius, & qui plane lethalis.

Febris sudorosa est illa, quæ cum sudore incipit, & sudore finitur. continua de acutarum sorte, ex sanguine aut bile putrescentibus intra venas, interdum ex simplici putredine, ex fermentata interdum & maligna. ad differentiam illius, quæ cum rigore incipit, & sudore finitur; ut simplex tertiana: aut illius, quæ feliciter solvitur per crisim, in statu; ut synochus & causon. hæc enim fit ex peculiari conditione talis, seu delectu naturæ, seu vi illata morbi, seu ex peculiari succi conditione. Primum Galenus ex tripode dictavit. *Quosdam ego vidi*, inquit, *quibus tantum effluxerit sudoris, ut etiã madefacerent plumas: quorum nihil mihi videbatur sedandum, quia quæ molesta erant ducebantur.* Secundum asterisco notavit in tertio de symptomatum causis. *Fit igitur*, inquit, *quædam anastecosis, seu quædam colliquatio in venis, aliquando in corpore. Quod autem ex illa colliquatione resultat, aliàs ad ventrem fluit, aliàs ad urinas, interdum pellitur ad sudores. At succis, qui in venis habentur, in serosam saniem resolutis, renes sani attrahunt, & ad vesicam mittunt.* &c. *Si autem quod liquatum est, crassius sit, ad ventrem necessario confluit, cum ad renes non possit. Si vero talis succus in halitus resolvitur, sudores tunc multi superveniunt.* Nam liquefit (ut alibi confirmat) *quidquid ignea vis attigerit, & spiritus fit inde: qui cum irruit ad corporis meatus, pravi sudores fiunt.* Neq; etiam tertiũ prætermisit. *Si enim humores sunt tenues*, inquit, *corpus rarum, & facultas robusta, maxima putrescentium succorum pars in sudorem vertitur resoluta.*

Gal. lib. de Sect. cap. 9.

Galen. 3. de Sympt. caus. cap. 2. in fin.

Idem, lib. de Flatib. fol. mihi 96.

Galen. 2. de Differ. Feb. cap. 11.

Et, si quæras, in quo ista febris differat ab aliis, etiam suæ sortis, dicimus, quod in foco & minera putredinis, ubi magis præest hujus peculiaris febris apparatus; & in humoris singularis conditione. Nam sicut singultuosa febris non est illa, in qua singultus ex alio principio supervenit, sed quam à principio ad finem comitatur singultus; quia febris focus est in venis ventriculi: nec horrifica, quam rigor ordinatus singularis invadit, sed à principio ad finem non demittit, quod per sententia loca à venis ad ambitum transmittitur: & vertiginosa, quod in cerebri venis est minera putredinis. Sic pariter est febris sudorosa, cujus focus & minera putredinis à majoribus venis ad ambitum transmittitur, aut liquatis humoribus, aut dispositis huic singulari expulsionis sorti, sicut variolarum & morbillorum febris, quæ licet non sit alia à communibus febribus, sit tamen accidentis & humoris conditione peculiaris. Hoc nobis magis secundum rationem visum est: sed interim, cum judicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam.

In hac tamen febris conditione, sudor alius est solius oppressionis signum; & tunc sudor elicitur, non profluit: alius profluit, sed exolutione, non delectu naturæ. & uterque est plane symptomaticus. quove naturæ aut morbi præjudicio. sic Hippocrates dixit: *Quibus in febre non intermittente crebra sudatiuncula cum hipochondrii tensione, pravum: sed deterius, si pertingit ad humerum.* Dupliciter ephidrosis, in continua febre, oppressionis violentia elicitur; seu, dum solum apparet ad caput, & thoracem, guttulis grandioribus, interdum roris instar; vel dum per totum corpus quædam sola humiditas exudat, ut corpus absque ulla conferentia continuo madescat. Illud tamen maxime oppressionem notat, si in febris principio, cum alismo implacido, & nulla vacuatione præcedente, si maxime plenitudinis signa aut inflammationis copulentur. quod pulsus indicat inæqualitas, corporis ponderosa lassitudo, &, si febris à sudore invalescat.

Hip. 1. Coac. 3.

Hoc dupliciter accidere videmus, tenuatis aut liquatis humoribus. Sed illud erit maximum liquationis argumentum, si accidat cum frequenti deliquio, cum ardenti febre, & cum urina nigra, seu vi malignitatis seu igneæ virtutis. Hæc omnia summus ille dictator comprehendit, sub alia sententia. *In acuta febre*, inquit, *qui cum anxietate, miliari sudore potißimum caput exudat, gravißime laborat, idq; maxime si cum urina nigra.* Hoc naturæ oppressæ est exemplũ, ut indicat anxietas & miliaris sudor, maxime circa caput: ad quod omnes animæ refluunt passiones, quæ à corde resiliunt, ut nobis monstrat ira, cujus occasione & caput incandescit, & cerebri potentiæ conturbantur. Nec immerito anxietas à Præceptore ducitur oppressionis signum. hæc enim initio morbi multipliciter accidit: seu, dum inexplicabili angore æger mutationibus ut remediis utitur, sed frustra concitatur, spe ipsa mentita; nam mox ab illa figura levamen frustra quærit in alia, omnis loci impatiens & figuræ: seu, dum oppressæ vires, citius delassatæ, cedunt in aliam figuram: seu, dum latus exustum à febrili ardore, quærit solatium in latere contrario: aut tandem, dum commorso ventriculo facultas lacessita concitatur à visceris interni empyreumate, seu à bilis reumate concitato, ut partes etiam irrito eretismo concitentur, cardiaca turgentia pro noxa depellenda. Si ergo initio morbi, ob illa totum corpus exudat, & caput & regio thoracis miliari sudore, virium oppressarum est indicium, & cadmici certaminis; in incerto, quo res casura sit. Tu enim de eventu cauta solertia & maturo consilio delibera, prout prævalet non numerus signorum, sed prout ex omnium concursu una significandi proprietas educitur, meritis & agendi efficacia æqua lance libratis.

Idem, 1. Coac. 32.

Sed ex illis certius expectabis judicium ad malum, quæ vitæ necessaria officia intercipiunt, aut insuperabili malignitate contra naturam pugnant. Licet adhuc in istis sit singularis cautio adhibenda; nempe, cum illorum efficacia pendet ex multitudine: tunc enim de salute omnino desperaveris; quoniam, quantum natura impensius ab onere urgetur, tanto potiori conatu, omnibus collectis viribus, contra illud insurgit, ut contra pondus palma. quo aliquando accidit, ut excretionem

tionem citra expectationem moliatur, non per unam tantum, sed per varias simul regiones; ut in variis exemplis nos Hippocrates docuit: ut quando mors timebatur, salutis spes, natura sublevata, eluceat. Si vero signorum vis & efficacia ex altius radicata impressione pendet, ut essentialis imbecillitas principum facultatum exinde contrahatur, aut vitæ officium necessarium intercipiatur, non video, ex quo principio sit salus sperabilis.

Neque parum conducit ad oppressionis notitiam ephidrosis. Est enim sudatiuncula, ab anxia oppressione expressa, à resolutione patiendo permissa. Utraque mala; hæc pejor. Patet ex alia Hippocratis sententia: *Qui absque somno, & cum sudatiuncula exardescunt ad invicem, male habent.* Non tantum ob vicissitudinem passionum; sed quod à sudore diminuto reaccenditur calor, in materia, quæ commota uberiorem vacuationem postulabat. Hæc enim est diminuta crisis, quæ nullam legem perfectæ observat, sed solius tumultus: quia nullum paucum est criticum; nam inchoat, non perficit natura. Hoc etiam constat ex demonstratione, quam fecit prudentissimus Senex in alia sententia: *Qui cum dolorifica artuum lassitudine,* inquit, *caligine oculorum, vigilia, & comate à sudatiuncula exardescunt, periculose habent.* Ecce tumultus signa, & oppressæ naturæ, & diminutæ crisis, ubi nec materia vacuatur, empyreuma extinguitur, nec ulla comparatur levatio: quin imo adaugetur oppressio, & graviorum malorum cumulatio. quibus si accedat ullum lethale signum, est in mortis periculo; ut legitur in alia sententia: *Qui exiguo sudore madent in febre, in metu sunt mortis.*

Hipp. 1. Coac. 43.

Idem, 1. Coac. 36. & 1. Prorrh. sect. 2. 12.

Hipp. 1. Coac. 44.

Hæc proprie est sudorosa febris, quæ elodes humida à Galeno vocatur, à nostris sudorosa. *Febres exacte siccas,* dixit ille, *graci Typhodes vocant; at vero summe humidas, elodes. Et hæ sunt, quæ prima die sudant, nec levantur sudore: has humidas appello.* De hac legitur illa Coacarum sententia: *Qui una cum febre incidit sudor, si est acuta, pestiferus: in tepida vero, diuturni morbi est indicium.*

Gal. lib. adver. Lycum. cap. 2.

Hipp.

Tripliciter febrem sudorosam comperimus accidere; seu ex ichoroso corporis apparatu; seu ex candenti pyra humoribus liquatis; seu ex præhumida temporis tempestate, & constitutione sudorifera, excedente calore copulata. De hoc luculentum habetis testimonium in Hippocrate, in illa historia generali. *In Cranone,* inquit, *in ardoribus siccitatis febres siccæ fiebant, absque ullo sudore. In his autem si superirroraverit, sudatoriæ magis in principiis fiunt.* Et parum infra. *Sub roribus enim in æstate fientibus sudor febricitantibus, & quidam sudores statim à principio, & non maligno modo: quibusdam sub hoc tempus etiam judicationes cum sudore.* Et in alia Constitutione quam enarrat. *Post canem,* inquit, *febres fiebant sudorosæ, & non perfrigerabantur omnino. Post sudorem rursus recalescebant, & febres erant longæ, & non sine judicio paucis; septimo, nono, undecimo, decimoquarto, decimoseptimo & vigesimo fere judicabantur.* Hujus constitutionis exemplum fuit Pithodorus & Policrates: in hoc quia accessiones per pares erant magis conspicuæ, judicatur vigesimo secundo: in Pythodoro, ob recidivam in vigesimoquarto, protrahitur ad quinquagesimum primum. *In his,* dixit Præceptor, *sudores fiebant omni die, qui nihil ad febris levationem conferebant.* Humiditas enim nimio æstatis calore liquabatur, & ad cutim ideo trahebatur. Fidem facit, sub canem accidisse & proxime subsequente Arcturo, cum tanta humiditas non possit in halitus resolvi.

Hip. 2. Epid. sect. 1. text. 2. & 6.

Idem, 5. Epid. text. 68.

Hipp.

Ex ichoroso corporis apparatu solet etiam hæc febris fieri ex peculiari conditione sudorosa: ichor enim est febris & sudoris materia, in tempore salutis sanguini in vehiculum datus, ne illius absentia crassior sibi viam præcludat. Si vero talis ichor sit naturæ præscripto copiosior, omnium succorum vis retunditur, & ob humiditatem venarum humores putredini redduntur aptiores: unde febris hujus sortis proventus, quæ lotio aut sudore terminatur; (nam orta suis principiis maxime attestantur;) aut per utramque viam. Si enim aquositas intra venarum carceres putrida coercetur, utplurimum natura, per sibi consociales emulgentes, se solet perirrhœa expurgare, utpote per loca lotio destinata. Si vero per oscula venarum, & per illarum poros, vi innati caloris, aut febrilis virtute tenuati, in ambitum feruntur; per sudores. Quod etiam acri, tenui, & ustæ bili, & ichoribus accidit, dum ab illis natura irritata, per membra sententia illa pro rigore ad ambitum extrudit: inde occasione data, ut illæ ipsæ febres per sudores maxime judicentur; ut in synocho & causone fieri comperimur, & periodica etiam tertiana, haud aliter, quam in morbillis & variolis accidit. Hæ febres solent utplurimum in pueris accidere, & in adultis, ubi sanguificatio, calore defraudato, minuitur, ut fit serosi sanguinis uberior proventus; & ex temporibus, maxime per æstatem, & autumni principio, cum arefactæ venæ calidos ichores ad se traxerint. Quod in febribus lassitudinariis accidere nos Hippocrates docuit, & iis omnibus, ubi humiditas prævalere contingit, cum calore; ut Vere & æstatis principio.

In his sudorem nec cohibere nec provocare expedit, sed leniter abstergere, vires reficere, crassiori & siccanti cibo uti, non laxantibus, nec prorsus adstringentibus, sed cum attemperatione roborantibus. Sed inde maxime sudoris pericula prævenies, si fontem, à quo ipse scaturit, exhaurias; &, si ad intra venas ichoris multitudinem agnoscas, quæ febri & sudori causam præstet, ne timeas iteratam sanguinis missionem: quia, si tantum prolicitur superfluum, sic humor & natura penduntur, ponderibus librata suis, quo nec illa ab opere laudabili divertitur; nec ille recursus periculo laborat. Nec te ad purgandum seducat in principio lubrica supernatantiæ imaginatio, neque tenuis eretismi præsumptio: nam quæ in venis putrescunt, securius & præter ebullitionis periculum per venas vacuantur, illa proportione, qua cum aliis permixta continentur. Causam alibi diximus, quam non pigebit legere.

Fusis & liquatis humoribus ex urente calore, sudor etiam in principio in hac febre elicitur: quam nihil vetat dicere sudorosam. Illa tamen liquatio in variis corporis substantiis celebratur, haud æquali periculo: in humoribus primo in tenuem pars versa crassioris humoris, aut alimenti substantia in vapores conversa, roris nempe,

nempe, qui partes alibiles adoritur; seu, dum adurens calor jam pinguedinem liquat, aut tandem substantificam humiditatem partium, usque ad humidam vivifici nectaris substantiam, hecticæ aut marasmi retorridi periculo. Erasinus est hujus febris cum sudore colliquante exemplum, (ut discas quibus signis ab aliis differat sudoriferis:) *Erasinus*, inquit Hippocrates, *igne est à cœna correptus*: (liquatur enim, ut dicebamus antea ex Galeno, quidquid ignea vis attigerit.) *diem primum habuit in quiete, noctem molestam transegit: secundo die omnia exacerbata sunt, in nocte delirauit, & tota die tertia. Quarto omnia pene ad summum ducta sunt. Quinto extremitates frigidæ, & sublividæ, urinæ nigræ, sublimia hyponchondria. febris perpetuo cum sudore. quo solis & vitæ ad occasum pervenit.* Sudor in hac febre fuit ignis effectus; cætera accidentia morbosi apparatus cum malignitatis suspicione. In hujus Commentario Galenus: *Hic fuit diateleos, hoc est, semper sudavit, id est, per totum morbum sine judicio. quoniam liquatio non judicat, subito vires dejicit, quanto celerius alibilem substantiam depascitur. Vrinæ nigra est ustionis signum. ideo & celeris interitus. Frigida & levida extrema, non incipientem, sed extremam nativi caloris debilitatem notant.* Ex quo certam elicies hujus ab aliis suæ sortis differentiam, nempe, quod accidentia, paria quantitate & numero, celerius in hac vires dejiciunt, in cæteris vero absque notabili virium dispendio persistunt: & secundo, ex quaque levi corporis motione incidunt in deliquium, & corporis & animi torpore prehenduntur; in aliis alacrius ad oblata se gerunt, & quasque motiones diu peræque ferunt, citra illam facultatum jacturam.

Hip. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 8.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. Sect. 3. ægrot. 8.

Diaphoreticus inde sudor diffluit aut elicitur: & illud ex duplici principio; exolutione nempe à principiorum intemperie, aut spiritibus profuso sudore exolutis, facultate retentrice penitus moriente, seu liquata humidi primigenii substantia; quo calor naturalis exolvitur, ut inde sudore vitalitas exhalet. Utraque diaphoresis est semper ipso jure lethalis. Quomodo autem dignoscatur incipiens, & quando retinendi occasio animum acrioribus stimulis sollicitet, hoc nec tibi monstrabunt sola medicinæ principia, nec auctorum decreta toties collimata; sed multiplici exercitatione singularis solertia, ac prudenti in rebus discernendis genio adornata. *Plurimi enim medici*, dixit Gariopontus, medicus vetustissimus, *salutari sudore imminenti ægrotantibus restitere, & alii diaphoreticos, conlaxantes, cum morbo, in ægros ad necem conspirarunt.*

Gariopont. lib. de febr. cap. 23.

Quare, utili sudori ante tempus obsistere, æque periculosum æstimabis, ac exolventes imprudenter laxare. In cujus notionis differentia pondus majoris negotii libratur. Detur ergo, quod nec incipientem symptomaticum, nec suo jure criticum detinere conveniat, (in hoc omnes conveniunt; non est enim cohibendus primus naturæ impetus ob recursus periculum: nam iste ex quocunq; humore de periculo arguit, & semper est lethalis ex maligno:) si forte, ut sæpe usu venire novimus, hic & ille ultra quam ferri possit, cum manifesto virtutis exolutæ discrimine progreditur, quæ nobis erit regula, ad jure, loco, & tempore retinendũ, de hoc alibi diximus, quę non pigebit legere, in curatione diarrhœæ, in princip.

Ut ergo ultima differentiæ ratio innotescat; quando permittendum, provocandum, obsistendumque sit, consultum prius duximus, sudoris signa, jure, loco, & tempore, prorupti, in medium adducere, ac de exolvente postea & syncoptico. De hoc est serius Hippocratis judicium: *Sudor optimus est, qui febrem die critico solvit. Utilis autem, qui levat: verum, qui frigidus circa caput & collum exudat, pravus, vel ad diuturnitatem, vel periculum. Frigidus enim sudor, in acuta quidem febre, est lethalis; in tepida vero, morbi diuturni est indicium.* Illius critici sudoris conditiones Galenus variis in locis observare mandavit. *Prima* est, ut sit prę-indicatus. *Secunda*, in statu, & in febre acuta, (unde obiter nota, quod hic sudor non semper accidit in febre sudorosa, sed etiam in aliis acutis:) nam is febrem exolvit, aut saltem majori parte levat, multiplici seri excretione, humorum, qui in venis exardescunt, liberali & libera, dum universalis & calidus persistit; & hoc ad morbi tempus, & speciem crisis: hunc etiam præcedit urina colore & sedimento laudabilis, cum madore in quarto, si crisis est septimo futura; in nono aut undecimo, si in decimoquarto, suppressa interdum cum rigore urina, haud nephritico modo, sed fugaci, Hippocrate & Galeno auctoribus. Nec sit alicui mirum, ad criticum sudorem urinam detineri: quoniam, si est eadem utriusque materia, quando major pars cedit impulsui naturæ, dum per hanc viam pellitur, ab alia divertitur; ideo etiam & sudor compescitur ad urinæ profluvium. Et sic intellige illam Hippocratis sententiam: *Vrinæ ante rigorem subsistunt*, non simpliciter, sed quando ille est criticus futurus, ad sudorem, ut Galenus exposuit, in Commentario præcitatæ sententiæ; cum excretio naturæ votis cedit: tunc enim est certe fida crisis, & à crisi levatio, nec recidivæ timor. Illud tamen nolui præterire, quod sępe observavi, crisim per sudorem non ita à recidivæ periculo securam esse, ut cæteræ crisium differentiæ: quoniam, cum ex humore, qui in venis exardescit, pars serosa in vapores exhalet, ex quo criticus sudor, fit inde, ut crassior humoris portio, in venis derelicta, fit recedivæ causa ab empyreumate cinere derelicto.

Hipp. tit. 4. Coac. post med. de sud.

3. De Cris. 3. 2. De Caus. Sympt. 5. Lib. de Rig. cap 6. Lib. de Diff. Febr. 11. Lib. de Sect. cap. 9.

6. Epid. Sect. 1. & 3. de Cris. 11.

Hipp. 6. Epid.

Hæc laudabilis crisis solet in quovis decretorio advenire. Sed adverte, quod in aliis ex virtute diei; in plerisque ex vi accessionis, quæ cum die coincidit; in aliis tandem ab insultu naturæ, quem assumit in quoque singulari quaternario, quando in illo præest ad crisim apparatus. Ideo forte in fine cujusque quaternarii motus aut crisis accidit, ut videmus in quarto, septimo, undecimo, aut in decimoquarto. Nec dubito, quin ob hanc rationem crisis in tertio ut in quarto elucat, si forte conatus coincidit cum materia tenui & difflabili. Exemplum habemus in Thasia muliere, quam crebra delirii & convulsionis vicissitudo in febre sanguinea exercebat, cum rapto morbi motu. in hac sub noctem diei tertii, totum illi corpus calido & copioso sudore promanavit: febris expers dormivit, ac omnino resipuit, ut tertiæ exactæ esset crisis, aut in quartæ principio. Pericles in Abderis criticum sudorem experitur in quarto, omnino salutarem: *toto corpore, multo sudore calido, judicatus est febris expers,*

Hip. 3. Epid. sect. 3. ægrot. 11.

Hip 3. Epid. sect. 3. ægrot. 6.

pers, nec inde recidiva. In fine adnotavit Hippocrates, quod raro accideret.

Sed quare in quarto talis crisis contingat, ipse Galenus dixit: *quia primus naturæ insultus incipit in primo quaternario*: ideo forte in quarto in febre sanguinea fit crisis, quia in illo, aut cedit impulsui naturæ, quando crisim molitur; aut quia pars tenuis degenerat in bilem, crassa in melancholiam. Quæ est etiam veluti crisis actio ex insultu naturæ. Hoc etiam ex Galeno probatur: *Nam si febris synocha fuerit*, inquit, *& nullus error acciderit, in quarto die sperandum crisim futuram. Si vero continua fuerit* (ad differentiam continentis intellige) *in tertio aut in quinto. &c. Et ita raro accidit ut in die libera fiat crisis &c. quia raro eveniunt synochi: & ubi nullus sit error, in quarto finiuntur per crisim, natura à propriis circuitibus ad crisim perveniente.* naturæ intellige, non febris: hæc enim circuitus non habet, bene tamen natura, quæ in fine cujusque quaternarii mirabiles insultus ad morbum debellandum solet instinctu naturali producere, aliquando à proprio consilio, interdum lacessita. In decimoquarto gravida mulier; in undecimo Melida sudore perfecte judicatur: ut Anaxion in trigesimoquarto.

Galen. 2. de Dieb. dec. 6.

2. De Diff. Febr. 9.

Galen. 3. de Cris. 4.

8. Epid. Sect. 8. ægrot. 13. & 14. & 8.

Et, si velimus ad hic & nunc descendere in judicium singularis judicii in sudore, erunt profecto nostra certiora judicia, quantumvis illius sint incerta: nam in discernendo judicio majorem fidem facit dies, in quo sudor contingit, quantitas & qualitas sudoris, tempus & excernendi modus, locus, à quo sudor elicitur aut diffluit. Nam sudores, qui in statu veniunt & in critica die, succis mitificatis, si quid aliud magis pepasmus indicat; ii & sunt ex perfecta crisi, & ducuntur in bonis. Aliis etiam utiliter confluit, sed non ex toto liberat; veluti ab incepto certamine, dum natura materiam morbificam tenuare & discernere incipit, ut solet in augmento, aut in aliquo singulari insultu, in principio cujusque quaternarii, & cum plus de morbo quam de viribus detrahit: talis est symptomaticus, licet utilis. Aliis non utiliter tantum, sed innoxie excretionem jactura insigni absque ulla molitur: qui etiam est utilis, licet adhuc cum virium dispendio levamen afferat. Nec interest, an tempore pluvioso, an seri abundantia foveatur; veluti in quartana aut tertiana notha. Nutant attamen illi ancipiti fortuna, quadam in differentia satis dubia: aliter enim est ferendum judicium, dum excretio est soboles ichorum abundantiæ; aliter, dum pravæ sanguificationis gentilitia; aliter, dum humores liquantur ab externo calore, dum canis syrius latrat: tunc enim quod liquatur, ad cutim facillime attrahitur.

Sed à quacunque causa si in morbo acuto superveniat, & externæ aut recentis occasionis nulla sit excusatio, si, antequam crisim moliatur natura, in pepasmi carentia; hic sudor non semper malignitatem arguit, semper tamen difficile judicium, ut quæ non decernunt decretoria. Hæc enim arguunt, in causa, multitudinem aut pravam qualitatem; in natura, aut irritationem, aut imbecillitatem. Ideo Hippocrates in generali historia autea recensita: *Alii*, inquit, *sudores statim à principio fiebant, & non maligno modo, ut in Perintho: nam si mali ut signum apparebant, ut causa erant utiles, & juvabant.* Aliter evenisse narrat in alia constitutione in Thaso: qua febres non remittebantur ad sudorem, sed absque ullo judicio recalescebant, & toto paroxismo sudabatur: sicut in Pythodoro & Cleoside. & de his legitur illa Hippocrates sententia.

Hipp.

4. Aph. 56.

Nec sunt calidi sudores ideo salutares, nec semper, quod frigidi, lethiferi. Calidus enim sudor interdum prope mortem exhalat, viribus jam collapsis, dum radicalis humor & vivificum nectar, liquata ab urente calore, retentrice facultate penitus moriente, diffluunt in vapores. Sed in hoc est hujus ab aliis differentia, quod hic tenax, calidus, glutinosus, nec facile à corpore abstergitur, cum exolutione insuperabili; si credimus Galeno: criticus tamen sudor, est calidus, copiosus, & profluit ex toto, recreat, levat, & subito instaurat.

1. Progn. 26.

Nec frigidi sudores ideo sunt semper lethales; nunquam tamen perfecte decretorii: nam frigidus contingit promanare à materia, ab agente, & à loco, per quem ipsi erumpunt. A materia, si frigida, seu frigidi humoris ichorosa; ut in amphemerina & quartana; aut si ita multa, ut non valeat ab ipso calore comprehendi; aut quia diffluit à ciborum materia: sed illi ad prognosim non faciunt. Si vero ab agente hoc accidit, urentis aut maligni caloris efficacia, qui etiam pro materiæ morbificæ dispositione, & caloris nativi resistentia operatur. Nam dum influens & innatus ab urente exolvitur; quod solet in febre exurente evenire, ex eventu, à privatione calefacientis, frigidus sudor redditur. Sive ex lypirico recursu ad morem cucurbitulæ attrahitur: tunc enim cutis, à calore deserta, hos vapores (sudoris materia) infrigidat, ut Galenus etiam adnotavit: sive cum tanta extat frigidæ materiæ multitudo, ut illam non valeat adhuc urentis caloris efficacia comprehendere; ex qua frigidus etiam sudor emanabit. (Hoc Galenus fatetur, gliscit tamen ratio in contrarium, posse in tanto venarum frigidæ materiæ apparatu, febrem exurentem concitari.) Hi frigidi sudores sunt ipso jure lethales, in febre peracuta & urenti. In primo casu; quia à privatione ad habitum non datur regressus. In secundo; quia systrophica visceris inflammatio, cum sudore in perniciem mutuas tradunt operas. In tertio; quia in tam magna frigidæ materiæ abundantia, aut malignus aut pyroticus calor necẽ anticipat, velociori cursu, quam multitudinem valeat calefacere, tenuare, concoquere, aut quomodolibet aliter superare: excepto, si illud accidit in mitiore febre; ideo antea diximus in acuta.

4. Aph. 40. 41. 41.

1. De Cris. 19.

Hæc omnia prudentissimus Senex unica sententia comprehendit. *Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, morbi longitudinem significant.* Galenus in hujus sententiæ Commentario. *Essent profecto calefacti, si ex partibus calidissimis efferentur. Evacuantur autem ex cute sudores, quam frigidam esse contingit, cum tamen ea quæ sunt sub ipsa, comburantur. Nam quibusdam humoribus putrescentibus, ostensum est febres acutas fieri. Hi vero putrescunt sæpius in toto corpore, sæpius in vasis solis. Cum vero hæc duo aliquando contigerint, humores, nempe, qui sunt in vasis, putrescere, & eam quæ solida corpora regit naturam (quæ secundum Hippocratem*

Hip. 4. Aph. 37.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 37.

pocratem eſt calor naturalis) vel extingui omnino, vel proximam eſſe extinctioni: quæ quidem ex his evacuantur, frigida ſentiuntur: eam vero quæ ſit ex putredine caliditatem, nihil prohibet vehementiſſimam eſſe, atque ideo ſignum exitiale, offendens in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare, tantam habentium frigiditatem, ut neque à calore nativo, neque à febrili calefiant. Vel quod humida illa exhalatio, non ſolum frigida in cute condenſetur, ſed inde frigiditatē aſſequatur; ut in ſecunda aeris regione contingit. Hi haud aliter ſe habent in periculo, ac illi, qui frigidum expirant, levatis pinnis narium, & toto pectore elevato reſpirant. De quibus hæc Hippocrates dixit: *Spiritus creber, dolorem aut phlegnoſim: rarus delirium ſignificat. Si vero frigidus, de naſo & ore* ſpiratur, *admodum exitialis jam eſt.* Galenus: *Tepida vero ſalvari hominem ſæpe contingit, concocta in proceſſu temporis multitudine humorum frigidorum, & à natura victa.*

Hipp.1.Prognoſt.24.

Galen.

Eadem penè legitur in Prognoſis oraculo ſententia, ut differentiam optimi à deterrimo ſudore, & frigidi à calido conſtituat. *Sudor*, inquit, *ille optimus eſt, per omnes acutos morbos, ſi die evenit decretorio, & integre ſedat febrem. Bonus etiam eſt, ſi ex toto corpore prodeat, faciatque ut æger facilius morbum ferat. Si vero nihil tale efficiat, nequaquā utilis eſt. Peſſimus vero eſt, ſi frigidus egrediatur & circa caput, vultum & cervicem. Hic enim cum acuta quidem febre, mortē: cum mitiori vero longitudinem indicat. Et, qui per totum corpus ſiunt, ſimiliter ſignificant hi, ut qui circa caput. At vero miliiformes & ſolum circa cervicem evenientes, mali ſunt. Qui vero cum guttis ſiunt, & evaporant, boni ſunt. &c.*

Hipp.1. Prognoſt.26.

Veritas in oppoſitis lucet. Sunt enim argumenta contraria, potiſſima veritatis eruendæ inſtrumenta. Ideo Hippocrates ab optimo ſudore ad deterrimum venit, per contraria ſigna, quæ dicimus argumenta contraria. Ideo Galenus in hujus ſententiæ Commentario: *Optimus ſudor*, inquit, *omnes conditiones prærequirit: ad bonum non requiruntur omnes, ſufficit enim ut, ſi à toto fluat, aliquid morbi tollat, neque dici meminit. In ordine tertius ſudor erit inutilis, ſi nec ex toto fluat, nec faciat ut æger morbum ferat alacrius. Pejores tamen ſunt, qui nihil levaminis efficiunt, ſed morbum deteriorem reddunt, licet ex toto fluant; velut in Pythione: moderatiores, qui alterum efficiunt, licet non fluant ex toto. ſed omnes ejuſmodi calidi ſunt ſudores.* Ideo dixit poſtea: *Peſſimi vero frigidi, ut oppoſitos ab iſtis ſepararet, & qui erumpunt ad caput & cervicem, licet tales non frigidi: hi enim minantur ſyncopem* (ſudorem enim circa caput & faciem animi angor elicit.) *Nam ſi frigidi apparent ad caput & cervicem, jam ſunt peſſimi omnium, quippe non fore, ſed jam adeſſe ſyncopem indicabunt. Et hi etiam febris vehementia diſtinguuntur, nam tales in acuta prorſus adferunt mortem, licet ex toto fluant; ſicut qui apparent ad caput & cervicem, licet calidi ſint. Si vero febris mitior* (intenſione & accidentibus intellige) *poterit facultas, ab illa non prorſus debellata, temporis ſpatio frigidos concoquere humores.* Ideo longitudinem arguit potius quam periculum. Sed in his neque aliis de diebus meminit decretoriis, utpote ad judicium fideliſſimis, ſed ad bonum præcipue. Ideo forte Senex 4. Aphoriſmorum ad criſim ſalutarem per ſudorem tot dies numerat decretorios. Sudores vero frigidi quacunque die veniant, ſunt peſſimi judicii. ideo non valent à virtute dici in meliores verti; quoniam illi arguunt, aut viſcera nobilia intus uri, aut nectar vivificum extingui, aut partium vivacitatem defraudari: ex quibus nulla eſt levatio ſperabilis. Attendite ad Syleni hiſtoriam, ſatis manifeſtum hujus veritatis exemplum: Huic *ſexto die ſubfrigida extrema. Septimo obmutuit. Octavo frigidus toto corpore ſudor. Vndecimo obiit.* Idem accidiſſe legimus in Philiſco, qui *frigida ſudavit & in ſexto occubuit.* & Dromedai uxori: & Puerperæ, de qua dixit Hippocrates: *ad caput & ad collum frigido ſudore promanavit. In ſeptimo cum frigido ſudore obriguit. decimoquarto periit.* Hoc intellige partium ipſarum exolutione accidiſſe, alibili ſubſtantia diffluente & fortaſſe liquata, ut Galenus intelligit: quo non ſit mirum, ſyncopem quamque levem motionem præoccupare. Claudatur hic diſcurſus illa quæ in Coacis legitur Præceptoris ſententia: *Qui à rigore frigent, caput collumque dolent aphoni, oborta ſudatiuncula ut ſe collegerint, moriuntur.* oppreſſa nempe principis membri facultate, & partibus ad vitam neceſſariis exolutis: quod aphonia indicat, ſive vocis privatio.

Galen.

Hipp.1. Epid. Sect.3. ægrot. 2. Ibid. ægrot.1

3. Epid. Sect. 2. ægrot.12.

Hip.1. Coac. 1.

Interdum non ſat eſt, pericula prænoſſe, niſi ſigna periculi incipientem paſſionem à progreſſa diſtinguant; aliquando enim ſudor incipit, & æſtimatur utilis, & ut talis juvatur, quo venenum intus aliter: ſolet enim febris incipere à diaphoretico & laxante ſudore, maxime peracuta, & quando juſtum erat obſiſtere, laxamus; interdum retinetur provocandus, manifeſto diſcrimine, aut criticus, aut utilis, quem prudentius foret provocare. Quare hæc interſtinguere conſultiſſimum judico, uſque dum videmus de calido & frigido ſudore, utili & inutili, ſingulares cujuſque differentias. Nunc reſtat diaphoretici incipientis & progreſſi ſudoris pericula & vires æqua lance librari. Hæc enim febris eſt prima in fallacia, ultima in periculo. Hujus cauſa eſt in venis majoribus, quam fovet principiorum intemperies, cauſæ morbificæ continua productione & perenni. Hæc liquatur; ſoluta in vapores, ſudori cauſam præſtat. Inde mihi videtur primum ſignum incipere exolventis ſudoris; nempe ab exurente febre, ex cujus violentia liquatio præſumitur, & brevis nativi temperamenti tranſmutatio, quo eſſentialis facultatum comparatur imbecillitas. unde ſudoris laxitas. Inde ſecundum ſignum Galenus videtur invexiſſe à pulſu nempe arteriarum: *Hujus enim principium pulſus undoſus excepit, in progreſſu & fere in ſtatu vermicularis. In principio enim eſt arteria mollis atque laxa, in fine facultas debiliſſima.* Et concludit Galenus: *Hic pulſus pravos ſudores excipit:* quos etiam inter mortales numerat. Quomodo autem illa fiat liquatio, Hippocrates nos docuit: *Liqueſit ergo*, inquit, *quidquid ignea vis attigerit: fitque inde ſpiritus, qui cum ad corporis meatus irruerit, inde ſudores ſiunt, pravi, quod à liquatione, maleſici, quod finiantur ſub fatali maraſmo.*

Galen. 2. de Præſag. ex pulſ. 9.

Hipp. lib. de flatib. fol. 96.

In hac ſpeciali differentia inter alios illius antiquitatis viros gigantizat doctus Gariopontus, antiquiſſimus auctor, dum hujus febris gradus & maligni ſudoris differentias per ſua cujuſque ſigna ad limam & lineam redigit.

Gariopont. lib. de Febr. cap.23.

Est enim acuta febris , inquit , *cum nimio sudoris affluxu , per totum corpus manantis , cum pravo pulsu venarum. Hæc passio plerunque æstatis tempore lædit : biliosis juvenibus & bonæ valetudinis , hoc interdum accidit à cardiaca, quinque aut septem dies incumbentibus febribus & urentibus velut flamma ignis. Vt autem cœperint esse cardiaci , (hoc est , cordis dolore & sudore exoluti) refrigerantur ejus summitates manuum & plantarum , plerunque ad cubitum & genua , sive adtotum corpus: venæ pulsus est velox , & velut elevatus, parvus, tardus, inanis : & ubi cœperit crescere passio , (ab augmento nempe ad statum) vibrans est pulsus, atque varus, cum tremore, & formicatione incognitus atque se subducens. Sequitur eos defectio animi , & subductio , & nunquam dormiunt. Quibusdam eorum sudor nimius, & per totum corpus se diffundit , multum pinguis & glutinosus, quem Græci Glycion dicunt. atque si eum teneat , vix producitur. post hæc gravitudo corporis & virium, & sensus, & tremor, & debilitas, facies pallida, oculi concavi, eos subsequuntur; suræ illis gravantur: ubi desinit accessio, lingua livida invenitur.&c. Si vero per propriam venarum passionem laborant, vel eis ipsa passio dominatur , tincta est lingua , tunc frigida desiderant ; at ubi cœperint passione urgere, (in progressu nempe) tunc visus hebetatur , livescunt eis manuum summitates , giberosæ fiunt plantæ & ungues , & non in uno loco jacent, sed cum palpitatione huc & illuc feruntur. Primum quidem pulsus est densior , postea vero defectior , & cutis eorum corrugatur in modum uvæ passæ. Accedentibus illis ventris solutionibus, malum est signum. & aliquando plorant sine causa ; escam avide sumunt, devoratam non digerunt. Hæc tamen omnia sunt signa mortuorum. interdum fastidium patiuntur , per insaniam linguam mordent & labia. Item malum est signum post acceptum cibum & vinum , si cum molestia , & febre, & cum lassitudine corpus solvitur, rubescunt oculi, lingua fit sicca , præcordiorum sudor agitur , plerunque autem & sine sudore dissolvuntur, & apparet in oculis eorum signum, quod Onichior, appellatur.* Et hæc sunt Gariiopon- ti signa, incipientis, progressi, & lethalis diaphoretici sudoris, seu à cardiaca , seu ab urenti febre superveniat.

Hujus ultimi signi energia (nam cætera omnibus fere patent) à lapidis colore expetitur. *Onix* enim *marmoris quoddam genus est alabastritis, in montibus Arabiæ nascens, & hic collo suspensus, & digito portatus , auget in somno terribilia , & tristitiam , & inter homines contentiosas lites.* ut auctor est Plinius. Et Auctor de Incantatione & adjuratione: *In pueris*, inquit, *salivam oris auget.* Onix etiam affectus quidam dicitur in oculo, dum pus sub cornea colligitur , ad ungulæ colorem & substantiam : qui est etiam hujus lapidis color , ac ideo nomine illius appellatur; vel, ut notavit Celsus, dum quidam excrescit à majori angulo , ad oculi coronam, ut pupillam opperiat, sæpius à narium, interdum à temporum parte nascitur ; ut notavit Manardus. Quare hujus signi metaphora à Garioponto ducitur per onichior , hoc est, per cæsium colorem, & marmori simillimum, dum defectu spirituum, pupilla, jam turbida , colore inter album & lividum obscuratur, in diaphoretico sudore jam progresso , non cardiacæ , sed febris ratione , ut visio non tantum hebetior reddatur, sed obscurior. ut per hanc dictionem intelligitur.

Plin. Nat. Hist. c. 108.

Lib. 7. cap. 3. de unguent. oculor.

Gariopont.

Ultra pergit hic auctor. *Fuit autem dissensio inter medicos , inquit , quæ pars corporis maxime in eis laboraret : & nobis placet , totum corpus in passione expeditius implicatum esse , quam scrupulose quærere , utrum cor in causa sit, an pericardion, jecur, stomachus, aut pulmo : non enim hæc passio in particulari curatur ; sed toti corpori medicatur : est enim totius corporis & virium plena resolutio ; quam cardiacam diaphoresim appellamus , quæ cum sudoribus viscosis & frigidis perseverare, interemptis viribus , manifestatur , præcedentibus acutis febribus, & flammarum interiorum ardoribus ; quos aliqui causon appellarunt : ex quo vehementi periculo urgentur. Qui sudor tanquam symptoma appellatur : est enim focus in majoribus venis , aut in aliquo viscere principali , succis ibi maligne putrescentibus aut deustis. Quomodo autem discernes critice sudantem , quærit, ab eo, qui diaphoresi solvitur? Hic pari numero , factus calidus : diaphoreticus vero , pari numero & frigidus & tenax. Ex genere autem passionum , qualitates significationum attendimus. Si enim solutio inest, sudor etiam utilis diaphoreticus esse monstratur : si vero strictura inest, attendenda est firmitatis magnitudo: parva enim passio diaphoresim facere non potest ; si enim magna fuerit in statu, cum levamine febris, criticus sudor est, initio vel augmento perniciosus, æqualis bonus , inæqualis malus , judicatur , sicut & modicus , & immodicus, ex quo in diaphoresim incurrunt. Salutaris est calidus, tenuis, non male olens: perniciosus, frigidus, acidus, seu ut lotura carnis. Salutaris & criticus etiam sudor est, calidus, colore rubeus , & cursus fortis, & ingens pulsus venarum; quanto plus sudoris affluxerit : aliter quippe exterminat , & subito fit frigidus , cum pallore ægri, aut defectu venarum, aut penitus absque sensu, aut tremore potius quam febris solutione. Sed criticum facile est calefactionibus provocare; cardiaco obsistere arduum est.* Hæc Gariopontus de utroque sudore.

Idem.

Et parum infra procedit. *Quomodo separamus passionem cardiacorum à passione stomachi ? Si stomachus in fervore fuerit , sequitur debilitatio , angustia , compunctio , ac dolor , & quædam duritia in præcordiis invenitur , vel in dorso : ita ut in pressura sint post cibum. Quod si imbecillitas affuerit stomachi , multum expuunt , os humidum habent , cum nausea & vomitu , manus infrigidantur vel pedes , & plerunque recalescunt. Cardiaci vero ex febre multum sudant, nec gravantur post cibum , neque rejiciunt, rigorem summitatem manuum atque plantarum æqualem habent , sudorque illis plerunque crassus adest , mali odoris : eis autem, qui pressura stomachi sudant , tenuis sudor oboritur semper. Fit autem subductio animi , vel stomachi, cum incipit accessio fieri. Est autem cardiaca passio, diffluxa, atque acuta & valida , eo quod strictura quædam iis non desit , & extensio præcordiorum, & quibus est impetus. Bonum signum est, quando pulsus venæ surgit, sudor minuitur, frigus avertitur, somnus sequitur.* hæc in c. 3.

Aliis in febribus curationem nec ex aliena nec propria sententia tetigimus quidem ; in hac sola , utpote in qua omnes fere periclitari vidimus, hujus antiqui viri curationem annectere decrevimus, utpote qui brevius, aptius, & hujus diaphoretici sudoris coercendi indicationes comprehendat, & selectioribus auxiliis singulari prudentia exequatur.

Curatio ex Garioponto.

Licet in omnibus passionibus , *inquit*, generaliter præmoneatur, ad majorum ægritudinum „ necessitates gubernandas temporibus servire de- „ bere ; attamen magna vi, & periculo interposito, „ dum

„ dum sudoris illius emerserit iniquitas, cum virium defectu, & ex eo præsens est vitæ periculum: tunc confusis prætermissisque temporibus, rationalibus adjutoriis circumvallantibus immineamus. In cubiculum frigidum nunc lectum straminibus veteribus lineis disponamus, nunc flabella, nunc pannos, cum nardino infusos præcordiis ordinate præponamus, nunc cataplasmata frigida imponenda sunt eorum præcordiis.

Sed, ut clariori luce procedamus, scire decet, febrem illam, sudoremque, causam in venis majoribus habere putrescentem, sed sudorem symptoma esse, interdum ore ventriculi lacessito, & aliquando febris: quæ ideo dicitur sudorosa. Cujus signa certissima cum videris, & nimium sudantem, & sine intermissione repereris, hanc curare debemus sic. Phlebotomabis eum, maxime mense Martio, & facies tenere myrtos sub asellis, ne forte cum phlebotomas sudor incurrat. Si vero neglexeris, apoplexia, paralysis, epilepsia, synanche, eveniunt: (& hoc, ubi oppressionis signa, quæ dicebamus antea, apparuerint.) & pones pueros & puellas cum flabellis, aqua frigida madidis, melius si cana viridi, quæ recenti intincta, corpori æstuanti ventum frigidum & ex guttis humidum rorem præstent. Hæc sine intermissione fieri jube. Quibus etiam est dandum diacodium, mane cochlear unũ, sero unum: (nempe ad sudoris materiam incrassandam, & poros constringendos; hæc enim indicatio præstatur à tenuibus & serosis humoribus & à corporis etiam laxitate.)

Certissimum etiam est, singularum specierum quenquam medicum merita cognoscentem, etiam temperiem atque comestionem adjutorii posse disponere. Faciem ergo illorum ex posca frigida, vel vino stiptico fomentabis, & pulvere sparges membra sudantia, myrrhæ, rosæ foliis siccis, manna, thuris galla, cum vino stiptico simul mixtis; omnibus vero odoribus bonis, vires labentes & membra deficientia reparabis, articulos quoque oleo cucumerino, & pulvere nitri & pyretri, morientem calorem excitabis. Nutriemus succis modicis & frequentibus, & copiosi etiam alimenti, frigidis tamen, quibus sudoris facilis nimietate vires emorientes exsuscitentur. Hæc omnia à labentibus viribus indicantur. dicitur enim illa vitalis indicatio.

Hæc res accidit plerunque iis, qui cum strictura febricitant, ut habeant sicca stercora, per nimium ardorem. Hæc oportet deducere, & lenibus & frigidis clysteribus.

Æstuanti ventriculo præcipue nos attendere decet, quando diaphoretico sudori causam præstat, adstringentibus & frigidis emplastris, & fomentatione poscæ vel adstringenti vino & emplastro ex immaturis palmulis: huic etiam aquas nivatas dabis in potu, & huic, si quo in alio, in extremo discrimine, est nix ipsa æstuanti ventriculo apponenda. Est enim in ipso causa mali, quæ cum extremo discrimine operetur, est etiam contra illam extremo auxilio pugnandum.

Sudoris præcognitio apud scientes non est in negligentia. Nam & salutaris sudor est, & mortiferus. Salutaris, criticus; aliter quippe exterminat, & subito fit frigidus, cum pallore ægri, & defectione venarum, aut penitus absque sensu, aut tremore potius quam solutione febris. Huic tamen frigidis rebus obsistere placet, ut nudus jaceat æger, & si ita surget adventetur hinc atque inde sabanis, atque flabellis, ventum inferentibus, interdum etiam ex spongiis in aqua frigidissima tinctis & expressis corpus ejus refrigerandum est. Et, si nix affuerit, hac utendum est magis, quam frigida humiditate (*hæc sunt ad literam Garioponti verba.*) cujus manus stringendæ sunt fasciolis lineis in loco, ubi venarum pulsus tentare consuevimus. Et, si adsit sitis, frigida danda, & non nimia, nec cum impetu hanc accipiat.

Hos curare magna discretione oportet (*sic procedit.*) Ponantur in loco obscuro, flabellentur oxicrato, & rebus omnibus frigidis & odoriferis. stratus sit latus, non strictus; succo portulacæ & sempervivæ illiniatur corpus, & superaspergantur pulveres myrti, rosarum, & papaveris albi; & stomachus spongia intincta foveatur, aut lacte, aut aceto, aut succo agrestæ semper vivæ arnoglosse, rubi portulacæ; aut foveatur corpus oleo lentisci, & omphancino viridi, & eisdem pulveribus; aut leniatur gipso dissoluto in succo arnoglossæ, & albumine ovi, odoramenta frigida naribus appone.

Per os omnia adstringentia in cibo & in potu, & omnia desiccantia dabis (excepto in principio, indicatio cum contraria urget) epithimetur hepar, & totus venter frigidis stipticis & roborantibus. Quod si superveniat fluxus ventris, mox sistatur (est enim de perniciosis, quæ accidere possunt) clysteribus adstringentibus frigidis, nutriemus succis modicis & frequentibus, quibus vires emorientes suscitentur, ut carnibus silvestribus, citoneo coctis, agresta & portulaca, & extremis animalium, porcorum, sedorum, & arietum. Aquam frigidam per intervalla subinde ministrabis, &, si æstatis adhuc vapor calidior coegerit, etiam nivatas dabis. *&c.*

STASTIO V.

De febre cum aurigine, seu icterica febre.

An possit esse critica icterus in jecoris inflammatione.

Antequam ad hujus febris sortem veniamus, serio expendere oportet, quomodo repente aut aliter accidat icterus cum febre, aut sine illa, ut certior inde eliciatur prognosis, nec ulla cespitet fallaciæ suspicio. Hanc parit systrophica jecoris inflammatio, dum lapsa ad calorem visceris intemperies, aut biliosum sanguinem, aut qui facile per putredinem degenerat in bilem, sanguificatione depravata, producit: quo fit, ut color corporis universi, bilis colorem in cute æmuletur, dum per venas expanditur, pro illorum partium alimento, inflammationis magnitudo, membri nobilissimi officium interceptum, insigniter aliter depravatum, libratis magnitudine, viribus, præsagii certitudinem constituunt, hæc ex antecedentibus edisscitur. Est ergo icteriodes febris, hoc est, auriginosa; si credimus Galeno;

Lib. Fin. med. fol. mihi 6.

leno; quæ similem Galgulo avi, quam Græci icteron vocant, colorem molitur, jecur in sublime attollit, linguam afficcat, cutem fœdam atque horribilem reddit. Hic Galenus, aut quisquis est ille auctor, febrem icteriodem fere per antonomasiam enuntiat, quod ex hepatis inflammatione corpus aurigine suffundit.

Si per generalia præcepta foret singularis instituenda prognosis, semper nobilissimi visceris inflammatio foret morte damnanda. Audite Galenum, quanta securitate loquatur in hoc casu. *Neque enim fieri potest*, inquit, *ut abunde siccum calidumque corpus, dum febricitet, viribus sit valentibus. Si tamen cum ejusmodi febre ac corpore, momentanei membri phlegmone sit conjuncta, omnino æger morietur. nam id quoque prædixisse me semper, nunquam vero falsum, ipse testis es. Magisque id certum est, si pulmonis, pleuræ, ventriculi, vel jecoris phlegmone sit: Etenim, quæ has partes plegmonæ occuparunt, non modo iis, qui tam imbecilles sunt viribus, sed etiam iis, qui valentiores ipsis sunt, mortiferæ esse solent.* &c.

Galen. 10. Meth. med. 5.

In triplici principio locavit prognosis certitudinem Galenus: in calida nempe intemperie valde lapsa, quod ex siccitate calori copulata arguitur, quibus præexistentes vires non persistunt, &, quæ adsunt, labuntur, non tantum ex communi principio intemperiei, quæ actum virtutis dejicit; sed quia pabulum naturale absumit, vivificum nectar depopulatur: sed modum substantiæ invertit. quo membri temperies consistit, robur permanet actionum. *Secundo*, ex ipsa phlegmonis magnitudine, quæ in essentia morbum magnum constituit. *Tertio*, ex præstantia nobilissimi membri, cujus officio vita carere nequit. Hæc omnia sunt valde generalia principia, & quatenus ex hac signorum syndrome singularis significandi proprietas non ducitur, præsagii certitudinem non constituunt: nec illa potest duci, nisi singulares limitationes communis principii dignoscas. Ideo miror, Galenum horum principiorum aliquam limitationem specialem non vidisse, ut illam antea expendisset, quam proferret præsagium. Quis non legit Hippocratis historias? & evasisse legit plerosque à morbo acutissimo, ipso jure lethali, triplicis evacuationis privilegio, quas ipsa natura concitavit, præter expectationem medici & ægroti. Nulla potest acuties pestilentis morbi necantem qualitatem superare: & in Constitutione pestilenti nos vidimus plerosque, planè deploratos, absque pulsus vestigio, plurium dierum inedia, & absque ullo cibo, fluxu ventris inopinato, aut mensium fluore, omnino evasisse, & alios copioso sudore. Quid multum? solis artis auxiliis omnem acutiem vidimus superatam. Quod illa systrophica visceris inflammatio sit ipso jure lethalis, ratio & experientia convincit: quod sit semper lethalis, & experientiæ & rationi repugnat. Detur enim, quod illa inflammatio à mensibus suppressis ortum ducat, aut illis refluentibus foveatur; nonne quando suppressio est morbi causa, ejus reditio est morbi medela, ut Avicenna dixit? Detur etiam, quod sit alterius repletionis consectaria; nonne inanitio repletionem curat, aut arte, aut natura, ex communi medicinæ principio, contraria contrariis curantur? Detur ultimo, quod vires, calida & sicca intempe-

Ann. 1649.

rie labentes, recenti alimento, aut auxilio contrario instaurentur, ut morbum prorsus superent. Quid ergo mirum, ut hæ limitationes singulares abstrusæ in arcanis naturæ, Galeni præsagium illudant? Hæc omnia ut attendatis oro, antequam temere proferatis præsagium.

Hoc etiam fideli observatione vidimus, in illa Constitutione pestilenti; omnes fere, quibus bubones pestilentes critice, & quarto jam exacto, erumperent, evasisse; excepto, ubi illa tubercula in sphacellum & necrosim transibant. nam, suppuratio, quibus concedebatur, erat fortius decretorii judicii argumentum. Legite de hoc etiam Hippocratis & Galeni judicium, in tertia Tempestate in Thaso. *At vero*, inquit, *hoc statu, quatuor his præcipue signis servabantur. Quibus aut ex naribus probe sanguis profluxisset, aut qui per vesicam urinas multas & multo proboque præditas sedimento reddidissent, aut per ventre turbida, biliosa, tempestive*, (hoc est, post signa coctionis & die decretorio) *aut qui in dysenteriam incidissent. Multis vero usu venit, ut non ab uno illorum judicarentur, sed per omnia plurimi. qui quidem gravius habere videbantur.* &c. *fœminis & virginibus eveniebant etiam omnia, quorum meminimus signa. Quibus autem aliquid ex his rite fieret, aut menses largius erumperent, per hæc servabantur, & judicabantur, neque ex his quibus istorum quid rectè eveniret, mortuam ullam vidi. Nam Philonis filia, cum ex naribus ei sanguis copiose erupisset, septimo die intempestivius cœnata, defuncta est.* Vides, in constitutione pestilenti criticas excretiones ab extremo liberasse periculo. Et à majori ad minus bene valet argumentum. Sed ab internæ inflammationis quoque periculo criticas excretiones ægrotos liberasse, etiam Hippocratis afferemus exempla, ab ipsomet Galeno confirmata. Clazomenius (*Vir hic exemplum est non parvum generalium præceptorum*, dixit Galenus.) ab inflammatione interna, & febre acutissima, per dejectionem & parotidas (critica) ad utramque aurem liberatur. Et, quod magis est, Mulier, quæ in littore decubuit, ex septi transversi inflammatione (ex qua nullus fere evadit) critico copioso sudore liberatur, & judicata est dixit Hippocrates. Et quæ in Dealcis horto decumbebat, ex lienis & hepatis inflammatione, alvi dejectione & sudore copioso, adhuc cum tenui & cruda urina, sed boni coloris, liberatur. Sufficit enim ad laudabilem crisim bonus urinæ calor, ut Galenus est auctor, in hujus historiæ Commentario. Ideo forte Hippocrates malum dixit in Aphorismo, non lethale. *Nam morbo regio laborantibus*, inquit, *si fiat hepar durum, malum.* Galenus inquit: *Morbum regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione: & non dixit absolute lethale; quoniam si aliqua vacuatio superveniat, poterit à malo liberare.*

Hip. 1. Epid. sect. 2. text. 79.

Hip. 1. Epid. sect. 3. ægrot. 10.

1. Epid. Sect. 3. ægrot. 13.

Galen.

Nunc restat; an icterus inflammationi internæ superveniens, & maxime jecori, possit esse critica, ut cæteri abscessus. *Hermocrates*, &c. dixit Hippocrates in illius historia: *Hypochondrium molliter tendebatur, lingua initio adusta fuit.* &c. *die sexto auriginosus evasit, omnia exacerbata sunt, mente non constabat.* In hujus Comment. Galenus. *Hypochondrium molliter tendebatur, in jecore conjicies febrilis affectionis originem extitisse.* &c. *Sed citra tumorem: vel quia non magna fuerit inflammatio jecoris.* &c. Et procedit: *Auriginosus evasit*, ideo, *omnia ingra-*

Hip. 3. Epid. sect. 1. text. 5.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 1. text. 3.

ingravescebant, mente non constabat. &c. *Diffunditur etenim nonnunquam per totum corpus flava bilis, quod decretorium est, ut in Aphorismis quoque est eo libri loco declaratum.* &c. *Reduc item ad memoriam, ante concoctum morbum, crebro te audivisse, nullum quemlibet abscessum proficere, nedum auriginosum. Is enim impediri significat bilem, quo minus ex viscere expurgetur, & per ventrem effundatur, vel propter oppilationem ejus, vel inflammationem. Morbo jam concocto, decretorie interim natura ad cutem excrementum effundit, cum quorundam aliorum humorum, tum flavæ bilis.* &c. *Porro, cum vitium increscerit jecoris, auriginem extitisse ex eo indicatur, quod ingravescerent omnia sexto die.* Est enim maximum argumentum abscessus symptomatici, ab illo morbum in deterius verti, quando criticus omnia levare visus est.

4. Aph. 62.

Diu peræque consideravi, quare inflammatio jecoris, scirrhus durusve tumor impedimento sint, ne icteritia evadat in illis decretoria. Et duo impedimenta mihi in hoc affectu obversantur. *Primum*, ne bilis per ventrem vacuetur, compressis tumore venis; quod innuit Galenus. quod necessario ad crisim prærequiritur, quia absq; viarum libertate non fit crisis, quantumvis natura dominetur. nec impeditis viis potest fieri hæc subita mutatio, cujus nomen est crisis, per conspicuam vacuationẽ vel abscessum. *Secundum*, quod illa inflammatio vel abscessus, causæ perennitate non permittit, hanc transpositionem ad cutim esse criticam: quoniam vera crisis semel & repente fit, omnino fonte cacochymiæ exhausto, & semel materia morbifica expulsa aut translata, quam tumor aut inflammatio exire non permittit, generationis perennitate. Sed adhuc instabit aliquis argumento ad hominem: nos antea dixisse, plerosque ab hepatis inflammatione criticis & salutaribus excretionibus fuisse periculo perfunctos. Et nos ita fatemur, hæmorrhagia nempe, sudore, libera & liberali ventris excretione; non tamen critica icteritia in quovis instantiæ consistit. quo solvitur instantia.

Tantum abest, ut icteritia in hepatis inflammatione crisim adferat, ut hoc signum auriginis pro certo diorismo sub hac signorum syndrome, hepatis inflammati & bilem generantis perenniter, ducatur ab Hippocrate longe gravioris discriminis. Legito illam Coacarum sententiam. *Dejectiones crebræ, minutulæ, glutinosæ, subflavæ cum hypochondrii & lateris dolore, ictero assidente, an illis subsistentibus exolvuntur, unaque etiam accidit hæmorrhagia.* Clarius legitur 2. Coac. text. 41. *Qui crebro ad paucam egestionem surgunt, alvusque fertur partim viscidis partim stercorosis, cum hypochondrii dolore, fiunt icterici: an his subsistentibus viridi colore inficiuntur.* Ex utraque sententia convincetur, icterum esse accidens inflammationis nobilissimi visceris, & excrementi ante tempus retenti amplius defœdati. Sed expeditius loquitur in Prorrhetico. *Nam tales*, inquit, *morbo regio participes existunt, & cum excretiones sunt suppressæ, exolvuntur.* præ onere aut pravitate succi, virtute exoluta, alias oppressa per aggravationem. Quomodocunque ergo sit, semper icteritia hepate inflammato est prorsus symptomatica, & præsaga graviorum malorum; nisi hæmorrhagia, aut alia vacuatione conspicua, ægri defungantur pericu-

Hipp. 2. par. Coac. 23.

Hipp. 1. Pror. Sect. 3. text. 54.

A lo: quoniam, cum omnia illa accidentia oppressæ naturæ sint indicia, illis libera & liberalis vacuatio est auxilium; non in criticis tantum, sed & in symptomaticis. Plerosque enim vidimus ægrotos, aliter morituros, per exolventes & adhuc syncopales excretiones, à præsenti discrimine liberatos. Ideo forte dixit, *exolvuntur, simulque sanguinem fundunt.* Lumborum tensio his, & dolores, sanguinis indicant eruptionem. Et in prima sententia, *an illis subsistentibus exolvuntur. Vnaque etiam accidit hæmorrhagia.* Nec Galeno in-B ficior, hanc satis confusam signorum syndromen fuisse. Ideo enim sub dubio pronuntiat; ut indicat illa dictio *an.* Sed ex hac eadem confusione elicio, à copia gravante naturam irritatam & oppressam, quorũ est auxilium in expellendo, naturæ generosa contentione crisim aggredi. Nec unquam gravem affectum vidi, quin non multa gravia & confusa secum deferat accidentia; ut etiam legitur in alia prognosi Coacar. *Hypochondriorum, hepatis, cordis, partiumq; umbilico adjacentium dolores, excluso sanguine, defunguntur periculo: non excluso, in-C tereunt.* Veritatem habet hæc sententia in harum partium inflammatione, aut intercluso sanguine: illa enim excretio retrahit de concitato rheumate, de consistente detrahit, ut ægroti & febris & inflammationis liberentur periculo. Si vero materia retinetur interclusa, aut phlegosi attracta, aut necat symptomatum sævitia, aut doloris acerbitate, aut officio ad vitam necessario intercepto, aut tandem nobilium viscerum syntimoria & exolutione, ut antea Hippocrates dicebat; nisi liberalis hæmorrhagiæ privilegio sol-D vatur.

2. Coac. 25.

Sed attende ad affectus certiorem notitiam, quod si in hac signorum syndrome subito adveniat morbus regius, quod hepatis inflammati non obstructi est assidens seu signum superveniens, & semper multum periculi adjiciens: sola enim obstructio, neque febrem, nec tam gravia tulit accidentia.

Inter signa hepatis inflammati, ab Hippocrate singultus numeratur. Sic enim in Aphorismo legitur. *In hepatis inflammatione singultus malum.* E Galenus in Commentar. *Hæc passionibus auctis & deterioribus factis superveniunt, hoc modo & singultus, hepati inflammationem patienti: sed non semper, nisi quando ad magnitudinem attollitur, fervente inflammatione, in quo fervore stomachus in compassionem trahitur, nonnunquam communium nervorum ratione. quare tunc solum compassio fit stomacho ad hepar, quando inflammatio & maxima & pessima fuerit; saneque bilis satis calida & multa, in hujus visceris inflammationibus genita, ac confluente ad intestinorum princi-F pium; atque ita ad ventriculum recurrente contingit os illius morderi, atque ideo singultire; seu, ut alii dicunt, magnitudine inflammationis ventriculo compresso.* Quod idem quinto Aphorismorum legitur. Fit enim illa ventriculi inæqualis concussio, dum quod lacessit excutere conatur; dum ab effera bile lacessitur, non tantum refluente sed tunicis imbibita, quam hepar exprimit inflammatum.

Hip. 3. Aph. 17.

Galen. in Comment.

Aphor. 58.

Sic pariter & ab eadem causa sunt icterici, dum ea perennitate tantum generat bilis, aut forte generatam corrumpit: unde tota sanguinis massa defœdatur, & corpus aurigine suffunditur,

ditur, sed colore intenso malicorii, quia hepate inflammato fucatur meraciori bile, quam hepar intemperie calida valde lapsa producit: illa etenim est adusti caloris consectaria. Ideo statim virore saturato colorantur, & in viridem facile convertuntur, ustione per gradus comparata; velut illi, qui extrema bilis corruptione, pallore cineritio colorantur, seu à ferarum morsu, veneno intus genito, aut extra propinato. Talis enim est color, qualis humor diffusus, & isti sunt *icterici, qui multum fœdati pereunt*, ut Hippocrates dixit. De his, meo sentiri, illa enunciatur Coacarum sententia: *Quicunque icterici, nec inde admodum sentientes, oborto singultu, alvi prorumpunt, fortassis autem & alvi sistuntur: virore saturato colorantur.* Ab eodem principio, diffusa nempe bile, hepate inflammato, meraciori reddita, perenniter etiam decurrente, hæc omnia accidentia ortum trahere, palam est. Stupor enim, sive sit potentiis rectricibus hebetudo, seu sensificæ facultati in sentiendo & movendo segnities, aut est indicium cerebri multa bile perfusi, aut nervorum principii madefacti, aut utriusque facultatis tenoris penitus morientis, in iis, quæ sponte nostra eduntur actionibus, ob illam, quæ diffunditur, bilem. ut clare patet 1. Prorrhet. Sect. 1. text. 13. & 31. & Sect. 2. text. 60. & 3. Epid. Sect. 3. in illa Tempestate pestifera. Singultus etiam fit ab eadem causa, à mera nempe bile ventriculo transfusa, & ibi in tunicis imbibita, quæ ab hepate refluit inflammato: unde & fiunt icterici maxime defœdati, de quibus desperavit Hippocrates, 1. Coac. 38. & ex eadem causa, qua singultus, perenni nempe bile ad alvum confluente. Et iis fertur alvus, stupidis ad excernendum intestinis, maxime irritatis. ii ultimo virore saturato colorantur, bile in corpus universum diffusa potius quam effusa, ab inflammato jecore producta & exusta; non qualis in critico effunditur, multa serositate mitificata. Ideo in viridem facile permutatur, aut in cineritium colorem; ut Hippocrates dixit, cujus verba legere non pigebit: iis enim & clauditur discursus, & præfata roboratur doctrina. *Morbus regius hujusmodi acutus est, & cito occidit, color totius malicorium valde refert, & cum virore pallidus est, quales sunt lacerti cum virore pallicantes. consimile est etiam corpus, & in urina subsidet velut æreum fulvum: & febris & horror debilis habet. quandoque etiam vestimenta ferre non potest, sed mordetur ac raditur, & jejuno viscera lancinantur; & morsus fit.* &c. Hanc eandem sententiam iisdem pene verbis repetit, Lib. de internis Affectionibus. text. 40. & 41.

Hip. 3. part. Coac. text. 2.

Hipp. 3. de Morb. text. 12.

TITULUS I.

Icteri à sanguinis corruptione præsagia, secundum varias illius differentias.

Galen. 5. de Loc. Affect. c. 7.

Sic Galenus, 5. de Locis 7. ante medium: *Porro*, inquit, *utrum semper in morbo regio locus affectus sit hepar, an alia præterea affectio hunc affectum efficere possit, deinceps scrutemur. siquidem videmus nonnunquam, jecore nequaquam affecto, per morbi judicationem, effundi ad cutim bilem pallidam. quomodo nonnulli quoque alii humorum ex loco in locum impetuosi illapsus* (decubitus) *interdum evenire consueverunt.* Et prosequitur. *Videmus etiam, aliquando citra morbi judicationem, sanguine extranea quadam corruptione in bilem verti, qualis à ferarum morsu fieri solet. Etenim Imperialium servorum quidam esset aliquanto tempore.* &c. *cumque universi corporis color mutaretur, adeo ut porri colorem referret, accedens nobis singula enarravit, cui epota theriaca, quam celerrime color secundum naturam restitutus est.* Galenus adhuc. *An vero ex assumpto veneno, an illo intus genito* (nam utriusque est eadem corruptionis ratio: qualitas enim maligna, aliter venenosa, putrefacit, corrumpit, inflammat, & exurit) *pariter immutantur humores, ut evadat etiam corpus universum auriginosum.*

Non utcunque humorem corrumpi & putrescere dicimus, sed quadam singulari corruptionis sorte à se ipso extraneari, ut in aliam à se ipso degeneret naturam, illamque non communem, non prorsus indicibilem; sed aut in bilem, aut in humorem, qui illius naturam æmuletur. Hanc singularem corruptionis sortem varia posse humoribus inducere, pro inducendo ictero, Galenus adnotavit. Primum est, quando humor in febre intra venas corrumpitur, dum in putredine, quæ fere semper fervore comparatur, intra venas prævalet magis ustio: quia tunc in massa sanguinaria, quæ putrescit, pars tenuis degenerat in bilem, crassa in melancholiam. Hæc sunt Galeni verba: *Quod si sanguis supra modum assatus fuerit, pars quidem ejus subtilior ac pinquior omnino in flavam convertitur bilem: qua autem crassior, in atram,* &c. Et paulo infra. *Et quidem pro varietate humorum, in quos convertitur sanguis, febres fient; sola malignitate, & non malignitate differentes.*

Gal. l. 2. de Diff. Febr. c. 9.

De corruptione à veneno, viperæ morsu inducto, intus genito, aut extra propinato, dum per illa evadit auriginosus eger, paucis antea lineis & historiam legimus & contextum. Medicamentum purgans, seu effræne catharticum, dum in humorem convertitur, quem debebat attrahere, seu dum veneni naturam adipiscitur, idem posse efficere, etiam legitur in Galeni contextu. *Idcirco*, inquit, *purgantium medicamentorum, ubi forte purgatione frustrantur, quædam extra quàm quod noxam corpori nullum afferunt, etiam alimentum homini præbent: alia verò in corruptionem, ac tanquam in venenum vertuntur. prorsum enim medicamentum purgans, vel cum uno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro, similitudinem obtinet, non autem perpetuo permixta est vis aliqua venenosa: quamobrem nec perpetuo, licet non purget, injuria afficiet, verum concoctionem accipiet, talemque producet humorem qualem trahere natum erat.* Ideo forte Aurelianus purgantia medicamenta, quæ non purgant, inter causas hujus affectus refert. An vero talis corruptio degeneret in putridam aut non putridam bilem, Galenus nunquam dixit. Nos tamen remur, tantam corruptionem non posse non, saltem putredinis principio, humores, in quos degeneravit, coafficere.

5. de Locis Affect. c. 7.

Gal. l. 3. de Simpl. med. Fac. c. 24.

In hanc ducor sententiam ex quadam singulari observatione, quæ mihi maximum præstitit argumentum. Venerabilis Pater Joannes Goncales, è Societate Jesu, Hispali incidit in sanguineam febrem, certe malignam. In undecimo maligna icteritia defœdatur, colore ex flavo & cineritio composito, mox intercalaris virium

asphyxia

asphyxia videbatur, corporis & mentis stupor apprehendit, & maligna cataphora, vigilandi nempe impotentia ex imbecillitate: inde singultus accidit, quo in decimo quarto ex hac vita migravit. Ex his sane conjeci, bilem, in quam corruptus sanguis subito vertebatur, maligna corruptione etiam affectam extitisse, cum accidentia, quæ ab ictero postea successerunt, essent causæ venenosæ consectaria: nam subito vires concidere, repente vires principalium functionum strangulari, tam breviter sola valet malignitas inducere. Ideo Celsus dixit: *Si post febrem icteritia oriatur, prodesse: si post hanc febris, occidere.* quia malignam corruptionem arguit: ex qua fit etiam in malignam bilem transmutatio, semper symptomatice, & suspectæ crisis argumento. Hoc & signa confirmant quæ postea proponit. *Luteus nempe color, sitis, capitis dolor, & frequens singultus, & præcordiorum dextra parte durities, difficultas, membrorum resolutio, & postea corpus cum pallore inalbescit.*

Cels. lib. 3. de Remedic. cap. 24.

Idem.

Hic est certa lege icterus symptomaticus: quia causam morbificam non ducit, sed multo majorem arguit, quam natura gubernet, imperiosa pellat, multo firmiter fixam, & longa perennitate continentem, ut legitur in illa Coacarum sententia. *Quicunque icterici, nec admodum sentientes, oborto singultu iis alvi prorumpunt, virore saturato colorantur.* &c. Quibus enim ab ictero stupor accidit, in facultate sentiente, corporis universi, aut etiam potentiis rectricibus hebetudo: (in prorrhetico enim *fatuitas* legitur.) quod cernitur in plumbea corporis gravitate, aut miti & paccato delirio. 1. Prorrhet. 13. cerebri facultate præ imbecillitate moriente, à cerebro irrigato, ex humoris appulsu: hic non tantum periculum, sed mortem præ foribus adesse denunciatur. Quid ergo causæ erit in hoc casu? quia in his nervorum principatus madescit irrigatus: quod etiam colligitur ex alia Hippocratis sententia, 3. Aph. 5. In cujus Commentario Galenus: *Madefacto enim nervorum principio,* inquit, *necesse est in iis, quæ sponte nostra eduntur, actionibus segnitiem quoque oriri, tuncque veluti exolutum videri hominem in se ipso.* quoniam diffusa bile per totam compaginem, cerebrum suo vivifico nectare defraudatur; quo essentialis virium imbecillitas comparatur. Sed maximum reumatis concitati, efferæ & diffusæ bilis argumentum est singultus, dum ad ventriculum confluit, & prorritando concitat expellentem, quo inæqualis concussio concitatur. Ex quo etiam alvi prorumpunt, & virore saturato colorantur, forte perennitate causæ, aut corrupti humoris, aut inflammati hepatis, veluti in Prorrhetico & in Coacis legitur: fortassis enim his alvus vitiatur.

Hip. 1. Coac. 62.

1. Prorrh. 31.

Gal. Comm. in 3. Hipp. Aph. 5.

Cit. loc.

De hoc etiam ictero, certa lege funesto, alia meo sentiri enunciatur Hippocratis sententia, quæ sic suo contextu legitur. *Hic corripit tempore hyemis,* inquit, *& ex ebrietate & frigore. Incipit primo rigor invadere, postea etiam febris detinet, & humor, qui est in corpore, congelatur in cute. Illud est argumentum, lividum & durum corpus esse: & venæ per corpus distentæ pallidæ; majores autem & crassiores quam prius & aliæ venæ nigriores distentæ: &, si quis eas secet, sanguis effluit, si pallidas, pallidus, si nigras, niger, & vestem præ pruritu sustinere non valet. Et sic vehementer præ imbecillitate ambulare non valet. Hæc morbus non minus priori lethalis est: procedit autem ad amplius tempus, si non primis diebus sanus evadit: si vero ad octavum aut nonum diem duret, in morbum incidit, & morbus & dolor magis permit, & surgere non valet. & plerique hoc tempore statim pereunt.*

Hipp. lib. de Inter. affect. text. 40. & 41.

De hac ultimo legitur Hippocratis sententia ex 3. de Morbis quam citavimus. *Hic acutus est & cito occidit; color icterici malicorium refert, pallidus est, cum virore consimile est etiam corpus. Febris ac dolor corripit. Hic plerumque intra quatuordecim dies moritur: has si effugerit, sanus evadit.* &c. Petr. Salius, Vir doctus, hanc de repentina sanguinis in bilem mutatione intelligit. *Qui autem cibariis,* inquit, *pravi succi & eduliis vitiosæ qualitatis fuerit usus, & inde sanguinem depravatum in venis congesserit, ubi ejus fiat in bilem repentina mutatio, censendum erit, ex intrinseca occasione & ex propria humorum pravitate hoc factum fuisse, & inde hanc icteritiam ortum duxisse.* De hac postrema icteritiæ sorte, quæ ex sanguinis extranea fit corruptione, cujus non externa sed interna fit causa, hic Hippocratis agit, dum nempe putredinis malignæ occasione, & in maligna febre sanguis aut bilis in aliam bilis sortem degenerat, quæ cum priori forma non compatitur, sui corruptione aut putredine aut fortasse ustione, unde periculi occasio.

Hipp. 3. de Morb. text. 13.

Petr. Salius

Hic Hippocrates utriusque causæ comparat accidentia, utriusque periculum: nam pariter hyeme & æstate potest adesse hujus transmutationis occasio sanguinis jam corrupti in bilem, prohibita ventilatione in hyeme, & in cute congelatis humoribus, ut Hippocrates dixit: in æstate pravorum eduliorum, aut malignæ febris occasione, & extraneo calore corrumpente. Hoc & illud solet repente advenire, cum præsentaneo periculo utplurimum, tam brevi concisione virium, ut inde de veneno certius arguatur. Hoc confirmatur cujusdam Arabis antiquissimi historia, & in nostra Hispalensi civitate. Hanc refert Abenzoar, lib. 1. tract. 13. cap. 6. *Fit etiam icteritia,* inquit, *ex potu alicujus rei malitiosæ,* (idem de interna corruptione intellige;) *sicut accidit Acir filio Hali, qui erat contestabilis Regis, qui misit ad me, ut ad eum Sibiliæ ire deberem; & inveni eum glaucum in corpore toto: & cum viderem, quod in eodem instanti, quo habuit icteritiã, habuit similiter & casum appetitus, cogitavi, quod bibit & comedit, rem venenosam, de natura cujus erat convertere complexionem corporis totius in choleram. Dedi ergo ei ad potandum pondus trium granorum hordei de becohard, cum unciis quinque aquæ cucurbitæ, ad reprimendam furiositatem illius caliditatis acquisitæ. & sic perfecte liberatus est.*

Abenzoar lib. 1. Tract. 13. cap. 6.

Paulo accuratius Joannes Seprajo de icteritiæ fabrica & periculo loquitur, Tract. 4. de ægritudinibus hepatis, cap. 9. Hæc sunt illius verba, *Aut fit ex aliqua læsione in hepate, aut in venis, aut in utrisque, aut propter aliquid quod provenit ad utraque simul de foris. Aliquando est in hepate malitia complexionis vehementer calidæ, aut in venis. Quod autem accidit de foris, aut est ex eis, quæ comeduntur; aut ex medicinis, aut ex veneno. ut sunt medicinæ calidæ, acutæ, quando accipiuntur assidue. Sed venenum quando pervenit ad corpus, corrumpit omnes humores, qui sunt in eo, & mutat eos ad acuitatem venenosam.* Et postea progreditur ad signa. *Et similiter quando est in latere dextro ebullitio absque gravitate, tunc significat for-*

Ioan. Seprajo, Tract. 4. de ægrit. hep. cap. 9.

Idem.

corruptionem complexionis illorum membrorum; verum tamen omnes istæ species icteritiæ, quas diximus, (nempe à corruptione humorum ex interna causa corrumpente, veneno, aut medicamento) *fiunt subito. Illa vero, quæ accidit ex malitia complexionis venarum, aut ex bilis quæ sumuntur, additur secundum dies paulatim. Differt etiam illa, quæ est ab hepate, ab illa, quæ in felle; quod si tingitur egestio cum felle, tunc non est ægritudo in felle, aut in meatibus ejus, sed in hepate: quod si egestio est alba, significat fellis læsionem & meatuum. Et, si urina non mutatur, est de felle: si ad acutum colorem & coloricum, est de hepate suspicionis origo.* Sic pariter philosophatur Ætius, Tetrab. lib. 3. serm. 2. cap. 17. Sic Paulus, lib. 3. de arte med. cap. 50. *Et illi sunt icterici, qui multum fœdati pereunt.* Sed in hoc potest esse magna æquivocatio: nam multum etiam defœdantur, qui hepatis inflammatione, scirrho, veneni corruptione, aut venenosi animalis commorsu, ut ex interna etiam corruptione; sic Hermocrates obiit; ut patet ex Galeni contextu. Quare ad singulares individuorum differentias te oportet attendere, non ad colorem tantum.

Hip. 1. Coac. 38.

Omnes hi taliter defœdati ex interna corruptione sanguinis, ex aliqua ex supra dictis causis laborant affectu ipso jure lethali, virium & affectus ratione: quia, cū tam impura & prava cacochymia non valent vires constare, lapso temperamento, seu exolutis viribus, defectu spirituum, prava corruptione, aut oppressis multitudine mille modis fœdata; ideo forte sunt auxilio impares (in quo salus inposterum libratur:) quo fere accidit, ut quod affectus auxilium erat futurum, cum virtutis custodia pugnet, quando æquale imbecillæ vires nō ferunt, ut ea repugnantia incerta remaneat ratio succurrendi, aut alias insanabilis affectus relinquatur, alias curetur spatio & ægre cum periculo: *Oportet namque, ubi indicationes ita sibi adversantur, & paulatim quod vitiosum est, vacuare, & paulatim quod salubre est pro eo reponere*: ut Galenus est auctor. Quare aut mali violentia interficit, per se, aut ex eventu, in ferendo auxilio virium inæqualitas necat. Cum hoc tamen est prudens cautio adhibenda; aliter de eventu esse pronuntiandum, quando discrimē consistit in onere gravante; aliter in imbecillitate essentiali. Legimus enim Heraclidē ictero defœdatum, & in extremo discriminis constitutum, triplicis evacuationis beneficio evasisse, diarrhϾ nempe, perirrheæ, & hæmorrhagiæ: quia icterus erat multitudinis soboles. Talis enim est tempestivæ excretionis efficacia, ex valida naturæ contentione, ut etiam aliter morituros à periculo liberet & à diei tyrannide. Nam Heraclides in sexto liberatur: quorum defectu Phanagoreontem periisse vidimus. Quare non est tantum de periculi ratione curandum ex sola morbi & accidentium violentia, sed maxime ab excretionis carentia, & imbecillitate essentiali, & ubi causa est ita firmiter fixa, ut illam nulla queat naturæ violentia superare; ut scirrhus, inflammatio, & obstructio. De quibus male sentit Hippocrates in hoc casu, sub duri hepatis nomine, hoc est, causæ insuperabilis. Et forte inter hæc continetur prava corruptio venenosi humoris, quando illa non potest superari. Sed in his tres conditiones Hippocrates constituit in 3. de Morbis: ubi nempe *icterus est acutus, & color corporis universi est cum virore pallidus, urinæ hypostasis orobea, & alba bis dejectio una secedit.* quia bilis non amplius ad ventrem refluit, ut cessit Apollonio, & mortuus est: cui non solum albæ fuere dejectiones, sed nigræ, paucæ, æruginosæ, pingues, fœtidæ, mordaces, & ut solet quibus est tanta bilis copia & corrupta, ut ad ambitum, & ad ventrem feratur.

Galen. 9. Meth. Med. 10.

6. Aph. 42.

Et hæc est, ex triplici icteri differentia, illa, quam Veteres viridem appellarunt: aliam enim flavam, nigram aliam, & aliam dixerunt viridem. Nam viridis semper à prava corruptione accidit; seu illa fiat corrumpente veneno, intus genito, aut extra propinato; seu ab interna corruptione sanguinis, forte aliorum humorum; sive ab effræni cathartico, aut eduliis, quæ talem succū producere nata sint, ut à fructibus hortensibus nos in æstate vidimus. In his tamen febris aut comitatur aut sequitur auriginem, cum subita concisione virium.

TITULUS II.

De icteritia critica, & prout est febris symptoma.

Galenus, lib. 5. de Locis Affect. c. 7. sic loquitur: *Porro, utrum semper in morbo regio locus affectus sit hepar, an alia præterea affectio hunc affectum efficere possit, deinceps scrutemur: siquidem videmus nonnunquam, jecore nequaquam affecto, per morbi judicationem, effundi ad cutim bilem pallidam, quomodo nonnulli quoque alii humorum ex loco in locum impetuosi lapsus interdum evenire consueverunt: interdum ut febris symptoma.* &c. *Fieri enim potest, ut jecinoris secundum naturam temperie mutata, humores hujusmodi vitio afficiantur, & quidem, citra aut inflammationem, obstructionem, aut scirrhum. Quin etiam manifeste quantoque videmus, universum corpus herbis candenti colore infectis similari, interdum plumbeum, aut etiam magis fuscum referre colorem, interdum etiam alias ineffabiles colorum proprietates, quæ jecore male effecto, citra tumores præter naturam accidere solent.*

Gal. lib. 5 de Loc. Affect. cap. 7.

Duo ex his elicimus. *Primo*, quod quando natura critice bilem ad cutim pellit, quod hoc accidit jecore nequaquam patiente, nec affecto, sola naturæ contentione valida. *Secundo*, quando movetur symptomatice, semper esse hepate patiente, seu illius temperie mutata; seu alio quopiam vitio succrescente. Quibus vero signis utriusque differentiæ constituatur tatio, jam dicere incipimus.

Prima icteri symptomatici conditio est, & magna symptomatis suspicio, si fiat ante septimum diem. Sic in Aphorismo legitur: *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.* Galenus in Commentario. *Interdum quidem fit judicatorie, repronente natura ad totum corpus, & præcipue ad cutem flavam bilem. Fit autem & hujuscemodi casus, hepate male affecto. Ipsius vero affectus mali, ex quibus morbus regius solet advenire, tres sunt, tumor durus, inflammatio, & obstructio. Verum tumor durus, diutinus morbus existit: inflammatio vero & obstructio etiam repente fieri possunt. Ac regii morbi, qui ante septimum accidunt diem, ex aliquo istorum ortum habent. Et est certe malum: quia judicatorie bilem effundi est impossibile.* Nec etiam periculo vacabit, si post

Hip. 4. Aph. 62.

Gal. Comm in Hipp. 4. Aph. 62.

post septimum veniat: potest enim inflammatio & obstructio longiore tempore permanere. quod si accidat, non vacare periculo æstimabis. Ideo forte dixit in alia sententia: *Morbo regio laborantibus si fiat hepar durum, malum.* ac si dixerit, si post septimum remanet hepar durum, licet post septimum adveniat, periculo non vacat. Quare non tantum ad dies attendere oportet, sed ad causæ & morbi persistentiam: in quibus est periculi timor. Exemplum icteri ante septimum diem advenientis, est Hermocrates, qui periit ex ictero & febre.

Hip. 6. Aph. 42.

Sed unde potior ratio differentiæ elicitatur, nos docet alia Hippocratis sententia, quæ cum prædicta è diametro pugnat. En Præceptoris verba: *In biliosa febre, morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus, morbum solvit: si vero absque rigore, præter temporis occasionem supervenerit, perniciosum.* Idem pene commentatur in hac, veluti in præcedente sententia, Galenus, nec ex illius verbis ulla ratio differentiæ elicitur. *Neque procul dubio*, inquit, *ante septimum diem cum rigore enatus morbus regius febrem solvit, neque post septimum. Sed sane ita distinguere oportet. Febrientibus morbus regius supervenit, interdum tanquam affectionis hepatis symptoma. Interdum quoque & natura bilem per cutim excernere contendente.* &c. *Verum in Aphorismis de hujusmodi morbis regiis est enuntiatum.* Nempe: *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum. Quibus* vero *in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit, bonum, nisi hypochondrium dextrum obduruerit: si vero non, non bonum.* hoc est, ut commentatur Galenus, ante septimum, malum, post, & in diebus decretoriis, bonum, nisi aliquis pravus affectus hepatis bilis translationem impediat. qui si post icterum maneat, icteri crisim perdit, de pravitate arguit. Sed nec istis solvitur dubitatio, nec prima Hippocratis sententia enodatur, quare nempe cum rigore ante septimum icterus febrem solvat, & fortasse post septimum. De hoc nihil Galenus, neque meo videri ullus auctor: quare in hoc erit nostra consideratio.

Idem, 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 81.

Gal. Comm. in Hip. 4. de Vict. Rat. in Morb. Ac. 81.

Hip. 4. Aph. 62. & 64. & 1. Coac. 127.

Supponamus ergo, in febre acutissima ex plus justo tenuiori bile rigorem advenire (intra metas continuæ) & exinde corpus totum & oculorum candorem defœdari aurigine, & hoc fit ante septimum, &, si placet, post septimum. Duo rigor arguit in hoc casu, & bilis tenuitatem in humore, ex quo acrior etiam irritatio; & motus celeritatem, cum translatione jam commoti humoris, per partes sentientes, postea sensationem objecti irritantis, actionem facultatis expellentis, membrorum concussionem postea, ac denique reciprocum calidi innati motum. Hæc omnia legimus in Galeno & in Principe Arabe. Nec contendo, in quonam formaliter sit rigor: hic enim tantum de illis agimus, quæ pertinent ad crisim. Si ergo in febre acutissima, aut plus solito tenuiori bile, quæ possit ante sextum accipere pepasmum, rigor accidat, qui icterum præcedat, non repugnat, hanc fore veram crisim, si cætera coincidant, nempe viarum libertas, dies, bonus urinæ color: rigor enim humoris tenuitatem arguit, delati per membra sentientia, quo facilius pellitur, & præ caliditate succum biliosum ad externa transmissum, ut per cutis poros facilius expiret, forte retineatur in illa summa cute: quo fit, ut febrem solvat, ut Hippocrates dixit. Quod cum accidat subito, omnibus collectis viribus, primam expellentis naturæ perfecit actionem, quando nempe conatum assumit in expellendo ictero. & ideo fit crisis: quæ in Galeni doctrina est subita mutatio; quæ in sola icteri actione non accidit, cum & fiat sensim & paulatim. Ideo cum natura super humorem prævalet, motu concitato, impetu & celeritate humorem extra pellit, & critice extrudit, non tantum materia transposita, quod in ictero accidit, sed per occultas vias subito deturbata. Ob id ab Hippocrate profertur, absque rigore malum: quia deficit celeritas impulsus. Quid multum? si absque rigore icterum posse fieri criticum nos docuit Galenus. Hæc sunt illius verba: *Fiunt quidem icterici, ratione bonæ judicationis in febribus, proruente nimirum ad cutim bilioso humore.* &c. Qui tunc erit securus, si hepar non obduruit. illud tibi erit argumentum, si tunc febris demittat. Nam si perseverat, causæ perennitatem arguit, non crisim. Ideo forte in libro de judiciis icterum ut lethalem condemnat, ad quē singultus sequitur: quoniam illud, aut hepatis inflammationem arguit, aut perennem ad os ventriculi confluxum. Quare hæc & illa in ferendo judicio te cautiorem reddent.

Lib. de Rig. cap. 6. & 7. 2. de Sympt. caus. 5. & 10. Meth. c. 4.

Av. Fen. 1. 4. Tract. 2. cap. 6.

Gal. 9. secund. Loc. 1.

Hoc etiam confirmatur Hippocratis sententia. *A febre ardente habito, rigore superveniente, solutio.* Galenus in Commentario. *Ostensum est sermone de rigore etiam ob flavam bilem qua per membra sententia veloci motu defertur, fieri rigorem. post quem alvi solvuntur, sudores & vomitus biliosi.. Cum ergo bilis, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatur, solvitur febris.* Jacotius absque ulla evacuatione rigorem posse fieri criticum, constantissime tenet, & variis exemplis confirmat: ad panniculū carnosum materia transposita. præterquam, quod vehementissimi casus crises edunt: Ergo rigor multo potiori ratione. Sic etiam intelligit Duretus illam Coacarum sententiam: *Causus rigore solvitur.* Si mitificata prius materia ad panniculum carnosum deferatur. Hoc ratio Hippocratis & Galeni sententia convincit. Hoc etiam Averroes conatur demonstrare, & de solo ictero absque rigore loquitur. Hæc sunt Arabis verba: *Quando dicit Hippocrates, icterus veniens ante septimum diem in acutis febribus, malum, reprobatum est experientia, in omnibus nostris terris, & si eveniat in quintum diem laudabile multum est, viva ratione, & maxime temporibus calidis. Et hæc est sententia Collegiorum omnium medicorum Persarum, & Indiæ majoris, & pro majori parte illorum de Vandalosi, hoc est, de Vandalia, & possibile est, quod illud quod dixit, in Græcia locum habet.* Hoc etiam Lerius confirmat. *Habemus locum*, inquit, *de Heraclide, qui tertio die factus est auriginosus, & liberatus est, idque beneficio hæmorrhagiæ & sudoris.* Sic sentit etiam Lusitanus; sic Liebautius; sic etiam Schenckius tradidit observatum; sic & Abenzoar: cujus sunt ista verba: *Et jam scivisti, quod antiqui medici dixerunt, quod icteritia, quando fit in principio ægritudinis, est mala valde, eo quod fit ante digestionem materiei: sed ego dico, quod ex eo quod icteritia fit ex humore acuto, esse debet velocis motus in omnibus suis actionibus & passionibus: unde non videtur esse longinquum nec extraneum, si recipit dige-*

Hip. 4. Aph. 57.

Gal. Comm. in Aph. Hip. 4. 58.

Comm. 1. ad 4. Coac. 22.

Hip. 1. Coac. 14.

Averr. 4. Colleg. 43.

4. Aph. 61.

Centur. 3. cur. 49.

4. Aph. 62.

Lib. 1. Tract. 13. cap. 6.

digestionem in secunda die, & magis in quarta, & maxime in juventute & regione calida, & in tempore calido, & quando flant venti orientales, vel meridiani. &c. Hoc reor esse verum in acutis simpliciter, quod Hippocrates dixit, sed nõ in acutissimis, de quibus loquuntur Arabes, ubi bilis est substantia tenuis, qualitate acris, conditione mobilis, ideo expulsioni paratissima; de quibus Hippocratis sententias intelligo, prout materia est coctionis capax, aut aliter.

Hæc sunt, quæ symptomatici & critici icteri essentiam constituunt, (Nam in symptomaticum & criticum dividitur. Est enim criticus, in quo est bilis omnimoda effusio, quæ finem attulit febris: symptomaticus, qui causam morbificam non ducit, sed auget gravioribus malis.) singularia signa, illorum differentiam. Hæc inter alia nobis dedit clariora Galenus. *Ad affecti loci notitiam,* inquit, *adjicere licet tempus, in quo venit talis icterus: nam quidam acuta biliosaque febre laborans, die septimo, multa flava bile ad cutem transmissa, à morbo liberatus est, mansitque sequentibus diebus auriginosus, excrementis & urinis secundum naturam se habentibus. quo manifestum est, nullum esse visceribus affectum.* En signa ab excrementis & diei etiam privilegio. Antea legimus, ante septimum esse insidiosum; salutarem post septimum, cui hepar non obduruit: & in utroque Arabum & Græcorum epicheiam. Transeamus ad alia. In salutari, icterus loco sudoris funditur & ad extremam cutim: & color est inter flavum & rubrum, & aureo colore bene colorata urina, cum levamine omnium accidentium, febris vacuatione. In symptomatico inter utramque cutim detinetur, nec exit intus foras, & color ad croceum & cineritium declinat, in modum pertinacis abscessus, & cum oppressis viribus gravioribus malis ægros cumulat. Ideo pravus, quod non præindicatus ex urinæ pepasmo, nec aliquo utili præjudicio, ut Hermocrati. Hoc in febre continua intellige, & per dies non paroxismos numera: nam diebus criticis advenire robur naturæ indicat viarum libertatem, materiæ obsequium. natura enim, dum suo jure utitur, non aggreditur crisim, nisi docta de felici eventu, aliter lacessita. Et illud est maximum critici argumentum, quando hypochondrium non obdurat; quoniam pellit omnia intus foras: aliter non judicat perfecte, si in viscere remanet, quod duritiem afferat, & exitum impediat.

Galen. 5. de Loc. Aff. 7.

Si vero postea perseveret durities, aut exinde accedat aut ab ictero febris, hoc accidit irrito naturæ eretismo. quod omnino pravum, aut saltem ancipitis judicii. Hoc cuidam legimus accidisse, cui jecur intumuit in decimoquarto, & actum est de illo. Tunc enim fit mortali augurio, quando cætera signa sunt lethalia: ut ictericis multum fœdatis accidit, cum virium & corporis omnimoda asphyxia, aut febre jam progressa, ex qua omnimoda sanguinis corruptio timetur, ut antea dedimus observatum, tunc ancipiti judicio, si vires nondum lapsæ, aut aliqua naturæ aut artis vacuatio à periculo liberet; ut in Phanagoreonte. Qualis autem sit futura durities, quæ crisim reddidit insecuram & deterius symptoma, hoc in Galeno legimus paucis antea lineis. *Ut recens inflammatio, viscerosa inflatio, ut in Hermocrate & Apollonio Hippocrates notavit: scirrhus, manifesta durities ex altius radicata obstructione.* In his urina erit obscure flava, saturato colore; interdum à visceris, hepatis, aut lienis accidit cacopraxia, quæ nec attrahit nec recipit hanc bilis portionem, quæ defunditur cum massa sanguinis universi: & tunc malum Hippocrates judicat; quia durities non potest superari, ne bilis amplius diffundatur, pro icteri levamine. Et sic legimus quod Hermocrati fuit distensio mollis; Apollonio viscerosa elevatio, & habuit consuetum circa jecur dolorem: & uterque interiit, ab in sexto oborta icteritia. Hæc tria duritiei nomine Hippocrates intelligit. Sunt etiam icteri symptomatici, qui veneni potione, aut effrænis cathartici, aut morsu animalis, aut extrema corruptione advenire creduntur. Nos etiam vidimus à ciborum repletione quoque subito advenire. Haud minus nobis extitit dubium aliquando in quodam singulari ægroto, hoc ex subito irruente flatuum abundantia accidisse, colidocho, & iis vasis compressis, quibus bilis ad intestina fertur. Aliam nobis icteri speciem Hippocrates proponit, & sic illam describit: *Hic popularis est, quia omni tempore corripit: fit autem à repletione maxime ac ebrietate, ac post quam riguerit, statim corpus mutatur, & pallidum fit, & oculi pallidi valde fiunt, & sub pilos & ungues morbus procedit, & rigor & febris debilis tenet, & debile est corpus, & in capite dolor adest, & pallidum ac crassum mingit. Hic morbus minus lethalis est prioribus, & curatus brevi sanatur. Huic cum sic habuerit, cubiti venam secato, & sanguinem detrahito.* &c. Diu peræque consideravi, & cum torno & cothurno ad limam & lineam redegi Hippocratis mentem, in hoc casu: nam hic nulla transmutationis sanguinis in bilem occasio proponitur; nulla hepatis causa; sed sola plenitudo. patet ex serie contextus, & patet ex auxilio, quod Hippocrates proponit ut contrarium. Illud tamen non patet, quomodo plenitudo producat icteritiam, quantumvis possit esse obstructionis causa. Nam si ex cruditatibus, ut ex ebrietate colligitur, oriatur, sanguinis missio non est illis per se auxilium contrarium, sed coctio, tenuatio, & illarum eductio per catharticum. Ex sanguinis abundantia obstrui illum fellis folliculum, ne quis facile credet: nam ille trahit bilẽ, & illa oblectatur. Quare restat, ut à crassiore bile obstruatur, aut illa refluente corpus totum perfundatur aurigine. Locus est in Galeno, qui de repletione arguit icteritiam. Hæc sunt illius verba: *Fit etiam ut vesicula fellis ita repleatur, ut amplius capere non valeat: quo fit, ut eo quod refluit, aurigine corpus universum perfundatur.* Aut quia est obstructus folliculus, aut excernens facultas imbecillior. Attendite ad signa, quæ antea proposuit Hippocrates, hujus icteri. Neque reor, fortuito hujus curationem in sola sanguinis missione posuisse: nam bile refluente, totus sanguis corruptionis periculo laborat, solo bilis consortio, seu multitudine illa non ventilata: ex quo febris malignissimæ timor, fermentata putredine; sive sanguinis vitium. Utrumque sanguinis missione prævacetur, ut nos docet Hippocrates, & nos in Quæstione minorandi adnotavimus.

2. Epid. *6. Aph. 42.* *3. Epid. Sect. 3.* *Hipp. Lib. de Inter. Aff. 42.* *Galen. 5. de Loc. Affect. 7.*

Fit etiam per calidam hepatis intemperiem, altius radicatam, seu per febres, aut aliter, similis icteri-

icteritia, à perenni hujus succi proventu, ad cutim orgasmo humore concitato per totam compaginem, diffusa potius quam effusa bile. Hoc potest advenire in die intercalari, contemplabili, aut vere decretorio. Quorum est longe diversa consideratio: non tantum diei ratione, sed moventis naturæ. Bilis enim, coctione tractabilis, & jam mitificata, exitum habet per cutim non difficilem, si sit eo violenter impulsa; & licet adhuc crassior, neque ita meabilis, ut sudoris materia, quod in cute subsistat, icterum edit etiam sub certa lege criticum: quoniam humores illuc magna utilitate, morbo plane devicto, ad ignobiliora transferuntur, subita mutatione ad salutem, ad melius saltem, non omnino materia superata. Et tales solo balneo dulcis aquæ sanantur: nec indigent à magnis auxiliis præsidio; imo violento cathareo ad intus revocatur foris expulsa bilis. Hæc victricis naturæ sunt indicia, non in solo pepasmo, sed in morbifici humoris cita excretione, qui cursum ad corporis ambitum reflectit, libera ac liberali sui excretione. Hoc etiam ex naturæ præceptis Hippocrates nos docuit. *Pepasmi*, inquit, *sunt omnium morborum opportuni.* In illis criticos abscessus nos sperare convenit, & pigros adjuvare, quo maxime natura ducit per loca conferentia; nisi quorum per tempora sunt pepasmi, hoc est, illorum, qui nullo sui motu inferunt symptomata, partium obsessarum, & morbifici humoris propria.

Hip. 1. Epid. Sect. 2.

1. Epid. Sect. 3.

In his & etiam proprie symptomaticis icteris solet natura alias excretiones concitare, quo à symptomatis periculo nos liberet: ut in tertia Tempestate in Thaso Hippocrates advertit, ubi omnes liberantur, quorum humores liberum & liberalem exitum invenerunt, quo privilegio fruebantur etiam icteri symptomatici. Nam de icteris sexto die obortis, sic Præceptor enarrat. *Etiam qui sexto die morbo regio afficerentur; sed his purgatio profuit per vesicam, aut per ventrem*: cæteris vero perstiterunt funesti, qui hoc non fuere adjuti beneficio. *Vt Heraclides, qui apud Aristoclidē decumbebat: cui per nares sanguis profluxit, alvusque fuit turbata: & per vesicam est* omnino *purgatus. Vigesimo autē die judicatus est longe aliter ac Phanagoreon servus, qui cum ipsi horum eveniret nihil periit.* ut & Lechus maritus, cui nulla præfuit vacuatio, & octavo interiit. 4. Epid. 63. Quare, licet icterus symptomatice & præter morbi & temporis rationem adveniat, non est omnino desperandum, si natura, quantumvis irritata & oppressa, alias movet excretiones. ut ex prædictis patet. In hoc tamen est magna cautio adhibenda, ut dicebamus antea; an icterus incidat ante febrem: nam Diocles apud Galenum dixit: *Si post febrem icterus oriatur, prodesse*; (sub prædictis conditionibus intellige) *si vero febris ad icterum subsequatur, occidere.* quando nempe est omnium succorum corruptionis soboles.

Hip. 1. Epid. Sect. 2. text. 65.

Galen. 5. de Loc. Aff. 7.

Quibus signis critica à symptomatica differat icteritia, satis superque diximus. Nunc symptomaticæ propria ex Celso audiamus. *Color autem*, (*in flavo*) inquit, *morbum detegit maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum: indeque sitis accidit, capitis dolor & singultus, & præcordiorum dextera parte durities, & ubi corporis vehemens motus est, difficultas spiritus, membrorum resolutio: si cum hoc diu duret, corpus cum pallore quodam albescit.* En icteri symptomatici signa, ab hepatis inflammatione orientis. Hoc tamen non in quacunque hepatis inflammatione observabis accidere; sed quando in convexam maxime partem incidit. Sanguis enim tunc in bilem meraciorem versus, trunco superiori, motu & incendio sursum rapitur, & æstuans exuritur, & per has partes truditur & expanditur in corpus universum: quo fere subito auriginosi fiunt. Nec ideo ad intestina ruit, quo albidiora remanent excrementa; aliter ac quando in parte cava accidit: tunc enim singultus potius & biliosæ excretiones accidunt. & in utroque par periculum subit.

Celsf. lib. 3 cap. 24.

TITULUS III.

Vltima icteritiæ differentia ab obstructione folliculorum fellis.

Sub triplici sorte icterus continetur: est enim criticus, hepaticus, & felleus. De primis hactenus diximus: de felleo nunc restat. Hic etiam in triplici differentia observatur: nam icteritia alia est flava; alia nigra; & alia viridis. Flava etiam observatur dupliciter; seu præ fellis vesicæ atonia, seu trahētis illius facultatis imbecillitate; seu ab obstructione alicujus meatuum. Ductus enim collidoci duo sunt; unus in hepar, inter venæ portæ & cavæ radices, numerosis surculis distributus, quibus bilem sinceram in se allicit: alter ad duodenum fertur; quo vesicula mutua cognatione oblectata, illum ad intestina trudit, ut tardiora ad excernendum intestina excitentur, ad feces depellendas. Quomodocunque ergo aut hic aut ille ductus obseratur, retro bilis refunditur, cum sanguine miscetur, & illius colore corpus universum defœdatur. Hujus signa sic describit Hippocrates, sic præsagia. *Alius morbus regius*; (nunc loquitur de flavo) *febris corripit debilis, & gravitas caput tenet: & quibusdam sane febres cessant: ipse vero fit cum virore pallidus, & maxime oculi; & debilis est, & corporis impotentia adest, & urinam crassam cum virore pallidam emittit.* Quid amplius Galenus de hac affectu dixit? *Quibus vero*, inquit, *citra febrem morbus regius accidit, urgente in dextra præcordiorum parte gravitatis cujusdam sensu, iis.* &c. Et procedit ad alia: *In iis igitur conjeci, fellis folliculum simul quopiam affectu laborare, qualis in vesica exuberante urina interdum fieri solet: etenim adeo multam nonnunquam recipit, ut nimis intensa, nequeat eam, quæ in ipsa continetur, expellere.* &c. *At fellis folliculus.* &c. *unicum habet imbecillitatis principium, veluti cætera quoque naturalia instrumenta, à partis intemperie ortum, quo nequeat expellere.*

Hipp. 2. de Morb. 42.

Galen. 5. de Loc. Aff. 7.

Quod Hippocrates dixit febris debilis, Galenus sine febre intelligit, & ita fere accidit: quo vero signa differant obstructi aut debilis folliculi, non dixit. Hæc in practicis leges. Languor corporis adest, & insuperabilis fere melancholia: quia male affectis spiritus, (hoc etiam in nigra accidere videmus,) & fontibus illorum defœdatis, nempe naturalibus in hepate, vitalibus in corde, cerebro, animalibus, mœrore, & tristitia prehenduntur: quo animo pertinaci morem gerunt,

gerunt, delusis imaginatione & phantasia. Hæc dixi, ut attendas, si huc deveniat icteritia, quod sit fere desperata curatio, altius radicata melancholia, & varicosis factis obstructionibus: ut nos sæpius vidimus. In principio vero, si ut decet tractetur, non magno auxiliorum indiget apparatu.

Contraria interdum obversantur, quæ inexpertos, & indoctos in Galeni doctrina, terrent. Alba exire excrementa, interdum retineri, in hac icteritiæ specie, irritantis defectu, biliosi humoris effluxu præpedito, docet experientia, ratio persuadet: interdum tamen à contrario in hoc eodem ictero, & per eosdem ductos, aliquando à colidoco ad duodenum, & ad fundum ventriculi, interdum per ramum splenticum & venas mesaraicas, facultas expellens, irritata ab humore bilioso acerrimo, furiose expellit, partem ad ventriculum trudit, ad intestina partem de illa cumulata multitudine, quæ in venis & hepate superfluit, & simul oculos & ambitum aurigine perfundit: inde clamosos dolores, colicorum simillimos, induci, & tormina in ventre, doloresque ad umbilicum concitari, vidimus. Quod dupliciter accidere notavimus; interdum nec excrementis nec urina mutatis, ut plurimum cænosis & liquidioribus redditis excrementis, multa bile perfusis, & omnibus aliquando suppressis. quæ omnia non semel observavimus. Si hæc accidunt cum incipit aurigo, est bilis nuper diffusæ argumentum: quo in statu sanguinis missio est illi præsentaneum auxilium, sive obstent menses aut hæmorrhoïdes suppressæ, seu non obstent, semper ex talo. Si vero, ictero jam protracto, aurigine progressa, nutritionis membris longe labefactatis, & radicata intemperie debilibus, poterunt esse flatuosi dolores: quod ventris tensio, difficilis respiratio, dolorque ad jugulum & ad renes pertensus indicabit.

Hoc etiam accidisse notavimus in ictero, ex epoto veneno ejaculato, forsitan intus genito, ut mutentur excrementa. Fiunt enim in illis liquida, cænosa, & cærulea, pallida, & aliquando nigra: quod si nulla prægressa causa subita accidat corporis defœdatio. Hoc inprimis discito, ut maximum veneni argumentum, quod non est corpori universo sui similis color, sed maculis inficitur diversis, luteis, nigris, cæruleis, in pectore præcipue, in dorso, vires subito cadunt, ægroti præ angore jactantur alismo indicibili, cum lenta febricula, & algidis extremis.

Si vero à ciborum corruptione icterus concitetur, quod nos etiam vidimus accidisse, morsus erit in ventre, & in ore ventriculi dolor inexplicabilis, velut ex cardialgia; quæ potius videtur illius exolutio; & alvus etiam concitatur liquidis & crudis excrementis; nausea importuna; & color intra sex horas solet auriginosus reddi, cum maculis quibusdam, & pallore albido cineritio, & corpore subtumido, & facie cachetica. illorum tamen corpus, quod æqualiter & cito recalescit, est in minori periculo: qui ulterius amplius defœdatur, is fere semper devixit.

In hac icteritiæ specie Galenus excrementa considerare præcipit. *Proinde*, ait, *excrementa etiam considerare decet: inveni enim quorundam, regio morbo affectorum, excrementa flava bile colorata: ut aliis urinas; in aliis plurimum ipsius retineri, & perquam exiguum effundi, comperimus.* De his etiam alter ægrotus legitur, quem antea ex Hippocrate vidimus, cujus excrementa erant fœtida, cerulea, & mordacia. *[Galen. 5. de Loc. Aff. 7.]*

Ad hanc etiam icteri symptomatici speciem reducitur, quæ ex fervido intemperamento partium solidarum producitur: interdum enim universalis ambitus intemperies urit bilem, aut sanguinem, in ambitum sparsum, in biliosum mutat, ut color corporis universi, maxime oculorum, lente & paulatim fiat auriginosus: quo corpus etiam quadam prurigine exuritur, & incessabili pruritu lancinatur: & in hoc nec alvi nec urinæ excrementa mutantur. De hac loquitur Paulus, quando dixit: *Nascitur etiam morbus regius è fervido temperamento solidorum corporum: id, quod alimenti ratione locoque erat exhibitum, in bilem commutatum, veluti in phlegmaticum humorem intercus anasarcha, nutrimentum ingestum permutat.* Quo solvitur illa Hippocratis dubitatio, libro de Int. Affection. 42. quando dixit: *Alius morbus regius fit à pituita in hyeme: & color ipsius ægri est albus; & pectora fiunt pituita plena.* Nam reor, Hippocratem hanc icteri speciem, per similitudinem dixisse talem; non quod revera fit: est enim cachexiæ principium, cum eodem modo producatur in corporis ambitu, partium nutrimento in pituitam verso, ex illarum partium frigida intemperie; ut in ictero ex calida in bilem. *[Paulus.] [Hipp. lib. 2. de Intern. Affect. c. 42.]*

Ultima icteri species, eaque symptomatica, est nigra, seu composita ex utroque colore, flavo nempe & nigro: nam viridis semper est à veneno, aut ab illis, quæ illud æmulantur, nempe venenosis catharticis, similibus eduliis, morsu animalis inflicto, aut interna corruptione sanguinis. Sed illud febris & veneni accidentia distinguunt. est enim fere semper in lienis affectu sine febre: in cæteris licet non semper valida, est semper manifesta, variis symptomatibus aucta. Nigra oritur ex duplici principio; ex humore nempe in venis & in hepate deusto; seu ex liene, aut imbecillitate contracta, non trahente, aut dum obstructus supervacuam melancholiæ portionem non recipit: quo fit, ut cum sanguine permixta, per corpus diffundatur, & fuliginoso colore defœdetur. Hujus icteri signa jam olim observata nobis dedit Hippocrates. *Color fit niger*, inquit, *& oculi cum virore pallidi; lingua inferne; & venæ sub lingua crassæ & nigræ. Et est homo sine febre, ac mingit urinam crassam, biliosam. & hi splenetici fiunt.* &c. Causas hujus icteri Galenus diligenter perquirit, & post flavi icteri causas prosequitur: *Sic ob splenis quoque vitia hujusmodi colores eveniunt, sed multo nigriores quam ab hepate.* Inde ad aliam causam procedit, à nobis nunquam visam: *musculorum nempe abdominis abscessum, & in peritonæo, citra ullum lienis aut hepatis effectum.* Sit fides penes auctorem. Et in eodem loco sic ultimo concludit. *Fit enim aut ob lienis imbecillitatem, aut hepatis vitium* (nempe dum impuram melancholiam non attrahit) *ut imbecillitate hujus folliculi impurus fiat sanguis.* atque idcirco alia eveniat morbi regii species, præter tres supra dictas; nigra nempe, aut ex utraque mixta. *[Hipp. 2. de Morb. 42.] [Gal. lib. 5. de Loc. Aff. cap. 7.] [Idem Ibid.]*

Quod ad prognosim attinet, in sola curationis difficul-

difficultate periculum inveni; non in ipsa conditione morbi: quoniam melancholicus humor valde curationi reluctatur. Quare auctor libri de Cura icteri, secundum rationem movetur, ut timeat ex ictero in hydropem aut in maciem transitum.

STATIO VI.

De febre, quæ proprie singultuosa dicitur.

Unaquæque febris, de putridarum sorte, pro sua cujusque vice, suam sortitur putredinis mineram, focum nempe, quo sincerus aut permixtus humor computrescit: veluti ex continuis synochi, & ardentes inter alas & inguina in majoribus venis; simpliciter continuæ in minoribus. hæ & illæ interdum determinato loco, ut accidit in inflammationibus, aut membris, quæ virtutem aut commune officium impertiuntur cæteris. Focum & in interna inflammatione sæpe vidimus: quin imo & externa, si illa est inter magnas eximia. In utero sæpe parturientibus accidisse notavimus: in hepate, cerebro, & liene non infrequenter accidit, non tantum in continua, sed & in continenti. nec de intermittenti ullus est nobis sermo. Febrem ardentem non raro in cerebro focum obtinuisse, ex Galeno colligitur. 1. enim Prorrethicorum 18. sic legitur Hippocratis sententia: *Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proveneritque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant.* Sic in hujus sententiæ Comm. Galen. *Febris ardens, tum ob alias causas, tum propter cerebri inflammationem æque fit. Nempe & huic succedit ex propriis phrenitidos signis continua desipientia. Ex ea quæ in capite redundat humiditate spiritus flatuosus procreatur. quapropter & aurium tinnitus fiunt. Pari modo caligo, cum crassus humor vel spiritus oculos invadit.* &c. De foco singultuosæ febris nunc perquirimus: ac tandem, quo se vertatur prognosis, officio communi intercepto nobilissimi visceris, illati accidentis occasione, seu febris violentiæ ipso jure lethalis. Est enim febris focus in quoque febris genere; si credimus Galeno, *Locus, in quo calor febrilis primo accenditur:* sed non antea febris dicitur, quam ab illo putrida fuligo cordi communicetur, & illius calorem præter naturam redda. qui non semper, ut Lubertus credidit, est in corde; nec, ut tenet Fernelius, in prima corporis regione; nec, ut Ludovicus Mercat. in extremitatibus vasorum: sed qualibet nostri corporis parte, interna aut externa, ubi hic aut ille humor computrescit; ut Galeni est expressa sententia: quem etiam sequuntur Mercurialis & Victor Trincavelius.

Hipp. 1. Prorrhet. 18. — *Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrh. 18.* — *Gal. lib. de Marc. c. 7.* — *Parad. 4. decad 2.* — *4. de Febr. 9. & 10.* — *5. de Loc. Febr. 1. & 2. de cris. 3. & 6.*

Illud est secundo supponendum, non posse singultum permanere, nisi ore ventriculi primario affecto; licet aliunde confluat irritatio, seu qualitatis irritantis conditio: est enim singultus oris ventriculi passio, ut Galenus est auctor, & illius facultatis expellentis actio, dum se vibranti motu ad expellendum concutit, quando os ventriculi vehementer mordetur.

5. de Loc. 6. 5. Aph. 1. 3. de Sympt. caus. 7. 7. Aph. 17.

Duo ergo necessario requiruntur, ut febris dicatur in rigore singultuosa: ut sit nempe focus & minera putredinis in ventriculi venis, ex cujus putredine fuligines ad igneam naturam cordis calorem vertant, ut Hippocrates dixit. *Secundo*, ut acerrimus humor jure vicinitatis concitet illius expultricem, aut aliter contracta irritatio, pro illo singultu concitando. *Tertio* prærequiritur, ut illa irritatio perenniter persistat, seu humore in tunicis imbibito, seu reddito ex febre acriori, seu accessionis occasione ad ventriculi ostium confluente. De hoc tantum est quædam levis præsumptio in Hippocrate 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 69. (nam cæteræ sunt singultuosæ febres per consensum, quantumvis singultus sit perpetuus.) Nec est alius in Hippocrate nec in Galeno locus, qui hoc aperte dicat. Sic in hoc legitur Hippocratis sententia. *Febri singultuosæ laserpitii succum, oxymeli, daucum tritum propina, galbanumque ex melle, & cyminum in eclegmate, sorbendumque ptisanæ cremorem dato. Talis autem evadere non potest, nisi sudores supervenerint judicatorii, & somni æquales, urinæque extiterint crassæ & acres, aut in abscessum confirmetur morbus.*

Hipp. lib. de Vict. Rat. in Morb. Ac. 69.

Hic est hujus sententiæ diorismus, quando in febre singultuosa focus persistit intra venas ventriculi, cujus humor illius etiam tunicis adhærescit, si aliquid de viscido participat, succo laserpitii abstergitur, oxymele permixto: illæ enim sunt vires hujus medicamenti. Hoc etiam dauco galbanoq; ex melle consequitur, tenuatur etiam & concoquitur. quod si postea calidior evadat empyreumate, & febris intendatur, ptisanæ succum dato, qui temperat, abstergit, & alimento recreat. quod si accidat, ut ex lento humore acerrimus evadat, fervore aut putredine, in morbo jam progresso, quando morbi levatio sperabatur, evadere non potest: forte fermentata putredine, malignitate aucta, & viribus jam ferendo auxilio imparibus. quod fere accidit in hoc febris statu, accidentium immanitate, nempe rauco singultu ex inanitione, & virium dispendio; excepto, ubi ex multitudine hæc omnia advenire contingit: tunc enim ex eventu & naturæ miraculo bene potest salus redintegrari, natura levata inopinata crisi, quæ solet, quando natura impensius urgetur, concitari: nam facto agmine, & omnibus collectis viribus, materiam morbificam aggreditur, ac illam subito pellit, per sudores, urinas, aut abscessus, prout huic aut illi est major ad crisim apparatus. Quod etiam sperare par erit in ista singultuosa febre, quando est repletionis consectaria, aliter ac dum inanitionem aut omnimodam corruptionem sequitur: in hoc enim statu certius non evadit, quoniam à privatione ad habitum non datur regressus.

Videamus nunc, quid senserit Galenus in hujus sententiæ Commentario: *Sunt autem motiones* (nempe singultus) *quædam stomachi convulsificæ, quas quidem fieri ajunt propter immoderatam, vel inanitionem, vel repletionem. Quæ si propter inanitionem fiant, ferè sanationem non recipiunt: si vero ob repletionem fuerint, ab iis quæ infarcta secant abstergunt que sanantur medicamentis. Quo è numero sunt, quæ hoc in loco scripta sunt. Videtur autem & nunc morsus is fieri propter acrimoniam stomachum mordentem, ut cum quispiam piperis plus vel simile quippiam devoraverit. Et sane fuerunt ex febrientibus, qui in singultu rodentem acerri-*

Gal. Comm. in 4. Hipp. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 69.

acerrimumque vomuerunt humorem. à quo tandem symptomate sunt liberati. (ac si diceret, cum febris accidit ex humore acerrimo, hoc vomitu excreto liberatur, ut causa continente depulsa.) *Verum febris hujusmodi nequaquam singultuosa appellatur. Nempe ut singultuosa vocitetur, permanere amplius debet singultus, vel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbare* (hoc enim est hujus febris character.) *febrem hanc per sudores judicatorios, somnosque æquales, vacuatasque urinas, tum crassas, tum acres sanari, ait, talibus quidem vel excretis, vel in abscessum firmatis.* Per hęc fere convincitur quod dicebamus antea; focum nempe singultuosæ febris in ventriculi venis, non alibi, mineram constituere: nam, si focus est alibi, & exinde transmittat humorem mordicantem, aliamve qualitatem erodentem, ut ventriculi ostiolum lacessant, talis non est vere singultuosa febris, ut quæ partium aliarum consensu accidit. Quare illa tantum erit vere & per se singultuosa febris, in Galeni doctrina, continua, perniciosa, quam perpetuus comitatur singultus, saltem per febrium incrementa, ex ventriculi peculiari vitio: *Cum nempe venter,* (hæc sunt Galeni verba.) *ad excernenda ea humida, quæ tunicis obstinatius adhærent, mordenteśque habent vires, excitatur.*

Gal. Comm. 3. in Prorrh. text. 6.

Quanta cautione prædicere oporteat, in hac febris specie, monstrat non tantum varietas causarum, sed hujus symptomatis varietas. Plato, ab Hippocrate doctus, in symposio à triplici principio singultum docuit advenire; à flatu in tunicis imbibito; à bilis feritate; à glutinosi humoris contumacia. Primum sanari docuit spiritu compresso. secundum, frigidæ aquæ potu. tertium sternutamento, cujus motu violento humor evellatur à tunicis, qui hiera medetur, non semel sed per dies exhibita. Super ista Galenus solam addidit acrimoniam. Singultus etiam pericula convulsionis agit, in variis Hippocratis sententiis: sed ad mentem attende, ne te verba decipiant. quoniam tunc singultum ventriculi convulsionem dicit, cum ventriculi tunicæ aruerunt exhaustu: quia in hoc statu convulsionis potius naturam retinet, quam concussionis. Et tunc pericula convulsionis subit, ex inanitione, ut legitur in illa Coacarum sententia: *Si longo sanguinis profluvio supervenerit convulsio aut singultus, mortiferum.*

Hip. 2. Coac. 13.

De hac febris specie, quæ proprie singultuosa dicitur, hæc legitur sententia: *Si quis in laboriosa febre singultiat vel obstupescat, morbo laborat pessimo.* Quæ nam sit febris laboriosa, ex variis Hippocratis sententiis edisces, maxime ex 36 hujus libi. Est enim laboriosa febris, quæ habet lassitudinem conjunctam, quandam nempe veluti corporis confractionem, ut quæ à labore nascitur insueto: hæc enim febrium ardentium comes est. quæ ideo dicitur copiodes, quia acribus & biliosis fovetur ichoribus, quos venæ labore arefactæ ad se traxerint. Sed quæ habet adjunctam lassitudinem, sua sponte natam, quam sensatio comitatur tensionis ulceris aut inflammationis, hæc laboriosa dicitur. quarum primam speciem edit repletio: secundam cacochymia: tertiã utraq; causa. Hæc enim lassitudo est sensio rei molestæ: quam edit certe copia aut pravi aut humoris permulti. Si ergo febris laboriosa singultu copuletur, erit ipso jure maligna, causæ & accidentis ratione. quoniam singultuosa febris est singultibus crebra: quo maxime strangulantur vires, jam importuno motu exolutæ, ventriculi coctione & officio communi interceptis, non ex flatu, non molestia glutinosi humoris, sed sola humoris feritate contracta, acri malignitate, & imbibita in ventriculi tunicis. Nam quando est singultus ab exhaustu, jam sibi vendicat convulsionis nomen; ut Hippocrates vocat: licet in illa à morbificis causis natura superata quiescat, & in hoc vibrata actione subsultet. Sed quia in utraque est nervorum substantia retracta, ab exhaustu siccitate inducta; ideo Hippocrati & Galeno religio fuit, singultum ab exhaustu convulsionem dicere: quod illa musculorum sit propria: hæc membranarum. Hoc etiam est symptoma invalescentis morbi: ideo certe magnum & periculo plenum, ut etiam legitur in Prorrhetico: *Aphoniæ cum singultu pessima*: quia propagationis est indicium, aut perennis affluxus, tanquam ex fonte impuræ cacochymiæ, aut membri nobilissimi officii communis intercepti; si non causæ inveterationis argumentum: quod nobis magis videtur, quando singultus accidit ab exhaustu. quod justissime probat illa Coacarum sententia: *Si largo sanguinis profluvio supervenerit convulsio aut singultus, mortiferum.* quando ista accidunt, præ nimia siccitatis causa succo affluente defraudato, à venis jam exhaustis, & arefactis nervis: tunc enim accidit hæc vibrata ventriculi concussio, quando ab inanitione incidit tunicarum contractio; licet irrito eretismo moveatur expellendo natura. Fit enim suctus & mordicatio ventriculi ostiolo, quia venulæ arefactæ prorsus exhauriunt quidquid erat in nervis humidi primigenii. quid multum? adhuc assimilati succi: quo accidit illa corrugatio in ventriculo, quæ est expellentis irritationis occasio, & singultus causa immediata. Est enim singultus unica generalis causa, irritatio, seu ab humore, seu sola qualitate irritante; & symptoma facultatis expellentis, ex Galeno 3. de Sympt. caus. 2. Quæ ideo lethifera, quia doloris acerbitate vires atterit, & quia humidi primigenei exhausti non est in natura instauratio, cum deficiat instaurandi principium, nempe innatus calor, qui humido exhausto nitebatur. quo fit, ut omnia naturæ præsidia collabantur, vitalitas nempe, & facultatum vigor: quibus erat futura instauratio, tribus facultatum principiis debellatis.

Idem, 1. Coac. 47.

1. Prorrhet. 22.

Hip. 2. Coac. 13.

Galen. 3. de Sympt. caus. 2.

Et hæc est certe ratio, quare, qui accidit singultus in febre valde maligna, & post alia maligna accidentia, nempe post vomitum æruginis, cum siti incompescibili & arescenti lingua, aut fluxus colliquantis progressu, aut diarrhœa biliosa ægro extenuato, sit prorsus insanabilis. Et ingenue fateor, quod in hoc statu nullum sanatum, sed omnes periisse observavi. Horum plura possem adducere exempla; sed unum placuit Hippocratis afferre. *Mulierem,* inquit, *quæ decumbebat in mendacium foro, primum enixam cum dolore masculum, corripuit ignis. Initio statim sitibunda, fastidiosa, cor illi dolebat, lingua arida, venter turbatus tenuibus paucisque, non dormivit. Altero die aliquantulum riguit, febris acuta, modicus secundum caput & frigidus sudor. Tertio cum dolore dejecit alvus cruda multa, tenuia.*

Hip. 3. Epid. sect. 2. ægrot. 12.

Quarto

Quarto riguit, omnia irritata sunt, insomnis. &c. *Septimo riguit, febris aucta, sitis ingens, se jactavit: sub vesperum per totum corpus sudavit frigidum, frigus partium extremorum.* &c. *Octavo — vomuit biliosa.* &c. *Vndecimo virulenta. Duodecimo vomuit multa nigra, fœtida: singultus multus, sitis laboriosa. Tertiodecimo nigra, virulenta vomuit: rigor: circa meridiem muta. Quartodecimo die sanguis de naribus, defuncta est.* Ex causone. In hujus historiæ Comment. Galenus: *Tantum ad principii symptomata attendit, ut de fine pronunciet.* Tu vero alta mente considera symptomata, quæ fatalem singultum præcesserunt in progressu, ut enuncies de futuro eventu singultuosæ febris.

Gal. Comm.

Sic febres laboriosæ in prima & secunda tempestate evenerunt. Ex hac febre laboravit Silenus. & undecimo obiit, sub varia symptomatum colluvie. Septimo etiam periit Adolescens, qui in foro mendacii decumbebat. quem ignis interemit ex lassitudinibus & laboribus. De hac febre est Galeni judicium in hujus sententiæ Commentario: *Scimus enim, πόνους vel labores illum nominare exercitationes: sicut κόπους vel lassitudines, corporis affectus, in quibus si parum modo moveantur, tentionis sensus, vel ulcerosus fit.* ideo ab hac causa delassati dicuntur copiodes. Pythion, circa Herculis fanum, ex laboribus & lassitudinibus obiit. decimo à causone aphonos: & labores huic paribus erant. Hæ sunt febres ardentes, quas descripsit Hippocrates 4. Acut. 13. De his illa sententia enuntiatur quę in Coac. legitur: *Quibus deurentia, fatuitatē inferentia, inducentia catochen, variantia hypochondria, ventris tumor, cibis interclusis, eum sudoribus, an his turbidus spiritus, & genituræ quidpiam simile superveniens, singultum indicet? ventrique tum biliosa tum spumosa procurant? emictum in his splendidū juvat, venter in his perturbatur.* Hæc symptomatum series nihil certi ad singultum concludit: fert tamen apparatum ad singultum. Hippocratis forte est peculiaris observatio: deurentia enim putridis cruditatibus permixta inducunt hanc symptomatum seriem: & dum ex venis eructant ad ventriculi ostium, concitatur singultus: & dum ad intestina, fluxus ventris; hinc venter dejicit spumosa perturbatus: si ad vias urinæ, mictus concitatur splendidus, multus, & copiosus, qui perirrhæa ægritudinem solvit. Hæc omnia sunt observationis; non imitationis: quoniam sunt potius naturæ aut fortunæ opera, quam artis. Si vero coincidant omnes lassitudinis sensus, vix debellanda symptomata promittit. nam ex lassitudine capitis dolorem, vigiliam, delirium, ventura prænuntiat in Prorrhetico: caliginem, vigiliam, ephidrosim, & coma in Coacis docuit advenire. hoc enim arguit deleteriam conditionem causæ, utpote nimia corruptione vitiosæ. quo in statu nulla utilis crisis est sperabilis, nec potest perfici inchoata: & quod nulla est in malignitate securitas, & quod natura præ onere gravata non libere concoquit, separat, nec expellit. Et tanto etiam periculosior morborum generatio, & eo difficilior expulsio: quoniam ad diuturnitatem facit materiæ contumacia. ex quo etiam difficultas pepasmi, virium inæqualitas, & viarum angustia, & periculum malignæ putrescentiæ. In quibus unica tantum spes lucet, ut post longum tempus speretur abscessus, si credimus Galeno: nisi illius occasionem tollat urina multa, alba, crassa; ut Archiginis servo.

1. Epist. Sect. 3. ægrot. 2. 3. Epid. Sect. 2. ægrot. 5.

Gal Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 2. ægrot. 5. & lib. 4. de Sanit. tuend. cap. 2.

Hipp. Coac. & 1. Prorrh. text. 60.

1. Prorrhet. Sect. 2. text. 3. 1. Coac. 36.

Catochos est alia hujus febris conditio; cui etiam adjicitur stupor & corporis & mentis: nam per catochum stupidus & immotus persistit. Perpendamus ergo hujus dictionis etymologiam. *Catochus* à plerisque accipitur pro rigida cerebri immobilitate, quam in nervis & venis induxit repentinus affluxus sicci & frigidi humoris. His forte acquiescerem, si hæc dictio de aliis non enunciaretur: non enim sola illa symptomata, quam stupida rigiditas induxit, sunt catocha; quoniam etiam firmiter fixam exolutionem per hanc dictionem *catochos* Hippocrates expressit, & *tensam & rigidam convulsionem.* 1. Coacar. 28. Dixit enim: *Quæ cum eclipsi & catocha exolutione fiunt aphoniæ, sunt funestæ.* hoc est, vocis privationes, quæ accidunt à virium essentiali & firmiter fixa exolutione. Et alibi: *Quæ convellendo exacerbantur, sunt catocha.* De variis etiam cerebri symptomatibus hæc dictio in Hippocrate legitur; nempe de illis omnibus, quæ sunt firmiter fixa, aut ex causæ morbificæ inveteratione contracta, aut in ægri perniciem. Hæc omnia Hippocrati & Galeno sunt catocha, si altius radicata aut firmiter fixa persistant, ita ut ex illis veniat exolutio, aut officii communis interceptio. De hoc etiam leges Galeni judicium in Prorrhetico. *Cum autem catocha,* inquit, *vel quæ catochen vocatam inferunt, intelligamus, alii morbos stabiles firmosque, & veluti detinentes, appellata esse catoche dicunt.* Hoc etiam confirmat celebris alia Hippocratis sententia: *Si cui cephalalgia in catocha, parique delirio alvus subsliterit, & oculi ferociter volvantur, cum faciei saturato rubore, erit opisthotonicus.* Et alibi. *Iis, quos febris ardens occupat, aut una cum febre sunt catochi, urina est pessima, multum alba.* Hanc dictionem *occupat* per catochos adverbium Hippocrates expressit, ac si firmiter fixam affectionem diceret, dum, attracto in venas ichore, incendio conflagrat, & fortius à febre detinetur. Et hoc modo intelligitur etiam citata Hippocratis sententia, per firmiter fixam affectionem, & non aliter, quando in illa laboriosa febre supervenit singultus: tunc enim ideo plus periculi & laboris adjicitur.

Hip. 1. Coac. 109.

Gal. in Hipp. 1. Prorrhet. Comm. 2. text. 60.

Hipp.

Idem, 2. Coacar. text. 3.

Facile ergo elicitur conclusio ex præmissis ex arte & rite comprobatis; nempe, illud singultus accidens, in hac febre, cujus focus est in venis ventriculi, quæ proprie singultuosa dicitur, esse absolute perniciosum, fere semper lethale. Signa vero specialia hujus calamitatis altius expendit Gariopontus, in illo libro aureo, ubi extant hujus medici antiquissimi opera. Ita ait: *Hujus periculi signum est stomachi concussio, seu vibratio, cum quodam sonitu, proprio ac hujus rei solitario, & veluti asperitate quadam resonante, & in tantum, ut singultus cogat vomere quæ accipiunt; nec simpliciter vomere, sed cum præfocatione quadam; aliquando validior: tunc enim cogit universa rejicere. & in potu est sonitus velut aquæ ex alto cadentis, ut accidit Mulieri, quæ in foro mendacii decubuit.*

Gariopont. lib. 1. de febr. cap. 6.

3. Epid. Sect. 2. ægrot. 12.

TITULUS I.

De secunda specie singultuosæ febris, per consensum hepatis inflammati.

Hip. 7. Aph. 17. *Gal. Comm. in Hipp. 7. Aph. 17.*

Ex *hepatis inflammatione singultus, malum*: dixit Hippocrates 7. Aph. 17. *Dixi antea*, comment. Galenus, *quod omnes casus, qui passionibus auctis, & jam deterioribus factis superveniunt, sunt sicut ille singultus, qui hepati, inflammationem patienti, supervenire dicitur, non semper, neque quomodolibet, sed quando ad magnitudinem attollitur, fervente inflammatione: quo in fervore stomachus ad compassionem trahitur, nonnunquam communi nervorum ratione*, (per duos certe nervos, qui tendunt ab ore ventriculi ad hepar.) *qui sunt sane brevissimi, ut Hippocrates dixit. Quare tunc solum fit compassio stomachi ad hepar, quando inflammatio & maxima & pessima fuerit. Saneque bilis satis calida, & multa, in hujus visceris inflammationibus genita, ac confluente ad intestinarum principium* (nempe per fellis folliculum expulsa) *atque ita superfluitante atque ad ventriculum recurrente, contingit os ejus morderi, atq; ideo singultire. Nonnulli vero arbitrantur, magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac singultum ideo facere, spiritu exire nequeunte.* &c. Duo ex his elicimus: & hanc etiam esse febrem singultuosam; quoniam perpetuo illam comitatur singultus: & quod nulla sit systrophica visceris inflammatio, quę non secum febrem comitem ferat, & cordis vicinitate, & inflammationis magnitudine. Secundo, singultum esse accidens, superveniens adaucti morbi signum; & non assidens morbo, id est, non pathognomonicum, ex his, quæ proxime essentiam consequuntur. Neque probo sententiam de flatu exire nequeunte: quoniam flatus in tam magna inflammatione dissipatur potius quam retinetur, pro illius singultus incitatione. Hoc etiam colligitur ex Galeni doctrina, solam malignam biliosam, aut sanguineam inflammationem, singultum concitare; non melancholicam, neque pituitosam. Hoc enim satis clare colligitur ex illa Commentarii parte, ubi dixit: *Fervente inflammatione. saneque bilis satis calida & multa*: cum hoc tamen, singultuosam esse febrem, per consensum, nemo inficiabitur. Est enim focus hujus singultuosæ febris in hepatis substantia, & in venis consensus, ex bilis acrimonia ibi genita, & ad ventrem transmissa, forte ex similitudine substantiæ nervorum. ut postea videbimus. Hoc etiam à Galeno fulcitur in alterius Aphorismi Commentario. *Sic igitur*, inquit, *& hepati inflammationem patienti, singultus supervenit, propter nervorum communicationem; non quidem semper, sed quando maxima fuerit inflammatio.*

Gal. Comm. in Hipp. 5. Aph. 58.

Quare autem hoc fiat, nemo dixit: omnes in sola nervorum sympathia sibi placent: nullus ad causam sympathiæ accedit. Philotheus in hujus Aphorismi Commentario aliam hujus singultus invexit rationem: *quando nempe calor inflammationis, cum in cavo jecoris fuerit inflammatio, ad se traxerit humores, qui in ventriculo sunt, eosque absumpserit: tunc enim*, inquit, *exsiccato ventriculo accidit necessario singultus.* Ratio magni viri; sed certe non concludit, nisi in illa tantum specie singultus, quam sic etiam fieri non repugnat: ideo laudabilis, quia in illa alia ratio observatur consensus. Cardanus, subtilitate solita, aliam consensus rationem imaginatur. Videtur autem mihi, *inquit*, consensus quidam naturæ esse, cum ventriculo jecur quasi imperet, & eo affecto ventriculus etiam afficiatur: facultatis enim, quæ ventriculo inest, jecur auctor est. Hæc ratio deficit in utroque principio, in imperio, & in ipsa facultatis essentia: nam sicut hæc membra in opere & essentia differunt, sic etiam eorum facultates propriis actionibus; solo fine conveniunt, & illo communissimo, nempe conservationis universi. & in hoc obsequuntur imperio naturæ, non inter se ad invicem. nec inter se mutuas tradunt operas, sed unumquodque proprio ministerio incumbit, & quod in hoc erratur, alio non corrigitur. Quare solo in errore videtur observari consensus; non vero in principio operandi, non imperio neque obedientia in ipsis facultatibus naturalibus: quoniam una dempta, alia operabitur ex præscripto naturæ. Scimus enim, facultates corporeas immaterialibus animæ obedire: non aliam alteri famulari. Neque Galenus dixit, jecore patiente compatitur ventriculus; sed, dum magna aut maligna inflammatione obsidetur, consentire. Quare, tumore comprimente, aut acerrima bile confluente, aut nervis siccitate retractis, aut illis præ calore ad motum concitatis, par erit, potius inducere consensum, quam solo principatus imperio. Hoc etiam deducitur ex ipsa formali ratione singultus: ille enim est accidens facultatis expellentis ventriculi, quando nimis irritata insurgit ad depellendā noxam, quam in illo persentit. Videamus nu[illegible], quam inflammatio inferat violentiam nervis, illis sane brevissimis, qui à jecore tendunt ad ventriculi ostium. *Primo*, tumoris magnitudine valet illos convellere, & adhuc breviores efficere: & hac noxa percepta expellens ventriculi insurget ad depellendam noxam, & concussionis motu singultum edit. *Secundo*, valet candenti empyrheumate hos nervos & nervosam ventriculi substantiam valide exsiccare, ut dixit Philotheus: quo etiam valebit ventriculi expultricem valide lacessire. Aut *tertio* per ipsam nervorum capacitatem, per venas aut arterias, aut per canalem felleæ vesicæ manifestam, ichores acerrimos transmittere in ventriculi ostium: quo etiam ventriculi expellens lacessita, singultum concitabit. In his certe consensus manifeste elucet: nec est opus recurrere ad naturæ arcana, abdita, & occulta, de quibus forte ratio reddi nequit, quando ipsius rei formalitas manifesta ratione convincit.

Philoth. Comment. in Aph.

Hoc est certe judicium maxime rationi consentaneum: nam acerrima bilis, majorem feritatem consequitur, quam hepar à se pellit, dum phlogosi incāduit exustus, & per vasa supra dicta transmittitur, aut per duos breves nervos à sexta conjugatione derivatos; sive singulari sympathia inducto quodam motu, (ut aliquibus placuit:) ad quorum pulsum gliscit & insurgit ventriculi expellens lacessita: si non fastidiosa inducta siccitate, quando superare nequeunte natura grave malum, fatis cedit. ut placuit Galeno. Sed illud nobis restat exponere, quare Hippocrates dixerit: *Ab hepatis inflammatione singultus, malum,*

Lib. 10. Meth. Med. cap 5.

malum: & non absolute lethale. cum pro majore parte lethaliter accidat? *Satius est*, dicit regula juris, *nocentem impunitum relinquere, quam innocentem damnare, in dubio judicio.* Potest enim in inflammatione singultus advenire, spiritu exire nequeunte, ut Galenus exposuit, & viscido humore ventriculi tunicis adhærente; aut crisim natura molliente: quibus singultus in malis æstimatur, non in prorsus lethalibus. est enim glutinosi humoris picris contrariũ auxilium. & spiritum retentum curat sternutatio: cujus vires auxiliares profuisse Aristophani legimus: qui cum singultiendo rumperetur, & nec bibendo nec spiritum cohibendo solaretur, tandem finem fecit singultus sternutatio concitata, ex præscripto Erisymachi Medici, edocti Præceptoris consilio, quando dixit: *A singultu sternutatio superveniens liberat.* Glutinosum scilicet & crassum humorem discutiendo, motu forte composito, ut Avicenna dixit, ex facultate animali, motiva & naturali etiam expellente. nam hi depravati motus, alii sunt solius naturæ, licet nimis coactæ; ut singultus: nonnulli solos sequuntur morbos, nihil ad illos conferente natura; ut convulsio: alii tandem fiunt ex morbo & natura; ut legitimus tremor. ut Galenus est auctor.

Hipp.

2. de Sympt. caus. 1.

TITULUS II.

De tertia specie singultuosæ febris, pectoris inflammati consensu.

De hac febris specie est celebris memoria in Hippocrate, forte deducta ab observatione prudentissimi senis. *Febris vehemens detinet*, inquit, *& tussis & singultus, & una cum saliva grumos sanguinis tussiendo rejicit, & septima die moritur. Si vero decem dies effugerit, melius habet: verum vigesima suppuratur: & primis diebus pus modicum tussiendo rejicit: deinde amplius: purgatur autem in quadraginta diebus.* Duo semper in hujus sententiæ Commentario desideravi; & qua pectoris parte sit inflammatio: & quomodo in illa singultus concitetur. Alii, ut se à labore excusent, hanc sententiam aut penitus rejiciunt, aut intactam relinquunt. In aliis pugnant vota cum votis, consilia cum consiliis. quo in dictis antiquorum explorandis plura peccamus, dum demeremur, quam dum offendimus. nam quantumvis aliena videantur, semper est illorum inquirenda præsumptio, & exploranda ratio, si non ex toto rationi repugnant. sæpius enim non intellecta damnantur, quæ indefesso labore justam intelligentiam consequentur.

Hipp. lib. de Morb. text. 141. cujus titulus est febris singult.

Petrus Salius de magna pectoris inflammatione Hippocratis sententiam intelligit, ut de magna aut maligna hepatis inflammatione singultum advenire Hippocrates memoria mandaverit, & non ex quacunque leviori: sed qua pectoris parte sit illa inflammatio, & per quas vias ori ventriculi inferatur consensus, animum à labore abdicavit. Quæ doctrina in mea sententia non concludit. nulla enim paritas observatur, adhuc in magnitudine & in cacoethia, inter hepatis & pectoris inflammationes: in illa enim patent ad consensum duo nervi brevissimi ab hepate ad ventriculi ostium. Patent etiam canales

A ex colidocho à fellea vesica ad duodeni principium & ventriculi fundum, per quæ acerrimus aut malignus expirat humor, pro illo singultu concitando. quorum nullum apparet, pectore inflammato, adhuc inflammationis posita paritate. Deinde, ventriculus & hepar locantur in eadem regione naturali, quo facilior erit inter illa consensus, & pectus & ventriculum separat crassissima mediastini tunica, quæ utramque regionem intercipit, vitalem nempe, & naturalem. ergo non est eadem consensus ratio, nec paritas concludit ad singultum.

B Aliquid ergo abditum & occultum habet ista Hippocratis sententia; non tantum in observatione, sed in intellectuali ratione: siquidem & Aristoteles, Philosophorum maximus, partem hujus sententiæ in suis problematibus produxit, hocque sola Philosophia intellectuali comprobavit. Sic legitur in illo Aristotelis contextu: *Cur sternutatio singultum quidem sedat, eructationem vero non solvit? an quia non ejusdem loci utraque passio est, sed eructatio ventriculi est, singultus vero refrigeratio loci, qui est circa pulmones, & cruditas spiritus & humoris? communicant autem loca, quæ sunt circa cerebrum, cum pulmone; ut ex auribus patet: morbi enim aurium transeunt in vitia pulmonum. Quod autem adsit communicatio nasi, circa locum, in quo fit sternutatio, cum pulmone, ostendit respiratio utrique communis. Quare respiratio fit ipso calefacto: cum vero compatitur locus inferior, fit singultus, calor autem concoquit.*

Arist. sect. 33. probl. 1.

C

Ludovicus Septalius in hujus problematis Commentar. non satis se explicat ab hac difficultate, nec satis tuetur Aristotelem, cum non tradat rationem consensus pulmonis cum ostio ventriculi, cujus primaria ratione fit singultus, licet alibi consensus deferatur. Marcellus Donatus Aristotelem defendere conatur, & quando magis defensioni nititur, inquit, non posse se aliter Aristotelem à calumnia vindicare, nisi dicat, talem singultum necessario fore per consensum, quemadmodum Galenus 2. de Sympt. caus. 2. aliquos scripsisse tradit, provenire singultum ex convulsione musculorum, qui inspiratum faciunt; ut etiam Hippocrates, hepate inflammato, ob nervorum communionem; ut Galenus est auctor, 5. Aph. 58. & 7. Aph. 17. Et est certe generosa defensio. Posset etiam addere, à calcis syderatione singultum advenire, pari & simili consensu.

D

Lib. 4. hist. mirab. c. 5.

E

Castra Hippocratis deserere sine causa nulla honestat ratio: neque non intelligentiæ suspicione caret. Quare, ut hujus satis magni difficilis veritas innotescat, illud est supponendum, quod singultus sit ventriculi passio, quomodocunque concitetur, per se, aut ex eventu, alterius consensu; seu causa sit infarcta in tunicis ventriculi; seu aliunde confluens expellentem ventriculi extimulet. ideo semper pertinet ad ventriculum singultus. Nec est dubium, pulmonem situm esse in illa vitali regione, à naturali mediastini medio intercepta: unde nec in situ, nec in via aliqua manifesta consentiunt. Neque semper magni Viri auctoritatem decet recurrere ad generalem naturæ & corporis universi consensum.

F

Quo supposito tria nobis restant exponenda.

Primo nempe, qua pectoris regione sit focus hujus singultuosæ febris. *Secundo*, quem affectum producat. *Tertio*, per quas vias cum ore ventriculi consentiat. Quoad primũ, si daretur, Hippocratem suam ipsius mentem interpretari velle, nonne illud clarius faciet quam cæteri interpretes? ita sane. Legite ergo quam in principio hujus sectionis citavimus ex Hippocrate, cujus titulus est *febris singultiens*. De cujus consensu Aristoteles etiam in Problemate. Nunc legite, quæ proponit in alia sententia, in 3. de Morbis, text. 19. Cujus titulis est *Pleuritis*. Hæc sunt verba sententiæ: *Cum pleuritis apprehenderit, hæc patitur: dolor latus, & febris, & horror tenet; & frequentem spiritum habet; & erectæ cervicis spiratio urget: & tussiendo rejicit subbiliosa, si non ruptiones habuerit; si vero habuerit, etiam sanguinem à ruptionibus. Est autem sanguinea pleuritis, in qua subcruenta rejicit. Et est quidem biliosa mitior, si non ruptiones habuerit; sin minus, dolorosior quidem est, sed non lethalior. At sanguinea, fortis, & dolorosa, & lethalis est. Cum igitur affuerit simul singultus, simulque cum saliva sanguinis grumos tussiendo rejecerit, septima die moritur. si vero decem dies effugerit, à pleuritide quidem sanus fit, verum vigesimo suppuratur, & plus tussiendo rejicit. demum vero revomit, & non adeo facilis curatu est.* En, quomodo Hippocrates se ipsum interpretatur in his duobus locis, idem esse quod dixerat in titulo febris singultientis ac nunc in titulo pleuritidis. Patet: nam in utroque loco eadem ponit signa singultuosæ febris. Patet etiam, in pleuræ regione focum esse hujus præfatæ febris: in hac enim sola accidit legitima pleuritis. at productus affectus est hujus membranæ inflammatio: quod secundo inquirimus. cujus autem conditionis sit, illud altius expendere oportet.

Hipp. 3. de Morb. text. 19.

Triplicem pleuritidis sortem nobis in hoc loco Hippocrates ob oculos proponit; & ut ex differentia certior eliciatur prognosis, ex supervenientia symptomatis: est enim singultus adaucti morbi signum. Et, ut consensus vera eliciatur ratio, ideo hanc divisit in benignam, mediam, & lethalem. cum omnis ortum ducat à bilioso sanguine, aut sanguinea bile, (si illa est legitima futura;) prout ad invicem alter alterius furatur qualitates, & aut illas intendit, aut remittit. Harum tamen distinctiva signa in hac sententia conceptis verbis docuit. Nam hæc censetur benigna, cujus causa, ab eo quod resudat, facile anacatharsi ducitur. ideo in sanguinea rejicit subcruenta; & subbiliosa, in biliosa. Hoc est, dum sputo, quod ex sola pituita educitur, sanguinis aut bilis, ab inflammatione resudatæ, quantitas non magna permiscetur. Hoc enim Hippocrates dixit subcruentum, aut subbiliosum. In hac dixit Hippocates, quia certe benigna, *calidis fomentis tentare non est abs re. Et in hac sorte*, inquit, *sanguinea est biliosa mitior, si non ruptiones habuerit: biliosa in dolore & calore intensior, non ideo lethalis.* Media pleuritis est illa, qua cum sputo simili jam dolor pertendit ad claviculas vel ad partes septo superiores, magis intensa febre, spiritu difficili, dum ulterius epiginesi serpit inflammatio. & in hac *internam cubiti venam secare, expedit*, dixit Hippocrates & Galenus confirmat. *Sanguinea vero*, (dixit in primo allegata sententia) *fortis, & dolorosa, & lethalis est*. Hæc est tertia pleuritidis species. Hic Hippocrates per sanguineam illam pleuritidem intelligit, quæ ruptiones habet: non qua sputum parum sanguine permiscetur; sed dum biliosus sanguis aut acerrima bilis, partem, ubi est inflammatio, adeo corrodit, ut osculis venarum adapertis, sanguinem fundant, velut à ruptione. Et hoc est maximum hujus affectus signum, si cum saliva sanguinis grumos tussiendo rejecerit, hoc est, sanguinem ab sputo & saliva separatum & concretum. ut nos vidimus. præterquam quod hæc fortis & dolorosa est: cum in illa omnia pleuritidis symptomata causæ acerbitate intensiora fiant. Sed illud erit ultimum lethalis affectionis argumentum, si simul affuerit singultus: quem à consensu partis inflammatæ cum ventriculi ostio, forte œsophagi principio, fieri, nemo ambigit; sed nemo reddidit rationem consensus.

Hipp. 2. Acut. 1.

Text. 10. seq.

Hoc nobis restat ultimo, quod præcipue eliciendum puto ex illo Aristotelis contextu. illud constat ex Philosopho, sternutationem pertinere ad ventriculum: singultum ad pulmonem. Dicit etiam, cerebrum cum pulmone consentire, & ad hoc manifestas esse vias: quod utrique communis ostendat respiratio. Hæ viæ sunt superioris pallati orificium, & asperæ arteriæ principium: ubi est manifesta canalis, qua aër defertur ad pulmonem, & expirant fuligines à corde. sed una alteri est contraposita superne & inferne, quo facile ab hac ad illam feratur communicatio, aut flatus, aut humoris; perque utramque viam communis utrique fit respiratio: ut dixit Aristoteles: ideo per nares & per os ingreditur & egreditur aër, quo ipsa respiratio celebratur. Nondum adhuc videmus, qua consensus ratione concitetur singultus; & per quas vias deferatur consensus à pulmone ad ostium ventriculi. quod est necessario futurum. Hoc colligitur ex Aristotelis verbis, quæ sequuntur: *Cum vero compatitur locus inferior*, inquit, *fit singultus*. quis nam sit iste locus inferior, nec Septalius dixit, nec Gorrhæus. Mihi tamen videtur, in parte superemineнti situm esse cerebri collatorium, in osse idsmoide, per quod crudor cerebri expurgatur. In parte inferiori contraposita duo patent canales. quorum alter ad ventriculum fertur: alter ad pulmones. hunc excipit œsophagus: illumque epiglottis. Quare, cum ex pulmone ad cerebrum ascendit aut flatus aut humorũ colluvies, hanc dum per cerebri collatorium natura extrudere conatur, facillime descendit ad locum inferiorem contrapositum, nempe ad illam partem œsophagi, quæ ostio ventriculi patet. quod cum natura sentit, ventriculi facultas expellens irritatur, illiusque expulsioni gliscit. hinc continenter concitatur singultus, pulmonis sympathia & viarum consensu. qua prorsus ratione dum inflammatur pulmo, aut partes circa illum, ut pleura, ut inde fiat magna aut maligna inflammatio, si tantum ab inflammatione resudat, aut tam pravi humoris, ut non possit liberali anacatharsi duci, pars illa, quæ ascendit per canalem arteriæ, facile ab epiglottide ad vicinam œsophagi canalem comeat aut producitur, ut inde singultus concitetur: non ex eo tantum, quod siccitas, inducta ab inflammatione, aut resudatus humor, concitet expellentem; ut plerique

que dixere: non est enim ab una ad aliam regionem facilis resudatio. Et adhuc hoc concesso, potius, qui transcolatur humor, ad cavitatem decidit, quam duriori tunicæ adhærescat. Aliam super istam annectere decrevi rationem, posse nempe singultum concitari in hoc casu, dum pectore inflammato, pulmo maxime dilatatur in respiratione, cum usus extreme adaugetur: nam cum altius cogitur respirare, ventriculum comprimere est necesse: qua percepta compressione, ventriculi expellens ad expellendum surgit, & motu concussivo, dum se comprimit, extrudere conatur quod molestiæ sentit, magnaque sui corporis compressione singultum edit.

Diximus, per quas vias: nunc restat, ex qua forte consensus. Triplex enim in corpore nostro observatur: seu materia aut virtute non debellata, alias præpedita, ne confluat ad partem, quæ cum prima consentit; ut paralysi accidit: seu dum ab una ad aliam plus confluit aut flatus aut humoris, quã ex naturæ præscripto confluere deberet; ut, dum in ileo concitatur singultus, cum ex eo, quod resudat ab inflammatione intestini, partem ichorosæ materiæ natura motu peristaltico compellit ad ventriculum, ex qua illa noxa se ipsum convellendo concutitur: ut accidit etiam hepate inflammato, pari consensus sorte, & in antea præcitata pleuritide, si Hippocrati credimus. Sed hoc maxime accidit injuria partium communi officio dicatarum.

Illa tantum nobis restat instantia, qua fortasse criticus hæsitabit: pene infinitas observasse pleuritides, septi transversi & pulmonis inflammationes, & has sane gravissimas, malignitate, phlogosi, & periculo; & nullam ex illis singultum attulisse: quo videtur suspicione non carere sententia. Ita fateor, & ingenue fateor, illud frequenter advenire: quippe nec ex Hippocrate colligitur; sed ut mirabile interdum spectari. Hujus tamen mirabilis est aliqua ratio in natura: cum illius respectu nil fortuito accidat. bene poterat quispiam suspicari, quod sicut in textu antecedente Hippocrates agit de permutatione febris ardentis in peripneumoniam; sic etiam in hoc loco de illa, quæ in pleuræ inflammationem commigravit, ut inde etiam epigenesi serperet inflammatio in ventriculum, prima in thorace manente, neque priori foco derelicto. Hoc tamen non excusat reddere rationem consensus. Detur etiam, quod sola thoracis inflammatio singultum edat, ex sola sympathia, & hoc in uno singulari ægroto, nos illud non vidisse, possibilitatem non excludit: nec Senis auctoritatem demolitur: nec, quod majus est, rationis solertiam. Ideo nos in hoc casu divinum, abditum nempe, & latentis energiæ quid esse in hac sententia existimavimus. Et præter illa, quæ dicebamus antea, alius sese nobis obtulit consensus, nervorum ratione, ab illis nempe, quæ tendunt à thorace ad ventriculi ostium: sicut videmus ex pari nervorum sympathia inter septum & cerebrum perpetuum delirium. quod meo videri in nostro casu est sane demonstrabile. Sextum quippe nervorum par amplissimum, per omnia fere viscera divagatur & excurrit, & per calvariam egrediens, per carotidas ad jugulum descendit, & hinc in tres surculos gradiens dividitur: quorum dexter arteriam axilarem amplectitur, & per eam reflexus, per trochearum orbiculos trajicitur; inde sursum ascendit in musculos laryngis, per ramulos immensos. at surculus sinister in dorsum detorquetur, & maxime arteriæ truncum circumplicat: hinc nervi recurrentes vocales, quibus surculus primus præfinitur. Secundus autem sextæ conjugationis ramulus, per latera costarum excurrit, non tantum ad musculos thoracis, sed ad septum & pleuram. Tertius vero insignior & clarior ad ventriculum fertur, ad os maxime ejus: cujus beneficio tam exquisito sensu insignitur ventriculus, ut os ejus Veteres cardiam appellarint, ob sensus acrimoniam: ac ideo in illo appetentia animalis insidet.

Si ergo tam mirabiles advertuntur consensus inter ventriculum & cerebrum, ob solam nervorum sympathiam, inter musculos temporales & oculos, inter aures & linguam, inter septum & cerebrum; quid mirum, si ab eodem trunco thoracis & ventriculi nervi processerunt, quod ad unius affectum, & maxime insignem, compatiatur alter? si maxime nervi ad magnitudinem aut malignitatem inflammationis retrahantur, tendantur, torreantur, aut deferant in ipsum os ventriculi resudatos ichores, acerrimos, malignos, & ustivos. sunt enim admirabiles & occulti in natura consensus.

Ob venas etiam est mira sympathia inter mammas & uterum, & thoracem & testes: ob arterias inter cor & ventriculum: ob nervos inter calcem & cerebrum. ut inter partes corporis universi sit mirabilis ad omnia consensus. Quid ergo mirum, raucum inde singultum oriri & molestum, in inflammatione, septimo terminanda: urens enim febris, est morbus acutissimus: maligna thoracis inflammatio, est extreme acutus, cordis vicinia & respirationis interceptæ periculo: singultus importuno labore periculo celeritatem addit, ut septimo accidentium immanitate perimat. Quod si naturæ magisterio, quod in omnibus momentis fide caret, rarissimo miraculo diei & morbi superentur discrimina, aut fortasse rectæ curationis privilegio artis & naturæ præsidia prævaleant; periculum mutabit, non ex toto effugiet. Evasionem enim diei ambigua excipit & anceps suppuratio, nisi tussi, libera & liberali anacatharsi futura, empyematis materia expurgetur. Sin aliter, suppuratur vigesima, phlegmone in sanguineo, citius bilioso, tardius in miscella crassarũ. felicitas erit, si postea in tempore & loco ad salutem rumpatur; & ab eruptione, si quadraginta diebus citra typsis periculum anacatharsi ducitur: tunc enim certius pollicetur salutem, si cum febris carentia ciborum appetitus restituitur.

TITULUS III.

De quarta specie singultuosæ febris, calcis syderati consensu.

Est tandem sors ultima singultuosæ febris, quam etiam Hippocrates asterisco notavit, calcis luxati, inflammati, syderati consensu. De hac est singulare exemplum in libro de Fracturis. Sic legitur in Leoniceni versione: *Quicun-*

Hipp. 2. de Fract. à text. 16. ad 23.

Quicunque ex superiori loco saltantes, calci vehementer insistunt, his ossa deducuntur, venæ sanguinem fundunt, carne circa os attrita: unde magnus tumor & dolor: diuturna res est, & molesta. quare, quæcunque hoc modo corrumpuntur, præter aliam noxam, corpori summum quoque periculum afferunt. Sequuntur enim febres acutæ admodum, continentesque; cum tremore, singultu, mentis alienatione, quæ paucis diebus hominem præcipitant. &c. Ad hanc sentent. est Galeni judicium.

Gal. Comm. in 2. Hipp. de Fract. text. 23.

His calx corrumpi solet, non eadem causa, quod os alienatur; sed quia ad partes, quæ ipsum cingunt, ipsique alligantur, ejus vitium pertinet. Id circo etiam superiores corporis partes oblæduntur. Chorda igitur, quæ calci annectitur, ubi inflammatione tentatur, musculos quidem superioris partis cruris consortio afficiet, cum ab ipsis oriatur: quibus musculis affectis nervi, qui per os distribuuntur, prompte læduntur, ut arteriæ, per quas cor noxam sentit, sicut per nervos cerebrum. Sed quoniam cor innati caloris fons est, & rationis cerebrum domicilium, partes movet per musculos ad arbitrium: inde consequens est, ut febris oriatur propter cor: mentis alienatio propter cerebrum: tremor, nervorumque distensio, propter musculos: & propter stomachum singultus, qui plurimum nervosus est. &c.

Focus hujus singultuosæ febris est in calce, ubi deductis ossibus, venæ sanguinem fundunt, carne circa os attrita: unde, repletis spatiis & venis à confluente sanguine, magna & dolorosa inflammatio, ex qua putridæ & calidæ fuligines, delatæ per arterias & venas, quæ à parte inflammata in cor tendunt, cordis calorem convertunt ad igneam naturam. chorda vero, quæ ossi alligatur, per consortium etiam inflammata, musculos allicit in consensum: & his affectis, qui per illos & per os distribuuntur nervi, facile retrahuntur, ut inde tremor & nervorum distentio oriatur propter musculos, & propter stomachum singultus: quia nervosa substantia intertextus: nam nervis convulsione tractis, tractio sentitur in ventriculo, qua percepta expellens concitatur, & motu concussivo corpus ejus comprimit, mox dilatat, ut hanc perceptam noxam à se pellat. quod proprie dicitur singultire.

Ut ergo hæc omnia clariora reddantur, scire decet, multiplices esse in corpore consensus, ex quibus inter partes etiam oritur sympathia. Primus est generalis, quo partes omnes corporis universi conservantur. quoniam eadem forma vivunt, & participant de communi influxu. & hæc consentiunt in illa communi sympathia: quoniam *est natura communis una.* Hinc in subito tremore omnes corporis partes cordi auxiliantur, aliisque animi passionibus consentiunt. Est secundus consensus peculiaris inter partes corporis unius, cum passiones suas ad invicem communicant, suas nempe affectiones & morbos. Quod fieri tripliciter nos docuit Galenus: aut enim oriuntur consortia, ob viciniam, aut ob familiaritatem generis, aut operis. Vicinia consentiunt, cum odoribus cerebrum, cum inguinibus jecur, & sub asellis cor. In genere consentiunt, nervosum & arteriosum genus, cum venis & arteriis: & ita ventriculus & cerebrum, cum calce inflammato: licet etiam per venas & arterias cum jecore & corde in opere consentiunt. mammæ & thoracis regio cum utero & genitalibus membris per venas mammilares. Sunt etiam consortia, ubi communes vias partes inter se sortiuntur; ut pedes cum inguinibus, & manus & brachia sub asellis, & partes anteriores pudendi cum præputio. Ob partium rectitudinem fit alius consensus; veluti inter pulmonem & cerebrum, ut per canalem pulmonis, pallati orificio è directo oppositum. sic etiam consentiunt, dextra cum dextris, sinistra cum sinistris. Fit ultimo consensus, dum pars una principatum aut imperium obtinet super aliam, in facultate, in motu, aut substantia. Sic septum transversum læsum, motu pulmonem lædit: læso cerebro compatiuntur nervi: læso corde, arteriæ: & venæ, læso jecore. ac tandem ventriculo patiente, intestina. Sed læsiones, quæ ex illis eveniunt, reducuntur, vel ad non recipere necessarium pro vita aut actionibus edendis; vel ad recipere illud quod valet lædere actiones: & utrumque ex consensu aliquo ex prædictis, vel ob certam cognationem partium inter se, si non etiam propter similitudinem aut continuitatem. Sed adverte, quod pars, quæ primo consentit, semper aliquam noxam præ se fert, ubi maxime, quod non decet, amandatur. veluti, cum ventriculus patitur, hepate suo officio non fungente.

Hipp. lib. de Alim. 1. de caus. pul. cap. 12.

3. Epid. Sect. 2. text. 4.

2. Acut. 4.

13. Meth. cap. 5.

Galenus tantorum malorum causam ad unicam nervorum sympathiam reduxit: sed maxime singultus. Attamen reddidit rationem consensus Lib. 3. de Locis Affect. cap. 7. hæc sunt Galeni verba: *Sic nervosis partibus inflammatis promptius quam reliquis delirium supervenire solet, idque ascendente ad caput interdum per continuas partes solo calore, interdum vero spiritu vaporoso, vel fumoso, vel fuliginoso.* &c. quod ille sit principium & causa aliarum. Nec dubito, nec dubitare licet, ob sensum exquisitum nervorum. Sed in hoc est alia præsupponenda causa, quæ non tantũ coadjuvet, sed sit causa magis immediata graviorum symptomatum: nam hic rationis domicilium condolescit: nervorum principium coafficitur: cordis calor accenditur: ventriculi harmonia confunditur: sanguinis generatio in hepate corrumpitur: sanguinis massa ebullitione corruptiva degenerat in bilem: ac tandem tota corporis œconomia permutatur. Hæc omnia ex ligamentorum, nervorumq; inflammatione condolescunt: sed ex alia causa magis immediata producuntur. nam ex illa prima causa oritur inflammatio, hinc vigilia & doloris acerbitas bilẽ assatam gignunt, naturalem exurunt, continenter, perenniter: unde pravorum succorum uberior proventus, malignæ cacochymiæ occasio, quam certa consensus lege partes illæ refundunt in ventriculum: unde pravus singultus, absque levatione à bile propagata & in ventrem refusa. Ideo sympathia nullam morbi levationem affert, morbi primigenii, à qua nascitur: quoniam excursus illi symptomatici fiunt, non relicto priori foco; ut in capitis tromate crebra bilis vomitio nullum morbi primigenii levationem affert, imo gravioribus malis ægros cumulat, à bile in alvum propagata & in ventrem refusa. Ideo etiam pars affixa calci, quæ trium musculorum insignium chorda est, cum inflammari cœperit, convulsionem ciet, doloris cruciatu intolerabili, & in contussione venæ sanguinem fundunt, & nauseabundæ producunt

Gal. lib. 3. de Loc. Aff. 7.

2. Coac. 26.

cunt echimosim, quæ interdum putrescit, & postea corrumpitur: ut inde venarum insignium sympathia ad jecur referatur consensus & in patiendo condolentiam, & sociorum nervorum & chordæ, quæ ossi alligantur, ad cerebrum, & ad cor, per arterias: unde acuta febris: & bile in ventriculum refusa, nausea importuna & singultus. haud secus ac bilis vomitio in nephritide, quæ oritur, dum ex doloris immanitate tota sanguinis massa in bilem meraciorem vertitur. Ergo licet in calce sit malorū origo, alia causa sit postea, magis immediata morbo, aut morbis, qui sequuntur. Quare, ut vera censeatur Hippocratis sententia, non tantum est necesse, ut noxa chordæ & calci inferatur; sed ea certe magna cum inflammatione, & prava corporis cacochymia, ut inde timor sit graviorum malorum & singultus.

Horum tamen sunt certe præsagia lethalissima. Est enim singultus & delirium epiphænomenon, seu adaucti & ad summum evecti morbi signū. quod cum accidit, longe à morbo superatur natura. Tum illa bilis ad alvum propagatio & perennitas, non tantum est soboles malignæ cacochymiæ; sed altius radicatæ & ad summum eversæ intemperiei, quam transmittit venarum nauseosis, aut livor & gangræna, & venarum insignium echimosis: si non (quod magis lethale esset) singultiendi importuna concussio inflammationem ventriculo lethalem concitaret; quod aliquando accidisse nos Hippocrates docuit: *A vomitu singultus, aut oculorum rubor, malum.* Nam *duorum alterum ostendit*, (dixit in commentario Galenus) *vel cerebrum nervorumve principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem. Rubor verò oculorum utramque sequitur affectionem, sed maxime illam quæ in ceebro existit similis inflammationi.* Et ob hanc rationem in ileo est lethalis singultus, motu intestinorum peristaltico sursum natura movere contendente, exitu inferius denegato; ut Galenus est auctor: unde pravi ichores ventriculi ostio recepti, forte inflammationem inducentes, aut prava virulentia irritando, singultum concitabunt, illum certe lethalem, in vix superanda tumoris magnitudine, & egerendi necessitate. inseparabile signum passionis iliacæ, secundum Galenum: tanto magis, quanto illud indicium est ad summum evectæ inflammationis, ac ideo omnino desperatæ. Propterea etiam inflammato aut syderato calce, spes est in angusto & fere desperata: cum ad nobilissimæ partis oppressionem accedat morbificæ materiæ perennis generatio, perennisque affluxus; maxime, cum calcis articuli vehementer attriti aut inflammati, sit fere impossibilis reductio, ut Hippocrates & Galenus advertunt. quando partis primario affectæ curatio consistit in eo, ut, si pungitur, pungentis affectus amoveatur, & dolores sedentur. si phlogosis obsideat, prius attemperetur inflammatio: si corrumpitur, ut sistatur putredo, aut ex toto putridum abscindatur: ac tandem, ut ventriculi ostium roboretur, humoris obtusa penitus feritate. quo aliquid fortasse consequemur.

Hipp. 7. Aph. 3.
Gal. Comm. in Hipp. 3. Aph. 2.
7. Aph. 10.

STATIO VII.

De febre cum delirio, paraphrenesi, phrenesi incipiente & confirmata.

Nullus est pene morborum febre symptomatum feracior, ut ex antecedentibus facile quis edifcet. Nec ullum symptoma, quod delirio majorem vim naturæ inferat, nec quod occultioribus insidiis studeat, aut clam insidietur: plures enim delirium quam febris, non adhibita sedula providentia, interfecit. Nam cum ingruit, facile confirmatur: cum despicitur, causæ inveteratione fere nunquam demittit, febrisque ad summum jam evectæ est indicium, aut certe malignitatis soboles, inter pravas eximiæ. Par est enim utraq; operatio; par impressio: si maximè incipit à principio. Tunc enim longe deteriorem malignitatem arguit. ut in phrenitico, qui virulenta vomuit. Quoniam causa, quæ in sui principio operatur quod aliæ in fine, longe majorem activitatem & in passo minorem resistentiam arguit; sive ab agente valido illa inducta sit dispositio, sive ab ipsa patientis aptitudine: si non est excusatio in ipsa consuetudine delirandi, ex quacunque levi febre. ut nos in plerisque vidimus. *Nam leves & turbulenti homines deliri levibus de causis fiunt*: dixit Gal. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 16. Deliria enim causæ perennitate aut prava ustione superveniunt, forte malignitate cerebri calorem extraneante, absque eo quod illius gradus intendantur, dummodo viribus ignis extraneatus calor operetur: & utrumque, aut fonte impuræ cacochymię exhalante fuligines, aut ex prava metastasi in cerebrum humore irruente. Est ergo *delirium*, in genere, *phantasiæ aut æstimativæ depravatio, cum erroris assensu.* Hanc autem depravationem fieri ex duplici principio nos Hipp. docuit: ex motu nempe, & intemperie. sic legitur in illius contextu, 2. de morb. 3. *Desipit autem homo, cum sanguis in capite à bile aut pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus.* Tertiam causam nobis Galenus dixit, pungentem nempe humoris acrimoniam. sed hæc adaucti delirii est indicium. De quo postea latius.

Galenus. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 16.
Hipp. 2. De morbis 3.

TITULUS I.

De naturali & insito delirio, quod in vita communi ex receptaculorum præversione accidit.

Dari naturale delirium quis dicet? Nos non dicimus tantum; sed asserimus. Attendite ergo altissimæ Platonis Philosophiæ, divinisque Hippocratis arcanis. Non est enim vulgaris hæc doctrina. Antequam ad delirium, prout est febris symptoma, aut per se ipsum morbus, accedamus, de errore, qui à primis elementis, potentiis rectricibus, contrahitur, & in vita communi observatur, prius dicere placuit. Nam ex illa doctrina per abdita arcana Philosophiæ fit transitus ad ea quæ sequuntur. Sic Plato, in amoris furore: *Cum enim sensus*, inquit, *animam vehementer pulsaverint, & possederint*, (ipsorum instrumento alienato) *anima, cum mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur. Tota igitur anima undique saucia, stimulo concita-*

Plato, in Phadro & in Thimæo.

concitatur & angitur: ex utrisque paßionibus vexata, vehementia scilicet & novitate, velut anxia furit & insanit. Sic enim affecta anima, præ furore neque diu quiescit, nec consistit, neque dormire potest, usque dum furiosus influxus lenius minusque fluat, animæque circuitus tranquilliori motu iter suum peragant, processusque temporis sedatiores fiant, & in figuræ & temperiei, naturæ suæ congruam, restituantur: tunc enim singulorum directæ conversiones, ejusdem & alterius naturam probe discernunt, cum hominem restituunt. Nam *cujusmodi sunt meatus*, dixit alibi, *& vasa per quæ excurrit anima, & sicut affecta, tum illa & quibus permiscetur, & se ipsa insinuat; sic homines aliter aut aliter sentire: (est enim & in vita communi sua cuique dementia) ob eam causam hujusmodi pathemata possunt emendari atque transponi: sed ipsam naturam inaspectabilem transformare non potis est*, &c.

Idem. Dialog. 4. de Rep.

In hujus doctrinæ confirmationem sic loquitur Hippocrates: *Porro, de animæ sapientia ac desipientia hoc modo se res habet, quod humidißimum est in igne, & siccißimum in aqua, si in corpore temperamentum acceperint, sapientißima sunt: quia ignis quidem habet humiditatem ab aqua; aqua autem siccitatem ab igne: uterque autem sic sufficientißimus est. Neque ignis, alimenti indigentior, multum procedit: neque aqua, motus indiga, multum levis redditur. sic itaque utraque & per se sufficientißima sunt, & inter se permixta. quod enim minime vicinis indiget, hoc maxime præsentibus obtemperat; velut ignis, qui minime movetur, non præ neceßitate; & aqua, quæ maxime, non præ violentia. Ex his autem anima temperata sapientißima est & memoria valentißima prædita. Si vero aliquo ascitamento utens, alterum horum augescat, aut contabescat, desipientißima redditur. Si vero ignis & aquæ temperamentum anima sortiatur, sit autem ignis paulo inferior, erit defectuosior: quia tardiorem motum faciens, segnius sensibus allabitur. & tales appellantur stolidi. Si vero è contra aqua superetur ab igne, imperiosior anima celerius mandabit, sensu, motu minus concentuoso. quo fiunt tales phrenitici & furiosi. Si vero amplius ignis ab aqua superetur: hos alii attonitos, stupidos appellant. Si vero amplius aquæ vis ab igne superetur, tali homini necesse est tanto acutiorem animam esse, quanto citius movetur, & ad sensus allabitur; verum minus constantem priori. Si vero adhuc amplius aqua ab igne superetur, desipientia erit valde ferina: acriori enim morsu concitantur, & quadam immanitate sæviunt: & tales necesse est somnia videre;* (hoc est, loqui non cohærentia: qualia per somnum repræsentantur.) *sapientis igitur, aut desipientis animæ, hoc temperamentum causa est: potestque ex diæta melior aut deterior reddi*, &c.

Lib. 1. de Diæta à c. 29. ad 36.

Hæc sunt à primis elementis contracta, dum in majori fabrica hæc permixta & refracta mixtioni concurrunt, cujus corporis vasa talem sortiuntur temperiem, prout excessus prædominantis imperat. quo fit, ut cum anima illis necessario operetur, videatur errore aut sapientia operari: non tantum in hac vita, communi, naturali; sed cum hæc vasa morbose, simili excessu, alterantur. Ideo cum illa pars cerebri, ubi maxime æstimativa aut phantasia residet, in vasis, tunicis, aut substantia, ab humoris incursu, aut subita & vehementi intemperie, lacessitur, animam in obedientiam solicitat, ut sub hac hæresi mentis, res aliter ac sunt æstimare videatur. Hæc enim sunt vasa, per quæ excurrit anima, in Platonis doctrina: inde raptum animum spargit in diversa, & sub hac mentis hæresi laudat diversa sequentes, neque sibi valet imperare: ac illum vitæ tædet, ab omni officio & occupatione avocatus: nullibi sibi placet, & nullibi quiescit.

Interdum in his adeo ignis superat, ut fiant animo puriori, & spiritus adeo defæcati & robusti, ut fiant collimando perennes. In his mens redditur vaticinando idonea: & quanto hi mentis acrioris redduntur, tanto dementiæ persistunt aptiores. Et de his dixit Plato: *nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ est*. Ita ut in illo siccitatis externo, & vita & mens periclitetur. De his enim legitur hæc Plinii sententia, quam nostris in Feraliis exposuimus. *Atque est etiam morbus aliquis per sapientiam mori.* Mori enim per sapientiam, est mori ex mentis acumine, extrema siccitate comparato. Et hi nunc pudore, nunc immanitate cœptorum efferantur animo melancholico, & pacato aliquando delirio, eo magis ignoto, quo majore severitate tegitur.

Plato.

Plinius. Lib. 7. Nat. Hist. c. 50.

Pro majori claritate hujus nobilis & abstrusæ Philosophiç attendo, quod mores, circa quos delirium versatur, alii sunt ipsa natura insiti: alii educatione instituti: interdum solertia & præsumptione comparati, vitæ & status mutatione. & hi in dictis & factis observantur. Primi insitam corporis temperiem, ex quatuor elementis refractis resultantem, pro causa nanciscuntur, ex illaque resultant: quæ cum per ætatis gradus permutetur, illorum haud est valde difficilis mutatio. Alteratione enim contraria delentur, saltem in melius mutantur; ut etiam soli & cœli mutatione, nec non & vitæ & status apta vivendi ratione. Sic inertes pituita, bilis mutantur æstu: & biliosi domita feritate mansuescunt. Hinc Germani, ut Tacitus est auctor, *ad ferenda suffragia in Comitiis, & ad magna negotia, dum vino incaluerint, fiunt utiliores: de pace namque ac bello ideo consultant in conviviis, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Detecta igitur ac nuda omnium mens, postera die retractatur, & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant enim dum fingere nequeunt: constituunt, dum errare non possunt.*

Tacit. German. cap. 3.

Instituti autem mores, præceptis naturæ, legum, ac Philosophiæ comparantur. Et hi versantur in ea parte animi, quæ mentis & consilii sedes est, & in omni morali virtute spectantur: velut in pietate & Justitia. Et quia animus illis inebriatur, fit illorum major inveteratio ex alta radicationis impressione. Ideo institutorum morum difficilior mutatio quam insitorum. *Est enim virtus habitus quidam ad recte operandum.* Ægrius enim inveteratio depellitur antiqua, quam recens perturbatio: illa enim diuturnæ impressionis fixa vestigia relinquit, ad summam curationis difficultatem, fortasse desperatam. Ideo mores naturales, & rationis vitia, solertia Socrates commutavit in virtutes mirabiles. Hoc tamen super omnia præstitit educatio: ut Plato per tot divina volumina exclamavit.

Hoc non solum tantorum virorum auctoritate nititur; sed, quod majus est, rationis splendore fulcitur: &, quod omnia superat, quando hæc omnia deficerent, sola experientia in singulis hoc digito monstraret. Hoc tandem monstrat ratio philosophica: nam, ut concinne operetur potentia,

tentia, congruam actioni temperiem requirit instrumentum, & in ipsis partibus instrumenti congruam unitatem, aptamque compositionem inter partes unitas. In speciebus etiam requiritur apta repræsentatio. quæ à duplici principio impeditur: seu, quia quid extraneum in illis misceatur, quod illarum perspicuitatem obscuret aut conturbet; ut pallor aut nigredo: seu quia non applicentur sub debita quiete; quod accidit vitio spirituum aut humorum, dum acriores, calidi, & mobiles redduntur. Nam ad illorum motum species etiam conturbatæ non recte potentiis applicantur; quæ applicationis depravatio est erroris occasio. Quare, si instrumentum in prima hujus corporis fabrica debitam temperiem amisit, nec aptam partium unionem consequitur, nec compositionem, quæ ad apte operandum requiritur; necessaria consequentia potentia non recte operabitur, & poterit à primis elementis & vita incipere delirium. Quæ depravata actio erit respectu principii, naturalis; respectu dispositionis, morbosa. Quo hæc Platonis verba clariora redduntur; nempe cum sensus animam vehementer pulsaverint, spirituum aut calidorum humorum excursu lacessita inferiore potentia: hoc enim stimulo anima saucia concitatur, & angitur ex utrisque passionibus, vehementia scilicet & novitate impetus & coloris adaucti vexata. Patet ex iis quæ sequuntur. hoc enim non sedatur, usque dum furiosus influxus lenius minusque fluat, & animi circuitus sedatiores fiant, inque figuram & temperiem, naturæ suæ congruam, restituantur: tunc enim singulorum directæ conversiones ejusdem & alterius naturam probe discernunt, cum hominem restituunt. Hoc etiam nos Hippocratis Philosophia docet de Igne & Aqua, hoc est, de portionibus quæ illis elementis respondent, dum in prima formatione temperata concurrunt, aut aliud alterum qualitatis aut
„ impetus excessu superat. In his, *inquit*, anima
„ temperata sapientissima redditur: si a. alterum
„ horum augescat aut contabescat, desipientissima.
„ Et ab hoc aut illo excessu, aut furiosi homines,
„ aut stupidi redduntur. Hoc tamen in omnibus
„ non æquali periculo. Nam in Principe illud men-
„ tis acumen, & rapidus excessus, (non furia per-
„ citus) non est tantum tolerandum, sed expeten-
„ dum, quia magnarum capax: ut in Prætore ma-
„ gnarum civitatum; quod civibus communibus
„ nunquam erit innoxium, quia rerum novarum
„ cupidi.

TITULUS II.

De Paraphronesi, hoc est, delirio per consensum: & partium aliarum Sympathia.

Paraphronesis est certa delirii differentia, per consensum partium aliarum à cerebro: licet assensus errori, (in quo formaliter delirium consistit) fit illarum potentiarum, quæ resident in cerebro. Hujus autem consensus occasio & causa multiplex esse solet; ut patebit per Galeni doctrinam discurrenti.

Primus delirii consensus observatur per incrementa febrium, aliquando ardentium, malignarum interdum. Sed sub hac differentia, ut interdum appareat ad speciem crisis; aliquando ad exhalationes, quæ cerebri substantiam aut ejus involucra intemperant. Sed adverte, (quod maxime ad curationem conducit,) ex Galeno 3. de Locis Aff. c. 5. *quod sicut duplex accidit intemperies, duplex quoque erit dispositionis modus: alter nempe in humoribus: alter in corporibus solidis, si jam humorum intemperies partes solidas penetrat. Nam facilius humorum intemperies depellitur; difficilius in corporibus solidis, altius radicata. Persæpe soli cerebri ventriculi afficiuntur, & non infrequenter vasa omnia: aliquando cerebri corpus universum penetrat intemperies, nec omnia simul affici erit mirum; & utrumque per se aut per consensum. si vero consensus est in fieri, causis efficientibus ablatis ipsa quoque affectio deletur. si vero consentientes partes permanentem dispositionem contraxerint, licet causa efficiens quiescat, ipsa tamen permanebit affectio, sympathia versa in ideopathiam.* Ideo deliria, quæ per febrium vigores accidunt, sunt propria consensus: ob illud mitiora.

Vide Galen. 3. Epid Sect. 3. text. 45. & 46. & 1. Prorrh. Sect. 1. text. 1.

Gal. 3. de Locis. Aff. c. 5.

Alia delirii per consensum conditio est, non esse continuum, sed deficiente consensu intermittere. quod deceptionis occasio plerisque fuit. Tu autem solertia considera, an delirium cesset hora determinata, & declinatione ab incremento febris: hoc enim tibi erit evidens hujus paradelirii argumentum, sive in intermittente sive continua febre. Solent enim interdum ægrotantes mitiori delirio desipere, & ad mentem redire, ut fere jam in tuto esse videantur. Nec illud tibi erit evidens consensus argumentum: nam perpetuum delirium non dicit semper & continuo desipere; potest enim pars tenuis humoris dissipari, modice temperari, aut illius acrimonia obtundi, aut quomodocunque aliter remitti, ut non ita importune potentias turbare videatur, ut cogat ægrotantem in continuo delirio & errore versari, empyrheumate semper in cerebro relicto. quo facile ex quaque levi causa recalescat. Sed ad mentem redire, non est ex aliqua ex causis supra dictis: imo neque determinato febris tempore.

Videamus, quid senserit Galenus in hoc casu. De hac consensus sorte, 2. de Sympt. causis. 7. sic loquitur: *Deliria tum pravi motus regentis facultatis sunt, tum vel ex vitiosis contracta succis, vel eorum quæ in cerebro sunt intemperie. Nominantur autem ex iis, quæ quidem cum febri sunt, phrenitides, quæ sine febri, maniæ. Ac reliqua quidem deliria ex mordentibus & calidis oriuntur succis, qualis maxime flava est bilis: sæpe etiam ex calidiori cerebri intemperie. Phrenitis non tantum ex calidis ortum habet succis: sed super id, etiam phlegmonem in cerebro & ejus involucris excitat. In reliquis vero febribus deliria fiunt, ejusmodi succo in cerebro exuberante. In iis vero, quæ in acutissimarum febrium summo incremento incidunt, vapor aliquis mordens ac calidus ad cerebrum ascendit.* Hic vere Galenus differentiam delirii constituit per se & per consensum: & delirium, ut par est, ceu genus, in varias delirii species compartitur. Essentiam in motus depravatione regentis facultatis posuit: causas, in humoris affluxu calidave intemperie. Phrenitidem postea, in phlegmone aut irrigatione in cerebro aut ejus involucris, à bile, quæ antea incanduit. Sed paraphrenitidem acutissimarum febrium symptoma esse voluit (adaucti morbi signum) ubi vapor aliquis mordens ac calidus ad cerebrum ascendit.

Galenus, 2. de Symp. causis. 7.

4. de Loc. 2. per tot.

Plura ex his elicimus. Primum, cum hoc nomen delirii simpliciter profertur, de miti & pacato delirio intelligi: hoc enim in Hippocratis & Galeni doctrina invenitur. Vxorem Antiginis dixit Hippocrates simpliciter delirasse. *Solet enim hujusmodi verbo uti*, dicit Galenus, *ubi parvam læsionem indicare velit. Nil igitur miri est, cum ipsa parum quidem desiperet, & propter internam inflammationem respirandi difficultatem evenisse.* Et hoc in majorem hujus delirii per consensum differentiam cedit, ut non sit cum furore. *Pythion, qui propter telluris ædem habitabat. cœpit primo die tremor à manibus, febris acuta, nugabatur.* Galenus in hujus Historiæ Commentario: *Nugatum esse*, inquit, *delirasse, desipuisse, dementem fuisse dicens. Quare, si nugatus sit Python, constat, modice desipuisse.* Semper enim delirium est parvæ dementiæ signum, si credimus Galeno. Ideo Methon sola capitis lotione juvatur, & cessat à delirio. Hoc etiam ex antecedentibus elicimus, quod paraphrenitis incipit à principio: raro enim phrenitis à principio incipit. Deinde, quod intemperies, quæ in cerebro contrahitur, à fuliginosa exhalatione ortum ducat, non adhuc ab humore imbibito. quo fit, ut per sola febrium incrementa perduret: & eo declinante, evanescat. Quod certe possibile non esset, si humor aliquis cerebri substantiam aut ejus involucra irrigaret. Hoc Galenus solita judicii solertia confirmavit. *Ergo cum pars aliqua*, inquit, *simul cum alia sic afficitur, ut irritata quidem una, altera vehementius molestetur: remissa vero irritatione quiescat, ea per consensum affici putandum est. Hæc quidem conjectura communis. sed de cerebro proprium desumitur judicium, si non assidue delirium permaneat; sed auctam febrem sequatur.* Alibi dixit: *Hypochondriacas vero & flatuosas vocatas affectiones melancholica tristitia sequitur, haud secus quam acutam febrem delirium. — Sic nervosis partibus inflammatis promptius quam reliquis, delirium supervenire solet; idque ascendente ad caput interdum per continuas partes solo calore, interdum vero spiritu vaporoso, vel fumoso, vel fuliginoso.*

Galenus, Lib. 3. de Diff. Resp. c. 11.

Hippoc. 3. Epid. Sect. 1. ægrot. 1.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid Sect. 1. ægrot. 1.

3. Epid. Sect. 8. 34.

Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 9.

Idem 3. de Loc. Aff. 7.

Quomodo hoc accidat in febribus, & sub qua cerebri dispositione, & per quas vias fumosa exhalatio ascendat, in libro de Hominis structura dixit text. 3. Sic: *Passio autem, qua phrenitis nuncupatur, ex perurentibus febribus fit: vaporibus enim ex visceribus per dorsum ad cerebrum emissis* (hoc est, per venas & arterias magnas, quæ præreptant per dorsum) *ejus humidum arescit, & homo mente captus efficitur.* Sed sub qua humoris dispositione, dixit alibi. Attende ad singularem bilis supernatantiam, ut præcisam delirii dispositionem. Hæc sunt Senis verba. *Phrenitis hoc modo se habet. sanguinis, qui est in homine, maxima pars ad prudentiam confert. quidam dicunt totum. Cum igitur bilis commota, ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consueta compage ac motione dimovet, & serosum facit, ac calfacit: calfactus etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat, præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente. Assimiles sunt his, qui ab atra bile delirant. Tanto autem minor insania ipsumque delirium fit, quanto paucior aut debilior est bilis, quam pituita, &c.*

Lib. de Hom. struct. text. 3.

Hipp. Lib. 1. de Morb. 48.

Quando bilis à sanguinis consortio separatur, supernatare dicitur, subtracto nempe vinculo

A

unionis, quo attemperationis beneficio non fruitur, ab hac aut illa causa. Sed inter alias illa ut potissima à Præceptore ducitur, quando commota bilis sanguinem dimovet à solita compage, ita ut serosus reddatur in substantia, cum nempe fit substantia tenuis, qualitate acris, conditione mobilis, & ad bilis naturam transmutatus: quo totum corpus & cerebrum calefacit, & motione spiritus & species conturbat. quo fit, ut non recte phantasia percipiat, & errore æstimativa judicet. Sic reor in delirio per consensum febris occasione accidere: sed promptius, ubi sola bilis putrescit; ex illo principio Philosophiæ, *Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est.*

B

Ne nos incauta prædicendi solertia decipiat, cautiores nos reddit Veterum observatio; non semper deliria per consensum incipere à febrili ardore: quoniam sunt alii affectus æque validi producendo delirio, quod non tantum paraphronesim, sed perennitate continuum etiam æmuletur. Sub quo militant longe diversa signa. Nam si evanescente abscessu, recursus ad pulmonem præreptet, & mortis & delirii ægrotum periculum subire, nos Hippocrates docuit. In hujus sententiæ commentario Galenus. *Itaque verisimile est, in pulmonem iis omnem secessisse fluxionem: & ob eam rem delirare eos ratio est. Siquidem id quoque unum ex iis habetur, quæ per tales in pulmone affectiones eveniant.* Forte, quia hæc membra suas affectiones ad invicem communicant. Nam, ut Hippocrates dixit, *Ex pleuritide transitus in febrem ardentem observatur, & ex phrenitide, in peripneumoniam.* Celebris est etiam à septo inflammato ad cerebrum consensus. De hoc etiam est celebris memoria in Hippocrate. *Phrenitides fiunt etiam tum ex aliis morbis, tum à septo. sed ab hoc hæc ægri patiuntur. septum transversum dolent, ut ne contingere quidem permittant; febris accedit; mente moventur; vident intentis oculis, & ut peripneumonici affecti sunt.* Nempe, ut in peripneumonia respirant difficulter. Exactiori tamen diligentia Galenus hujus consensus rationem perquirit. *At vero nunc eos affectus, qui superno consentiente principio ei adveniunt, perstringamus. Igitur antea quàm aliquis deliret, frequentem ac parvum: infestante vero delirio, multa varietate inæqualem spiritum reddit. Atque delirare etiam solent nonnulli ob vitium quod in ore ventriculi consistit, & febribus ardentibus, & pleuritide, & peripneumonia. Sed quæ ob septi transversi affectum accidunt deliria, non multum distant à phrenitide. quippe per cæterarum partium affectus, atque per febres ardentes delirium mitigari solet, quoties morbus declinare videtur. At phrenitidis propria præcipuaque nota est, nec in declinatione quidem febrium, delirium quiescere. Neque enim per consensum in hujusmodi morbo cerebrum afficitur, sed propria primariaque affectione laborat. Ac proinde paulatim constituitur hæc passio, nec subito delirant, vel affatim. ut in aliis partibus quarum nuper mentionem fecimus.* Quomodo vero hæc delirii continuitas sit intelligenda in phrenitide, nos alio demittimus, ubi signorum differentia hujus à legitima phrenitide exactius tractatur. Hic Galenus phrenitidis à cerebro & à septo differentiam realiter constituit.

Alii consensus in ipso delirio perpenduntur.

C

Hipp. 2. Prog. 68.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Prog. 68.

Hipp. 1. de Morb. 6.

D

Hipp. 3. de Morb. 9.

Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. c. 4.

E

F

Illud etiam ex hac doctrina quis fortasse eliciet; semper nempe delirium per consensum esse gravissimorum morborum consectarium, &

qui

qui alios superent in acutie, ut antea ex Hippocrate & ex Galeno legimus. Et ita sane monstrat experientia & auctorum decreta. Nihilominus tamen hoc non est de essentia delirii per consensum: quando illud accidere notavimus ex leviori causa; ut quando variolæ & morbilli erumpere incipiunt; & quaque leviori epilepsia. Quid multum? etiam ex validis odoribus homines delirare Galenus auctor est. Hæc sunt illius verba. *Ad hæc quod validi odores caput statim lædant, & impleant, & aggravent, & in delirium interdum provocent, argumento est, nonnihil substantiæ eorum cerebrum tentare. quandoquidem non ob solam communicatam qualitatem, in tam subitos tamque vehementes affectus incurreret. eademque ratione ab odore rosarum juvari consentaneum est.*

Galen. Lib. de Instrum. Odorat. c. 6.

Claudatur hujus discursus eruditio, quod in hoc delirio, quantumvis per consensum semper læditur cerebrum, & in eo animalis facultas, idque semper per se, sola vero respiratio per accidens; læduntur etiam spiritus, conturbantur species, cerebri constitutio, ut pars similaris fere semper, interdum ut organica; spiritus interdum corrumpuntur, ut in febre pestilenti interdū adnotavimus, cæteris alterantur. De hoc etiam luculentissimum habemus testimonium in Galeno. *Ita qui novit, facultatem animæ rationatricem esse in cerebro: deliria, phrenitidas, lethargos, manias, melancholias intelliget accidere, cum cerebrum, aut prima ratione, aut per consensum afficitur. Quemadmodum autem in actionibus, sic & in utilitatibus res se habet.* De spiritibus hæc legitur sententia. *Quare, sive constitutio cerebri offendatur, sive simul circa ipsum spiritus, sive caliditas sola; mors ex necessitate animalibus contingit. Atqui, nec constitutio brevi aliter offendi potest, quam per caliditatem immoderatam, quemadmodum est demonstratum, nec ipsa etiam hac amplius adhuc caliditas: sed neque quod restat adhuc tertium, spiritus scilicet ipse, occasionem aliquam habere potest alterius repentinæ corruptionis, præter eas quæ antea sunt relatæ, nimirum totius substantiæ ipsius evacuationem, & immoderatam caliditatem.* De cerebri constitutione violata est nobile exemplum in Hippocrate. *Qui à lapide percussus est*, inquit, *à Macedone, circa tempus dextrum, febris non vehemens, nil audiebat neque sapiebat: quinta mortuus est.* Hoc etiam est commune in omni cerebri commotione. *Præterea nonnulli*, inquit Galenus, *per vehementem capitis ustionem delirarunt, & per fortes ictus capiti addactos sæpenumero caros atque soporem vidimus.*

Galen. Lib. 17. de Usu Part. c. 2. in medio.

Idem Lib. de Utilit. Resp. cap. 5.

Hipp. 7. Epid. 48.

Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 9.

TITULUS III.

De alia paraphrenitidis specie, delirio & somno, nempe quæ veniunt ad speciem crisis.

Est etiam fugax aliquando delirium ex consensu jam commoti humoris, qui turgentis more ad motum concitatur, naturæ magisterio, fuliginoso vapore in conturbatione ex venis cerebrum conscendente, quo rectrices conturbantur potentiæ, ut inde ægroti inconcinne loquantur, indecore se moveant. quo in statu illud altius expendere decrevi, (ut certior instituatur prognosis) quando ex hoc delirio aut somno sit speranda crisis: & quando præsagium graviorum malorum. Sed quia in consensu somnus etiam militat sub aquilis & signis paraphrenitidis, ut etiam dicatur parasomnus, ideo sub eadem militia collocandum putavi.

De somno duæ leguntur sententiæ in Hippocrate; quarum una condemnat, altera laudat somnum. *Ex somnis in febribus timores & convulsiones, malum.* Quod probat in 2. Tempestate accidisse; ubi inquit: *multi erant comatosi, & delirantes multi, plerique vero ex somno tales fiebant.* Galenus inquit, *hoc illis accidisse magis intra quam extra naturam mota. Nam sicut à cibo ad somnum conversis impletur caput: Sic in plethoricis dispositionibus somni caput replentes, cerebrum implent, & gravant, aut intemperant.* quo ægros cumulat gravioribus malis: quoniam somni occasione recurrit intus cum spiritibus materia maligna & impura, occasio graviorum malorum. Est alia sententia: *Ubi somnus delirium sedat, bonum.* Quod etiam observatur, doloribus sedatis, & plerisque aliis affectionibus. Nam intus calore recurrente, si valens est natura, non debellata, non oppressa, succorum acrimoniam contemperat, humores concoquit, flatus dissipat, malignum extra pellit, morbificam materiam mitescit, vivifici caloris magisterio. quo fit, ut crisis rationem somnus etiam sortiatur: quamtumvis per consensum, si crisis in communi ratione accipiatur, non de vera & rigorosa crisi. Hæc enim, si credimus Galeno, *est subita mutatio per manifestas excretiones vel abscessus:* quæ in somno nō fiunt. Sed illam in illo crisis rationem sortitur, quod subito in illo ægroti ad salutem vel ad melius mutantur. In hujus confirmationem lege Galeni Commentarium in Prorrhet. *Vidimus enim*, inquit, *in ægris quibusdam qui tribus quatuorve diebus vigiles permanserunt, difficilem excitatu somnum supervenientem, qui prorsus noctu diuque perseverans, magnum attulit auxilium. Sæpius quoque & in infantibus somnum ejusmodi supervenientem, non uno die tantum: verum quoque & duobus ex ordine diebus, magno ipsis fuisse commodo conspexi.* Posset aliquis insuper dubitare, an somnus in hac linea crisis rationem sortiatur? sed adhuc illud nolumus improbatum relinquere. Celebris est illa Præceptoris sententia: *Somni arctiores neque tumultuosi, firmam crisim denuntiant.* Si tempore, loco, & occasione fiant. hoc est, firmam à crisi levationem, si ab illa somnus placidus accidit, seu dono divum gratissima quies: quoniam illud indicat, materiam crisi excussam, per somnum, & naturam ab onere levatam. si non dicimus, quod coctione mitificata materia, & viribus pepasmo recreatis, natura super morbum à somno dominetur, deque morbifica materia triumphet. quæ necessario ad crisim requiruntur.

Hipp. 4. Aph. 67.

Idem, 2. Epid. Sect. 3.

Hipp. 2. Aph. 2.

Galen. 3. de Crisib. 3.

Gal. Comm. in 2. Hipp. Prorrh. sect. 2. 29.

Hip. 1. Coac. 57.

Quare, somnus est certa lege criticus; incerta, symptomaticus: nam, si à morbo tumultuoso somnus placidus excipit, aut dormiendi invictam necessitatem importuna vigilia, morbo sane ad ista mitescente, cerebri intemperiem restitutam, physim redintegratam, ac morbum debellatum à victrice natura demonstratur, fuliginosis vaporibus dissipatis, qui antea cerebrum oppressum, aut pravis imaginibus perturbatum indicabant. Quæ est forte solutio illius quæstionis, quam proponit Hippocrates: *Sopor an ubique malus?* Nam morbo debellato jam mites excitan-

Hipp. 1. Prorrh. Sect. 1. 29.

tur vapores, qui primum sensorium obligant, non constringunt, mentis tranquillitate, & nectaris vivifici instauratione. Et hinc patet solutio alterius sententiæ, quæ in Coacis legitur. *Quæ in phreniticis memorantur insomnia, bonum denuntiant.* Est enim illa memoriæ recordatio placidi jam & non tumultuosi somni argumentum, & morbi debellati, ac victricis naturæ, de morbo triumphantis, & inoffenso cursu ad salutem. Nam somnus tumultuosus, est perculsæ mentis, & delirio proximus: facile enim tetra & commota exhalatione alienatur cerebrum, & alteratur calida. attamen hoc & illud facile ex urina distinguitur. Nam si cocta urina cum aliis conspirat, est certius laudabilis judicii argumentum: pravi autem in vigilibus, aut turbulentis somnis, urinæ dolores, aut certe perturbatæ, aut nubeculæ nigræ sublime petentes. sursum enim ferri indicant humores, per excursum aut ebullitionem concitatos; aut tetra & maligna ustione inducta. Quæ certe in turbulento somno jam indicant delirium præ foribus adesse: cum ipsa perturbatio sit mentis affectæ argumentum, & mens alienata opprimentis delirii.

Idem, 1. Coac. 91.

Hæc de critico Parasomno sufficiant, ut ad delirium, quod venit ad speciem crisis, accedamus. Illud antea satis legibus & præceptis statutum reliquimus, ut deliria, quæ febrium incrementa sequuntur, sint plane per consensum, semperque mitiora: cum etiam & ex Galeno constat, ad crisim, quæ jam instant, semper febres intendi. Nunc restat, quibus conditionibus ex delirio sit speranda crisis, & non vera phrenitis. Has expressit prudentissimus Senex, in quadam Coac. sententia. *Qui febrium initiis perturbantur, insomnes: & , si sexto sanguinis stilla, alacriores, ubi nox speratur molesta. & cum sudatiuncula & delirio sanguinem liberaliter fundunt, defunguntur periculo. Et talia denuntiat aquosa urina.* Prima conditio est, si febris initio perturbantur, hoc est, in primo quaternario, quo crisis speratur; & non ultra secundum. si verum est, quod Hippocrates dixit, critica non statim apparere, seu in morbi principio. *Perturbantur*, id est, ubi mente & animo subito ægroti percelluntur, ob sanguinis ad cerebrum excursum. Sed tunc unum duorum expectare par est, convulsionem, exitu denegato: aut liberalem certe hæmorrhagiam, si sanguini commoto patet exitus, ex alia Hippocratis sententia. Hoc enim secundum rationem speratur, si sanguinis stilla appareat in quarto (si verum est, quod ille quartus septenorum est index) cum hypostasi & urina laudabili; licet adsit delirium. hoc enim excipit & producit perturbatio, sed cessat hæmorrhagia: quæ est antea præindicata crisis, febris conditioni, tempori, & loco superveniens. Ad hæc omnia est Galeni judicium. *Vigilant enim magna ex parte, & graviter se habent, ac febriunt vehementius ægri, quanto propius ad judicationem accedunt.* Quod accidisse legimus illi, qui in Dealcis horto decumbebat: qui riguit in nono: postea deliravit: in somnis: undecimo sudavit, & erat febris expers. In Methone in quarto omnia exacerbata sunt: nox gravis: deliravit. & quinto è dextra nare sanguis affatim fluxit: sudavit, & judicatus est. Et Perieli in secundo omnia exacerbata sunt. In quarto ad meridiem sudor multus prorupit, & judicatus est. Mulier morosa, in febre exacte peracuta, in secundo & tertio deliravit; & graviter convulsa, sub noctem sudor multus prorupit, & liberata est. In hoc sensu prosequitur Galenus. *Prope judicationem spirant difficulter. — Adeo ut non solum rubra aliqua nubes apparens, antea non visa, judicationem significet, sed alba multo plus ipsa. Si vero velociter admodum morbus moveatur: & coloris & substantiæ mutatio futuro judicio sufficiunt. Tenuis itaque urina si mediocriter crassa efficiatur, aut ex alba pallida fiat: in tali morbo judicationem significat.* Ut tibi non sit mirum, si Hippocrates dicat, quod *talia denuntiat aquosa urina*: cum hæc expers omnimodæ coctionis videatur. Talis enim respectu perturbatæ intelligitur, quæ est certe mediocris, licet sit expers biliosæ tincturæ. Nam si natura in copia excretionis urinæ laudabilis crisis spem posuit, non potuit tantam urinæ copiam, coctione & bilioso calore adornatam, excernere. Quod in quadam Tempestate etiam Hippocrates & Galenus tradidit observatum. *Recordabor*, inquit Galenus, *quibus à crisi post multarum hypostaseis urinæ aquosæ contigerunt, multæ, sinceræ, tenues, ut Bioni, qui apud Silenum decumbebat; Crasiæ, qui apud Xenophanem, & Aretonis servo, & uxori, Mnesistrati.* Hæc eadem sententia legitur in Prorrhetico. Mos est enim Hippocrati bis & ter repetere quæ pulcra, ut etiam Platoni consuctudo fuit.

3. de Crisib. 2.

Hip. 1. Coac. 29.

2. Aph. 24.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 71. 2. Prog. 11. & 12. 1. Prog. à 13. ad 24.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 6.

Ægrot. 11.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 71.

Galen.

1. Prorrhet. Sect. 3. text. 40.

Hoc etiam confirmat alia Præceptoris sententia. *Quibus ineunte febre sternutamento excusso è naribus stillat sanguis in quarto, cum hypostasi alba, criticam hæmorrhagiam in septimo denuntiat, & febrem exolutam.* Nam idem valet in quarto è naribus stilla, ac nubecula rubra. hæc enim ostendit naturæ magisterium; humoris inclinationem ista. Nam quo vergunt & humor & natura, eo crisis inclinat. Est igitur delirium febris symptoma; cætera mentis perturbatæ accidentia: & ut crisim, ita mox defuturum delirium contestantur. Nam crisis signa cum ipsa crisi cessant.

Hipp. 1. Coac. 158.

Quid multum? si daretur casus, in quo febris ardens per veram crisim delirio solvatur, non tantum erit per consensum delirium, sed illud major consensus ratio. Attendite sententiam, est enim difficillima. *Febrium ardentium tremores delirio solvuntur*, dixit in Coac. Hipp. Et alio in loco, *Causo rigore superveniente solvitur.* Hujus sententiæ diorismus consistit in tempore, & loco, quo accidunt tremores & deliria. Nam pro tempore, ad crisim vel ad necem advenire cernuntur: quoniam tremores aut delirium antecedunt, aut sequuntur. Adeamus tribunal medicæ veritatis. Nam eadem sententia in Aphorismis legitur: *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.* Indigne Galenus tulit hanc sententiam: dubius in demonstratione. *Quæ enim*, inquit, *hanc febrem efficiunt causæ, in venoso genere existentes: quando ad nervos transferuntur, tremores faciunt: compatiente vero nervorum principio, etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio, sic & in omni alia febre potest fieri, & omnino ex arteriis & venis ad nervos transfluxus humorum noxiorum, sicuti rursus ex nervis ad has. Improprie igitur dictum est, febrem ardentem delirio solvi. Nam solvere apud Hippocratem sola dicuntur, quæ prorsus hominem liberant, non quæ alteram generant passionem, quæ sit æque quam prima periculosa.*

Hipp. 1. Coac. 138. & 141.

Idem, 6. Aph. 26.

Gal. Comm. in Hipp. 6. Aph. 26.

Pace Galeni dixerim, quod hoc ultimæ dictio-

ni non satisfacit, nec Præceptoris menti: ubicunque enim hæc eadem sententia est translata (& est variis in Hipp. lib.) semper utitur hac dictione, *solvitur*, hoc est, liberatur à præsenti discrimine, seu per ultimam morbi solutionem seu per translationem in alium affectum, lege critica relicto priori foco. Illa enim solutio nunquã extitit gravioris mali propagatio, nec ægrotum graviorum symptomatũ accessione cumulat: nam illa potius diceretur epiginesis quam solutio. Sic enim in Libro de Iudicationibus legitur: *quibus in febribus ardentibus tremores suboriuntur, mentis emotio solvit.* Leve delirium mentis emotio significat. Quare nos illam veram solutionem remur, non opprimentem, non lethalem. Nam delirium, quod ad tremorem sequitur, est criticum & fugax, levis perturbationis argumentum, quod crisim jam jam advenientem prænuntiat. Crisis enim nihil aliud est, quam materiæ transpositio subita (relicto priori foco) naturæ magisterio suscepta, si ad bonum: ad malum, si ex morbi imperio, erranti naturæ motu. Quare, si tempore, & loco in causone delirium ad tremorem sequatur, non est dubium, quin illa translatio, à natura suscepta, sit laudabilis crisis consocialis. Nam si esset pravæ metastasis consectaria, systrophicam inflammationem pareret, & loco levationis ægrotum symptomatum congerie opprimeret. quæ certe non esset solutio, sed gravioris mali propagatio. Et in hac sententia eo libentius persisto, quod idem Galenus dicat, quod *solvere apud Hippocratem sola illa dicantur, quæ prorsus hominem liberant, non quæ aliam generant passionem æque periculosam.* Si ergo Hippocrates in Coacis, repetita sententia in Aphorismis & Libro de Iudicationibus, semper hac voce utitur, *solvitur*, quare non judicabimus, quod febrium ardentium tremores delirio solvuntur, critice materia transposita, forte naturæ robore à cerebro expulsa ad nervorum principia, aut è contra; dum illa sunt ad crisim symptomata: si soli vehementissimi casus crises edunt; natura quærente vias, quibus morbificam materiam extrudat, aut transponat? Sed hæc sententia est inter veras ducenda, si critico die accidat, & pepasmo etiam præcedente, adque illam sequatur, aut sudor, fortasse hæmorrhagia. Hanc transmutationem solutionem dixit Hippocrates, quam natura tentat per sibi notas vias. Quoniam sat esse judicavit, causam illam morbificam à loco in alium transmutari, ut dicatur solutio: quoniam interim sentitur levatio prioris morbi; quæ solutionis rationem sortitur, licet non ex toto morbi levationem afferat. Hanc esse mentem Hippocratis, non dubito; ut constat & ex aliis locis: forte, quod humor, qui in venis crassior persistebat, naturæ magisterio transferatur ad nervos, unde subitus tremor: inde ad nervorum principium, pro illo delirio concitando, ut jam jam in vapores abierit cesseritque materia transposita. quo non sit mirum, ut ex illo transcursu observetur levatio. Ille enim est conatus ad crisim, forte ab Hippocrate in singularibus ægrotis observatus, ex quo illam regulam generalem constituit, quæ ex pluribus observationibus sic semper evenientibus comparatur.

Lege in eodem libro de Iudicationibus aliam Dictatoris sententiam. *Quibus in febribus ardentibus coxarum dolor, oculorum distortio aut cæcitas, aut testium tumores, aut mammarum elevatio, febrem ardentem solvit.* Et procedit: *si insuper corripiat rigor, exsudare solet.* En, in ardente febre, ubi focus est in venis, solutionis exempla, ex sola translatione, eaque sane non magna, nec ad loca magnarum fluxionum capacia. Hinc est alia fortasse translata ad oraculum, quando dixit: *A febre ardente habito, rigore superveniente solutio.* Et licet Galenus sudorem præsupponat in critico rigore, mihi solam humoris translationem à venis ad nervos ad crisim sufficere videtur, ut causonis levationem afferat. Nam empyrheuma & putridum humorem à cordis domicilio, & à foco, ubi febris fovetur, abducit, sola translatione. Et hoc certius erit, si in parvo corporis apparatu, & in critica die fit crisis. Hippocrates etiam rigore superveniente dixit, non sudore: qui si accidat, non est dubium, quin crisim feliciorem reddat. Et quando à febre detentum rigor occidit, non est in culpa hæc humoris translatio, sed virium defectus, quæ motum importunum ferre nequit: quia nec tempore nec loco concitatur, nec ab imperioso naturæ magisterio. At vero in causone illud est supponendum, tremores & deliria crisimis diebus advenire, virtute non prorsus debellata. Nam tremores, quos excipit delirium, indiciũ sunt rheumatis concitati, & humoris commoti, qui à venis transfertur. Quod si illa quævis conspicua vacuatio excipiat, erit certe ad laudabilem crisim. Sed licet nulla adhuc vacuatio concitetur, non sunt prorsus damnandi tremores, nec deliria, si tempore & loco superveniant. Nam vehementissimi casus, licet nullam excretionem concitaverint, crises tamen edunt, à venis ad alia loca materia transposita, aut sane tenuata, aut repulsa; si non mitificata pepasmo, salubriter panniculo carnoso deferatur: veluti in causone rigore concitato.

Inter criticæ alterationis concursus ab Hippocrate & Galeno mentis alienatio numeratur. *A furore*, dixit Præceptor, *difficultas intestinorum, vel aqua inter cutim, vel mentis alienatio, bonum.* Seu noxiis humoribus à capite ad inferna transpositis: *seu*, ut ipse Galenus commentatur, *ex vehementi motu causarum efficientium furorem, solutionem fuisse consequutam:* ut solent, in lentis, motus vehementissimi; & in acutis, casus inopinati: ut cum moderatus furor immoderatum excipit, media coctione aut tenuatione. Si ergo sola mentis alienatio intensior valet furorem solvere, validiorem alterationem inducendo, non erit certe mirum, quod febrium ardentium tremores delirio solvantur: si maxime illi à frigidiori causa; istud à calidiori concitetur. Nam, cum crisis sit vehemens & magna alteratio, illa omnia, quæ illam citatiorem reddunt, haud immerito critica dicerentur.

Nec ideo, quod mentis alienatio sit æque valida passio atque tremor, in cujus crisim cedit, non dicetur ægrotum non liberare, ut ratus est Galenus. Est enim valida, respectu cerebri patientis, ut membri nobilissimi, & sui ratione accidentis in essentia magni: non tamen respectu transmutationis, & accidentis, crisis ratione fugacis, cujus magnitudo à consensu remittitur. Hoc etiam paritate rationis probatur. Non enim minorem

Lib. de Iud. text. 11. — Galen. — Hipp. Lib. de Iudicat. — Idem, 4. Aph. 58. — Hipp. — Galen.

norem intulit vim naturæ epilepsia & valida convulsio. & hęc etiam cerebro nobilissimo membro accidunt patiente; nihilominus tamen apparent ad laudabilem crisim: non tantum in lentis morbis, sed in variolis etiam & morbillis (quod nos etiam in plerisque puerorum observavimus.) non tantum à venis ad nervos materia transposita, sed ad animæ & rationis arcem, & sensus & motus domicilium. Ex crisis etiam aliis differentiis, cor, cerebrum, & hepar, patiuntur alterationes satis validas, ut cardiacam vertiginem, delirium, dolorem, & alismum: nec ideo non ad salutarem crisim. Acuta febris est etiam validissima passio, & sola vehementi alteratione ab insania Alcippum liberavit, licet nullam excretionem concitaverit. Convulsio est etiam critica ad paralysim, ad colli & capitis dolorem; sola vehementi alteratione, absque ulla manifesta excretione. Rigor quartanum solvit & epilepsiam, sola materia transposita. Febris convulsionem, tenuata, discussa, in halitus conversa; si non mitificata pepasmo, qui calore comparatur. In Muliere etiam, trimestri fœtu gravida, quæ in littore decubuit, delirium crisim per sudorem excepit. Et, quod magis est, in Pythione delirium crisis fuit tremori. ultima & magna comprobatio præcitatæ sententiæ. Nam illo à tremore judicatus est. Melius enim erit, si ad tremorem delirium sequatur, quam è contra. nam, si tremor delirium subsequitur; & illud ab exhaustu ariditatem indicat; illud translationem, fere semper ad laudabilem crisim. quæ levatione beat ægrum, spe solatur medicum, ne desperato fluctuet sub timore. Nec illud miri erit in pulvere medicinæ versato, ut qui viderit inter medendum, quæ plus habent admirationis quam fidei: & in Hippocrate legerit, criticum esse, morbos minui, præter morem intendi, aut in alios morbos verti: & qui noverit, quod vehementior febris tardiorem exolvit: ac tandem, quod delirium in causone non tantum est criticum, materia transposita, sed illa delirii vehementia tenuata, ac in vaporem versa: quo etiam facile dissipatur, ut in crisim cedat materiæ morbificæ commotæ, & morbi, à cujus intentione superatur. Nec illud amplius probari optat. Nihil est enim in toto hoc volumine toties repetitum, nec exactius ad limam & lineam redactum.

4. Epid. 132. *3. Prog. 26.* *1. Epid. Sect. 3 31.* *1. Epid. Sect. 1. ægrot. 1.*

TITULUS IV.

An rectrices cerebri potentiæ in delirio seorsim lædantur: &, an omnes simul lædi possint in eodem affectu.

Illud prius ediscere oportet, quibus in rebus observetur delirium, ut, qua in potentia sit error, clarius dignoscatur. Pro quo illud prius suppone, quod nullam patitur alterationem rationalis anima. Hæc enim (ut ex Platone vidimus) operatur mediis instrumentis, per quæ ipsa excurrit. Et in his potentiæ materiales resident. quo fit, ut illis alteratis intemperie, perdita unitate, aut compositione, seu in modo substantiæ, potentiæ etiam à nativa operandi ratione alterentur, actione diminuta, depravata, aut penitus abolita, pro ratione læsionis instrumenti. in hoc enim aut defectus in privatione observatur; aut motus præter naturam alteratione inducitur. Motus inducti clarius observantur, in motu aut quiete, in cibi appetitu & fastidio, in somno & vigilia. A cubitus positione varia, in vitæ modestia, aut in verbis obscœnis; in recta veri intelligentia, aut opinionis probabilis vel falsæ. Mens enim tunc cum corpore læditur, & in errorem trahitur. Et illud signum, quod læsionem indicat adauctum, indicat etiam à natura recessum. Quæ in verbis observantur deliria, sunt in garrulitate, aut in verbis obscœnis, aut silentio, dum delirans animo pertinaci morem gerit. In moribus etiam observatur, aut à natura insitis, aut educatione institutis, dum valde in delirio pervertuntur; ut dum intemperatur modestus antea. Alia observantur in sensu acutissimo, aut omnino deperdito; ut si causa sitifera manente quis non sitiat, *his mens ægrotat*, dixit Hippocrates. Aut tandem, in corporis collocatione indecora, contra naturalem modestiam. In recta veri intelligentia deficit, qui assistentes ut inimicos petit, illosque necem illaturos existimat. Si quis ergo faciat aut dicat ea, quorum insolens est, hominem gravissime in moribus mutatum à se indicat. Illud etiam in plerisque ægrotis notavimus, si profusius, licet concinne & recte loquerentur, si contra nativam locutionis temperantiam, hoc esse delirii principium, & inde errorem potentiis incipere. Est enim illud cerebri intemperiei incipientis manifestum indicium. Nam, sicut in aliis morum dissimilitudo est phrenitica, sic in aliis verba multa (ut in Muliere morosa adnotavit Hippocrates) in plerisque oblivio, aut falso credita doloris aut laboris vacuitas; ut etiam non sentire, causa sentiendi superstite. Quod plerisque vidimus accidisse in morbis lethalissimis, ut non tantum non sentirent morbi & accidentium labores; sed robur & vires ostentarent, seque nihil mali sentire plane profiterentur: & hoc in omnimoda pulsus asphyxia, & vigore vitali penitus exoluto, algidisque extremis. ex quo amplius nunquam recalescebant. Quare, licet delirium sit mentis alienatio, ut tamen illa rationem delirii constituat, necesse est, ut potentia cognoscitiva assentiat errori: quoniam non solus error, sed assensus mentem alienatam reddit. Ideo Galenus, cum se delirio corripi videret, assistentibus dixit, *accurrite, antequam me prehendat phrenitis*: Sentiebat enim in se ipso, potentias errare, sed nondum errori assentiri. Audacia etiam nota est delirii, si credimus Galeno: maxime, cum impudens est.

6. Hip. Sect. 1. text. 31.

Hæ omnes deliriorum sortes in variis potentiis cerebri observantur. Quatuor in illo radicatas constat agnovisse Galenum, Aristotelem etiam tradidisse: *sensum communem*, nempe, *phantasiam, cogitativam, & memoriam*. An una sit, quæ per se solam hæc omnia munia operetur, Philosophis disputandum relinquo. Nam ad medendum majori distinctione opus est, & utinam sufficiat. Potissima sensus communis operatio, si Philosopho credimus, *est sensibilium sensuum externorum noscere differentiam, ut sensibilia discernat sensuum externorum*. Ideo communis sensus dicitur. Potentiam esse ab aliis diversam, Galenus clare docuit, ubi, postquam sensuum externorũ symptomata percurrit, *Ad hæc*, inquit, *duo alia symptomata sequuntur*,

Arist. 3. de Anima c. 2 *Galenus. Lib. de Diff. Sympt. c. 3.*

tur, vigilia nempe & coma, in primo sensitivo, quod aliorum respectu commune est. Quando nempe ligatur à vaporibus, aut expeditum manet. Hoc de Placitis confirmat, quando dixit: *Alteratio, quæ fit in singulari sensu, à principio emanante dignoscitur.* Hoc est, à primo sensorio, seu à sensu communi. Vltra hanc cognitionem aliam etiam possidere, dixit Aphrodisæus: *actiones nempe sensuum externorum dignoscere*: nempe oculum videre, auditum audire. *Communi enim sensu*, inquit, *sentio me videre, me audire.* quo fit, ut non tantum dignoscat sensuum externorum objecta; sed ipsorum etiam operationes. Visus enim à coloris objecto alteratur, quo videndi terminat actionem. Sed de illo sensibili non judicat: hoc enim proprium est sensus communis. ut etiam Aristotelis est expressa sententia.

[Margin: *Idem. 7. de Placit.* — *Aphrodis.* — *3. de Anima cap. 1.*]

De aliis potentiis sic legitur in Galeni contextu: *Reliqua vero animæ actio, quæ à principe facultate procedit, in imaginationem, ratiocinationem, & memoriam dividitur.* Ex quo fere manifeste convincitur, sensum communem aliam ab illis potentiam esse; illasque inter se longe diversas: nam versantur circa objecta, natura & essentia diversa. Quod etiam à Galeno probatur, in Historiis, quas in harum potentiarum læsione recitabimus. Est ergo sensus communis potentia, objectorum & operationum sensuum externorum cognoscitiva. Phantasia, est etiam potentia cognoscitiva rerum, quæ à sensu communi offeruntur; quæ etiam de illarum cognitione judicat altiori judicio. Cogitativa, est potentia, quæ circa res cognitas discurrit, & in rerum æstimatione assentit veritati, aut dissentit errori, in suo statu naturali. Memoria, est etiam potentia, quæ reservat species, & cæteris potentiis proponit. Quod triplici actu operatur. Primo, motu spirituum, ad firmandam speciem. actu reproductivo. Secundo, ad speciem impressam conservandam. Tertio, actu sympathiæ & invitantiæ, dum cæteris potentiis proponit & repræsentat speciem, postea memorabilem. quo in actu includitur actus reminiscentiæ, seu recordationis rei præteritæ, sub ratione præteritæ, sub certa temporis & loci differentia.

[Margin: *Galen.*]

Nunc restat, an unaquæque singularis potentia, aliis illæsis, singularem læsionem patiatur, in vera ratione delirii? An illud in sensu communi constituatur, non constat ex Galeno in relatis Historiis, quibus probat, phantasiam seorsim, cogitativam, & memoriam, lædi. Constat tamen, in sensu communi non tantum veram cognitionem esse sensibilis communis, sed operationum etiam sensuum externorum. Ergo in sensu communi potest dari delirium; & in effectu datur: quoniam, si ad delirium in aliis potentiis cognoscitivis sat est, errare in propria cujusque operatione, & errori etiam assentiri (quod opere, aut verbis, aut alia depravata actione manifestatur) pari etiam ratione in sensu communi hoc debet esse satis. Mihi enim nulla disparitatis ratio videtur esse, nec ex parte instrumenti, nec potentiæ. Nam omnes hæ facultates resident in cerebri substantia, ibique sitæ sunt. hujus tamen aut illius clarius elucet operatio in loco, ubi est aptior potentiæ temperies modusque substantiæ. Quando ergo in temperie lapsa, temperamentum illud alienatur, ad omnes facultates, quæ resident in ipso, alienatur. Deinde, essentia hujus aut illius facultatis, seu nativa operandi potentia; aut recte cognoscendi sensibilia, in sensu communi; aut imaginandi, in phantasia; in cogitativa discurrendi, in cimetria temperamenti cerebri, ad hanc determinatam actionem, consistit. Quare, cum hæc ad calorem pervertitur, hujus aut illius actio depravatur: si ad imbecillitatem, à privatione caloris aut frigore minuitur. Ergo hoc pariter accidet in sensu communi, aliisque potentiis. Et tanto magis hæc ipsa ratio roboratur, quando Galenus dicit, quod vigiliæ & soporis accidentia ad sensum communem pertinent, quando nempe vaporibus ligatur, aut nimio calore excitatur. Delirium ergo in sensu communi posse dari, non repugnat, neque à facultatis neque instrumenti repugnantia, si æque ad illum ac ad alias facultates intemperatur cerebrum, & æque hæc ac illa potentia alienatur illius intemperie. Neque mihi à ratione alienum videtur, spectra, quæ Galen. videbat, dum Romæ laboraret, festucarum in aere, & floccorum in vestibus, sensus communis fuisse delirium. Error enim hujus potentiæ spectatur, dum falso & apparenter videt spectra sensuum externorum. Assensus autem est, sibi videri quod illa videantur.

Transeamus ad alias læsionis species hujus singularis potentiæ, & aliis illæsis. Nam ex delirii speciebus facultatum internarum diversitatem & numerum Galen. venatur. Sunt enim quidam, quibus visa apparent quæ non sunt: alii, qui de repræsentatis neque apte judicant, nec concinne discurrunt, circa ratiocinia. Imaginationis & phantasiæ læsæ Theophilius Medicus est exemplum, qui cum alioquin prudenter se gereret, & ad interrogata responderet, præsentes quoque nosceret; tibicines tamen in angulo domus esse, tibiaq; assidue canere, falso existimabat, seque illos videre judicabat: ideo illi foras ut expellantur exclamabat. Isque jam morbi periculo perfunctus, omnium jam memoratorum meminit, singula etiam, quæ coram ipso praeterierunt, enarabat. Ex quo plane convincitur, læsionem in sola phantasia extitisse, cogitativa & memoria illæsis. Hoc etiam de Galeno plerique judicarunt, dum Romæ febre ardente laborabat, & festucas atro colore ex cubili pendere, & floccos in vestibus esse, falso existimabat, cum amicos loquentes audiebat: *statim intellexi*, inquit, *id ipsum quod dicebant, me fecisse. Cum vero sic animo constarem, ut rationalis in me facultas non vacillaret: Recte inquam dicitis, proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote. Illi autem cum idoneis irrigationibus caput foverent, —Verum postera die mitigata sunt omnia accidentia.* An hoc delirium sit sensus communis gentilitium, an phantasię, ad melius curandum non conducit: par enim ab utroque indicatur auxilium. Libertate ideo quisque judicet, quod magis suo singulari judicio assentitur: ne nos etiam delirare circa inutilia videamur.

[Margin: *Galen. 4. de Loc. Aff. c. 2. per totum.* — *Gal Lib. 4. de Loc. Aff. c. 2.*]

Solius cogitatricis læsæ illæsa phantasia & memoria, est aliud in Galeno exemplum. Hæc sunt illius verba: *Cũ Romæ quidam domi cum lanifico puero contineretur, surgens à cubili, venit ad fenestrã, per quam & ipse videri & prætereuntes videre potuit. Itaque ex vitreis vasis singula ostendens, interrogavit, imperarent-ne*

[Margin: *Idem, ibid.*]

ne ut illa projiceret. Illi vero videntes, ut ea projiceret, rogabant. tum ipse deinceps omnia arripiens ejecit. Postea juberent ne puerum quoque projici cum eos interrogasset, atque id illi jussissent, illico ipsum dejecit, quem ab alto cadentem videntes, suppresso statim risu accurrerunt, & confractum jam puerum sustulerunt. Hic læsum judicium videmus, phantasiæ cognitione integra: nam puerum & vasa novit, propriisque nominibus appellavit. In judicio tamen projiciendi ea, quæ deberent custodiri, erravit.

De singulari læsione memoriæ est celebris memoria in Græca Thucydidis historia illius pestilentiæ, quæ Athenas afflixit. Sic legitur in hujus Auctoris Latina versione. *Percurrebat enim universum corpus, à supernis partibus inchoans. Cui in capite primo sedes fuerat, malum. Et si quis fuisset ex majoribus periculis superstes, extremorum prehensio id significabat. Invadebat enim verenda, & in summas manus ac pedes, ac multi his amissis effugerunt. Sunt etiam, qui oculos amiserunt. Nonnullos vero oblivio cepit statim à morbo vendicatos omnium rerum pariter, nec agnoscebant seipsos quoque aut familiares.* Hoc etiam nos vidimus his diebus in hac Hispalensi pestilentia, ut quos febris invaderet, tam acta oblivio plerosque occuparet, ut velut attoniti jacerent, nec seipsos agnoscerent, nec familiares suos, nec alienos, neque cibum neque potum memorarent amplius, sed velut in ecstasim rapti viderentur.

Thucydid.

Quæ dispersa Galenus variis in locis de hoc assumptu dixit, hæc unico in loco compilavit. *Proximum est*, inquit, *ut rectricis actionis offensas enarremus, ac primum imaginatricis. Est igitur hujus quoque alia, veluti paralysis sive resolutio quædam, quam Græci Caron & catalepsin nominant. Alia veluti parvus quidam erransque motus, quod utique delirium vocant. Alia veluti deficiens & imbecillus, qualis in comatis soporibus & lethargis cernitur. Quin etiam ratiocinatricis functionis, quæ veluti paralysis est, anœa seu amentia dicitur. Quæ veluti deficiens motio est, moria & morosis sive fatuitas. Quæ veluti errans est, paraphrosyne sive delirium appellatur. Plerumque enim in utrisque simul delirium consistit, tum parum probe imaginando, tum parum apte ratiocinando. Est autem aliquando in altero dumtaxat, quod genus Theophilo medico ægrotanti contigit, cui reliqua quidem prudentia supererat, & disputandi, & præsentes exacte noscendi, cæterum tibicines quosdam angulũ domus ubi decubuit occupasse—. Quibusdam vero nulla aliena imaginatio visitur, sed perperam ratiocinantur, ratiocinatrice animæ parte iis affecta.* est error. *Veluti phrenitico contigit, qui fores sibi intrinsecus occlusit, ac singula vasa*, & puerum postea, *promens accedentes rogabat, num projicere juberent —. In quo se manifeste declarabat, nec in imaginatione circa ea læsum esse, & nominum memoria —. Quod autem & circa memoratricem animæ partem*, &c. *id didicisse ex Tucydide licet: qui nonnullos qui à magna illa Athenis peste convaluissent, eatenus omnium quæ præcessissent oblitos prodit, ut non solum propinquos, sed seipsos etiam ignorarent.* Sed nec exinde constat.

Gal. Lib. de Diff. Symp. c.3. & 2. de Sympt. Cauſ. c. 2.

TITULUS V.

An detur peculiare memoriæ delirium.

Illud pro constanti accipes, quod graviter læsa, imminuta, vel abolita memoria delirant ægrotantes. Hoc tamen est peculiare memoriæ delirium ex eventu: nam aliarum potentiarũ respectu illud delirium est actio; memoriæ vero imminutæ est passio. In phrenitide enim assentitur intellectus errori: in hoc vero memoria ab operando cessat. Vt hæc doctrina clarius innotescat, altius expendere oportet, quod in memoria triplex consideratur actus. Primus, est motus spirituum, ad firmandam speciem in potentia. Secundus, est ad speciem impressam conservandam. Tertius, est actus sympathiæ & invitantiæ, dum proponit & repræsentat speciem mirabilem cæteris potentiis. Et in hoc actu includitur actus reminiscentiæ, quæ est recordatio rei præteritæ, sub ratione præteritæ, sub certa temporis & loci differentia. Per se primo hos tres actus intensa frigiditas corrumpit: per accidens, debilitas nativa, seu tempore & ætate comparata. Humiditas minuit, aut ex toto abolet. Et tandem siccitas, causarum inveteratione altius radicata, paulatim hos memoriæ actus delet, dum radicale humidum ebibit, depascitur & consumit, ut tantopere arida reddatur cerebri illa pars, in qua residet memoria, ut penitus specierum receptioni & impressioni reluctetur. Hoc nuper observavimus in Viro quodam nobili, quem mœror & mæstitia, ex præpostero anacardinæ usu siccitate in cerebro inducta, inceperunt à vita communi, & optimis consiliis deturbare. (mæsti ac timidi hominis ægritudo.) Timebat enim & secura & tuta, & de suspiciosis frequenter loquebatur. In hoc statu inceperunt tremuli quidam motus brachiorum & manuum, ut toto fere corpore contremisceret: ac tandem exiit de potestate mentis. Sed primo inceperunt actus memoriæ deficere, ut nec concinne loqui nec scribere valeret: nam in medio operis aut loquelæ subsistebat oblitus. Et tandem eo venit miseriæ, ut nec proprium nomen memoraret; nec filiam nec uxorem agnosceret, quas antea unice diligebat, obliteratis omnibus de quibus peritus erat. Et ad talem cerebri & corporis ariditatem venit, ut tandem arido sub marasmo devixerit: nec illi ulla supererant humiditatis signa. Sic etiam accidisse legimus Vinitori, quem Galenus enarrat, ex vineæ laboribus: & alio, ex labore studiis impenso & vigiliis. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.

Histor. Hispal. Anno 1639.

Galen. Lib. 3. de Loc. Aff. c 5.

Deinde in his eisdem causis alii effectus considerandi sunt. A frigida enim spiritus & densi & immobiles redduntur, & ita interdum coercentur species, ut nec memorativæ potentiæ offerantur, nec firmentur; utriusque defectu. Humiditate nimia species delentur, & diffluunt impressæ: quo facile memoria vacillat, temperatæ siccitatis defectu. Nec illud prætereatur, quod dupliciter aboletur memoria; vel idolorum impressorum interitu, seu abolitione; vel spiritibus torpentibus & immotis, ac speciebus non oblatis phantasiæ, aut non motis spectris ad intellectualem æstimativam: quibus illa agnoscat; ista judicet. aut ultimo, quia difficulter imprimuntur imagines, arida siccitate renuente, seu fluida humiditate delabente. Quare, si aliqua ex istis in memoria deficiat, ex eventu, non per se, in aliquo memorandi actu, inducitur delirium, illudque nec furiorsum nec per citum, sed velut quædã fatuitas aut amentia fatua: quia nulla potentiis rectricibus repræsentantur simulacra, & illorum defectu,

defectu, neque probe agnoscunt, nec discernunt. Si vero inordinate, aut saltem imminute, hæc illa simulacra repræsentet memoria, tales inconcinne & absque cohærentia loqui vides; sed miti & pacato delirio. Sic memoriæ defectu delirasse lethargicos plerique tradiderunt. Ideo memoriam thesaurum receptarum imaginum Aristoteles dixit: quia in illa reservantur species.

Hipp. 7. Epid. 83. *Androtalus* dixit Hippocrates *ignorantia & delirio laboravit in semi inchoata apoplexia.* Ad hanc Historiam est Galeni judicium. *Memoriæ læsio sæpe una cum læsione quadam rationis fieri conspicitur: quemadmodum & rationis læsio una cum memoria læsa, utriusque noxa ab eadem dispositione procedente, quæ ubi vehementius intenditur. simul cum memoria ratio quoque deperditur. stultitia talis affectus dicitur.* *Galen. 5. Epid. 76. & 3. de Loc. 5.* Sic in lethargo, ac omnibus soporosis affectibus, utræque pereunt: quoniam, quæ frigida omnino intemperies est, hæc torpidas actiones animales reddit. Sint tibi exempla, animalia per hyemis rigorem in latebris torpentia; medicamenta opiata & frigida, quæ torporem inducunt, innatum calorem minuunt. Ideo proprium caloris est, (si credimus Galeno) motus, vigiliam, biliosum humorem, varias deliriorum sortes inducere: pituitæ vero & frigidos humores, soporem & ignaviam. Hoc & illud per se primo, dum temperamentum evertit, in quo essentia facultatis & operandi principium consistit, activæ qualitatis efficacia operatur. At vero immoderata siccitas, vivifico nectare dissipato, & humido radicali absumpto, in cujus etiam moderata temperie, & modo substantiæ ingenito, consistebat potentia, facultatis essentiam velut secundario & per accidens dejicit. Patet ex Galeni contextu. *Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.* *Equidem novi quendam, inquit, qui ob laborem impensum in studiis, ob importunam & prolixam vigiliam, memoriam amisit, ipsa etiam ratione oblæsa. Novi etiam vinitorem agricolam, qui ob tenuem victum & vineæ labores recidit in eundem affectum.* Hæc omnia igitur argumento sunt, graviter affecta memoria, per consensum etiam reliquas potentias affici. Ad hoc tamen primas obtinet partes frigiditas: humiditas secundas: tertio in loco est siccitas, eo quo diximus modo. Fortius tamen, si frigiditas humori frigido copuletur. Nam sola humiditas longos somnos inducit; & siccitas, dum leviter impressa, importunas vigilias. De quibus est illud Hippoc. oraculum, *somnus, atque vigilia*, &c. *Hipp. 2. Aph. 3. & 7. Aph. 67.* Illud tamen Galenus advertit, quod frigiditas, humori copulata, inducat stuporem & soporem; sine hac vero, & nocendo memoriæ, stultitiam: licet Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5. hoc idem frigiditati tribuat. Quod utrumque cum vera doctrina consistit. Nam sola humiditas species defluere permittit, aptam impressionem renuit: frigiditas vero densos spiritus & immobiles reddit, specierum perspicuitatem delet. hinc illæ, nec offerunt spectra, nec apte repræsentant idolorum imagines. quo vel perit memorandi actus, vel potentia in totum aboletur. Vnde necessario phantasia & æstimativa feriuntur. quoniam rerum species & simulacra illis non proponuntur: &, si aliquæ, inconcinne adeo & diminute, ut omnis fere repræsentatio deleatur, atque ita nullo modo, aut prave, rectrices potentiæ operentur.

Hoc idem etiam sola imbecillitas aut defectus operatur; sive senio sive morbo contrahatur. Nam illa elicit actus memoriæ diminutos, & præ nimia siccitate in instrumento cerebri specierum impressio denegatur, ut de illis phantasia aut æstimativa non recte, aut solum sub ordine confuso, valeat judicare. quo fit, ut per accidens delirium sequatur; ut in senibus quotidie videmus. Quod Galen. & probat & confirmat. Legito Hipp. sententiam, ac postea Galeni Commentarium. *A profluvio sanguinis desipientia aut convulsio, malum.* Galenus. *Hic Aphorismus magnam nobis affert utilitatem ad credendum, quod aliquando fiat desipientia ex defectu, modo simili quo manuum ac pedum tremores. quapropter neque vehemens est hoc resipientiæ genus, sed mediocre, atque ut quispiam diceret, delirans. Ipse siquidem solet mediocrem insaniam, delirium nominare.* *Hipp. 7. Aph. 9. Gal. Comm. in Hipp. 7. Aph. 9.* Quod etiam Lib. secundo de Symptomatum Causis ad ocularem experientiam remittit. Huc pertinet etiam is, qui ob labores & vigilias memoriam amisit; ut & ille vinitor agricola; ac tandem illi, quos extrema senectus delirantes effecit ac decrepitos, tanquam eos necessario sequantur memoriæ defectus & rationis læsio. Hæ sunt delirii læsiones per consensum. Transeamus ad alia.

TITULUS VI.

De phrenitide per essentiam, ejusque gradibus, incipientis nempe, progressi, & confirmati.

Phrenitidem definierunt prædecessores nostri Salmanticæ Doctores, per inflammationem cerebri & membranarum ejus, continuo delirio copulatam. Hæc conclusio longæ latæque disputationis est occasio, & vere eruendæ veritati lucem addit. Est scholis proficua; sed medendo inutilis: saltem in veritate dubia, si error in tituli principio disputatur: quoniam vera & legitima phrenitis est cum febre continua, perpetua dementia, cerebro primario affecto, calida intemperatione ab humore, qui antea computruit, irrigato, aut inflammatione lacessito. Æque enim intemperatur & cerebri substantia, & hujus involucra, ab illo putrescente humore, substantiam cerebri vasorumque irrigante, ac ab inflammatione, dum vasa, substantia, & inania spatia implentur. *Sic Galen. 3. Epid. Sect. 3. text. 45. & 46. & 1. Prorrh. Sect. 1. text. 1.* Pro cujus doctrinæ veritate illud est in omni doctrina supponendum, facultatis essentiam ad recte operandũ, in debita temperie, partium unione, & conformatione ad illam actionem disposita, sitam esse. Illud etiam nemo inficiabitur, æque depravari hæc omnia operandi principia, ab humore irrigante, ac inflammatione. Hoc enim luce clarius patet. nam biliosus aut sanguineus humor, dum intemperatur phlogosi aut putredine, partem, in quam decubuit, intemperat, & phlogosi modum substantiæ pervertit, & quodammodo unionem & compositionem dissociata reddit: quo potentia prave necessario operatur, lapso ad intemperiem instrumento, quo illa ad operandum utitur. Ergo non est phrenitidis essentia inflammatio, quantumvis ab illa etiam concitetur.

Est ergo in phrenitide morbus, calida cerebri & membranarum ejus intemperies, inflammato

aut irrigato cerebro. Symptoma, potentiarum, quæ resident in illo, depravatio. Est enim delirium interdum febris symptoma: aliquando obsessi humoris ad cerebrum translati; seu fiat per excursum;seu morbo prava epigenesi propagato. ut dum febris aut pleuritis in phrenitidem vertitur, ut auctor est Hipp. seu relicto priori foco, quod aliquando accidit; seu sola sympathia effera exhalatione concitata, & cerebro recepta. Tunc enim potius est symptoma recipientis causę alteratæ: aliter morbifici humoris proprium, quod magis sequitur naturam efficientis quam recipientis. Quod etiam accidit,dum inflammatur cerebrum, dum efficiens causa est bullientis sanguinis aut bilis, quæ in cerebro incanduit putruitque, à cujus intemperie aut proritatione fit illa perpetua dementia, cum vigilia, inflammato aut irrigato cerebro; sub illa differentia,ut à sanguine & garrula & cum risu fiat; cum furore à bile,ab illa jam exusta,cum studio, interdum pertinaci silentio. Focus ut plurimum sedem habet in cerebro, aliquando in septo,ubi fervens stabulatur humor. Ex cujus sympathia fit etiam perpetua dementia. de quo postea latius. Et inde accidit, quod Galenus advertit,(& conducit ad melius curandum) *ut sicut duplex accidit intemperies; duplex quoque dispositionis modus oriatur: in humoribus alter; & alter in corporibus solidis.* Si jam humorum intemperies partes solidas penetrat. Nam facilius humorum intemperies depellitur; difficilius in corporibus solidis altius radicata: aliquando soli cerebri ventriculi afficiuntur: aliquando substantia, interdum vasa omnia. nec omnia simul affici mirū erit.Huc etiam spectat illa consideratio,an fiat per consensum delirium, an per essentiam, affectione in cerebro firmata? Nam semper consensus est in fieri: unde causis efficientibus ablatis, ipsa quoque affectio deletur. ut prima succurendi indicatio sit ad partem,à qua consensus oritur. Si vero consentientes partes permanentem dispositionem jam contraxerint, licet causa efficiens quiescat, ipsa tamen permanebit affectio, versa sympathia in ideopathiam. quo etiam mutatur indicatio.Tunc enim est potior ad affectum productum & continentem causam.

Galenus, Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.

Illud antea diximus, deliria, quæ accidunt per febrium vigores, certa consensus lege, fieri mitiora: postea vero, dispositione inducta per essentiam fortiora & sæviora reddi. Illud ultimo restat, an in vera phrenitide perpetuo delirent ægrotantes? Hæc est enim unica à delirio per consensum ratio differentiæ,quo ad tempus delirant. Continuum delirium Galenus pro signo veræ phrenitidis constituit. Nec ideo perpetuum delirium dicit semper & continuo desipere: aliquibus enim horis ægroti ad se redeunt, & fere videntur resipiscere. Sed hoc non est certo & statuto ordine, veluti in consensu, per febrium nempe incrementa. Solet enim in phrenitide vera delirium remitti, interdum intermittere, & per longa spatia,quando pars tenuis humoris dissipatur, quando obtunditur illius acrimonia, aut quantitas minuitur,seu quomodocunque aliter attemperatur. Hoc enim intervallo, nec incitat potentias, neque irritat, ut cogat ægrotantem perpetuo desipere, & continuo in errore versari; usque dum relictum empyrheuma de

5. Loc. Aff. 4.

A novo reaccendatur,aut recentem contrahat acrimoniam attemperatus humor, aut alia de causa concitetur. Et erit nihilominus perpetuum delirium: quia causa & apparatus permanet,nec est in tempore ulla certa delirandi aut apte discurrendi securitas. Oceti uxor perpetuo delirio ex aborsu & pravo corporis apparatu deliravit. De hac dixit Hippocrates: *Primo comatosa, rursusque insomnis erat, lumborum dolor, capitis gravitas* (ad caput metastasis indiciū.) — *Quarto deliravit mœsta & melancholica. — Quinto evaserunt graviora, multum* B *deliravit, statimque ad mentem rediit. & Septimo* nihilominus *mortua est. phrenitis.* perpetuo delirio. Veluti Apollonius,de quo dixit Præceptor: *Verba multa, rursus quies, perpetuo delirabat, in vigesimoquarto ad mentem redit, rursusque desipuit; & obiit in trigesimoquarto.* Mirabile est etiam illud, quod, enarrat de muliere Cyzici, hæc insomnis, tacita & tetrica, nec ad animi æquitatem potuit perduci. Sexto die multum deliravit. Vndecimo insanivit: rursus ad mentem rediit. & quartodecimo mortua est phrenitica. Dealcis uxor ab initio C phrenitica & tacita.Nono multum delirabat,rursusque ad mentem rediit. Decimoseptimo rursus mente falsa est, nihil sapiebat, nec sentiebat. Vigesimo multum loquebatur,rediitque ad mentem,postea muta,brevis spiritus. Primovigesimo defuncta est. Adolescens in Melibœa etiam phreniticus moritur, & decimo deliravit, postea ad mentem rediit. Decimoquarto desipuit. Vigesimo insanivit.Vigesimoquarto obiit. Illud tamen in omnibus his phreniticis Hipp. advertit: *Spiritus erat magnus & rarus:* respirandi forte oblivio- D ne potentia distracta. Quod signum si accidat, adhuc quando ad mentem rediit, arguit, perpetuum delirium persistere. Nam talis permanet, dum vigor perdurat in movente potentia. Quippe adhuc in phreniticis prope mortem fit frequens spiritus & celer, ob debilitatem facultatis moventis, quæ supplet frequentia quod magnitudine efficere non valet, necessitate acta. Hoc idem etiam accidit in phrenitide à septo transverso inflammato. quoniam nec illud est perpetuum. *Talia deliria*, dicit Galenus, *non* E *multum à phrenitide differunt: quippe per cæterarū partium affectus aut per febres ardentes delirium mitigari solet, quoties morbus declinare videtur. At phrenitidis propria præcipuaque nota est, nec in declinatione quidem febrium delirium quiescere: cerebrum enim primaria affectione laborat, & à febre non pendet; ac proinde paulatim constituitur hæc passio, nec subito delirant, nec affatim*, hoc est, nec subito, neque semper æqualiter. Ad hoc accedit, quod talis affectus interdum complicatur phrenitidi,ut illius continuitatem intercipiat. Hoc etiam nos in Galeno legimus. 2. de Difficultate Resp. 8. ut cum vehe- F mens dolor. *Interdum enim*, inquit Galenus, *delirantes dolorem sentiunt, cum magis urget dolor: interdum magis delirant, cum magis urget phrenitis.*

Hipp. 3. Epid. Sect. 2. ægrot. 7.

3. Epid. Sect. 2. 11.

ægrot. 13. & 14.

ægrot. 15.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 15.

Galenus, Lib. 5. de Loc. Aff. c. 4.

Gal. 2. de Diff. Resp. 8.

A triplici principio oritur phrenitis per essentiam; seu ex consensu partium aliarum, versa sympathia in idiopathiam; seu aliunde humore confluente, excursu aut metastasi; seu ab inflammatione cerebri & membranarum ejus. quod raro quidem accidit.

In primo principio dicam, non quæ ex aliis auctores transtulerunt, sed quæ ipse in praxi observavi.

servavi. Vidi sæpius, in exurente febre lente incipere delirium, subito confirmari, à levi forte garrulitate, seu verbis inconcinne prolatis; maxime, quando febris intensio in eodem tenore persistebat, cum oris & capitis dolore ruboreque, quando urina rubra intense persistebat & crassa, (forte perennis exhalationis occasio,) importuna vigilia cerebro delassato, quo minori resistentia, & majori recipiendi aptitudine, promptius & celerius consensus in permanentem affectionem transit. Nam quoties ad patientis dispositionem accedit agentis efficacia, non tantum partis indispositio superatur; sed ad indelebilem affectum producendum disponitur. quo fit, ut lapsa intemperies inducta ægrius depellatur, & affectus aut nullo pacto, aut tardius curetur.

Vidi etiam, fraudulenta simulatione advenire phrenitidem, in febre de malignarum sorte, ex pravo corporis apparatu; quando nempe ex miscella crassorum, & tenuium succorum, prava fermentatione febris oritur & fovetur. Hoc enim in illa febre accidit, cum natura tentat suo naturali & insito calore miscellam illam inæqualem concoquere, fuliginum congeriem elevare. Hæc enim in parte tenuiori cedit; crassiori renititur: & inde accidit, ut fucata & parum secura coctione medicum spe lactet, dum vapores, ex parte tenuiori malignos, crassiori tenaces, mittit in cor, in hepar, & in cerebrum, cum maximo periculo, dum peragitur coctio: quo hæc membra maxime labefactat, & ad permanentem & indelebilem dispositionem & receptionem disponit, ut, quando effectus sese prodit, jam sit insuperabilis, velut in fera rabie. Nam qui ex causarum inveteratione inducitur, altius radicatam impressionem arguit, ægrius ideo depellendam. Est enim illa coctio fallax, quia medicum tenet ancipiti spe, dum signa coctionis attendit: quoniam interim vaporum & exhalationum malignarum colluvies, veluti plaustro ducta, in intima membrorum producitur & penetrat, quo & maligna qualitas altius radicatur. Cujus incoctibilis conditio cum nequeat à natura superari, aut est in causa, ut tardius hæc succorum diversitas coquatur, aut ut omnino insuperata maneat; aut graviora mala in hæc membra producit, dum pravi succi semicoctis miscentur. Et inde experimur, dum hæc coctio tarde & lente agitur, repente damna vaporum malignorum elucere, aut inducta in cerebro phrenitide, aut lethargo cerebro madefacto, fucata coctionis spe. Quo in statu illud etiam vidimus accidisse, viribus attritis illas auxilio postea non sufficere, aut illa auxilia non prodesse, intemperie altius radicata, & velut in habitum contracta: seu quia non suo tempore offeruntur, & multo magis, quia quando vires deficiunt, deterior redditur maligna succorum fermentatio, & perennis affluxus. Vnde prorsus est necesse, unum duorum evenire, seu, ut altius radicata intemperies lapsa fiat, seu ut membrum corrumpat. Quod utrumque est ad necem fatale, in membro principali. Quæ cum sese produnt mala, aut difficulter, aut nullo cedunt auxilio. Nam plures vidimus periisse, in illa indicationum repugnantia inter vires & morbum, quam ex insuperabili magnitudine morbi. Hæc tamen interdum naturæ majestate, quæ in omnibus mo-mentis fide caret; inopinata excretione superatur, mensibus in mulieribus productis; hæmorrhagia aut sudore in aliis. Sed in casu proposito tria vitæ principia, & naturæ præsidia, hoc accidens & febris labefactat. Nec est aliud principium, ex quo sit sperabilis salus. Tantorum malorum auxilium plerique posuerunt in minorante purgatione, ante septimam diem. Quod illis voto cessisse in frigidis regionibus non dubito: in nostra autem Betica regione graviora mala concitasse, non infrequenter vidimus. De hoc latius in nostra quæstione minorandi, contra Doctorem Ponce.

Phrenitidis exemplum à febris ardentis tetra exhalatione, legitur in Historia Hermocratis. De quo dixit Præceptor: *Igni est correptus*, id est, valida febre & ardente. *Cœpit caput illi lumbique dolere: Hypochondrium molliter tendebatur, lingua initio adusta fuit, mox obsurduit, somnum non habuit, sitibundus erat, sed non admodum: urinæ crassæ & rubentes. — Quinto die reddidit tenuem urinam, suspensiones habebat, nec subsidebat: sub noctem deliravit*, &c. Delirium illud præcesserunt hæc omnia symptomata, quæ dicebamus antea, nempe à tetra exhalatione & calida, quam calidi humores sequebantur. quæ cum videris, eadem præsagiri & ex arte & prudentia erit. Lege, quæ in hujus Historiæ Commentario Galenus: *Ita hic ignem appellavit validam febrem. At caput quoque illi cœpit dolere unà cum surditate. Itaque ex his in caput liquet invasisse* cum vaporibus *quandam humorum abundantiam. Declaratum jam est, frigidioribus & pituitosioribus succedere somnos veternosos, lethargicaque mala: calidioribus, aut prorsus mordacibus, vigilias, & deliria. Proinde, cum vigiliæ eum cum surditate tenerent, & capitis dolore lumborumque, suspicari replentes caput humores consentaneum erat mordaciores esse. Vsu venit porro his, ubi cum calida febre & flagrante cerebrum offendant, comites esse, ut didicisti, deliria. Quod si duos dies aut tres aut quatuor hæc symptomata durent, certius præscies delirium. Id quod hic accidit Hermocrati. Nam exponendo quinto die scripsit delirasse hominem. Hoc etiam indicabat, lingua exusta in principio, non usta tantum sed nigra*, &c. Nil amplius exponi optat Galeni Commentarium. Eadem etiam fere symptomata præcessere delirium in illa Cherionis Historia, quam tu leges per otium.

[Margin: *Hip.3. Epid. Sect.1. ægrot. 1.* — *Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect, 1. ægot. 2.* — *3. Epid. Sect. 2 ægrot. 6.*]

Alia sors delirii, quæ à tetra exhalatione fermentatæ putredinis in prava inæqualium succorum cacochymia accidit, in febribus lassitudinariis, & quæ fiunt à Venere & potu maxime, observatur. In his enim similis invenitur humorum apparatus. Nam ex imbecillitate membrorum, nutritioni dicatorum, fit crudorum proventus: ex calidorum usu, pravi ichores maxime generantur, reaccenditur bilis, & ex utriusque miscella fermentata putredo, causarum morbificarum inveteratione, prohibita ventilatione, & calore extraneo comparata; ut accidit in syncopali humorosa aut minuta, frequentius ex utraque permixta. *In hac enim frigidis humoribus liquatis*, (hæc sunt Galeni verba) *ac per omnes corporis partes fluentibus, metuendum est, ne ad pulmonem & cor ferantur: aliquando etiam, ne ad cerebrum subeant, à calidis evecti.* Nec obstat, Galenum dixisse, frigidos succos à balneo liquari: nam idem est periculum, à quocunque liquentur.

[Margin: *Galenus, Lib. 12. Meth. Medend.*]

Sic accidisse legimus Pythioni, qui in Thaso supra Herculis fanum decumbebat: quem *ex laboribus, laßitudinibus, parum habita victus ratione, magnus cepit rigor, & febris acuta, lingua inaruit, sitibundus erat, biliosus, dormivit: urina subnigra*, &c. *septimo delirabat. nono — comatosus* (cataphora nempe ex imbecillitate & miscella utriusque humoris) *decimo mane aphonos. — sudore diapheretico devixit*. Haud minus male cessit & Nicodemo, quem *ex venere & potu febris* acuta *corripuit. Initio fastidiosus erat, cor ei dolebat* (scilicet os ventriculi, si credimus Galeno) *urinæ tenues ac nigræ. Multum deliravit in sexto.* Hoc notatu dignum in hac febre invenio, quod non delirant, nisi febre jam longius progressa. quo intervallo continuæ exhalationes, aut cerebrum intemperant, aut pravos succos deferunt: unde illa affectio per consensum in propriam passionem convertitur. Illud tamen in utraque Historia Hipp. advertit; in Pythione: *diebus hic paribus affligebatur*. In Nicodemo: *Huic accessiones & dolores præcipue diebus paribus semper incesserunt.* Quod etiam nos variis in ægrotis, in hac valde periculosa febre, observavimus. Hujus rei tamen causam si attente antea perlegisti, in hoc loco non quæres. Adolescens etiam Melibœæ ex nimio potu & venere calefactus decubuit, & ex tetra exhalatione, continuo ad cerebrum elata, decimo incepit delirare, modestusque & tacitus erat, hoc est, ex inveteratione causarum confirmato delirio, quo tandem obiit in vigesimoquarto. Tantum enim valet continua exhalationum intemperies, in cerebro producta, ut à leviter impressa fiat confirmata phrenitis.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3. ægr. 3.

Idem, ibid. ægrot. 10.

TITULUS VII.

De phrenitide, à calidi humoris excursu symptomatico.

Fieri in hac febre phrenitidem, cerebro affecto per essentiam ex prava metastasi, seu calidi humoris excursu symptomatico, frequentissime omnes experiuntur. Quod dupliciter accidere videmus; seu calido humore cerebro irrigato; seu cerebri substantia & membranarum ejus inflammatis. Ideo singulari distinctione singularem cujusque speciem expendere decrevi.

Hujus pravæ metastasis exempla abunde in Coacis leguntur: ibi & discrimina leges. *In phreniticis*, dixit Hippoc. *quæ ab initio deprehenduntur symptomata, & crebro huc & illuc cientur, mala.* In diversis cerebri potentiis permutari delirium, seu in ipsa deliriorum sorte, magnum certe est excursus argumentum. Indicat enim, varias cerebri mansiones celeriter pervadere, diversasque potentias concitare. Nam cum febris occasione ægri continenter delirant, idque à principio, cum omnia deberent esse leviora, forte in die levioris accessionis, cum mitescunt symptomata, vigiliæ, doloris aut laboris; hoc unum duorum arguit, aut causæ maximam feritatem, aut repentinam generationem tenuis & calidi humoris, aut motum inæqualis humoris, qui omnes cerebri mansiones pervadit, ut in Thasio Phrenitico Galenus adnotavit. Et hoc maxime patet, si crebro hæc symptomata huc & illuc cientur, orgasmo materia expulsa, per cerebri ventriculos aut membranas, aut de loco ad locum, ut in cæteris acutis morbis, aut ubi turget materia, accidere videmus. Fit enim talis orgasmus in materia, substantia tenui, qualitate acri, conditione mobili, temperamento calida. Si ergo in febris principio observatur symptomatum varietas, in varia deliriorum sorte, aut in ipsius phrenitidis incremento, quod cernitur in actionibus ad summum depravatis, non tantum, in mea sententia, est malum, ut Hippocrates dixit, sed pessimum: quia in principio apparent ea, quæ vix talia forent in summo incremento. Et Galenus alibi illam dictionem, *malum*, constituit inter spem & metum. Quod reor etiam in hoc loco dixisse: quia spes est, irritatam naturam, præter spem aliquam, excretionem concitare, sudoris nempe aut hæmorrhagiæ. Quod si non accidat, non malum tantum; sed pessimum omnino judicabis: quoniam hoc delirii genus, (ut nos sæpius vidimus) omnia naturæ & artis præsidia labefactat & respuit. quo si desperationem non affert, spem ponit in dubio. ut etiam in Prorrhetico legitur, & in alia Coacarum sententia, in qua, præter illa mala, convulsio timetur, ex crebra humoris motione, & delirii etiam varietate. Hujus pravæ metastasis, & illius discriminis, multa leges exempla: veluti in Muliere morosa, de qua dixit Hippocrates, *à principio timor, garrulitas, & animi infractio*. Et in Dealcis uxore, quæ nunc flebat, mox ridebat. Et Ocetai uxor comatosa, mox insomnis. Quod etiam dixit de Apollonio. Attente lege, quando in phrenitide inquit: *alba dejectio grave malum: sed longe graviβimum, si rigor accesserit.* Nam alba urina arguit ad cerebrum translationem illius, qui ad illam ferebatur, humoris: sed rigor jam commotum humorem per membra sententia ad cerebri membranas. Hoc tamen addidit in Cyzici Historia, ad certius præsagium, *capitis dolorifica gravitas.* Hoc enim arguit, ut Galenus est auctor, caput jam à pravo humore obsideri. Signa enim pathognomonica affectus alicujus incipientis, perfecti jam & absoluti sunt prognostica: ut in Prorrhet. Galenus adnotavit. Quare, illa deliriorum signa, quæ in principio febris superveniunt, si prava, febris jam adauctæ erunt pessima signa. Vt nulli mirum sit, si Hippocrates dicat: *Delirii insolentiam esse malum graviβimum*: quando maxime est contra insitos mores. Ideo fortasse non evasit Nobilis Adolescens, de quo dixit Hippocrates: *Vrina & dejectio pura sine bile: lingua usta: insomnis: deliravit: turpia loquebatur*, modestus antea. Et licet urina multa, sudor & somnus possent esse judicatoria; *undecimo* tamen *mortuus est celeriter.* potius ex metastasi, quam vini potione, ut ratus est Hippocrates: licet illa possit raptui occasionem dare.

Hipp. 1. Coac. 97.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 3.

1. Prorrhet. Sect. 1. 67.

1. Prorrhet. Sect. 2. text. 12. & 17.

1. Coac. text. 106.

Coac. 53.

1. Prorrhet. Sect. 2. 17.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 4.

3. Epid. Sect. 3. 14.

2. Prorrh. 9.

Hipp. 4. Epid. 22.

Quare, si tunc orgasmus, & efferæ materiæ metastasis est in febre continua, repentinis mutationibus crebra, crebroque facit ab una parte in aliam transcursum materiæ, substantia tenuis, qualitate acris, temperamento calidæ; hoc certe in phrenitidis initio est plane terrificum, & vix ad salutem terminandum: nisi excretionis fortuna erumpentis privilegio. Hæc tamen deliriorum varietas cernitur aut in variarum potentiarum læsione; aut crebro revertente delirio; aut actionibus ad summum depravatis, irascibilis & concupiscibilis operationibus fatali necessitate in

in consensum attractis. Hæc ideo pejora, si ex inveteratione in principio appareat: tunc enim victa jacet facultas, tantopere morbo debellando necessaria. Ideo forte Adolescens mortuus est celeriter. Hæc etiam sententia legitur in Prorrhet. *In phreniticis principio simpliciter & clementer se habere, sed crebro permutari, malum id est. mala quoque & frequens sputatio.* Hoc est phrenitidi cum cæteris passionibus commune, si absque signis permutetur: nam vires vinci à morbo significatur; & magis in principio. Contingunt namque in his affectionibus, quæ pravorum humorũ copia, qualitateve, in hanc aut illam transferuntur partem principem, vel non principem. Nam quæ in principes partes transfluxiones fiunt, aut partis substantiam corrumpunt, aut illius temperiem maxime labefactant. Illud vero periculo adjicitur, si urina perspicua aut alba excernatur: hoc enim pravos succos à venis ad caput ferri indicat. *Nullum enim*, dixit Galenus, *cum simili urina sanatum vidi.* non tantum ex raptu; sed quod tempus, in tanta cruditate, coctionis periculum anticipat.

Hipp. 2. Prorrhet. 17. 2. Aph. 27. 1. Prorrhet. 12.

Galen. 4. Aph. 72.

Phrenitidis gradus, quantum ad prognosim conducit, ab humorum differentia sic Galenus descripsit. *Atque ob hanc causam phrenitis nonnunquam mitior est, cum à pallida bile ortum traxit: interdum vehementior, cum flava bilis eam peperit; atque insuper alia nonnunquam dementia occurrit ferina & melancholica, flava bile præassata.* Quia, quo intensior ustio, qualitatis excessum & acriores morsus materia concipit, & cacochymia malignior arguitur. Quare, ex mitiori, vehementiore, aut ferina phrenitide periculi gradus Galenus metiri docet, quando res lege & ordine procedunt. Ideo forte *desipientias, quæ cum risu fiunt, securiores* judicavit Hippocrates, quia illa fiunt à sanguine humorum benignissimo: non quod absolute secura; sed aliorum comparatione securiora. *Nulla quidem desipientia secura est, minus vero periculosæ quæ cum risu fiunt: sicuti temerariæ, ut ipse nominat, omnium periculosissimæ: in medio autem amborum sunt, quæ cum studio fiunt. Fiunt autem omnes patiente cerebro, sive primo & per se ipsum, sive per compatiendi rationem: differunt autem invicem per causas ipsas efficientes. Quæcumque enim ex sola fiunt caliditate sine humore vitioso, similes sunt quodammodo eis quæ ex ebrietate contingunt:* ideoque minori cum periculo. Deinde ex flava bile; ac ultimo ex atra, per adustionis gradus, pericula ideo metiuntur: quia, quo major est recessus, eo altius radicatur intemperies. Sed illi, quorum phrenitis accidit ab excalefacto sanguine, in somnum delabuntur. Et hoc est mitius delirium, fere semper cum risu: & læsio in unica potentia apparet. hæc sunt signa principii. Nam postea assato sanguine redduntur deliria feriora: si vero in progressu dilabuntur in somnum, hoc non ex sanguine, sed ex miscella crassorum cum tenuibus, observabis accidere.

Idem, Lib. 3. de Loc. Aff. c. 7.

Hipp. 6. Aph. 53.

Gal. Comm. in Hipp. 6. Aph. 53

Sed quando hæc ipso pervertuntur, & in principio accidunt, quæ deberent in fine advenire, incipientis morbi signa & symptomata sæpe ferunt pericula, veluti in progressu ventura. Ideo Pythioni dixit Galenus male morbum cessisse, quod omnia à principio symptomata & signa lethalia fuissent. Idem dixit Galenus in Philisci Historia. *In hoc ægro, inquit, tertio die mortem impendere qui generalium præceptorum meminit clare perspiciat. Nam primo die invasit acuta febris, quem sudor excepit: unde febris non est discussa, sed nox etiam gravis fuit. Inde dies tertius excretionem habuit nigrarũ urinarum: deliravit: & paribus diebus labores.* Per hæc eadem signa ad mortem judicatur Erasinus & Crito, quibus celeriter uterque periit: alter ex causæ repentina inveteratione: alter ex funesta palindrome venenosi humoris. In Dromadæ uxore dixit Galenus: *Die secundo, ex symptomatibus quæ recitavit, cum jam præcessérant ex urina signa, optima ratione potuit aliquis celerem ejus mortem exspectare.* Sicut in Phrenitico, qui à principio virulenta vomuit, & tertio convulsus obiit.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 3.

1. Epid. Sect. 3. ægrot. 4.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Epid. Sect. 3. ægrot. 11.

Clementer delirare, non tantum intelligitur de mitiori delirio; sed non ita continuo. Est enim in continuitate maxime spectanda varietas: nam in principio, nec ita continenter, nec fortiter delirant ægroti, interdum ad se redeunt; maxime in febris remissione, & dum decrescit fervor; sicut in principio & in fine phrenitidis: & nihilominus est signum pathognomonicum phrenitidis, continuum delirium; sed sub illa ratione, quam dicebamus antea. Hoc tamen sæpe decipit peritissimos medicos, cum vident, delirium cessare, mox revertere; intendi aut remitti, parte tenuiori exoluta. Id etiam accidit materiæ excursu, ut, qui recte judicabat, materia transmutata, deliret; ac festucas capiat, qui recte oculorum acie intuebatur. Et licet omnibus illa vicissitudo sit prava, pejor tamen est in phrenitide; veluti in Hermocrate. Sed illa quies, quæ inter illas mutationes accidit, non est cessationis argumentum, sed mutationis; ideo forte pravæ, quod turgentiam arguit in humore. ut ex illa Coacarum sententia colligitur: *Quæ in phreniticis à principio deprehenduntur symptomata, & crebro huc & illuc cientur, prava.* Hæc celer permutatio intra unius horæ spacium intelligitur; ut quidam doctus etiam non male æstimavit. Et eadem ratione, qua illa transmutatio multitudinem arguit acriorum & veluti turgentium succorum, prudens tibi erit consilium, aut copiam vacuare, aut celeriter attemperare, antequam firmentur: quoniam tutius & celerius curatur ægrotus, nondum plane phreniticus, qui paulisper delirat, & modo ad se redit; quam qui nec inter dormiendum nec vigilandum cessat. hoc enim arguit materiam in cerebro confirmatam. Hanc celerem præcautionem Galenus, in sui ipsius phrenitide, dum Romæ laboraret, consuluit.

Hipp. 1. Coac. 97.

Galen. Lib. 4. de Loc. Aff. c. 1.

Illud etiam ex hac permutatione Hippocrates haud immerito timuit, ne, dum moventur, irruant in nervorum principium. *Frequentes in phreniticis permutationes, inquit, convulsionem indicant.* In hoc tamen adverte, quod alia transmutatio est à malis ad mala; alia à pravis ad praviora, cum nempe est de extremo ad extremum: ut, si partes celeriter in utramque conditionem transeant, sub extremo recessu; ut advertit Galenus in hujus sententiæ commentario: v. g. ex siti vehementi, ad sitim immerito sedatam; à sensibilitate, ad sensationis defectum; à caloris extremo, ad magnam frigiditatem. In hoc enim ex pravis ad prava fit mutatio. ideo sane est absolute malum. Quod etiam in phrenitide vidimus; ut jam incandescant, mox lætentur, vel studiosa cogitatione detineantur, & mox ab illa rapiantur in ecstasim,

1. Prorrhet. 27.

ut

ut à castis ad turpia & obscœna pertranseant. ut in Epidemiis etiam adnotatur: sicut, cum audacissimi, timidi & territi redduntur. *Demonstravimus autem*, inquit Galenus, *transfluxiones hujusmodi fieri in una quaque partium suscipientium in alteram, à sese quod supervacuum est, expellente.* Cum ergo ex alia cerebri parte in aliam diffluens qui contristat humor, ab omnibus rejicitur, ut enatis ab ipso nervis aliquando obrepens convulsionem afferat; hoc etiam secundum rationem est. Quare ex his elicimus, quod hic transitus fiat aut ex crebra successione rei; aut illius privatione ut insiti; aut symptomatum intensione & remissione, in variorum succorum competentia, tum in variarum cerebri mansionum; in imitatione aut alteratione principum facultatum: quod variis exemplis Hippocrates expressit, ut Morosæ mulieris, & Dealcis uxoris.

3. Epid. Sect. 3.72.

Hujus essentialis phrenitidis duplicem sortem novimus: aliam nempe fieri per humoris excursum: aliam & per febris progressum & exhalationes. Illius nulla sunt certa signa, saltem proxima. Nam illa urina clara & perspicua, quæ ad cerebrum translationem arguit, etiam fallaciæ periculo laborat: potest enim excursus & ad alia membra fieri. Et dato, quod ad cerebrum, potest pariter esse ad phrenitidem, aut ad criticam etiam hæmorrhagiam. Neutrum vero infallibili scientia præsciri, nec secura prudentia prædici potest; nisi à posteriori, ipso jam apparente delirio, aut sanguinis stilla; nec adhuc apparente pepasmo. Nobilis est illa Præceptoris sententia: *Perculsum caput, oculi prærubri, deliria clara, mortifera: nisi vel hæmorrhagiam vel abscessum faciant pone aures.* Excursum ad cerebrum arguunt hæc symptomata. sed ex illo unum duorum spectandum nos Hippocrates docet, seu ut fundat liberaliter sanguinem, pepasmo nempe præindicata crisi, suscepta ex virtute naturæ, viarum libertate & fluxili materia: sin minus, est secundum rationem, expectare phrenitidem, exitu sanguini denegato, aut ex illo humore cerebro irrigato, aut inde inflammato. Etenim meteorismo humores ad caput deferuntur: si tenues & calidi, erunt ad hæmorrhagiam aut phrenitidem: sin frigidi, aut crassi, aut permixti, ad parotidas. Calidorum tamen signum est cephalalgia: & frigidorum surditas. Nam perturbati animi facilis est transitus ad phrenitidem, maxime à calida, tetra, & effera anathymiasi. Sed inde nulla erit securitas: nam adhuc ipsum delirium potest esse ad crisim pariter ac phrenitidem. ut ita nulla nisi à posteriori sit securitas. Nam excursum illum morbifici humoris sola vacuatio, aliter transpositio, vacuat aut divertit; & est causa, ut ad se redeat ægrotus. In quo major crisis notitia consistit.

Hipp.

Ideo non est omnino desperandum in copia gravante, quando natura valet varias excretiones concitare; ut antea notavimus. Hoc enim est usu & doctrina comprobatum, non tantum in omni insultu acutorum morborum, & naturæ conatu; sed in ipsa etiam phrenitide, de qua agimus. Attente lege illam Hippocratis sententiam. *In continua febre, qui jacent aphoni, & nictantur, si prorupto è naribus sanguine, aut vomitu vocem receperint, defunguntur periculo: sin minus, cum difficultate respirandi cito moriuntur.* Nam exitu humori denegato,

Hipp. 1, Coac. 73.

A sphacellus in cerebo inflammato contrahitur, si ibi repit humor; aut intercipientibus membranis, inflammatio, si fervet, in alas & inguina prope cor. Inde enim est facilis interceptio, certa lege consortii oppressis carotidibus, aut fatiscente cerebri facultate, vis non suppetit, ut moveat thoracem. quo difficillima redditur respiratio, contendente natura vires fatiscentis facultatis supplere respirandi frequentia. Nam repleti cerebri per humoris excursum, aphonia & nictatio signa sunt: & repletionis est proprium auxilium vacuatio. Et humorum retentio, est extrema B pernicies in membro principali: nam ubi nulla speratur exeretio, commotus humor graviorum malorum accessione perimit, maxime, si membrum nobile opprimit. Si vero oppressa natura insurgit, ut contra pondus palma, & noxium humorem excutit à membro principali (ut sæpe vidimus contigisse) ægrotos liberat à fatali periculo. Ideo in affectu, cujus acuties & necandi celeritas pericula anticipat, morasque coctionis non expectat, potius cruditatem, aut efferi humoris C incoctibilitatem, timerem, quam humorum gravantem multitudinem: quoniam multitudini interdum naturæ conatus est auxilium, quando incoctibilitatem superare non valet.

Phrenitidis vero, quæ accidit, vel per febris progressum, vel exhalationes, certa signa sunt, quæ præcedunt delirium. Nam in vera phrenitide solent præcedere vigiliæ, & turbulenta somnia, manifestis imaginibus turbata; solent exilire & clamare, & plus solito loqui, interdum concinne, aut irrationali oblivione detineri: in his D est rara respiratio, & pulsus solent esse cum manifesta tensione parvuli & frequentes, progresso jam delirio. At vero confirmatæ phrenitidis signa sunt, in continua dementia persistere, & si oculi sint vehementer calidi, exque altero acris lacrima funditur, lippitudo in oculis innatat, oculorum venæ sanguine turgent, cutis arida redditur, & sanguis è naribus stillat. Quo in statu omnes simul potentiæ rectrices in errorem consentiunt; nec ullum remanet prudentiæ vestigium; tremuli pulsus adsunt, omnia manibus tremorifeE ris contrectant; & arida febricula marcescunt; & torvo vultu mœsti, sæpe importuno silentio animo pertinaci morem gerunt; ac illis omnis deest sensatio; alta tenet oblivio.

Hoc modo per cerebri affectum, paulatim phrenitis evenire solet. dixit Galenus. *Ab aliarum vero partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto solo septo transverso; cujus vitio excitatum delirium, parum à continuo differt. — Verum delirium, quod hujusmodi vitio accidit, à phrenitide distinguitur, & ex oculorum accidentibus, & sanguinis à naribus stillis, atque* F *spirationis specie. quippe phreniticorum à cerebro spiratio magna est, & ex longis semper intervallis: rara: contra, ubi à septo delirium oritur, inæqualis: ut modo parva sit, atque frequens, modo magna & suspiriosa. Nam incipiente septi transversi inflammatione, priusquam delirent laborantes, parvum ac frequentem reddunt spiritum:* (infestante vero delirio, multa varietate inæqualem:) *— Atque ut summatim dicam, veluti eorum accidentium, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut si apparuerit aliquod, id perexiguum est—: ita rursus intendi præcordia, septi transversi, illico ab initio affecti, proprium indicium est.* Hæc hujus & il-

Galenus, Lib. 5. de Loc. Aff. c. 4.

Sic Hipp. 3. de Morb. 8.

& illius phrenitidis differentia constat ex Galeni doctrina. Sed nostra observatio quid amplius invenit; nempe, illam tantum inflammationis sortem in septo perpetuum importare delirium, quæ à bile, aut sanguine acriori ortum duxit: nam quæ à frigidiori succo, pituitoso nempe aut melancholico, delirium non affert; nisi quando suppuratio incipit, aut instat ruptio in abscessu, sed non toto illo congestionis tempore.

Hoc nobis restat ultimo, in quo differat delirium quod accidit ab irrigatione flavæ bilis, ab illo quod concitat cerebri inflammatio? Hoc enim indicationum varietas exoptat, non tantum in æqualitate auxiliorum, sed in succurrendi celeritate, prout petit urgentia. Celerius enim succurri postulat inflammatio, quia necat celerius corrumpendo, quam illa cerebri irrigatio, alterando: quæ ideo longiores fert moras, quando in inflammatione adhuc ipsa celeritas mora est. In hoc differt illa phrenitidis species, quæ accidit à cerebro inflammato, ab alia; quod præter malignitatem sit cœptis immanibus effera, cum torvo vultu oculorum, genarumque rubore, & fere cum furore, ita ut nulla cerebri potentia permaneat illæsa, & viribus ita validi redduntur, ut omnem superent resistentiam, cum quadam nervorum cervicis tensione: hæc ut plurimum in sphacelum transit; cujus signa tibi postea dabimus. Alia sequitur biliosam venarum cacochymiam, cujus pars cerebro amandatur, si non etiam in vapores ascendit, cujus appulsu bilis flava cerebrum irrigavit. In hac etiam concitatur delirium, dum fervor spiritus alterat, & agitat species, à sensibus externis amandatas, ut inepte aut prave, forte tumultuose, potentiis internis applicentur, & adeo cerebri instrumentum intemperat, & fucato colore pervertit, ut etiam sit erroris occasio. Nam hic accidit, quod in fucato oculi colore, dum res ipsæ tales repræsentantur, qualis est oculi color: sic etiam cerebri potentiis res lætæ aut tristes obversantur, prout color species immutat, tumultuose agitat, solo furore addito, si acrioris succi morsus irascibilem etiam traxerint in consensum. In hac delirii specie vociferantur ægri & exiliunt, & plerique nugantur; sed maxime in somno & à somno, idque alteratione inchoata, & agitata bile: quæ si pallida fuerit, mitius est delirium; ut antea vidimus ex Galeno: si flava, vehementius: si vero ustione in atram convertatur, efferatur delirium in furore: quod si tandem ex inveteratione causarum tota cerebri substantia fucetur, aut habitualem contrahat intemperiem, tunc stupent attoniti, tremoriferi, & pulsus est cum quadam vibratione tremulus. & sub hac hæresi mentis silentio pertinaci morem gerunt, obliti & immemores, fere non sentientes. Quod si ex altius radicata intemperie eo venit facultas, ut debilis & collapsa videatur, est mite & pacatum delirium; quod etiam plumbea moles indicat: si ab hectica & habituali intemperie, fiunt validiores, cum torvo & truculento vultu mæstiores: si ex deusta bile, & in atram conversa, rapiuntur in ecstasim, animo pertinaci murmurantes, & veluti lucifugi seipsos cooperiunt, ut Mulier morosa; alii ut hydrophobi & potum aversantur & renuunt, cum cerebrum à seipso alienatur. Quod etiam illis accidit, qui circa vitæ maxime necessaria delirant, nempe circa potum & cibum, & respirationem: ut etiam Hippocrates advertit; cujus sententiam postea explicabimus. Nam tunc mens à seipsa egressa, falsis rapitur imaginibus, quas putat esse foris; ac ecstasi & anagi occupantur, ac si contemplarentur: hos terror tristis occupat, cum anima à suis functionibus absistit occupata, perculsis spiritibus, aut in cordis intima retractis, ut apertis oculis non videant, nec audiant, libero visus & auditus instrumento.

In hoc statu hi fere vigilandi impotentia detinentur. Quod an sit ex lethargica, an hectica phrenitide, distinguere oportet. Nam in hectica est quædam silens ecstasis, à febre jam progressa, confirmata phrenitide, importuna raucedine, & inter bibendum fit strepitus velut aquæ cadentis, cum pulsu languido & duro, interdum formicanti. Et illa falsa quies sequitur potius impotentiam, quam soporem: ideo nictantes, nec dormiunt, nec vigilant; languentes & dejecti, animo melancholico. In cataphora vero ab initio febris nec vigilant, nec dormiunt; sed in somnum propensi, nequeunt omnino vigilare, experrecti respondent, nec in illo delirio efferantur, cum pituita bilis acrimoniam attemperet, cum pulsu undoso, & aliquando directo. Nec illa quies debilitatem sequitur, sed ignaviam, cerebro & nervorum principio madefacto; ut dixit Aretæus: interdum sese movent; validius respondent; alacrius insurgunt, & laborant quadam typhomania, delirio & comate permixta, pituita & bile in vasis & ventriculis cerebri putrescentibus. Et si forte miscentur inæqualiter, prævalentem sequitur aut somnus aut vigilia: licet in longius progressa, etiam tremuli & debiles reddantur.

TITULUS VIII.

De signis confirmatæ phrenitidis.

An sint aliqua certa signa confirmatæ phrenitidis, diu peræque consideravi. Et fateor, quod nullo acquiescit intellectus. Vidi enim à confirmata phrenitide in plerisque incipere delirium, dum ex inveteratione causarum subito & repente apparet, veluti fera rabies, in nullo præcedente principio, nec apparente signo. Vidi etiam, hoc ex veneni violentia accidisse, in peste Hispalensi: ut à malignissimis humoribus accidere videmus, & testatur Hippocrates: ubi malignitas in ictu oculi operatur, quod per longas moras alteratio. Et in his duobus casibus non sunt signa principii, nec progressus; sed solius status, quando jam apparet confirmata. Nec deest inter doctos, qui dicat, phrenitidem interdum in viginti quatuor horis confirmari. Ego amplius dico, à confirmata phrenitide aliquando incipere delirium. Et tantæ molis est ista consideratio, ut hæc sola præscribat non tantum indicationis generalis urgentiam, in celeriter revellendo & vacuando; sed specialissimam indicationis necessitatem, ne transeat occasio sanguinis missionis ex fronte aut pinnis narium, cum cæteras generales expectare non permittit urgentia. Quod etiam Præceptoris solertia non omisit, quando dixit: *Derivare, cedentem retrahere statim*, &c. Prosper Alpinus

Hipp. 6. Epid. Sect. 2. text. 8.

nus etiam apud Ægyptios phrenitides quatuor tribusve horis interimentes observavit, dum Cayri medicinam faceret. Lib. 1. de Medicina Ægyptiorum cap. 3.

In cæteris vero, ubi lento cursu procedit alteratio, alia signa confirmatæ phrenitidis desumuntur à delirandi tempore; in aliis à lapsa intemperie, ab exolutione; ab humoris excursu in aliis; à multitudine insuperabili in plerisque; ac tandem, à depravatione omnium potentiarum simul: ita ut delirium in omnibus appareat. Quoniam illud arguit, factam & permanentem intemperiem omnes cerebri mansiones pervadere, & cum hoc etiam altius radicatam. Per hæc enim Hippocrates & Galenus phrenitidem confirmatam intelligunt, ex continuo delirio à progressa phrenitide, principio exacto, ubi antea mitior apparebat, si in posterum sævior, phrenitidem confirmatam iri, est satis magna præsumptio. Sic enim legimus accidisse in Cyzici muliere, de qua dixit Hipp. *insomnis initio, tacita, & tetrica, nec ad animi æquitatem potuit perduci. — Sexto die sub noctem multum deliravit, non dormivit. Sub undecimum insaniit.* Ex quo videtur per gradus confirmata phrenitis. Hoc idem legitur in Dealcis uxore, quæ ab initio etiam cooperiebatur, perpetuo tacita, capiebat stragula, plorabat, mox ridebat, nec unquam dormire poterat: argumentum altius radicatæ intemperiei, quo celerius apparet confirmata phrenitis. Sed ex nullo signo certius desumit argumentum, quam ex magna & rara respiratione: hæc enim est altæ oblivionis consectaria, & oblivio altius radicatam arguit intemperiem. quo mens videtur longe à se egressa, ideo confirmata phrenitide. Est etiam confirmata phrenitis, quando fluxio restitit, atque membro inhæsit, altius radicata. Vbi Galenus inquit, *derivare per vicina magis expedit.*

Hipp. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 14.

Galen. 4. Method. 6.

Ideo ex aliqua singulari specie delirii major confirmatio arguitur: ut in homine modesto ex feroce responsione, sive in principio, sive progressa phrenitide. Nam sicut institutorũ morum comparatio est longe difficillima: sic mutatio ad morum insolentiam arguit causæ altius radicatam inveterationem, ideo forte insuperabilem. Gravissimum enim est, si homo modestissimus obscœna loquatur, & si omni virtute Socrates temperatus, immanibus cœptis efferatur. hæc enim cerebri alienati, longe à se egressi, est indicium, quod est ipso jure lethale: cum à privatione ad habitum sit fere recursus impossibilis; si non sit consuetudinis, aut mollis & effæminati animi excusatio: quippe non facit consuetudo ad præsagium. Hoc nos docet Hippocrates in illa Coacarum sententia: *Si quis ea faciat, quorum insolens est, gravissimum habet malum.* Est enim illud pravi delirii argumentum, contra naturæ habitum, per longum tempus, & actibus quam plurimis firmiter acquisitum, quod lege consuetudinis sancitur. Nam quemadmodum, quæ est recte & secundum naturam instituta consuetudo, est ipsius naturæ conservatrix; sic egressio ab hac consuetudine, est prompta ipsius debellatio. Hinc vulgaris parœmia: *consuetudo est altera natura.* Ac ideo qui assueti sunt ferre labores, hos tolerant facilius. & quæ sunt longo tempore consueta, sunt minus noxia, licet deteriora. nam unumquodque facilius alteratur à simili: ideo consueta fert facilius; & insueta difficilius. Catholicum est illud axioma: *Naturæ similia, maxime salutaria: maxime lethalia dissimilia.* Hinc insolita & repentina mutatio, magis periculosa: quia parit alterationem vehementem, ut omne temperamentum, in quo salus consistit, evertatur. Ex qua eversione quo major est distantia, eo gravius & certius discrimen: quoniam tam magnam violentiam sola causa inducit valida. Nam diu radicatam consuetudinem, & in naturam versam, ut nisi causa magna valuit alterare; sic id efficere, absque gravi noxa non poterit. Ideo ad mores in corpore & animo mutandos non solum requiritur alteratio primarum qualitatum; sed quæ modum substantiæ invertat in secundis & tertiis qualitatibus; veluti in mollitie, duritie, densitate, & raritate, aliisque quæ à tota substantia operantur. Si ergo sola mutatio morbosa primarum qualitatum, everso temperamento, est evidentis periculi occasio, certior magis erit substantia simul cum qualitatibus mutata. Quod accidit, dum mores in animo & corpore mutantur. Hoc in mania pariter ac phrenitide observavimus; & maxime in illis, quorum animus erat altis curis attritus, ut paulatim cerebrum profunda siccitate marcesceret. Ex quo accidit, ut ex paulatina inveteratione causæ, subito incidat potentiarum error. Hinc, *moderati hominis prava responsio, prava* à Præceptore æstimatur, licet brevi tempore comparetur. Subito enim causæ vehementia inducit, quod in aliis paulatina producit intemperies: quoniam illa morum dissimilitudo, tam brevi comparata, in nullum aliud delirii genus cadit, quam in solam phrenitidem, eamque confirmatam. Ad illam Prorrhetici sententiam; *Tantulum,* quæ pauco tempore fiunt, *desipientiæ ferinæ sunt:* Galeni judicium est: *Non ideo quæ longo fiunt, ferociores sunt, quam quæ multo minori. Eas vero —suspectas haberi admonet: ipsisque tanquam non redituris haud fidendum esse. Nam quæ in calidis febribus fiunt desipientiæ, ferocitatem non habent. Phreniticis vero appellatis id inest.* Nempe quando in cerebro phrenitica aliter affectio, quæ aucta postea est ferina. Nam transit principium & augmentum, dum ipsa inveteratio inducitur, ut, cum elucet phrenitis, jam appareat altius radicata.

Hipp. 1. Coac. 50.

Hipp. Lib. de Aere, Loc. & aquis. & Arist. 1. Metaph.

Hipp. 1. Coac. 54.

Hipp. 1. Prorrh. Sect. 1. 25.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrh. Sect. 1. 25.

Hæc cerebri obsessi sunt indicia, ideo confirmatæ phrenitidis. Sed his alia adaucta voluit Galenus, ad illorum certiorem notitiam. *Verum,* inquit, *conspicari talium oculos oportet. Si enim crebro obtutus movetur,* (hoc est, intuitus) *expectanda insania est. Cum perturbationem aut delirium dixerit ab eo accidente significari: nunc determinat docetque, quando delirium, quando perturbatio sola futura sit,* &c. *si enim instabiles apparent, indicatur deliriũ,—& illud vehemens quoddam:* quia oculorum musculos diximus *primos sentire cerebri affectiones.* Idque dupliciter; vel quando valde magna. quo indicat insaniam: vel cum *septo transverso, vel ore ventriculi consentit. cum enim ex illo omnes nascantur nervi, quæcumque pars plurimis aut maximis participat, hæc merito in consensum originem eorum perducit.*

Idem, 1. Prog. 28.

Si lapsa intemperies, & ab illa confirmata arguitur phrenitis, quantum delirium recedit à se ipso, in ipsa conditione delirandi. Aliter enim est ferendum judicium de delirio in rebus leviter impres-

pressis, ubi ex quavis alteratione species & movent & sollicitant potentias: & aliter de illo, ubi errat judicium in rebus altius radicatis, &, ut sic dicam, nobilioribus; ubi longe magis & late depravatur potentia. Hanc delirii differentiam satis novit Hippocrates quando dixit: *Deliria circa necessaria, pessima: & si inde ingravescant, mortifera.* Vnde tam magni periculi ratio desumitur? In meo judicio, quod hæc sit æstimativæ extrema depravatio. Nam sicut in sanis tolerabilior esset error circa opinabilia, & circa certa & necessaria gravior, ut circa maxime seria gravissimus: sic facile tolerabilis erit error, in levibus & nullius momenti. quod Galenus *nugari* dicit, & ideo levioris periculi. Sed in rebus plane gravissimis erit error gravissimus, & maxime timendus; præsertim, qui circa ægroti necessaria versatur: tum quia foret læsæ graviter mentis, & omnium principum facultatum. quæ quo plures læsioni conspirant, eo pejus res eunt: tum quia exolutionis periculo laborat, quo vires morbo ferendo minime servarentur. Inde certe lethaliter talia ingravescunt deliria, quando tales ægroti extrema contumacia efferantur, & animo pertinaci morem gerunt. Nam extrema deliria indelibilem arguunt intemperiem, aut ultimam facultatis imbecillitatem: ut in Muliere Cyzici Hippocrates notavit; quæ tacita & tetrica persuasione erat insuperabilis: ut etiam Erasinus, qui sibi imperare non poterat: & Adolescens, qui largius cænavit, & extrema delirii pertinacia interiit: ut Mulier etiam, quæ apud frigidam in Thaso ægrotabat: de qua dixit Hippocrates; *cibum non sumebat, animo dejecto: insomnis, iracunda, implacida, animo melancholico.* Neque idem sonat illud, *cibum non sumebat*; ac illud quod in Parii Historia, *à cibo abhorrebat.* Nam hæc appetentis facultatis, aut vitium ventriculi denotat: illa vero animi pertinaciam, nolentis cibum aut potum sumere; ut nos in plerisque vidimus, & in Muliere morosa adnotavimus, quæ contumaciter etiam loquebatur, seque continere non poterat. Simili pertinacia Dealcis uxor laboravit, quæ ab initio cooperiebatur, perpetuo semper tacita, ut nullo ingenio adigi ad loquendum posset.

Hipp. 1. Coac. 103.

1. in 3. Epid. 8. & 11.

Quæ autem sint illa vitæ necessaria, circa quæ est æstimativæ ultima depravatio, ex varia hominum appetentia percipies. Alii enim appetunt, quæ maxime noxia in cibo & in potu: alii vitæ conservandæ maxime necessaria renuunt, aut non ferunt, & inutilia libenter amplectuntur, & quæ forent saluti, ut hydrophobi fugiunt; ut qui aquam & omne alimentum aversantur, & tali pertinacia huic errori cedunt, ut sub hac hæresi mentis penitus moriantur, cum nec cibi conspectum ferre possint, labra, cochlearia, & pocula mordentes, & plerique lucem ut nyctapoli fugiunt; si non est excusatio in ipsa spirituum inopia. Alii oblatis necessariis ad vitam sustentandam percelluntur, & aerem attractum, tantopere vitali alimento necessarium, intra fauces coërcent, & transitum illius continent obseratum. Cum ergo erroris depravatio est tam magna, ut cibum, potum, & aerem aversentur, est major censenda ægroti desperatio: quoniam illa sub medicinæ auxilia non cadit, & licet aliquando prudenti solertia medeatur, curatio tamen potius

A est admirationi quam imitationi. Nec est nostri instituti, historias referre, quæ plus habent admirationis quam fidei.

Et si quæras, in quo consistat talis erroris causa? attende: quod si, non impedito, nec deluso objecto, (est enim necessitatis causa præsens,) æstimativa læditur, aut phantasia, aut fortasse in ecstasim abducitur distracta, nec percipit species, nec objectum agnoscit, sed circa alia phantasmata, ab alio principio oblata, fortius operatur, accidere hoc tetra exhalatione inebriata, aut
B eversa temperie, depravata potentia: sed quando illud accidit errore omnino contrario naturali principio operandi, contrariam arguit intemperiem, & modum substantiæ contrarium in ipso instrumento, in quo potentia residet. quod nullo alio pacto induci valet, quam causæ vehementia, & lapso partis temperamento, si non forte in habitu contracta intemperie quod nobis probabilius videtur. Ex qua contrarius præexistenti humor generetur, ut accidit in malacia prægnantium. Hoc patet, quod necessitas aut objecti, aut
C potentiæ defectu, non percipitur. Ergo, si non est in objecto defectus, erit necessario in potentia, quam aut humorum malignitas, aut membri intemperies evertit, aut omnino corrumpit, ut contraria necessitati petat: veluti, cum cerebrum alienatione alteratur, ut sui pereat negligentia. Cui sane signorum pervicaciæ si malignæ cacochymiæ perennis accedit generatio, & morbum ingravescere, & effœtam naturam fatis cedere est omnino necesse. Ideo deliria, circa necessaria, pessima.

D Illa ergo sunt vitæ maxime necessaria, quibus hominum vita sustentatur, & unde vis emanat, ut vivificum nectar, & vitalitas cordis reparetur, cum vitali spiritu, humido primigenio: hæc sunt cibus & potus, & inspiratus aer, & res non naturales sunt in secundo loco, ut quæ naturæ faveant, aut in morbum conspirent. Si ergo delirantes ægroti fastidio & contumacia efferantur in cibos & in potus, in sibi assistentes, aut in medicos, parum & raro bibentes, aut aquam aversantur, causa grandi sitifera manente, & sub ardenti
E pyra, & respirant per longa intervalla, quid inde salutis spei restat, nisi ut pereant, sub illa negligentia aut prava contumacia, lethaliter phrenitica; si non plane fanatica: ex qua est pene recursus impossibilis? ut etiam adnotavit Hipp. in quodam statu pestilenti iis omnibus evenisse, qui perierunt, contumaci phrenitide. *Iis* inquit, *febres ardentes erant, & phrenitici cibum aversabantur, potum non capiebant, & ægre admitte bant oblata.* ut Mulier quæ apud frigidam in Thaso ægrotabat.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3.

F Inde etiam arguitur confirmata phrenitis, si cerebro obsesso, illius & aliorum membrorum facultates occupat exolutio. Hujus veritatis & prognosis exemplum legitur in illa Coacarum sententia, quæ sic habet: *Albæ dejectiones in phrenitide, & corporis exolutio, grave malum: sed si rigor accesserit, gravissimum.* A fellea vesica duo divaricantur ductus: alter in hepar, inter venæ portæ & cavæ radices, numerosis surculis distributus, quibus bilem sinceram in se allicit: alter ad duodenum fertur, quo vesicula majorem bilis partem ad intestina trudit, ut acriori morsu tardiora ad excernendum intestina irritentur, & cibi etiam

Hipp. 1. Coac. 96.

reliquiæ abstergantur. Si ergo efferæ cacochymiæ acrimonia bilis acriori morsu concitatur, & à fellis vesica non expurgatur, imo cum sanguine refunditur, naturam in se concitat, ut immeritam noxam à se pellat: & cum indigne ferat hos acriores morsus jam concitatæ bilis, illam velut impulsu furioso extrudit, & bilis, qua data porta, ruit: aliquando attrahitur à parte calefacta; à debili excipitur. Vnde accidit illius materiæ orgasmus, ne ruat cum periculo ad cor, ad hepar, vel ad cerebrum, prout fortuna, aut partis recipientis dispositio, tulit. Cũ ergo sit omnis metuenda translatio, est magis horribilis maligni & sinceri humoris. Nam quando omnis recursus est suo jure pravus, humoris maligni est lethalis; seu quia membrum vehementer intemperat vel corrumpit. Ideo fit orgasmus in æquali periculo; seu ex humoris sorte; seu partis, in quam decubuit, nobilitate: nam biliosi & permixti humoris est indifferens, & potest esse ad membra ignobilia salutaris.

Quare, ubi albæ redduntur dejectiones in phrenitide, argumentum est, aliorsum transferri biliosam materiam, quę ad intestina erat naturæ magisterio deferenda. Quod si illud in phrenitide accidat, manifeste convincitur, ad cerebrum pravam concitari metastasim, seu illius membranas occupare. Illa tamen translatio potest esse indifferens, & non prorsus lethalis, nisi ad hanc sequatur corporis exolutio; ut notavit Hippocrates: illud enim est soboles efferæ & malignæ materię, quæ vel ad membri corruptionem disponit, vel saltem vehementem intemperiem producit; si maxime aliunde fovetur materiæ morbificæ perennis generatio, & in eam partem ruat, cujus beneficio vita carere nequit. At tunc est maxime de vita desperandum, cum pars ipsa in officio fatiscit. quod cernitur in extrema depravatione, aut imbecillitate essentiali, exolutione comparata; non in ea, quam tulit grave onus, cujus levatio libratur in naturæ conatu. Quod & utrumque arguit confirmatam in cerebro phrenitidem.

Illam translationem nunquam sanatam vidi, quæ alienationem in cerebro induxit: quoniam ex illa prorsus nativa temperies invertitur. unde perit sensifica & motiva potentia, & silens tremulaque phrenitis concitatur. Cum hoc tamen attente considera, cerebro jam obsesso cum delirio, si albæ dejectiones superveniant, tincturæ biliosæ expertes, ad intestina bilis denegato excursu, per meatum, qui inter duas intestinorum tunicas tortuoso ductu inseritur, & tanquam ostiola habet quasdam membranulas, quæ bilis impediunt refluxum; à qua nam causa ille bilis ad intestina comeatus præpeditur; an scilicet, quod cerebrum vehementius attrahat, dum ardore incanduit; an quod jecur ad phlogosim prolapsum bilem perenniter cumulaverit, cujus & febris occasione magna pars in cerebrum transfluxerit; an ex venis talis fiat orgasmus, efferæ & acerrimæ bilis, aut bullientis sanguinis, gliscente & coacta natura, ad intestina exitu denegato: deinde, an in hoc statu sit aliqua sperabilis crisis; quod pepasmus & vitalis & naturalis vigor indicabit. quoniam tunc non erit omnino de vita desperandum; maxime, si cerebri oppressi sunt indicia: quia talis exolutio potest esse ex pugna, in ancipiti alea, interdum ex naturæ conatu. Vt, dum hæc fatis damus, experimur in Hispalensi juvene, in maligna febre, continuo per duodecim dies delirante: à quo tandem evasit paulatino sudore, non prorsus copioso, & moderata admodum hæmorrhagia. Quod pariter etiam observavimus in quadam generosa & Nobili Matrona, adhuc cum pulsu tremulo. Quod Hippocrates etiam in quadam Tempestate austrina accidisse, memoria mandavit: *Ibi erant* inquit *comatosæ phrenitides; sed hos aliqua vacuatio vel abscessus ab arte aut natura juvabat.* Quare illa tantum erit desperata exolutio, quæ essentialem sequitur facultatum eclipsim, cum nempe corpus ad pedes labitur ut inutile pondus, collapso animali & vitali principio. Exempla sunt, Vultuosa & morosa mulier in Thaso; quæ ambæ evaserunt per copiosum sudorem, & quia menses copiosi proruperunt.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3.

1. Epid. Sect. 3. 11.

Sors ultima confirmatæ phrenitidis est, quando à perenni delirio accidit fanatica dementia, motibus tremoriferis copulata. Quæ dupliciter accidit: seu nervorum principio vellicato; & tunc sunt potius motus convulsivi, quam tremores: seu animali facultate penitus jam collapsa; & tunc fiunt tremores ex ultima facultatis atonia. Et utrumque aut irrigatione, aut inflammatione, seu nectare vivifico exhausto ultima siccitate aut marasmo retorrido, seu ustione humoribus contracta, quo illi nervorum processus, qui à cerebro descendunt, vellicantur. Et utrumque sub hac distinctione vidimus evenisse, ab inflammatione his motibus convelli, cum dentium stridore, nervorum principio vellicato, ab humore exusto, ab irrigatione pulsibus fataliter tremulis, continuo tremore, & delirante murmure deficere. Nobile exemplum legitur in illa Coacarum sententia: *Qui cũ immanitate contremiscunt fanatici, in brevi moriuntur.* Illi certe laborant fanatica dementia, qui in ecstasim rapti, torvo vultu, insania immani efferantur, & pedibus calcitrant, odio familiares habent. Quod cernitur etiam in homine modesto, epiachos animo: ex quo venit ferox & proterva responsio. Est enim ferocitas, habitus quidam animi, quo ex professo civilibus adversamur consiliis: aut excessus melancholicus, ferina ustione comparatus. hi Græce ineodes appellantur, dum ex flava ad atram bilis vertitur: cujus in empyrheumate est facilis conversio. Quare, ex bilis atræ morsu omnia sunt immanitatis plena, cum omnes cerebri mansiones pervadat epigenesi phlogosis, aut inde siccitate propagata, acris morsus: quo, altius radicata intemperie, facultas in essentia labitur, & nervis arefactis, cum præ pondere & imbecillitate facultas movere nequit, motu tremulo inordinate & depravate movet. Vnde fiunt motus tremuli, labor extremus, officio fatiscente facultate. Hinc etiam tremor est symptoma alienati cerebri; si venit in progressu: aut proritati; si venit in principio, aut ab insania fortiter alterati.

Hipp. 1. Coac. 93.

Hinc *deliria, paulisper ferocia, mox immania futura, & certo convulsifica,* Hippocrates prædixit. Ad quam sententiam est Galeni judicium: *Quæ exiguum ad tempus feroces desipientiæ mox quiescunt, suspectæ sunt habendæ.* Forte, quod non ita breviter redintegratur tam lapsa temperies; seu quod præterita natura tam efferam materiam non aggreditur: quo fit, ut paulisper quiescat, & mox crudelius

Idem, 1. Coac. 90. Galen.

lius revertatur. Hinc etiam prava, quæ ferocia incipiunt deliria, contra naturæ ordinem, qui est, à levioribus incipere. De his dixit Hippocrates; *Quæ pauco tempore fiunt feroces desipientiæ, sunt ferinæ.* Cum humoris ferocitas tempus præoccupet: ut notavit Galenus in illa Phrenitici historia, qui virulenta vomuit: & in illis nulla sit speranda securitas, ubi super malignitatem non valet natura dominari. De hoc unum signum nobis Hippocrates reliquit, ut certiores reddat, quando dixit: *In phreniticis principio simpliciter & clementer habere, sed crebro permutari, malum id est.* Clementia enim ut fida sit & secura, continua debet esse, non intercisa. Nam ex hac permutatione Galenus vires à morbo superari inquit; siquidem quæ fiunt in principes partes transfluxiones, clementiam corrumpunt: ac ideo repente sese produnt efferata deliria, dum in cerebro phrenitica alitur affectio, ustione aut causarum inveteratione, cum propensione ad excessum ex transitu flavæ bilis in atram. in hoc enim transitu falsa decipit quies. Quod ex alio etiam signo Hippocrates venatur, quando inquit: *Qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantque cum surditate, cito hi vehementer insaniunt.* Quod certius comprobavit Historia Philistæ, cui caput dolebat: secunda fortiter insanivit: tertio, convulsus; quinto defunctus est.

Hipp. 1. Prorrhet. 25.
3. Epid. Sect. 3.
Hipp. 1. Prorrhet. 12.
Idem, 2. Prorrhet. 10.
3. Epid. Sect. 2. ægrot. 4.

Illud tamen attentione dignum existimavi; alias nempe convulsiones delirium sequi; alias humoris, qui delirium efficit, feritatem: illud certiori periculo; hoc dubio. Si attendimus ad illam Hippocratis sententiam: *Si quis dentibus strideat in febribus, insaniam significatur ac mors.* Si ante delirium, insaniam; si post delirium, mortem notat: Nam, *stridere dentibus* (est Galeni judicium in hujus sententiæ Commentario) *quibus ab initio non erat consuetum, futuri delirii est accidens. Si vero adeundo interdum ægrum offendas utrumque perpeti, delirare & stridere dentibus: hunc jam esse prope mortem arbitrare.* Illa summa insania cernitur in iis, qui mordendo, percutiendo sæviunt in suos, ut etiam sibi ipsis manus inferant. Et hi sane omnes fanatico tremore moriuntur. Vt etiam legitur in alia viri sapientis sententia: *Mente ob melancholiam aberrantibus tremores supervenientes maligni.* Mortales ego dicerem, si confirmato delirio superveniunt. Neque hoc dissentit à Galeni doctrina: nam hanc *mentis motionem* inquit, *aberrationemque intelligere oportet vehementem & ferinam, quæ irrigante cerebrum assata flava bile oritur:* cujus facilis est illa transmutatio. *Cum igitur talem ob affectionem tremor fiat, vehementer exiccatos ostendit nervos: atque ob id hominem lethaliter habere; qui ergo ex atra bile mentem aberrantem superveniente tremore certo moriturum affirmat, non fallitur.* Χαλεπὰς *autem* (quæ est vox, qua Hippocrates utitur) *morbos, id est malignos appellamus, quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt.* Assentior Galeno in hujus sententiæ judicio. Reor tamen, Hippocratem malignum in illa sententia appellasse tremorem, qui sequitur humoris feritatem; ad differentiam illius, qui sequitur confirmatam phrenitidem, quique est plane mortalis: ut confirmat alia Hippocratis sententia: *Ægregii phreniticorum tremores, citam mortem denuntiant.* In Prorrhetico legitur: *Phrenitica vehementer trementia finiuntur.* Ac-

1. Prog. 21.
Galen. in Hipp. 1. Prog. 24.
Hipp. 1. Prorrhet. 14.
Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 14.
Hipp. 1. Coac. 102.
Idem. 1. Prorrh. 9.

si idem esset finiri in tremorem, ac in mortem. Hæc omnia intellige, si confirmata & progressa phrenitide tremores superveniant. *Ægregii*, hoc est, inter pravos eximii.

Nam quibus phrenitidis principio adveniunt tremores, nervis acriori morsu vellicatis, & adhuc cum dentium stridore, de iis falso illud enuntiabitur judicium: cum possint ad crisim concitari, &, si ex multitudine, salubri evacuatione mederi. Ideo enim in Pythionis Historia admiratur Galen. Hippocratem in illius tremore sanguinis missionem non imperasse, quod esset in principio & soboles acrioris humoris. *Pythion*, inquit Hippocrates, *qui propter Telluris ædem habitabat. Cœpit primodie tremor à manibus, febris acuta, nugabatur.* Galen. in Commentario. *Cum itaque tremores causam habeant, ut ita dicam, continentem, virium imbecillitatem: illa autem afficiantur*, imbecillæ reddantur, *aut per se, aut per humorum exundantiam gravantem: non existit tremor, qui virium consequitur offensam, in principio morbi citra validam ægritudinem*, &c. *tum vero quod nugabatur homo, cerebrum etiam ipsum aliquem excipere infectum humorem indicio esset: oportebat Hippocratem cum hominem animadverteret in præcipiti esse, ad sanguinis se missionem convertere.* Si vero propter affectionis siccitatem phreniticis diutissime insunt, exoluta virtute, tum vigiliis, tum motionibus, & febris ardore, tunc sunt pene lethales & funesti tremores. Et hic est certe diorismus & solutio illius quæstionis, quam proponit Hippocrates: *Phrenitici sputatores fanatici? etiamne tremuli?* Hoc est, an eo, quod sputatores sint fanatici, & eo quod fanitici, an tremuli? Reor certe, quod ab eadem causa fiunt phrenitici sputatores fanatici & tremuli, illa nempe progressa & confirmata: quoniam ptyelismus fit ab excellenti calida intemperie, aut cerebri inflammatione, resudatis & liquatis humoribus: unde in fauces delati, indecore sputatores fiunt, fanatici ab extrema dementia furiosi, seu acriori morsu cerebri membranis vellicatis, seu extrema intemperie mente alienata. Ex quibus extrema imbecillitas in movente potentia inducitur, unde tremuli persistunt, aut nervis acrimonia vellicatis, aut extrema siccitate arefactis, quo motibus convulsivis subsultant. Et inde accidit, ut insaniæ accedat ptyelismus, vel dum necessario collecta humiditas à cerebro exudat; vel dum inflammationis liquatur empyrheumate, & tunc ex cerebro in palatum refunditur faucesque; sicut in capitis tromate, quod ad cerebrum pertingit, pustulæ biliosæ erumpunt in pallato & lingua, ex sero maligniter ustivo, ab inflammatione liquato aliter resudato; & in ophthalmia lacrima corrosiva; in pleuritide, ichore pro tussi concitanda; in hepatis inflammatione pro singultu; aut tandem dum errore phantasiæ indecore & absque reverentia conspuunt assistentes, ut finem non faciant sputandi, contra urbanitatem & instituta mores. Quare, si ad inflammationis aut irrigationis altius radicatæ magnitudinem malignitas accedit, & talis alienatio, nervorumque ariditas, non est sane mirum, etiam sputatores fieri & tremulos mori. quoniam per gradus comparatur, ut prius ex cerebri inflammatione sint phrenitici; sputatores, cerebri substantia colliquata; ipsaque alienata sint fanatici; & novissime tremuli, ab ex-

Hipp. 3. Epid. Sect. 1. ægrot. 1.
Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 1. ægrot. 1.
Hipp. 1. Coac. 99.

haustu fatali, quem excipit dira mortis accessio veluti per gradus ad interitum.

Hi sunt illi phrenitici, de quibus legitur illa Hippocratis sententia: *Qui raro & parum bibentes, & cum rauco strepitu convelluntur, tandemque contremiscunt.* Præ imbecillitate musculis faucium à deglutiendi officio feriatis, & ab exhaustu nervorum principio arefacto. Hujus exemplum est Theodori uxor, in qua sonitus in bibendo audiebatur ita raucus, velut aquæ cadentis, inter alia gravissima symptomata. *Qui cum strepitu & murmure quodam bibunt, difficulterque deglutiunt, cum respirationis offendiculo, sunt plane desperati*, juxta Hippocratem. Tales etiam ideo contremiscunt, quia illa, quæ moventur & movent, præ imbecillitate mutuis certant imperiis, & pondere naturali & morboso impulsu sursum ac deorsum trahuntur; ut in Pythione Hippocrates observat, & Galenus nos docet. Hoc etiam in quodam statu pestilenti accidisse Hippocrates enarat. *Non omnes tremorem incurrerunt*, inquit, *sed qui habebant deterius, & deglutire non poterant.* Quod malum in Trasynontis filia Hippocrates notavit, in faucibus gracilibus, non certe inflammatis, sed aridis, ut antiqua retinent exemplaria. Quod in alia etiam legitur Coacarum sententia. *Qui in delirio vocem canoram edunt, lingua convelluntur, totoque corpore contremiscunt, & cœptis immanibus efferantur; his est rigida cutis lethalis.* Hæc omnia sunt extremæ ariditatis, ultimæque imbecillitatis argumentum. Nam vox canora fit ex aspera arteria extreme resiccata: ut & linguæ convulsio, ab exhaustu, nervis reversivis retractis, & quatuor linguæ musculis in consensum hujus retractionis adactis. Quibus facile tremor universalis accedit, si nervorum principio spinalis medulla exarescit, valde lapsa intemperie, animali facultate fatiscente: nam se mutuo ad invicem consequuntur extrema intemperies & lapsa imbecillitas; ut in Dromadæ uxore, Muliere morosa, & Cyzici muliere Hippocrates notavit: sive illud accidat ex mutatione flavæ bilis in atram; inde enim fiunt fanatici: sive ab exhaustu partium solidarum; unde fit etiam rigida & morticina cutis.

Hipp. 2. Coac. 102. | 7. Epid. 26. | Hipp. 1. Coac. 67. & 1. Prorrhet. 16. | Hipp. 3. Epid. Sect. 3. 44. | 3. Prorrhet. 12. | Hipp. 1. Coac. 104. | 1. Epid. Sect. 3. 1. & 3. Epid. Sect. 3. 11. & 14.

Ideo in phrenitide nulla fere relinquitur spes revalescendi: quia facultas, vix sibi satis valida, externis & prorsus necessariis auxiliis succumbit, prædebilis calor coctioni aut humoris dissipationi non suppetit, altius radicata intemperies ad ultimum resistit, causæ perennitas morbo copias addit, vigilia & pallida inedia vires adhuc validas dejicit, ac tandem internum cerebri empyrheuma vivificum nectar consumit, retorrido marasmo. Nec est ideo omnino de majestate naturæ desperandum, cum phreniticum per duodecim dies, licet mitiori delirio laborantem, liberatum vidimus. Vidimus alium, per quinque dies cœptis immanibus ferocissimum, omnino à faucibus orci vendicatum, quem postea excepit somni dono divum gratissima quies, eaque plane critica huic morbi statui. Quare, illud tibi erit in phrenitide declinationis certius argumentum, si à cœptis immanibus ad mitius delirium transferatur, cum febre mitiori, & molliori pulsu: dummodo non sit excusatio in summa virium imbecillitate, ubi falsa quies declinationis imaginem mentitur. Alia signa declinationis in phrenitide, in hac sententia, traduntur ab Hippocrate. *Quæ in phrenitide memorantur insomnia, bonum denuntiant.* Cum nempe somno jam exacto, jucunde & alacriter ab eo memorantur, cui visa jam occurrunt tranquilla. Sunt enim insomnia tanquam quædam spectra, velut per somnum visa, quæ sensui communi à sensibus externis repræsentantur: *Nihil enim*, ut dixit Aristoteles, *est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Non enim sensus communis, ut externi sensus, per somnum feritur: sicut nec animus ad cogitationes. Quare, quæ in phrenitide memorantur insomnia, placida & tranquilla, non turbulenta, neque tumultuosa, nec à superis immissa (qualia ex Porphyrio & Platone in nostris Feraliis adnotavimus) hæc sane apparent ad salutem, comatis metum adimunt. Sunt enim comatis & typhomaniæ somnia tumultuosa & confusa, quia rerum imagines, vaporibus implexæ, tumultuose & prave sensibus applicantur, pleræque diffluunt, aliæ revertuntur. Hoc intellige in progressa aut exacta phrenitide; non illa, de quibus in Prorrhetico Hippocrates dixit: *Insomnia quoque in phreniticis conspicua.* Hæc enim ex importuna vigilia siccitate in cerebro contracta, in principio ita perspicuo repræsentantur, ut illa se videre putent, falso tamen, ut notavit Galenus: ita ut per illa insomnia quis possit futuram phrenitidem prædicere. Hoc enim non est idem ac memorari postea phantasmatum, quæ per somnum repræsentantur, cum declinat phrenitis: tunc enim fiunt conspicua insomnia, quia cessat potentiarum conturbatio. Ideo memorata præclare faciunt ad salutem: quia nec phrenitidis, nec comatis profundi symptomata sunt, imo facultatem animalem redintegrari indicant; non tantum quod conspicua, sed quod per somnum fiant. Nam *ubi somnus delirium sedat, bonum* dixit Hippocrates. Quoniam natura, à morbi insidiis vendicata, veluti instaurata quiescit, ac spiritus vivificumq; nectar per phrenitidem exhausta, resarciuntur illa in quiete, quæ loco vigiliæ succedit. Et, si actiones & somni & phrenitidis perpendimus, nihil nobis miri erit, somnum esse phrenitidi crisim, nam contrariis actionibus pugnant. Quod expresse Hippocrates nos docuit, quando dixit: *Quibus à metu febris vacua ad furorem egressio est, id febres cum sudoribus, & somni arctiores nec turbulenti exolvunt.* Somnus enim pari humiditate redintegrationem indicat ipsius cerebri, depulsa siccitate. Nec te quies decipiat, ut dicebamus antea, in falsa phrenitidis levatione, cum propensione ad somnum, quæ solet esse potius vigilandi impotentia, quam instauratus somnus. Nam licet aliquantulum remittat, & parum ægrotus resipiscat, si febris & imbecillitas persistat, affectioni tamen non fidas, tanquam non redituræ: quoniam adhuc in cerebro phrenitica alitur affectio, ut contigit Herophonti, & Mulieri, quæ in littore decubit, Philini uxori, Hermocrati, & tandem Apollonio.

Declinationis signa. | Hipp. 1. Coac. 93. | Aristot. | Hipp. 1. Prorrhet. 5. | in Comm. | Hipp. 2. Aph. 2. | Idem. 2. Coac. 24.

Quare autem in aliis citissime confirmetur phrenitis, tardius in plerisque, in causa est humoris virulentia & maligna conditio: ut in Phrenitico, qui virulenta vomuit, cui à prima die apparuit confirmata phrenitis, quod humoris virulentia esset veneno similis, si credimus Galeno; seu ex

ex causæ phreniticæ inveteratione, tempore anteacto comparata, ex qua pullulat quædam maligna & ustiva qualitas, sive ex ustione seu reduplicatione fermentata putredine, ita ut completa phrenitidis symptomata sese prodant in initio, quo tempore deberent esse omnino leviora: nam tam cito graviora symptomata advenire, est maximum hujus pravæ qualitatis argumentum, ut in Thasio Phrenitico Galenus adnotavit. Confirmatur ultimo æque cito ex magna recipientis aptitudine: ut nos etiam observavimus in Carmonensi Medico non indocto, qui absque mensura, neque ordine, tabacum per nares adsumebat. Is forte incidit in putredinis synochum, & secundo die erysipelas phlegmonodes faciem universam occupavit. Tertio die incepit delirare, mitiori delirio, cum repente internus cerebri calor, jam antea contractus ex usu præpostero tabaci, à partibus externis ad se traxit omne erysipelas, ut intra breve spatium saturatus faciei color evanesceret: non ex sola metastasi, non sola caloris tractatione; sed ex imbecillitate recipiendo apta. Vnde increvit delirium, ut etiam symptomata ad summum adaucta in quarto viderentur, & in illo confirmata phrenitis, quæ nullis generosis auxiliis, nulla sagaci solertia potuit demoliri, quin æger decima in die fatis cederet. Cum enim ad suscipientis causæ aptitudinem vis magna efficientis accedit, est ita prompta morbi magni generatio, ut certe difficilis sit depulsio. Et est hujus confirmationis argumentum, si in errore est extrema dementia, aut per omnes cerebri potentias divagatur: arguit enim, causam omnes cerebri mansiones pervadere, forte extreme lapsas reddi. Vnde pullulat delirii varietas, in visu, in auditu, in phantasia, in cogitatrice, & memoria. Quod non tantum phrenitidis indicat incrementum, quod in actionibus cernitur ad summum depravatis; sed naturam, & omnes facultates à morbi & symptomatum sævitia superari. In aliis autem, pro causæ vehementia, aut partis recipientis aptitudine, aut tardius aut nunquam confirmatur: ut nos etiam vidimus in adhuc per multos dies prorogato delirio.

2. Aph. 29.

Anno 1632.

TITULUS IX.

An phreniticis semper sit magna & rara respiratio.

Magnam & raram respirationem non tantum esse phreniticorum propriam; sed confirmatæ phrenitidis argumentum, nos Galenus & Hippocrates docuerunt. Galenus in hoc citato loco: Hippocrates in omnibus fere phreniticis hanc observat, veluti in Philisco, Sileno, Dromadæ uxore, & mille aliis. Sic etiam legitur in Prognostico: *Spiritus magnus & per multum tempus, desipientiam significat.* Et 1. Epidem. quatuordecim ægrotis, in quibus magna & rara respiratio observatur, delirium adesse plane constat. Reddidit rationem Galenus: *Quod vero non pluri aere opus habeant, qui magnum & rarum spiritum inspirant, ipsa raritas ostendit. Omnino enim frequentius phrenitici inspirare urgerentur, si pluri indigerent. Quod vero per longum tempus cessent, signum est, non multo opus esse. Sed videntur ambæ hæ velut obliviosæ actionis affectus esse. Etenim immoderatam facere spiritus attractionem, rursumque immoderatam quietem, ejus est qui neque quando desinere ab actione oporteat, novit, neque quando rursus incipere, sed in utrisque mensuram egreditur, ob ignorantiam convenientis. Quemadmodum igitur desipientes sæpe postulata matula quo mejant, obliviscuntur interea, & neque mingant, nisi quis commonefaciat: sic quandoquidem & respiratio animale opus est, ipsis autem ratio læsa est, obliviosiores tum circa actiones, tum circa ipsarum interstitia fiunt.*

2. de Diff. Resp. c. 4.

Hipp. 1. Prog. 24.

Galen. 2 de Diff. Resp. c. 3.

Hæc respiratio propria phreniticorum est, non tamen ita propria, ut sit inseparabilis, si perpendimus alias Hipp. sententias, secundum varios phrenitici status. Dictatoris est illa Coacarum sententia: *Delirium cum brevi respiratione & minutula, citam mortem ostendit: mortiferum est etiam cum difficultate respirandi & singultu.* Hujus sententiæ exemplum est Pythion, qui octavo die parum dormivit, statim vero frigiditas, taciturnitas, spiritus tenuis, imminutus, sero vero excalefactus deliravit. *Quemadmodum igitur,* (inquit Galenus) *auctus magnus, sic imminutus parvus est. Sic igitur & cum diem secundam enarrat Pythionis, brevispirum ipsum appellat. Brevis enim respiratio & actionem & quietem ipsam brevem fieri indicat, quemadmodum longa spiratio contrà, ambo esse producta.* Quare tenuis & imminutus spiritus brevis omnino existit. Nam licet magnus & rarus delirium significet; non tamen si quis deliret, necessario hunc spiritum ducet. Nos enim non inseparabilem, sed proprium esse diximus delirii rarum & magnum spiritum. Illa enim magna & rara respiratio illorum comes est: non tamen omnibus deliriis accedit, sed illis tantum, qui non per aliam quandam affectionem, delirio majorem, respirationem habent aliter alteratam; ut in Dealcis uxore Hippocrates observat. Hæc enim non una desipientiæ forte laboravit; sed per varias etiam divagabatur, nunc silenti delirio, nunc loquenti, cum risu aliquando, & interdum cum lacrimis. decimoquarto spiritus rarus, magnus, & rursus brevispera. opposita nempe respiratione. *Quemadmodum autem hæc fæmina,* inquit Galenus, *non sufficienter bibebat: parum enim commonita bibebat: sic neque respirabat priusquam à violentia circa suffocationem admoneretur multo vehementius pungente atq; stimulante, & ad actionem excitante, quam hi qui ad bibendum commonent. Vbi vero jam respirare cœpisset, revocabat nihilominus omnem priorem defectum per magnitudinem actionis, similiter ut hi qui in mœrore & luctu suspirant, qui — coacti, omnem ipsum semel explere coguntur.* Quare aliquibus accidit spiritus rarus & magnus per omne morbi tempus, sæpe vero contrarius, ut interdum diversus. Aliquibus vero „ ex æquo utraque respiratio, prout accedit causa, „ quæ variat spiritum. Dolorem enim in aliquo re- „ spirationis instrumento parvam & densam respi- „ rationem edere, palam est. Delirium contra- „ riam efficit: pectoris empyrheuma magnam & „ densam creat: parvam & raram frigiditas. Si igi- „ tur à solo delirio respirationis ornatus & integritas confunditur, magnus & rarus erit spiritus perpetuo: si vero à solo dolore, parvus & densus: si ambo concurrant, dolorque superet, vehementer obscura omnino alteratio erit; aut vice versa, & ad proportionem. Idem etiam observare par est, virtute valde lapsa: nam pluribus respi-

Hipp. 1. Coac. 94.

Galenus. 2. de Diff. Resp. c. 4.

c. 5. sequenti.

3. Epid. Sect. 3.

Galen. 2. de Diff. Resp. c. 6. & Lib. 3. 6. 11.

cap. 7. sequenti.

respirationibus supplet, quod in una non valet pro aere trahendo. Sic etiam, si cum alia quapiam affectione delirium complexum sit, respirationis speciem interdum mutat, aut aliam efficit, secundum quod aut superat, aut superatur, aut prout æquali imperio certant affectus: ut si nunc unus superat, aut in alio morbi tempore superatur. Quod nullo alio in affectu serius observatur, quam in illa sorte delirii, quæ à septo inflammato contingit. In hac enim quia sæpius prævalet suffocationis & doloris urgentia (est enim in præcipuo respirationis instrumento inflammatio) ideo celer & frequens editur respiratio, quantumvis à delirio deberet esse rara: quia major necessitas ordinem interturbat, ut caloris extinctio, & doloris acerbitas, adauctus usus, aut instrumenta respirationi servientia, quomodocunque læsa. Lege Galeni Commentarium in illa Prognost. sententia: *At vero*, inquit, *rarus spiritus, hoc est multo interposito tempore, si magnus, indicat delirium: si parvus, extinctionem nativi caloris.* ut in Pythione & Dealcis uxore. Ideo omnimoda fides comparatur. Et patet demonstratio propositæ sententiæ, quod nempe delirium cum respiratione minuta & ephidrosi, sive sudatiuncula, citam mortem ostendit; quia extremam caloris extinctionem notat; & cum difficultate spirandi singultus: quia extremam arguit siccitatem, ex qua convulsio ex inanitione, quam ut lethalem semper Hippocrates condemnat. Nam hic accedit vivifici nectaris defraudatio ab exhaustu, ex qua minutula accedit respiratio. Cujus imbecillitatis argumentum est illa ephidrosis, quam ultimus omnium facultatum languor excipit: quoniam illam parit facultatis retentricis atonia.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prog. 24.

TITULUS X.

De phrenitide à cerebri & membranarum ejus inflammatione.

Fit etiam phrenitis à cerebro inflammato: delirant enim & ab eadem causa ægrotantes, spirituum nempe turbatione, calida intemperie, & acriori morsu humoris, qui phlogosi deuritur. Antea ex Hippocrate vidimus, causonem interdum in phrenitidem verti. Sed hoc tantum reor accidere, cum hujus febris focus est in cerebro. De hoc legi Hippocratis sententiam in Prorrheticis. *Si in ardente febre*, inquit, *aurium sonitus cum caligine fuerit, proveneritque in naribus gravitas, mente ex melancholica aberrant.* Legi etiam in Galeno in hujus sententiæ Comment. *Febris ardens tum ob alias causas, tum propter cerebri inflammationem æque fit. Nempe & huic succedit ex propriis phrenitidos signis continua desipientia. Ex ea vero quæ in capite redundat humiditate spiritus flatuosus procreatur. quapropter & aurium tinnitus fiunt. Pari modo caligo, cum crassus quidam humor vel spiritus oculos invadit.* Ex his duo elicimus, & quod cerebri inflammatio veram ferat phrenitidem, febremque ardentem consocialem habeat: & quod tunc solum dicatur migrari in phrenitidem, quando casu contingit focum in cerebro possidere; ut etiam accidere videmus, hepate, stomacho, aut pleura inflammatis. Re tamen maturius pensata, non dubito, ex veneni ad cerebrum translationem fieri, ut inde causo transeat in phrenitidem.

1. Prorrhet. 18.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 18.

Potest etiam fieri cerebri inflammatio ab humoris excursu, aut ex utraque bile, aut ex sanguine, pro phrenitide vera concitanda: hæc tamen feret signa peculiaria ab aliis diversa. Et primum erit, quod in systrophica cerebri inflammatione omnia veræ phrenitidis signa apparent in principio, quæ ab humore cerebro irrigato apparent in progressu, quæ nempe ab intemperie fiunt & acriori morsu: nam hæ duę qualitates citius phlogosi quam morosa alteratione qualitatum inducuntur. Est enim hæc phrenitis, (dum inflamматur cerebrum) delirium alterati aut proritati cerebri, aut utroque modo lacessiti. Ideo in hujus principio apparet insolita audacia, & proruрta temeritas, longe dissimilis moribus mansuetis; & potum contremiscentes vidimus aversari: hique fere semper convelluntur, lacrimæ in his ab oculis funduntur, cerebri humoribus præ ardore liquatis. Et ab eadem causa in principio accidit importuna raucedo, ut ab arida siccitate in progressu. Interdum sub hac hæresi mentis pertinaci silentio detinentur. Alios occupat aphonia, seu vocis interceptio, nervis reversivis ad originem tractis, & musculis convulsis. Nec in hac antecedunt vertigo, vigilia, somniorum varietas, ut dicebamus antea in illa, quæ accidit humore cerebro irrigato. Nam ab inflammatione potius antecedit pungens capitis dolor & acutus, qui cervicem fere rigidam reddit, & pertendit ad dorsum & ad lumbos. Et in hac à principio omnes fere potentiæ læduntur simul, & rubor faciei & oculorum indicat, inflammationem per membranas epigenesi serpere. Hi etiam cœptis immanibus efferantur: in pulsu apparet manifesta durities; celeritas in motu. In hac à principio incipiunt tremores in manibus & brachiis, musculis & nervis acredine humoris vellicatis. In his etiam pulsum bis ferientem vidi, ac postea convulsionem sequi.

Eadem pene accidentia quæ in vera phrenitide, in illa pseudophrenitide quæ à septo accidit inflammato, observavimus; sed ex qua dictarum causarũ, an ex alia consensus sorte, cum diu peræq; perpendissem, nondum acquievit intellectus: nam si Galeni rationem perpendimus, ex nervorum consensu, quo maxime partes nervosæ cum nervorum principio consentire videntur, videbimus, calce etiam inflammato, qui maxime nervosus est, pleura, & ventriculi ostio, per eosdem nervos, per nervosam nempe substantiam cerebro consentire, sed alios affectus graviores inducere, (quos antea notavimus) nunquam tamen perpetuum delirium, licet ad æqualem magnitudinem inflammationis aliquando adveniat. Et, si forte ad motum consensus rationem referimus, haud minus in motu sunt cætera respirationis instrumenta inflammata, ut pulmo, illiusque membranæ, ut membranæ etiam intercipientes; nec ideo in illis perpetuum observatur delirium, si ex solis exhalationibus & calidis vaporibus, in febre, ex putredine sanguinis aut crassorum miscella, immensa vaporum colluvies elevatur: & nihilominus neque in illa observatur, hoc perenne delirium ad ignotam sympathiam recurrere, quæ sola experientia comprobatur, videtur otiosa præsumptio, quæ semper alienis laboribus dogmata inaudita ambitiose quærit: est enim ille

ille frondosus intellectus, sed fructibus inanis, quia degit in otio velut ulmus in aqua. Si ab omnibus simul, non repugnat, in omnibus partem aliquam ex prædictis cerebro consentire, in nervis, in motu, & vaporibus. Quare, aliquid amplius mihi videtur septi transversi inflammationem ad cerebrum mandare, præter illam similitudinem substantiæ, & motum, & calorem, quæ possunt esse & aliis communia & plerisq; propria. Ideo mihi non in totum displicuit illa Matthæi de Gradi sententia, quantumvis paradoxa aliis videatur. Dicit enim, in septi inflammatione ideo perenne concitari delirium, quod à principio spinalis medullæ, qua parte cerebro alligatur, nervulus quidam, nullibi alligatus, descendit, & è directo in ipsa septi transversi substantia implantatur, cujus substantiæ continuatione, ac nervi cavitate, communicatur cerebro calor, motus, & exhalatio inflammationis vaporosa, ad septi etiam motum concitata: quorum occasione fit quædam molesta titillatio in cerebro, aut taliter incalescit, ut phlogosim etiam aut inflammationem contrahat. Vnde, hujus temperamento everso, rectricum potentiarum operationes depravate etiam operantur, & motu confusis spiritibus, spectra & imagines pari confusione applicantur æstimativæ, aut phantasiæ, aut utrique simul, ut illæ etiam indebite speciebus applicatis, cogantur depravate etiam operari. Qui consensus cum perenniter fiat, perenne etiam observatur delirium, dum septi transversi persistit inflammatio. Nam pariter delirii observatur declinatio, cum inflammationis cedit intensio. Et hoc in sanguinea, aut biliosa accidit: nam in frigidioribus non nisi cum instat suppuratio, cum febris dolor, & calor, intensiora fiunt.

cap. de Pleuritide.

Hic tantum quis posset dubitare, quare politioris anatomię peritissimi, rem magnam nullibi tradiderint observatam, nec hujus nervuli ullam commemorationem fecerint. Huic instantiæ respondeo, quod pleraque diligenti studio non quæruntur: & forte ob exilitatem nervulus ille non percipitur: nec omnia subito in notitiam veniunt; sed quæ longo tempore delituerunt in arcanis naturæ, singulari observatione exquiruntur. Quare, nervulus ille est causa aliarum causarum, quæ delirium cerebro concitare natę sunt. Nam, si attendimus ad formalem rationem delirii, non ex consensu, ex sola cognatione partium accidere videbimus. illa enim substantiæ cognatio sat erit ut fiat versus originem retractio, ut antea vidimus in febre convulsifica, ex calcis inflammati consensu. sed ad delirium quid amplius exoptat, ut nempe valeat depravare potentias: quod est extra nervorum aleam. Illud enim requirit quandam cerebri læsionem, quæ singularem immutationem inducat in potentias: hæc autem fit, aut alteratione qualitatum inducta intemperie; aut acri punctione, substantiam aut membranas pungente; aut indebita specierum applicatione: quorum neutrum sola cognatio substantiæ inducit. Ergo, cum illa requiritur necessario alia singularis qualitas, aut caloris, aut motus conditione comparata, quæ valeat cerebri substantiam ad delirium disponere. Ideo plerique, in illa sententia insecuri, rati sunt, septo transverso inflammato, cerebrum etiam inflammari, ut redderent formalem rationem delirii: quoniam (dicunt) septo inflammato respiratio ipsa impeditur, inde calor in corde & thorace augetur, quo sanguis & bilis tenuata rapiuntur in cerebrum, & fit erysipelas, & delirium. Imaginaria mihi hæc videtur ratio: nam pulmone & pleura inflammatis, perenne delirium concitaretur, eadem ratione; quod non accidit. Ideo forte Laurentius (qui omnia ad lineas anatomicas reducit, ut ad lineas mathematicas Astrologus) cognationi substantiæ addidit miram societatem inter septum, & cerebrum, & perpetuum motum, quibus spiritum & calorem vaporosum fumidosque vapores, per continuum motum communicari ait, ut illis cerebri temperamentum evertatur, potentiæ etiam depraventur, ita ut formalem delirii rationem assequatur.

Revertamur ad veram phrenitidem ex inflammatione. Pariter ex humore, ad cerebrum translato, si exitus denegatur per nares, fit convulsio, ubi humor cerebrum irrigavit, inflammationemque concitavit. Sed utplurimum convulsionis consequutionem habet inflammatio. Hujus tamen signum erit, si mox à principio convulsivi adveniant tremores: nam humorem, qui tantum cerebrum irrigavit, nisi acris & efferatus sit, natura ad nervorum originem non transponit: & hoc non nisi inveteratione aut ustione consequitur. Quod solet esse in progressu phrenitidis; excepto, quando incipit à veneno: nam tunc à principio etiam convelluntur, ut Phreniticus, qui virulenta vomuit. Quare, de illa convulsione, quam parit inflammatio, venit intelligenda illa Coacarum sententia: *Qui cum feroci perturbatione somno excussi ferociter delirant, gravissime convelluntur. Idque tum alias, tum si prorumpant sudores: convulsificæ etiam sunt tum cervicis & dorsi perfrictiones*, &c. Insaniæ ferocitas in principio solet esse inflammationis consectaria: dorsi & cervicis perfrictiones, gravissimæ affectionis nervorum. Ideo dixit Galenus: *Qui mente sine causa percelluntur ferociter, non febris ratione delirant, sed humoris transpositi & orgasmo expulsi.* Nam illa ferocitas consequutionem citam affert, non cujusvis delirii, sed efferæ phrenitidis & insaniæ, ut brevi ferina reddatur hæc audacia. Quod aliter brevi consequi nequit, nisi cerebro etiam inflammato: nam ex inflammatione, morsus, ustio, & intemperies altius radicata brevius oriuntur. Ideo forte, *quæ pauco tempore fiunt desipientiæ, ferinæ sunt*, ut Hippocrates dixit, & convulsivi tremoris consequutionem afferunt, nervis acriori morsu lacessitis. ut legitur in alia sententia: *Phrenitica vehementer, desinunt in tremorem.* quod, (ut legit Galenus) *non nisi vehementissimas phrenitides consequetur.* quæ est ultima in illis desperatio. Nam *ægregii phreniticorum tremores, citam mortem denuntiant*, dixit alibi. *Ægregii*, hoc est, extremi & continui. Nam tremor cerebri jam à se ipso alienati est symptoma, & in salutis desperationem, si venit ab extrema siccitate inducta.

Hipp. 1. Coac. 88.

Galen. 1. Prorrhet. 4.

Hipp. 1. Prog. 25.

1. Prorrh. 9.

Gal. Comm.

Coac. 93. 96. 97. 98. & 102.

Sed ubi expresse dixit, cerebro inflammato convulsionem sequi, est in illa Coacarum sententia, ubi signa utriusque proponit. *Si cui*, inquit, *cephalalgia firmiter fixa, parique delirio substiterit alvus, unaque oculi ferociter volvantur, cum faciei saturato rubore, is tandem erit opisthotonicus.* Cephalalgia,

2. Coac. text. 3.

algia, ſeu vehemens capitis dolor, ſolet inflammationem præcedere; delirium ſequi; ferocitas & ſaturatus rubor comitari, & muſculos & nervos jure vicinitatis convelli. unde oritur inflexibilis & torpida rigiditas. Hæc eadem ſententia legitur in Prorrhetico, ubi Hippocrates *Capite dolentes* inquit κατόχως, hoc eſt, firmiter fixa affectione, quæ catochi affectum ſimilem nervus poſterioribus infert. *Non eſt enim poßibile*, inquit Galenus, *ut æger catocho laboret, ſimul & mente vacillet.* Deliria enim non ſolum voce, ſed & geſticulatione exprimuntur.

Hipp. 1. Prorrhet. 2. Sect. 56.

Galen. in Comm.

TITULUS XI.

De ſphacelo cerebri, & gangræna.

Septo transverſo inflammato, in quo perenne obſervatur delirium, neminem vidimus liberatum: & ob cordis viciniam, & febrem exurentem: ob indefeſſum motum, & officii maxime ad vitam neceſſarii interceptionem. Hujus autem inflammationis propria ſigna ſunt, parva & frequens reſpiratio, vox acuta, & revulſum cum dolore hypochondrium intro ſurſum. At cerebro inflammato non eſt unica terminatio ſpectanda: hæc enim per criſim ſolvi non repugnat, narium hæmorrhagia, copioſo & calido ſudore. Ex aliis cauſis confirmata phrenitis utplurimum ad necem terminatur: eſt enim illa ipſo jure lethalis, aliquando in cerebri ſphacelum tranſit, de quo eſt nobis ſermo in hoc ultimo titulo: non enim frequenter reſolutione terminatur.

Sphacelos dicitur à verbo *ſphaco*, hoc eſt, à jugulando. Ideo quando in membro venit mortificatio, dicitur ſphacelos: in principio, ſphaceliſmus dicitur: in termino, gangræna; cum nulla redingratio ſperatur, niſi parte reciſſa. Nomina, quæ mutationem ſignificant, pro re affecta aliquando ſumuntur; interdum pro affectu. Et ſic interdum ſphacelus tranſitum ſignificat inflammationis inter magnas eximiæ, in gangrænam, & terminum, hoc eſt, in ſphacelum, parte denigrata & emortua. Aliquando pro magna inflammatione accipitur, quæ minatur gangrænam. Et ſic proprie in primo ſignificatu accipitur: communiter in ſecundo. Quæ ideo antea volui prælibare, ut intelligatur illud Archigenis dictum: *Cephalalgias ab humore productas, abſque ulla inflammatione vinculis fore curandas: ſphacelodes vero ſecto vaſe.* Hoc eſt, vinculis, quæ nondum eſt in termino, ut fluxio illa præpediatur: aut alta ſcarificatione, verſa in ſphacelos, ſi vas non aperitur.

Archigen. 2. De Loc. 2.

Parte denigrata ſphacelos contrahitur: ſeu caloris præpedito influxu, ut in partis forti ligatura accidere videmus: ſeu nativo calore extincto, veluti à vehementi frigore, ut accidit per hyemis rigorem in extremis; ſive à multitudine ſuffocato, velut cum in partem tam magna ſanguinis confluit multitudo, forte alterius humoris, aut calidi, aut frigidi, & humidi, ut puſillus calor obruatur. Tunc enim extinctione perit, ſeu ventilationis defectu, ſeu humoris frigiditate obrutus. Contrahitur tandem, ſ putrefactione corrumpente in proprio humido vivificum calorem. Quod dupliciter accidit, ſeu ſola maligna qualitate corrumpente, ut in Critone Hippocrates notavit: cui recte ambulanti pes doluit, nocte deſipuit, tumor ad talum ſubrubens, puſtullæ nigræ, febris acuta, &c. Galenus in Commentario: *Pravitatis excrementi erat indicium quod puſtulæ nigræ generarentur ad talum*; ſeu à magna humoris corruptione, ſive putrefactiva ſeu uſtiva, ut in eryſipelate, aut cœnoſo abſceſſu accidere videmus. Hoc accedit in carne, aut in oſſe, nervo, aut ligamento, in via aut in termino. In via eſt forte ſperabilis curatio: in termino omnino deſperata; niſi parte reciſſa. In opere manuali ſæpius periclitari vidimus, ubi ſine delectu, & promiſcue, in externa gangræna profundioribus ſcarificationibus uterentur chirurgi. Nam ubi illam aut ſola frigiditas, aut ſuccus frigidior induxit, per ſcarificationes puſillus ille & pene extinctus calor ita brevi exhalat, ut ultima inducatur necroſis: aliter ac in illa, quam aut ſanguinis, aut aliorum humorum peperit abundantia, ubi calor obruitur, aut ventilationis defectu, aut oneris affectu: tunc enim profundioribus ſcarificationibus ventilatur, & corrupta humiditas educitur, atque ſerpens putredo inhibetur. In illa vero, quam induxit frigiditas, unica ſpes reſtat, ſeu ut aquæ ardentis, aut veteris & generoſi vini, actu calidi, ſolo fotu utamur, ut foveatur calor; ſeu ut levi & ſuperficiali ſcarificatione cum ægypſiaco in vino diſſoluto.

A

1. Epid. Sect. 3. 11.

Gal. Comm.

B

C

His ergo prælibatis, quid Hippocrates ſenſerit de ſphacelo cerebri, & prædicendi ratio, & medendi ſolertia exoptat. Præceptoris ſic legitur ſententia: *Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex capite ſpinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit, & ſudor adeſt, & ſomni expers eſt, & ex naribus ſanguis fluit. ſæpe etiam ſanguinem vomit. Corrumpitur autem cerebrum, aut nimium calefactum, aut refrigeratum, cum bilioſum aut pituitoſum plus ſolito factum fuerit. Hic tertio aut quinto die plerumque perit. Repente dolor occupat caput, ſtatim vox intercipitur, ac ſui impotens fit. Hic ſeptem diebus moritur, ſi non febris invaſerit: ſi hæc invadit, ſanus evadit. Hoc etiam ex atra bile patitur, & ex ebrietatibus, & itidem moritur.* Et textu 19. ſequenti: *Si corruptio cerebrum invaſerit, dolor anteriorem capitis partem tenet, & paulatim etiam intumeſcit, & livida fit, & febris & rigor apprehendit. Cum ita habuerit, oportet, qua parte intumuit, ſecare, & purgato oſſe ipſum radere, ad ſecundam laminam, & ut fracturam curare.* Idem etiam 3. de Morbis textu 4. repetit.

Hipp. 2. de Morb. 6.

D

Idem, ibid. text. 19.

E

Confuſe ſatis Hippocrates hanc protulit ſententiam. Non poteſt enim idem ferri judicium de cerebri gangræna quam parit inflammatio, ac de illa, quam crudorum peperit multitudo: hæc enim citius apoplectico modo necat, reſpiratione interciſa, cerebri ſubſtantia, vaſis, & cavitatibus oppletis, crudorum aut ſuccorum inæqualium multitudine animalem ſpiritum & cerebri calorem obruente; ut his diebus vidimus in Nobili quodam Viro Hiſpalenſi, frequenti crapulæ, vino, & potui frigidiſſimo dedito. Hic frequenti ingluvie inæqualem congeſſit ſuccorum apparatum, calidorum nempe & frigidorum: ex quo repente incidit in febrem maxime exurentem, cum capitis dolore, ita gravi, ut ne oculos quidem ſublevaret; cum perenni delirio, & quadam in ſomnum delatione. Veſpere omnia intende-

F

Anno 1654. Septemb. 14.

tendebantur: in nocte vox defecit, implacido cum alismo, ut nullibi quiesceret: hinc inde jactabatur, ac membra indecore projiciebat. Secunda die mane convulsivi tremores inceperunt, omnia exacerbata sunt, & nocte subsequenti cerebro syderato devixit. Cerebri inflammatio gangrænam inducit corrumpendo, quando est ita magna, ut illam non valeat natura nec auxiliorum ope superare. Nam sicut levis in vapores exolvitur, interdum suppuratur vehementior, per crisim alia terminatur: sic quæ his omnibus insuperata manet, vertitur in gangrænam, cerebri substantia denigrata, aliquando in insaniam conversa. Crudorum abundantia interdum corrumpendo, si putridis & calidis humoribus copulatur: interdum sola obruente multitudine, dum calor suffocatus obruitur, inducit mortici-nium: tunc enim sphacelus & necrosis in cerebri substantia producitur, veluti per hyemis rigorem in extremis. Sanguinis multitudo, si in cerebrum confluit, sive venis oppletis, sive ipsa substantia irrigata, dum sibi ipsi viam præcludit, & ventilationi exitus denegatur, sphacelum producit, sanguine congelato, veluti carotidibus venis interceptis, spirituum exitu præpedito: unde aut venit apoplexia, aut syncope cardiaca, ex venarum interceptione, ut Hippocrates dixit. Quomodo illud accidat, belle dixit Galenus: *Cum igitur*, inquit, *supra modum oppletæ fuerint venæ, premi virtutem gravarique est necesse, atque in extinctionis agi periculum nativam caliditatem, quæ ob multitudinem copiamque suffocationi quippiam simile patitur.* In hoc tamen hæc & illa inter se distinguuntur, quod in sola crudorum multitudine sensationis defectus potius prævalet, somnus insuperabilis, neque etiam agitati respondent, frigus corpus occupat, & membra inconcinne indecoreque movent, nec ullum remanet prudentiæ vestigium. Si sanguis est in causa, maxillæ maxime rubent, in somnum dilabuntur, venæ oculorum rubore tumoreque suffunduntur. In inflammatione, quæ est via gangrænæ, seu ex corruptione, seu sola multitudine calidorum humorum, quando est ita magna, ut timor sit, ne illa vertatur in gangrænam, tunc hæc sequuntur symptomata, quæ Hippocrates dixit, nempe dolor ex capite in spinam perreptat, quoniam medulla, & spinæ consortio membranæ, & omnia è cerebro ducta dolent: cor dolet, ducto per arterias putredinis virore; putrida & tetra exhalatione vitalis vigor exolvitur; ventriculi orificium per nervos maxime irritatur: unde sudor & animi deliquium, concertante natura, & in illo conflictu aut vincitur, aut vincit. Si vincit, fluit sanguis è naribus, & fortasse revomitur, ac per illasmet venas interdum, quæ ex anteriori cerebro abeunt in calvariam, tumor excitatur, paulatim in sincipite, venarum nauseosi, qui à peritissimis rescinditur, ut expiret, quod materiæ natura illuc transposuit, aut forte nauseosis eructavit, suppurato securius, aut ante suppuratum in majori urgentia. Aut, si natura à malo superatur, & malum invalescit, incendium deferbuit, corpus refrigeratur, & omnis collabitur facultas, cum miti & pacato delirio: inde vox intercipitur: fit in oculis etiam strabismus; ut in quodam puero etiam observavimus. Ac tales attoniti & stupidi redduntur, sensus interni externique subito collabuntur, ac tandem jacent veluti apoplectici. Hæc omnia sphacelismus excipit, cum natura concidit sine pugna. ideo alii tertio, aut quinto die pereunt: alii in septimo, forte natura in crisi superata, ut in Coacis legitur. Ad quem librum invenio hanc eandem sententiam translatam, ubi amplius legitur: *Illis vero elapsis defunguntur periculo: sin autem anatome facta cernitur os dissociatum, sine dubio moriuntur.* Defungi periculo non reor à gangræna; bene tamen ab inflammatione, dum auxiliis cedit: solvitur enim hæmorrhagia, aut sanie per nares expurgatur; ut nos etiam vidimus. Nam hæc omnia suo ordine fiunt: primo inflammatio: secundo principium gangrænæ: tertio sphacelus. in quo si os est syderatum, à vicino secedit, est plane desperatum: quoniam syderatio, quæ in osse inducitur, jam venit à cerebri gangræna. nisi forte natura rarissimo miraculo valeat hanc saniem per diversas cerebri vias expurgare, per nares, per pallatum, aut per venas, quæ ad extra transcurrunt. Ideo enim Hippocrates illam sectionem, quantumvis desperatam, consuluit. Nam ubi aliqua vitæ spes lucet, adhuc ipsa temeritas ab extremo periculo secundum rationem indicatur. Quo in statu nullo auxilio, in quo aliqua salutis spes luceat, licet adhuc dubia est, parcendum. ut nos Celsi prudentia edocuit.

De Vict. Rat. in Morb. 4. Acut. 23. Gal. Comm. in Hipp. 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 23. — *2. Coac. 12.*

Quod si primos tres dies, quinque, aut septem, æger non dejectus transcendat, non protinus est speranda salus: spes tamen est aliqua, si vires morbus non acquirit eundo; quia spes est, phlegmonem non verti in gangrænam, sed aliam solutionem spectare, quarum nulla est pejor. Potest tamen in septimo aut deinceps perire ex phlegmonis magnitudine: sed etiam potest evadere, si sanguis aut sanies ex naribus fluat, ut legimus antea ex Hippocrate. Sed illud tibi erit maximum syderationis & sphaceli signum, si à tertio, quinto, aut septimo, & febris intendatur, & novus rigor prehendat, aut alia syderationis signa superveniant: tunc enim ad opus chirurgicum accedere, sed non nisi cum ministro peritissimo, ne sectione casus deterior reddatur. Quod tunc fieri consulo, cum speratur salus; & hoc erit, antequam subjecta cerebri membrana livescat: nam postea sectio mortem citatiorem reddit. Quod ut fiat, securius caput radere prius oportet, & suturas attenere. Sed tunc est maxime præsumptio cerebri syderati, si Hippocrati credimus, *si post ardentem febrem, qualem fert erysipelas cerebri, repente dolor caput occupat, & statim à dolore vox intercipitur, ac sui impotens fit*: hoc est, si prorsus facultas animalis collabitur: *hic*, inquit, *septem diebus moritur, nisi febris invaserit.* In hoc certe magna est æquivocatio: est enim sperabile in in illa crudorum abundantia, quam febris concoquere & tenuare valet, ut naturę expulsioni & coctioni cedat. si febris excitetur, quæ antea non erat. quippe si febris super præexistentem intendatur, cum inordinato & frequenti rigore, potius est indicium, inflammationem in gangrænam converti; ut etiam Hippocrates notavit in citato textu 19. & 3. de Morb. text. 4. Nec in mea sententia, semper salus sperabilis est ex febre, quæ antea non erat, si maxime est soboles pravi corporis apparatus: nam vaporum collu-

vie, quam excitat, affectum deteriorem reddet. Nec est in nostra potestate, talem conditionem febris excitare, quæ sit adæquatum & æquale auxilium præexistenti morbo: & si in alio quo auxilio esset futura, in illa cerebri syderatione foret, quæ ex ebrietatibus accidit. Sed nec in his prodesse, est expressa Hippocratis sententia. Postquam enim dixit, in præcedenti casu: *si hac febris invadit, sanus evadit*; & prosequitur continuata serie: *hoc etiam ex atra bile patitur, & ex ebrietatibus, & itidem moritur.*

Hipp.

Hinc etiam patere arbitror, quid Aristoteles per cerebri sphacelismum intelligat, quando in Problemate dixit: *Cur, si æstas sicca & borealis fuerit, autumnus autem contrarius, humidus, & austrinus, in hyeme dolores capitis producuntur; an quia excipit materiam multam hyems: atqui suum opus est cogere humiditatem, & putuitam facere. In capitibus igitur, quando humiditas fuerit, gravedinem facit: si autem multa fuerit & frigida, syderationem, hoc est, sphacelismum.* Sphacelismus proprie pro ossis corruptione à plerisque accipitur ex Hippocrate 7. Aph. 7. & 2. de Fract. 20. Quod etiam Galenus videtur intelligere, & Lib. 2. de Loc. Aff. 2. varia hujus dictionis significata docuit. Nam alii dicunt, vehementem dolorem interdum significare: alii inflammationis excessum, quo corruptionis periculum minatur, quæ Græcis gangræna dicitur: alii partis affectæ corruptionem vocitarunt: alii pro carnis corruptione sphacelon intelligunt: convulsionem ex inflammationis magnitudine alii: vehementem tensionem plerique: & non pauci putredinem. Ac tandem in Comm. 7. Aphor. 50. ita inquit: *Sane neque partis carnosæ interitus ex magnitudine inflammationis, quem proprie medici gangrænam nominant, Græci sphacelum etiam appellabant. Sic igitur mihi videtur & Herodotus dixisse coxam Cambysis* (ex sagitta percussam) *sphacelari.* Quare, quando in cerebro, ex inflammatione, est in via gangrænæ, dicitur sphacelon, ut etiam, quando est syderatio in termino. Ideo, cum in illa Græca dictione duplex significatum legi possit, necessario est ad mentem auctoris recurrendum. Quare nos, attente legentes Hippocratis contextum, judicamus, quod, cum ex cerebri sphacelo in tertio aut quinto perit æger, de syderatione in termino sit intelligendum: quando vero hos dies, & septimum fortasse, supergreditur, de magna inflammatione, aut exuperante succorum multitudine, quæ in gangrænam verti periclitantur. Tunc enim potest solutionem aut exitum laudabilem sortiri; non ex necessitate in mortem terminari, ut in extremo gangrænæ morticinio: quoniam, sicut pars, extreme syderata, vitalis influxus non est capax; sic quæ de vitali adhuc participat influxu, potest auxilio naturę aut auxiliorum ope redintegrari. Ideo forte Hesychius, Theophrastus, & alii, Aristotelis sphacelismum de vehemente dolore, & non de extrema gangræna voluerunt intelligi: quia pro causa succorum frigidorum multitudinem, per hyemis rigorem comparatam, proponit. Quo etiam modo illustriores Hippocratis Interpretes, sententias ex 2. & 3. de Morbis, de magna inflammatione, quæ minatur gangrænam, voluerunt intellectas.

Arist. 1. Sect. Problemat. 10.

Gal. Comm. in Hipp. 7. Aph. 50.

Gaza, in loco Aristotelis citato, sphacelismum, cerebri crudorem vertit, & non ita inepte, ut videtur Septalio & Brasavolo, si mentem auctoris & verborum energiam perpendas: si per crudorem cerebri, calorem, cruditatum congerie obrutum, ideo de extinctione periclitari intelligit à multa humida & frigida materia, per hyemem congesta. Nam hic Aristoteles de humoribus agit, qui temporum symbolica ratione adveniunt: qua dictione earum Aristoteles mihi videtur intellexisse; quia nempe in illo, crudorum & succorum frigidorum multitudine cerebri calor obrutus & oppressus, extinctionis periculo laborat, dum inexpugnabili somni profunditate altissimo sopore detinetur: præterquam quod carus, in Hippocratis & Galeni doctrina, est syderatio & paralysis omnium cerebri facultatum. Quod etiam colligitur ex ipsissimet Hippocratis verbis, quæ sic habent in citato contextu: *Corrumpitur autem cerebrum, aut nimium calefactum, aut refrigeratum, cum biliosum aut pituitosum plus solito factum fuerit.* Pariter ergo cerebri substantia de syderatione periclitatur, dum calore corrumpitur, ac dum frigidorum multitudine calor naturalis obruitur, seu ventilationis defectu suffocatur.

Hipp. in cit. context.

STATIO VIII.

De febre soporosa & lethargica: ac de aliis soporosis affectibus.

Prius dicemus, an sit febris lethargica. 2. In qua febris specie maxime observetur. 3. Quo cum periculo. Et in secundo titulo, de comate vigili & soporoso, quibusque in febribus etiam advenire contingat. 2. In quo differat hæc febris à lethargica febre. 3. Quo cum periculo. In tertio titulo de comate & catalepsi breviter discurremus, quæ utplurimum veniunt sine febre: quod si in febre advenire contingat, fit in solo principio intermittentis & nothæ tertianæ.

Nulla est inter febres, quæ majorem artificis prudentiam sollicitet, nec quæ medentis animum acrioribus stimulis exploret, altioremque attentionem petat; utpote in qua illud soporis accidens ad se totam curationem trahit: quia illa cerebri inflammatio si fortasse contingat, ut Avicennę placuit, in gangrænam verti periculum est: aut si sola humoris putrescentis irrigatio, ut colligitur ex Galeni & Hippocratis mente, aut extingui cerebri nativus calor, aut collabi animalis facultas. unde certa consensus lege vitalem & naturalem trahit in fatalem consensum. Nec ulla est, quæ in Veterum scriptis, atque inter medendum altiori confusione fluctuet. Nam alii, sub nomine generali soporis, illam cum aliis confundunt: alii cum febre, quæ cum comate vigili & soporoso accidit, aut cum febre sanguinea, cujus sopor nec coma nec lethargum inducit; nec discernunt ab illa, cujus sopor venit ad speciem crisis.

Pro vera tamen hujus & illius differentia attendite, quod *cataphora* in Græca lectione idem sonat quod in Latina *sopor*, qui est genus, ad omnes soporosas affectiones. ideo ad illius species, sub illa generica ratione, descendit. Quæ fortasse ratio est, quod confusa differentia pro specie accipia-

accipiatur genus: nam per soporem explicatur lethargus, enunciatur coma, vigil & somnolentum, caros & catalepsis; interdum etiam apoplexia; ac tandem ebrietatis somnus: singulares attamen differentiæ specifica ratione distinguuntur. Quod ab aliis omissa ac concisa distinctione docere, ad melius curandum consultissimum duxi: est enim febris singulari ratione lethargica; ex alio principio comatosa; & ex longe diverso caros & catalepsis cum febre complicantur.

Quid multum? Galen. adhuc somnum naturalem à sopore distinguere conatur, ut ex causa illius, qui egreditur ab ordine naturæ, & affectu producto, indicationes curativæ eruantur felicius. Hæc sunt illius verba: *Fit autem hujuscemodi somnus,* (naturalis nempe) *refrigerata prima parte sensitiva, hoc est, cerebro ipso,* (ubi sensus communis residet,) *quæ refrigeratio cum fortis fuerit,* (& modum naturalem excesserit, ut non facile ex illo excitetur) *mista quidem humiditati* (morbosæ) *facit lethargicas passiones.* hoc est, valde soporosas. De quibus legitur Hippocratis sententia. *Somnus atque vigilia, utraque si modum excesserint, malum.* Quoniam jam indicat, in affectum soporosum incidere. Ideo inter somni læsiones hanc numerat Galenus: *Quosdam etiam,* inquit, *gravis somnus dormientes occupat* (initium comatis in somo fit,) *punctique vix excitantur. Hæc autem omnia contingunt, propter pravitatem humorũ, quos, ubi calor innatus fortis extiterit, per somnos concoquit: ubi vero debilior, illis succumbit, ab eisque viscera aggravantur, & dictis affectibus homo corripitur.* Hoc idem & alio in loco ita prosequitur Galenus. *Frequenter enim ubi multum irrigata pars sit, quæ est sensus fons (in qua & somnum recte Aristoteles fieri demonstravit) sopor sequitur: ut nonnullis usu venit ebriis. Subinde ob solum frigus. Est cum ambobus his profundus succedat & soporans somnus.* Sed clarius in primo de Symptomatum causis: *Cerebrum,* inquit, *ubi requiescere plusculum ab actione vult, naturalem somnum animali inducit. Quod etiam magis facit, cum nutrix in eo virtus largum quo fruatur humorem habet. At cum à multo humore frigido gravatur, eum qui in comatis & lethargis cernitur, somnum affert: Aliosq; similes iis morbos, quorum caput humiditas & frigiditas sunt, vel alterutra per se solam in eo consistens, vel ambæ simul junctæ,* &c. *inferunt autem, non somnum modo, sed etiam coma, & caron, & totius corporis torporem.*

Gal. Comm. in Hipp. 2. Aph. 3.

Hipp. 2. Aph. 3.

Gal. Comm. in Hipp. 2. Aph. 1.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 1. text. 7.

Idem, 1. de Sympt. Caus. c. 8.

De hoc ipso sopore, prout genus in specificas illius differentias descendit, & pro illius speciali causa, qua generis rationem sortitur, qua etiam vigiliæ opponitur, sic loquitur Galenus: *Item biliosi calidique morbi, vigilias, deliria, phrenitides: contra, pituitosi frigidique, ignaviam soporemque efficiunt. Quippe quod ad vigilias soporesque per morbos pertinet, calida, frigidaque intemperies, primam sibi facultatem vendicant. altera vero ab hac ad humiditatem ariditatemque refertur,* &c. *Igitur omnia hæc argumento esse possunt, ad animi ignaviam inducendam, humiditatem præter naturam, secundas partes obtinere: frigiditatem vero priores. Proinde ut humiditas abundans, vel sola, longos profundosque somnos: ita ariditas quoque sola, vigilias efficit.* De quibus affectionib. ab Hipp. dictum est: *Somnus aut vigilia si alterutrum modum excesserit, malum est. Quod si frigus cum humore vehementer intendatur, soporem, stuporemque constituit: sine hoc vero memoriæ nocet, stultitiamque inducit.* Ideo 13. Meth.

Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.

2. Aph. 3. & 7. Aph. 67.

Med. 21. *phrenitidem & lethargum* dixit esse *vitia, secundum speciem contraria.* De hoc legitur illud Hipp. problema: *Sopor, an ubique malus?* Cui nos respondemus: an quia alius est utilis; alius ipso jure & certa lege criticus; alius inutilis; & alius tandem absolute lethalis. De quibus in seqq. latius disseremus.

TITULUS I.

De lethargica febre.

Lethargus ergo, generis essentiam participat, in sopore, ab illo, ut à cæteris speciebus differt, continua febre, perpetuo delirio, alta oblivione. Est enim *lethargus* in Galeni doctrina, *inexpugnabilis dormiendi necessitas, cum inerti oblivione, continua febre, & perenni delirio.* Inde febris lethargica talis à symptomate dicta: non est enim dabilis lethargus sine febre. Galeni est doctrina: *Quod si aliquando humor putrescat* (in cerebro) *utique cum febri incidunt ea genera: vocaturque morbus Græce λήθαργος.* Et alibi: *Cæterum Praxagoras,* inquit, *inter, acutarum febrium differentias, & phreniticas, & lethargicas, præterea & ictericas quasdam nuncupavit.* Et progressus ulterius ad alias febrium differentias, inquit: *Alias vero à symptomate, soporificam, somnolentam, lethargicam, phreniticam, aruginosam,* &c. *non meam enim solum sententiam protuli, verum etiam illustrium explanatorum mentionem feci.*

Gal. Lib. 13. Meth. Med. c. 21. & Lib. 3. de Loc. Aff. c. 3. 6. Epid. Sect. 1. text. 29.

Qualis autem futura sit ista febris, si expendere optas, considera, illam inter acutas Galenum numerare, inter illas nempe, quæ celeriter & cum periculo properant ad statum; nec ideo illam inter ardentes contineri, existimo, inter malignas, licet minus ardentes, & quæ sordidum aut pituitosum apparatum sequuntur. Huic præsumptioni ansam dedit Galenus, qui cum de Castorei propinationis securitate diceret, inquit: *At hoc medicamen sive corpori humido applices resiccationem poscenti, sive frigido excalfactionem,* &c. *nec ulli parti cuiquam noxum afferat, potissimum si febri vacet, aut non admodum calidam perpetiatur homo febrim, sed ut sic dicam tepidam, qualis accidit in cataphoris maxime & lethargis.* Avicenna suo etiam inculto idiomate dixit, quod lethargia est apostema cerebri phlegmaticum, in meatibus substantiæ & ventriculis cerebri, & febris lenta. *Necessaria est,* inquit, *febris in omni apostemate, facto ab humore etiam putrefacto; & propter hoc separatur à subeth,* (à caro nempe) *veruntamen ipsa est lenta, quoniam materia est plegmatica.* Nec tantorum virorum auctoritate eget, quod ipsa ratio naturalis convincit. Nam si febris humoris putrescentis conditionem sequitur; si ea, quæ ab humore bilioso accenditur, ardens ideo redditur, quia bilis ariditas & calor cum ardenti calore symbolizat; tepida & lenta ideo erit etiam, quam pituita creat, & frigida & humida, quantumvis intra venas aut cerebri substantia putrefacta: quoniam non minuitur putredine humiditas, licet reddatur acrior calor in hac humiditate. Per quæ lethargicæ febris essentia constituitur in sopore, febre, delirio, alta oblivione.

Gal. Lib. 11. de Simpl. Med. Facul. tit. de Castoreo.

Avicen. Fen. 1. 3. Tract. 3. c. 7. & 8.

Hoc nos etiam vidimus accidisse in ephemerina febre & notha tertiana, dum soporem humiditas, delirium putredinosus calor concitavit; seu dum per vapores calida & humida inducitur

citur intemperies; seu dum cerebri apparatus putredinalis redditur. Quod in alia etiam febris sorte & satis ancipiti fortuna advenire, quotidiana docet experientia, ubi ex inæquali cacochymia febris oritur, & tenuibus recrementis venarum cruditate permixtis, sordida & maligna fermentatur putredo: cujus occasione in hac lenta, licet maligna febre, dum peragitur incoctio in parte humoris coctionis capaci, ex parte incoctibilis putredinosi elevantur vapores, qui cerebro recepti, illud sordida humiditate & putredinoso calore vehementer intemperant, ita ut, cum ex causarum morbificarum inveteratione lethargus aut phrenitis apparet, nec vinci nec expugnari queat, forte intemperie in habitu contracta, aut à membri nobilissimi imbecillitate naturâ superatâ.

Hoc per se in his febribus lentis accidere videmus, ex pituitoso, interdum ex maligno apparatu: per accidens etiam in ardentibus, ex sanguine aut bile putrescentibus, dum ex eventu altus sopor emergit, ex alio quam febris apparatu. Sed tunc illud accidens inter supervenientia numeratur. Quod etiam adjicitur periculi super febris discrimen: non est enim ex iis, quæ proxime febris essentiam sequuntur, velut pathognomonica. Solet enim in biliosa febre profundior somnus concitari; seu liquata in cerebro pituita, antea adservata; seu de prima regione, aut venarum cruditate tenuata, ut inde in vapores conversa cerebro deferatur, quo primo sensorio ligato, veternus excitetur. Sed certiorem fidem faciet crapula nempe, in luxu, aut inter pocula etiam comparata.

Nec desunt inter Classicos adhuc viri doctissimi, qui judicent, haud ullo modo posse febrem lethargi ratione advenire: nam cum actio (in electiori Philosophia,) debeat fieri à majoris inæqualitatis proportione, nunquam judicant talem esse futuram à calida intemperie cerebri, neque à pituitoso succo, inibi putrescente: semper enim cerebri intemperies, & putrescens pituita, minus calida erunt quam ipse cordis calor, quando cerebrum ipsum, cæteraque corporis membra, quin imo & humores, ab illius calore calefieri nemo dubitat, & debilior calor majorem non intendit, quinimo nec æqualis ergo cerebri calor cordis calorem intendere valeat, ad febrem concitandam.

Valida est instantia, sed non obstat: non enim in lethargo ab alio principio febris oritur, quam ab exhalationibus putrescentis humoris, seu in inflammatione coerciti, dum ad cor deferentur per venas aut arterias, licet sint minus calida humor & inflammatio, quæ putrescunt. Nam ex alio principio reddunt cordis substantias & humores in calefacto esse; seu quod hæc exhalatio tenuitate substantiæ ulteriorem calorem consequatur quam corpus, à quo illa exhalat; seu quod crassa & fumosa substantia, dum intrat cordis valvulas, sit in causa, ne calor calidissimi cordis ventilationem necessariam consequatur: quo certe reaccenditur reduplicatus calor, & redditur se ipso intensior ex eventu, exhalationibus exitu denegato. Ex quo pullulat febris, quæ lethargum sequitur necessario: licet in mea sententia sufficiat sola extraneatio caloris, licet minus intensi, si illa præter naturam redditur, hoc est, talis, ut viribus ignis operetur: hoc enim dicit extraneatio. Quare, in vaporibus & exhalationibus, quæ expirant, ab humore cerebro putrescente, sat erit, si calorem, præter naturam extraneatum, (licet minus intensum) cordis substantiis & humoribus communicent, ut has reddant & constituant in calefacto esse, & febris inde pullulet. Nam hac extraneatione cordis calor præter naturam redditur, si viribus ignis ex illa operatur. Quod consequitur, quia illa qualitas, qua calor cum natura connectitur, extraneatione corrumpitur, & inde accidit, ut à naturæ regimine relinquatur.

Hujus febris focus interdum est in cerebro; aliquando in venis; quandoque in pancreate. Quod cuidam etiam docto non displicuit. Quo fit, ut febris sit una symptomatica; essentialis alia: nam dum cerebrum, pituita putrescente, inflammatur, ut Avicenna voluit, febris est inflammationis consectaria, illiusque apostematis symptoma. Si focus est in venis, ac ab illis humidi, crassi, & putridi vapores elevantur, & anterior cerebri pars ligatur, sopori causam præstat; si posterior, oblivioni etiam. Et hæc est essentialis & lethargica febris. Nam in alia principalis affectus est lethargus: cujus essentia consistit in inflammatione, ut Avicenna docet. Sed alia in irrigatione substantiæ & cavitatum cerebri, pituitosi humoris putrescentis, ut est expressa Hippocratis & Galeni sententia: ab hac enim producitur in cerebro calida & humida intemperies materialis à pituita cerebro putrefacta, nervorum principium madefaciente; ut etiam est Galeni judicium in Prorrheticis, & Aretæi in 1. Acut. Passion. Nam humida intemperies altum soporem affert, & calida contracta in putredine, delirium.

Quare febris lethargica, à symptomate dicta, constituitur in ratione talis, non tantum per propriam febris conditionem ab illo putrescente humore, sed quatenus ab illius putredine in cerebro talia accidentia producuntur, & sopor & delirium illud obliviosum. Nam sopor & oblivio sunt ab eadem causa, dum altius radicatur humida intemperies: delirium à calore extraneo, putredine contracto. Quod necessario debet esse perpetuum, quia persistit perenniter depravando potentias, quæ resident in ea parte cerebri, ubi altius radicatur illius intemperies. Attendite Hippocratis sententiam, cujus titulus est, *morbus lethargus* dictus. *Tussis oritur*, inquit, *salivam spuit, & nugas garrit, & cum nugari desierit, dormit.* Acsi diceret, lethargici, cum vigilant, desipiunt, aut profundo sopore detinentur. Sed clarius Galenus. *Continuitate igitur dementiæ, quodque simul cum febre fiat, phrenitim agnoscemus. Videmus & phreniticos esse, qui comatosi existentes sapiunt, sed & delira loquuntur, atque à præsentibus expergefacti, stupefactis similes videntur. In hunc itaque modum & in Epidemiorum tertio ita ait: Nullus autem phreniticorum vehementer insanivit, ut in aliis: sed in alia quadam veternosa in somnum delatione capite gravati moriebantur. Sermonem itaque hunc tanquam maxime verisimilem recipio: vocarique omnes ab Hippocrate phreniticos existimo, qui mente læsi continue fuerint.*

Ulterius progreditur Galenus, ut dignoscas, an illæ mentis læsiones incidant per propriam cerebri

1.3. Tract.3. c.7. & 8.
2. de Symp. Caus. ult.
13. Meth. Med. 21.
7. Aph. 67.
3. De Loc. Aff. c. 5. & 7.
1. Prorrhet. text. 1. 4. de Præsag. ex Pul. 8.
3. de Caus. Symp. 3.
Paul. Lib. 3. cap. 9.
Trallian. Lib. 1. c. 14.
Garcia Disp. 9. de Loc. c. 1.
Aetius Tetrab. 2. Serm. 2. c. 5.
Hipp. 2. de Morb. text. 70.
Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. Sect. 1. text. 11. & 3. Epid. Sect. 3. 41.

cerebri læsionem, an forte per consensum. *Interdum vero*, inquit, *ubi principales actiones læsæ sunt, febris quoque accidit, ut in phrenitide & lethargo. interdum sine febre vitium est, ut in mania & melancholia, id est, quod modo per consensum, modo primaria affectione cerebro laborante accidit. Cum igitur propriis accidentibus, exacte discernuntur hujusmodi vitia, & perpetua sunt, neq; aliis præcedentibus supervenerunt, primogenia affectione, cum vero propriis accidentibus discerni non possunt, neque perpetuo permanent, atque ad alias affectiones consequuntur, per consensum ipsa constare dicimus.* Hæc in fieri; illa in facto esse & permanens.

Idem, Lib. 3. de Loc. Aff. c. 3.

Neque obstat humiditatis actio diminuta, quæ in sensu communi in lethargo præcipue elucet, quin possint cæteræ potentiæ à calore etiam depravari. Nam licet ratio actionis læsæ depravate, & ratio actionis læsæ diminute, sint rationes diversæ, utpote membra dividentia actionem læsam in communi, nullum tamen est inconveniens, dari in eadem actione simul rationem utrisque læsionis, si in parte, qua actio efficitur, simul dentur causæ sufficientes ad tales actiones: nam actio depravata, non simpliciter opponitur diminutæ; sed actio depravata intense, & non omnis actio depravata. Quare, cum in lethargo simul reperiantur in cerebro humida intemperies, quæ minuit, & calida, quæ depravat, non est mirum, quod cerebri potentiæ diminute & depravate etiam oblædantur, secundum diversas læsiones, à diversis principiis orientes; & hoc non tantum in diversis, sed eadem potentia: nam possunt fieri diversæ læsiones, secundum diversos respectus ad causas ipsas efficientes, quando non sunt positive contrariæ in gradu læsiones. Nam, si potentia residet in ea parte cerebri, quæ à calida & humida intemperie patitur, potentia, cujus operatio in cymetria hujus temperamenti consistebat, læditur ab illa intemperie necessario, & secundum gradum hujus & illius intemperiei major aut minor læsio elucet in potentia; & humidæ respectu illius actio minuitur, & respectu caloris depravatur. Quare mixta quædam læsio erit, secundum diversos respectus læsionis: qua in hypothesi erit respectu caloris, delirium; sed sane mite, humiditatis respectu, quantum humiditas minuit actionem potentiæ & caloris. Et hoc in eadem potentia, seu in phantasia, seu in æstimativa. Nec ad hoc est necesse, ut sit illud delirium per consensum imminutæ aut ablatæ memoriæ; ut antea in phrenitide diximus.

TITULUS II.

De febris lethargicæ periculo, & lethargi incipientis, progressi, & confirmati.

Satis patet hujus febris periculum, quando illam Galenus inter morbos acutos numeravit, qui celeriter & cum periculo properant ad statum, & continuitatis, ut etiam symptomatis, ratione & membri & facultatis, cujus officio vita carere nequit. licet periculosus morbus à Galeno dicatur, *qui æquale habet ad perniciem aut salutem momentum*: quando nempe evasio libratur in libera & liberali crisi ex naturæ conatu. Quod est pariter sperabile in febre & in lethargo, ubi natura urget abundantia. De febre satis clare probatur, dum Galenus æqua lance perpendit indicationes, quæ contraria postulare videntur, inter febres, & illis complicatos affectus periculo urgentes. *Vbi itaque*, inquit, *ambiguitas pugnaque indicationum inter se oritur, magnopere opus est, tum numerum indicationum, tum magnitudinem simul conferas: quippe quæ à febre sumitur indicatio, ea reliquis, quando omnes contrarium faciendum præscribunt, numero quidem inferior est, magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunque appellasse libet, spectatur, utique superior est, potissimum, si longe à natura recessit. Quippe duplex tum magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere provenit, quæ omnibus communis est: & quæ propria sui ipsius est, nempe quando illa est continua in constitutione, aut in more maligna.* Hic Galenus de febris magnitudine & periculo loquitur, prout abstrahit à putrida, hectica, & diaria, in comparatione aliorum affectuum, qui interdum in illa complicantur: licet ex hac regula non possit constitui generalis doctrina. Nam alii affectus impedimento sunt, & non potiori urgentia, ne febris indicationes exequantur, uti ciborum cruditas in ventriculo, & in ventre excrementa congesta: alii contraindicant potiori urgentia, veluti virium imbecillitas, crudorum abundantia in venis cumulata. Si vero contraoperantia, inter febrem, & illi complicatum affectum, æquis viribus certant, & æquali urgentia, non est dubium, febris magnitudinem contrarii affectus indicationem superare. Quod in mea sententia colligitur ex illa dictione, *ambiguitas*. Nam ubi est anceps indicatio, semper prævalet febris. sed magis ex alia, *si maxime longe à natura recessit*, seu in intensione, seu maligna putredine. Tunc enim ob illius acutiem, omnes alias complicati & urgentis affectus, indicationes procul dubio superat.

Lib. Finit. Medic.

Gal. Lib. 9. Meth. Med. c. 9.

Lib. 2. Meth. Med. c. 3. & 4.

De lethargo, quod inter acutos etiam numeretur, major erit probatio essentiæ illius magnitudo, & pars nobilissima abscessa, nempe cerebrum, & communis facultas, cujus officio vita carere nequit: quæ à lapsa patitur intemperie, interdum ab inflammatione, cum periculo syderationis & necrosis, in cerebri substantia. quo fit, ut ad septimum sit illius acuties præfinita ad mortem, vel salutem, si symptomata, quibus majus periculum morbi sævities deputavit, mitescere incipiunt. Sed quia à morbi intensione, ut etiam à naturæ recessu, & ab accidentium sævitia, forte malignitate, major desumitur urgentiæ & periculi ratio, ideo lethargi incipientis, progressi, & confirmati signa in medium prius adducere decrevi ex Galeni & Hippocratis fonte. Sic de lethargo incipiente in Hippocrate legimus: *Tussis oboritur, & salivam spuit multam ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari desiit, dormit, & excrementum male olens egerit.* De progresso lethargo, altius radicata intemperie, ex quo graviora pullulant accidentia, est etiam nobile Hippocratis judicium. *Morbi status idem est*, inquit, *qui & peripneumoniæ, verum difficilior, & non omnino liber: ac remotus est ab humida peripneumonia, sed multo tardior est morbus. Patitur autem æger hæc, tussis & sopor ipsum tenet, ac salivam liquidam ac multam educit, & vehementer impotens est. Et cum est moriturus, multum atque liquidum infra egerit. Huic valde exigua vitæ spes est. Hoc curandum est, ut multum spuat, & calefiat,*

Hipp. 2. de Morb. 70. cujus tit. est morb. lethargus.

Idem, 3. de Morb. text. 5. cui titulus est lethargus.

fiat, & à vino abstineat. Si vero effugerit, suppuratus fit, &c.

Hic Hippocrates parallelo expendit peripneumoniæ & lethargi statum, in eo, quo alter assimilatur alteri; nempe in utriusque membri laxitate, recipiendi etiam aptitudine, ac symbolica utriusq; causæ intemperie, quando utraque venit à crudiore sanguine. Deinde expendit accidentia lethargi jam progressi. Nam textu antecedenti dixit, *tussis suboritur*, hoc est, cum eo nascitur, *& dormit*: nunc dicit, *tussis & sopor ipsum tenet*, hoc est, altius radicata persistunt, jam progressi affectus argumento: ut Galenus exponit in alia & simili Hippocratis sententia. *A morbo laterali vel pulmonia habito, alvi profluvium adveniens malum.* In cujus Commentario Galenus. *Cum partes aliquæ patiuntur, non simpliciter aliæ compati sunt natura aptæ, sed cum forti passione detinentur. Secundum hoc igitur & hepate fortiter patiente, singultus supervenit, compatiente stomacho: tussis autem & difficilis respiratio, patientibus iis quæ respirationi observiunt instrumentis. Sic & his ipsis pessime affectis hepar compatitur. & hoc ipsum manifeste Hippocrates ostendit, cum non simpliciter dixerit, In morbo laterali vel pulmonia alvum turbatum esse malum signum, sed adjecerit, habito, ac si dixisset, detento atque vexato homine à talibus passionibus profluvium alvi superveniens malum esse signum.* Quoniam tunc solet supervenire ex hepatis atonia & imbecillitate. Ideo etiam *si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente supervenerit, lethale* dicitur. Et *à tabe habito profluvium alvi superveniens.* Sic *In osse ægrotante caro livida, malum.* Vt & *A vomitu singultus.* Sicut *A sudore horror, non bonum.* Insuper, *In morbo diuturno fastidium cibi, & dejectiones syncera.* Ac *A profluvio sanguinis, desipientia.* Tandem *Ab ileo vomitus singultus.* Et pluribus aliis quæ Hipp. notat. Ideo etiam tremor damnatur in lethargo tanquam accidens maxime timorosum, ut Hippocrates dixit: *In lethargo tremor malum.* In cujus Commentario est Galeni judicium: *Lethargus ex frigida & humida materia generationem habens, una cum spiritus animalis imbecillitate provenit, & cum febre debili. Si igitur in lethargo tremor appareat, malum est, vel etiam periculosum: indicat enim, tantam esse frigidam materiam, ut dorsalis medullæ particeps fiat, ut inde nervorum genus ob repletionem in tremore compatiatur: non vero ob paralysim.*

Hipp. 6. Aph. 16.

Comm. Gal. in Hipp. 6. Aph. 16.

Hipp. 4. Aph. 34. 5. Aph. 14. 7. Aph. 2. Aph. 3. Aph. 4. Aph. 5. Aph. 9. Aph. 10.

Comm. Gal. post 7. Aph. in primo Aphorismo.

Ac salivam liquidam educit, Hippocrates procedit: non ex sola venarum nauseosi, ut nobis certo liquet; sed ex pituita putredine & calore liquata, quo per pallatum diffluit, & labitur in pectus, per patentes vias trache arteriæ. Quod si his accedat multa & liquida egestio, maxime ægro non sentiente, arguit validam impotentiam, quæ non contrahitur à levi intemperie, nisi valde lapsa; sin minus, altius radicata, præ animalis facultatis atonia, quo naturalis retentio consensu aboletur. Quod cum accidit, exigua vitæ spes est: quoniam naturali concursu penitus moriente, extreme lapsa physis nequit redintegrari.

Supremum inde lethargi periculum ex his signis elucet, ex illo jam progresso; sed fere inevitabilis dormiendi necessitas, nescio an fatale discrimen, lethargo jam prorsus confirmato. Colligitur ex alia Coacarum sententia, quæ sic legitur, in illa versione. *Lethargici tremuli ex manibus, somnolenti, decolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, & palpebras elevatas habent, & sudores insuper accedunt, & alvos biliosas intemperatas & subtumidas habent. Si vero obaridas habuerint, urinæ & egestiones latenter excidunt. Vrina veluti jumentorum est; potum non expetunt, neque aliud quidpiam. Postquam vero resipuerint, collum sibi dolere dicunt, & sonitus per aures transire. qui vero ex lethargicis servantur, plerunque pectore suppurati fiunt*, &c. Ex aliis, quæ sequuntur, de lethargo sententiis, illud sane colligitur, nil certum colligi posse: nam ab excretionibus & sudoribus alii perierunt; plerique liberantur. Attamen ut plane perniciosum Hippocrates condemnat, à sudore frigescere, ac postea ardenter recalescere, & clam urinas & excrementa sine sensu exire; aut si lethargus phrenitidi succedat.

Hipp. 1. Coac. post medium.

Tremoris rationem in lethargicis paucis antea lineis legimus in Galeno, qui hos ad motus convulsivos reduxit. Quare autem in brachiis & in manibus fiat, nos docuit nervorum anatomia. Nam à quinta, sexta, & septima conjugatione, sex paria nervorum deducuntur, & per brachium, & manum fere totum excurrunt, ex quartæ, & quintæ vertebræ articulo prodeuntes, ac minor illorum ramus in scapulæ musculos & brachium extenditur; major in diaphragma: quo fit, ut ab illo humido, licet putri humore, qui lethargum in cerebro producit, pars, quam cerebri substantia non capit, ad ramulum brachiorum excurrit, ut tremor brachiorum & manuum, seu motus tremule convulsivus insequatur.

Altus sopor, oblivio, delirium, & febris, sunt repleti capitis cataphorica signa, & apparatus morbi incipientis: sed post quartum illius, jam progressi & acutissimi morbi consectaria: nativus enim calor ad septimum extinctionis periculo laborat, ut Hippocrates dixit: sopor enim, in exolutione & veterno consistit: in errore delirium, ex caloris motu inordinato. Utriusque reddidit rationem Galenus: *Cum humor, qui in cerebro redundat, frigidus est, insensibilitas, immobilitasque hominem opprimunt: cum vero calidus, perpetuus potius motus, una cum rationis noxa. Accidit enim ex frigore segnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris vero vitio dementia.* Sed ex inveteratione causæ lethargicæ cerebri accidit alienatio: unde hæc ipsa accidentia cernuntur jam ad summum progressa, & tunc accidit tremor, non tantum nervis humido & putrescenti succo inebriatis, sed quia animalis facultas officio fatiscit, & lapsa intemperie, & pravæ cacochymiæ redundantia.

Galen. 13. Meth. Med. c. 21.

Decolores & tumidi lethargici redduntur, ex colore redundantis pituitæ, & crudorum etiam abundantia, veluti in cachecticis & syncopalis humorosæ apparatu, ubi scatent cruda. De his sic loquitur Galenus: *Tum color aliis quidem ad albidius quam pro naturali habitu; & inter cutem aqua laborantium, magis simile est: nonnullis etiam ad nigrius, vel lividius. quos quidem medici plumbei coloris appellant.*

Idem, 12. Meth. Med. c. 3.

Pulsibus tardi sunt, dixit Hippocrates. Quid amplius? nos Galenus edocet. *Lethargicorum pulsus, inquit, est pulmoniacis similis, magnitudine, imbecillitate, & mollitudine: sed eo tardior, rariorque, ac minus inæqualis, intermittens potius quam intercurrens. Est etiam tempus cum dicrotus fiat. At undosus semper*

Galen. 4. de Caus. puls.

in

in istis quidem soporibus est: intermittens quidem, quia frigido est affectui propius, facultatique valde refrigeratæ. Hoc nos etiam in hoc pulsu notavimus, quod præ arteriæ mollitudine pulsus altus appareat, non magnus, sed deceptoria magnitudinis sorte: materia enim crudorum tenuata, & fusa, & in statu maxime, quandam elevationem in pulsibus inducit, cui mollis cedit arteria: sed cum robur in facultate deficit, mox collabitur pulsus & elevatio.

Palpebras elevari flatuosa materia, non est mirum; sed genas sublimes, ut Duretus legit, nulla experientia fulcitur, nec ulla ratio persuadet. Ideo suspicor in Codice mendacium, & sic reor legendum: *genæ cum pallore rubentes*: proprium enim est cerebro inflammato maxillas rubenti pallore perfundi. Quod nullus quotidie non observat; seu dum inflammatio epigenesi serpit; seu dum à vicinis humor ad externa refunditur. Hoc in Nerei virgine legimus accidisse: quam lata manu percussam secundum sinciput, protinus febris tenuit, vertigo, aphonia, hoc est, vocis privatio, & rubra circa faciem erat, pus exiit per aurem, febris intendebatur, soporosa, convulsa, difficili spiritu, lingua tremula, & oculis stupida, mortua est in nono. Hanc fuisse cerebri inflammationem, nemo dubitat.

Pravo sudore madent, ephidrosi nempe, sive importuna sudatiuncula: initio quidem expressione, oppressionis vi elicita: in progressu vero, sive confirmato lethargo, ab exolutione partium solidarum.

Alvus non tantum biliosa excernit, sed intumescit etiam, putrida diarrhœa, à sanguinis & bilis corruptela, in quam degenerat fermentata putredo, seu caloris inopia, seu vi malignitatis corruptione indita: quo etiam retentrix officio fatiscet; seu quia lethargici suæ mentis non sunt, adhuc summæ necessitatis obliti; seu quod partes intestinorum excretioni dicatæ, sint mollificatione exolutæ. Nam mollificationem in nervis semper affert lethargus, jure vicinitatis, & causæ sympathia, in tantum, ut illud Aretæum coegerit, ut in clisteribus admisceret castoreum, pro exolutione roboranda, & illa mollificatione exsiccanda. Quod consulto in hoc loco advertere decrevi. *Castoreum enim*, inquit, *nervos firmat, habitumque calidum restituit.* Quod Galeno etiam non displicuit, adhuc cum lenta & non intensa febre. Quo in statu, nempe confirmato lethargo, alvus etiam intumescit, velut aliis etiam prope mortem, ab extrema vivifici caloris paupertate, hepate in sanguificationis officio alienato, ut loco sanguinis flatuum multitudo generetur, quo ventris regio universa distenditur: quod non tantum hydropicis, sed in alvi profluvio, ex habituali intemperie, collapsa facultate nutrice, vidimus accidisse.

Aret. Lib. 1. acut. pass. cap. de Lethargo. 11. de Simpl. Med. Facult. tit. de Castoreo.

His etiam urinæ & alvus clam secedunt, absque voluntate & injussa, præ insensibilitate & veterno. Quæ lethali augurio talibus advenire legitur in Prorrhetico. *Si ex ventre tenuia aut urina* (hæc sunt verba sententiæ) *ægro non sentiente excernantur, malum.* Et forte est translatum ex tertio de morbis, ubi legitur: *Et cum moriturus est, multum atque liquidum infra egerit.* In his etiam urina veluti jumentorum est, crassa nempe & perturbata. Hoc mihi videtur advenire ex crudorum miscella cum serosis, quæ vi naturæ cum urina etiam refunduntur, seu à perturbatione in venis, à flatulento spiritu, cum ardore febrili; non ex liquatione, non ebullitione, qua humores etiam depurantur: non enim in febre lenta hujusmodi ebullitio sperabilis est, ut talis inde confusio, ex permixtione ebullitionis, concitetur, ut urina crassa & turbida reddatur. Nam *ebullitio* (quæ fere semper accidit in calidis humoribus) *est concussio partium aquosarum & terrestrium, medius vaporibus, qui permeant universam substantiam, ab intensiori calore facta, ad succi depurationem.* Per hanc enim liquantur succi, non tantum à calore, sed à motu & agitatione. Quæ omnia in febre lethargica deficiunt.

Hipp. 1. Prorrhet. Sect. 1. 28. & Sect. 2. 46.

Porro autem, nec bibere, nec aliud sibi dari contendunt, oblivione & veterno sepulti; seu quia in illis mens ægrotat. Præterquam enim quod iis, qui habentes causam sitiendi non sitiunt, mens ægrotat; hi adhuc oblati cibi & potus obliviscuntur. Sunt etiam qui matellam petierint, & mejere obliti postea nescierunt. Quæ omnia cum simul in lethargo concurrunt, tanto erit deterius, quanto plures facultates in eo patiuntur fatali sympathia.

Ex Posidonio etiam & Archigene adnotavit Aëtius, quod qui ex dementia in lethargum inciderunt, pulsum habent minorem & frequentiorem, cum alvo adstrictiore, licet prope mortem immemores excrementa demittant præ atonia: respiratio est fere naturalis in principio; difficilis in medio; sed morbo jam progresso intercepta.

Quod si tantorum malorum accessione non omnino in septimo superetur natura, aliqua scintillat spes revalescendi; non vero fida securitas: quoniam tunc morbum, à natura jam superandum, illa sequuntur signa, nempe sibi collum dolere dicunt, sonitumque jam transire per aures, & ex iis aliqui etiam in pectore suppurati fiunt. Hoc non aliter fieri posse remur, quam à nobilibus membris ad ignobiliora materiâ transpositâ. Quod si accidat, necessario & minuitur sopor, & animalis facultas resipiscit ab errante delirio, somni profunditate, in quo antea facultas erat resupinata: nam recens doloris sensus, ab insensibilitate ad sensum transitum arguit manifeste, & in collo dolere inibi materiam transpositam, & naturam à maligna cacochymia & ab oppessione vendicatam. Illa tamen levatio agnoscitur, restituta sensifica potentia, causa morbi depulsa; & hoc non in unica crisis conditione: aliis enim apparet retro aures materia transposita in parotides; aliis per asperæ arteriæ canales ad pulmonem; aliis crassiori materia tenuata in vapores exolvitur; aliis denique per aures & per nares expurgatur, per patentes & satis notas vias, vicinitatis & consortii lege, sive in velaminibus suppurata materia, sive tenuitate fluentiori reddita. Quod nos plerisque vidimus accidisse. Nec dubito, illud fieri posse, à cerebro ad sobolem spinalem medullam materia transposita: licet mihi magis secundum rationem videatur, quando de cervicis dolore conqueruntur, hoc fieri materia expulsa ad chordas & nervorum propagines, quæ extra calvariam perreptant, & à cerebri velaminibus deducuntur per collum & ad dorsum. Inde

certus arguitur excursus morbificæ materiæ, ex cujus contentione flatus per aures erumpunt, ut sonitus appareat in illis, caloris in cerebro nunc recens suscitati argumento. Par enim in hoc casu ac in lienteria currit ratio, veterem cruditatem cessare, & in flatus materiam tenuatam converti. Nec est alienum ab Hippocratis & Galeni sententia, quando natura se accingit ad crisim, flatu sonoro aures personare.

1. Coac. text. 13.

Cum hoc tamen hæc Hippocratis verba: *ex iis quicunque servantur, fere purulenti evadunt*: non satis sibi constare, arbitor: hoc enim non est periculum effugere, sed mutare; æque enim à pure in pectore collecto periclitari vidimus, ac ab ipso lethargo. Sic ideo reor intelligenda hæc Hippocratis verba, nempe, eos, qui servantur à lethargi periculo, non ideo in tuto positos esse, nec omnino servatos, sed à lethargi laboribus vendicatos; veluti, qui ab angina liberantur, materia ad pulmonem versa: liberantur enim à suffocatione, non tamen à pulmoniæ, aut à thypsis periculo. facillimus est enim à cerebro ad pulmonem transitus, & lege sympathiæ, & per patentes vias, ut materia à cerebro ad pulmonem feratur.

5. Aph. 10.

Posse etiam materiam, in cerebro putrefactam & purulentam, per aures & per nares expurgari, Hippocrates nos docuit, in magna cerebri repletione. *Cum doluerit caput*, inquit, *per cerebri repletionem vitrosorum succorum, purgationem non factam indicat, dolores caput tenent, & delirat. Septima die moritur, & evadere non potest, nisi humor eruperit septima die per aures: sic enim dolor sedatur & resipiscit.* Ex in textu sequenti & 8. idem docet accidere cerebro inflammato, si septimum pertranseat.

Idem, 3. de Morb. text. 4.

Attamen materiam à cerebro ad pulmonem converti, nec semper, nec in omni lethargo, nos remur evenire; sed veluti non in omni angina, sed in illa, ubi multitudo materiæ, subito decurrentis, naturam ita urget, & suffocando angit, ut omnibus collectis viribus insurgat, & materiam transferat ad pulmonem, ut se liberet ab angenti periculo. Sic pariter mihi videtur in lethargo evenire, ut, quando natura ita se urgeri sentit succorum multitudine, in cerebri vasis cumulata, ut nativus calor extinctionis, aut substantia cerebri corruptionis periculo laboret, tunc insurgat, ut contra pondus palma, & materiam à cerebro ad pulmonem extrudat. Nec ideo inficior, posse illud etiam evenire, quando natura super illam morbificam materiam imperioso magisterio dominatur, ut sit veluti crisis, materiæ à cerebro ad pulmonem expulsio, forte loci commoditate, per has patentes vias.

Hoc nos in lethargo non vidimus: vidimus in angina; ægrotum nempe, angina suffocante oppressum, subito à suffocatione liberatum, ad pulmonem materia translata. Illud enim hujus translationis extitit argumentum, quod ægrotum inde facile vidimus deglutire, libere respirare, &, quod magis est, febrem reddi omnino mitiorem: & cum jam in tuto esse videretur, secunda die à liberatione difficulter iterum incepit respirare, pectorisque oppressione angi, febris intendi, tertio rubore maxillarum suffundi. febris intendebatur, & alismo implacido mutationibus ut remediis utitur. Quarto manifestius urgebat suffocatio, quantum intendebatur pulmonis inflammatio. Quinto eadem erant. Sexto extremorum frigiditas, cum glutinosi humoris sudatiuncula. In septimo periit suffocatus. Hoc pacto mihi videntur à lethargo servari aut levari, dum pectore suppurati fiunt, ut nempe à lethargi laboribus leventur, quo usque incidant in alium graviorem affectum: nulla est enim ex recursu ad membrum, cujus officio vita carere nequit, securitas; hoc enim est in fide Græca securitatem quærere, & fraudulentæ malignitati credere: quibus est male fida securitas.

Hæc lethargica febris non est febris ab aliis diversa, sed humoris pituitosi propria putrescentis, aut in cerebri venis, aut in venoso genere: à quo ascendunt lethargici vapores, hoc est, lethargum inducentes. Hæc interdum solet esse maligna, veluti in illa febris forte, in qua crudis calidisque permixtis tenuibusque sordida fermentatur putredo: & maxime, quando obstructionibus antiquis complicatur, aut ex illis continuo fovetur. Hæc est febris continua, non parva, neque magna, sed inter lentas & acutas media, quæ subdola malignitate decipit, cum symptomatis careat. Sed latet in illius causæ morbificæ inveteratione pernicies, quia continuata putredine corruptio inducitur: & inde fit, ut humoralis causa, dum peragitur coctio, emittat partes quasdam vaporosas, aut exhalationes, quibus malignitas veluti plaustro ducta in cerebrum defertur, inque profundiorem illius substantiam inseritur; licet supersint aliæ partes coctæ, ex quibus urina appareat evidenter aut apparenter cocta. Unde fere accidit, ut, dum Medicus urinæ coctione male fida securitate decipitur, aut lapsa intemperies, aut putredo, saltem actione repetita, profundius inseratur, dum illius auxilio non attenditur, & interim præterlabitur succurrendi occasio, non amplius ventura.

Et, quod magis est, artifex interim sanguinem large mittit, sed febris non demittit: cucurbitulis etiam sine fructu coctionem retardat, calore ad extra revocato: & auxiliorum congerie, & motu, quietem, maxime coctioni necessariam, agitat, oblitus fortasse incindentium, & illorum, quæ maturam coctionem procurant; forte etiam neglecta cruditatum primæ regionis congerie, in qua deponenda summa curationis consistebat. Et dum inter ambigua fluctuat attentior solertia, æger lethargicus evadit aut phreniticus, ex parte vaporosa indomiti humoris continuo recepta; & non quomodocunque, sed ex causæ lethargicæ inveteratione desperatus. Nam ob illam, quam repetita impressione induxit, aptitudinem, aut imbecillitatem in cerebro, ita facilis fuit hujus accidentis generatio, ut difficilis in posterum sit depulsio. Inde etiam alia nos pericula urgent. Nam si omnimoda coctio expectatur, hæc in parte, coctionis capace, putredinem coercet: in alia incoctili, ex propria natura, aut putrida in termino, hoc non valet efficere. Præterquam quod in hac alii citius, alii tardius coctionis beneficium consequuntur, quia heterogenei humores, dum alii pravi semicoctis miscentur, & interim omnes ruunt in cerebrum.

Cum ergo in expectanda coctione nulla detur securi-

securitas, nec in sanguinis missione repetita omnimoda fidelitas, & in minorativa purgatione utplurimum putrida cum semicoctis confundantur, ut amplius inde diffundatur putredo, & malignitas, quæ antea non erat, suscitetur; ut luce clarius parum infra videbitis; quid nobis curationis spei restat? in mea sententia, nulla alia, quam in principio lenienti medicamento primam regionem à crudo liberare, tertio quoque die purgantibus clysteribus paulatim repurgare, ac deinde humoribus permixtis (quod urina monstrabit, à tenui, si crassior; à pallida, si flava) sanguinem ex talo vacuare, si mesaræi venis aut hæmorrhoidibus præsumitur sentina; & postea, si in venis majoribus, ex brachio; denique hæmorrhoidibus sanguisugis applicitis. Sed in extrahendo sanguine sit cauta moderatio, ne intendatur cruditas, aut crudis prava etiam misceantur, aut ne vires morbo in posterum ferendo collabantur. Quod si his non cedat aut febris continuitas, & maligna conditio, tunc pro salute erit, Galeni consilium observare, coctum paulatim vacuare, & salubre pro eo reponere. Quod etiam Trallianum consuluisse constat; partem nempe humoris cocti vacuare, & aliam in quiete concoquere, tenuantibus, incindentibus, aut concoquentibus, prout petit necessitas humorisque conditio: his enim prævacetur, ne in hac febris forte in lethargum aut phrenitidem incidat.

Lib. 9. Meth. Med. c. 10.

cap. de Tert. Notha.

An hæc febris lethargica ab aliis, quæ cum sopore incidunt, differat, non est inventu facile. Attamen attentius perpende, non omnem soporem, qui cum febre incidit, esse lethargum, sed illum, qui cum febre incipit & delirio, & cum oblivione in progressu. Quoniam vero alii sunt sopores, qui lethargum etiam æmulantur, in quo illi differant à lethargica febre, ad melius curandum oportet nos exacte docere. Caros enim est phantasiæ paralysis, omnisque fere sensitivæ potentiæ; sed sine febre venit: saltem in principio interpolatæ febris, in cujus declinatione evanescit sopor, resipiscunt potentiæ internæ & externæ, quoniam omnes in caro feriuntur, ut universalis apoplexia motivæ & sensificæ: cujus inæqualis respiratio unica est ab aliis ratio differentiæ. Ab utroque comate, somnolento & vigili, & à typhomania, non ita facilis differentia innotescit: quoniam ista etiam cum febre & delirio superveniunt, in quibus cum lethargo conveniunt. Pleraque tamen alia, hæc & illa esse longe diversa, præmonstrabunt, cum in proprio titulo de illis disseramus. Sunt alia etiam, præter ista, quæ videntur cum lethargo incipere, & sunt vere lethargica, quia cum febre cataphora, cumque mentis errore, incipiunt; sed aut protinus evanescunt, aut degenerant in alios affectus à lethargo. ut in febre sanguinea experimur.

Ideo forte Hipp. perquirit, ad lucidiorem soporis differentiam, *Sopor an ubique malus?* Cujus sane problematis non tantum rationem, sed etiam solutionem Galen. videtur attulisse, quando dixit: *Coma — propensionem* (seu delationem) *in somnum sic appellasse Hipp. In somnum autem propensionem voco, cum vigilare ægri nequeant, non apertos habentes oculos, sed conniventes: vel altis somnis, vel tenuibus, vel vigiliis detineantur. Unde exactam quærit distinctionem, multam etiam prudentiam & exercitationem, ut ex qua affectione æger comatosus fieret assequaris: frequenter enim* (attendite nunc ad rationes differentiæ) *ubi multum irrigata pars sit, quæ est sensus fons,* (*in qua & somnum recte Aristot. fieri demonstravit*) *coma sequitur: ut nonnullis usu venit ebriis. Subinde ob solum frigus. Est cum ambobus his profundus succedat & comatosus somnus.* (quibus non est absolute malus.) *Quin etiam propter infirmitatem virium talis affectus fit adeo jam emorientium, ut apertas genas servare non valeant. Ac ita affecti hoc habent, ut postquam conniverint, aut nihil prorsus, aut parum dormiant, sed vigilent, nec attollere tamen genas queant: quod quidem vitium ab eo quod committit humiditas & algor, pulsus distinguunt potissimum languidissimi, tardi, rari, & parvi.* Hactenus Galen. En, quando sopor malus, utilis, aut indifferens. Nam quando soporem sola utilis inducit humiditas, quam ipsa natura concoquit, dissipat, & exolvit, non erit utique sopor malus: quando vero indelebilem arguit intemperiem, tunc certe venit damnandus sopor. Ideo forte post illud Hippocratis quæsitum, in illa, quæ sequitur, sententia, dixit: *Ignorantia cum rigore, mala: mala quoque & oblivio.* Hoc etiam Galenus in hujus Aphorismi: *In febribus & somnis timores vel convulsiones, malum:* Commentario probatum reliquit, dicens: *Dictum ab ipso & antea fuit,* &c. *Ubi delirium somnus sedat, bonum: uti somno existente aliquo, ex quo delirium non sedatur, sed excitatur ac generatur. — Hoc autem videtur contingere quando in somnis ad cerebrum humor infestus pervenerit, tunc magis intra quam extra natura mota. At profecto ut à cibo ad somnum conversi, implentur caput: sic in plethoricis affectionibus, somni ipsum replentes, aggravant cerebrum. Si igitur ea multitudo ad atræ bilis naturam vergit, timores fiunt: sin talis non fuerit, labores ac convulsiones. Somnique procul dubio semper nocerent, quatenus ad profundum & viscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrent utilitatis quam sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur.* Et hæc est unica ratio, quare plerisque in morbis sopor criticus ab Hipp. & Galeno judicetur, licet in illo nulla conspicua, nec insensibilis vacuatio excitetur, nec febrilis causa aliò transferatur. Sufficit enim ad crisis rationem, ut pepasmo mitificata materia, & per somnum cocta aut dissipata, sive in vapores exoluta, naturæ magisterio cedat. Legite Galeni expositionem (in Prorrhetico) illius Hippocratis problematis, quod dicebamus antea: *sopor an ubique malus.* In hoc enim solutionem posuit, ut si utilis humiditatis copia gravatur cerebrum, aut illius quem valet concoquere humoris, non erit utique malus sopor: si vero cerebrum ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur, quam sane superare non valeat, sive caros sive lethargus sit, tunc certe erit damnandus sopor. *Vidimus enim,* inquit, *in ægris quibusdam qui tribus vel quatuor diebus vigiles permanserant, difficilem excitatu somnum supervenientem, qui prorsus nocte dieque perseverans, magnum attulit auxilium. Sæpius quoque & in infantibus somnum ejusmodi supervenientem non uno die solum: verum quoque & duobus ex ordine diebus magno ipsis fuisse commodo conspexi.* Celebris est etiam illa Coacarum sententia: *Somni arctiores, neque tumultuosi, firmam crisim denuntiant.* Veluti quando sedat delirium: quoniam tunc est certe criticus judicandus. Ideo forte à Galeno somni graves & profundi, inter jam jam venturæ crisis signa numerantur.

Hipp. 1. Prorrhet. text. 29.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 1. text. 7.

2. Prorrhet. 30.

Hipp. 4. Aph. 67.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Aph. 67.

2. Prorrhet. 29.

Comm. Gal. in Hipp. 2. Prorrhet. 29.

Hipp. 1. Coac. 157.

1. de Crisib. 7. & 8.

Attamen, ut certius proferatur judicium, an sit febris lethargica, an ex alio principio comatosa, & in quo illæ differant; legere & attendere decet Hippocratis sententiam, quæ sic incipit in primo Prorrheticorum; *Qui comatosi inter initia fiunt*, &c. Nam ibi certa lege lethargicos in febre sanguinea fieri, Galeni est expressa sententia, & illa nihilominus non est febris lethargica. Diximus, certa lege, quando nempe à febris principio, usque ad quarti diei finem, interruptus sopor, soporosaque vigilia perseverant. Hæc sunt Galeni verba: *Arbitror equidem Hippocratem in prima dictionis parte principium dixisse morbi totius ingressum qui secundum latitudinem intelligitur. In calce autem cum ait, Tum alias, tum si quarto cœperint die, dicere tunc solum incipere prædicta symptomata, ægro jam quatuor ante diebus febre correpto, ut in eo quod secundum latitudinem sumitur principio generentur tum coma, tum vigilia, tum partium nervosarum dolores. Nempe primo vel secundo die præ copia sanguinis, propter bilis permistionem tum acris tum mordentis, potest reddi idem æger tum comatosus tum vigilans, gravata quidem ob sanguinis copiam cerebri facultate, sed à bile usque adeo irritata, ut somnus inhibeatur. Quarto vero die copia jam imminuta, & præsertim si medicus eam vacuare præverterit, atque acrimonia cocta, desinere utrumque symptoma, tum coma, tum vigilias, par est. Si ergo quo tempore illa cessare debuerunt ea fieri videantur, bilem vel pituitam cerebrum invasisse, non sanguinis copiam, id commonstrat.* Duo ex hac sententia elicio, & sanguineæ febris à febre lethargica differentiam, & à comate vigili & somno lento, in causa & in tempore, quantum sanguinis copia distat à bilis & pituitæ copia, in cerebro putrescente, aut in venis, in tempore etiam. Nam sanguineum coma intra quartam diem incipit & finitur: à bile & pituita, ultra quartum progreditur.

1. Prorrhet. 1.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 1.

TITULUS III.

In quo differat ista febris lethargica à febre, quæ cum comate vigili & somnolento incipit.

Confuse satis de hac ipsa differentia Auctores scripserunt, licet de lethargo & comate satis manifesta cum distinctione. Sed in hac & illa febre ita confuse hæc & illa accidentia permiscentur, ut adhuc peritissimi discernere & dignoscere haud tentent: quia, ut dixit Aristoteles, magna ex desperatione fit securitas. Prius de comate somnolento & vigili nobis dicere placuit, & in quo illa differant inter se. Ac postea, in qua febris specie observentur. Ultimo, quibus signis hæc & febris lethargica de singulari cujusque differentia informent intellectum. De utriusque comatis essentia, signis, & constitutione, satis luculentum nobis reliquit Galenus testimonium: *Coma propensionem (seu delationem) in somnum Hippocrates appellavit*, inquit. *In somnum autem propensionem voco, cum vigilare ægri nequeant, non apertos habentes oculos, sed conniventes: vel altis somnis, vel tenuibus, vel vigiliis detineantur.* Unde exactam quærit distinctionem, multam etiam prudentiam & exercitationem, ut, ex qua affectione æger comatosus fiat, assequaris. Et quantum in his omnibus illius intellectus, prudentia, & exercitatio polleat, alio in loco nos edocuit, ubi exactissime intemperierum differentias, causæ varietatem, & situm loci patientis expressit; non tantum qua morbum in intemperie patitur in substantia, sed etiam ventriculis, & vasis, in compositione depravata. Sic legitur in citato contextu. *Igitur quemadmodum somnus, & vigilia, si modum excesserint, ille ob humiditatem, hæc ob intemperantiam fit aridam: ita & in his ipsis & major aut minor, tum somnus tum vigilia, sequitur majorem aut minorem, vel humiditatem vel siccitatem. Cumque bifariam fiant hujuscemodi intemperies, duplex quoque erit utriusque affectionis modus. unus quidem in humidis siccisque humoribus, alter vero in corporibus solidis: si aliquando in easdem intemperies solidæ partes atque molles inciderint. Præterea quamvis jam dictæ temperies sint contrariæ, fit tamen ex ipsis mistum quoddam temperamentum, ut in vigilanti sopore, cum pituitosus biliosusque humor abundaverit. Ita in calidi frigidique contrarietate, eosdem quoque modos invenire licet, tum simplicibus intemperantiis, tum ex ambabus compositis, &c. Igitur hujusmodi affectus omnes capiti (cerebro) advenire solent, sed inter se differunt, non solum mistionis varietate, aut eo quod magis minusve intenduntur, cum in simplicibus, tum mistis affectionibus, verum etiam quod ventriculi cerebri interdum afficiuntur hujusmodi intemperantiis, interdum universa ejus vasa, aut humiditas quæ per corpus cerebri dispersa est. Accedit ad hæc quartus quoque modus, cum videlicet ipsummet corpus cerebri intemperatum redditur. Quorum itaque vel memoria, vel intellectus periit, somnos observare oportet (quippe intellectus amissio stultitia est) utrum vehementer, an modice somnolenti sint, aut omnino non somnolenti, sed quantum ad somnum pertinet, secundum naturam sese habeant. Sic enim vincentem invenies intemperiem, &c. Nisi enim omnia hæc discrete cognoveris, idoneam cuique affectioni curationem haudquaquam invenies.*

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid Sect. 1. text. 6.

Idem, Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.

Ex hac Galeni doctrina constat, in somnolento comate cerebrum frigidam & humidam intemperiem pati, pituitosi cum humoris affluxu; non tantum in humore, sed in ipsa substantia, quæ ab illo afficitur. Ex quo duplex in cerebro resultat dispositio: alia in humoribus: alia in viventi substantia, quando nempe illa cum humoribus incidit. Hoc idem à bile accidit, cum prævalet in cerebro vigilia. Occupat interdum, præter istas, alia intemperies, mixta ex calido & frigido, ut in vigilante comate, quando simul in cerebro pituitosus & biliosus humor putridi permiscentur. Sed interdum alia prævalet super aliam, tum in simplicibus tum mixtis dispositionibus: & non tantum, quod hisce prævalet humor, sed quia interdum magis cerebri ventriculi afficiuntur, interdum magis universa substantia, aliquando cerebri vasa, aut humiditas, quæ per corpus cerebri dispersa est, aut totum cerebri corpus intemperatum redditur. Et inde certe accidit, ut interdum somni profunditas prævaleat, aliquando vigilia, aut utrumque permixtum, aut cum illis misceatur delirium.

Qua ergo differentia dignoscemus, quando hanc aut illam partem cerebri occupat intemperies, aut humoris affluxus? Dicam, quod ex alta didici Philosophia. In comate observatur delatio in somnum, in qua aut superat dormiendi necessitas, seu vigilia etiam comatosa, ut est inter dormien-

dormiendum & vigilandum, ſpe ſomni conciliandi conniventia: & tunc primum afficitur ſenſorium, quod reſidet in ventriculis cerebri, per quos ad ſenſus externos derivatur ſenſitiva & motiva potentia: nam quando hi ligantur, aut nimia humidi copia obſtruuntur, ſive vaporoſa ſubſtantia, fit ſopor, aut ſomnus. Hoc idem accidit, ſi vaſa & cerebri humiditas diſperſa, aut obſtruuntur, ne tranſeant ſpiritus; aut ſopiuntur, ne ſenſifica & motiva potentia operetur. Ideo enim otiantur in ſomno. Obſervatur etiam in comate, maxime vigilanti, delirium, ſeu error in potentiis rectricibus; ut patebit ex iis, quæ dicentur. Quando ergo non tantum ventriculi cerebri, & humiditas, ſed corpus ipſum intemperatum redditur, venit aliqua delirii ſpecies, in phantaſia, in æſtimativa, aut memoria. Hoc patet, quoniam juſta harum potentiarum operatio conſiſtit in cimetria temperamenti partis illius, ubi reſident illæ. Cum ergo in cerebri ſubſtantia reſideant, ſi hæc intemperata redditur, læduntur neceſſario & operationes potentiarum, ut hujus morbi ſymptoma. Hoc etiam patet ex Galeno, in præcitato loco. Nam poſtquam dixit: *Accedit adhuc quartus quoque modus, cum videlicet ipſummet corpus cerebri intemperatum redditur*: procedit: *Quorum itaque vel memoria, vel intellectus periit*: Tu minui intellige: mos enim eſt Galeno accipere actionem diminutam pro abolita, prout aut anteriorem aut poſteriorem partem cerebri magis occupat intemperies. Sed ut ultimam differentiam conſtituat, à qua nempe intemperie hi aut illi affectus producantur, aut vigil aut ſomnolentum coma, nos conſulit attendere: quoniam, ubi major prævalet ſomnolentia, indicat humidam intemperiem prævalere, & maxime pituitæ: aliter ſi vigilia, cum prævalent bilioſi aut permixti humores. Sic enim, inquit, felicius curandi indicationes ad prudentiæ regulam & ad artis principia deducuntur.

Hæc eſt utriuſque comatis eſſentia, hi affectus inducti. Quomodo vero intemperies has diſpoſitiones & ſimplices & mixtas in cerebro producat, & quibus ſignis utrumque coma inter ſe diſtinguatur, nunc oportet ex Galeno expendere. Duæ ſunt ſpecies cataphoræ: alia quidem pigra, quam Homerus molle coma dixit, ſeu in ſomno ſepulta; qua ægrotus neque vigilare, neque etiam palpebras elevare potis eſt. Eſt alia cum vigilia mixta, qua ægroti in ſomnum delabuntur, & à ſomno protenus excitantur, ac vigilare cupientes, nec dormire nec vigilare poſſunt. Vtrumque deducitur à verbo κωμάζειν: *Vigilare enim & κωμάζοντας, vigilare item & κωματώδεις* Galenus dixit. Commune enim ambabus eſt, quia oculos elevare non poſſunt, & cum agere vigilantium munia deſiderant, mox gravantur; & protenus ad ſomnum relabuntur, & hoc illis conceſſo, nedum dormiunt. Proprium vero alterius eſt, quod ii, qui dormiunt, & diu & profunde ſoporantur. Qui tenuibus ſomnis, nec vigilant, nec dormiunt, facile excitantur, alia ſuper aliam phantaſia adveniente: quia mentem movet, & intercipit ſomnum. unde videntur vigiles, ſed ſurgere non poſſunt: ſed neque ſpem ut dormituri ſervant. protenus enim illos excitat inquieta phantaſia. Quare amborum nomen

Lib. de Comate, cap. 1. & 2.

A commune eſt, quod Galeno cataphoram vocare conſuetudo fuit. In hac enim & ſurgunt, & loquuntur menti non cohærentia. Coma vero phreniticum ſurgit, & voces audit, & mox oculos elevat ad tangentem, & in ipſa cataphora brachia & crura repente & indecore projicit, & ad inſtar ſpaſmi exilire videtur. Quorum nullum, qui ſunt vere lethargici cum cataphora faciunt, immobiles enim & ſine voce jacent, profunde ſoporati.

De his dixit Hippocrates: *Detinebantur autem* B *ſopore perpetuo, non ſomnolento, aut vigiliis cum laboribus.* Ut ſit coma in ſomnum delatio nequeuntibus vigilantium munia obire, ſed tum palpebras claudere cupientibus, tum dormire ſperantibus. Contingit autem interdum horum quibuſdam, ut clauſis palpebris dormire nequeant; ſed plurimum vigilent. quod Hippocrates coma non ſomniculoſum appellavit. De hoc etiam eſt Galeni judicium: *Alii*, inquit, *cataphoram inſomnem appellarunt: alii ſomnum ipſum. Et revera coma invigil & ſomnolentum dividi conſtat ex variis Hippocratis hiſtoriis.*

Hipp. 3. Epid. Sect. 39.

Gal. Lib. de Comate c. 1. & 2.

1. Prorrhet. 1. 14. 3. Epid. Sect. 2. 73. & text. 5. & 3. Epid. Sect. 3. 26.

C Videtur divina providentia primitivis ſcientiarum conditoribus, ſingularem & divinam ſupernaturalem lucem addidiſſe, ut poſteritas in ſcientiarum luce ambularet. Ideo certe reor, non tantum juſtam auctoritatem promereri & venerationem; ſed in eorum oraculis & dictis ſcrutandis nullum non impendere laborem, ut in illis, quibus nobilis vetuſtas experientiam ſecuriorem fecit, ut nos fideliori ſecuritate manuduceret. Hæc dixit, quia ſe ipſum Galenus videtur D ſuperaſſe in hujus comatis differentia exponenda, & in ſignis, quibus à ſe invicem diſtinguuntur: quia neque neceſſariis deficit, neque abundat ſuperfluis. *Conſidera itaque mihi*, inquit, *ea quæ de quadam ægrota muliere* (Hippocrates) *dicit. Alteram ex abortu circa quintum menſem*, (Oecati nempe uxorem) *ignis corripuit. Ab initio ſoporoſa erat & rurſus inſomnis. Videtur enim per oppoſitionem coma ſive ſoporem à vigiliis diſtinguere, velut contraria. Rurſus in peſtilenti conſtitutione diu ſoporoſi inquit, & rurſus inſomnes.* Idem notat in Pario in Thaſo, ab initio E comatoſus, rurſus vigil. *Somnolenta igitur*, inquit, *cataphora lethargicis concidit. Inſomnem vero, quæ phreniticis advenit, tentabo diſtinguere. Duæ ſunt ſpecies inſomnis cataphoræ*, (comatis nempe vigilis & ſomnolenti: nam hoc nomen *cataphora* ut genus deſcendit in ſpecies) *nominatur altera quidem pigra, cujus nunc meminit Hippocrates, altera generis nomen habet. Vtriſque commune eſt, propter quod etiam maxime à ſomnolenta differunt*, (lethargo nempe) *quod alienata mente loquuntur, promptiſſimi ſunt ad exurgendum: quorum neutrum in lethargicis delationi*- F *bus contingit. Neque enim ſeorſum quid loquuntur*, (hoc eſt, ita diſtincte ut phrenitici: nam tantum inter dentes obmurmurant.) *& hebetem ſenſum habent*, (hoc eſt, velut dolo tentantes mala) *ita ut neque ad inclamationes, neque ad puncturas facile excitentur.* Hæc ſunt veri lethargi ſigna.

Gal. Lib. de Comat. c. 2. 3 Epid. Sect. 2.

3. Epid. Sect. 3. text. 16. ibid. text. 63. & 72.

1. Epid. Sect. 3. 29.

At coma phreniticum (& inſomne) *extra ejuſmodi ſentiendi difficultatem ac immobilitem conſiſtit. Nam & facile ſurgunt, vocemque ac ſonum omnem audiunt, & ſi quam corporis partem contingas, ſtatim oculos attollunt, & tangentem aſpiciunt. In ipſa vero delatione, aut manum aut crus movent, vel totum corpus jactant præ*-

ter rationem ac derepente, & abalienata mente exiliunt, velut convulsione apprehensi (veluti pisces, in littore saliendo palpitantes.) *Atque hæc omnia faciunt una cum hoc quod inepta quædam deblaterant. Nihil autem horum faciunt hi qui cum delatione* (cataphora) *lethargici sunt. Semper enim immobiles & voce privati jacent, similes his qui profundo somno pressi dormiunt. At vero ex his qui non somnolente deferuntur, alii quidem facile & multum moventur, ut non cessent magnopere vociferari, & partem aliquam vehementer movere. Et si excitaveris ipsos aut alloquaris, incomposite aspiciunt* (hoc est torvo vultu) *& magis extra se ipsos sunt, & mali quippiam perpetrare tentant: & omnino promptissimi sunt ad audiendum, nihilo inferiores his qui extreme desipiunt. Alii vero,* (id est, comate somnolento oppressi) *vice versa surgentes, magis sapiunt, & non multum moventur, & tunc magis desipiunt, quum ad coma deferuntur* (seu dormire incipiunt,) *& per hoc maxime à lethargicis delationibus ipsos discernere licet.*

3. Epid. Sect. 3. text. 4.

Hæc itaque est delatio lenta ab Hipp. appellata. Quæ in eo etiam differt à lethargo, quod in comate somnolento, si aliquando vigilant, melius intelligunt, & non ita desipiunt: in lethargo vero, si aliquantulum vigilare coguntur, tunc delirant. Nam in somno alto sopore jacent, omniumque obliti.

Hanc Galeni doctrinam volui ad limam & lineam redigere, ut intelligatur, quod cataphora, ut genus, ad comatis species descendit, in ea parte, qua cum sopore convenit. Nam postea in differentiis singulares distinctiones accipit. Licet Galeno cataphora & coma idem significent, ut coma somnolentum & lethargum. Unde fere in omnibus conveniunt, in causa nempe, ut in pituita in cerebro putrescente, cataphoratione, insensibilitate, oblivione, delirio, & febre. Licet aliquibus singularibus differant, ut delirandi tempore, mobilitate: ut antea vidimus ex Galeno. Quare, quando Galenus differentiam ponit inter coma somnolentum & vigil, eandem etiam esse noveris inter coma vigil & lethargum. Inter quæ alia quoque est differentia, in ipsa nempe forte delirandi. Nam in lethargo est mite semper & pacatum delirium: & in comate vigili, si non cum temeritate, saltem cum insolentia copulatur, torvoque oculorum intuitu. Postquam vero hanc novit differentiam, nomen genericum cataphoræ divisit in somnolentam, lethargicorum propriam, & in insomnem, quæ evenit aliquando phreniticis. Et hanc in pigram, & non pigram, magis nempe aut minus somnolentam. Et hoc non fortuito, neque absque alta consideratione fecit Hippocrates. *Non enim erat ille vir ex eorum numero,* dicit Galenus, *qui temere nomina imponunt, neque frustra ad posita est vox lenta, ad delationem. Neq; enim velut Homerus dicit oleum humidum, & lac album, nullius distinctionis gratia, quum omne lac album sit, & omne oleum humidum: verum singula nomina, & omnis syllaba, rem aliquam apud ipsum significant.* Et alibi dicit: *Hæc itaque quod verisimiliter se non habeant, nemo contradixerit, imo neque sufficienter. Mihi sane neq; cum demonstratione dicta esse videntur. Ex ipso enim Hipp. ejus orationis expositionem facere oportebat, quo non solum verisimiliter hæc dicta esse, dicere possimus, sed etiam ex illius sententia. Non enim hoc solum considerare debet bonus expositor, velut ego sentio, an verisimiliter aut vere dixerit, sed an etiam ex scriptoris sententia id hæreat.*

Galen. Lib. de Comate c. 3.

Idem, Lib. de Comate cap. 1.

Hæc sunt ex illis, quæ non ita facile assequuntur: nec enim in signis est æqualis securitas, quando de hac etiam in comate dubitavit Hippocrates, quando dixit: *Qui comatosi inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, hypochondrii collique dolore vigilantes, phrenitici ne existant.* Est enim in signis cephalalgicis æqualis apparatus ad lethargum, sive in somnolentam cataphoram: an fortasse, quia illa capitis plenitudo dubium potest sortiri exitum, dum retenta putrescit intra cerebri venas, aut naturæ magisterio per crisim vacuatur, per sibi notas vias. Annon etiam in febris sanguineæ principio humida vaporatio soporem cum vigilia æmulatur, quæ intra quartam diem evanescunt, & nec coma nec lethargum inducit? Merito ergo solita prudentia dubitavit Hippocrates, an in comate vigilantes phrenitici evadant, parte crassiore dissipata, & acriori reddita tenuiori. Nam hic patent cephalalgica signa, & ad caput excursus, cum fiat in principio: fugax enim lumborum, hypochondriorum, & colli dolor, sursum ferri sanguinem indicat; & coma seu in somnum delatio, jam cerebrum oppressum. Et inde unum duorum est certe sperabile, si gravante onere, aut facultatis imbecillitate, hic humor retinetur, aut putrescat, delirium: si per calvariæ venas ad nares defertur, ad hæmorrhagiam. Quod cum non sit secundum rationem in principio sperabile, erit secundum rationem dubitare, num tales phrenitici evadant, ex humore retento, qui putrescit? Nec alienus ab hac sententia Galenus mihi videtur Hippocratis mentem enarasse, dicens: *Major enim vis est*, inquit Galenus, *in illa dictione in principiis. Hoc enim videmus sæpenumero fieri in ebriis, cum repletum fuerit ex ebrietate caput: postea à gravitate una & in coma trahuntur, unaque à somno prohibentur. Ita ergo ubi multitudo incocta caput occupavit, vigiles simul & comatosi sunt; dumque hoc per initia evenerit, interdum quidem probe concoquitur multitudo, ac si ex vino talis res evenisset; sed ita sane nec lethargus nec phrenitis subsequuta est. Interdum tamen acrior reddita in phrenitim terminavit. Multis vero pars tenuior, vel concocta vel digesta evacuata est: remansit autem crassior, & ita lethargus supervenit, progresso quidem tali morbo, hæc affectio prope jam phrenitim est. Sicuti vero ii qui mixtam affectionem ex lethargo & phrenitide introducunt, suspicantur illi videretur esse proximor: utrum autem eos qui ita habent jam phreniticos nominare oporteat, an paulo post phrenitici expectandi sint, hoc alterius utique est considerationis.*

Hipp. 1. Prorrh. 1.

Galen. In Comm. & Lib de Comate, c. 4.

Hanc considerationem prosequitur Galenus, in citatæ sententiæ Commentario ut Hippocratis dubitationi satisfaceret. *Eosdem*, inquit, *comatosos & vigilantes dici, mirum non sit. Si itaque comatosi absque vigiliis fuerint, non quæsierim phreniticos ne eos vocare oporteat,* &c. *Nempe qui sine vigilia comatosi existunt, nullo pacto sunt phrenitici. At qui sine comate pervigilant, si id per initia cum prædictarum partium dolore perpessi fuerint, de necessitate phrenitici existunt.* Forte quia in comate vigilantes in principio, dum sentiunt dolorem, & pervigilant, arguunt partem crassioris materię per putredinem tenuiorem redditam, & ideo acriorem: quo mirum non sit, ut motu & calore illi necessario phrenitici evadant, in cerebro jam oppresso, & retenta materia intra cerebri venas putrescente. *Si vero vigilia* (procedit Galenus) *comati annexa fuerit, ambiguitatem res habet.*

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 1.

bet. Quia ubi materiæ frigiditas & craſſitudo ſuperat, potius ad ſomnum inclinat quam delirium; ideo enim poſuit Hippocrates illam dictionem *num.* & hoc,ſi prophaſim excipias: hoc eſt,externam cauſam.

Et ne temere proferatur judicium, Galenus adhuc de illis, quæ antea dixerat inſecurus, ſic proſequitur: *Quod ſi cum comate hæc conjungantur, tum unum diem expectes, in quo motionem ægritudinis dignoſcas, oportet. Phrenitis ſiquidem quæ exquiſita eſt, & nulli alteri morbo permiſcetur, fit cum bilis flava locum in quo princeps animæ pars reſidet, prehenderit: lethargus vero, cum locum eundem humectarit diluerit-que pituita.* Motionem ægritudinis per unam diem ut attendas conſuluit, non localem,ſed alterationes; nam localis morbi motus non in unica die innoteſcit, ſi periodum ſervat: bene tamen, an cerebrum alteret flava bilis, acrimonia, & motu, & calore; an pituita inſenſibilitate & torpore, dum cerebrum patitur per ideopathiam: inde enim ſecurius arguitur, an lethargus an phrenitis ſequutura ſit. Nam quæ partibus in aliis ex bile & pituita noxæ, cerebrum ipſum ad ſympathiam trahere poſſunt, continuæ non ſunt.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 1.

Sed quia typhomania in omnibus comati vigili fere aſſimilatur, hanc etiam differentiam Galenus noluit præterire. *Quoties igitur*, inquit, *uterque humor* (pituitoſus nempe & bilioſus) *cerebro moleſtus fuerit, prehendunt contraria hominem ſymptomata, ita ut tum vigilet tum leniter in ſomnum deferatur. Cum vero & ad ſomnum defertur, ſimul & deſipit, miſtam ipſi permanere affectionem eſt putandum. Nonnunquam & in horum alterum res ita deflexit, ut vel bilis, vel pituita ſuperior ſit, ægerque reddatur aut phreniticus exquiſite, aut lethargicus. Ego vero quoties ad finem uſque tum deſipientia, tum coma perſiſtunt, affectionem hanc ex phrenitide & lethargo miſtam appello. quidam τυφομανίας vocaverunt, ut & in libro De morbis ab Hippocrate ſcriptum.* Vigilare & in ſomnum deferri, proprium comatis eſt: ſed deſipere,cum humor in cerebro putreſcit, ſi bilioſus, magis inclinat ad vigiliam, & ad phrenitidem, ſi pituitoſus, & ſoporem inducit, & deſipere cogit: ſed magis dum ad ſomnum defertur; in alio magis, dum vigilare incipit, & à ſomno recedit. Quare deſipientia in nullo eſt continua, ſed cum intenſius cerebrum alteratur, in ſomno, aut vigilia, à bile aut pituita in illo putreſcente. Si vero ſimul & omni tempore deſipit,& ad ſomnum defertur, & à principio ad finem tum deſipientia tum coma perſiſtunt, arguit, & bilem & pituitam ſimul in cerebro putreſcere, & producere mixtam affectionem, quam typhomaniam Veteres vocitarunt, dum uterque humor æquali portione in cerebro putreſcit: quoniam dum inæqualiter miſcetur, coma producet vigil aut ſomnolentum. Nam dum prævalet in mixtione bilis, vigere coma vigil, nulli non patere arbitror; aut coma ſomnolentum, ſi pituita prævalet. ut nos Galenus docuit.

Idem, ibid.

Lib. 3. de Loc. Aff. c. 5.

An ſit ſpecialis aliqua febris,quæ ſecum coma ferat vigil aut ſomnolentum, nondum vidi: vidi tamen, hæc illa accidentia advenire in illa febris ſorte, quæ talem humoris putreſcentis mixtionem intra venas ſortitur, quæ ſimilem continua exhalatione in cerebro producat apparatum, ut in quibuſdam laborioſis febribus.in quibus ex inæquali bilis & pituitæ mixtione fermentatur putredo. quæ utplurimum in malignas degenerant. Et tales eſſe ſolent pleræque aut nothæ tertianæ, aut hemitritæi, aliæque confuſæ & continuæ, quæ antiquis foventur obſtructionibus. Ut & in pleriſque fœminis & viris, quibus luxurioſa vita, veneri, vino, & crapulis dedita, aut vitalem vigorem diſſipavit, aut frequenti cruditatum congerie ventriculum & hepar, à recte operando, & ab inſito naturæ ordine deturbavit, ut loco alimenti pravi humores, mille modis fœdati,generentur: tunc enim febres, quæ ex hac prava cacochymia ortum ducunt, ſecum ſolent adducere ſimilia ſymptomata.

Coma etiam vigil & ſomnolentum in febre peſtilenti obſervavit Hippocrates,non tantum ex apparatu, ſed ex peculiari conditione febris. Nam inter alia ſymptomata, quæ in illo ſtatu peſtilenti, quem 3. Epidemiæ enarravit, acciderunt: *Sopore*, inquit, *diu tenebantur, rurſuſque inſomnes erant.* In hujus Commentario Galenus: *Nunc ergo cum, qui increviſſent humores, humiditatem obtinerent exuperantem, verum non eam tamen prorſus acrem, humiditas ſoporiferum affectum: acredo ex putredine induxit vigilias. Itaq; cauſæ diverſæ diverſa merito ſymptomata peperere.* Et text. 34. enarrans morem febris epidemicæ,quæ vagabatur,inquit: *Febrium ardentium quæ vigebant, hæc erat natura. Initio ſopore erant oppreſſi, faſtidioſi, inhorreſcebantque: febris non acuta, neque magnopere erant ſitibundi, vel deliri.* Semper obſervarunt peritiſſimi in medicina Viri, quod nos Hippocrates hac ſententia docet, ſymptomata, quoties longe diverſa ſunt, & aliena à morbo, quem ſequuntur, eſſe alterius principii conſectaria. Et licet Galenus antecedenti temporum conſtitutioni hoc attribuat, mihi ſane hoc etiam vaganti veneni conſtitutioni tribuendum videtur. Hoc enim frequenter in popularibus conſtitutionibus obſervatur; nempe ex ſingulari veneni energia contraria ſymptomata, & ex diverſo corporis apparatu, ubi magis venenum vires exerit. Et hoc etiam Galenus in hujus ſententiæ Comm. confirmat, quando dixit: *Verum ſunt hæc quidem ſymptomata maligna, & exurentium febrium:* ac ſi diceret, pars ſequetur morbi conditionem; & pars malignitatem. Procedit in generali hiſtoria Hipp. *Detinebantur aut ſopore perpetuo, non ſomnolento, aut vigiliis cum laboribus.* Nempe inter plane vigiles & dormientes medii. *Nec phreniticorum inſanivit quiſquam, quod uſu venit aliis: ſed alio quopiam veterno graviter peribant.* Extincto nempe cerebri calore à crudorum multitudine, ac inde moriente animali facultate, & dementes quod putreſcentes humores acredinem pariebant & calorem, moderata dementia,non ferina, quod morſus acriores, putredinis & caloris acutiem comprimeret humiditas: ſi non, ut etiam ſuſpicatur Galenus, ex phrenitide tranſiret in lethargum; aut (niſi nos fallat ante acta doctrina) ex legitima & propria typhomania, æquali portione pituitæ & bilis in cerebro putreſcente, ut febris ardens & antecedens temporum conſtitutio convincit. De qua dixit Galenus: *Quoties ad finem uſque tum deſipientia tum coma perſiſtunt, affectionem hanc ex phrenitide & lethargo miſtam appello. quidam τυφομανίας vocaverunt.* Quod etiam videtur confirmare id quod Hippocrates in ſequentibus

3. Epid. Sect. 3. text. 16.

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 16.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 34.

Galen. in Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 34.

Hipp. Ibid. text. 34.

Idem, 3. Epid. Sect. 3. text. 43.

Galen. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 1.

Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 62. tibus dixit. *Sopiebantur in primis phrenitici, & qui febre ardente tenebantur: tum etiam in aliis morbis omnibus maximis, quod febrem adjunctam haberent.* Et concludit: *Perpetuo plerisque vel gravis sopor comes erat, vel tenues atque parvi somni.* Galenus: *Quorum accidit primus his, quibus crassitudo & copia exuperabat frigidæ materiæ: alter, quibus putrida tenuitas.* Hæc enim in bile observatur: & illa est propria pituitæ. Copulemus ergo hanc dictionem, *perpetuo*, in duplici sententia, cum illa, *sed ex alio quopiam veterno* (cataphora segni) *graviter peribant*: & inveniemus, per totum morbi tempus illos ex typhomania, seu affectu ex lethargo & phrenitide mixto periisse.

Idem, text. 63. Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 3. text. 63.

3. Epid. Sect. 3. ægrot. 1. Hujus febris exemplum nobis dedit Hippocrates, in Pario, quem, (in eadem constitutione) in Thaso, febris corripuit, & comatosus, rursusque insomnis. Mulier morosa, cui levis febricula. In tertio coma & in somnum delatio, rursus vigiliæ excitarunt eam, multum postea deliravit, febris acuta. Sed illud in Apollonio adnotavit, quod comatosus plurimum erat, & cum doloribus insomnis, ac si dolores illum à sopore excitarent. Hoc idem legimus Apollonio accidisse in Abderis, quem, cum edisset intempestive bubulam, parvus calor invasit. Deinde cum lacte usus fuisset cocto crudoque pleno victuque malo, omnia multum offensa sunt. quia comatosum apparatum cumulavit, ex crudis ad putredinem aptis. Ideo febris exacerbata, comatosus erat, partes undique frigidæ, delirabat, omnium obliviscebatur. Ac tum denique coma incessit, alvo turbata, ac vigesimoquarto mente constitit, rursusque subito desipuit. Ex quo autem decubuit, meminit nullius. Huic semper alvus turbata, comatosus semper & insomnis. Et si attendimus ad omnes hujus status pestilentis ægrotos, nullum fere, quem non coma vigil & somnolentum oppresserit, dabitur invenire. Quare in his febribus, ubi malignitas in illo pravo corporis apparatu utrumque coma induxit, vigil & somnolentum, est hujus febris symptoma: ubi vero febris incipit à pituita in cerebro putrescente, sive sit cum bile mixta, ut typhomaniam aut lethargum producat, forte utrumque coma, tunc febris est accidens soporosi affectus. Licet non repugnet, febrem ex venarum putredine symptomaticæ occasione orta, cum illa complicari. Quanquam sint alia symptomata, quæ solus induxit soporosus affectus in potentiis rectricibus per se, in cæteris per harum sympathiam; ut illa, quæ consistunt in corporis languore, in depravatione aut imminutione facultatum, aut nervorum, robore nimia humiditate exoluto. Quare illa, quanto magis adaucta, coma reddidere funestum. Nam illinc manet insuperata intemperies: hinc languor viriumque defectus.

ibid. ægrot. 11.

Ægrot. 13.

TITULUS IV.

De comate ab exolutione, quod proprie vigilandi dicitur impotentia.

Illud tamen minime prætereundum duxi, coma aliud ab oppressione cerebri; aliud ab exolutione advenire: quorum natura & signa ita diversam constituere prognosim, ut non sit mirum, si in illa attentior periclitetur solertia. Ut ergo securius proferatur judicium, utrorumque signa oportet interstinguere: quoniam si illa cataphorica symptomata febris initio sese prodant, non sunt signa cerebri exoluti, nec frigidi, retorrido marasmo, quem febrilis ardor induxit, quæ ineunte morbo neutiquam incidunt, quo tempore natura potius morbificis causis opprimetur: sunt enim potius in principio abundantiæ & oppressæ naturæ signa, maxime, si alia graviora symptomata accedant. In hoc tamen est magna cautio adhibenda. Nam solet in principio utrumque coma in febre advenire: item ex abundantia, & in augmento, & forte in principio, esse exolutionis consectarium, quando nempe animalis facultas veneni efficacia dissolvitur, aut insuperabili abundantia obruitur, & ita præsentaneo discrimine, ut venit ab exolutione ex morbo jam progresso. Ut legitur in illa Coacarum sententia: *Comatosi, quibus ab initio sudatiuncula exsudavit cum permolesta urina, & ardore febrili, immerito altiosi, mox æstu incandescentes, comatosi subinde, ad pedes delapsi, mortiferum habent malum.* En coma per gradus comparatum, ab oppressione, ad exolutionem. Nam illa ephidrosis, morbo ineunte, est sudoris expressio per oppressionem, quam angor & alismus induxit, seu causæ vehementia sive malignitate, seu pravæ cacochymiæ appulsu. At in morbi progressu, jam morbo de natura triumphante, à partium solidarum exolutione diffluit, non elicitur: quando jam effœta natura retinere non valet. Quod etiam indicat permolesta urina, nempe quæ cum labore excernitur, non vitio vesicæ, sed effœta natura, quæ expulsionem non valet adjuvare. Hoc enim in hoc rerum statu magis videtur secundum rationem, quam ex vesicæ vitio, cujus in hoc affectu nulla est cum cerebro evidens sympathia; quin imo sensationis defectus, & vitium, longe à comate alienum: nisi sit excusatio, quando in comate speratur ad parotidem crisis. ut colligitur ex alia Prorrhetici sententia: *Suppressæ cum rigore urinæ malæ: tum alias, tum si ante suppuratos parotides adveniant, an spes ex his est?* Legerunt alii: *tum si ante sopor prehenderit. num parotides in his fore spes est? an antea succumbere naturam?* Quod magis Galeno placuisse videtur.

Hipp. 1. Prorrhet. Sect. 3. text. 63. In Comm.

Et ex ardore febrili immerito altiosi, dum detinentur comate, pari judicio penduntur; hoc est, sine causa salutari, quæ possit falsæ remissioni febris causam præstare: veluti in Philisco, cujus corpus occupavit frigiditas, quando viscera ardore conflagrabant. *Lethalis igitur casus est*, inquit Galenus, *interna quidem uri, cum externa frigescunt.* Subinde & ad pedes prolapsi, ex inutili pondere, & morbi violentia virtute exoluta, tunc comatosos potius virtute exoluta æstimabis quam oppressa. hinc est tantum sperabile, quod alia sententia prædixit: *Somni veternosi unaque alsiosi mortiferi.* Quoniam frigus illud accedit ab ardore febrili, & coma ab exhaustu vivacitatis cerebri, ut Hermocrati legimus accidisse.

1. Prorrhet. text. 7. & 4. Aph. 48. 1. Coac. 53. & 1. prorit. Sect. 2. text. 8.

Differentiam tamen inter coma, quod parit exolutio, ac illud quod peperit oppressio, solito magisterio nos docuit Galenus; *Frequenter enim*, inquit, *ubi multum irrigata pars sit, quæ est sensus fons, coma sequitur*, &c. *Subinde ob solum frigus, est cum ambobus*

Gal. Comm. in Hipp. 3. Epid. Sect. 1. text. 7.

ambobus his profundus succedat & soporans somnus. Quin etiampropter infirmitatem virium tales affectus fit adeo jam emorientium, ut apertas palpebras servare non valeant. Ac ita affecti hoc habent, ut postquam conniverint, aut nihil prorsus, aut parum dormiant, sed vigilent, nec attollere tamen palpebras queant: quod quidem vitium ab eo quod committit humiditas & algor, pulsus distinguunt potissimum languidissimi, tardi, rari, & parvi, &c. Reliquum ergo est, per frictionem insignem cerebri, aut facultatis imbecillitatem Hermoc. soporem induxisse in undecimo. Vtrum autem sit horū, nihil esse perniciosius potest. Nam insanabilia ea esse demonstratum est frigora, cum calidis morbis & siccis succedant. (Præterquam quod quando pernitiosa symptomata morbo jam progresso superveniunt, sunt utplurimum lethalia.) *Recte ergo Hippocrates scripsit: Omnia visa sunt remissa esse. Nam cum exitiosissimus die undecimo sopor incepisset, haud potuit fieri, ut salubrem tum statum corpus recuperaret. Immo vero ne medius quidem est ullus in talibus status, sed si à salubri statu ea deflectat forma febris, in contrariam impingit perniciem, in qua extinguitur nativus calor. Ergo quia sopor symptoma ita perniciosum undecimo die extitit, attendamus urinas. Nam si exitiosæ etiam hæ appareant esse, propinquam significent mortem. Sin mediocres, in longius tempus trahetur. Nam optima urina in tali statu nullo pacto incidat.* Eisdem fere signis legimus Apollonium periisse, & morbo jam progresso, *comatosus ipse & insomnis,* ut notavit Hippocrates, usque ad morbi finem.

[*Margin:* 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 13.]

Adhuc ultima restat comatis differentia; nempe quando venit ad crisim, seu quando in illo est speranda crisis, aut quando in illius defectu potius est sperabilis convulsio. Per hæc omnia diversas fecit experientias observatio. Sed ubi nullam securitatem, neque fidem invenit intellectus, est, ubi in morbis occulta dominatur malignitas: quoniam nec in excretione, nec abscessu, secura est & fida crisis sperabilis. At in sola humoris aut causę morbificę oppressione, crisis pręter spem elucet: vires enim recolligit natura, cum urgetur, & conatum supra vires assumit, causamq; quæ opprimit, à se excutit, & illa, qua data porta, ruit. In comate posuit Hippocrates exemplum, ubi prava dorminatur venarum cacochymia, & cerebrum succorum multitudine urgetur. *Comatosos, inquit, laboriosos, tum eos, qui obsurduerunt, alvus prorupta subrubris excrementis, adjuvat in ipsa crisi.* Et sursum ascendente materia derivata, & opprimente pulsa. Nam causa oppressionis cerebri, ex pari dominatu pituitæ & bilis putrescentium, aut solius putrescentis pituitæ, seu cerebro indigena seu advena, naturæ magisterio ad inferna transponitur, ad loca, excretioni destinata: velut quæ continetur in venis & in alvo. Certius tamen nobis erit argumentum hujus crisis, urina, & signa jam jam venturæ crisis. quæ critica à Galeno dicuntur, perturbatio nempe, delirium, &c.

[*Margin:* Hipp. 2. Coac. text. 5.]

In quadam tempestate enaravit Hippocrates, quod comatosis erant permixti humores & calidi & frigidi, ut in Perintho, ubi causi populariter grassabantur. Ac illis ventres turbati erant, non biliosis excretiones similes. In his multi comatosi, & delirantes multi. Exemplum autem crisis in hac constitutione extitit Adolescens ,, peregrinus. Cui tertio, quarto, & quinto die hæ- ,, morrhagia. Sexto restitit, mox autem composite deliravit. Septimo alvus stetit. Unde facta ,, est conversio comatosa. Urinam non vidi. circa ,, plejadum occasum austrina & pluviæ erant, & ,, tunc adolescens mucosa, subbiliosa cocta, deji- ,, ciebat, lentas, multas dejectiones, febris conti- ,, nua, lingua arida, judicatus est sexta. Materia à capite ad inferna transposita. Velut etiam ille, qui juxta Medosadæ laborabat. Cui tenuia sine bile, aquosa, hypochondrium obediens & gibbum, comatosus fiebat circa diem quartumdecimum; ad judicationem præcipue eunti. Rigor sine tremore, dissolutio, languor, concursus, comatosus, negligens, ex somno, non insanivit, judicatus est circa quartumdecimum, copiosa & conferente evacuatione. Chariti etiam ex febre catharali comatoso, saluti fuere dejectiones liquidæ, à dolore hypochondrii indicatæ, quas aqua mercurialis adjuvavit, & febris in vigesimo defecit. Sicut etiam legimus contigisse filio Pythionis, in Pella Asiæ urbe. Cui febris statim incepit magna, & delapsus est in somnum multum, & cum aphonia, (hoc est, vocis carentia) somni fiebant. Alvus dura per totū, apposito vero ex felle multa egerebat, & statim remittebat. brevi rursus in tumorem elevabatur, & intendebatur & febris & cataphora per eadem. Existente vero eodem ductu (nempe humoris per ventrem) datum est quiddam eorum, quæ ex cucumere silvestri Cnico, & Meconio, & biliosa eruperunt, & statim sopor sedatus est, & febris facta mitior, omniaque sublevata. Et judicatus est die quartodecimo. Alterius excretionis criticæ non meminit Hipp. extra illam quam effecit catharticum. Ex quo certe haud immerito reor, æque criticam existimasse excretionem, ab arte ac à natura factam, quando illa tempore & loco concitatur. Et si ex illa mutatio ad salutem, saltem ad melius, sequitur, non video, quid amplius critico judicio illa tribuat, quam fuisse à natura concitatam, absque ullo externo concitante, quando nec adhuc ab arte concitata perficitur, absque ope naturæ & præjudicio, ex quo merito utraque excretio crisis rationem meretur.

[*Margin:* 2. Epid. Sect. 3. text. 2.] [*Margin:* 4. Epid. 24.] [*Margin:* 4. Epid. 103.] [*Margin:* 7. Epid. 59.] [*Margin:* 7. Epid. 106.]

Alia crisis forte, comati magis propria, frequentius vidimus ab oppressione cerebrum liberatum. Solet enim natura foci vicinitate, forte etiam causæ cognatione, cum adenibus proportionibus quibusdam definitis, morbificam causam pone aures abscedere, sive ex perenni consensu, versa in idiopatiam sympathia: seu in cerebro affecto jam producto. Sed quomodo, & quando sit talis abscessus criticus sperabilis, nos docuit prudentissimus Senex, quando dixit: *Comatosi, fastidiosi, unaque dolentes hypochondriis, parum & sæpe vomentes, aurium abscessus habent: antea vero faciei tumores cum sopore conjunctos.* Cataphorica signa sunt, capitis jam repleti, & cerebri obsessi indicia, sive ex pravis succis in ipso cumulatis, sive aliunde transmissis. Sed illud est argumentum, aliunde transmitti, si alibi etiam compareant symptomata, (signa fidelissima consensus) ut in hac sententia adnotavit Hippocrates per illam dictionem, *dolentes hypochondriis, parum & sæpe vomentes.* Fidem tamen securiorem faciunt, cerebrum esse succorum multitudine oppressum, nempe faciei tumores cum sopore conjuncti, velut illis accidit, qui à somno circa faciem & palpebras

[*Margin:* Hipp. 2. Coac. text. 6.]

pebras inflantur, tumore flatuoſo: indicat enim illud, caput & cerebrum oppreſſum. Illa enim crudi humoris ad caput & cerebrum tranſmiſſio, eventum habet & tumoris & comatis: maxime ſi accedit ſuſcipientis cauſæ præparatio, ad efficientis actionem, & generationis perennitatem: quod cernitur in facie turgidula jam ſoporati hominis. Si ergo ad ſoporem faſtidii contumacia & aliſmus accedat, ut ſit omnis cibi & figuræ impatiens, de conſenſu humoris jam commoti dubitare non licet; flavæ nempe bilis, laceſcentis ſtomachum, & quodammodo etiam exolventis, & crudiorem ſuccum agitantis, in hypochondrio forte occaſione data, (quod per dolorem indicavit Præceptor) dum ad fundum ventriculi, & exinde ſurſum pellit humores, compreſſione facta, per duos nervulos, inter hepar & ventriculum conſenſum deferentes, ſeu per venas, quæ in fundum duodeni inſeruntur. Si non etiam dolor à critica tenſione, dum ad extra compulſione movit, inferatur; qualem ad criticam hæmorrhagiam nos Galenus edocuit: tunc enim eriſis concitatur occaſione ſeditioſi humoris, quem natura commovit. Et tunc hypochondrii tenſio, doloris expers, in propagata cauſa tranſitum ſignificat, relicto priori foco, ad caput, ad cor, aut ad ventriculum, prout natura criſim per excretionem aut abſceſſum concitare intendit. Nam in primis periodis ſolet eſſe ad hæmorrhagiam: in poſtremis, ad ventris fluorem vel abſceſſum. Sed quia lethargus non amat ſanguinis hæmorrhagia judicari, ut Galenus eſt auctor (forte quod ejus cauſa eſt longe à ſanguinis natura aliena) ideo coma etiam potius abſceſſu pone aures judicatur. Si non etiam, quod cerebrum in proprium emunctorium commoditate loci & vaſorum ſuperfluum extrudit. Quo certe non eſt mirum, ſi coma ex cauſæ propagatione parotidas eructet: ſi non alia vacuatio occaſionem adimit, alio materiam abſceſſus avertendo. Quod ceſſat, ſi venter in comate ſubſiſtit: tunc enim parotidas potius expectare par eſt.

In hoc etiam eſt non vulgaris cautio adhibenda. Non enim obſtat, ut eructent parotidas, adhuc nimis alvo profuſa; & licet propagatæ creſcant excretiones. Nam in primigenia affectione cerebri, quam humoris, jam ſoporem inducentis, natura, in facie turgidula oſtendit, ſolent etiam parotides erumpere, ſi magna præoccupat capitis plenitudo. Quod etiam nos fideli obſervatione notavimus: tunc enim tantum nobis videtur, alvi excretiones occaſionem parotidum eripere, cum à conſenſu ventris inferioris capitis plenitudo cumulatur; ſed non in primigenia. Aliter tamen in ultima ſoporis deſperatione parotidas erupiſſe vidimus, aut ſaniem, per aures expurgatam, magnum auxilium ſopori attuliſſe, & cerebrum ab oppreſſione liberaſſe. Inchoatæ hæmorrhagiæ defectus (quæ impetum naturæ indicat imperfectum) ſolet etiam eſſe ſignum parotidum, ut Hippocrates innuit in Prorrhetico. ſiquidem ſi quid ex fluentibus relinquitur, promptus ad abſceſſum morbus eſt, & in cerebro maxime, conſortii ratione, vicinitatis jure, cognationis lege; in primigenia affectione per ſe; in alienigena ex eventu, quando fit ad cerebrum tranſcurſus, non cujuſcunque, ſed craſſi aut permixti humoris. Ad hoc enim natura pone aures cerebri emunctorium deputavit. Sit hujus eruditionis illuſtratio, illa nobilis Prorrhetici ſententia. *In capitis dolore coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant.* Et alia: *Hypochondrii contentio, cum comate anxioſo, & capitis dolore, parotidas effluere faciunt.* Alii legerunt: *attollit.* Galenus commentatur: *Vere ſemper hæc ſigna ſunt parotidum,* &c. *Succi enim ad caput recurrentes quidem & tenues deſipientias & ſanguinis eruptiones procreant: craſſi autem & frigidi, comata & parotidas. Capitis dolor utriſque communis exiſtit, veluti & ſurditas: ſed calidis magis capitis dolor: frigidis vero, ſurditas.* Et in alterius Commentario: *Simulque hoc monſtrat & hypochondrii contentio,* &c. *Si vero abſque phlegmone contentio fiat, in humorum ad ſuperas partes inclinatione, ſignum ad parotidum generationem notabile exiſtit.* Licet etiam ſanguinis oſtendat eruptionem: hoc enim in tenui & calenti humore accidit: in craſſa autem parotidas prænuntiat; maxime, quando cerebri repletio eſt ab humoris alienigeni excurſu. quoniam completur illa tenſione hypochondrii, qua ſurſum natura contentione pellit.

Hipp. 3. Prorrhet. 76. Idem, ibid. text. 77. Gal. Comm. in Hipp. 3. Prorrhet. text. 76. Ibid. text. 77.

Sed quia non facile eſt dolorem à tentione ſeparare, *dolentia hypochondria,* dixit in alia ſententia, quam nuper expoſuimus. Quare dolentia hypochondria cum fugaci tentione intelligenda veniunt.

2. Coac. 8.

Sed non abſque myſterioſa prudentia in ſequenti ſententia nobis legendum præbuit: *Comatoſi etiam, ne quid habent convulſificum?* Ac ſi dixerit, ſi forte non erumpunt parotides, fortaſſe non ſequetur convulſio? Hoc certe nulli cordato Viro miri erit, quando nempe cerebri facultas per aggravationem debilis & oppreſſa, prioris mali tentat excretionem, per cauſæ morbificæ repulſam, illam tamen perficere non valet: forte, quod ad partis nobiliſſimæ oppreſſionem accedit morbificæ materiæ generatio, & perennis affluxus. Quid mirum, ſi inchoata criſi comatis cauſam commovet, illamque expellere non valet, quòd ad nervorum principium extrudat, ut cauſa ad nervos propagata, commoditate loci, & viciniæ, etiam convulſionem concitet. Quod aliter etiam poſſe fieri, inficias non ibimus, per tranſmutationem nempe prioris mali, relicto priori foco; non tantum in comate, ſed in typhomania & lethargo: ſi hoc etiam in phrenitide fieri non repugnat, maxime jam progreſſa. Illa tamen convulſio ſemper erit repletionis conſectaria, non inanitionis, repletis nervorum cavitatibus, illiſque diſtentis, & non mollificatis. Et hanc fuiſſe mentem Hippocratis, non dubito. Et fidem facit alia hujus Præceptoris ſententia, quæ in Coacis legitur: *In ſopore mentis aberrationes convulſionem afferunt.* In cujus ſententiæ Commentario Olerius: In cataphora nempe à ſalſa pituita, tenui bile mixta, gravis admodum capitis dolor, delirium leve & obſcurum, convulſio denique, atque in eo, cui materia eſt bilis pituita permixta. Illa tamen convulſio non eſt neceſſario futura, niſi ſub illis conditionibus, quas antea vidiſtis. Ideo enim Hippocrates protulit ſententiam dubitando. Quod ſi accidat, erit tremula, non permanens convulſio, ſeu motus convulſivus, ad nervos materia tranſlata, morbo & facultate invicem certantibus, ſeu pondere facultate

Hipp. 3. Coac. text. 9.

tate cedente, cum obscuro tremore; si non forte ad phrenitidem conversio sequatur comatosa, quando febris calor in capitis ardore pituitosum & crassum humorem colliquavit, & liquatum ad nervorum principia deturbavit. Quod certe nos accidisse vidimus, cum bilis fermentaret pituitam, & excrementa, quæ alvo laxa deberent expurgari, adstricta in caput repelluntur. Inde phrenitidis ad lethargum conversio est suo jure prava: sed ad exolutionem, quæ in vigilandi cernitur impotentia, penitus deleteria & lethalis. quia à privatione ad habitum non datur regressus.

Hæc in omni ætate observantur: sed in pueris, ante annum decimumquartum, nos consultissima docuit observatio, cerebri morbos & facultatis animalis accidentia esse maxime præsentanei periculi, & ex illis animalem facultatem facillime succumbere. Et non ita à morbis, qui in membris nutritionis accidunt, quorum auxilium à facultate naturali expectatur: nam in his adhuc à desperatis, præter omnium expectationem, resipiscunt, & à summa desperatione liberantur: an quia in his facultas naturalis cæteras in vigore & constantia superat? quia medio caloris nativi, humidique radicalis, operatur: quæ quanto minus recedunt à principio, tanto vegetatiora observantur; si Hippocrati credimus. Hoc experimur in longis febribus & productis, antiquatis obstructionibus malo corporis habitu, & similibus. E contra vero, ex cerebri morbis, & ab illis, qui facultatem animalem maxime labefactant, frequentius vidimus periisse, saltem facillime succumbere; veluti ab epilepsia, comate, lethargo, & phrenitide, cerebri sphacelo: an quia nimia humidate tonos facultatis animalis exolvitur, nervorum principium nimia laxitate marcescit, diffluit, & corrumpitur, & cerebri substantia, quavis inflammatione alterata, facillime vertitur in gangrænam, cerebri sphacelum? quia pusillus cerebri calor humidorum congerie obruitur: seu quia ventilationis defectu substantia corrumpitur: seu quia in illis imbecillior est facultas animalis, quam naturalis vegetans.

1. Aph. 14. Lib. de Temp. & de Vtilit. Resp. 2. de Nat. Facult. 6. Epid. Sect. 3. text. 15. & Sect. 4. text. 14. & 17. 3. de Caus. Pul. de Nat. Hum. Com. 2. text. 12. & 1. Aph. 13.

TITULUS V.

De caro, ejusque ab aliis differentia.

Symptomata cataphorica sunt illa, in quibus cernitur inclinatio quędam somnolenta & veternosa, clausis oculis, & sensibus internis occupatis, ut semper solvi videantur in somnos, aut vigilent aliquando & dormiant. Sed inter illa caros obtinet principatum, cum sit inter illa eximius. quem Veteres caros à capite dixerunt, ex passione cerebri occupati, quando nempe amissionem aut exolutionem phantasiæ voluerunt exprimere. Est enim caros symptoma & signum exolutæ phantasiæ: exolutionis autem est occasio, sensus communis otium & feriatio. Causa autem inter magnas eximia frigida intemperies, quam cruda & acida pituita induxit: quoniam cari natura versatur in exolutione, quemadmodum in intensione catalepsis. in illa enim nervi, humido madefacti, exolvuntur, tonos sive robur animalis facultatis dissolvitur: in hac animalis potentia sensifica & motiva intercipitur. Et in hoc tantum differt ab apoplexia, quod libertatem respirandi non adimit: quia, si cerebri substantia obstruitur, in ventriculis spirituum non præpeditur transitus. In apoplexia autem manent pariter ventriculi & substantia interclusa.

In comate autem soporoso, veternus maxime ad cari naturam & causas proxime accedit. In vigili ad naturam lethargi, ex bilis mixtione & pituitæ. De typhomania & lethargo satis superque diximus. Quapropter supponendum est, quod carodes, quod venit à prægrandi cerebri intemperie, seu ex inveteratione aut affluentia soporiferæ causæ, cujus signa in primo sensorio elucent, sive primigenia sive ad alios affectus consectaria, sive musculorum temporalium, aut cerebri consensu; semper accidit cum pessimis ægri rebus, & fere ad perniciem ægroti. Carodes autem, quod sine ulla cerebri offensione, illa firmiter fixa, sed tantum cum fugaci, & leviter impressa, in ægroto contingit, ut ex ebrietate aut somno, ad naturæ necessitatem, ex defatigatione, importuna vigilia, aut nimia resolutione comparato, velut sopore critico, neque turbulento, aut importuno; illud profecto & venit ad salutem, & quietis solatio ægrum beat. Hoc enim est, de quo dixit Præceptor: *Somnus, si delirium sedat, bonum.* Hoc etiam exolvit cephalalgiam in viris: & in pueris febrem, aliosque affectus, ut Hippocrates in Prorrhetico dixit. Hoc denique est, de quo alibi protulit: *Carondes placidum non turbulentum firma crisim ostendit.*

Hipp.

Hæc omnia, quæ diximus de hujus cari signis & natura, in Hippocrate, & Galeni Commentariis, legimus. Sic quinto Aphor. legitur. *Hic vero maxime observanda est Hippo. consuetudo, qui mutos* (aphonos) *nominat illos, qui quovis modo obstupuerunt* (caro laborant.) *Sed proprie stupor,* (caros) *nominatur, totius corporis insensibilitas atque immobilitas repentina.* Fitque proculdubio, nervorum principio patiente. Ideo enim qui ebrius obmutescit, convulsus moritur: translata nempe causa à cerebro ad nervorum principium, qua nervi satiati fiunt distentione breviores. Hoc & alibi dixit: *Est igitur hujus quoque alia, veluti paralysis, seu resolutio quædam, quam Græci caron & catalepsim nominant.*

Galen. Comm. in Hipp. 5. Aph. 5.

Gal. de Sympt. Diff. c. 3.

De parte, quæ in caro afficitur, sic loquitur Galenus: *Quod si aliquando tota anterior cerebri pars afficitur, supremumque ipsius ventrem ei consentire necesse est: atque mentis quoque actiones vitiari. Proinde qui ita affectus est, neque sensus neque motionis munere fungitur, spirandi tamen facultas haud quaquam læditur, vocaturque hic affectus, caros, id est sopor.* Verum in sopore hoc, & morbo comitiali, ventres magis, cerebri corpus minus: in apoplexia, corpus magis affici solet. Et in sopore quidem anterior pars magis; in apoplexia & morbo comitiali utraque afficitur. In catalepsi & catoche posteriora magis afficiuntur cerebri.

Galen. Lib. 4. de Loc. Aff. c. 2. & Lib. 5. c. 6.

Neque etiam omisit, qua compassionis sorte adveniret, neque quo cum discrimine, in quaque singulari affectione. *Compatiente ventriculo etiam fit carus inquit, non tantum ex humida pituita, sed etiam ex singulari nervosæ substantiæ sympathia.* Ac ad alia procedens, sic loquitur: *Si enim & profundus & excitatu difficilis somnus, carus intelligitur, &c.* (Et is poterit esse bonus, aut malus; criticus, aut sympto-

Idem. Lib. 1. de Sympt. Caus. c. 7.

Gal. Comm. in Hipp. 1. Prorrhet. 2. text. 29.

symptomaticus. Nam si humidi utilis copia cerebrum gravatur, non est malus censendus: uti, si crudorum multitudine primum sensorium opprimitur.) *Cum vero cerebrum ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur, in lethargicis affectionibus coma erit: quod & ipsum, si lubet, carum appellare poteris. Sunt qui ubi æger tum motu, tum sensu tempore aliquo privatur, etiam si vel stimules, vel ferias, vel inclamites, carum appellant. qualis in quibusdam visitur, ubi temporalibus in musculis vehementer percussi fuerint. Videtur quoque sæpius & in febrilium morborum accessionibus, &c. Si ergo pathema ejusmodi quis carum appellaverit, difficilem vero excitatu constitutionem & comam & cataphoram, tertium autem ab ipsis somnum profundum, cujus primum meminimus: nunquam quod coma bonum sit, nedum quod carus, dicere oportet.*

Non æquali cum periculo his omnibus credimus advenire. Nos enim vidimus, profundissimi cari, in nothæ tertianæ principio, ingruente frigore, ultra quindecim accessiones incidisse, & per totam fere accessionem perdurasse, absque ullo periculo; quippe exactis accessionis horis, æger resipiscebat, cibum appetebat, & ad oblata optime se gerebat: ac tandem finita febris constitutione, à febre & à caro convaluit. Hoc non vidimus, læsis musculis temporalibus, accidisse. Est enim in his gravissima affectio, & periculo plena. Causam dedit Galenus hanc: *quia musculi nervorum principio sunt proximi, solumque ipsos os prohibet, quo minus cerebrum ipsum contingant. Porro musculi temporales propterea quod sunt magni,* (& omnium proximi cerebro) *magis quam oculorum musculus, nocere cerebro possunt.* Et ideo horum *musculorum inflammationes* (hæc sunt Galeni verba) *febres, deliria, spasmos, sopores, frequenter inducunt; si magnæ sunt: sed non semper neque cum parvæ sunt, illa symptomata concitant.* Satis manifesta cum distinctione loquitur Galenus, ut nos à labore, solitas prædicendi cautiones expendere, excuset.

Galen. 11. de Usu Part. Corp. Hum. c. 3.

Gal. 4. de Præsag. ex Pul. 8.

Dicet fortasse aliquis, nos cautiones prædicendi docere potius quam prædicere, contra artis antiquum splendorem. Si fas est ita loqui, non inficior: &, si possem potius, non prædicere edocerem: quoniam magni viri hodie, saltem prudentiores, periculo alieno caventes, prædictionem fugiunt. Et, ut viritim certant antiquos in medendi solertia superare, ita & eos superant in ipsa prædicendi solertia. Nostra enim ætas multa etiam laudis & artium imitanda posteris tulit. Unde ea, quæ exemplis tuemur, & in exempla erunt.

LIBER

LIBER TERTIUS, CONTINENS OBSERVATIONES SELECTÆ MEDICINÆ.

An in morbis febrilibus, cruda & non turgenti materia minorandum.

Non disputatur quæstio in communi, sed examinatur sententia Viri sane doctissimi, Antonii Ponce de Sancta Cruce, Protomedici, & à Regio cubiculo Potentissimi Regis Philippi IV.

SECTIO I.

Scribendi occasio.

Cogitationes minorandi quotquot suis temporibus prodierunt in lucem, Masarias, Anno 1622. docte, & ad Galeni & Hippocratis mentem, animose destruxit. Postea Anno 1629. Doctor Antonius Ponce de Sancta Cruce, omni commendatione dignus, novas excogitavit rationes, quas nos cum torno & cothurno perpendere decrevimus. Nam inter alia, quæ Vir iste clarus, experientia & scientia nobilis, in Libro De magnorum auxiliorum impedimentis, enixe suadere conatur, est hujus quæstionis argumentum. Tantum ex arte esse clamat, minorare cum res postulat. Hoc sese nobis obtulit in quadam consultatione, apud Viros doctissimos in nostra civitate Hispalensi. de quo unusquisque suum profert judicium. Senior interim non tantum collegii, sed consultationis, sic loquitur: Fateor, quod meretur æstimationem hujus libri labor & argumentum, quia præclara continet, & valde medicinæ principiis cohærentia. Miror autem, hominem certe doctum, ita propriæ sententiæ addictum, ut in re satis dubia, sibi soli veritatem patere arbitretur. Nos enim dum tuemur contrarium, & securius in praxi experimur, nitimur etiam selectissimis medicinæ principiis. Neque nostris, ab immemoriali sæculo semper præcepta Hippocratis & Galeni observantibus, minorare unquam placuit. Nostri prædecessores, & Viri prudentissimi, hoc nostris hominibus nostræque Regioni magis saluti fore æstimantes, ratum & observatum tradiderunt, ab illo veteri sæculo, quo Principum archiatri aulam Hispalensem coluerunt. Et sic saluti publicæ consultum reor, si quis ex doctoribus nostris, hujus Viri doctissimi argumentis satisfaciat. Quod sane animum, altius attritum curis, A impulit, ut onus humeris nostris impar susciperem; omni æmulationis memoria deposita, pro salute & utili Reip.

CAPUT I.

A principiis ergo medicinæ, & indicationum prævalentia, hæc quæstio deducitur; An in febrili morbo, materia cruda & non turgenti, in principio conveniat, ex secunda venarum & hepatis regione, partem causæ morbificæ cathartico educere, nec tantum lenienti.

B Partem affirmativam tuetur inter alios doctor Antonius Ponce de Sancta Cruce, validisque munit rationibus. Illius primum argumentum est: *Argum. 1.* Supernatantes succi non possunt sanguinis missione vacuari, in acuto morbo & periculi pleno, cujus indicatio petit materiam educere. Ergo debet purgari à principio, antequam mors præoccupet. Antecedens probatur. Quia sicut per putredinem mixtum dissolvitur in illa, ex quibus componitur: sic massa sanguinaria, cum alteratur & corrumpitur, dissolvitur in humores, plane C separatos & sinceros, ex quibus componitur. Ergo si mixti possunt per venas vacuari; separati non valent: quia ideo separantur à sanguinis consortio, quod sinceriores & maxime irritantes reddantur. Quod maxime ad purgandum conducit, ad naturæ imitationem, quæ irritata pellit.

Arg. 2. In vera supernatantia, quæ est terminus ad quem separationis humores peccantes, & morbum facientes, ita ab optimo sanguine separantur, ut jam non sint capaces postea mixtionis. D Ergo frustra tentabitur eorum vacuatio per venas. Antecedens probatur: quia segregati à natura, aut tendunt ad cavitates vitales, in morbis lethalibus; aut ad ventriculum & ad caput, quod humoribus biliosis & tenuibus observamus accidere, aut in crassis, densis, & glutinosis, qui tanquam fæces aut recrementa gravia, aut adhærent parietibus vasorum, aut resident in fundo, quo gravia concitant accidentia, aut suffocationis periculo, aut cordis sympathia. Sed cum sanguis

mittitur in hoc casu, optimus detrahitur, & qui in culpa non est: pessimus vero intra illa spatia relinquitur, in omen gravioris periculi. Erit ergo sanguinis missio in hoc casu ad necem potius quam salutem. Et confirmatur in iis, qui crapulæ & Veneri indulgent, ubi cruditas bonum sanguinem superat.

Arg. 3.

Arg. 3. Ex duplici principio illo supernatantia resultat, ut non valeat cum sanguine utili misceri; scilicet ex putredine secundum omnes gradus illius, ex qua putridus humor à sanguine separatus consistit, aut ex principio generationis succorum, dum jecur, quatuor humorum opifex, tali intemperie coafficitur, ut generet humores separabiles, difficulter, aut nullo modo miscibiles, ut in sincera bile, ichoribus, & aqua observatur. Ergo, si intra venas separati consistunt, haud poterunt sanguinis missione vacuari: ac per consequens, debent medicamento educi.

4.

Arg. 4. Humores separati, & qui omnino supernatant, sunt turgentiæ soboles. Nam licet turgentia possit absque supernatantia adesse, utplurimum à supernatantia incipit. Sed tales debent cathartico purgari, ut qui non valent sanguinis missione vacuari. Ergo est in illis præferenda purgatio. Major patet in tenuitate & irritatione hujus succi. quo impendent pericula furiosi humoris. Ergo sunt necessario purgandi.

5.

Arg. 5. Humorum separatio, solitarie & præcise sumpta, nihil aliud dicit, quam præsentiam humorum separatorum à sanguine, aut ob pravam putredinem, aut aliam qualitatem, sanguinis consortio repugnantem, aut talem quantitatem, quæ non possit misceri, subagi, aut concoqui. Sed tales humores per se indicant, attemperationem, correctionem, aut purgationem electivam. Ergo sicut amant hanc vacuationis speciem, sic renuunt & impediunt sanguinis missionem.

6.

Gal. Lib. 4. de Sanit. tuend. c. 4.

Arg. 6. Hoc etiam Galeni auctoritate comprobatur, 4. de Sanit. tuenda 4. *Nam quoniam*, inquit, *alii priusquam ad exactum sanguinem nutrimentum pervenit, veluti semicocti sunt, alii prorsus incocti crudique, alii paulo absunt à sanguinis forma, rursus alii sanguinis faciendi sive (ut ita dicam) sanguificationis pars ultima, qui utique excessu caloris proveniunt. quorum alii paululum, alii plus, alii plurimum à sanguine recesserunt. Vbi quidem paulum vel citra sanguinem restitum, vel ultra processum est, audacter mittendus sanguis est. ubi autem plus, consideratius agendum. ubi vero plurimum, in his nullus omnino mittendus est.* Quod idem confirmatur ex Galeno Comm. in Hipp. 6. Epid. Sect. 3. 43. & Avicenna Fen. 4. 1. cap. 20.

7.

Arg. 7. Contrariorum contraria est ratio. Humores mixti & quiescentes sanguinis missione educuntur: quia in venis subsistunt per quietem. Ergo perniciosi separati, cum sint motibus apti, aut omnino commoti, non possunt detrahi sanguinis missione, sed petunt cathartico purgari, antequam ruant cum majori periculo.

8.

Arg. 8. Putredo, ut putredo est in termino, tantum sui expurgationem indicat. Sed dum sanguis corrumpitur, degenerat in partes separatas, & sub alia forma supernatantes. quæ ad sui expulsionem naturam irritant, per regiones commodas. Ergo putredo in termino impedimento est sanguinis missioni, & catharticum amat ut expurgetur. In quo error advertitur illorum, qui in majori sanguinis corruptione, eo mittunt audacius.

9.

Arg. 9. Crudum, qua crudum est, expurgationi non resistit. Nam cruda à natura pelluntur, in omni excretione symptomatica, non tantum per morbos, sed & per sanitatem, cum patientis utili. Ergo cruda, qua talia, non dicunt repugnantiam ad purgandum. Antecedens probatur per omnes excretiones symptomaticas, & Methonis exemplo: quæ ægrotis auxilio fuere, ab Hippocrate usque ad nostra tempora.

10.

Arg. 10. In turgentibus triplici de causa expurgamus, 4. Aph. 10. Primo ne robur dissolvatur. 2. ne intendatur febris. 3. ne concitatus humor in membrum princeps ruat. Sed in pura & rigorosa supernatantia hæc omnia timentur. Ergo in illa est necessario purgandum in principio. Minorem probo: quoniam humores separati, fiunt insuperabiles à natura, à malitia, aut ab alia prava conditione. Ergo nisi à principio vacuentur cathartico, mala irreparabilia inducent, quæ nulla ars medebitur. Et hoc non tantum motis, sed etiam quiescentibus humoribus, si illos natura superare non valet.

Hæc sunt præcipua argumenta hujus docti Viri, qui in duobus maxime propugnaculis minorativæ purgationis machinas instruxit, ac suæ opinionis locavit arma; nempe, in supernatantia, irritationis indicatione: in illa, tanquam nulla prorsus ratione sanguinem conveniat extrahere, ac ideo sit omnino necesse, ubi instat periculum, minorativa purgatione uti, in morbis maxime, qui à pura & rigorosa cacochymia foventur: in hac vero, ceu in qua sit absoluta purgandi indicatio, & ab humoris sorte, & irritatione, & affectus urgentia, & periculo, tanquam aliter operari in his morbis febrilibus, & præsentis periculi, (in hac hypothesi,) sit contra omnia medicinæ principia, & auctorum decreta. Ad nos attinet has machinas diruere, opposito pugnare, ac ista propugnacula, vel ad ultima fundamenta dejicere, sub aquilis & signis candidæ veritatis, sub puriori Hippocratis & Galeni doctrina, & sub fonte purissimo Parnassi in Concilio doctissimorum hominum, & coram Academiarum Serenissimis, ut sit securitas in auxilio, non tempestas. Quo in opere, fidelitatis antiquæ, nobis à primo ævo gentilitiæ, vexilla reportare, & primorum hominum consilia, quibus & vita protrahebatur, & morbi feliciter curabantur, candide profitemur, ut ille profitetur: ac ideo in supernatantia & indicatione, ipsisque medicinæ principiis, paululum immorabimur, ut vel à fundamentis illa, quantumvis videantur munita, quatiantur. Prius tamen, quod magis ad quæstionem facit, sub medicinæ principiis, ac auctorum decretis, dabimus, qua majori concisione possumus.

CAPUT II.

De supernatantia in communi.

Pro hujus quæstionis intelligentia est supponendum, primo, ex Galeni doctrina, quod supernatantia in aliis à sanguine humoribus est super-

superfluitas, aut excessus in illorum abundantia, aut incontemperatio, in illorum qualitatibus excedentibus. Nam supernatans humor à Galeno sumitur pro eo, quod superfluit, aut aliis temperatum non est. Sic Galenus loquitur: *Pro abundante intellige nunc dictum supernatans, aut si mavis, id, quod non est cum cæteris omnibus commistum, supernatans puta appellatum.* In alio sensu etiam supernatans à Galeno accipitur, 2. de Aliment. Facult. 20. Et de Utilit. Resp. ad finem, pro eo nempe, *quod sursum super alia natat.*

Gal. Comm. in Hipp. Lib. De Natura hum. text 2.

Hoc etiam Hippocrates, Lib. 1. de Morbis text. 48. in phrenitidis causa nos docuit, clariori doctrina. Hæc sunt Senis prudentis verba. *Phrenitis hoc modo se habet. Sanguinis, qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert. quidam dicunt totum. Cum igitur bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem à consueta compage ac motione dimovet, & serosum facit, ac calfacit, calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat, præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente. Assimiles sunt his, qui ab atra bile delirant. Tanto autem minor insania, ipsumque delirium fit, quanto paucior aut debilior est bilis, quam pituita.* Quod ex hac Hippocratis sententia colligitur, est: quod bilis, quando à sanguinis consortio separatur, supernatare dicitur, substracto nempe vinculo unionis, quo attemperationis beneficio fruebatur, ab hac aut illa causa. Sed inter alias illa potissima à Præceptore ducitur, quando sanguis à bilis consortio tenuis redditur & serosus, seu bilis acquirit qualitates, forte modum substantiæ. Quod etiam bilis ipsa consequitur, & potiori jure, à sanguinis consortio separata, seu ab illius attemperationis beneficio. quoniam tunc acrior & tenuior redditur, adhuc cum fertur intra venas, cum sanguine, ex illo Philosophiæ principio, *Propter quod unumquodque tale & illud magis tale est.* Hoc etiam colligitur ex hac ipsa doctrina, nunquam adhuc intemperatam bilem localiter à sanguinis consortio separari, intra venas, sed mixtione sanguinem tenuiorem reddere, & ad illius qualitates & modum substantiæ transmutari, motione non solita contingente alterationis, intellige non localem, &, si localis, respectu delirii, non sanguinis: quod augetur, dum humor commovetur, seu ad varias cerebri mansiones transfertur, tenuitate, & acrimonia compulsa. Nec aliter venit intelligenda illa clausula, *dimovet à solita compage*: nam hoc idem est ac si diceret, dimovetur sanguis ex mixtione bilis ab illa substantiæ mediocritate, & consistentia, ac attemperatione, quam possidebat antea. Quod etiam patet ex iis, quæ sequuntur. Nam *tanto minor est insania*, inquit, *ipsumque delirium fit, quanto paucior est aut debilior bilis quam pituita*: quoniam tunc attemperata cedit ab effectu, quem producebat antea. Est enim illa compago, singularis modus substantiæ, in sanguine, ad differentiam aliorum humorum. Et hæc sane dissolvitur ea bilis mixtione, quando illa superat sanguinis quantitatem, aut prava qualitate excellit

Hipp. Lib. 1. de Morb. text. 48.

II. Est supponendum, supernatantes succos posse ab invicem separari à sanguine, & seorsim consistere: posse etiam in venis cum sanguine misceri, ac sub illa mixtione cum illo innatare; quantumvis ab illius natura recedentes supernatent. Primum accidit, cum natura, ab illorum quantitate, aut prava qualitate lacessita, illos extra venas propellit ad alias cavitates, seu ad corporis ambitum. quod etiam ad sanguinem extenditur, in putrido aut fervente, ut in morbillis patet & variolis. Et hæc est certe causa, quare in tertiana pellatur ad ventriculum, ad cavitates vitales; in maligna & pestilenti febre, ad cerebrum aut ad aliam corporis regionem: quia ab illa, non à sanguine irritatur natura; & quia supernatat, illam pellit, & separat ab aliis humoribus. Sed hæc supernatantia in superfluitate aut excessu qualitatum observatur. Qua certe ratione etiam supernature sanguinem, omnibus luce clarius patet, in malignis & pestilentibus febribus. Non eadem prorsus ratione à natura propellitur ad cutim, maculis & puncticulis. Quare, illa supernatantia non sumitur ab eo quod tales succi sint intra venas à sanguine ipso separati, sed magis irritantes.

Patet etiam, supernatantes humores in venis cum sanguine persistere permixtos; adhuc in hypothesi veræ supernatantiæ. Nam in causone, à pura, sincera, & impermixta bile, seu à pravis ichoribus, quos venæ arefactæ ad se traxerint, in legitima & pura tertiana, vera ephemera, & quartana, sincera bilis impermixta pituita, & vera melancholia natant intra venas cum sanguine permixta. Galeni est doctrina, & Hippocrati placuit. 2. de Different. Feb. 2. 3. & 4. cap. 7. & cap. 11. circa finem. Et 4. de Victus Ratione in Morb. Acutis. text. 1. 2. 3. & 4. In his omnibus supernatantes humores fluitant intra venas cum sanguine: & raro in continua ad alias cavitates propellitur, ob rationes, quas Galenus adducit in præcitato loco; ob virium nempe imbecillitatem, respectu multitudinis, quæ intra venas aut fervet aut putrescit, licet bilis aut ichores putrescant, adhuc permixta sanguine: dum massa sanguinis ex omnibus componitur. Quod in lactis exemplo nos Galenus edocuit. In lacte enim sunt partes diversæ in substantia & essentia, butirosa nempe, caseosa, & serosa, & licet hæc & illa supernatet, & intra propria vasa ferveat aut putrescat, non ideo hæc ab illa separatur loco, licet aliquantulum dissocietur. Sic pariter, dum aliquis humorum in massa sanguinaria superfluitat, putrescit, aut corrumpitur, licet nexum vitalem solvat ab aliis humoribus, non tamen ideo separatur ab illis, si non forte natura lacessita illum ad extra venas exire jam compellat. Quod non omnibus accidit: ergo saltem illi, qui intra venas manent cum sanguine permixti, à sanguine non manent separati. Et sic intellige Hippocratis sententiam, quam citavimus in libro de Natura humana, à cap. 18. ad 20. quæ huic viro docto ansam dedit ad hanc opinionem.

III. Suppone, supernatantiam oriri ex triplici principio: seu per congestionem, dum pars intemperata sibi similia congerit excrementa. 2. Per putredinem, à primo putredinis ad ultimum corruptionis gradum, qui est terminus ad quem supernatantiæ. 3. Dum in suo principio & officina, jecore nempe, in majori copia, aut plus intemperati, longeque alieni à sanguinis natura, cumu-

cumulantur. Sed adverte, quod omnes isti succi non unica ratione supernatant: nam serosi, calidi, & aerei, sursum super alios feruntur; & adhærent parietibus crassi, aut gravitant in fundo; putridi, seu quovis alio fervore bullientes, confuse permiscentur. Quare, absolute supernatantes dico, qui suo principio sunt disconvenientes, sive in copia, sive in intemperie, aut prava qualitate, aut in modo substantiæ. Hos enim aut natura pellit ad varias cavitates irrigata, aut sinit intra venas putrescere permixtos, ut ampliore mole cumulentur supernatantes ex alio ex prædictis principiis.

IV. Suppone, supernatantias per gradus etiam à suo principio distare, in quantitate, recessu, aut in modo substantiæ, ut indicationes etiam & per gradus elicias, ex illa communissima, ad individuam & minimam distantiam. Nam urgentia ex parte qualitatis supernatantis, indicat sui oblationem per aliam qualitatem contrariam, & fortasse æqualem. Si id vires permittunt, si sola multitudo supernatat, vacuans indicabit auxilium, sed non determinatum; ex quoque vacuantium. hoc enim determinat, & humoris conditio, aut morbi magnitudo, & pleraque alia, quæ sortem auxilii variare faciunt. Tandem, si est putredo causa supernatantiæ, aut in principio, aut medio, aut termino ad quem; primum postulat inhiberi, dum adhuc fit: secundum & tertium petunt vacuari quod putruit in termino, ut prorsus alienum. Ad hoc tamen varia sunt auxilia, nempe phlebotomia, catharticum, & potest per urinam, per ventrem, & sudore, etiam vacuari.

Quare, ex dictis unica elicitur conclusio, quod in supernatantia ex quovis, ex triplici principio, nullo pacto humores sinceri, naturales, pravi, putridi, adusti, aut quovis alio modo à natura sanguinis distantes, dum intra venas cum sanguine feruntur, loco, & distantia separantur, ex sola ratione supernatantiæ. Nam adhuc tales possunt intra venas cum sanguine misceri.

CAPUT III.

De indicatione in communi & in particulari, à summo morbi genere ad speciem infimam, usque ad individua.

Haud minus certe Quæstionis decisioni conducit, indicationum postulantium & renuentium singulares conditiones expendisse, supponendo, quod à summo morbi genere per gradus descendunt ad speciem infimam, rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam: & in quaque singulari specie varios sortiri gradus, per ipsa individua; qui omnes deducuntur ab ipsa rei natura, per insinuationem illius, quod lædit, aut aliquando juvat.

Et interim adverte, quod scopus à plerisq; cum indicatione confunditur: cum differant, tanquam ab actione finis. Nam scopus est id ad quod tendimus, in morbum nempe, ut curetur. Morbus enim ex se indicat sui ablationem in genere, & eo fere tendit scopus. si verum est quod Galenus nos docuit; in morbo nempe calido refrigerandum: & in repletione vacuandum: in imbecillitate roborandum. *Ideo*, inquit, *scopus definitam certamque inventionis auxiliorum habet viam.* Quare scopus aliud intendit in partibus similaribus; aliud in instrumentalibus. Nam in illis scopus est refrigerare, siccare, humectare, &c. In aliis reficere, vacuare, replere, densare, aperire, rarefacere, ut in soluta unitate unire, ut Galeni est expressa sententia. Et hæc eadem, quæ scopus intendit, indicantur à morbi specie subalterna. Et hæc est ratio, quare Gal. interdum scopum cum indicatione confundat. Nam 4. Acut. 19. & de sang. Missione 9. morbi magnitudinem, virium robur, & ætatem, scopos esse dixit, quæ vere sunt indicantia.

(Galen, 1. Acut. 44.) (de Constit. artis Med. 14.)

Nos hoc scopo intendimus morbum curare; & morbus per se indicat, ut hoc aut illo auxilio curetur. Nam genus constitutionis, indicat genus auxilii: differentia, differentiam: species, speciem. Unde licet scopus & indicatio monstrent quid agendum, id habet peculiare indicatio, ut præter illud, quomodo, & ubi, & quando, indicet. Nam quid agendum, indicatur ab essentia indicantis; reliqua vero ab specie aut individuo. Nam unum indicat unum in genere aut specie: sed quando illud unum habet plures essentias, diversa valebit etiam indicare; ut bilis, quæ qua multa, vacuans indicat auxilium; qua calida, frigidum: ut urinæ suppressio à grumo, à lapide, aut pituita. Sed unum in genere aut specie plura indicare non potest: quoniam unum non nisi uni est contrarium. At illa indicatio, quæ quomodo, quando, & ubi determinat, sumitur ab affectus essentia specifica. Ideo enim Gal. 13. Meth. Med. c. 2. dixit, *præsidiorum formulam desumi ex affectus natura*, hoc est, ab essentia specifica, prout varios indicet usus. quod nihil aliud est, quam præsidium ipsum specificum, sicut ab essentia generica auxilium in genere indicatur.

(Galen. 13. Meth. Med. c. 2.)

Morbus ergo sui ablationem petit auxilio contrario, per indicationem; ex illo generali principio, contraria contrariis medentur. Ex hinc oritur secunda indicatio, à morbi nempe specie, ab intemperie, soluta unitate, contraria nempe qualitate aut unione. Postea unumquodque membrum subdividitur in species infimas: unde peculiares etiam pullulant indicationes, usque ad individua, quæ certe minuuntur, aut augentur, secundum intentionem aut recessum, aut periculi gradum, membri nobilitatem aut distantiam.

Sed quia morbus, ex affectu, causa, & symptomate constat, est ideo cuiq; indicanti cum quadā singularitate attendendum. Nam quando scopus curandum indicat, illa specifica auxilium contrarium præscribunt, in specie; forte in individuo: velut in hoc exemplo. Multitudo, quæ gerit vicem causæ, sui ablationem indicat, vacuante auxilio, in specie: sed humoris individualis conditio, locus, & pars affecta, & locum, & ex evacuantibus determinat, quod magis est conveniens: & ipsa humoris qualitas, an attemperandum, an vacuandum, indicat. Et contraindicancia modificant, aut prohibent auxilia.

Ac ideo, cum indicationes plerunque inter se adversantur, tu considera, quæ sint affectus auxilia, quæ causæ, quæve symptomatis, quæ febris, quæ solius putredinis: quoniam jam te Galenus docuit id, quod maximum est, prius aggredi, atque ei soli vel magis quam cæteris subvenire.

Difficile

Difficile est hoc, sed magis, si vires æqualia auxilia non ferant, habita consideratione temporis, consuetudinis, & ætatis. His enim sedula diligentia perspectis, intelliges, quonam primo, aut magis, quo secundo, aut tertio, ac quo tandem præsidio sit utendum ante aliud: & an contraindicantia fortius contraindicent, ut indicata auxilia aut omnino impediant, aut retardent, quousque primæ indicationi detur locus. Nam interdum sui ablationem putredo prius indicat, quando nempe ex illa malignitas resultat, ex qua brevius periculum impendet: & aliquando causa, si illam vix potest natura superare, aut si interim vivificus calor extinctionis periculo laborat, aut etiam corrumpi membrum princeps: aliquando primas tenet obstructio, saltem, cum est causa aliorum morborum: prohibita ventilatio interdũ, maxime in universa cute, aut etiam vasorum propaginibus, ut in refrigeratis; nisi illam foveat humorum obstruentium multitudo. hæc enim prius indicat sui ablationem, sed interdum affectus ita urget, ut relicto regimine causæ, prius auxiliari postulet. Si non interim vehementis alterius symptomatis emerserit iniquitas, quæ ad se curationem trahat, aut auxiliorum ordinem interturbet, morbi cursu protracto. unde serius adveniat curatio, si non etiam cum majori periculo.

Tu vero in his complicationibus attende, quid efficacius & primo loco indicet. Solent enim complicari plures morbi contrarii, plures causæ dissimiles, morbus, causa, & symptoma: & hæc plane contraria. Inter hæc illud prius considera, quodnam in periculo & urgentia mortem celerius minatur, & illud magis urgere æstimabis. Quod si illud cum viribus imbecillimis accidat, quæ morbo æquale auxilium non ferant, sit tibi dexter oculus ad virtutem, si essentia debilis. Est enim prima vitalis indicatio. Si vero per aggravationem, causa prius sui ablationem indicat, & hæc sortem auxilii præscribit, quorum exempla leges in Galeno, 7. Meth. Med. c. 12. 10. Meth. Med. 1. 6. & 10. & 1. ad Glauc. 14.

Pleraque tamen interdum contraindicantia urgent graviori periculo, & prius ad se curationem vocant: seu quia causa graviorum malorum: seu quia vires morbo celerius corrumpunt: seu quia auxiliorum executioni impedimento sunt: seu quod inde morbus vires acquirit eundo, ut ventriculi dolor, ex recentibus cruditatibus maxime; forte excrementa retenta, sive venarum cruditas, & alia quæ Galenus expressit 9. Meth. Med. c. 5. 1. ad Glauc. 14. ut etiam febrilis caloris supra fidem intensio: putredinis omnimoda corruptio, & quando superat putredinem malignitas.

Quare, si nihil curationi obstat, omnia æque urgent, & simul curari nequeunt, in regulari curatione ad ordinem causarum nos attendere decet, priusque mederi illam, quæ est aliarum causa, & ab illius oblatione incipiendo, ad alias procedere, prudenti & methodico ordine, ut Galenus nos docuit, 11. Meth. Med. cap. 13. quod in symptomatibus etiam observare parest, ab illius sedatione incipiendo, qui aliorum etiam causa est: velut à pervigilio, cum delirii periculum minatur; & à dolore, si ille fluxionem concitaverit. Et hæc sint tibi aliorum exempla.

Hæc catholica doctrina, ex medicinæ principiis deducta, & auctorum decretis, ut ex certis præmissis, has conclusiones elicere permittit.

Conclus. 1. **1.** *Conclusio.* In febre putrida, ubi prævalet excellentis qualitatis urgentia, ex præustis aut urentibus succis, seu tenuibus & calidis ichoribus, per se primo, neque ab affectu, neque à sola causa purgatio, neque sanguinis missio indicatur; sed sola attemperatio, ut contrarium potioris urgentiæ: excepto, ubi simul talis succorum prævalet multitudo, ut ex illa æquale periculum minetur. Quoniam tunc ex eventu, sive bullientis sive putrescentis humoris sit, si natat intra venas, potius sanguinis missio indicatur quam purgatio. Nam licet utrumque sit attemperans ex eventu, & vacuans auxilium per se; non tamen est talis contraindicatio ex parte sanguinis missionis, quam ex purgatione, quæ in hypothesi excellentem caliditatem auget: & sanguinis missio attemperat. Hæc conclusio patebit ex sequentibus, & patet ex Galeno, 13. Meth. Med. c. 8.

2. **2.** *Conclusio.* Ubi sola causæ prævalet indicatio in pura & rigorosa cacochymia, sine febre, seu, ubi non est fortior contraindicantis postulatio, febrilis nempe caloris, cruditatis, obstructionis, aut malignæ putredinis, tunc à succi irritatione indicatur purgatio, sive illa consistat in qualitate sive quantitate succi. Nec ideo non valet etiam sanguinis missione vacuari, si intra venas aliqua multitudo delitescit. Hæc conclusio à Galeno deducitur 4. Aph. 17. Nam ubi fortius & majori periculo contraindicans urget, licet sola irritatio esset purgationis objectum, non ex sola irritatione est purgandum, sed æqua lance libranda indicantis & contraindicantis postulatio. Inter hęc tamen, ut securius feratur judicium, est ad artis principia recurrendum: quando nempe exurentem & febrilem calorem medicamentum absorbere timor est: quando cruditas medicamento etiam reluctari; ut moveat graviori periculo, & frustretur purgatio, & ab incipiente putredine major ebullitio timeatur, & illius putredinis diffusio, ut à maligna etiam qualitate. Nec incertus periculi timor sat est, ad aliud incertius aggrediendum. Nam hujus & illius eventus est incertus: sed secundum principia & securiora præcepta operari, fit satis conscientiæ & obligationi, & de prudentia artificem commendat. Ideo in morbis febrilibus præferenda est sanguinis missio purgationi.

3. **3.** *Conclusio.* Ubi virtutis labentis prævalet indicatio, si est per essentiam imbecillitas, sola virtutis custodia indicatur, ut vitalis ac illa roborata; de auxilio deliberandum postea: si vero per aggravationem, est præcedens conclusio consulenda. Hæc etiam est Galeni, 9. Meth. Med. c. 10. 11. & 13. & 11. Meth. 3.

4. **4.** *Conclusio.* Ubi accidens ad se curationem trahit, utcunque methodus prævertatur (si ipso febris auxilio non medetur) ex propria & regulari methodo à principiis deducta, primo sui ablationem indicat, hoc aut illo auxilio vacuanti, attemperanti, aut lenienti, prout magis aut brevius periculo occurritur. Patet etiam ex Galeno, 7. Meth. Med. c. 12. 11. Meth. 9. 10. Meth. 10. 1. & 6. 1. ad Glauc. 14. per totum.

Sed adverte, quod periculum minanti occurritur, non tantum contrario auxilio, quantitate, & qualitate; sed in acutie, & celeritate succurrendi. Quid enim proderit in quarto morituro, si ad sextum differatur auxilium? Quæ etiam æqualitas deducitur ex illo generali principio: *Contraria contrariis*, &c.

Concl. 5. 5. *Conclusio.* Ex præcisa ratione supernatantiæ, non sequitur turgentia in actu primo, nec in actu secundo, quantumvis videatur ad turgendum parata. Hæc conclusio patet ex ipsa definitione turgentiæ, quam leges 1. Aph. 23. & 24. 4. Aph. 1. 4. Acut. 22. & 38. & 1. de Crisibus. 9.

6. 6. *Conclusio.* Urgentia humoris multi imaginaria, licet vitæ periculum minetur, non gerit vicem turgentiæ, & ad minorandum non concludit, adhuc in pura & rigorosa supernatantia. Ratio fundamentalis est, quod illa quieta & impacta multitudo, intra venas, aut aliter, nec est comes neque consectaria turgentiæ: nec eo quod humor supernatet, eo turget. Supernatantia enim sumitur à Galeno, pro illo humore, qui superfluit, aut aliis temperatus non est. Quare, si indicatio, in hac hypothesi sumitur ad purgandum, ex eo, quod multus aut supernatans humor gerit vicem turgentiæ, & ea in tali humore non assumitur, ad minorandum non concludit. Patet etiam, vicem turgentiæ non gerere: nam illius periculum in motu furioso consistit, & impactus & quietus humor contrariam induit rationem. Et, si ex sola ratione periculi turgentiæ vices induuntur, omnes periculosi humores erunt sane turgentes. quod fateri à Viro sanæ mentis pudor erit.

Neque valet argumentum ab humore multo, quod videatur turgere in actu primo, & cum vitæ periculo, ad humorem turgentem. Nam à diverso longe principio indicationes desumuntur. Fateor enim, eandem esse indicationem generalem periculi, in utroque humore, à qua magnum & æquale indicatur auxilium. Attamen individualis indicatio, in hoc & illo, determinat speciem auxilii. Nam præter morbi magni indicationem, in turgentibus, ab illa motus & humoris sorte peculiaris emergit indicatio, qua est in motu positus, cum decubitus periculo, & ob facilem educendi rationem, naturæ adminiculo: at in humore multo, si quieto, alia emergit indicatio, & fortasse contraria, saltem auxilio diverso, ab ipsa humoris quiete indicato, ne forte importuno motu aliam induat rationem periculi. Quare illa periculosa multitudo ex se tantum magnum auxilium determinat, de hac aut illa vacuantium sorte, prout commodius & minori cum periculo appetit vacuari.

Patet hæc indicantium differentia in duobus exemplis. Interna viscerum inflammatio, est morbus magnus. Febris continua ex humore turgenti, pariter morbi magni induit rationem. In utroque & affectus & causa magnum indicat auxilium: at illa singularis conditio commoti aut quiescentis humoris, individualem indicationem determinat, ut motus humor educatur cathartico; impactus autem, & qui fovet impactum, sanguinis missione. Hæc est expressa Hippocratis sententia, 4. Acut. 22. & hujus differentiæ Galenus reddidit rationem, 4. Aph. 1. quare nempe oporteat turgentes purgare à principio, & eos, qui in aliqua parte sunt impacti, aut saltem quiescentes, non movere: quia illis est in motu periculum, & facile à medicamento rapiuntur ad vias, à natura destinatas, cui actioni natura cooperatur etiam: in istis vero, quod impactus & crudus trahenti medicamento reluctatur, & pars sana liquatur, coctio perturbatur, febris intenditur, adaugetur putredo, diffunditur malignitas. Unde cruditas, & firmati succi resistentia, & productus affectus in contraindicando urget graviori periculo, quam postulet urgentia humoris multi, quantumvis supernatet, & vires superare videatur naturæ, quando salus libratur in aliis auxiliis, sanguinis missione, apertis hæmorrhoidibus, aut scarificatis cucurbitulis: interdum à natura in onere gravante concitatis.

Neque valet illa viri docti instantia, cum purgamus humores crudos, illos educit medicamentū, non bonos; & expultrix malos expellit, ac boni retinentur, ex ordine naturæ: ac ideo aphorismus ille in perturbationibus ventris in principio, augmento, & statu, venit intelligendus, & maxime in periculo, ne natura succumbat. Nulla enim potest esse major urgentia, &c. Respondeo, Galenus non dixit, medicamentum solos pravos humores pellere, & naturam solos utiles retinere: videmus enim, medicamentum & naturam in hac confusa retentione opposita actione pugnare, & miseram turbationem in corpora inducere, ut interdum utiles vacuentur, retineantur pravi. Aliud enim quid est exolutiones & deliquia, inordinati pulsus, & alismus implacidus, quæ ex hac importuna purgatione accidunt, tempore cruditatis. Lege Galeni Commentarium ad 1. Aph. 23. & librum, *quos purgare conveniet*: & tibi satis fiet.

Ex locis Gal. & Hipp. quos legi & perlegi, audeo asserere, quod magis uterque auctor timuit, de importuna medicamenti purgatione, & agitatione, tempore cruditatis, quam de multitudine ac pravitate succi: quando video, elegisse aliam auxiliorum sortem, à morbo & à causa indicatam. Fortasse rationem invenies in Galeno, 1. Aph. 24. ubi quærit, quare in turgentibus conveniat à principio purgare, *quia ex purgatione*, inquit, *major utilitas quam noxa comparatur*. Quod exinde cognosces: *Si absque molestia omnis humor noxius & infestans vacuetur*. In turgentibus quæcunque utilitas, respectu noxiæ imminentis, erit magna, & ex motu semper est sperabilis purgatio: quia pravus succus semper est à bono sequestratus, maxime, quando turget. Ubi vero non tantum cruditas purgando reluctatur, sed permixtio utilis & inutilis succi; quis nos securos reddet de hac utilitate, & quæ secura fides, omnem humorē noxium vacuari? Conditiones paritatem non habent, in turgente & quieto humore. — *Gal. Comm. in Hipp. 1. Aph. 20.*

Neque interpretatio illius Aphorismi, in perturbationibus ventris, quid concludit, dato, quod ita esset. Nam sine febre & absque contraindicante, non inficimur, posse in principio crudam materiam vacuari. Sed ex Gal. non colligitur illa interpretatio. Mens enim Hippocratis est, qualitatem humores vacuandi docere, ne, qui in culpa non est, quoque vacuetur. *Quo autem morbi tempore*, inquit Galenus, *aggredi oporteat vacuationem*, — *Galen.*

nem, in aliis deinceps Aphorismis dicetur. Et sunt Aphorismi, qui sequuntur, & in eodem libro, ex 1. Aph. 2. 23. & 24. quæ tu leges per otium. In his enim neque in principio, nec ad statum usque consulit vacuare.

Quare, manet illa propositio stabilis, quod nullus humor, ex vi supernatantiæ, in morbo febrili, indicat absolute in principio medicamento purganti vacuari. Quod etiam patebit amplius ex iis quæ sequuntur.

CAPUT IV.

Argumentis oppositæ sententiæ respondetur.

Ad *primum.* Negatur antecedens. Et dicimus, quod licet massa sanguinis alterata, putrida, aut corrupta, dissolvatur in humores sinceros intra venas, non tamen ideo non posse sanguinis missione vacuari; quod latius inferius patebit: nec ideo indicare medicamentum purgans. Nam indicationes, quæ ex illa transmutatione pullulant, poterunt potiori urgentia attemperationem indicare, dum nempe præusti humores pullulantes minantur retorridum marasmum; ut notavit Galenus Lib. 10. Meth. Med. c. 6. quem postea sequitur Avicenna. Si vero multitudinis prævalet indicatio, vacuans auxilium præscribit, non simpliciter medicamentum purgans. Quod si illa intra venas etiam continetur, non renuit sanguinis missione vacuari: si non renuunt vires, nec ætas dissuadet. Nam illam speciem auxilii determinat hæc species causæ intra venas contenta; & ex generali contrariorum principio deducitur: & sinceri humoris irritatio, & prava & solitaria conditio, quæ purgare suadet, à contraindicante potioris urgentiæ superatur; febris nempe, putredinis, cruditatis, &c. Et ad excretiones symptomaticas, quæ adducuntur in confirmationem, postea respondebimus.

Ad 2. Negatur antecedens, humores nempe supernatantes, ex vi supernatantiæ, loco & distantia à sanguine separari. Nam intra venas cum sanguine innatant, ut postea videbimus, &, si alia ratione separantur, aliæ emergunt indicationes, & solo in casu turgentiæ persistit purgandi indicatio à principio. Nam si ad ventriculum aut ad ventrem feruntur, ut ad loca ab ipsa natura destinata, per hæc ipsa aut naturæ perficit actionem, aut ab arte juvatur, dum incipit non perficit, vomitu aut clystere, nec semper purganti medicamento indiget. Et si forte, qui perenniter in hepate generantur humores, perenniter feruntur, tunc quis dubitat, posse sanguinis missione educi, ab affectu magno, & à multitudine indicata? Quoties enim vomitum & alvi fluxum biliosum, sanguinis missione sedata vidimus, dum levioribus auxiliis non cederent? De crassis, densis, & glutinosis recrementis, quæ parietibus adhærent, alia emergit indicatio. Nam crassi, & densi, indicant incindentia & tenuantia: & coquentia, crudi: ac multi, vacuantia. Quod si illud accidit sine febre, bene potest vacuari cathartico; interdum sanguinis missione, sub conditionibus, quæ in solutione sexti argumenti dicentur. Facile etiam solvitur confirmatio de crapula & Venere. Nam si ex illis orta cruditas in prima regione delitescit, est vomitu, aut clystere, aut leniente medicamento educenda, per has easdem vias ab ipsa natura destinatas. Et illud non erit minorare, in rigoroso sensu quæstionis. Has indicationes Galenus nos docuit explere, 1. ad Glauc. 14. dum humor ad ventriculum aut intestina fluit.

3. *Arg. Resp.* Quod licet humores supernatent ex quocunque principio, non ideo intra venas loco & separatione à sanguine distare, taliter, ut vena scissa non educantur. Hoc enim taliter probat experientia, ut alia non indigeat probatione. Nam vena secta humorem in termino corruptum exire vidimus, biliosum, & extreme serosum, dum super alios extreme supernatant. Et hoc patet ad sensum. Quare nihil concludit argumentum. Nec ideo nos ibimus inficias, in omnimoda febris carentia, in tenuibus & serosis humoribus posse purgationem in principio convenire: hanc enim indicat illa succi conditio, ac singularis postulat irritatio.

Ad 4. Patet solutio ex ratione fundamentali quintæ & sextæ conclusionis. Est enim longe diversa indicatio turgentis, ac supernatantis succi, ut antea probavimus. Et miror, hæc in tam distanti posita parallelo, per eandem indicationem expendisse. Quid multum? si supernatantes succi forent turgentiæ soboles, non esset ita rara turgentia, ut Hippocratis dixit: cum nullus fere acutus morbus accidat, in quo non supernatent succi, ex aliquo principio ex prædictis.

5. *Arg. Resp.* Sola oculari experientia nulla est qualitas nec quantitas supernatantis succi, cujus consortium sanguis non patiatur, sub illa ratione, qua possunt cum sanguine persistere; nempe ut leves supernatent, & crassi resideant in fundo, putridi confuse misceantur, dum in illa venarum capacitate cum sanguine feruntur. Non enim eo quo supernatent, mox illos natura extra venas propellit, sed ab irritatione ex alio principio: ut in puncticulis malignæ febris patet, morbillis, & variolis. quod in sanguine accidit, licet non supernatet. In hepate etiam, ad calidam intemperiem prolapso, major quantitas bilis cum sanguine producitur: & in maligna & pestilenti febre, pars major massæ sanguinariæ corrumpitur, & illorum nihilominus sanguis non renuit consortium: quoniam talis ex venis in sanguinis missione educitur, aut summe putridus, aut summe biliosus; quod in icteritia etiam observare par est. Ergo illius consortio non repugnat. in quo vis hujus argumenti consistit. Et per consequens, non renuunt sanguinis missione vacuari. Nec ideo necessario debent à principio purgari, tanquam non alia spes auxilii relinquatur.

Ad 6. Non est plane difficilis solutio, si mens Galeni ad limam & lineam redigitur. Nec ideo colligitur, eo quod crassi, crudi, & frigidi succi non valeant sanguinis missione vacuari, debere crudum, & ante coctionem expurgari. Et ex eodem loco, à Doctore Ponce de Sancta Cruce adducto, patet nostra solutio, & capite sequenti confirmatur. Nam postquam Galenus dixit Lib. 4. de Sanit. tuenda cap. 4. *Vbi plurimum humores à sanguine recesserint, nullus omnino sanguis mittendus est.* Reddit postea rationem: *quia detracto pauco qui restat sanguine, crudus succus qui in mesenterio relinquitur, & circa hepar attrahitur ad venas, cum gravissime*

Gal. Lib. 4. de Sanit. tuend. c. 4.

vißimo damno. Quod nos etiam fatemur. Sed toto illo capite, nec capite 5. sequenti, non video, quod præsente febre purgare consuluerit hos recedentes humores ante coctionem, imo illos concoquere, tenuare, calefacere consulit. Et procedit: *præsente cruditate sanguinem mitte, inspecta crudorum copia, si nimis à sanguine non recesserit. Et si propter timorem nolit æger, huic alvus largius solvatur.* Et non constat, an clystere, an purgatione. Mihi potius videtur, purganti clystere imperasse. Et satis valida ratione, ut nempe crudus succus, qui in mesenterio relinquitur & circa hepar attrahatur inferius. quod facilius & minori turbatione hoc quam illo auxilio consequitur. Et in hoc casu sanguinis missio ob solum timorem ægri excusatur.

Galen. *Pone enim,* dicit Gal. *talem hominem ex mala victus ratione laßitudine affectum: deinde ex iis quas retulimus notis, in venoso vasorũ genere apparere subesse illi copiam semicrudorum succorum: in reliquo vero corpore toto multitudinem horum* (acrium succorum &) *mordacium, quos laßitudo secuta est. auctus præterea illi & sanguis esto. Maxime ergo (ut dictum est) detrahere primo de sanguine oportet: deinde succũ illum educere, qui superare videtur.* Et addit: *non sustinente autem homine sanguinem sibi detrahi, augere dejectionem* (sed an ante coctionem, non dixit.) *Si vero neutrum admittat, somno & quiete hos coquere oportet & inungere.* Et in hac indicatione persistit in capite sequenti. *Cæterum* (si) *in lasso corpore,* inquit, *sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi: huic nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio aut exercitatio aut omnino motus, aut balneum adhibendum. quippe incisa vena bonum sanguinem emittit: malum qui in primis maxime venis circa jecur, quod mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus. Dejectio vero in talibus tormina & rosiones creat, animi deliquia, cum eo quod nec notatu quidpiam dignum educit: quando crudi omnes succi, pigri, atq; ad motum inepti & propter craßitudinem frigiditatemque sunt: quo fit ut etiam omnes angustas vias obstruant, per quas id quod medicamentum dejicit, ad alvum ferri debet: itaque nec ipsi educantur, & aliis sint impedimento. Id quod sane Hippocrates illo oraculo præcavit, quo brevißime præcipit concocta medicando tentanda esse, non cruda.* Hæc Galenus. Non est ergo, eo quod humor supernatat, & recedat à sanguine, mox purganti medicamento educendus.

Idem c. seq.

Et hinc intelliges aliam Galeni sententiam non vulgarem, Libro de Sang. missione cap. 10. *At ubi crudi succi exuperant, antequam morbus invaserit, caute vacuabis: ubi jam febris corripuerit, nequaquam; uti antea monui. Habebis vero eorum indicium, tum colorem veluti plumbeum, aut ex pallido album; tum pulsuum inæqualitatem,* &c. Mens Galeni satis patet. Nam si homini, sua officia in statu sanitatis obeunti, sanguinem mitti convenit, ob timorem morbi imminentis, aut eo quod jam plethoram cumulaverit, & in hoc tempore in illo crudi succi exuperant, sanguis est in illo mittendus, sed caute, quia cruditas impedimento est sanguinis missioni simpliciter, si est in prima corporis regione, si vero in venis, usque dum illa aut vertatur in sanguinem, aut forte concoquatur. quod urina etiam indicabit. Sed quia in statu naturali nondum lapsæ sunt vires, nec cruditas corrupta, nec tenuata, ideo potest esse occasio ad moderate etiam vacuandum: si vero jam febris corripuerit, nequaquam: quia caloris præter naturam occasione, cruditas, ubicunque sit, putrescit, tenuatur, & ampliore mole diffunditur, & prava qualitate vires atterit, nativum calorem suffocat, ut inde sanguinis missioni, aut aliæ evacuationi, impedimento sit. Hoc enim certe colligitur ex illa textus clausula, *uti antea monui,* & ex indicio coloris plumbei, aut ex pallido albi, pulsusque inæqualitate. Monuit enim antea antecedente capite, & Lib. 12. Meth. Med. c. 3. & Lib. 4. de Sanit. tuend. c. 8. in tam magna copia cruditatum, ut vires premat, non esse omnino vacuandum: quia nullam vacuationem vires debiles ferunt. Et hæc est ratio, quare cap. 12. sequenti in magna necessitate vacuandi, in plethora crudorum copia copulata, vacuationem partiri consulat, ut interim aut vires instaurentur, aut concoquatur cruditas, & vertatur in sanguinem. ideo melicrato & pulegio utitur.

Gal. Lib. de Sang. miss. c. 10.

Ad septimum. Negamus consequentiam. Negamus etiam, idem indicare aptitudinem ad motum ipsum. Nam Hippocrates & Galenus tantum purgare voluerunt humores in motu positos, in quo formalis ratio hujus indicationis consistit, ob pericula, quæ imminent ex motu. qua certe ratione indicant ad movendum parati; ut patet ex fundamentali ratione, supra citata. Præterquam quod ad motum apti, possunt & debent sanguinis missione vacuari: velut in fluxionibus, recenti casu, magna contussione, adhuc in hypothesi præexistentis supernatantis succi, quo rheuma concitatum revellitur, consistens derivatur; si non attemperandi prævalet indicatio. Et in hac linea quiescentis humoris nulla conditio ad purgandum concludit, dato, quod essent acres, tenues, & mordaces: & dato, quod periculum decubitus adesset. quod nulla potest evidenti ratione probari. Sed adhuc in hypothesi jam membri principalis obsessi, & humoris confluxi, negamus, deberi in principio purgari, & fatemur, in utroque casu humores esse in fluxu positos, sed purgationem causam indicare in turgentibus, antequam consistant: quia naturam habet adminiculantem medicamentum, & propitium motum, ut facile humores ad intestina transferat. At vero, ubi jam membrum debile occupat talis humor, certius est periculum, ne à medicamento commotus, ad illud deferatur, & medicamentum gerat vicem turgentiæ. Nam pars, quæ recipit, jam est debilis, & forte calefacta, (aptissima recipiendo media) quod in turgentibus non adest, dum humor est in motu: neque est pars aliqua nota, in quam decumbat. Quare tutius humor, ad fluendum paratus, sanguinis missione revellitur, & qui jam membrum occupavit, concoctus vacuatur, aut aliis indicationibus medetur. Nam si ad cor confluxit, casus lethalis est: si ad ventriculum, aut hepar, affectus, qui producitur, causa, & accidentia suggerunt indicationes. quæ forte non valent cathartico suppleri. Nam crassus humor, qui gravitat, aut adhærescit, consulit coctionem expectare, in Galeni doctrina. Tenues etiam varia poterunt indicare, prout qualitas aut multitudo prævalet.

1. Aph. 22.

Ad 8. Resp. Verum esse, in Galeni doctrina, putridum in termino cathartico debere vacuari, per urinam & sudorem. Sed hoc Galenus intel-

ligit,

ligit, peracta coctione, si tales succi sunt etiam coctionis capaces, saltem attemperationis, cum illa ope & auxilio naturæ perficiantur, quando peracta coctione subsequatur discretio, hoc est, boni à malo separatio, ut felicius succedat vacuatio: aliter enim confuse operatur, & naturæ actiones conturbantur. Et dato, quod sanguis, dum corrumpitur, in partes separabiles degeneret; ut pars tenuis, in bilem; crassa, in melancholiam; non exinde colligitur, mox deberi medicamento purganti vacuari. Nam potest in hac transmutatione prævalere attemperandi indicatio; forte, coercitæ malignitatis intra venas, & forte multitudinis: illa potu aquæ frigidæ suppletur; bezoarticis ista: & omnes simul sanguinis missione, cucurbitulis, aut sanguisugis, dum cedit attemperationi fervor. Nec ideo inficior, putredinem interdum sanguinis missioni impedimento esse, in majori copia, quam par sit. Sed hoc non est ex eo supernatantiæ principio, sed quia vires dejicit ad ferendum auxilium; seu malignis vaporibus; seu spiritibus denegata materia puri & laudabilis sanguinis. Sed ex hoc ipso principio, etiam cathartico impedimento erit, si validas utrumque petit vires. Hæc omnia satis mirabili Galeni doctrina confirmantur. Dixit enim Lib. 11. Meth. Med. c. 4. *Febris nequit sanari, nisi prius putredo inhibeatur: inhiberi non potest, manente causa.* Quare, illa est prius auferenda. Ad hanc ablationem transit cap. 15. hujus libri, ubi inquit: *Saluberrimum igitur est in omnibus febribus venam inscindere.* Et in c. 10. & 13. *Residuum*, inquit, *ex putredine, per alvum, per urinam vacuabis aut sudorem.* Si residuum ex putredine dixit, quis dubitat, hoc fore fervore jam peracto, ac declinante febre, cum ex putredine remanet, quod emendari nequit? Sic enim constans erit præceptum iis, quæ in hoc libro docuit.

Galen. Lib. 11. Meth. Med. c. 4.

Idem, c. 15.

c. 10. & 13.

Ad 9. Arg. Distinguimus illud crudum, qua crudum est, cedere expurgationi, & expulsioni violentæ, & non imitandæ, concedimus. Negamus tamen, actioni medicamenti non resistere. Nam symptomaticæ excretiones non sunt utiles tantum ex parte vacuati humoris, sed ex parte virtutis tolerantis: ac ideo casu, & non ex ratione juvare credimus. Æque enim ægrotum præcipitare accidit ac juvare; imo sæpius lædunt: quoniam, si sors tulerit, ut virtus ferat, tunc sane juvant. Et non sunt imitanda, quæ casu, & non ex ratione auxiliantur. Ac ideo tempore cruditatis dare medicamentum purgans, patres medicinæ renuerunt: quia æque saluti, ac periculo, in illo via patet. Et, si rem altius expendere velimus, inveniemus, cruda, qua cruda sunt, tractioni medicamenti resistere, licet facultati expellenti cedant, mirabili certe differentia: natura enim ex præscripto conservationis ordine, ne defraudetur utili, malum retinet, dum est bono permixtum. & sic trahenti medicamento reluctatur, & crudum ipsum, quia non separatum, nec subactum, neque medicamento, neque naturæ expulsioni cedit, quando hæ actiones à natura & à succi resistentia sunt æquales. Quomodo ergo accidunt symptomaticæ, profusæ, & violentæ excretiones? Tunc tantum, cum ab acri, & furiosa irritatione natura superatur, sive quantitate, sive qualitate lacessita. Et sic vidimus, excretiones deterrimi & corrodentis succi, cujus violentiæ natura obsistere non valet; sive quando in tam magna copia cumulatur, ut nativus calor obrui & suffocari periclitetur, aut venæ ruptionis periculo: tunc enim cedit expulsioni crudum, non qua crudum, sed qua irritans; quia tunc vehementi expulsioni non valet resistere natura. Sic pariter crudum effræni medicamento cedit, ob illius corrodentem & acrem qualitatem; clementi reluctatur: quia moderatiori trahit actione: & quia ab ipsa natura retinetur. Et propter hoc Hippocrates *cruda non censuit movenda*: quia graviora pericula emergunt ex humore commoto non purgato: quod accidit leviori cathartico: non ab illo furiose compulso, ab effrænis cathartici violentia.

1. Aph. 22.

10. *Arg.* Plenissime fit satis, in titulo de humore incoctili, & in ratione fundamentali quintæ & sextæ conclusionis. Quare, majorem concedimus, sed negamus minorem: humores nempe multos & incoctiles aliter posse quam medicamento purganti vacuari, & ad artis principia. Nam, si illi intra venas cum sanguine innatant, non est dubium, quin cum sanguine etiam vacuentur. Et, si calidi sunt, illorum extractione per accidens attemperatur calor: si multi, per se vacuatur multitudo, & semper operatur ad legem principii communis, *contraria contrariis*. Et, si attemperandi prævalet indicatio, frigida potione consequitur: si solius malignitatis, alexipharmacis: si acrimonia, majorem attentionem petit, frigida & oblenienti potione obtunditur, & securius sæpius hirudinibus & scarificatis cucurbitulis derivatur. Hoc enim nostris hominibus & nostræ regioni experimur securius. Et quando nulla alia ratio nos à fatali minorantium usu deterreret, sat esset eventus infelicitas. Est enim nostra Regio calidissima, calidis & humidis scatent excrementis Viri nostri, & putredini paratissimo sanguine: quo facillime quovis medicamento, (quantumvis benigno) in principio, & febrilis calor, & recens putredo, adaugetur. quo simplex tertiana in continuam vertitur, malignitas diffunditur, delassatur natura, ac novam putredinem concipiunt inculpati humores, graviora pullulant accidentia, ac tandem febris malignior & deterior redditur. Ac ideo communi quodam consensu, (nemine suadente) est apud nostros receptum, naturam non turbare, dum incumbit humorum coctioni, & ad indicationum prævalentiam auxiliis pugnare prout petit necessitas: motus enim naturæ determinatus est ad unum, & ordine præscripto operatur, ut auctor est Galenus 3. de Crisibus 10. & interturbata & irritata facile violentiæ cedit. quo nec noxium humorem pellit, neque coctioni auxiliatur motibus contrariis distracta. Ideo forte rarissimæ crises hodie observantur. Et hæc certe contraindicantia in nostra regione sunt semper potioris urgentiæ, quam supernatantis succi postulatio. In quorum confirmationem consulite Galenum & Hippocratem. 4. Aph. 22. 1. Aph. 22. 3. de Crisib. 10. 2. de Diebus Decret. 8. & 4. de Præsag. ex pulsibus ultimo.

CAPUT V.

Tralliani locus ex Lib. 12. cap. 2. expenditur.

Et hæc certe Trallianus considerans, febrem ex puro supernatante succo sanguinis missione, non purgatione in principio curandam æstimavit. Hæc sunt hujus capitis verba. *Itaque febres ex putredine, & sanguinis abundantia ortæ, venæ sectione curari debent. Non tamen minus etiam his sanguinem detrahes, qui à bile infestantur, si quidem furens ad purgationem idonea, crassior, & copia tibi peccare videatur: nam perspiratu discutere materiam intus latentem & putrescentem conducit, quippe minor efficitur. Nec permittendum, ut ea propter copiam & crassitiem meatibus infarciatur, & putrescat.*

Trallian. Lib. 12. c. 2.

Satis propensum video Virum doctum, an ex hac sententia purgandi indicationem elicere valeret, & quando vidit, quod contra succi supernatantiam concludit, difficultate superatus fatetur, in utraque febris sorte, ex sanguine nempe aut ex bile, satius esse à sanguinis missione incipere, illa cautione adhibita, ut semper cum bile aliqua sanguinis copia præsumatur. Hoc indicationem securiorem faceret. Sed illud Trallianus non dixit, neque necessarium Galenus æstimavit, à quo ille hanc transtulit sententiam, Lib. 11. Meth. Med. cap. 15. quando dixit: *Saluberrimum autem (ut prædiximus) est in* (omnibus) *febribus venam inscindere, non in synochis modo sed in iis omnibus, quas putrescens humor concitat.* In hac & in illa sententia illud tantum invenio, auxilium sanguinis missionis his febribus competere, qua putridæ sunt; non qua ab hoc aut illo humore oriantur. Nam major aut minor quantitas sanguinis extrahendi ab alio principio deducitur, virium nempe imbecillitate, aut ex sanguinis copia, &c. Quare hoc erit semper stabile præceptum, febrem putridam, qua putrida est, sanguinis missionem indicare, quantumvis ex supernatante & recedente succo contetur. Hoc enim ab utraque sententia colligitur, tanto audacius, quanto bilis crassior & ampliore copia peccare videatur. Nam tenuis potius videtur attemperationem indicare. Et causam reddit uterq; auctor. Trallianus, quoniam extracto sanguine, quæ intus manet putredo, facilius perspirat, quo certe inhibetur: & dimissa sanguinis missione, in copia & crassitie præexistentis succi, non tantum hæc putredo augetur, sed in malignam corruptionem transit. Quod idem Galenus videtur docuisse, quando dixit: *Exonerata namque natura, reliquum facilius expellit, & concoquit, quod concoqui est habile.* est enim coctio putredini contraria. In quo etiam cum Tralliano convenit: ablata namque humoris quantitate superflua, non tantum inhibetur putredo, sed quæ naturæ à recte operando impedimento erant, auferuntur. Aliud etiam ex hac ipsa colligitur doctrina, in putridis febribus præcipuam curandi indicationem putredinem suggerere, forte ut maligna corruptio præcaveatur; (si non interim alterius accidentis emerserit iniquitas, quod ad se potiori urgentia curationem trahat) tanquam ex qua gravius & citius periculum minatur. Et hoc omnes medicinæ Patres sanguinis missioni detulerunt, & non purgationi in principio. Et ad hoc paritas in utroque auxilio observatur. Legite omnes Hippocratis, Galeni, Tralliani, Pauli, & Aetii doctrinas, & in nullo invenietur ad literam talem purgationem consuluisse, & omnes sanguinis missionem imperasse, disertis verbis: per conjecturas tantum minorando addicti, hanc crudi succi necessitatem deducere conantur. In quo ergo erit major securitas, in doctrina principiis & Veterum præceptis stabilita, an in ea, quæ solis nititur conjecturis? Hoc vobis, Viri docti, judicandum relinquimus.

Gal. Lib. 11. Meth. Med. c. 15.

Nulla (fateor) est lex, neque Patrum sententia ita severo & maturo judicio prolata, quæ interpretationes non ferat varias & diversas, & hoc certe maximam confusionem scientiis induxit: sed si simplici veritati attendimus, citra omnem invidiam, & æmulationem, licet variæ proferantur sententiæ, non quæ acutior, sed quæ verior, licet sine ornatu, ut altioris pretii debemus æstimare. Hoc interdum humana fragilitas non patitur. Nam alii in verba parentum juravere, absque ullo veritatis examine: & ii audita pro compertis habent, & veritatem numero opinionum metiuntur. Alii subtilitate & ornatu seducti, non veriora, sed fucato colore exornata quæsierunt. Alii ita tenaciter propriæ sententiæ adhærent, ac si essent omnia immutabilia præcepta, nec esset in rebus & in verbis epicheia. Nec illud est deterius malum; quippe qui aliis opinandi adimunt libertatem, ac illa tantum vera esse existimant, quæ suo vanissimo criterio metiuntur. Sit fateor in campo scientiarum opinandi libertas, sic enim crescunt & augentur scientiæ: sed in seligenda veritate, scribentis & legentis maxima cura sit.

Hic ergo sanguinis missio à putredinis causa indicatur, ut patet ex serie contextus, non tantum, qua vacuans auxilium, ex specifica indicandi ratione, sed qua indicata ab hujus singularis putredinis causa; lenta nempe, crassa, aut multa bile licet absque ullo sanguinis consortio putrescat. Ridiculum est enim, æstimare, supernatantes succos sola lædere qualitate quando ex prædicta sententia clare patet, bilem non tantum copia, sed crassitie & lentore peccare, ac inde putredini, & obstructioni causam dare, quod potiori jure melancholia faciet & pituita. Lege contextus verba; *Si quidem*, inquit, *furens ad purgationem idonea: crassior & copia tibi peccare videatur.* Hoc est, si bilis, quæ aliter furiosa esset, ad purgationem idonea, crassior fiat, & copia ideo peccare videatur, tunc satius erit à sanguinis missione incipere: quia crassa bilis impeditum perspiratum inducit, putredinem auget, & calorem febrilem. Quo in statu perspiratum discutere, & materiam intus latentem & putrescentem, conducit. Quo auxilio? Sanguinis missione dixit, & non purgatione. Quia illa prohibita ventilatio comparatur, inhibetur putredo, multitudo vacuatur, qua hæc omnia foventur. Nec in toto illo capite legi, sanguinem bilis consortio addidisse. Lege verba sequentia: *Nec permittendum*, inquit, *ut ea* (bilis) *propter copiam & crassitiem meatibus infarciatur, & putrescat.* Ne scilicet ad corruptionem levis tendat putredo. Quod forte dixit, à Galeno edoctus. 8. & 11. Meth. Med. quando præcipit: *si crassi, & lenti humores subsint, cœpisse à sanguinis missione conveniet.* Forte quod hæ indicationes ab humore

Gal. 8. & 11. Meth. Med.

more præſtantur, quantumvis ſupernatet, & à ſanguinis conſortio ſeparetur.

Neque confirmatio ex capite ſequenti, ad purgandum ante coctionem concludit. En Tralliani verba. *Vbi igitur febres ex ſanguine orientes interno-veris, ſtatim per initia venam ſecato: eos autem, qui ex bile febricitant, purgato potius, ſi materia tibi ad excretionem proclivis videatur, & febris vehemens non fuerit. Novi autem, acuta laborantem febri purgaſſe; verum hæc diligentem notionem requirunt, & medicum, qui animo fuerit confidenti. Abunde vero eſt, etiam ſanguinem dumtaxat mittere, eo quod tutius efficaciuſque ſit remedium*, &c. Demito tutiorem ſecuritatem, adhuc illa verba, *purgato potius, ſi materia ad excretionem proclivis videatur*, ad minorandum non concludunt. Nam hic etiam incipientem coctionem præſupponit. Mos enim Tralliano fuit, coctionem non ex ſola urina ſpectare. Memini enim in nothæ tertianæ curatione me in illo legiſſe: *Principium coctionis tibi erit indicium, ſi humores jam fluere incipiunt, ad ventrem, ad juncturas*, &c.

Trallian.

Neque locus Hippocratis facit ad minorandum, 6. Epid. Sect. 4. 44. *Impedimentum in cruenta ſpuentibus morbus lateralis, tempus anni, & bilis.* Nam hic Hippocrates non dixit, bilem ſanguinis miſſioni obſtare, ſed optoicæ paſſionis curationi impedimento eſſe. Quoniam quando illa glutinantibus & reſerata orificia comprimentibus curari optat, bilis calore ſuo vias dilatat, laxat, & ad majorem ruptionem diſponit, ſanguinemque reddit acriorem, tenuando. Ex quo major eroſio & ruptio timetur: licet illa ſui ablationem petat ex alio principio, hoc aut illo auxilio. Et hæc eſt mens Galeni in illius ſententiæ Commentario.

Hipp. 6. Epid. Sect. 4. 44.

SECTIO II.

De Supernatantia ſpecifica.

CAPUT I.

An ſpecies ſit cauſa neceſſaria ad ſanguinem mittendum.

In calida ſupernatantia ſpeciali ſumme neceſſarium judicat Vir iſte, certe peritus, vel attemperare, vel purgare à principio, veluti in cauſone, ex bile præuſta & ſincera. *In hac ergo conſtanter aſſerimus*, inquit, *non eſſe mittendum ſanguinem, in pura & rigoroſa cacochymia, in qua ſola bilis omnino ſeparata putreſcat; ſanguine non peccante in quantitate aut qualitate: ſola enim attemperatione aut purgatione curatur. Ideo enim Avicenna dixit, & cave, ne ad unum duorum perducas, vel ad colericorum ebullitionem, vel ad frigidorum cruditatem*, &c.

Avicenna.

O vir docte, nunquam in hac febre ſanguinem mittere præcepiſti? Purgare ſemper conſuluiſti? Nunquam, ſub tam magno fervore, ſanguinis tibi ſeſe obtulit vitium? Nullum nos adhuc vidimus hujus aut illius opinionis, qui in cauſone ſanguinis miſſionem excuſet, ſaltem moderatiori quantitate: ſemper enim apparent neſcio quæ indicia ſanguinis aut cum bile permixti, aut illius conſortio vitiati, quæ ad mittendum ſanguinem indicationes adimpleant: licet re vera nulla ſint. Et hoc præcipue accidere videmus mi-

A norandi opinioni addictis, ut notam ſuæ opionis excuſent.

Sed veniamus ad indicationes. Illa ſolius bilis ſupernatantis multitudo, vel putredine, vel uſtione peccat, ſeu cujuſcunque alterius cacochymiæ. (ſit ex ſuppoſitione ad vires.) Hæc ſui ablationem poſtulat, ex illo communi principio: *morbos ex repletione curat inanitio*: & ex alio: *natura pellit noxium naturali inſtinctu*: ac tandem ex illo communiſſimo: *contraria contrariis medentur.* Hoc autem conſequitur vacuanti auxilio per ſe, aut ex

B eventu. Nec dubites, illam bilis quantitatem, quæ in cauſone putreſcit, multitudinis nomen mereri. hoc enim clare ex Galeno colligitur, Lib. de Sanguinis miſſione. c. 16. Per ſe vacuant, & ſanguinis miſſio, & purgatio, balneum, frictio, & inedia ex eventu. Tu dicis, non convenire ſanguinis miſſionem in hoc caſu; vacua ergo cathartico purganti. Nam balneum, frictio, & inedia tardiora ſunt quam poſtulat urgentia. Dices fortaſſe, non licet in caumatis fervore expurgare, quoniam eſt contra aliud Galeni præceptum, in

C libro de Medicament. purgantibus, & 1. Aph. 24. Nam carnes calidæ medicamentum abſorbent, aut medicamentum in humorem mutatur, quem debebat attrahere, ſi fruſtratur purgatio. Lib. 3. de Simpl. Med. Facult. cap. 23.

Attempera ergo, ut fiat per contraria curatio: non ſuppetit enim aliud hujus febris auxilium. Aquam frigidam, in cauſone ex ſanguine, Galenus propinare mandavit. Lege conditiones, Lib. 9. Meth. Med. c. 5. & non poteris univerſale præceptum conſtituere, quo hæc febris curetur.

D Nam aliis eſt obſtructio; aliis inflammatio; aliis debilitas & languor, in ventriculo, & omnibus cruditas. quæ frigidæ potioni impedimento ſunt, in Galeni ſententia, & ſecundum artis præcepta, attemperatio, in regulari curatione, cauſæ vacuationem præſupponit. Nec ſemper illa multitudo cedit attemperantibus.

Dein conſidera, an potior urgentia ſit ex parte multitudinis, an ex parte qualitatis intenſe. Quod venaberis, ſi accidentia, quæ hanc aut illam ſequuntur, citius & brevius periculum minantur.

E Nam, ſi prævalet multitudinis urgentia, petit auxilium, quod per ſe vacuet, & ex eventu temperet. Si vero qualitatis, è contra, quod temperet per ſe, & ex eventu vacuet. Et hic eſt diorismus illius Gal. ſententiæ, Lib. 9. Meth. citato, & Avicennæ fen. 4. 1. cap. 20. & 10. Meth. Med. c. 6. Quare, ſi multitudinis prævalent accidentia, uti debes vacuanti auxilio, ut Galenus conſuluit. 13. Meth. Med. c. 8.

Sed dices, ſi potu frigidæ attemperatur humor, duo ſequuntur commoda. Nam febris &

F cauſa ceſſat, venter ſolvitur, & prolicitur ſudor. quo cauſa vacuatur, & qualitas medetur. Fateor, quod potus ille frigidus, eſt per ſe auxilium attemperans, vacuans ex eventu, à cauſa & febre indicatum. Sed illa commoda non ſemper ſequuntur, ob rationes à Galeno adductas. Et ſi forte, quod fere ſemper accidit, nec ulla ſequatur vacuatio, nec ad mediocritatem febris attemperetur calor, quid inde conſilis faciendum? Id tibi antequam reſpondeas adverto, quod calor præter naturam, plus diſſipat ſeptem diebus, quam naturalis ſeptuaginta annis.

Et

Et si adhuc instabis, attempera iterum atque iterum, & si attemperationi multitudo & qualitas non cedit, leni medicamento purga. ô idealis certe contemplatio, non ita facile in praxi exercenda, ut imperatur facile! Facile dicimus, cautius operamur. Doctissimus Valesius, hujus opinionis acerrimus assertor, illud medicamentum propinare non audet, in hoc casu, ob contraindicantia, quæ antea ex Galeno notavimus, in sua selectissima Methodo.

Mille causonis exempla legimus in Hippocrate toto libro de Morbis & de Epidemiarum, & libro Acutorum. Alia in Galeno & veterum plerisque. & nullus est ausus purgare in principio: nisi humoribus coctis aut temperatis. Lege in 2. de Morbis cap. 8. ubi de causone est sermo. *Huic*, inquit, *medicamentum ne dederis, sed moli infuso per clysterem subdito.* Et text. 83. *Ubi sedata fuerit febris, pharmacum deorsum purgans bibat.* Aetius clysteri attemperante utitur. Cocta purgat Serapio. Haliabas attemperare consulit. Constantinus Africanus: *Si materia indiget leniendo purgetur: sin minus, caveat quanto plus valeat, ne in augmento fiat.* Et si forte aliquem purgaverit Hippocrates, legite eventum infelicem, quem ipse ingenue fatetur.

Hipp. 2. de Morb. c 8.

Constant. Africanus.

Fateor, quod Hippocrates dixerit in Libro de Natura humana, *quod morbos ex repletione curat evacuatio. Auxiliis*, commentatur Galenus, *quæ facultatibus contraria sint.* Fateor etiam, contrarias facultates sortiri & sanguinis missio & purgantis medicamenti exhibitio. Nam utrumque & per se vacuat, & ex eventu temperat, diruit & revellit, & perspiratum humoribus inducit. In hoc tamen maxima hujus & illius differentia consistit, quod in sanguinis missione, non talia contraindicantia observantur, qualia in purgatione, tempore cruditatis. Nam quod maximum de sanguinis missione adnotavit Avicenna, est: *Et cave, ne ad colericorum ebullitionem deducatur, detracto laudabilis sanguinis fræno.* Quod nec semper, nec utplurimum accidit. quin imo & interdum & ex eventu temperat, detractis bullientibus succis, cum sanguine intra venas permixtis; & cum purganti medicamento pugnant pravi & laudabiles succi: illi, quia bonis permixti, & nondum sequestrati: isti, quia arctius à natura retinentur, ut alibiles. Pugnat etiam transitus præpeditus, humoribus exitu denegato, nec lubricis nec de obstructis viis. quod Hippocrates necessarium duxit ad purgandum feliciter; maxime, si malignitas viget, & putredo, fervens & ebulliens calor: quoniam illa medicamenti agitatio, & illam diffundit & cætera intendit. Hæc & alia plurima medicamenti actioni impedimento sunt: & accidentia, quæ ab his concitantur, longe lethalia & graviora sunt, quam quæ solent à sanguinis missione concitari. Nec nos domini medicamenti sumus: est enim illud in fortunæ arbitrio, & in ægroti sorte conditionibus; quas nulla assequitur prudentia. Et sanguinis missio, si vires non deficiunt, suum munus minori perturbatione & majori securitate perficit: quia non illi sanguinis missioni tam magna reluctantur. Ideo forte Valesius, Vir certe doctus, in ancipiti anceps, hæc omnia secum mente revolvens, tales conditiones ad minorandum prærequirit, ut vix illas in ægroto singulari invenies (maximum difficultatis argumentum.) Et concludit, *sed si illæ deterrent, omnino sanguinem mittendo periclitabor.* ô artifex, id tibi semper consulo, ut magna singulari judicio perpendas! Non enim tibi maxime interest, quam multa præcepta teneas; sed quam ad manum & operandum apta.

Hipp. Lib. de Natura humana.

Avicenna.

Inde etiam purgandi necessitatem arguit Doctor Ponce, quod biliosi humores, eo quod supernatent, ita separati & secreti à sanguinis consortio redduntur; ut illi, qui in culpa non sunt, sanguinis missione vacuentur, & bilis intus maneat: quia refugit à sanguinis consortio, ea sola ratione, quod supernatet. Et è contra purgans medicamentum trahit bilem, & separatum succum, ubicunque delitescat, &c.

Licet huic argumento sit plane satisfactum superius; altius rem expendere libuit. Aut enim bilis, quæ supernatat, refugit sanguinis consortium, ad alias cavitates extra venas translata: aut dum superfluit, cum sanguine innatat. Si primum, affectus, quem producet, suggeret necessario curandi indicationes: inflammatio nempe, vomitus, aut cardiaca. & sic à sola bile non potest desumi purgandi indicatio. Si natat intra venas cum sanguine, (sit in eadem hypothesi in causone) aut urget graviori periculo, intensa qualitate, aut graviora quantitate concitat accidentia. si primum, æquali & contraria temperie mederi indicat: si secundum, securius sanguinis missione vacuandi indicatio adimpletur, ut dicebamus antea. Sed vir iste in satis dubia suppositione suæ opinionis locavit arma. Judicat enim, quod bilis, eo quod supernatet, non tantum refugiat à sanguinis consortio, intra venas, sed eo ipso ad alias cavitates propellatur: & bilis, quæ taliter naturam irritat, eo ipso indicet medicamento purganti vacuari, antequam in membrum princeps ruat.

Non dubito, quin bilis supernatans ad alias cavitates interdum propellatur. Sed absurda res est, existimare, semper ita contingere. Et in hoc tota vis illius argumenti consistit, quod si probatur, illius erit absoluta solutio. Lege ergo Galenum Lib. 3. de Loc. Aff. c. 7. de Sanguinis missione in morbis melancholicis. *Si sanguis, qui extrahitur, laudabilis & purus sit*, inquit, *sistere venam decet: si vero ater & niger, permitte fluere, ut qui in culpa est vacuetur. Et in pleuritide usque ad pro puro & rubro, lividus & corruptus appareat.* Ergo humor, eo quod supernatet, non ideo extra venas propellitur, sed intra venas cum sanguine innatat. Ex quo etiam alia elicitur conclusio. Ergo etiam supernatans sanguinis missione vacuatur, quantumvis distet & refugiat à sanguinis consortio. Nam tales humores, prout in venis cumulantur aut putrescunt, sic secta vena fluunt, & non electione vacuantur. Quod si accidat, cessat medicamenti purgantis necessitas: hæc enim ideo persistebat, quod non possint supernatantes succi sanguinis missione vacuari. Et in morbis biliosis quis non vidit sanguinis missione extrahi majorem bilis, aut serosi humoris, copiam? Et in aurigine, in bilem supernatantem versam, omnem sanguinis copiam?

Galen. Lib. 3. de Loc. Aff. c. 7.

Nec est ista Fernelii inventio, ut hic auctor existimat; sed Galeni, 2. Aph. 17. Lege definitionem

tionem sanguinis missionis. *Sanguinis missio, est omnium humorum vacuatio ex æquo.* Attende ad illam dictionem, *omnium*, & *ex æquo.* Ergo omnes æqualiter vacuantur secta vena, in ea quæ redundant, proportione. In hoc enim differt à purgationis definitione, si credimus Galeno, in hujus Commentario. *Quod autem*, inquit, *evacuationem simpliciter Hippocrates dicere consueverit, quando omnes humores æqualiter vacuantur, purgationem autem, quando*, (soli) *prava affecti qualitate &c. Evacuatio autem omnium humorum æqualiter fit per venæ sectionem. Proxima huic & quæ per malleolorum scarificationem, ut nos facere consuevimus, & quæ per exercitia* &c.

Gal. Comment. in Hippoc. 2 Aph. 17.

2 Aph. 17.

Sic Vir iste doctus interpretatur Hippocratis sententiam, tunc solum humores fluere, prout sunt in venis, quando sanguinis massa æqualiter putrescit: at vero, cum unus tantum humor, is à scissura refugit, & de utili sanguine vacuatur, non de illo quando solus putrescit, velut in tertianis exquisitis, ubi bilis supernatans refugit à sanguinis consortio, & fluit ad ventriculum, aut ad aliam corporis cavitatem, qua occasione efferata graviora inducit mala.

Attente legi Galeni Commentarium, nec ex illo talis interpretatio colligitur; nec ex aliqua ratione probabili. Nam ibi comparat vacuationem, quæ per sanguinis missionem celebratur, cum illa, quæ purganti medicamento editur. Neque dicit, quod unus aut alter humor refugit supernatans, neque, cum vena scinditur, subterfugit; imo antea contrarium nos ex Galeno vidimus, 3. de Locis 7. Sed absque aliqua limitatione, omnes, quos legi, interpretantur illam Hippocratis sententiam, & quod aliquando ad ventriculum, aut ad aliam cavitatem sinceri humores à natura irritata pellantur. non concludit, quod vir doctus intendit. Non enim sunt semper motus inordinati imitandi, nec sola irritatio concludit ad purgandum. Nam sanguis etiam tenuis & spirituosus à venis ad alias cavitates propellitur. Nec ideo contra venæ sectionem concluditur. Nec ideo etiam ad purgandum: neque quando bilis in erysipelatis etiam causam cedit.

Et dato, quod sinceri humoris irritatio ita naturam urgeat, ex hypothesi, jam Galenus nos docuit indicationes taliter irritantis humoris, 1 ad Glauc. 9. & 11. & ex præceptis communibus edisc**u**ntur. Nam, si ad cavitates communes propellatur, quo natura vergit per loca conferentia, eo ducere oportet, ut Galenus consuluit, vomitu, aut etiam eluente clystere. Quid multum? nec adhuc in hoc casu sanguinis missionem prohibuit. Nam ventriculo roborato, & frænata irritatione sanguinem mitti consulit.

Nec si forte contingat, ut sincerus humor à sanguinis missione reddatur furiosus, id est sanguinis missioni tribuendum, (detracto nempe fræno) sed quando in majori copia detrahitur quam par sit; seu quando medentis imperitia sanguinem vacuare contendit, in affectu, cujus indicatio potiori urgentia attemperationem postulabat. Quod certe ex Phænicis & Alicarnassensis historia colligitur, qui in capitis dolore à sanguinis missione incidit in phrenitidem, fræno bilis detracto. Nec mihi miri erit in hoc casu, si ex simplici tertiana continua reddatur. Nam altiori judicio nos oportet attendere ad indicationum prævalentiam, ne nos seducat vacuandi libido. Quare, quando graviora pericula prænoveris, ex humore adhuc supernatante, ex cujus copia non speres posse à natura superari, consultissimum erit, partem illius sanguinis missione vacuare, ac postea attemperationi incumbere: raro enim supernatantis succi perennis generatio cedit attemperantibus.

Et si dicas, puram & rigorosam cacochymiam non nocere multitudine, sed imitatione qualitatis urgentis, cujus occasione supernatat, & hanc esse purgationis objectum non sanguinis missionis, ut antea in definitione purgationis legimus. Hæc etiam instantia Logica demonstratione solvitur. Omne medicamentum purgans ab irritatione indicatur. Ergo omnis irritatio petit medicamentum purgans: non convertitur: quoniam sunt irritationes, quæ non indicant purgans medicamentum. Nam ad hoc irritatio debet esse in humore, cum quo medicamentum habeat analogiam: (ideo sanguinis irritatio purgando non conducit) aut in illo, qui tractionis est capax (ideo enim Hippocrates purgare cocta consulit) & in quo non sit aliud fortius contraindicans; velut in illo, qui potiori urgentia petit attemperari. Non omnes aliæ irritationes, licet in communi principio irritandi conveniant, in aliis tamen dissentiunt. Ac ideo irritatio, non qua talis, purgans medicamentum indicat, sed qua aptum instrumentum illius actionis & debitum operandi objectum. Ideo non concludit, humor, qua supernatat, irritatione & qualitate peccat, & non copia: Ergo est necessario expurgandus, & sanguinis missioni impedimento est. Nam potest talis irritatio adesse in humore, in quo contraindicandi rationes prævaleant, ut in atrabiliario.

CAPUT II.

Illud magis mihi subit mirari, dato, quod Vir iste existimet, in febre ardente, ex puro supernatante succo, non esse mittendũ sanguinem: illud etiam sub eadem consideratione pronuntiet de magnis inflammationibus & clamosis doloribus, & in confirmationem adducat 1 Aph. 23. Nam solum, inquit, Hippocrates & Galenus imperant sanguinem mittere, ubi adest species causæ, sanguinis nempe miscella. Ideo enim dixit Galenus vacuandum ad animi deliquium, facta consideratione, an effundere sanguinem an purgare conveniat: illud, ubi petit species causæ: hoc vero, ubi supernatans humor dominatur. Ideo enim in juvene synocho laborante, sanguinem ad deliquium misit, & parcius in alio, quia incipiebat cacochymia apparere, &c.

Esto, quod magna inflammatio, & clamosus dolor, à pura bile aut usta melancholia producatur, seu ab alio supernatante succo, quid agendum? Nos purgamus, inquit. Invitus certe feror ut credam, quod illud unquam fecit, nec adhuc consuluit Vir doctus. Illud certius scimus, hoc nunquam Hippocratem neque Galenum consuluisse, quando prudentissimus Senex solam commotionem acerrimi, & supernatantia perniciosi succi, esse prorsus lethalem superius per vomitum,

tum, inferius per secessum, existimavit, 4 Aph. 22. non tantum quia pravam & lapsam hepatis arguit intemperiem, sed quia interdum adhuc purgandi indicationi impedimento est, & indicat contrarium, quando nempe ex nimia humoris feritate & acrimonia, ex humore ad intestina concitato, timor est, ne lethalis concitetur dysenteria: ut nos etiam vidimus concitatam in maligna & exurente febre.

Videamus nunc, an ex Hippocrate & Galeno talis interpretatio colligi possit. Hippocrates 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 22. sic de inflammatione. *Quicunque autem ea quæ inflammantur, statim morborum inter initia medicamento solvere conantur, ii non solum ab intensa inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat obsequaturque quæ adhuc cruda est affectio: verum quoque & quæ morbo adversa & sana sunt, absumunt, colliquantque &c.* In hujus Comm. Galenus: *Recte autem* (Hippocrates) *ad sanguinis missionem propius deveniendum præcipit, ubi vitiosi aliqui humores in partem aliquam confluant, atque in ea acerventur.* Licet aliqui volunt, *ad sanguinis missionem à medicamento veniendum. Verum in tota dictione prius ad sanguinis missionem veniendum, deinde ad medicamentum, præcipitur; non autem è contrario ut ii scribunt.* Duo ex hoc Galeni Commentario ut attendatis oro: illam nempe dictionem, *vitiosi humores.* Mos est enim Galeno, vitiosos à sanguine recedentes nominare, seu vitio putredinis, seu intensæ qualitatis recessu. Secundo, illius mentem fuisse prius ad sanguinis missionem veniendum. Idem clare colligitur ex alia Præceptoris sententia, 2 de Vict. Rat. in Morb. Acut. 11. In descendenti pleuritide; ubi purgationi sanguinis missionem præferendam existimat. Etiam in 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 19. *In acutis morbis sanguinem detrahes, inquit, si vehemens morbus videatur.* Indicatione sumpta ab affectus urgentia. Et si ad Galeni Commentarium attendimus, vereor ne quis Virum certe doctum de Secta Menodoti existimet. Hæc sunt Galeni verba: *Sanguinem etenim primum detrahes, si magnus tibi videatur morbus,* (ut servetur æqualitas in auxilio. 2. Si ætas vigeat. 3. Si vires id non renuunt.) *Cæterum, cum omnia hæc recte dicta sint, quosdam tamen non recte usos fuisse est putandum. Quo è numero est Menodotus Empyricus in sola plethorica appellata syndrome sanguinis missionem observari asseverans. Nos autem & ea non existente, venam secamus, cum dolor vehemens hominem statim prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulsum sit, vel alius quispiam articulus contractus reductusque sit. Neque etiam in plethorica facta syndrome sanguinem semper mittimus,* &c. Et hoc certe compulit Ludovicum Mercatum, super omnes minorando addictum, (aliàs doctus sane) ut in colico dolore, ex vitrea pituita, (nec est alius humor qui ita supernatet) sumpta indicatione ab affectus urgentia, sanguinem mitti, non purgare, consulat: quia affectus urgentia, causæ indicationem obumbrat. Quod, ut majus præcaveatur malum, fieri debet. Ergo licet non adsit species causæ, sanguinis tamen missio à solo urgenti affectu indicatur, dummodo adsit multitudinis oppositio imminens, aut præsentia; licet sit ex illis, qui supernatant, succis.

Hipocrat. 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 22.

Gal. Comm. in Hipp. 4. Vict. Rat. in Morb. Acut. 22.

Hippoc. 4. de Vict. Rat. in Morb. Acut. 19.

Gal. Comm. in Hipp. 4. de Vict Rad. in Morb. Acut. 19.

Fallibilis est etiam interpretatio, quam ex Galeno affert, ad 1 Aph. 23. ubi nempe deficit species causæ, purgandum, adhuc ad animi deliquium, in vehementissimis inflammationibus, clamosisque doloribus. Nam illa clausula, *aut purgare ad animi defectionem*, à plerisque inserta judicatur, ideoque expungenda. Nullibi enim ex propria sententia Galenus purgatione vacuare usque ad animi deliquium mandavit. Illud enim non constat ex libro de purgandi ratione, quem nos attente legimus. Nec illa verba in veteri translatione leguntur, nec apud Oribasium, 7 Collect. 3. de hoc ipso argumento. Lege per otium librum de sanguinis missione, nec ibi illa clausula invenitur. Ideo forte Leonicenus, diligentissimus interpres, illam clausulam annotat expungendam; ut advertit in margine. Imo Galenus adversus Erasistratum Cap. 7. eo timuit cathartici purgantis periculum, quod sisti ad libitum non possit: è contra in sanguine mittendo, quod digito apposito sistatur. Non est ergo credibile, illud Galenum unquam consuluisse.

In juvenibus etiam synocho laborantibus à Galeni judicio dissentit. In primo enim sanguinem misit ad animi deliquium, à multitudine copia indicata. Idque fecit ob illius urgentiam, librato cum viribus auxilio. Non possunt enim vires deficere in tam magna sanguinis ubertate: unde non tantum servata est æqualitas in auxilio; sed & in celeritate succurrendi. In alio autem mittit sanguinem parcius: quia ex putredine gravius in qualitate cernebatur peccatum, & in sanguinis vitio potius quam in copia. Qua certe cacochymia (nam à quarta die in sanguinea febre ex putredine pars tenuis degenerat in bilem; crassa in melancholiam) vires non adeo persistere planum erat. Qua contraindicantia partiri evacuationem consultissimum erat. Sed adverte, quod non, eo quod supernatantia jam inciperet, consuluit purgare, quando tutius duxit parcius mitti sanguinem.

Et ad Avicennæ confirmationem; *& cave ne ægrum perducas* &c. Respondeo: sanguinis missionem humores ad illud extremum non perducere, nisi quando attemperandi prævalet indicatio, locoque attemperationis importuna vacuatio imperatur: quoniam tunc fræno sanguinis detracto, in furias agitur bilis. Cujus solutionis fundamentalis ratio deducitur ex communi principio, *contraria contrariis medentur.*

Ex quo etiam principio hæc catholica deducitur conclusio: ubi prævalet multitudo bilis supernatantis, quantumvis separatæ à sanguinis consortio, ex vi supernatantiæ, non renuit sanguinis missione vacuari. Nec ideo petit purganti cathartico educi, nisi certa, aut attemperata. Si vero in ea prævalet qualitatis intensio, tunc est attemperandum potius, quam vacuandum. Quod in Andreæ historia practicatum invenies, 7 Epid. 37. Nam multitudinis contrarium est vacuatio; qualitatis autem, attemperatio.

De putrida supernatantia in termino ad quem, bene memini, quod Galenus dixerit, vacuandam per ventrem, per urinam, per sudorem. Sed ante coctionem, non dixit. Mos enim est Gal. rationalia præcepta præsupponere. Nam tales succi, sub naturæ magisterio vacuantur mitescentes: & antequam mitescant, etiam per venas, sanguinis

nis missione. Utrumque clare patet &c. Galeni sententia Lib. 9. Meth. Med. c. 10. *Ergo quod corruptum est*, inquit, *id alienum à natura est. Quod tale est, id se auferendum dictat. Si igitur cum viribus imbecillis corruptela incidit, utique quod affectus remedium est id cum virtute custodia pugnat. Si quidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione.* Ergo, quod corruptum est, non ista purgatione educere Galenus imperavit, tanquam non esset possibile illud etiam sanguinis missione educere. Et, si valent exempla, & testimonia fidelissima, dicam, quod ipse vidi. Doctor Ludovicus Peres Ramires, & Hieronymus Munos, nobiscum convenerunt, in consultatione malignæ & exurentis febris, in R^mo patre Generali, Ordinis Deiparæ Virginis de mercede; & omnes convenimus de sanguine mittendo. Et extractus, in utroque vase, tota sanguinis massa tali corruptione defœdata comparuit, ut omnes fibræ penitus essent corruptæ, & sanguinis universa compago. Unde omnibus visum, actum esse de homine, deploratamque salutem. Nullum enim sub tali sanguinis corruptione vidimus liberatum; excepto in leviori morbo, & causa procatartica. Non ergo absolute repugnat, supernatantem succum, & corruptum in termino ad quem, omnino cum sanguine misceri, si cum illo vena scissa extrahitur, aut prolicitur. Nec ideo à sanguinis consortio separatur. Quod erat potissimum hujus Viri Docti argumentum, ad purgationem inducendam; tanquam non esset possibile illum vena secta extrahere.

Galen. Lib. 9. Meth. Med. c. 10.

CAPUT III.

Locus Galeni expenditur, Lib. 9. Meth. Med. cap. 11. de sanguinis vitio.

Hæc eadem doctrina in sanguinis vitio confirmatur, à quocunque principio contrahatur; seu putredinis vicinitate; seu consortio supernatantis succi; seu intemperie ex alio principio contracta; aut tandem malignitatis, seu contagiosæ & venenosæ qualitatis affectione. Nam dato, quod indicationes, ex parte multitudinis supernatantis succi, in venis cumulati, & ex producti affectus urgentia deficerent, in febre, ex succorum putredine, solum sanguinis vitium sat esset ad sanguinem mittendum. Suppone ardentem febrem, aut simpliciter putridam, seu inflammationem ex sincero & impermixto succo longe à sanguine distante; & quod in illo fervor, putredo, aut malignitas contrahatur. Suppone etiam, quod intra venas cum sanguine feratur, aut ex illis jam intemperatus, ad partem inflammatam deferatur, attractus aut expulsus: nonne illius vicinitate & consortio, sanguis purus aliquod vitium concipiet? Nemo sane adhuc moderati judicii hoc inficiabitur.

Hoc ergo supposito, attende, quod ob tres causas Galenus sanguinem mitti consulit: ob sanguinis nempe vitium: ob exuperantem quantitatem: seu ob illius motum. Has tres causas comprehendit in Lib. 9. Meth. Med. c. 11. per hæc verba: *Etiam (memineris) quorum causa venæ sectio petitur. Nam quando hæc vacuandi causa adhibetur, sanguis autem inutilis naturæ est: utique probe hanc administrari conveniet sic, ut quod inutile naturæ sit, emittat. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad unguem non servat, nec amplius nutrire sicut prius, cum utilis esset, potest: vel ita multitudine crevit, ut aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel findat, vel obstruat. Ac in his quidem missio sanguinis utilis est, ceu vacuantium præsidiorum una: in aliis, ceu quod humorum vehementiorum impetum ad diversam partem revocet, vel ad latera derivet*, &c. Satis patet, quid per sanguinis vitium intelligat Galenus. Nam per vitium qualitatis intelligit, quod per primas, secundas, aut tertias contrahitur, intensas aut malignas. Per quantitatis vitium, non solam multitudinem, qua distendit aut opprimit venas aut facultates; sed qua cum periculo movetur ad principem partem, vel non talem: sed tunc vere dicitur inutilis secundum qualitatem, cum amplius nutrire non valet. De hoc varia extant in Hippocrate & Galeno exempla, quæ tu leges per otium. Lib. de Sang. Miss. 8. 9. 12. & 19. & Lib. 9. Meth. Med. c. 5. 4. Acut. 19. 23. 24. 25. & 26. Et, quod magis est, in frigidis affectibus ob solam multitudinis indicationem; ut Galenus nos docuit, libro de Venæ sect. Adversus Erasistratum cap. 5. In qualitatis vitio, multitudinis oppositionem non requirit, quia sat esse existimat in contemperationem qualitatis, quæ sanguinis missione, ut auxilio contrario corrigitur, ex eventu, ut per se multitudo, qua vacuat, aut derivat. Quod etiam ex Galeno clarissime colligitur, 6 Epid. Sect. 1. text. 2. quando dixit: *Sanguis aut simplici qualitate alteratur, aut alterius humoris mixtione præter naturam redditur; si non minori quantitate misceatur quam possit nativam temperiem conservare.*

Galenus Lib. 9. Meth. Med. c. 11.

Galen. 6 Epid. Sect. 1. text. 2.

Hoc etiam colligitur ex casu, in quo loquitur, in textu præcitato. In illo enim agit de febre continente, ex cutis constipatione producta: supponit quippe, calidis suppressis fuliginibus, propriã temperiem non servare sanguinem, ab illis alteratum; sive putredine, à primo ad ultimum corruptionis gradum, sive intensione qualitatum. Unde etiam fit inutilis, ut amplius nutrire non valeat: ut in consortio alterius quoque supernatantis succi fieri Galenus adnotavit. Si ergo in causone, in tertiana, aut in maligna febre, phrenitide, aut Lateris dolore, ex puro supernatante succo, sanguis quavis ex istis causis alteratur, non renuit in Galeni doctrina sanguinis missione vacuari, licet affectus primo & per se ab illo nempe sanguine non incipiat. Non est enim dabilis casus, in quo sanguis ab iis affectibus non possit alterari. Quare ex hac doctrina evidenter colligitur, morbum magnum, qui sua intrinseca ratione magnum indicat auxilium, si cum aliquo (ex prædictis) sanguinis vitio copuletur, licet nulla adsit species causæ, nempe prædominantis sanguinis, ex se non renuere sanguinis missione curari.

Illud tamen considera, sub hac distinctione; quod etiam ex Galeno colligitur; ut, quando vacuare intendimus, non tantum sit species causæ oportet, sed si adsit in majori copia, vacuetur: quoniam tunc est ex auxiliis vacuantibus unum: si vero fluentem humorem, tantum revellere, aut per proxima derivare intendimus, seu vitium in sanguine aut aliis humoribus contractum attem-

perare: tunc ſicut ſpeciem cauſæ non requirit, ſic etiam nec in tam magna copia vacuari: quia non adhibetur ut vacuans auxilium; ſed ob alios fines, ſub quibus in minori copia æqualitas ſervatur. Ideo in febre ſanguinis, ad animi deliquium mitti conſulit, Lib. 9. Meth. Med. c. 5. parcius in ardentibus, & in illis, ubi putredo aut aliud initium prævaluit. Sed illud mihi ſubit mirari, quare æquali poſuit parallelo aquæ frigidæ potum? Nos enim remur, non tantū hoc dixiſſe, qui attemperando alta frigiditate, eſt æquale auxiliū cum ſanguinis miſſione; ſed ut per hoc cauſę ſpeciem diſtingueret, quando nempe in illa attemperandi prævalet indicatio potiori urgentia. Nam ſicut ſanguinis miſſio eſt illi plenitudini contrarium auxilium; ſic frigidę potus neceſſitati attemperationis in caloris exceſſu. Et in hoc pro ſua cujuſque vice eſt æqualitas. Si dicas, frigidæ potum non tantum eſſe auxilium æquale, quà temperat per ſe, ſed etiam quà alias movet excretiones ex eventu: ſic pariter nos dicimus, ſanguinis miſſionem eſſe etiam auxilium æquale, non tantum qua vacuans per ſe, ſed etiam qua ex eventu, temperat, & vitia coercet, derivat, & revellit.

Ad ſanguinis vitium iterum revertamur, quod ad extra producitur. Galenus Lib. de inæquali Intemp. cap. 5. ſanguinem dixit propriam qualitatem non ſervare, ſeu per qualitatis exceſſum, ſeu putredine. Quod hoc non renuat ſanguinis miſſione vacuari, antea vidimus. Quod illam petat fluentem ſuccum, quantumvis ſupernatet, ſi ruit cum periculo, Galeni etiam eſt expreſſa ſententia, 5 Meth. Med. c. 14. in capitis acri & corrodenti deſtillatione. Nec enim poteſt humor ſupernatare amplius, nec etiam à ſanguine temperato diſtare. Et in hoc caſu non timuit Galenus plus de utili ſucco quam de pravo & infecto vacuare. Nec ideo incontemperatum purgare imperavit, licet in illo potior prævaleret irritatio, & in omni febris ſorte ſanguinis prætulit miſſionem. Legite in 11 Meth. Med. cap. 4. 10. & 14. Sed in 15. univerſalem illam pronuntiat ſententiam, in omni febre putrida; in ſanguinea, quod ſpecies cauſæ illud indicat; in cæteris, quod ſanguinis initium & aliorum ſuccorum ſat eſſe exiſtimet. Et 7 Meth. Med. 4. in obſtructione lenti & craſſi ſucci. Non quod obſtructio ſanguinis miſſionem per ſe indicet; ſed quatenus ex eventu adauget multitudinem; & ut aliis indicationibus detur locus.

CAPUT IV.

Vberior doctrinæ traditæ confirmatio.

Inſtat adhuc Vir iſte doctus: Ubi ex ſuppoſitione ſupernatantis ſucci, multitudo longe ſuperat ſanguinis laudabilis quantitatem, illa ſanguinis portio, quæ phlebotomia educitur, eſt apprime neceſſaria ad contemperationem aliorum humorum, cum ſit illorum frænum: ac ideo ex illa major noxa quam utile conſequitur. Et in auxilio illa eſt ſemper attendenda conditio, ut, ſi non proſit, ſaltem non noceat. Et nos addimus vulgi opinionem, quæ huic præſumptioni favet, & Alicarnaſſenſis hiſtoriam, Epid. 102. cui à capitis dolore ſanguine miſſo ſequuta eſt phrenitis.

A Huic primo reſpondemus inſtantiæ; quod ſanguis 4 humor, eſt frænum aliorum humorum, & non ſanguinis maſſa, poteſt enim prævalere in illa hic aut ille qui ſupernatat humor; & ideo quando hic ſolus vacuatur, 4 humore vitio non contracto hoc timetur periculum. Sed quando humor alius intra venas permixtus attemperationem poſtulabat, non poterat non, aut intemperie, aut ſui multitudine ſanguinem coafficere, quo dato, jam vitiatus ſanguis non renuit ſanguinis miſſione vacuari; nec eſt ita contemperatus ut ſit frænum aliorum humorum. B Reſpondeo 2. non ex quaque ſanguinis miſſione illud ſequi periculum, ſed ex profuſa nimis, & in caſu, quo affectus attemperationem potius poſtulabat, quo in caſu colericorum ebullitio timetur, ut Avicenna dixit; non vero ex moderata ſanguinis miſſione, indicata ſeu à ſanguinis vitio, ſeu ab humoris motu; quæ parcior & moderata debet eſſe, cum ibi non ſubeat rationem vacuantis auxilii; ut dicebamus antea. Reſpondeo 3. interdum, neque hoc neq; illo modo lædere ſanguinis C miſſionem, ſed indicationibus indebite libratis, nec ſemper eſt periculum humoris efferatio, ſed magna imbecillitas ex illa intemperie contracta, jam in principali membro, jam univerſo corpore; quod mihi videtur Alicarnaſſeo accidiſſe, cui à copioſa ſanguinis miſſione cerebrum refrigeratum eſt; non enim illi phrenitis à bile efferata acceſſit, ſanguinis detracto fræno. Illud eſt argumentum, *illi debile delirium acceſſiſſe cum lethargia*: ut Hippocrates dixit, & hoc potius à cerebri impotentia & imbecillitate, quam vigilandi di- D xeris impotentiam. Ex qua mortuus eſt celeriter, lapſis undique viribus. Nec enim ſola humoris ſinceritas prohibet, licet ad membrum princeps deferatur, ſanguinis miſſionem: ſi illam copia aut vitio indicat, cum morbi magnitudine. Hoc etiam conſtat ex Galeno 14 Meth. 2. & 3. Conſtat etiam ex Phænicis hiſtoria. 5 Epid. 79. *In cujus hemicrania, licet à bile eſſet, juvit phlebotomia*, ſumpta indicatione à membri principalis læſione, à morbi magnitudine, à copia vitioſi humoris, & à ſanguinis vitio.

E Et ſic ad hujus Viri docti argumentum Logice reſpondemus. Si in hoc ſtatu ſupernatantiæ phlebotomia imperatur, ut vacuans auxilium, & in majori copia quam par ſit, ſuppoſitum concedimus, illa nempe pericula emergere: Si vero ut revellens, temperans, & à ſanguinis vitio indicatum, & moderata copia; negamus, majorem noxam quam utilitatem conſequi. Cujus reſponſi fundamentalis ratio conſtabit ex prædictis.

2. Quis poterit objicere, Hippocratem, 4. Acut. in cauſone à principio purgare etiam F conſuluiſſe, per hæc verba: *Quod ſi os amarum fuerit, confert vomere, & ventrem ſubluere: verum ſi ad hæc non ſolvatur, lacte aſinæ cocto purgabis.* Primo huic objectioni reſpondemus, Hippocratis mentem fuiſſe, bilem ſupernatantem à venis ad has vias propulſam, per illas veluti per communes vacuandam. Et hoc erat ſecundum rationem, quo natura vergit per ſola conferentia, vomitu, aut etiam eluente clyſtere. Fateor etiam, Hippocrati morem fuiſſe, lacte primam corporis regionem expurgare, ubi maxime ſimul attemperandi neceſſitas urgebat; non per uncias tantum,

ſed per heminas, & ad quatuor uſque libras propinabat. Et hanc Præceptoris mentem fuiſſe in hoc caſu, non dubito: quoniam nec dubitat Galenus. Sic enim legitur in hujus ſententiæ Commentario: *Quod omnino quidem*, inquit, *eam quæ in ventre eſt bilem vacuare præcipiat, timeat autem purgantia, ideo ad lac aſinæ divertit, quod ſola humiditate ventrem ſubeat.* Ergo Hippocrates ſolam primam regionem vacuare intendit, & medicamento, quod ſola humiditate ventrem ſubeat: ergo non minorare: nam illa à venis trahente medicamento vacuare minorantes intendunt. Præterquam quod non conſtat, an crudo an concocto humore illud conſuluiſſet.

Galen.

Et ſi daretur, quod cauſo à pura ſupernatante bile, aut à ſalſa pituita, ſolvitur hæmorrhagia, & ſyſtrophica viſceris inflammatio, ſatis manifeſte tamen concluditur, talem humorem poſſe etiam ſanguinis miſſione vacuari. Paria enim ſunt in ſpecie vacuantis auxilii: quia pariter hac aut illa ſolvitur & vacuatur multitudo, & utraque ſanguinis profuſionem molitur. Lege ergo Hippocratis ſententiam, 4. Acut. 10. & 17. *Si è naribus ſanguis fluxerit*, inquit, *ſolvitur ægritudo*; in hujus Commentario Galenus, *in hoc maxime cauſo, cujus ſedes in pulmone exiſtit.* Hoc etiam ex Galeno colligitur. 2. de Diff. Feb. 2. 1. Epid. Sect. 2. 17. & 2. Epid. 55. 63. & 66. 3. Prognoſt. 11. & 12. patet etiam & Methonis exemplo; qui à cauſone etiam liberatur hæmorrhagia; & Virginis etiam in Abderis, Mulieris moroſæ, ac tandem Virginis in Lariſſa: quibus omnibus aut copioſi menſes aut hæmorrhagia auxilio fuere in cauſone, etiam bilioſo. Nec illam eſt credendum profuiſſe, ſi de humore peccante major pars non fluxiſſet; quando virtute doctus, ſupernatantem ſuccum à ſanguinis conſortio ſubterfugere ſemper exiſtimavit.

CAPUT V.

An morbi magnitudo, ex rigoroſa & pura cacochymia, ſufficiat ad ſanguinem mittendum.

Negat Vir iſte doctus: & quia illa non valet ſanguinis miſſione vacuari: & quoniam illius irritatio, eſt purgantis medicamenti objectum: & natura illius expulſioni adminiculatur; quod ſi in hoc caſu ſanguinem mitti ulla petat neceſſitas, hoc tantum debet fieri, ubi ſpecies cauſæ id permiſit & conſulit. Et ſic intelligendam voluit illam Hippocratis ſententiam. 4. Acut. 19. *In acutis ſanguinem detrahes ſi morbus tibi vehemens videatur, vigeat ætas, viriumque adſit robur.* Nempe cum ſanguinis miſcella, aliter in morbo magno purgandum, non detrahendum ſanguinem, &c. Ad hoc etiam aliam adducit Hippocratis ſententiam 6. Apho. 47. *Quibuſcunque venæ ſectio vel purgatio medicamento convenit, hos vel purgare, vel venam incindere oportet.* Illos nempe purgare, quos humoris concitat irritatio: quibus autem ſpecies cauſæ morbum fovet, iis ſanguinem mittere.

Hipp.

Pro hujus quæſtionis ſolutione, illud eſt primo ſupponendum, indicationem aliam eſſe generalem, aliam ſpecificam, & aliam individualem. Generica eſt illa, quæ ab affectu ſumitur, dum à cauſa fovetur, interdum à Symptomate, dum induit rationem cauſæ: hæc enim ſui ablationem poſtulat, ex illo generali principio, natura impulſu naturali noxium à ſe pellit. At vero multitudo petit auxilium contrarium in ſpecie, ſui nempe evacuationem, aliquo ex vacuantibus auxiliis; ſicut & intemperies alteratione contraria mederi. Individualis vero indicatio auxilium ſingulare determinat, modificat, renuit, aut permittit, in hoc aut illo individuo, prout afficitur ab hoc aut illo prohibente aut permittente. Lege exemplum in Galeno 1. ad Glauc. 14. in plethora, cum morſu ventriculi complicata; illa ſanguinis miſſionem petit, ut contrarium in ſpecie: individualis autem ventriculi debilitas, ſenſus aut morſus, renuit individuali contraindicantia. Ac ideo Galenus urgentiam cujuſque ſingularis attendit, ut urgentiori ſuccurrat. Sic pariter morbus magnus ſui ablationem poſtulat: & cauſæ multitudo in illo auxilium præſcribit ex vacuantibus: electionem autem, individualis indicatio, quam temperat aut modificat vitalis indicatio, conſuetudo, anni tempus, &c. Sunt etiam alia, quæ ſingulari ratione contraindicant, ut quando eſt alia cauſa in tertia corporis regione. quod Galenus etiam adnotavit, Lib. de Sang. miſſ. 4. *Si enim in illa ſucci multitudo cumulatur*, inquit, *in his vena ſecta prorſus non eſt opus, ſed ſufficit purgatio.* Sed neque illud eſt etiam perpetuum: quoniam, ſi præeſt in venis multitudo, qua illa tertiæ regionis fovetur, tantum abeſt, ut prohibeat quod utraque petat ſanguinis miſſione vacuari. Ac ideo illud ſemper alta mente repone, quod nullum eſt in medicina inviolabile præceptum. Quæ diximus de indicatione, intellige etiam de ſcopo generali & ſpeciali.

Gal. Lib. de Sang. miſſ. 4.

Nec repugnat, unum & idem indicans, (licet receptum ſit, quod unum indicat unum) diverſa, interdum contraria indicare, ſi diverſas eſſentias ſortitur indicabiles, & ob eandem rationem auxilium habet diverſas, aliquando contrarias auxiliandi ſortes, per ſe, & ex eventu. Patet in hoc exemplo. Complicatur interdum in venis ſuccorum crudorum multitudo, & aliquando craſſorum, aut tenuium calidorum: utraque multitudinis ratione vacuationem indicat ut contrarium, cruditas coctionem; abſterſionem viſciditas; contemperationem acrimonia; & calorem frigiditas; putredo in fieri poſtulat inhiberi; in termino ad quem expulſionem. Hæc licet una incidant, non valent ſuccurri ſimul, ſed aut ſecundum ordinem cauſarum, aut ſecundum urgentiam, pro ſua cujuſque vice. Hoc in Galeno etiam practicatum invenies, 1. ad Glauc. 14. citato, ubi incipit: *Age ergo, ſi quis febricitet*, &c. 12. Meth. 3. 4. De Sanit. tuend. 8. Lib. de Sang. miſſ. 8. & 9. 12. Meth. 6. *Age ergo tranſeamus*, &c.

Illud etiam colligitur ex Galeni doctrina, quod ſuccorum multitudo ſui vacuationem indicat, non tantum ſanguinis miſſione, ſed etiam purgatione, nam utrunque eſt vacuans auxilium; ſed ſub diverſa ratione indicandi: nam unius humoris irritatio, præciſe ſumpta, eſt ſolius purgationis objectum, & in eodem ſucco multitudo non renuit ſanguinis miſſione vacuari. Ideo enim diximus, quod unum, ſi habet indicandi eſſentias diverſas, poteſt diverſa, interdum contraria indica-

re: multitudo autem omnium humorum ex æquo, aut unius tantum, præcise indicat sanguinis missionem. Quare, in hoc stat hujus & illius differentia, quod medicamentum purgans prima intensione attrahit humorem irritantem, tanquam suæ tractionis objectum, vacuat ex eventu: nam irritata natura ab humore attracto hunc expellit. At vero sanguinis missio per se primo vacuat multitudinem, & si accidit, quod in venis cumulata sit irritans unius aut plurium humorum, hanc etiam & ex eventu vacuari permittit.

Quare, si ob crudi succi permixtionem, ob distantiam tractioni improportionatam, seu ob inæqualem passi resistentiam, prima medicamenti actio (tractio nempe) frustratur, secunda necessario irritatur, & non sequitur, quæ est humoris attracti vacuatio: hæc enim pendet necessario ex prima actione, & ambæ mutuas tradunt operas executioni minorandi. Et hoc certe omnem superat certitudinem, crudi humoris resistentiam nulla posse prudentia dimetiri, quantumvis conferatur exhibito cathartico. Nec est ulla securitas in motu quiescentis humoris: quoniam quanto pravius majori periculo movetur, tanto crudius incertior eventus. Nec est in nostra potestate, quod manu aliena libratur: & semper in manu divinæ providentiæ. Non casu neque absque consideratione post longam sæculorum experientiam Hippocrates edoctus, in ultimo senectutis consulit, *cave, ne cruda moveas*. Nullus enim potest esse status, neque febris conditio, sub illa supernatantia ex hypothesi, quæ valeat universalem regulam constituere; nec ad non minorandum: unicus enim casus potest esse nostræ regulæ generalis limitatio, (non esse nempe in morbis febrilibus minorandum:) Scilicet, quando putrida cruditas in prima regione continuæ febri causam præstat, quæ non potest educi sanguinis missione. De hoc postea latius. Nec inficior, quod in morbis ipso jure lethalibus purgatione & sanguinis missione moriuntur ægroti, nec in hoc aut illo auxilio salus secure pollicetur; sed inter satis dubia, quæ fallaci conjectura metiuntur, si quod optimum assequi non valemus, felicitas erit, minus malum eligere.

Per hæc facile demonstratur, quam fallaci principio nituntur, qui ex sola irritatione purgandi occasionem nacti, reliqua non considerant, quæ aut non assequuntur, aut ab illa opinione, tanquam esset securior, superati, non expendunt solertia, piaculum æstimantes, à parentum opinione recessisse, ac ideo omnium sapientum decreta suæ opinioni observire, ingenii violentia compellunt; ut in casu proposito, quo vir iste doctus asserit, in acutis, ubi supernatantiæ prævalet irritatio, fore omnino minorandum; aut sanguinem mittendum, ubi causæ species id suadet.

Hoc supposito, videamus, in quo morbi magnitudo consistat, in quantum indicat sanguinis missionem. Hæc in febre à Galeno perpenditur, aliter ac in aliis morbis. Nam Libro 8. Meth. 9. sic legitur; *Quippe quæ à febre sumitur indicatio, numero quidem ab iis quæ contrarium faciendum suadent, inferior est, magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate, aut utcunque aliter, utique superior est, potissimum si longe à natura recessit: quia duplex tum magnitudo illi accessit, & quæ ex febris genere provenit, quæ est aliis communis; & quæ propria sui ipsius est.* Magnitudo communis in mea sententia sumitur ex calore febrili, qui omnibus illis est communis: propria autem, à causa, quæ illam magnam reddit, seu in intensione, seu in more. Quod etiam inveniemus, si aliam Galeni sententiam expendimus. 7. Meth. cap. 12. *Atque in eo quidem consilio*, inquit, *quod ab urgenti initur, affectus magnitudo perpendenda est. Ea enim triplex est: alia, quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur: alia, quæ ex propria affectus essentia: & tertia, qua ex facultate quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. In eo vero consilio, quod ex causæ ratione initur, advertendum est, quodnam eorum quæ inter se conjuncta sunt, augere aut gignere reliqua possit, vel quod gignatur, aut incrementum accipiat. quod in accidentibus etiam perpendendum puto.* Hic Galenus tantum magnitudinem perpendit, seu affectus, seu causæ, seu accidentis, quatenus hoc aliud in urgentia superat, ut indicatum à potiori urgentia eliciat.

Gal. Lib. 8. Meth. 9.

Galen. 7. Meth. c. 12.

Lege ulterius in capite sequenti. *Nam si magnitudo ex sola intemperie comparatur*, inquit, *contraria temperie inducta curatur: si vero ex humoribus est orta, si particula sibi soli serviat, audacter vacuabis: sin autem ejus virtus sit communis, majori cautione.* Hic etiam Galenus de quantitate indicati auxilii à magnitudine nos admonet. Libro etiam 1. de Crisibus cap. 2. ex aliis venatur affectus magnitudinem, morem, & modum. Primum, ex ipsa morbi specie. Secundum, ex supervenientibus symptomatis. In affectus specie considerat, quæ ejus naturam complent, an intensa, an remissa; veluti in febrili calore. In symptomatibus, an multa, an diuturna, an valida & maligna: aut è contra. Quam etiam observat magnitudinem. 4. Meth. 6.

Aut ergo morbi magnitudo pendet ex ipsius affectus intensione; aut ex causa, quæ & ipsum fovet & producit; aut ex accidentibus, quæ affectum deteriorem reddunt. Videamus nunc à qua magnitudine ex istis Galenus sanguinis missionem indicari præsumat, in præcitatæ sententiæ Commentario. Sic legitur in illo: *Sanguinem etenim primum detrahes, si magnus tibi videatur morbus: manifeste à perspecta quantitate, tali utitur remedio, propter vehementes affectus. Neque refert, si vel vehementem vel magnum morbum dixeris*, &c. Et parum infra. *Cæterum, cum omnia hæc recte dicta sint, quosdam tamen non recte usos fuisse est putandum. quo e numero est Menodotus Empyricus, in sola plethorica appellata syndrome sanguinis missionem observari asseverans. Nos autem & ea non existente venam secamus, cum dolor vehemens hominem statim prehenderit, pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulsum, articulus contractus & reductus*, &c.

Gal. Comm. 4. Acut. 19.

Si Galenus non adderet *propter vehementes affectus*, quis facile quantitatem referret ad morbum potius quam ad causam. Sed attende, quod dixit *affectus* in plurali: & hos non morbus efficit, sed causa. Et ideo facile ex Galeno colligitur, sanguinis missionem indicari à morbo magno, non affectus intensione, non ab accidentibus deteriori reddito; sed à quantitate causæ ad illam magnitudinem redacto; ut observetur in auxilio contrarietas repletionis ad evacuationem. Nam sanguinis missio per se primo non indicatur ab affectu,

affectu, qua magno, sed qua magnus ab illa multitudine efficitur. Magnus enim morbus, qua talis, magnum tantum indicat auxilium, communi indicandi ratione adinventum.

Hactenus à Doctore Ponce non dissentimus. Illud tamen addit iste doctor, hanc multitudinem aut esse futuram sanguinis superantis, aut cum supernatantia permixti. Hoc ultimum redarguunt illa Galeni verba: *Putabat Menodotus, sola in plethorica syndrome sanguinis missionem observari. Nos autem & ea non existente venam secamus.* Nam quando affectus est essentia magnus, qui magnum petit auxilium, ut casus, ictus, &c. licet nulla adsit sanguinis abundantia, si sola adsit multitudo, quæ nomen quantitatis meretur, adhuc supernatantis & pravi succi, seu imminens aut præsens, hæc sufficit ad sanguinem mittendum, ut gravius præcaveatur malum, & ut medeatur inductum. Et ne in Galeni verbis hæsitemus, adverte, morem esse Galeno, plethoricam syndromem sanguinis superabundantiam appellare: & illam non requirit ad sanguinem mittendum, ut patet ex serie contextus.

Galen.

Hoc confirmatur ultimo, quando affectus est magnus, aut timetur, ex Galeno Lib. de Sang. miss. 10. *In tetano, epilepsia, apoplexia, artritide, schiade, vehementi dolore, & in abundantia melancholica.* In Libro adversus Erasist. cap. 5. *In dysenteria à mordaci & acerrima bile.* 4. Meth. 6. Et si aliquando sanguinis abundantiam exquisivit, hoc non est præcise ad sanguinem mittendum, sed ad audacius, & in majori copia vacuandum; ut 11. Meth. & Lib. de Sang. miss. 6. 8. & 9. Ubi æque consulit, sanguinem mittendum in plenitudine ad vires & ad vasa. Primum in plethorica syndrome. Secundum in pura cacochymia. Et sic intelliges Hipp. sententiam, 1. Aph. 23. in doloribus, inflammationibus, & ingentibus febribus, ubi nempe adest species causæ, audacius mittendum: ubi deficit, etiam ob morbi magnitudinem in quaque multitudine parcius vacuandum. Sed in Libro de Sang. miss. 9. ad litteram nostram sententiam confirmat. *Recte ergo admonemur,* inquit, *in iis quæ dicta sunt, in Libro Acutorum, sanguinem mittere, si magnus sit morbus, & florens ætas, perperamque Menodotus in sola syndrome plethorica servari venæ sectionem inquit: contra enim prorsus sanguinis mittendi scopi primum in se plenitudinem non comprehendunt, sed fientis (ut sic dicam) passionis suspicionem. Nam si eam magnam fore apparet, omnino sanguinem mittimus, etiamsi nulla existat plenitudinis nota, tantum inspecta ætate & viribus: quoniam principes scopi sunt morbi magnitudo & laborantis robur; hæc sunt quæ sanguinem mittendum suadent. Coindicant autem alia detractionis quantitatem non ipsam sanguinis detractionem. itaque ex morbo ætate & viribus minuendus esse sanguis cognoscitur. at vacuationis quantitas, non ex istis modo sed ex aliis deprehenditur, ea sunt plethorica vocata syndrome,* &c. Hæc Galenus, sed quod magis nostram sententiam confirmat, sunt illa verba; postquam dixit, *Principes mittendi sanguinem scopi sunt morbi magnitudo & laborantis robur*; Prosequitur: *Et hanc esse primam dicendam syndromem, non plethoricam, in qua servata sit sanguinis missio: in illa enim & hac comprehenditur, ut quæ morbi magnitudinem adaugeat.* In hoc loco Galenus duplicem syndromen necessariam constituit ad sanguinem mittendum, plethoricam nempe, ubi omnes ex æquo superabundant succi: aliam non plethoricam, in qua cum sanguine cæteri etiam commiscentur humores majori aut minori quantitate. Et hæc etiam si morbi magnitudinem adauget, quæcunque illa fuerit, ut prima etiam sanguinis indicat missionem. Neque caret mysterio, quod certe in Hippocrate legimus illam sententiam simpliciter prolatam, in acutis sanguinem detrahes; & ubi in illis purgationem consulit Galenus, semper est sub aliqua limitatione, ut Libro de Med. purgantibus: *Si diuturnus futurus est morbus,* inquit, *expectanda semper erit coctio: sin acutus sit, inter initia, si modo à concitatis pendeat humoribus, purgare licet, & adhuc illud magna diligentique consideratione faciendum est; neque enim exiguum impendit periculum ne sinistre purgatio succedat.* Et si attente consideras quæ postea sequuntur, de temeritate arguit quem purgare audebit, humore quiescente, si adhuc in turgenti, tot & tam magna pericula circundant. Hæc omnia repetita ponderatione, per eadem fere verba Galenus adduxit 1. Aph. 24. quibus nos non tantum cautos, sed etiam cautissimos in purgando desiderat. Et ingenue fateor, quod febris acutæ in principio purgare non auderem quiescentem humorem, quantumvis recederet à sanguine, & irritatione & sinceritate videretur purgans medicamentum postulare; quando illa postulatio à tam magnis contraindicantibus obscuratur: non in mea tantum sed etiam in Hippocratis & Galeni sententia. Legite obsecro, quibus postea hanc consideratam attentionem claudat: *Cum ergo non solum morbus acutus fuerit ut pleuritis, sed etiam maxima cum febre, multo magis cavenda est purgationis exhibitio, præcipue cum ægrotantis natura nobis incognita fuerit.*

Gal. Lib. de Sang. miss. 10. Idem, In Lib. Advers. Erasistratum. c. 5. Lib. de Sang. miss. 9. Gal. Lib. de Med. purg.

Illud ultimo restat clariori asterisco notare, quæ multitudo petat sanguinis missione vacuari: & quæ purgatione; & quæ utrumque renuat, ut oppositæ sententiæ detur integra satisfactio. Quod reor consequemur, si Galeni & Hippocratis auctoritatibus respondemus, quibus suam confirmare opinionem intendit Doctor Ponce. Prima est 6. Aph. 47. *Quibus venæ sectio,* inquit, *vel purgatio medicamento convenit, hos vel purgare, vel venam incindere oportet.* Secunda: *cum morbi inchoant; si quid tibi videtur movendum, move; purgatione aut sanguinis missione,* dixit Galenus.

Pro vera hujus dubii intelligentia consulamus Galenum in suis Commentariis ad hæc loca; ille enim 6. Aph. *Liquet,* inquit, *quod de his qui adhuc sani, sed ægrotare soliti, nisi evacuentur, nunc sermo Hippocrati habetur; hos enim oportet ut anticipent vacuare, vere adveniente per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subjiciuntur, vel purgatione si eis quæ ex corruptione proveniunt.* Sic etiam Galen. Libro quos purgare conveniat: *Venæ itaque sectio commune auxilium est earum quæ ex plenitudine fiunt passionum: purgatio vero licet secundum genus unum auxilium existat, non tamen secundum speciem: nam alias bilem vacuat, alias pituitam, alias melancholiam. morbi igitur qui tales humores pro causa sortiuntur, exigunt purgationem, ut comitialis, apoplexia,* &c. Nam dum in abundantia prævalet ratio multitudinis, venæ sectionem postulat, dum vero irritationis unius humoris, purgationem medicamenti.

Galen. in Comm. 6. Aph. Galen. Lib. quos purg.

Transeamus ad alterius Aphorismi Commentarium

tarium ex 2. Aph. *Cum morbi inchoant*, &c. *Circa initia vero illorum morborum*, inquit Galenus, *in quibus speramus ægrum convaliturum, tentandum est majora afferre remedia: hæc sunt maxime venæ sectio: nonnunquam vero & purgatio; ut parte materiæ vacuata, reliquum facilius natura concoquat, aut expellat. Horum tamen auxiliorum indicatio desumitur ex illo communi principio quod* 2. Aph. 22. *legitur, morbos quos repletio creat, vacuatio curat*. Quod idem legimus in Libro de Nat. hum. Comm. 2. text. 1.

Gal. Comm. in Aph. 2.

Ex iis hæc elicimus, quod sanguinis missio non à plenitudine sed à multitudine indicatur, si per se illam vacuat ut contrarium: purgatio vero ab irritatione, seu unius humoris, seu ab aliqua corruptione inducta. Nunc restat videamus, qua occasione utrumque consuluit Hippocrates. Patet 6. Aphorismorum fuisse in sanis sed ægrotare solitis: & in hoc casu nulla est dubitatio, quia nulla est febris. In 2. autem Aphorismorum, circa initia morborum salubrium, sed materia jam multa cumulata: & hoc secundum tradita jam antea præcepta. Illud tamen nullibi constare arbitror, hoc in morbis febrilibus imperasse; nec ubi aliud contraindicans potiori urgentia contrarium suadet: saltem non patet ex allatis sententiis. Quod constat ex aliis præceptis, est, ut quando in morborum initiis non febrilibus unius humoris irritatio urget, potiori urgentia quam cumulata in venis multitudo, quod tunc est certe præferenda purgatio. Si vero febris adest de putridarum sorte, non debemus in illam indicationem præcipites ire, sed magna attentione & solertia, an sanguinis vitium, putredo, febrilis calor, obstructio, cruditas, aut aliud contrariū suadeat, pensitare. Et si est æqualis multitudinis & irritationis indicatio, debemus præferre sanguinis missionem: quoniam illa per se vacuatur multitudo, & ex eventu etiam irritatio. Nam sicut indicatum habet essentias diversas indicabiles, sic auxilium varias auxiliandi sortes. quod licet purgatione etiam consequatur, non est par securitas in illa, in febre ex hypothesi, ob varia quæ valent impedire illius actionem; ut antea notavimus; quæ in sanguinis missione non apparent. Nam illa humoralis multitudo in venis cumulata, seu quæ acutum affectum aut fovet aut producit, per illas venas ut per convenientem regionem vacuatur, ut quæ per vias communes excernuntur: nam illa est propria illius multitudinis regio, & ad illam vacuationem commodior: & servatur in auxilio contrarietas.

Nec humoris sinceritas repugnat, ut vena secta exeat si est permixtus sanguini. Nec est credendum, tenuem subterfugere, & parietibus adhærescere crassum, quando utrumque scutellis apparet. & contra ocularem experientiam non valent argumenta. Et si dicas, quod ubi sinceritas & irritatio prævalet, non potest prævalere multitudo. Respondeo, quod non repugnat, adesse irritationis & multitudinis indicationem in eodem humore, & eundem posse diversa indicare: sicut accidunt simul & irritatio & tenuitas, quibus simul vacuatio & attemperatio indicatur; quia adest utriusq; objectum sub diversa ratione indicandi. Sed tunc ad indicationum prævalentiam Gal. nos attendere consulit, 10. Meth. 6. & Avicenna, Fen. 4. 1 cap. 20. quo certe non concludit, eo quod irritatio sit purgantis medicamenti objectum, semper esse ubi illa prævalet minorandum: quoniam non repugnat, posse talem humorem multitudinem parere ad vires aut vasa. quod sat est ad sanguinis missionem indicandam; nam ibi servatur utraque contrarietas. Patet in bile flava, vitellina, æruginosa, & porracea: ubi pariter indicant, quantitas, & irritatio multitudinis.

Nec crassum semper ita adhæret parietibus, ut sanguinis missioni non cedat. Quid multum? In pituitosa & melancholica supernatantia Galenus, ubi multitudo hujus & illius humoris longe superant sanguinis quantitatem, sanguinis missionem purgationi præferendam existimat, nescio quo auspicio; forte ne multitudine nativus periclitetur calor; seu ut hepatis sanguifica facultas ab illo impediente exonerata suum opus perficiat. Hæc sunt Galeni verba, de venæ sectione adversus Erasistratum cap. 5. *Ego autem non hæc solum (synanchem & peripneumoniam) sed etiam spasmum hydropemque, sanguinis missione sæpius sum medicatus. In hunc enim modum erudivit me tum longa experientia, tum ratio ipsa, quæ mihi suggessit, ut occasionem ipsam, ejusque momentum, sic investigarem.* Nec ullus potest esse status hydropis, nec spasmi, in quo laudabilis sanguinis frigidorum succorum superet quantitatem.

Gal. de Vena sect. advers. Erasist. c. 5.

CAPUT V.

Generale principium expenditur, contraria contrariis curantur.

Quæ diximus in præcedenti capite, etiam generali principio confirmantur, sapiens nos docet medicina. Nam si illud expendimus, omnis in illo servatur oppositio, dum sanguinis missione supernatantiam vacuare intendimus: nam illo primo invenienius, de contraria oppositione enuntiari: ut quando excedens qualitas contraria qualitate medetur, nedum contraria sed æquali. Secundo, de contradictoria oppositione & hæc servatur, dum vacuatio multitudinem curat; veluti inter esse, & illius privationem; ut Hipp. dixit, 2. Aph. 22. Alia inter medendū servatur oppositio relativa, ut dum unius partis dolor, alterius dolorem curat: alvi fluxus alvi fluxum: & vehementes casus crises edunt, materia transposita, aliter derivata. quod etiam ex Hippocrate & Gal. colligitur, 6. Epid. Sect. 2. text. 9. Inter alia servatur oppositio privativa, quæ ad contradictoriam reducitur, ut demere superfluum, & defectum supplere. quod legitur etiam in Galeno 1. ad Glauc. 9. Non in his tantum sed in aliis servatur contrarietas, in magnitudine, celeritate, & æqualitate. Ideo morbi magnitudo magnum indicat auxilium: quo etiam æqualitatis servatur contrarietas. Urgentia succurrendi celeritatem indicat; quod Galenus nos docuit 5. & 7. Meth. cap. 12. & 15. sed æqualitas interdum repetita auxilii applicatione suppletur, quantumvis inæqualis, quando æqualem magnitudinem ferre nequit. Et ut illa contrarietas servetur, sat est, ut alia sint contraria per se, alia ex eventu; sicut alia in actu, alia in potentia: sic enim contraria contrariis curantur.

Hæc præcepta non tantum oportet memoria servare, sed ad usum & practicam reducere.

Hoc

Hoc optat longam experientiam & obſervationem præteritarum rerum; nam alia in tempore librantur; alia morbi conditione; alia quantitatem auxilii metiuntur, & alia virtutis tolerantiam: tempus operandi occaſionem indicat; eſt enim præceps & rapida occaſio. qua elapſa redduntur auxilia invalida, & validior morbus, magnitudo in eſſentia, more, aut accidentibus auxilii æqualitatem indicat; periculi urgentia in auxiliando properantiam; ad pondus morbo & viribus libratis. In hoc enim ſtat omnis medicinæ politica, ut ſit plus virium in latore quam in onere urgentiæ. Neceſſitas hæc omnia invertit medicinæ præcepta; interdum enim quod ratio non reſtituit, temeritas adjuvat; & ſecundum etiam rationem, & illud medicinæ principium, à ſumma deſperatione indicatur. In auxilio etiam illa major cautio adhibetur, ut ſi non proſis, ſaltem non noceas. Virtutis tolerantia ſemper tibi erit prima omnium indicatio. quid enim proderit magna adhibere auxilia, ſi vitalis vigor in ipſo auxilio exhalat? Hæc conſideratio maxime artificem nobilitat, quando æqua lance libratur: & medici officium aut perdit aut commendat. Sed in electione & quantitate auxiliorum, aut genium aut prudentia primas tenet; ad hoc enim nec principia valent nec præcepta. quoniam hoc nec dici nec ſcribi poteſt. ut Galenus eſt auctor.

In ſimplicibus indicationibus non eſt ita difficile invenire contraria: ſed in complicatis affectibus, cauſis & accidentibus, medentis animum acrioribus ſtimulis explorat. quoniam hæc raro valent præcepta comprehendere. Nec interdum ſat eſt illud Hippocratis & Galeni preceptum, ad id quod magis urget, curantis conſilium dirigi debet, altero non neglecto: interdum enim duo urgent æqualiter. Ex his tamen illud noveris eſſe potioris urgentiæ, quod gravius & brevius periculum minatur: & huic eſt profecto ſuccurrendum, utcunque methodus prævertatur, ut Celſi olim fuit conſilium. 2. ſui Methodi 10. ab Hippocrate & Galeno edoctus. 4. Aph. 6.

CAPUT VI.

Ad hoc etiam Galeni locus expenditur, Lib. 11. Meth. Med. c. 15.

Et hic eſt dioriſmus illius celebratæ ſententiæ: *Saluberrimum igitur eſt, in omnibus febribus venam inſcindere*, &c. Nam Galenus ibi ſemper conſona loquitur, quando has febres oppoſitione contradictoria mederi conſulit, ad indicationem tum magnitudinis morbi, tum multitudinis, dum hæc & illa ſimul huic indicationi mutuas tradunt operas.

Pro cujus ſententiæ intelligentia illud eſt ſupponendum ex Galeno, talem cacochymiæ quantitatem interdum cumulari, ut naturæ vires præmat aut gravet. ut in multitudine pravi ſucci, aut miſcella craſſorum cum tenuibus experimur: quę multitudo in putrida febre non tantum gravet, ſed obſtruit, prohibitam ventilationem inducit, ex eventu putredinem, &c.

2. Suppone, multitudinem vacuans auxilium indicare per indicationem ſpecificam: at individualis ſucci conditio, ſub diverſa auxiliandi forte, materiam auxilii præſcribit. ideo præciſa irritatio in humore, vacuans medicamentum indicat, quod cum illa habeat analogiam; & ſic bilis rhabarbaro purgatur, agarico pituita. Multitudo autem, ſua ſingulari indicandi ratione eſt indifferens ad indicandum, prout in illa prævalet aut irritationis aut multitudinis periculum: virtus, tempus, ætas, conſuetudo, & cætera non naturalia quantitatem aut minuunt aut augent. Ideo plethorica vocata ſyndrome petit ſanguinis miſſione vacuari, quia in illa prævalet ratio multitudinis: quo etiam titulo ſpecifica cujuſque humoris multitudo amat per eandem ſanguinis miſſionem vacuari. ad hoc enim impermixta ſinceritas non obſtat. Hæc omnia colliges ex Galeno 11. Meth. 10. & 13.

Dices, æque ſuppleri illam ſpecificam indicationem multitudinis purganti medicamento, ac ſanguinis miſſione: & ſi in illa ſinceritas & irritatio prævalet, illa individualis conditio individualem præſcribit ſortem vacuandi, in auxilio, qua eſſentialiter ab alio differt, in ipſa ratione indicandi. Hoc etiam nos fatemur, ſi indicationes præſcindantur, in hac aut illa humoris multitudine, ſine febre: ſed quæſtio non eſt, niſi in febris aut febrilis morbi principio, ubi hæ indicationes inter ſe adverſantur, nempe ratio multitudinis & irritationis, quæ poſſunt ſimul adeſſe in eodem humore, & in eadem morbi cauſa. Quem febris ſtatum conſiderat Galenus. 8. Meth. 9. & dicit, hic pugnant generales & ſpecificæ indicationes cum ſpecialibus cujuſque febris propriis, & individualibus putreſcentis humoris. Et in hoc caſu purganti medicamento ſanguinis miſſionem prætulit.

In hoc ſtat contrariæ opinionis æquivocatio, quod illa tantum attendit ad præciſam indicandi rationem, irritationis, & ſinceritatis in pravo ſupernatante ſucco, ſeu in putrido in termino ad quem, abſque ulla reflexione ad contrarias rationes indicandi: quæ in morbi febrilis principio ſunt fere ſemper potioris urgentiæ ad contraindicandum. ut non tantum ratione ſed demonſtratione patet. Nam in cujuſque principio ſcopus eſt, magnum morbum curare, multitudo vacuandi rationem & petit & præſcribit, quæ eſt in ordine cauſarum prima, quæ tunc ſubſequentes adimplet indicationes, prohibitæ nempe ventilationis, obſtructionis, & putredinis, ſi illa contrario ſuoque proprio auxilio vacuatur; quo etiam natura ab onere levatur. Quo ergo auxilio illud conſequetur ſecurius & brevius? Illud dicat Galenus. 11. Meth. 10. & 13. Sanguinis miſſione inquit, omnes illæ indicationes adimplentur, rerum naturalium non naturalium & præter naturam; nec ab ullo contraindicante impeditur, ſi vires nec ætas diſſuadent. Ad ideo cap. 55. velut ex antecedentibus præmiſſis, hanc elicit concluſionem: *Saluberrimum igitur eſt ut prædiximus, in omnibus febribus venam inſcindere non in ſynochis modo ſed in eis omnibus quas putreſcens humor concitat.* Nec ibi nec alio in loco præciſam rationem vacuandæ multitudinis ſanguinis miſcellam prærequirit. Hanc ſententiam tam conciſe interpretandam cenſui, ut ſatis dilucide ex antecedentibus pateat. Nam ſynochus ex ſanguine oritur, cæteræ putridæ febres ex aliis humoribus: à ſan-

Galen. 11. Meth. 10. & 13.

cap. 55.

à sanguine, quorum multitudo parem indicandi rationem sortitur.

CAPUT VII.

De Serosa supernatantia.

Maxime video ponderatum ab illo docto Viro, in serosa supernatantia non fore sanguinem mittendum, sed purgandum, omnino in principio, cum febre aut sine illa; sumpta indicatione ab humoris recessu, licet morbum magnum producat: nam indicatio ad sanguinem mittendum, inquit, desumitur, non à morbo magno, sed à specie causæ, quæ sit sanguis, aut cum sanguine mixta; si vero à natura sanguinis deflectet, & in alienam separatam & supernatantem naturam fuerit permutata, indicatio incipit apparere purgationis: & tunc obscuratur indicatio ad sanguinem mittendum. Et tantum potest distare, ut ne unam guttam sanguinis extrahere possimus: velut in ascite, tympanite, &c. Nam ubi non distat, aut cum aliqua sanguinis portione copulatur, Hippocrates sanguinem mitti consulit, 4. Epid. III. velut in Anasarcha.

Ingenue fatemur, quod morbus magnus, prima & generali indicatione, sanguinis missionem non indicat, sed tantum magnum auxilium ut contrariũ. Negamus tamen, indicationem specificam, si illa magnitudo in causę multitudine consistit, non indicare sanguinis missionem. Hoc ex antecedentibus patet. Nec omnis recessus, nec sanguinis defectus, in morbo magno renuit sanguinis missionem: sed ille tantum, qui in recessu est præcisum purgationis objectũ, seu irritatione, seu in motu, sive tenuitate, seu alia quavis conditione, qua facile medicamento cedat; in his enim illę conditiones efficiunt, quod coctio in aliis humoribus. Coctio enim ideo ad felicius purgandũ prærequiritur, dum indicat naturæ magisterium super causam morbificam: & quia utiles humores ab inutilibus separatos ostendit, quo minori resistentia medicamento cedunt. Sic isti, tenuitate, separatione, motu & recessu, facile à medicamento & absque resistentia per vias educuntur; non ideo tamen præcise quod sint inutilis naturæ, purgationem indicant, sed quod facile à medicamento absque ulla violentia attrahantur. quo fit ut non alia indigeant coctione, quam quæ expellendo conducit. Et hæc est sola attemperatio: quoniam illa vicem gerit coctionis in tenuibus. Ideo Galenus Libro de Medicamentis purgantibus serosos humores purgare à principio consuluit; quia non resistit illa succi conditio: maxime, cum non adest fortius contraindicans. *Siquidem inter initia*, inquit, *tenues & aquosos humores vacuabis, ubi crassi & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt, pituita, & nigra bilis, coctionem expectabis.* Non dixit Galenus, tenues & calidos; sed aquosos. Nec ideo quod in crassis adsit purgationis indicans, voluit à principio purgari adhuc sine febre, sed coctionem in illis expectare; nec eo quod longe à sanguine recedant, & parietibus vasorum etiam adhærescant, ideo sunt à principio purgandi. Lege in eodem libro parum infra. *Vis enim medicamenti*, inquit, *quæ divellit, cum humores affectis membris altius adhærentes excutiat, & ob hoc longius morbis prosit, facilius opus suum absolvit, prius attenuatis humoribus. quod qui negligent, molestas obibunt purgationes: non sine torminibus, sed vertigine, multaque nausea, malo pulsu, exolutione, & difficultate*, &c.

Gal. Lib. de Medic. purgantibus.

Idem, ibid.

Et si daretur, quod tenues & serosi humores essent aut colliquatione, seu ustione geniti, ut inde causonem concitarent, aut inflammationem; quod febris lassitudinariæ exemplo Hippocrates docuit: erit profecto in hac febre purgandum à principio? Dato, quod adsit succi obedientia & tenuitas, & purgandi objectum, illa nempe communis irritatio, nequaquam: nam jam contrariæ pugnant indicationes inter se: quoniam licet tenuitas persistat & irritatio, pugnat ex alio principio febrilis ardor, putrida retrimenta, & illud sanguinis vitium, quo sanguis ardore & putredine coafficitur. Ac exinde jam alia pullulat indicatio, & forte potioris urgentiæ, mittendi nempe sanguinem, in principio, ab hoc sanguinis vitio & ab illa multitudine indicata; si non attemperandi, quando qualitatis intentio citius periculum minatur: quæ aquæ frigidæ potu, seu potionibus nive refrigeratis adimpletur, etsi hæc à medicinæ principiis deducta non arridant. Videamus quid Hippocrates senserit, & judicet Galen. In Hippocrate legimus. 4. Acut. 1. *Causus fit, cum venulæ æstivo tempore exsiccatæ acres & biliosos ichores ad se traxerint.* Et in text. 10. procedens: *Et si è naribus sanguis fluxerit*, inquit, *solvitur ægritudo, atque si sudores supervenerint*, &c. Quod sudore solvatur illa, nemini mirum erit, est enim eadem ichoris & sudoris materia. Solvi autem per sanguinis effluvium, hoc magis est mirari, cum fiat ab humore longe à sanguine alieno & distante. Ex quo certo arguitur, bene posse etiam sanguinis missione curari; pariter enim hæmorrhagia ac sanguinis missione illa indicatio adimpletur.

Hipp. 4. Acut. 1.

Reddit rationem Galenus in hujus sententiæ Commentario: *In acutis febribus quod ex sanguine fervet, ad caput fertur. Cum igitur recisis ruptisque venis, natura id ipsum, una cum acervatis vaporibus effuderit, cæteris promptius dominatur, & imperat: pari modo, & cum per sudores ichores ferventes expulerit, morbum sanat.* Ex hac transit ad alium causonem, ab exurente bile, sincera impermixta, seu à salsa pituita æque à sanguine distante. Et text. 17. *Causus hic*, inquit, *nisi sanguis ex naribus fluxerit, vel abscessus fiat, non solvitur morbus.* Tanquam de necessitate sit extrahendus sanguis ut solvatur. En supernatans succus, tenuis, calidus, impermixtus, & longe à sanguine recedens, per venas cum illo vacuatus. Aliter enim febris non solveretur. Duo ex hac sententia præcipua elicimus, supernatantes succos posse per venas vacuari. secundo, illud sanguinis vitium & permixtionem cum aliis humoribus sat esse ad venæ sectionem indicandam; adhuc cum alii à sanguine humores ita superabundant, ut longe superent sanguinis quantitatem. Hoc tertio elicimus, si ichoris aut serosi humoris excessus ad calorem aut ustionem vergit, purgans medicamentum non indicare, sed attemperationem ex se, & ex eventu posse sanguinis missione vacuari; cum illo nempe sanguinis vitio, quando illud vacuare intendimus. Nam licet objectum purgationis adsit (unius

Gal. Comm. in Hipp. 4. Acut. 1.

nempe

nempe humoris irritatio;) illa indicatio superatur ab urenti calore, in contemperantia succorum, cruditate,& aliis quæ antea notavimus.

Galenus etiam ex aliis indicationibus præscindens, & solam indicantium prævalentiam attendens, in causone ex solo fervore sanguinis, (licet jam bilis naturam assequi videretur; maxime 4. die exacta) 9. Meth. 5. *Maxima vero*, inquit, *continentium febrium remedia hæc duo sunt, & sanguinis missio & potus aquæ frigidæ.* Illa nempe à sanguinis multitudine & vitio indicata: hæc vero à caloris excessu, dum potiori urgentia petit attemperari. Et non video, quo in loco has indicationes purgatione (aliter vacuante auxilio) doceat adimplere; nam quando in eodem bilioso causone consuluit, *lacte asinæ cocto purgabis*, hoc nec fuisse in principio constat, nec ante coctionem. Neque ad minorandum concludit, si Hippocrates illa tantum, quæ in ventre sunt, educere intendit. ut antea probavimus.

Galen. 9. Meth. 5.

Et si forte purgandi necessitas instaret, in hac eadem febre ex hypothesi, quid agendum? Nam hi humores sunt incoctiles ex propria natura, quo coctionis beneficium suscipere non valent, nec à medicamentis nec à natura gratiam. Ita plane fatemur, & nihilominus in his coctionem expectandam arbitramur. Nam in febris fervore dare medicamentum purgans est extrema pernicies. quæ erit illa coctio? Illa erit profecto, quæ est huic humorum conditioni proportionata; nempe attemperatio. siquidem tales succi, ob incontemperantiam, neque naturæ, neque purganti medicamento cedunt. Nam sicut est etiam sua flatibus coctio, qui sunt naturæ incoctibiles, quando cedunt facilius naturæ expellenti: sic accidit in istis, quando attemperati. Et illud fidem facit, quod coctio, sicut non est in omnibus æqualis, sic neque eisdem mediis comparatur; nam in aliis sat est, humores reddere ad fluendum paratos; aliis calefacere; in aliis abstergere; in plerisque malitiam frænare, attenuare crassos, ac tenues reddere crassiores, & ad mediocritatem intemperatos ducere; ac tandem omnibus illam qualitatem inducere contrariam, frænare, quæ maxime coctioni & naturæ magisterio renititur. Et cum in hos non sola sit tenuitas, sed incontemperatio, sat erit mediocrem consistentiam comparare & attemperare qualitatis excessum.

Cum diu peræque perpendissem, quare in nostra Betica Regione sit exitialis minorantium usus; & in veteri & alta Carpentania tolerabilis, nec ita infelicis eventus: in hanc veni sententiam, quod humores, non tantum corporis sed regionis temperaturam sequantur. Non enim parum facit ad corporis & humorum temperiem immutandam, illa pars cœli, cujus singularis influxus valet totam regionem alterare: quoniam sicut aerem, sic etiam potiori ratione corpora mutat. Ideo climata alia ad frigidam, alia ad calidam temperiem inclinant: quo pacto etiam illa corporis mutatio, symbolica actione, humores aut calidos aut frigidos producit. quo fit, ut cum sit illa regio borealis & frigida; hæc calida & humida magis occidentalis: in illa frigidiores succi putrescendo inepti: in hac calidiores humidi putrescibiles producantur. Et inde certe accidit, ut in frigida regione non ita facile purganti medicamento alterentur homines & humores, nec ita longe lateque diffundatur putredo, neque postea putredinosus calor intendatur. Ideo ferunt facilius & minori periculo minorantium usus. E contra ac in nostra calida regione, ubi cum calidi humores generentur perenniter, & hominum, & humorum, temperies, pari facilitate, quovis medicamento, alterantur; à cujus motione non tantum inducitur, sed etiam diffunditur putredo: quo non est mirum, si à causis contrariis sint etiam contrarii effectus.

Et in hoc consistit, quod alii medici sint omnino sanguifugi: audaciores alii: plures purgantibus fidant: alii aversentur purgantia. Nam inter Arabes Avicenna, est omnium sanguifugus: Galenus audax in sanguine mittendo, forte ex peculiari conditione cœli, hujus aut illius regionis Græciæ aut Arabiæ: quod in ista facile exolvantur, in illa cumulent sanguinis abundantiam: & sint viri ibi robustiores. Multum certe ad hoc facit & climatis temperies, & soli & civitatum situs, hominum educatio, & civilis etiam vivendi disciplina; alimentorum robur, aut tenuitas. Nos enim, qui ultimam Europæ partem colimus, sub climate hujus regionis calidissimo, alimentis alimur robustissimis, fertilissimam regionem habitamus, opulentia nos etiam intemperatos efficit, otium & ignavia humores putredini paratos cumulavit, regiones & hominum temperies, calidissimos, levi occasione bullientes. Et inde accidit, ut ægre purgationes ferant; utque imperentur etiam cum periculo, ac majori tolerantia sanguinis missiones non tantum repetitæ sed profusæ. Contrarium experimur in Hispanis, qui sub Aquilone frigidissimas incolunt regiones. Ideo etiam & Galli & Germani, non ferunt integras evacuationes ut Hispani, Æthiopes,& Indi, ex alio principio, sanguinis missione exolvuntur, colentes asperam regionem, & ferunt facilius labores & auxilia.

Inde est, quod in frigidis civitatibus in hominibus sint humores minus putredini & fervori obnoxii. & quia in illis crudorum multitudo in prima regione cumulatur, facilius ferunt purgantia, & vacuantur tutius. E contra in calidis & humidis regionibus ferunt homines facilius sanguinis missionem,& periculosius conturbantur purgantibus, quanto calidiores succi, ante tempus commoti, graviora inducunt accidentia. Sed neq; his neque illis una lex valet omnia comprehendere: nec est ullum tam inviolabile præceptum quod aliqua limitatio non invertat; forte quia diversa ratione humores permiscentur, & vigent facultates in hoc aut illo climate; nec in frigidis non habitant etiam calidiores homines, & frigidi in calidis: quibus sunt etiam regulæ permutandæ. Sed his non obstantibus adhuc instabit aliquis, apud Indos Occidentales est ita præcisa minorandi necessitas, in cujusque febris principio (cum sit illis regio calidissima, veluti Carthagena & Puerto Belo) ut nisi in febris principio medicamento purganti vacuentur, omnes pene moriantur, sanguinis missione repetita, ubi minoratio à medicamento antea non præcessit. Nec est excusatio in ebullitionis defectu, nec in materia putrescendo inepta: sunt enim inibi congeniti humores,

res, & calidi & humidi, maxime putredini & ebullitioni paratissimi. Ergo contra excogitatam rationem Beticæ Regionis fit conclusio, si experientia & ratione hæc ratio convellitur. Respondeo, nihil instantiam contra nostram sententiam concludere: nam apud Indos non indicatur medicamentum purgans (quod apud illos minorandi rationem sortitur,) ab illa succorum calidorum multitudine, quæ fervet in genere venoso, sed ab illa quæ in prima regione, intestinorum nempe & ventriculi, stabulatur. Nam cum omnes fructus, & carnes, & frumenta, illius regionis, sint omnium maxime putrescibilia & pauci nutrimenti, fit inde ut excrementorum maxima copia in ventre congeratur, ita ut citissime putrescat, & ad naturam bilis convertatur, & ad soli temperiem & influxus mutetur. Sunt enim omnia inibi calidissima. ad quod non parum juvat membrorum nutritioni dicatorum imbecillitas ab importuno & intenso calore, quo ventriculi coctio præpeditur, & sanguinis opus vitiatur in hepate, & à frequenti obstructione illius distributio. Et hæ sunt maxime & potissimæ rationes, quare, si à sanguinis missione incipiat curatio, omnes pene in illa vitam finiant, (quod est certe magnopere cavendum,) quia loco sanguinis missi venas intrant omnes illæ calidæ, putridæ, corruptæ, & mille modis fœdatæ cruditates, quarum consortio massa sanguinis universi defœdatur, corrumpitur, & degenerat in veneni naturam: ac ideo non sit mirum, si omnes fere illa sanguinis missione moriantur: cum hæc operatio, in hoc rerum statu, sit expresse contra Hippocratis & Galeni præcepta, ut nos alibi adnotavimus, in 4. Acut. & 4. de Sanit. tuenda 5. & Comm. 2. de Natur. hum. text. 22. Et medicamentum purgans in hoc casu aptissime & secundum rationem ab illa cruditatum colluvie indicatur, & qua in illa prævalet irritatio, & qua est extra venas, in prima corporis regione, ut securius valeat per loca conferentia educi; & ne venas intret loco sanguinis missi, corruptionis & mortis evidenti periculo; & ut tandem detur locus sanguinis missioni, illa primæ regionis cruditate deposita, ut quod in venis fervet & putrescit postea, securius per illam vacuetur. Hoc enim est apud omnes medicos illius Indiæ regionis receptum, post medicamentum purgans, si febris non remittit, sanguinis missione iterum atque iterum vacuare. quod febri in genere venoso causam præstat. Et hoc ultimo manifeste convincitur, illos in principio medicamento purganti non intendere, quod intra venas continetur, vacuare, sed tantum quod in prima regione adservatum considerant: nam si illud judicarent utilius, adhuc prima regione vacuata, postea alio medicamento purganti vacuare intenderent, quod in venis continetur, & febri causam præstat: quod non faciunt, sed repetita sanguinis missione & aliis sanguinem vacuantibus auxiliis, pro febris aut affectus acutissimi urgentia. Et si quis adhuc importune contendat, hoc esse minorare, primam nempe regionem inanire, hoc illi gratis damus, ne recentem de nomine quæstionem agitemus: nam apud illos adhuc minoratio per sanguinis missionem exercetur, si minorare proprie dicitur de humorum vacuatione qui in genere venoso continentur.

Quare omnia resumentes dicimus, quod indicatio ad sanguinem mittendum, sufficienter adest in morbi magnitudine quam fovet aliqua multitudo aut imminens aut præsens, dummodo sit ex illis quæ valet sanguinis missione vacuari per venas, cujuscunque humoris sit. Nam licet à morbo magno desumatur scopus, & non totalis indicatio, si tamen magnitudini jungitur multitudo, tunc indicatio cum scopo coincidit. quod sufficit ad sanguinem mittendum. Et sic intelligitur Hippocratis sententia: *In acutis sanguinem detrahes*, &c. Quæ interpretatio est etiam Galeni ad aliam Hippocratis sententiam. 2. de Nat. Hum. text. 1. quando dixit: *Morbi curantur ab iis, quæ facultatibus contraria sunt*. Et in hoc casu ambo reperiuntur: in magnitudine auxilii oppositio ad morbi magnitudinem: in vacuatione ad multitudinem; licet nulla adsit species causæ, nempe sanguinis, dummodo ex humoribus sit, qui fervent intra venas, putrescunt, aut etiam cum sanguine miscentur, quorum consortio in illo vitium contrahatur, quorum alterum habeat contrariam facultatem morbo curando.

Hipp.

Gal. ad 2 de Nat. Hum. text. 1.

Dicet aliquis: ergo hydrops & hectica febris indicant etiam sanguinis missionem? Nam utraque inter morbos magnos numeratur? Respondeo, non omnem morbum magnum indicare sanguinis missionem, sed tantum morbum magnum cum scopo & indicante, sub eadem ratione postulandi: sed in hydrope & hectica licet adsit scopus, indicans plane deficit. In hectica enim deficit multitudo, & magnitudo pendet ab intemperie: quæ contraria qualitate medetur, ut proprio contrario. Et in hydrope licet adsit multitudo, est alterius indicantis, quod non coincidit cum scopo illius magnitudinis, quæ petit sanguinis missione vacuari, sed cum alio, qui postulat suo proprio contrario mederi. Et cum illa multitudo sit aquæ aut flatus, indicat, aut aquam extrahentia, aut flatus dissipantia. Et in hoc casu sanguinis missio non habet contrariam facultatem illæ magnitudini indicanti.

CAPUT VIII.

De Supernatantia melancholica.

In hac supernatantia laudo hujus Viri sententiam, in sanguine mittendo moderate, in hac humorum sorte, & in senibus maxime, ob facillimum lapsum ad frigidam temperiem, ut ex Avicenna & Galeno colligitur. Ex nullo tamen colligi posse video, in hac supernatantia minorandum, antequam tales humores concoquantur. Nam quando Galenus dixit, in Lib. de Sang. miss. 10. *In redundantia humoris melancholici sanguinem mittere præstat, aut certe omnino medicamento uti etiam bilem expurgante*: intellige, peracta coctione. Hoc enim nos docuit Galenus libro de Med. purgantibus, citato, & 1. ad Glauc. 11. Est alia sententia. 3. de Locis Aff. c. 7. quæ nostram attentionem petit. *Siquidem*, inquit, *ubi universum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à venæ sectione incipere oportet: ubi vero solum cerebrum infirmius (quod ad hanc dispositionem attinet) sanguinis detractione non indiget, quamvis ob aliam quampiam causam mitti possit.*

Gal. in Lib. de Sang. miss. 10.

Gal. 3. de Loc. Aff. c. 7.

Doctor

Doctor Ponce in hoc loco Galenum ad sanguinis plethoram attendisse existimat, & tantum tentativam curationem edidisse. Cui sententiæ non plane assentimur. Nam duplicem melancholiæ morbi sortem ibi Galenus expendisse videtur: aliam nempe fieri per consensum: aliam per idiopathiam. Ac primam dupliciter accidere; seu in corpore universo melancholico humore cumulato; seu à meserei venis ascendente: propriam vero, dum in ipso cerebro, nempe illius venis, superassatur sanguis, bilis, aut melancholia. Quare, dum melancholia in corpore universo cumulatur, credendum est aut in hepate genitam, aut liene obstructo cum sanguine in corpus universum delatam. Et utrumque potest absque ulla sanguinis plethora advenire; imo longe sanguinis quantitate superata: & nihilominus, ab illa multitudine sanguinis missionem indicari non dubito. Habet enim in hoc casu contrarias facultates hoc auxilium, à communi principio indicatum.

Aliam difficultatem velim ut expendisset, an ex brachio foret sanguinis missio celebranda, an ex talo? Mulieribus pariter ac in viris, mensibus & hæmorrhoidibus suppressis, aliter fluere solitis, non est dubium, fore sanguinis missionem ex talo celebrandam. Antiquissimum hoc enim celebratur auxilium in hoc casu, & à Galeno, libro de sanguinis missio. & ab Hippocrate, 6. Aph. 11. ubi Galenus: *Provocatæ hæmorrhoides*, inquit, *prosunt, non sola ratione evacuationis, sed & ipsa qualitate humoris vacuati.* Quod non parum etiam convincit, humoris multitudinem per venas vacuari, prout in illis continetur crassus, tenuis, putridus, aut laudabilis.

Galen.

Sed licet nulla ex his causis adesset in illa melancholia per consensum, sive illam hepate producente, sive liene illam non attrahente, seu meserei venis ustione producta, semper est à sanguinis missione ex talo incipiendum, interdum etiam universa curatio per illam absolvenda, hirudinibus etiam hæmorrhoidibus appositis, vacuatione alternata. Hæc decisio legitur in variis medicinæ principiis. Primo in illo, contrariorum. Deinde, quia horum succorum focus & sentina est in illa ventris & meserei regione, quorum venæ ex ramo splenetico cum venis tali societatem habent, rectitudinem, & communicationem. Melancholicus humor crassitie deorsum natura tendit, à corde, à cerebro, ab hepate revellitur. Ac tandem in hoc auxilio omnis servatur contrarietas, in evacuatione & in situ, & in celeritate succurrendi. Nec erit par auxilium, si fieret ex brachio. Nec in illo par securitas erit: quoniam in illo omnes auxiliandi rationes deficiunt, & lædendi non paucas experimur. Hoc tandem Galenus nos docuit in Libro adversus Erasistratum cap. 5. Margei famulæ exemplo. *Hippocrates siquidem*, inquit, *te & occasionem morbi & generationem occasionis perpendere jubet. Fomitem autem seu nutrimentum occasionis, hoc est, generationem primamq; causam, ob quam non sit recte purgata mulier ista, Hippocrates considerat. Proinde, cum retentio evacuationem, situs vero uteri, locum per quem evacuatio instituenda est, illi indicaret, venam talo proximam incidit. talemque Hippocrates sese in cunctis præstitit*, &c. Hoc in quæstione huic argumento dicatæ plenissime absolvimus, luceque clarius dedimus comprobatam.

Galen. In Lib. Advers. Erasistratum. c. 5.

Ubi vero cerebrum infirmius, sanguinis detractione non eget, dixit Galenus. Duplicem rationem agnosco hujus Galeni dicti: quia, dum in venis cerebri superassatur sanguis, bilis, aut melancholica, alia pullulat indicatio, nempe attemperatio illius excedentis qualitatis exustione genitæ. neque multitudo inibi indicat sanguinis missionem. Secundum colligitur ex Gal. contextu: si cerebrum ex lapsa intemperie, forte habituali, jam redditur infirmius, illa imbecillitas potius indicat, quæ firmitudinem adjiciant & robur. quod sanguinis missione non assequimur, quin imo robur omne dejicitur. Quod tanto majori cautione attendere debemus, quanto membrum nobiliori & communi facultate donatur. Et licet adsit ustæ melancholiæ præsentia, quæ sui ablationem postulet, ex parte ustionis tamen prævalet attemperandi indicatio, & vacuationem contraindicat, quæ inter indicantia primas tenet. Et licet vitium, & illius humoris irritatio, petat purganti medicamento vacuari, illa tamen indicatio à prædictis contraindicantibus superatur.

Patet interpretatio, cum nempe (ut Galeni verbis utar) multus ejus loci calor, aut flavam bilem, aut crassum sanguinem, aut melancholiam superassaverit. In hac enim intemperie valde lapsa & imbecillitate attemperandi necessitas, & firmitudinis sunt auxilia. Non enim constant vires cum tali intemperie, si credimus Galeno, quod omnis immodica intemperies dejicit actum virtutis. Quod si vires constarent, tutius erit, humorem melancholicum epicerasticis frigidioribus humectare, tenuare, abstergere, & cum spes erit, ut cathartici magisterio cedat, per epicrasim vacuare clementibus auxiliis. Quæ si non prosint, & frigidior sit ægroti temperies, fortioribus rem agere oportet, peracta hinc inde coctione: tunc enim aptius auxilium est purgatio quam sanguinis missio, ut solus peccans humor vacuetur, qui suo lædit vitio potius quam copia. Quod si utrumque prævalet, hoc & illo auxilio utraque indicatio adimpletur.

Si vero ustio jam deferbuit, aut naturalis superat melancholia, ut jam omnis habitus frigidior reddatur, jam alia insurgit indicatio, coquendi nempe & calefaciendi. Nam illa multitudo, si quæ adest, non indicat sanguinis missionem; est enim alterius indicantis objectum: quia sanguinis missio in hoc casu non habet contrariam facultatem huic multitudini ex hypothesi, quando à fortiori contraindicante superatur, à frigiditate nempe corporis & humoris, quæ sanguine detracto adaugetur. Quare tunc de aliis auxiliis delibera, indicationibus acriori judicio libratis. Hoc nos docet Galenus Lib. adversus Erasistratum cap. 5. *In talibus enim*, inquit, *ex calidi succi evacuatione adhuc multo magis corpus necessario refrigeratur: & inanitus calor, qui per affectum antea quoque frigefactus fuerat, extinguitur.*

Galen. Lib. Advers. Erasist. c. 5.

CAPUT IX.

An obstructio à crassis & lentis succis impediat sanguinis missionem.

Audiamus hujus Viri sententiam. Ego audeo affirmare (inquit) quantum attinet ad Galeni mentem, nullibi dixisse, ob obstructionem à crassis solummodo & lentis sanguinis missionem non exposcere: invenies autem hoc remedio uti, si multitudo sola, aut simul cum crassis & lentis inveniatur, aliter nunquam. Ex accidenti tamen, propter locum, quem occupat, si illa humores regurgitare facit, & in venas compellit, oportet venam secare, maxime si obstructio est in hepate, & liene, & in vesica fellis, &c.

Catholica hæc sunt, & à Medicinæ principiis deducta. Ergo sola multitudo supernatantis succi, licet nulla adsit species causæ, sat est ad sanguinem mittendum. Patet illatio, & convincitur argumento ad hominem. Nam obstructa fellis vesica in ictero sola bilis regurgitat, non sanguis: illa enim est ad solius bilis receptionem deputata. Patet etiam in liene: nam illo obstructo sola crassa melancholia retrocedit, quam non attrahit, aut capere non valet. Ergo si sola retrocedentis succi multitudo in Galeni sententia sat est ad sanguinem mittendum, nulla alia species causæ prærequiritur. Fateor, quod non obstat, cum remeante humore sanguinis quantitatem commisceri: sed Galeno sat esse videbatur, intra venas multitudinem parere, ut in auxilio sanguinis missionis servetur contrarietas; si non forte attendit, illam vitiosam multitudinem sanguinem conspurcare vitioso consortio, ac inde illud sanguinis vitium indicationem sanguinis missionis adimplere, recordatus sententiæ, 9. Meth. 11. de sanguinis vitio.

Hoc etiam Philosophica ratione convincitur. Nam hic non sola superest multitudo regurgitantis succi, sed hoc sanguinis vitium, bilis & melancholiæ consortio jam contractum, non tantum ratione quantitatis, sed putredinis, aut alterius vitii, dum simul intra venas feruntur. quo solo Galenus sanguinem mitti consulit. 9. Meth. Med. citato. Et si ab illo quærimus, unde sanguinis missio indicatur? Respondet, ab illa multitudine speciali, quæ impedito perspiratu contrahitur, ut expirent fuligines, quæ inducunt putredinem. Hoc in putrida febre, in cujus indicationis prosequutionem. 8. Meth. Med. c. 4. dixit: *Ergo ut transpiret, majori auxilio opus est, si ætas maxime non repugnat, etiamsi communis plenitudinis signa non adessent.* Postea vero obstructio, abstergentibus, tenuantibus, concoquentibus, & aperientibus curatur.

Galen. 8. Meth. Med. c. 4.

Neque mihi placet alia speciosa ratio: ideo sanguinis missionem indicari, ut impactus humor vacui ratione vacuetur. Quod plerique deducunt ab his Galeni verbis. 8. Meth. Med. citato: *Haud quaquam igitur differendum est sanguinem ita laborantium mittere, tum ad virtutis, tum ad obstructionis modi proportionem.* Hoc enim non intelligit de humore impacto, sed de illa quam ex eventu creat multitudine, aut vitio contracto. Quod patet etiam ex aliis obstructionum differentiis, uteri nempe aut hæmorrhoidum, quas curat suppressi humoris vacuatio, licet una sanguinis gutta non adesset supra quantitatem refluentis humoris: sat est enim illa multitudo sanguinis, aut alterius humoris, mille modis fœdati, si ita fari licet, ut solet in lochiis suppressis & fœdatis. Audi Galeni verba, dum hæc nostra confirmat, adversus Erasistratum cap. 5. *Verum his retentis*, inquit, *illam cuilibet malo implicari facile est: huic quæ rursum evacuationes medentur* (nam cum suppressio est morbi causa, ejus reditio est morbi medela, ut Avicenna dixit,) *sed posthabitis mulieribus, jam te ad mares confer. Sive hæmorrhois profusa, sive retenta, in perniciosissima mala delabuntur. Tu retentas forte non vacuabis? tot hominum interitum parvipendens? Ego non solum spasmum hydropemque sanguinis evacuatione sæpius sum medicatus.* Ne forte quis putaret, in sola calida multitudine illud consuluisse.

Galen. 8. Meth. Med.

Gal. advers. Erasist. c. 5.

Nescio, quo auspicio doctus, & longa experentia exornatus Ludovicus Mercatus opinioni & placitis minorandi addictus, in morbo regio, si bilis ad ventrem confluat, & colicam inducat, sanguinis missionem dicat præsentaneum illi fore auxilium, & non purgationem, Duo in hac sententia considero. In pura & rigorosa cacochymia, solam illius multitudinem, aut ex illa vitium in sanguine contracto, illi sat esse ad sanguinem mittendum. Secundo, quod purgare non consulat, licet adsit ad ventrem humoris biliosi vergentia. quod in illa opinione maxime ad purgandum compellit, cum ibi adsit purgationis objectum, nempe unius humoris irritatio & vergentia. Et est satis valida à contrario auctoritas & argumentum ad probandum, solam multitudinem supernatantis succi sat esse ad sanguinem mittendum: & interdum solam irritationem unius humoris non sufficere ad purgandum, si hoc à multitudinis indicatione superatur.

CAPUT X.

De iis quæ in prima corporis regione commorantur.

In hoc omnes convenimus, quod in febre quantumvis valida, quæ à putrida aut incocta cruditate fovetur, in prima corporis regione, ventriculo nempe, intestinis, aut venis mesenterei: ut illa sit prius educenda, coquenda, aut attemperanda (potest enim esse acida aut nidorosa, corrupta aut incocta) vomitu repetito, clysteribus purgantibus aut lenientibus, aut alio leviori cathartico: est enim illa cruditas causa sine qua non febris potest curari. Et tunc est etiam cautio adhibenda, ut putrida cruditas mox à principio absque ulla præparatione educatur; quoniam illam natura nec per se, nec ex eventu retinet, & facile per vias communes expurgatur. Et hoc auxilium est vere hujus multitudinis contrarium, quia contrarias possidet facultates. si vero est cruditas incocta, quæ illam febrem fovet, & ad benignum reducibilis, purgans medicamentum parit actionem omnino contrariam naturæ; quando hæc retinet, quod sibi intendit assimilare, & interim cathartici actioni obsistit, & omnia catharticum sine fructu conturbat, & forte diariam in putridam degenerare cogit; & dum natura

natura irritata, conatur expellere quod retinet, inter hæc contraria diſſolvitur, & major inde noxa quam utilitas ſequitur. Quare, cum cruditas (febris cauſa) præſumitur incocta, propria indicatio petit ut prius concoquatur, calidis & ſimilibus noſtro calore naturali, cum aliqua corroboratione facultatis, quæ coctioni præeſt. quod Galenus in duplici auxilio deputavit, *quietem agere, & pannis contegere:* utrumque tamen variis auxiliis adimpletur: quæ in practicis leges.

Si vero hæc divina febris jamjam in putridam degenerat, alia inſurgit conſideratio: (demito quod ex urina & propriis febris putridæ accidentibus dignoſcitur) hoc dupliciter novimus accidiſſe, ſeu dum putrida cruditas à viis communibus per meſerei venas ad ramos venæ cavæ ingreditur, attracta, vel compulſa, ut inculpatos humores putredinis contagio coafficiat; ſeu dum in ſinubus, & anfractibus primæ regionis retenta, exinde perenniter ad cor, non tantum putredinalem calorem, ſed putridas fuligines, immittit, ut etiam cordis humores coafficiat, & exinde ad alios putredo transferatur, ut jam ex diaria in putridam degeneret. Et utroq; modo in graviſſima pericula ægros delapſos vidimus, interdum ex pravo corporis apparatu, ex illa (quæ videbatur levis) occaſione; & non ſimul, quia putrida illa exhalatio, & cruditas corrupta, in ſuo principio deterrimam putredinem contraxerat, in peregrinam qualitatem tranſmutata ut Galenus aſſeruit, 8. ſecundum Locos. 6.

Hic in mea ſententia eſt caſus, qui nos frequenter decipit, & majori puriculo. quia putrida cruditas in prima regione immoratur, adhuc quando putrida febris humoralis nos in ſui auxilium ſollicitat, & dum putridam attendentes ut majoris periculi, cruditatem primæ regionis deſpicimus, aliquo clyſteri neceſſitati ſatisfactum æſtimantes. Et dum ſanguinem mittimus, ægroti deterius res eunt, quia putrida cruditas ſuccedit intra venas loco ſanguinis miſſi, ſeu aliter à calore attracta. quod præcavit Galenus faciendum in hujuſmodi febribus, 4. de Sanit. tuend. cap. 5. Nam inter impedimenta ſanguinis miſſionis, dum nimia cruditas exuperat, inquit, *quippe inciſa vena, bonum ſanguinem emittit, malum qui in primis maxime venis, circa jecur & meſentereum colligitur, in totum attrahit corpus.* Ut mirum non ſit, ſi illa febris ex ſimplici putredine in malignam degeneret: aut ægroti à ſanguinis miſſione reddantur veluti gelu frigidi, puriſſimo & inculpato ſanguine detracto, qui futurus erat in auxilium illius cruditatis.

Gal. 4. de Sanit. tuendar. c. 5.

Quomodo ergo diſcernemus, putridam cruditatem adhuc in prima regione ſuperaſſe? Licet humoralis incipiat de putridarum ſorte, hoc ex duplici principio videtur poſſe conſequi. Primo, ex anteacta occaſione putridæ cruditatis, nempe ex frequenti ingluvie, dum una ad alteram conſequitur, ac ex multitudine ingeſtorum, ac varia illorum conditura, quæ nativus ventriculi calor ſuperare non valet: ut ſolet in conviviis evenire. Secundo, dum intendimus illam cruditatem omni ingenio educere, vomitibus nempe & clyſteribus, etiam repetitis, quantumvis acrioribus: & illud conſequi non valemus, ſeu quia ægrotus ſumma dfficultate cogitur ad vomendum, & non vomit; ſeu quia parum de nimia quantitate educitur clyſteribus; ſeu quia reconditis anfractibus nec ab hoc nec ab illo auxilio movetur.

Hæc eſt unica rerum, quam dicebamus antea eſſe exceptionem limitatam noſtræ opinionis; non fore nempe in putrida febre minorandum: quoniam ſanguinis miſſio in hoc caſu aliter à putrida febre, ſeu à multitudine indicata, eſt extrema pernicies in complicatione putridæ cruditatis, in prima regione. Nam iſta eſt cauſa, ſine qua non poteſt febris illa mederi: hæc, ut cauſa aliarum cauſarum, primo ſui ablationem petit, auxilioque vere & realiter contrario, quod contrariam nempe habeat facultatem, non tantum ad illam multitudinem vacuandam, ſed ad ſitum & locum, per quem poteſt & debet vacuari. Quibus indicationibus non valet ſanguinis miſſio ſatisfacere: & quia eſt extra venas vacuanda materia, & longe in diverſa regione, quam ipſa non conſequitur; & ex hypotheſi per ſanguinis miſſionem non educitur; quæ ergo reſtat auxilii ſpes? Mihi unica tantum reſtare videtur, illam nempe putridam cruditatem purganti medicamento educere à principio, non tantum lenienti, ſed æquali, in tractionis & expulſionis neceſſitate, ſeligenti nempe medicamento, quod vires ſortiatur æquales: nam præterquam quod nulla indiget præparatione anteacta, hoc auxilium indicatur, qua vacuans, ab illa multitudine; qua proprium, ab illa regione; qua contrarium, ab irritatione, ſeu putredinis, ſeu illius humoris, cum quo purgans medicamentum habeat analogiam. Et illa ſunt loca conferentia huic etiam humori vacuando, ſiquidem in illis remoratur, & tam magno periculo retinetur illa putrida cruditas: illa tamen ſit cautio, ut ante vomitibus & clyſteribus illam educere tentemus. quod ſi non aſſequamur, tunc proprium oritur pharmacum.

Nam in hoc caſu ex ventris affectu ſumitur indicatio, & quæ in ventre continentur, non poſſe aliter commode vacuari quam per ventrem, docuit Avicenna, in regimine ſanitatis, titulo de nocumentis cibi. Gariopontus etiam antiquiſſimus auctor inter Latinos nobilis; Libro de Symptomatibus febrium, in Epilogo, in Libro aureo ſic alloquitur: *Utrum,* inquit, *ad cauſam & ad impetum febris attendentes, tantum nimietatem vacuabimus? Ut diximus plethoris, quod non ſine grandi malo facìemus: aut ante magis, os ventriculi plenum, & laborans humoribus, purgabimus? mihi ſic fieri, utile eſſe videtur, ut id quod gravius eſt, de pluribus obtineamus; & ſic poſtea id quod levius eſt facilius curabimus. Nam ſcimus, multos medicorum, ignaros, non ad hoc reſpicientes, & incongrua facientes, plurimos hominum extinxiſſe, multoſque graviſſimo periculo ſubjeciſſe, aut certe in macronoxiam miſiſſe. quia antequam laborantem & plenum ſtomachum corruptis humoribus & craſſis purgarent, corroborare auſi ſunt, contra rationem: & totius corporis facere ſanguinis miſsionem.* Haud minus ſevere loquitur Avicenna in propoſito caſu. Fen. 4. Lib. 1. cap. 20. *Et debes ſcire,* inquit, *quod non quoties nominata ſigna repletionis apparuerint, oportet ut minuas. Imo quandoque eſt repletio ex humoribus crudis, & eſt tunc phlebotomia multum impediens,* &c. Ideo Galenus 1. ad Glauc. 14. in hac complicatione, à ſanguinis miſſione diſſuadet, non tantum

Gariop. Lib. de Sympt. febrium.

Avicenn. Fen 4. Lib. 1. cap. 20.

ob

ob imbecillitatem ventriculi, sed ne venas intrent putridæ cruditates loco sanguinis missi, ut 4. de Sanit. tuend. 5. Audi Stephani Atheniensis Commentarium ad hunc Galeni locum. *Plethora, inquit, est quatuor succorum auctio: sanguinis immoderantia interdum; itaque contingit quandoque plethoricum hominem à febre corripi, stomachumque ipsi vitiatum esse, vel à vomitu pravis succis in transitu ipsum vitiantibus, vel à diversitate ciborum ex incoctione corruptorum, ideoque stomachum mordicantium: id quod molestum atque anxium eum reddit. Quid ergo hoc in loco agendum est; nunquid stomachum curare prius oportet, an multitudo vacuanda est? Profectò hoc facere non possumus citra noxam, stomacho non curato; quare melius est ad hujus curationem primum accedentes, ita deinceps ea quæ multitudinem evacuant, adhibere*, &c. Ergo est prius ab stomacho cruditas expellenda.

Stephani Atheniens. Comm. ad hunc Gal. locum.

CAPUT XI.

De Vitio pestilenti & maligno.

De hoc etiam vitio pauca dicam. Est enim hujus nobilis & docti viri eadem ac nostra opinio. Nam cum videret, utplurimum malignam & pestilentem qualitem residere in sanguine, (& licet in alio humore) absurdum judicat, in principio turbare naturæ actionem, quando illa à corde ad emunctoria excutere conatur, & malignam qualitatem cathartico diffundere, & ad membra principalia jam commotam propellere. Nunquam cogitavi de minorantiva purgatione inquit, in hoc vitio pestilenti, ut absurde faciebant quidam medici. Nec dubitavi sanguinem mittere moderate in hoc vitio, cujus qualitas residet in sanguine, aut in sanguinis massa: licet soleat bilem flavam, atram, aliquando pituitam, & serosam molem aggredi, &c.

Longe aliter scribitur in rebus, in quibus observatio fecit experientiam, quam ubi aliorum traditur observatio. Dicam quod ipse vidi. In hac lamentabili pestilentia Hispalensi, Anno 1649, tam confusa & varia accidentia ægrotum agitabant, adhuc febris initio, ut locus medicamento purganti non daretur. Nam aliis perennis vomendi continuitas erat, jam atra, jam crocea, & indicibilis qualitatis quamplurima, evomebant, ut nec cibum nec potum retinere fas esset. Quo in statu purgans medicamentum aut cederet in irritum, aut importune naturam agitaret. Aliis à prima aut à secunda die bubones & antraces erumpebant, quo tempore naturam ab opere laudabili divertere nefas erat. Et si forte aliis in fallaci quiete lubrica purgandi incidebat occasio, quod impia malignitatis impiæ qualitas non agebat, barbara medicamenti actio concitabat. Nam motu importuno veneni illud ad caput, seu ad cor propellebat, quo fanaticus, aut prorsus exolutus evadebat ægrotus. Et nullum vidimus importuna purgatione liberatum. Plures tamen phreniticos, convulsos, obmutescentes, lethargicos & implacido alismo desperatos vidimus periisse. Indicibiles tamen hujus qualitatis effectus plus habent admirationis quam fidei. Nam alios urebat, ut in puteos cogeret prosilire: ut contigit Viro, neque noto, neque publico genere, quem miraculose ex illo subtraxere. Alios reddebat veluti gelu frigidos, ad summam nectaris vivifici necrosim: ac aliis viscera urebantur: sitis erat plerisque ad furiam & desperationem. Nullibi quies erat. Quomodo ergo in hoc rerum statu quis purgans medicamentum propinare auderet? Hæc visa, omnem superant prudentiam, principia & præcepta ita complicatis & confusis indicationibus omnino confunduntur, ut nec quid agendum, nec ubi quiescendum, permittant.

Anno 1649.

Hoc evidenti experientia comprobavimus, nullam sinceritatem neque supernatantiam in humore sanguinis consortium subterfugere; & omnem per sanguinis missionem vacuari, licet humores essent in termino ad quem ustionis aut putredinis. Nam hos & illos vidimus per sanguinis missionem vacuatos. nec interest, in illos degenerasse sanguinem. quando enim ab aliqua excellenti qualitate superatur, propriam nequit formam conservare; ut ex Galeno constat, 2. de Natural. Facult. 2. Nam ut sanguis à moderato calore fit: sic ab illo etiam conservatur. Unde cum acquirit calorem majorem moderato, induit dispositiones suæ formæ repugnantes, & aliis humoribus gentilitias: ac ideo in humores transit sibi calidiores, à quibus superatur; ut etiam sentit Aphrodisæus, 2. Problemat. 85. Sed illud tibi erit hujus transmutationis argumentum, cum circuitus alterius humoris observantur, qui antea non erant, aut etiam in alios sibi maligniores transeunt, malignitatis signa apparere incipiant.

Videamus ergo, an ex aliquo principio malignæ, venenosæ, & pestilentis qualitatis deducitur minorandi occasio. Dato, quod id non petit illa maligna qualitas, quæ alexiterio ut proprio contrario medetur: alia enim producitur à forma mixti inducti per putredinem: alia illius quæ ustionem inducit. Nam putredo est qualitas disponens ad mutationem formæ substantialis; & non quocunque gradu putredinis est ultima dispositio formæ introducendæ, licet in quocunque gradu sit qualitas, quę dicitur putredo, usque dum ad ultimum deveniat formæ incompatibilem. Quare, quando sanguis per putredinem vertitur in bilem, vel melancholiam, non est ex quaque putredine, sed ex illa, quæ terminatur extrinsece ad formam substantialem; ut non quicunque gradus caloris est ad formam ignis introducendam aptus. Quare, quando per putredinem nova forma inducitur, illa in illo, qui producitur, mixto imperfecto, est malignæ qualitatis productiva. quod non in omni putredine invenitur, sed in illa, cujus forma est naturæ contraria: ut quando tota sanguinis massa corrumpitur, & in humorem indicibilem mutatur, & tunc apparet licor veluti fœda sanies in fibris & substantia, corruptio, & proprio nomine caret. Et tunc vere producitur à forma introducta pestilens, maligna, & venenosa qualitas; ut etiam ex Gal. colligitur, 3. de Crisib. 4. 1. de Diff. Feb. 5. 6. Epid. Sect. 1. 29. 3. de Præsag. ex pulsibus 4.

Ex ustione etiam producitur qualitas deleteria, & similis veneno; non ex quocunque gradu ustionis, sed ex illo, qui est ultima dispositio formæ introducendæ. Et tunc illa forma, quæ denuo inducitur, ut naturæ contraria, est etiam venenosæ qualitatis productiva. quod cernitur, dum

dum per ustionem atra bilis producitur ex sanguine, aut bile, sive æruginosa, prima forma mutata. Quod etiam Galenus adnotavit, in illa Phrenitici historia, qui virulenta vomuit. 3. Epid. Sect. 3. ægrot. 4. In hac Phrenitide, inquit, vitiosus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali assimilis, humorque ipse evasit malignissimus. Unde illa qualitas deleteria à suo principio efficaciam operandi sortitur, prout est efficacia in principio, seu in forma, in illo jam producta. Ideo in aliis inflammat, mortificat, putrescit, urit, aut vehementem intemperiem seu corruptionem inducit in membrum in quod decumbit. ut etiam est Galeni sententia, Libro de Cibis boni & mali succi. & 9. de Simpl. Med. Facult. cap. de terra samia, & 3. Progn. 4. *Licet morbus appareat perexiguus*, ut Hippocrates dixit Libro de Definitionibus Medicis. Cujus exemplum est in Critone, in Thaso. Quoniam, cum illius virulentia non operetur per primas qualitates, non sentitur: quia à tota substantia operatur, nec calorem accendit, nec agitat humores. quo fit, ut nec in pulsu, nec in urina, adsit virulentiæ signum, quia nec usus adaugetur, & natura perterrita deleteriam qualitatem non aggreditur, imo se præ timore comprimit, nec dilatat arterias, ne trahat versus cor halitus venenosos.

Hæc sunt hujus deleteriæ & venenosæ qualitatis principia: ex putredine unum: ex ustione alterum. Est etiam qualitas venenosa producta. hæc accidentia quæ ex illa succrescunt. Alia quæ naturæ magisterio adveniunt, cum expurgat partes intimas corporis ad cutim, noxiumque humorem utiliter transponit: aliquando omnem superat naturæ actionem, cum illa victa cadit. Purgans medicamentum indicat & petit irritatio illius separati humoris: hujus incoctibilitas, certissimum & evidens periculum, ni breviter à corpore pellatur, contrarium suadent. Hæc duo venenosæ qualitatis principia: ipsa maligna qualitas: febrilis ardor: laudabilis naturæ motus, & occupatio; decubitus ad membrum principale periculum: attemperandi urgentior necessitas: ac tandem summa omnium principiorum imbecillitas, & maxime facultatis vitalis, quæ primas tenet in contraindicando. Libratis ergo ad pondus indicationibus, & contraindicantibus, & utrorumque meritis, & quod ex hypothesi tutius & minori cum periculo illa multitudo moderata sanguinis missione vacuetur: tutius judicamus, minorantibus non uti in principio, quam desperatum auxilium adhuc ancipiti in spe tentare.

CAPUT XII.

De varia humorum cruditate.

Iam diximus, quare celebriores Medici Veteris Carpentaniæ, Regii, & Salmanticenses, & plures alii, Nobilissimi Viri exteræ nationis, enixe suadere conantur minorativum quam dicunt purgationem. Quod nos etiam vidimus, in Alma Salmanticensi Academia, dum politiori literatura & ingeniorum nobilitate floruit, feliciter à doctissimis Viris practicari; ut à nostris Nobilibus magistris, Doctore Christophoro de Medræno, & Antonio Ruis de Ochoa, qui postea Regiam aulam coluerunt Archiatri. Qua

A etiam nos opinione imbuti, à Nobili Academia discessimus. Vidimus postea, apud nostros in Betica provincia, qui nihilominus nominis claritate floruerunt, & Medicinæ principiis & præceptis æque nobiles, habitum ut gravius piaculum, in principio purganti medicamento uti in febrilibus morbis. Et collimante consideratione hos laudo, & illos non condemno: quia utriusque opinionis fautores experientia & ratio commendat, secundum utriusque regionis temperiem, climatis, & cœlestis influxus. Nam pericula hu-B jus purgationis nostros doctores in purgando reddidere cautissimos. Pleraque enim sæpe mala in febrili apparatu delitescunt, quæ vix peritissimus agnoscit. Et si quis forte hæc, ratione & experientia observata, despexit, in ipsomet opere pænas luit. Quid mirum? adhuc hypochondriaci, absque ullo febris vestigio, si absque exactissima præparatione purgantur, excandescunt, recentibusque malis ab illa succi agitatione cumulantur. De me audeam dicere, quod à veris principio, & ad æstatis finem, semul purgare non C contingit, illis maxime in febribus, quæ aliis auxiliis videntur judicatæ.

Sed videamus, quæ Vir iste doctus in hac varia cruditate proponit. Aut enim, inquit, crudum potest aliquod susceptare beneficium, ab arte, aut à natura; aut nullo modo potest; si primum, à natura retinetur, & retineri impedimento est ad expurgandum. nam retentio & expulsio sunt contraria. si vero crudum est ita dissimile, ut neutiquam natura possit illius retentionem appetere, ut putridus in termino, venenosus, D malignus, aut incoctilis, isti ut tales non impediunt purgationem; & licet boni essent malis permixti, si natura infensissimum inimicum amplectitur & retinet à quo debet superari: illa est artis excellentia, naturam à periculo liberare, talem humorem expellendo in tempore, antequam succumbat. Quod etiam à posteriori colligitur, in excretionibus symptomaticis. Hæc sunt hujus Viri majora fundamenta.

Pleraque ex istis antea debellavimus, in responsione ad argumenta: pleraque antecedenti E titulo. Nunc oportet, ut majori distinctione procedamus, hæc omnia ad exempla reducere. Nam cruditas potest considerari in triplici humorum sorte: nempe in incocto: incoctili: aut putrido. Incoctus est nondum à natura superatus, sed qui potest ad benignum reduci. Incoctilis, qui habet qualitates nostræ naturæ repugnantes, & insuperabiles. Putridus autem, aut est in via, aut in termino. In via adhuc partes habet reducibiles ad benignum, & ideo à natura comprehenditur amplexu generali. In termino, licet retineri non F appetat, sed, ut cedat naturæ magisterio, petit, quo feritas & incontemperantia dominetur, ut illius expulsioni cedat. Quare, licet incoctiles & putridi non possint ad benignum reduci, nec aliam gratiam à natura recipere, alterius tamen beneficii sunt capaces, quod natura in illos imprimere intendit. Sunt enim separationis beneficii capaces, domita illorum feritate, saltem attemperata. Et sic legimus pravos & incoctiles humores per excretiones nigras, lividas, & aliter deterrimas criticè naturam propulisse: quos licet ob generalem finem non retineat, se ab illo-

rum expulsione abstinet, (nisi extreme lacessita) donec illos separatos agnoscat, aut domita illorum feritate. Nam lege & ordine operatur natura, & retinet aut pellit, naturali instinctu. Nobile de hoc leges exemplum, 4. Aph. 47. de excretionibus lividis & cruentis.

In coctione etiam attende, quod per varias actiones in varia humorum sorte celebratur: finem semper ad unicũ, ut super illos natura dominetur. Nam in aliis est alteratio, seu correctio humoris per contraria, in primis aut secundis qualitatibus, quæ in humore crudo celebratur: seu dum intemperatus, seu dum crassus aut tenuis, putridus, aut incoctilis. In aliis coctio est præparatio, ut facilius à corpore pellatur. Hęc in tenuibus mediocritatem intendit, tenuitatem in crassis, in omnibus temperiem expulsioni aptam. In aliis natura coctionem assimilare intendit, quod est capax illius beneficii, sive in vere crudis, seu semiputrescentibus, ut 3. Prognost. 3. Galenus adnotavit. Interdum coctio est digestio, quæ à natura mediis facultatibus vegetantibus perficitur, retinente, expellente, &c. ut quando putridum à non putrido separat, utile ab inutili, medio motu locali. Et hæc proprie à Galeno naturæ victoria appellatur, 3. de Cris. 5. 2. Acut. 44. Et hæc interdum sanguinis missione & aliis vacuantibus auxiliis adjuvatur, quatenus impedimenta tollunt.

Hac ergo supposita doctrina, huic docto Viro respondemus: quod licet crudum aut incoctile non sit capax ullius beneficii, cujus gratia retineatur, nec ut naturæ similitudinem accipiat, utrumque tamen natura ad tempus determinatum retinet, & ordine, & lege, ob alium finem, donec illos aut domitos aut separatos agnoscat. Et hoc impedimentum sat est ad expurgandum in principio: nam motui locali medicamenti obstat illa sola retentio. Vultis hoc videre luce clarius? Legite hanc Galeni sententiam. 4. de Sanit. tuend. 5. *Cæterum, si ex lasso corpore, inquit, sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio est adhibenda: quippe incisa vena bonum sanguinem emittit, malum in totum corpus attrahit. Dejectio vero in talibus tormina, erosiones creat, animique deliquia, cum eo, quod nec notatu quidpiam dignum educit, quando crudi omnes succi, pigri, atque ad motum inepti propter crassitudinem frigiditatemque sunt. Quo fit, ut omnes angustas vias obstruant, per quas id, quod medicamentum dejicit, ferri ad alvum debet. Itaque nec ipsi educuntur, & aliis impedimento sunt. Id quod sane Hippocrates illo oraculo præcavit, quo brevissime præcipit, concocta medicamento tentanda esse, non cruda.* Hoc accidit in hac crudorum sorte. Transeamus ad alias. Calidissimos humores incontemperatos purgare in fervoris principio, nisi domita illorum feritate, malignos & pestilentes, nisi illa qualitate frænata, & impræparatos, incoctiles, quis audebit? Hoc præter dicta superius, per titulos sequentes demonstrabimus, fore contra artis principia.

Galen. 4. de Sanit. tuend. 5.

Et ad instantiam de artis excellentia, dum inimicum insensissimum amplectitur natura, aliqua afferamus exempla insensi inimici, superatæ naturæ, & videamus, quid in illis artis fecerit excellentia, per ipsiusmet artis conditores, dum quod opprimit crudum, nullum valet beneficium à natura suscipere. Sed prius debemus præsupponere crudum, quantum præsenti argumento conducit, in triplici humorum sorte posse considerari: in bilis nempe differentiis: utriusque melancholiæ & pituitæ. Iam antea probavimus, bilis & melancholiæ multitudinem æque bene posse sanguinis missione vacuari: & quando in illa fas sit expurgari vacuanti cathartico. Nunc restat de alia succorum cruditate, in pituita nempe salsa, acida, aut insipida, aut nimia incocta cruditate, aut putrida, dum in febrili morbo insensissimum pariunt inimicum, ut natura prę onere inde periclitetur.

Galenus in febre syncopali humorosa 12. Meth. Med. c. 3. Sic loquitur: *Ergo febricitare incipiunt nonnulli, ubi maximam succorum crudorum copiam congesserint: omnibus his pulsus minores sunt quam pro caloris ratione. Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet: cum tamen vacuari desiderent, verum nec sanguinis missionem nec purgationem sustinent. Quænam igitur est ratio in talibus medendi? Sane nullam aliam his idoneam vacuationem inveni, præter eam, quæ ex frictione paratur: his sane mulsa, in qua hyssopum incoxerit, aptissima est. Sin pulsus robore mediocris sit ac magnitudine, considera, quæ ad alvum spectant, & si sua sponte non dejiciat, audacter per inferius aliquid infundes, &c.*

Galen. 12. Meth. Med. c. 3.

Hoc exemplo nos Galenus edocet insensissimum inimicum; sed non quod talis sit mox purganti medicamento vacuandus: licet ex illis sit qui amant purganti medicamento vacuari. Est enim crudorum abundantia. Nam licet generalis multitudinis indicatio sui ablationem petat vacuanti auxilio, specifica tamen secundum humoris speciem determinat ex vacuantibus, quod cum humore habeat analogiam. Individualis autem indicatio hęc & illa indicantia modificat, & eligit, in ordine causarũ, quæ primo vacuanda, quæ secundo aut tertio, ac quantum unicuique tribuendum. Et inter pugnantes indicationes quæ aliam superet in urgentia, aut quę in indicando aut contraindicando sit valentior. Hac distinctione caret illa Viri docti doctrina: nam per indicationes generales purgandi necessitatem elicit, ab unius humoris supernatantia & irritatione, generica, & specifica indicatione: at individuales non considerat, nempe quæ aliam superat in contraindicando, & quando, & quantum unicuique tribuendum; quo certe non convincitur, insensissimum inimicum ideo purgationem indicare, quantumvis supernatet. Nam perpendens Galenus necessitatem vacuandi, in illa cruditate fere insuperabili, (morbi periculo, & viribus libratis) ad lentas frictiones se contulit, (valentius enim auxilium vires in hoc morbi statu non ferebant) & interim coquere imperavit hyssopi mulsa, usque ad recuperatæ vires, quid majori securitate agendum suaderent, ventris impedimentis inferius ablatis per clysteres. En insensissimum inimicum amplexum, à quo fere natura superatur, & per alia auxilia debellatum, non per minorantem purgationem.

Transeamus ad aliud exemplum, & ibi invenies generales, specificas & individuales indicationes, suo ordine ad practicam reductas. Nam Galenus 4. de Sanit. tuend. 4. ad aliam crudorum sortem transit, acrium nempe, & putridorum, dum intra venarum sinus delitescunt & in corpo-

Gal. 4. de Sanit. tuenda 4.

corporis ambitu. *In iis autem, inquit, qui ita se habent, id agendum nobis est, ut quod mali succi, jam plane corruptum est, nec concoqui etiam potest, id sudore urinaque pellatur*, (nempe quod intra venas putruit, per urinam: quod in corporis ambitu, per sudorem.) *quod semicoctum adhuc est, concoquatur, atque utile reddatur. Id autem quiete & somno confiet. Sin autem in posterum diem duret, de valentiore remedio est cogitandum: his enim si vires non desunt, duorum alterum, aut sanguis mittendus est, aut purgatio exhibenda. Sed discernentibus nobis, utrum magis expediat? Sin vires imbecilliores dehortantur, sanguis mittendus non est, sed dejectio mediocris adhibenda. Post hac, alvus eo medicamento dejicienda est, quod maxime accommodatum malo succo sit. quod si vitiosi tantum succi, hique citra sanguinis copiam subsint, purgatio petenda est. infestat vero alias biliosum, alias atra bilis,* (sive melancholia, ut legitur in margine) *alias pituitosum salsum, vel acidum, aut crassius aut sero propinquius, aut media quapiam consistentia. Pone ergo, talem hominem lassitudine affectum, deinde ex illis, quæ retulimus notis in venoso genere apparere, subesse illi copiam semicrudorum succorum, in reliquo vero corpore multitudinem sane mordacium, auctus præterea illis sanguis esto: maxime ergo detrahere de sanguine oportet: deinde succum illum educere, qui superare videatur*, &c.

Si attendimus ad hæc Galeni verba, inveniemus, primo generales indicationes adimpleri in illa succorum multitudine, seu vacuando, quod inutile redditum; seu coquendo quod concoqui est habile: sed secundum præcepta. nam nec per urinam, nec sudorem, ante coctionem vacuatur humor, licet corruptus aut inutilis sit, & persistens in eodem scopo jam descendit ad specificas & individuales indicationes, mittendo sanguinem, ubi cum aliis humoribus miscetur: aut purgando, si id petat illa succi conditio. Sed individualiter attendit ad contraindicantia, ad vires nempe, an auxilium ferant; & ad medicamentum, ut habeat cum humore analogiam. Attende ad ea quæ sequuntur. Et *postea alvus eo medicamento dejicienda est.* nempe post sanguinis missionem, aut in semicoctis exacta coctione. Et si quis insistat, vitiosum aut putridum humorem illum præparationem non requirere: nec illud in hoc casu impugnabimus; quoniam in hoc loco Galenus febrem non præsupponit. Hæc sunt Galeni verba. 4. de Sanit. tuend. 5. *Hæc igitur dicta a me sunt, & patere jam arbitror, qua ratione corrigere oportet, quod peccatum in succis est, priusquam hominem morbus occupet*, &c. Non est ergo major artis excellentia vitiosum humorem purganti medicamento minorare; cum ab illo naturam periclitari cernimus: sed indicantia & contraindicantia æqua lance librari, ut hujus artis conditor nos his exemplis docuit.

Gal. 4. de Sanit. tuenda 5.

Nihil attentius Galenus commendavit. Legite Commentarium ad illam Hippocratis sententiam, 6. Epid. Sect. 2. text. 33. *Oportet enim, inquit, cum vacuatio requiritur, non simpliciter ad eam accedere, sed prius definire, qua ratione facienda sit: & quæ sit vacuanda materia: per quam regionem: quo tempore: & qua mensura. Primo modo ostendit, quo vacuationes faciamus, in illa dictione, (ut convenit & per qualia,) evacuandorum qualitatem: (per ubi) partem determinatam per quam ducere voluit. (Et per quando) tempus, quando convenit, vacuare ostendit. An ante coctionem, an postea. Nam in principio & ante coctionem unum tempus Hip p. constituit, nempe cum materia turget, & natura ad humorum excretionem compellitur. ut illa conjunctio, (&) ostendit. Nam postea sequitur disjunctiva, an post vexantium humorum concoctionem, quod etiam in aphorismis docuit. Illa ultima dictio (quantum convenit) materiæ vacuandæ quantitatem ostendit.* Hæc Galenus. Si ergo Vir iste magnus unum tantum tempus ad purgandum invenit in principio, quis aliud inveniet; secundum artis principia & præcepta?

Gal. Comm. 6. Epid. Sect. 2. text. 33.

Nos sæpe percurrimus Hippocratis Historias, ubi hæc præcepta ad practicam reduxit, & præ humorum multitudine & pravitate ægrotos legimus periisse: & evasisse alios post coctionem criticis excretionibus celebratis. Et non legimus, hac artis excellentia humores ante coctionem, quantumvis in actu primo turgentes, aut graviter naturam opprimentes, vacuasse: illud profecto in illis comperimus, plures minorante medicamento importune purgatos periisse. Lege Adolescentis Historiam in Mælibea, qui præcautionis gratia purgatus, 4 die interiit. Et illius Servæ barbaræ, quæ à catapotio mortua est. ut homo Euboeus, qui ob manum suppuratam purgatus, eadem die periit. Symmachi filius est aptius exemplum: qui cum à bile suffocaretur, bibit pharmacum, ut suffocantem multitudinem vacuaret, & intra sex dies mortuus est. Ut etiam Aristocrates ex carbunco, ex sola potione Mercurialis herbæ. Mortua est etiam Famula Onesidemi ex dysenteria, sola potione levioris cathartici, ex bile jam commota, & ad ventrem turgente. Neque legimus Hippocratem Philisco purgationem imperasse, licet ex morbifica causa ita oppressum cerneret, ut tertia die mortem impendere videretur. ut advertit Galenus. Neque in Herophonte, quantumvis à prima die ad alvum bilis concitaretur, adhuc cum pravis signis. Illud certe notavimus in Critonis Historia, in febre maligni apparatus, & ad onus succumbente natura, quod miretur Galenus, quomodo morbi initio Hippocrates venam non secuerit. Et, si hoc artis excellentia esset, naturam oppressam purganti medicamento ab onere levare, illius conditores non omitterent.

Neque argumentum de excretionibus symptomatis quid concludit: quoniam non sunt illa profecto imitanda quæ casu & non ex ratione juvant. Illæ enim ratione excretionis non prosunt, sed quatenus illas validæ vires ferunt, quia magna ex parte nicant, si cum virtute incidant imbecilla, si maxime irritata natura se præcipitat, forte continere non valet. Nemo inficiabitur, illas esse difficilis judicii, & cum virtute debili lethales: &, si aliquando juvare compertum est, potius est apponendum miraculo naturæ, quam excretionis beneficio: cum irritatio plus de utili, quam de noxio soleat vacuare.

Non est ideo imitanda irritata natura, quia tunc coacta operatur: nec feritas humoris concitati; quia decubitus periculo movetur, forte ad membrum princeps, damno inevitabili, si non velimus illam bene aut male operantem imitari, contra omnia antiquorum præcepta. Non est enim qua se præcipitat imitanda, sed cum secun-

dum leges, tempore,& loco operatur. Nec ulla est securitas, cum illam cernimus ab hoste superatam: an valeat vires medicamenti & humoris irritationem tolerare. Et licet irritatio unius humoris sit purgantis objectum, hæc est generalis indicatio, & non debemus in illam præcipites ire, sed specificas & individuales juxta ponere, & merita singulorum pensare. nam dolor, tumor, & nuda qualitas irritant, & tamen aliis auxiliis medentur. Nec est rationi consentaneum, habere naturam adminiculantem, cum oppressa ab hoste superatur. *Tunc enim*, dicit Galenus, *naturam habemus adminiculantem, cum humor est in motu turgentiæ, aut est coctus, & secretus utilis ab inutili.* Et neutrum in hoc casu habemus. & tunc tantum est aggredienda temeritas, quando non est spes in alio auxilio, sed quando aliqua in alio elucet, merita utriusque debemus æqua lance librari: & si optimum non datur, minus malum eligere. Et non infrequenter vidimus, naturam omnino superatam, sanguinis aliqua vacuatione resipiscere, per nares, menses, & hæmorrhoides. quod etiam in Larissea Virgine & Muliere morosa Hippocrates advertit. Non erit ergo contra rationem in hac oppressione, auxilium hoc sanguinis missione tentare, scarificatis cucurbitulis, aut hirudinibus, hæmorrhoidibus applicitis. Hæc etiam vacuantis auxilii fruuntur privilegio, & minori turbatione, nec tam magno periculo. Et in hoc artis haud inferior erit excellentia. Nec eo, quod aliquæ symptomaticæ excretiones juvent, sunt ideo protenus imitandæ: *Nam multos*, dixit Seneca, 6. de Benef. 8. *fortuita juvant, nec ideo remedia sunt: nam in flumen alicui cecidisse sanitatis causa fuit; quorundam flagellis quartana discussa est; & motus repentinus suspectas horas fefellit: nec ideo quidquam horum etsi saluti fuit salutare est.*

Galen. | *Seneca 6. de Benef. 8.*

Dicit ultimo, in statu superatæ naturæ medicamentum humorem cogere, non naturam: quoniam is attingitur à motiva qualitate medicamenti, & bonus à natura retinetur, &c. Quam facile, ô Vir docte, dicimus ea quæ summa difficultate operamur. Nonne ille humor, inutilis in tua sententia, simul cum utili retinetur, generali amplexu? forte in hoc statu non sunt omnes viæ obstructæ, per quas debet transire & vis medicamenti, & humor jam attractus? Illud est opus mixtum, cui medicamentum & natura mutuas tradunt operas. Detur, quod propria virtute possit humorem cogere, si ille à natura etiam retinetur, aliqua violentia necessitat, ut illum, velit nolit, demittat. quo est prorsus necesse, ut etiam cogat & compellat naturam, si non per se, saltem ex eventu. Vis ea legere in Galeno? Hæc sunt illius verba, 3. de Simpl. Medicam. Facult. cap. 26. & 27. *Purgantium medicaminum*, inquit, *quædam jam possident etiam ad attractionem similitudinem: quædam non perfecte, quidem non obtinent, verum in animantis corpore accipiunt*, &c. *Itaque duplex in his similitudo est, una actu, altera potentia; evenire igitur eæ solent* (superpurgationes) *cum medicamen usque adeo invaluit, ut in vasorum ad ventrem pertinentium osculis, mordicationem apertionemque multam relinquat, assidueque irritans convellensque corpora quæ in vasis sunt, vires dissolvat atque dejiciat.* Quo fit ut primo similis humor vacuetur. Secundo tenuis. Tertio crassus, & ultimo sanguis, cogente medicamento naturam ut hæc omnia pellat. Ergo medicamentum etiam cogit naturam. Legite in hujus sententiæ confirmationem Antandri Historiam. 5. Epid. 41. Hic sanus, à catapotio purgatus: circa vesicam dolor: strangulatio: vomitus: dejectio postea sanguinis: inde mortuus est. Liquatis succis usque ad sanguinem, & vesica etiam ulcerata. Est ne hoc etiam naturam cogere? Mihi id profecto videtur. Hoc in superpurgatione accidere palam est, natura extreme lacessita: quando vero minori violentia minus cogitur; sed illud semper patitur, saltem cum attractum excernere conatur.

Galen. 3. de Simpl. Med. Facult. cap. 26. & 27.

Clauditur hic discursus. In hoc statu superatæ naturæ mutuo se impediunt, naturæ & medicamenti actiones, adhuc in supernatante & in corrupto succo. Nam licet non sit capax conversionis, est tamen alterius beneficii capax, ob quod à natura etiam retinetur, nempe attemperationis aut æquationis, quantum expellendo conducit, etsi hoc ad excretiones symptomaticas non convincit: nam absque illo beneficio utiles æstimantur. Nos etiam dabimus excretiones, quæ in contemperationis defectu sunt mortales: *Nam morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis sursum aut deorsum exirit lethale*, 1. Aph. 22. & 23. Et reddit rationem Galenus: *Est enim in talibus natura imbecillis, adeo ut non possit concoquere, neque discernere, neque excernere, quæ ita prava existunt.* Ac si diceret, si posset illa munia obire, utiles tales essent excretiones. Hoc patet ex alia Hippocratis sententia & Galeni contextu; 4. Aph. 47. *Excretiones*, inquit, *in febre non intermittente, lividæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ: & si bene exeant, sive per alvum, sive per urinam bonæ*; Galenus, *Indicia vero*, inquit, *quod bene excernatur, maxima quidem sunt, & coctio, & bona tolerantia*, &c. Ergo natura adhuc pravum humorem retinet, ut super illum amplius dominetur, si aliud non valet. Nam illos saltem attemperare satagit, æquare, ab inutilibus etiam separare, & ad meliorem temperiem reducere, quantum expellendo conducit. hic est enim finis hujus operis: quod cum in tempore & ordinatis actionibus fiat, necesse est, ut aliqua mora & spatio retineatur, ut natura in illos suam imprimat actionem, quo tempore, si catharticum attrahere conatur, mutuo se contrariæ actiones impedient. Et, si bene memini, hæc sola ratio Virum doctum cogit fateri, ut dum utiles succi pravis permixti permanent, non sit ex usu minorare. quo fere contra illam concluditur. Non enim sat est, humores esse à medicamento trahibiles: si illi tractioni non cedunt, aut ob incontemperantiam à natura etiam retinentur: nec natura pravos pellit instinctu naturali, nisi quando domitos æqualiter & separatos novit. Lege Galeni verba, huic certe argumento mirabilia, 1. de Crisib. 9. *Nam propter id*, inquit, *quod crudi succi stabiles & fixi sunt, purgantium medicaminum tractibus difficulter obediunt: & inde sunt exolutiones & deliquia.* Quare consultissimum erit, dum timetur, ne natura succumbat, antequam perfectam coctionem consequitur, prius alia artis vacuantia ingenia experiri, dum intra venas febrilis & morbifica causa delitescit, ut oppressa exoneretur natura: ne forte magis ex impor-

Hipp. 1. Aph. 22. & 23. | *Galen.* | *Hipp. 4. Aph. 47.* | *Gal. Comm.* | *Gal. 1. de Crisib. 9.*

importuna minoratione periclitemur, quam opprimente causa.

CAPUT XIII.

De Purgatione revulsiva.

Purgandos esse humores crudos, dum instat revellendi occasio, sic probat doctor Ponce. Contra illos, qui negant, inquit, plures & evidentes rationes extare apud Avicennistas cap. de Phrenitide. Plerique etiam semper esse revellendum à foco putredinis, per sanguinis missionem, contendunt: cum in alopecia Galenus in principio purget, & capitis ulceribus, capitisque dolore. Et 4. Acut. 64. & Libro de Fracturis. Et ad locum ex 4. Acut. 22. & Libro de Humoribus dicimus, non esse ad rem: nam hæc sententia de jecoris inflammatione est intelligenda: & merito non est ducendus humor ad inflammatam partem. Et in delirio, quod Phrenitidem sequitur, ex inflammatione, nisi in declinatione, non est purgandum: si vero incipit biliosa, absque sanguine, neque ad febrem sequuta, sed per se cum sua febre, statim purgationem petit, ut probat Avicenna, ut revellatur humor. Idem faciendum suadet in paradelirio, in febribus acutis, & maximi momenti, quo casu inquit, decimo aut duodecimo die subtilitas artis eo devenit, ut sine coctionum turbatione purgatiunculam exerceat ex rhabarbaro. Et hæc certe revellendi indicatio est paucissimis medicis nota, &c.

O utinam nedum inventa! Nam si hæc tantum prelo doctissimis hominibus daretur, non ita grave malum: hi enim à veteribus selecta, & à recentioribus veriora, prudenti electione seligere conantur. Sed tyrones, deterioribus opinionibus imbuti, has ut leges observant, absque ullo veritatis examine. Et nescio, cuinam adscribenda hæc erroris occasio?

Pro vera tamen nostræ opinionis intelligentia illud primo suppone, revellendi urgentiam & indicationem aliquando desumi ab ipsa affectus magnitudine, à partis nobilitate sæpius, affluxionis impetu aliquando, & plerisque ab ipsius humoris pravitate; ut cum à rheumate concitato pravi humoris graviora pericula timentur, quam à febre. ut in capitis destillatione erodente. & hæc omnia posse cum febre aut sine illa advenire. Merita hujus indicationis invenies sparsa in Galeno, 5. Meth. Med. 3. & 12. 13. Meth. 6. & 11. & aliis plerisque locis.

Secundo adverto revulsionem, ubi non adest febris, non esse ad rem: quoniam illa ad minorandum non concludit. velut in alopecia luxatione, & alibi. ac ideo de illis non curamus.

Tertio adverto, Avicennæ sententiam auctoritatem non habere contra Græcorum artem rationalem, à solidioribus medicinæ principiis deductam, in opinione maxime minorandi. Nam præterquam quod Arabum libri erroribus scatent, sunt etiam confusa barbarie conscripti: & omnes illi sanguifugi ideo ad purgandum prolapsi. Hujus opinionis est Erastus contra Paracelsum in hydrope, & Joannes Manardus Lib. 1. Epist. 2. & 4. & Lib. 9. Epist. 5. Alosius Mundella, Epistola 1. In nullo enim Græcorum, nec

A etiam Latinę Linguæ Veteri, aperte hanc Avicennæ opionem legimus, nempe nec in Phrenitide nec in causone minorandum.

Quare ex medicinæ principiis respondemus: in biliosa Phrenitide easdem indicationes emergere, ex parte causæ & affectus, ac in vera Phrenitide ex inflammatione: nam in utraq; est rheuma concitatum & consistens, & causa in utraque est bilis sincera & impermixta, & ambabus calida intemperies, ac delirium est utrique commune. Illa tamen interest differentia, in inflammatio-B ne, aut irrigatione, in cerebri substantia & membranis. si ergo in Phrenitide ex inflammatione minorare non convenit, adhuc revulsionis gratia, nec pariter conveniet in Phrenitide ex irrigatione. Nulla est enim major ratio, quare humor, ad fluendum paratus, aut jam fluens, in hac aut illa Phrenitidis specie revellatur: quoniam idem imminet periculum ex recursu ad caput; & pari necessitate præcavetur illa purgatione. nec ut illa indicatio impleatur, magis inflammatio quam irrigatio obstat: nam in utroque casu, & C phlogosis & humor calidissimus cerebrum occupavit, cum evidenti tractionis periculo, & utroque revulsio in partem contrariam vertit, seu maxime distantem, 4. Meth. 6. & 5. Meth. 3. Ergo si in inflammatione non convenit; nec conveniet in irrigatione, nec in paradelirio febrium acutarum.

Hæc contraindicantia maxime à purgando deterrent. Nec illud est inferius, quod ab ipso delirio desumitur. Ratio enim delirii formalis in motu spirituum præcipue consistit, cujus con-D trarium est quies: & purgans medicamentum & commovet humores & spiritus, quo majorem delirii occasionem præstat. Nec est in nostra potestate humores ad libitam educere, quo quies ex eventu comparetur. Hoc videtur Galenus perpendisse, & cum ex vacuantibus auxiliis tutius eligere decreverit, in hæc verba prorupit. 13. Meth. 21. *Est lethargus vitium secundum speciem phrenitidi contrarium. nam cum humor, qui in cerebro residet, frigidus est, insensibilitas, immobilitasque hominem opprimunt: cum vero calidus, perpetuus potius mo-*E *tus, una cum rationis noxa. Est enim ex frigore segnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris vitio dementia. Itaque incindenda in talibus affectibus vena est, statim ab initio si valens virtus sit, si cruditas non obstat, vel puerilis ætas.* Satis patet, revulsionem intendisse Galenum, per illam dictionem, *statim ab initio*, & non medicamento purganti. ut dixit Avicenna. Nec par est in hoc casu Avicenna cum Galeno auctoritate. Nec est excusatio in sanguinis miscella; nullam enim Galenum supposuisse legimus, sed affectus & causas, secundum speciem F contrarias, sinceram nempe bilem & pituitam, sumpta indicatione à partis nobilitate, affectus urgentia & succi multitudine. Hoc idem in Aretæo legimus, Lib. 2. Acut. pass. cap. 1. *Si mentis alienatio*, inquit, *una cum febre incidat, venam secato.*

Galen. 13. Meth. 21.

Aret. Lib. 2. Acut. pass. cap. 1.

Dices, in principio apte sanguinis missionem revellere, & in augmento etiam derivare, opere sane mixto, dum cum bile aliqua sanguinis abundantia præsumitur: postea vero, sanguine vacuato, sincerior bilis redditur efferata. quo forte recens delirium invadit, cum transiit occasio ad sanguinem mittendum. Ergo saltem in hoc casu, in

in progressu, tutius erit purganti medicamento uti. Respondeo: aut adhuc superesse humorem ad fluendum paratum, aut tantum velaminibus & cerebri substantiæ impactum. si primum, & vires ad purgandum sufficiunt, sat erunt etiam ad sanguinem mittendum, seu ut hirudinibus etiam extrahatur. Nec humoris sinceritas obstabit, si illa intra venas delitescit: nam sanguinis missione etiam vacuatur, dummodo sit multitudo vacuanti auxilio contraria. Et dato, quod ex sanguinis missione nulla remaneret auxilii spes, quia humoris sinceritas, quæ restat, aliam præscribit auxiliandi viam, tunc ubi illa desinit, alia incipit morbificæ causæ indicatio, attemperandi nempe, & spiritus commotos sopiendi. Quam in hoc ipso affectu Galen. intus & extra exercere mandavit. Lege Galeni verba, 13. Meth. citato: *Iure ergo*, inquit, *cum in summo incremento sunt, iis vitiis, quæ pervigilio & delirio infestant, perfusiones ex papaverum capitibus applicabimus, odorem quoque naribus objiciemus, ac narium alas intus vel frontem, ex similibus medicamentis illiniemus. Quippe sopire ac stupefacere principem facultem oportet, cerebrum scilicet, quod supra modum incaluit, refrigerando.*

Galen. 13. Meth.

Si vero sola restat capitis multitudo, hæc etiam sua topica vacuantia præscribit, ut vena frontis scisa, aut narium aperta: & vacuatur, cum derivatione, scarificatis etiam cucurbitulis, oxirrhodino initio repellitur: in statu resolventibus mixtis aliqua resolutio comparatur. Illud tamen est summopere cavendum, ne phlogosim extinctam reaccendas. Hęc sunt auxilia illa Græcorum Arabum, & non omnium. Tu considera, quibus major sit adhibenda fides. Et si indicantia & contraindicantia perpendimus, inveniemus, purganti medicamento obstare affectus calidissimos, firmatum humorem, febrilem ardorem, decubitus periculum, & motus spirituum, cruditatem, & incontemperationem. Nec in sanguinis missione tot invenies: & ad illam sat esset illud sanguinis vitium, quod ex consortio sinceri & calidi humoris comparatur. ut antea vidimus ex Galen. Nec ulla major potest esse sinceritas, quam in calida destillatione erodente, à capite ad pectus: & in hac sanguinis missionem Galenum consuluisse legimus 5. Meth. 14.

Neque placet interpretatio ad 4. Acut. 22. & Librum de Humoribus ibi intelligendum esse, Hippocratem de jecoris inflammatione, ac ideo purgationem renuisse. Patet enim, illam sententiam de systrophica inflammatione protulisse, supra & infra septum. Lege Galeni Commentarium, textu antecedenti: *Per calidas inflammationes*, inquit, *Hippocrates intelligit, ut in septo transverso & pulmone in angustiam acto, has sanguinis missione juvari*, &c. Et procedit: *Pari modo & jecoris dolores splenisque, atque cæteras omnes inflammationes sanguinis detractio juvabit: ac in his purgationem interdicere oportet.* Et tanquam redderet rationem in text. 22. sic procedit: *Nam quicunque ea quæ inflammata sunt, medicamento solvere conantur, de parte inflammata nihil adimunt, & partem sanam colliquant*, &c. Neque valet confirmatio ex 2. Acut. 11. de pleuritide descendenti: nam hic loquitur de dolore spurio, ex crudo & flatuoso succo. si credimus Galeno.

Gal. Comm. text. antecedenti.

Idem text. 22.

CAPUT XIV.

An in dysenteria conveniat purgare à principio.

In hoc etiam casu viros legi doctissimos absque limitatione purgationem à principio consuluisse, gravissimo cum inexpertæ juventutis periculo. Pro cujus decisione adverte, quod quantumvis causa sit sinceri & impermixti humoris, potest foveri à venarum corporis apparatu: ut solet etiam diarrhœa, ex prava cacochymia, in intemperato & calido hepate producta, quam natura irritata, aut multitudine aut prava qualitate paulatim & importune ad intestina pellit. Et hæc poterit esse à prava & à salsa pituita intestinis etiam adhærente.

Ex hac aut illa causa ulcus corrodendo inducitur. Et hoc poterit esse simplex, sordidum, putridum, aut corrosivum, cum inflammatione, seu sola simplici intemperie; cum dolore vehementi, & cum ventris torminibus; aut recens, aut antiquum. Potest etiam considerari regionis commoditas ad illum humorem vacuandum, quem natura pellit ad loca conferentia, illique excretioni destinata, & humoris vergentia.

Quo supposito dicimus, si illud intestinorum ulcus, à biliosa venarum cacochymia fovetur ex genere venoso, ab intemperato hepate defluente perenniter, quam natura irritata à venis ad intestina pellit, cum febre majori moderata; seu in dysenteria, sive in diarrhœa, securius est, sanguinis missione revellere, per venas brachii, quam medicamento purganti vacuare. Quod pariter est observandum, quando ulcus aut inflammationem aut vehementem intemperiem contraxit. Hæc conclusio deducetur à selectis medicinæ principiis: quoniam tunc revellere per venæ sectionem, longe à parte inflammata, alias læsa, est secundum omnia Hippocratis & Galeni præcepta. præterquam quod humorem paratum fluere alio avertit, derivat concitatum, & vacuat productum. E contra medicamentum purgans humorem ducit ad partem inflammatam, fluxionem ad læsam, debilem, & maxime recipiendo aptam; febrem intendit, intemperiem auget, & acriores reddit in mordicando succos. quo serpit ulterius inflammatio, sordidum ulcus, putridum aut corrosivum redditur. Et si merita utriusque perpendimus, inveniemus, contraindicantia esse potioris urgentiæ ad prohibendam purgationem, quam regionis commoditas, humoris vergentia, & sinceritas ad postulandum. Nam inflammationis, febris, & ulceris periculum citius, & brevius augurantur discrimen, quando hæc sanguinis missione præcaventur. Omnis hæc curatio deducitur ab illo generali principio, contraria contrariis medentur. Contraria oppositione, contradictoria & privativa. Et ab illa, quæ ab ipsa urgentia desumitur: ut patebit legenti, 13. Meth. 6. 5. Meth. 3. 4. Meth. 6. Hoc idem in Avicenna legimus. *Et cave, ne ad partem læsam trahatur humor, neque super illam vacuetur.* 4. 1. Drã. 1. c. 3. Sit tibi hujus cautionis exemplum Famula illa Onesidemi, 5. Epid. 15. Quæ adhuc ex debili pharmaco purgata mortua est,

Avicenn. 4. 1. Drã. 1. cap. 3.

est, ex dysenteria, cum inflammato ulcere. *Nam febris,* (inquit Hippocrates) *valde fortis illam corripuit, & dolor* (utrumque adauctæ inflammationis indicium,) *& inde omnia in deterius aucta, interiit.* Nec erit excusatio in benignis purgantibus: nam hæc omnia symptomata à commoto humore medicamenti occasione concitantur, talesque semper solent esse & mordaces & acres.

Et illud tibi erit adauctæ inflammationis indicium, aut vehementer intemperati ulceris, si febris à leviori intendatur, & crescat, adaugeatur dolor, intestinorum tormina, in tota ventris regione, si sanies dejiciatur etiam: importunus tenesmus; fastidiosus ardor, sitis inexhausta cum linguæ scabritie. Ulceris corrosivi & putridi signa ex practicis edisces.

Dices fortasse, ex cita, & brevi hujus humoris dejectione omnia illa præcaventur pericula: quoniam humor inde noxius vacuatur, nec in tam brevi mora alterationem ulcus pati valet, & ab illa humoris feritate & irritatione purgans medicamentum indicatur, & ut contrario auxilio vacuatur, & sanguinis missione non potest vacuari humor, à sanguinis consortio separatus.

2. Conclus. Huic objectioni, in hac secunda conclusione respondemus, si dysenteria ab acri & mordaci succo fovetur, ad intestina pulso, & à sanguinis consortio separato, seu à salsa pituita, quæ suo lentore adhærescit, ut tunicas intestinorum penetret; seu mordacibus ichoribus permixta, ubi nulla est febris, aut illa certe lenta exsurgendi frequentia. In hoc casu tutius judicamus, clementi purgatione supervacuos humores vacuare in principio: ac postea, si id petat necessitas, sanguinem mittere. Hæc probatur conclusio: quia hic humoris prævalet irritatio, sinceritatis indicatio, regionis commoditas, humoris vergentia, & vacuandi necessitas per loca conferentia, ad quæ natura pellit, & non æque urgent prohibentia ex hypothesi: cum non adsit febris, nec ulla inflammatio: & ulcus eluitur à pravo adhærescente succo, subitoque per partem læsam humor ducitur. Quod licet aliquantulum lædat, ulceri major certe utilitas, dum corpus expurgatur, consequitur. Et dum virulentia vacuando præcavetur, periculum inflammationis & febris effugimus. Et illa læsio, quæ ulceri relinquitur, ab attracto humore potest corrigi, eluente clystere, seu ex mucilaginibus, seu lacte chalybeato, saccharo, & ovo integro. Nec hoc erit, in rigorosa sententia, minorare, sed purgare in alieno casu.

CAPUT XV.

De humore incoctili quid agendum?

Suam ultimo nititur confirmare sententiam Vir iste doctus, in humore incoctili, & in casu certe, qui omnem attentionem petit, prudentiam solicitat. Et hoc est præcipuum suæ opinionis fundamentum: ii humores, inquit, alii sunt largo modo incoctiles, ut multi; alii ex propria natura, ut terrestres, & omnes venenosi; alii sunt humores inæquales, qui licet coctionem accipiant, ita lente ad illam perveniunt, ut prius æger accidentium feritate moriatur; alii tandem, qui

A licet superentur, & coquantur, tamen vapores, qui elevantur, dum peragitur coctio, partes principes maximo afficiunt periculo. Nam malignis vaporibus interim elevatis aut ferventibus, æger evadit Phreniticus, aut lethargicus. Alii sunt etiam diversi inter se & inæquales, ut celerius alii, & alii tardius concoquantur, & interim pravi miscentur semicoctis, ut in mala terribilia ægros ducant, dum tarde & lente coctio celebratur. Hos, inquit, si per regiones longinquas & maxime contrarias ducamus, & morbi materiam

B minuamus in principio, aut augmento, sanguinis missione præmissa, tunc salutarius & prudentius certe agemus, benigno & clementi auxilio: nam licet coctio emendet putredinem ex una parte, in alia non potest, &c.

Satis confuse Vir iste doctus has elicit indicationes curativas inter tam varias humorum differentias, & has omnes sub hac confusione judicat, unico medicamento purganti ducendas in principio. Fateor, quod hæc mala nos etiam frequenter experiamur, ex succorũ incoctibilitate,

C & vaporum colluvie, sed hoc ex duplici principio, putrido nempe, aut ustivo. Nam cruditas, quæ potest emendari, incoctibilitas merito dici nequit: nam in humore multo, dum coctio incipit apparere, in Tralliani sententia, pars cocta potest medicamento expurgari extra omnem regulam minorandi. Quod etiam debet & potest observari, ubi humores inæquales putrescunt, crassi nempe & tenues. Et aliis principiis succus & qualitas naturæ insuperabilis producitur, sed non omnibus medicamentis, his enim cedit qua-

D litas efferata & intemperantia; seu à tota substantia, seu intensa qualitate tales fiant. Ex putredine etiam incoctibilitas similiter producitur, in succorum substantia & qualitate, fermentata putredine, prohibito effluvio. Quo etiam emergunt qualitates nostræ naturæ maxime repugnantes: & hoc in humore aut tenui, aut crasso, aut permixto, ex pura & rigorosa cacochymia, ex qua febris inducitur.

Suppone ergo, illud accidere crassioribus succis, & cum bile aut ichoribus mixtis, sive ex me-

E lancholia, aut pituita salsa, ubi illa fermentatur putredo, sive ex ustis aut malignis humoribus: & ex his eleventur vapores, qui maxime coctioni resistant. Hoc supposito, restat ad maximas indicationes attendamus: hoc enim utplurimum in illa febris forte experimur, quæ ex inæquali succorum mixtione accidit, pituita nempe cum putrida bile, aut ichoribus putrescentibus permixta. Nec obstabit, an sit ex melancholia, si in illis maligna fermentatur putredo, aut putrida retrimenta vapores de se mittant, quibus princi-

F palia membra vehementer etiam alterentur, non tantum intemperie valde lapsa, sed horum etiam membrorum corruptiva. Quo fit, ut cum in febris progressu, illa superveniant accidentia, aut jam non sit locus auxilii, aut non valeat tam lapsa intemperies superari. Unde certe accidit, ut non sit major periclitandi occasio in sanguinis missione, detracto sanguinis fræno, ac aliis auxiliis vacuantibus, sed in altius radicata intemperie, & magna imbecillitate, quæ æqualia auxilia ferre nequit. Quænam ergo erit in hoc casu auxiliandi ratio? Hanc profecto præscribit non tantum

summa

summa periculi urgentia, sed etiam singularis conditio, affectus, accidentis, & causæ: nam si post duodecim dies phrenitis aut lethargus adveniat, solerti providentia perpende, an tunc prævaleat qualitatis excessus, sive malignitatis prævalentia, seu tandem pravæ cacochymiæ abundantia. Nam in primo casu potius attemperandi prævalet indicatio, sive malignitatem coercendi, quam ulla vacuatio, quovis fiat auxilio vacuante. Si vero hic aut ille excessus, adhuc à pravæ cacochymiæ multitudine fovetur, & hæc ut causa aliarum causarum, sui prius ablationem postulet, non protinus erit major securitas in purganti medicamento, quam in sanguine misso. Nam quando hoc aut illud auxilium præscribit illa vacuandi indicatio, potest illud omnino prohibere, moderari, aut in aliud securius mutare, alia fortior auxiliandi ratio: nam magna imbecillitas ex lapsa intemperie contracta, omnino vacuans auxilium contraindicat: moderata moderatur auxilium, ut consuetudo, tempus, & ætas. Et si tantorum malorum occasio & fomes, intra venas mesaræi delitescit, securius vena ex talo secta vacuatur, aut sanguisugis hæmorrhoidibus applicitis, à corde & à cerebro revellitur, & ab hepatis venis derivatur, si non etiam à ramo splenetico: si vero in majoribus venis inter alas & inguina, & venis circa cor, aut putrescit aut fervet hæc prava multitudo, tutius reor, vacuatur ex brachio, aut cucurbitulis, è cordis directo ad applicitis: (majori vacuatione ex tali venis præcedente,) nam quæ causa morbifica in venis continetur, tutius & minori turbatione per illas vacuatur, licet cum pravo aliquid utilis detrahatur. Nec arbitror, posse post duodecimum diem in prima regione pravam illam multitudinem symptomatibus illis causam dare. Sed dato, quod ita accidat ex hypothesi, adhuc in hoc casu, hanc potius vacuantibus clysteribus extraherem, licet hujus regionis peculiaris indicatio medicamento purganti consulat extrahendam. qua etiam providentia revellimus ne ascendant vapores, qui cedunt in lethargi aut phrenitidis causam: nam prout in venis sunt aut utiles aut pravi, sic vena secta fluunt.

Et si forte ex vaporibus times, dum peragitur coctio, ne sola sanguinis missione revellantur, ex arte erit, à capite repellere, ut Galenus consuluit. 13. Meth. 21. humorum sævitiam frænare: cor ipsum roborare, ac præsumptam malignitatem coercere frigida, aut cordiali potione. Non est enim tam indomitus humor, qui saltem moderationis gratiam non accipiat, ut tutius & commodius expellatur. Nec vapores intercipere, est semper impossibile, aut alio avertere. Esto, quod sanguis missus pro virium ratione videatur, & postea æger lethargicus evadat aut phreniticus: si imbecillitas est ex morbi acumine, & adhuc prævalet aliqua multitudinis indicatio, (nam hi vapores aut exhalationes à causa morbifica ascendunt) iterum moderate sanguinem mitte ex talo: vapores enim conscendunt à ventris regione sursum per venas mesaraicas aut hæmorrhoides. Utiq; vires morbo debellato instaurantur, & adhuc suppetit retrahentibus auxiliis commoditas, & attemperantibus necessitas, repellentibus & corroborantibus utilitas; non enim in dubia & fallaci purgatione spes unica restat. Hæc omnia latius practicata invenies in Gal. 12. Meth. 3. & 6.

Ultima adhuc nobis restat instantia. Nam illa incoctibilitatis urgentia, inquit, omne discrimen superat, quoniam gerit vices turgentiæ, cui purgans medicamentum debetur, & non sanguinis missio: nam incoctilis humor turget in actu primo, quantum est ex se quia non moveri, in actu secundo, est tantum quando naturæ à morbo superatur. Respondeo: quod hæc nova turgentiæ inventio tantum apud minorantes inveniatur; contra omnia medicinæ præcepta. hanc enim eruere conantur ex Avicenna Fen. 1. 4. cap. 3. quam postea sequutus est Averroes. 7. colliget 9. & illum Valeriola in Commentario de constitutione artis medicæ: & omnes postea Trincavellius 1. ad Glauc. 14. Sed contra illos stat omnis Græcorum Schola, quæ unicam tantum agnovit rationem turgentiæ in actu secundo, & non in actu primo, dum humores in actu huc & illuc furiose moventur, contra formalem rationem quiescentis. Quo manifeste convincitur, aptitudinem ad turgendum non esse turgentiam, quando hujus essentialis ratio est in motu, & humores, à quibus in febre natura superatur, sunt utplurimum alterius naturæ & maxime turgentibus contrarii, crassi nempe & obstructionibus impacti. quo nec in actu primo nec in actu secundo sunt turgentes. Lege Galeni Commentarium ad 4. Aph. 12. & 38. 1. de Crisib. 9. 4. Aph. 1. & 1. Aph. 22. & 24. & invenies, humores turgentes esse tantum in motu positos; nec illorum multitudinem turgentiæ qualitatem impedire: non enim turgent qua pauci, aut qua multi, sed qua substantia tenues, qualitate acres, conditione mobiles, & maligna putredine infecti, si non prava etiam ustione titillantes. Sed dato, quod illa aptitudo seu urgentia aliquam indueret rationem turgentiæ, hæc ideo non indicat medicamentum purgans: est enim longe diversa turgentiæ indicatio, ac urgentiæ. Hoc patet ex Hippocrate. Nam ideo à principio turgentia indicat medicamentum purgans ob pericula, quæ ex motu turgentiæ timentur, & non ex humore qua tali, sed qua in motu posito: at vero urgentiæ indicatio id tantum petit, si credimus Galeno, 1. ad Glauc. 5. & 7. Meth. 2. ut brevius aut tardius succurratur, prout cito aut tarde periculum minatur. Et hoc tantum indicat urgentia, dum natura à multitudine succi superatur, & non purgans tantum medicamentum, sed hoc aut illud auxilium à peculiari & individuali affectus causæ aut accidentis indicatione determinatum. quod interdum erit attemperatio, aliquando vacuatio, aut revulsio, per venę sectionem, aut aliud ex vacuantibus auxiliis: aliter enim indicationes confundimus, non curamus. Hujus solutionis energiam legimus in Hippocrate. 6. Epid. Sect. 2. text. 8. & hujus sententiæ diorismum in Galeno illius Commentario 20.

CAPUT XVI.

Communes objectiones dissolvuntur.

Dices, Hippocratem, 4. Acut. 38. in causone purgare consuluisse in principio: *At si liquidam*

Hipp. 4. Acut. 38.

dam alvum habenti, inquit, *causus supervenerit, non primis tribus diebus purgato, sed quarto*. Resp: quod quæ medicinæ principiis non congruunt, de probato auctore sint suspecta ut pleraque quæ Hippocratis operibus sunt inserta. Hoc enim est Galeni de hac sententia judicium, in Commentario. *Præterquam quod hanc esse intelligendam docuit, ut aliæ, in quibus turgentibus humoribus purgare consuluit in principio; non aliter: hanc enim sententiam inquit, esse intelligendam ad mentem Aphorismi, concocta medicari, nisi turgeant; & ad mentem alterius, in acutis passionibus, &c. Nam qui illud simpliciter dixerit, aut hoc non desinierit, fallitur*. Et hoc est secundum medicinæ principia, non illud.

Galen. in Comm.

Dices 2 Humoris vergentiam ad ventrem, ad indicandam purgationem sat esse. Hoc enim constat ex alia præceptoris sententia, 4 Acut. 64. *Hos si ab initio purgare volueris*, inquit, *ante diem quintum facito, si venter murmuraverit: si non, à medicamento abstineto*. Respondeo, auctorem, quicunque ille fuerit, morborum syndromen proponere confusam, & incomptam, & nullo medicinæ principio cohærentem. Et si tibi hæc videtur severa censura, placeat Galeni judicio assentiri, in Commentario: *Sanationem*, inquit, *prædictæ concursionis scribit, quam nominatim perstringere mihi non placet: cum etiam sanatio nihil commune habeat præter ea quæ sæpius antea sunt enarrata*.

Hipp. 4 Acut. 64.

Gal. Comm.

Nec deest, qui ventris murmur humorisque vergentiam pro vera turgentia intelligat, sed is attente legat turgentiæ definitionem in Galeno 1 de Crisib. 9. & aliis citatis locis: nam vergentia est sola humoris inclinatio ad ventrem, & non incertus & furiosus motus cum decubitus periculo ad partem principem, quod indicationem ad purgandum præscribit: & in sola vergentia adest regionis commoditas, quæ potest à mille aliis superari, & tutius fluens humor sanguinis missione revelli. velut in diarrhœa, quæ à venarum plenitudine fovetur. Natura etiam potest præcipitari, addita super irritationem irritatione. Lege Galeni verba, 9 Meth. 5. *Neque si fuerit febris cum profluvio ventris, alia est opus evacuatione: licet non sit pro multitudinis ratione. Nam qui aliam evacuationem tentarunt, ægros in maxima discrimina deduxerunt*. Et si forte à systrophica ventris inflammatione oriatur, quid facit medicamentum purgans; Ubi vero sola adest vergentia sine febre, aut illa certe lenta; Ubi alia non prævalet fortior indicatio, qua naturæ motus insequamur, hoc erit secundum rationem; licet Galenus adhuc in hoc casu ab eluente clystere non transcendat in colico dolore ab acribus & mordacibus succis. 12 Meth. 8. Ergo sola humoris vergentia non sat est ad medicamentum purgans indicandum.

Galenus 9 Meth. 5.

Dices tertio: febrem ex materia multa cum necandi periculo antequam concoquatur, si non potest antea superari, esse unam ex acutis & raris passionibus, quam Hippocrates purgare in principio mandavit, 1 Aph. 24. Uno verbo respondeo, acutam passionem, quam Hippocrates purgandam consulit in principio, illam esse, quam talem reddit turgentia, non alia affectus neque causæ conditio. Lege attente Galeni Commentarium: *Nam in acutis tantum*, inquit, *quando turgent, vacuare consulit in principio*. Vis hanc legere confirmatam sententiam? lege illam quam affert 2 Prorrh. 37. *Nigra revomentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus clausus feroxque, medicari non oportet; perniciosum enim*. En morbus non tantum acutus sed acutissimus, ex materia multa, quam natura non valet superare, antequam concoquatur. En etiam purgatio in perniciem ducta, eo tantum, quod impacta, quieta, & immota materia, seu quod purganti medicamento non cedat, seu quod ad perniciem moveatur. Attendamus ad Galeni judicium in hoc casu: *Quod hi omnes perniciose habeant*, inquit, *verum est: sicuti & quod eos non oporteat medicari, id etiam demonstratum est, sive singula seorsim quis intelligat, sive multa quoque simul, perniciosa fuerint*. Et paucis infra lineis. *Qui igitur ita affectos medicari ingreditur, is indoctus est, & artis medicinalis plane inscius. Neque sane qui non medicari consulit sapiens est, nec vero quod hi perniciose habeant, nosse, magnum quidpiam existit, neque in hoc artificiosam speculationem nos docuit illa dictio, quomodo nos universaliter docuit in Aphorismis una, in qua inquit, in acutis raro & in principiis, medicamentis purgantibus uti. Atque alia in qua dicitur, in acutis medicari, si turgeant eodem die: hæc siquidem medico insigni digna sunt. Nullus enim ita affectos purgare ingreditur, ut dictio ostendit, cum hoc quod procedente morbo fieri hæc commonstret, & non circa principia, quando in acutis solum purgandi est occasio, nempe quando turgent*. Hæc Galenus nos (Viri docti) docuit, deinceps non nobis cum Galeno lis erit.

Gal. Comm.

Hipp. 2 Prorrh. 37.

Galenus.

Ne ergo nos decipiat aliqua turgentiæ imago, oportet interstinguere inter illa, quæ veram turgentiam æmulantur; ut sunt dolores flatuosi, ex calentibus flatibus, qui quadam veluti turgentia de loco ad locum furiose moventur: hos à vere turgentibus distingues; quoniam flatuosi dolores utplurimum accidunt sine febre, nec ullam titillationem inducunt absque ulla cordis anxietate, quæ recens hos dolores sequatur, (nam in hypochondriacis cordis dolor antea sequebatur.) At in vera turgentia præter motus subitos & diversos, est quædam titillatio in corpore, cum halisino implacido, ut nullibi ægrum quiescere permittat, cum anxietate & dolore, & cum cordis angustia, cum notabili pruritu, & inexplicabili calore, & hoc semper cum febre, interdum maligne deceptoria.

Sed instabis, Hippocratem etiam consuluisse purgare in principio quietis & impactis humoribus, in dolore pleuritico descendenti 4 Acut. 11. Et in febre Lipyria. 1 Coac. 52. quando dixit: *Lipyriæ febres nonnisi cholera superveniente exsolvuntur*. Quod si non accidat, illud debet ars etiam imitari. Respondeo. Dato, quod ita esset, ut nos antea diximus, hos impactos humores in illo dolore descendente fore absque ulla febre conspicua, quæ indicantis rationem non superet, humoris nempe vergentiam, ventris consensum, loci commoditatem. Si vero de systrophica inflammatione intelligas, tantum abest, ut in illa purgatio conveniat, ut in illa sit extrema pernicies, ob rationes quas antea ex Hipp. & Galeno adduximus: nam præterquam quod de parte inflammata nihil adimat, partem sanam colliquat, humores ad partem læsam & jam debilem ducit, & adhuc in hoc casu Galenus sanguinis missionem

Hipp. 1 Coac. 52.

nem prætulit. Nec inde satis constat, utrum Hipp. ante an post coctionem purgare consuluisset. & si fidem facit quod aliis sententiis edocuit, in morbis, ubi crassi prævalent succi, semper ad purgandum coctionem expectare consuluit, ut & nos antea vidimus ex Galeno.

Et ad illam Coacarum sententiam respondeo: choleram supervenientem coctionem etiam præsupponere. Quod patet ex illa dictione *exsolvuntur*: quoniam supervenientia symptomata sunt morbi jam adaucti, quando proxime ad vigorem accedit, cum spectatur coctio in salubribus morbis. Nam illa dictio idem sonat ac ista, quiescunt humoris morbifici excretione & elaboratione mitescentis, & partium obsessarum meteorismo; temperamenti & complexionis integritate comparata. Quod aliter quam pepasmo non consequitur, humore mitescente. Quod intellige, dum febris focus est in illis mesenterii venis, à contumaci obstructione exitu denegato. Nam si febris illa esset visceris inflammati consectaria, non ita facile illa humoris excretione exsolveretur: in hac enim si ita eveniret, esset potius apponendum miraculo & naturæ vigori.

OBSERVATIO I.

De febre, quæ nostro Hispano idiomate dicitur

DE AHITO.

Hæc accidit cibo in prima regione adservato, putrido, aut incocto; ad cruditatem verso ventriculo nempe, in testinis aut mesaræi venis. non est magni momenti diaria, quæ inde febris accidit: est maximi periculi quæ putrida; & si Hipp. historias attendimus, omnes fere illas, quæ ex hoc principio evenerunt, deterrimam & malignam putredinem sortiri facile quis comperiet, venarum inculpatis humoribus, si cibi corrupti ad illas ingreditur contagio, affectis, & inde putrescentibus.

In hoc quod plerisque parum utile & minus necessarium videretur, placet velle colligere, genium detinere, & publicæ potius utilitati servire, quam delectationi; nec metuo, ut dixit Apulejus, in frivolis displiceam, qui in gravioribus placui. Eo enim luxus & opulentia devenit, ut plures interficiat gula quam gladius. Nam leges aliæ abolitæ, aliæ, quod flagitiosius est, despectum securiorem luxum fecere. Nam in superabundantia ciborum, varia conditura & ordine præpostero est causa & principium graviorum malorum, non tantum in divitibus, sed & in infima plebe: quia ad perniciem certant. nescio an validius indecens æmulatio, an profusa luxuries. Et forte quia illa ut non magna despicimus, mortem celerius periculo credimus advenire, quando periclitatur prudentia in auxiliis. hæc enim febris penditur ut diaria, ac si semper diaria, cum in putridam transit.

Hæc venerunt sub manum subitaria, sed longa experientia comprobata: quod apud prudentes viros veniam securiorem fecit, maxime, quæ severo judicio redduntur ab inæqualitate complanata, & maturo consilio expenduntur, ne fiant in lenitate lubrica, seu angulis eminula, rotundo volubilia, absque correctione incerta, sed regulæ mensura coæquata hæc indigent fortuna. Nulla enim quantumvis rara & exculta, pro merito laudantur: quoniam in aliis tollit admirationem novitatis carentia; & in omnibus parit conversatio contemptum.

Hujus febris essentia.

Ex illa cruditate jam producta (jam caloris ventriculi defectu, per se, aut per consensum, ab hepate præcalido furato, ut in hypochondriacis febribus accidit) seu jam productus calor præter naturam redditus, seu putrida fuligo cordi communicatur: inde cordis spiritus calefacti, corpus universum calore febrili coafficiunt. Unde febris diaria. Nec interest, utrum in fundo ventriculi, intestinorum involucris, an mesaræi venis delitescat, si inde calor aut vapores ascendunt: sunt enim in his locis variæ cavitates, abditæ & abstrusæ, quibus ad tempus illæ cruditates cumulantur, ibique reconditæ perdurant, ex duplici principio; seu quia cruditas cruditatem consequitur; seu quia ex caloris defectu, partium insensibilitate, & illa non subigitur, coquitur, nec expellitur. Et inde fit, ut inventilatæ putrescant, remoratæ calefiant, in intemperatis maxime hypochondriis, quæ utrique vitio causam præstant. Ideo plerosque febribus diariis frequenter corripi vidimus, non tantum ab illis cumulatis cruditatibus, sed à productis ab illa intemperie excrementis. Quod si illa putrescant, in illis cavitatibus, jam hæc febris limites diariæ transcendit. Nam aut putrida fuligo manet in putredinis foco circumscripta, aut exinde exspirat, & aliis humoribus miscetur, & cordis sinus penetrat. Si primum, est omnino diaria. Si secundum, jam transit ad febres de putridarum sorte. quod dupliciter accidere notavimus; seu dum febrilis calor in fieri & conservari pendet ab illa corrupta cruditate in prima regione adservata; seu dum venarum inculpati humores, putridæ fuliginis contagio coaffecti, jam putridi redduntur, & illa febris humoris conditionem sequitur & naturam, sanguinis nempe, pituitæ, bilis, aut melancholiæ.

Nec dubites, hanc febrem fere interdum de putridarum sorte, licet ab illa putrida cruditate foveatur, adhuc venarum inculpatis humoribus. Nam magnus ille præceptor, & Galenus, febrium divisionem in duplici principio posuerunt. In primo, has in hecticam, putridam, & diariam diviserunt, penes materiam, qua calor præter naturam in facto esse redditur, partes solidas nempe, humores, & spiritus. In secundo, per contenta, continentia, & impetum facientia. quæ eadem etiam videtur continere. Sed hæc divisio prima generalior est: nam præter quatuor humores in hepate progenitos omnes alios corporis putrescibiles comprehendit, quantumvis extra venas putrescant. Ideo ista divisio generalior est. Non enim dicuntur ad convertentiam, hæc & illa: nam præter illos humores, putrescunt medulla, chylus, semen, & omnes excrementitiæ cruditates, lac, & pus, in abscessu, quorum nullus in aliquo ex 4 humoribus continetur. ex quibus si putridæ fuligines ascendant,

quæ

quæ calorem præter naturam in facto esse reddant, licet nihil aliæ substantiæ patiantur, hæc ut cæteræ aliæ, erit putrida febris. Nam inde omnia certe concurrunt, quæ ex ipso venarum humore putrescente. Nec obscure hæc etiam putredo in illa cruditate sub illa divisione comprehenditur. Nam postquam Galen. 1 de diff. Feb. 1. divisionem Hippocratis laudavit, 6 Epid. Sect. 8. text. 13. quam libro de rigore cap. 5. exposuit, dicit: *Nomine contentorum, humidam substantiam putrescibilem intelligendam esse, & non solos 4 humores.* Nam illos tantum ducere in exempla Hippocrates ideo voluit, quod essent magis noti, & frequentius materiales causæ febrium putridarum. Hanc sequuntur sententiam inter Neotericos nobiliores viri, uti Petrus Garcia de Locis disput. 39. cap. 5. §. *Sed in hoc* & disput. 45. cap. 4. quem etiam sequitur Matamoros disput. 7. A rio. 1. ad 4. & Vega Complutensis, Brabo, & alii, ac noster acerrimi ingenii Magister, Doctor Antonius Ruis de Ochoa, in Comm. ad Fen. 1. Lib. 4. c. 4. ad 3. argumentum. Hanc etiam sententiam ut veram amplectitur Fernelius Capivaccius, &c.

Galen. 6. Epid. Sect. 8. text. 13.

Quanta autem sit putredo, quæ hanc febrem producit, & quo in foco delitescat ex Galeno deduximus. 6 Epid. Sect. 4. 25. *Nam illæ cruditates dum putrescunt in ventre,* inquit, *nullum beneficium ab hepate accipiunt.* Quid amplius nos edocuit, 8 secundum Locos 6. quo in loco sic legitur: *Circa ventrem, & intestina una in singulis est cavitas, quæ vitiatam humiditatem suscipere potest, verum circa hepar tot numero sunt, quot venæ & arteriæ. Si ergo traxerit hepar in se ipsum ex ventre & intestinis alimentum, sanguificare autem ipsum præ debilitate nequit, quemadmodum in ventre multiformis corruptio contingit eorum, quæ cruda remanent: sic etiam circa hepar; sed pejor est illa transmutatio, quæ in peregrinam qualitatem juxta cruditatem fit.* Duo ex hac sententia elicimus: 1 Vitiatas nempe cruditates non tantum in cavitatibus primæ regionis contineri, sed cum utili alimento in venas hepatis transire per mesaraei venas, ac ibi deterrimam putredinem contrahere, si in peregrinam qualitatem transmutantur. Contrahitur enim illa qualitas, cum cruditas per corruptionem degenerat in succum indicibilem, suæ maxime naturæ repugnantem: sive id ex natura alimenti consequatur, sive ex ipsa corruptionis mora. Et 2 elicimus, ex hoc pravo cruditatum corruptarum consortio ita inculpatos humores vitiari, ut inde malignus apparatus consequatur. Hoc etiam Galenus dixit, Libro de Caus. Morb. cap. 2. per hæc verba: *At quia humores corporum ex victus pravitate erant putredini obnoxii, hinc febris pestilentis origo facta est;* non tantum ex ipsa cibi conditione, sed ex cruditate illinc comparata.

Galen. 6 Epid. Sect. 4. 25.

8 Secund. Locos, 6.

Galen. Lib. de Caus. Morb c. 2.

Hujus febris causa.

Iam diximus cruditatem esse hujus febris primam causam: est enim causa aliarum causarum. Hippocrates tres cruditatum sortes ob oculos proponit Libro de Affectionibus 42. 44. & 52. *Prima à ventriculi morbis. 2. à vitiosis humoribus in ipso cumulatis. 3. ex alimentorum qualitate & vitio.* Has reduxit Gal. 1 de Locis 3. ad acidam, nidorosamve; prima soboles frigiditatis est, caloris excedentis secunda; sed sub hac differentia, ut

Hipp. Lib. de Affection. 42. 44. & 52.

A notavit Gal. 8 Meth. 1. quod calidis naturis cruditas febrem citissime accendat, quia qui corrumpuntur cibi, facillime ad nidorem vertuntur; demito causas antecedentes, quales sunt ciborum multitudo, varia conditura, & præposterus ordo in comedendo, ac fructus facilè putredini obnoxii, & variè ventriculi dispositiones, quibus aptius hæc cumulatur, magisq; noxia efficitur cruditas. Hæc omnia unica Hipp. sententia comprehendit. 6 Epid. Sect. 3. text. 1. *Cutis raritas, ventris densitas, ventrisque torpor, omnium confusio, vasculorum immunditia,* &c. legite per otium Gal. commentarium.

Hipp. 6 Epid. Sect. 3. text. 1.

B Hanc certe causam in visceribus latentem & abstrusam, dixit neotericus profecto doctus esse causam graviorum malorum; nam cum in latibulis hujus primæ regionis abscondatur, nec facile clysteribus educatur, nec lenienti medicamento vacuetur; hinc fit, ut amplius hæc cruditas putrescat, ad tempus postea remoretur; & hoc ipso errandi occasionem præbeat: focus etenim qui adhuc in prima regione delitescit, videtur jam ad venas transiisse, ibique aliam febris C sortem concitasse: quo seducti, sanguinem sæpe mittimus tam magno periculo, ut loco sanguinis missi intret putrida cruditas ad venas sanguine vacuatas. Hinc non tantum deterior fermentatione illa putredo redditur, sed & humores qui inculpa non erant, illius consortio inquinati febrem concitant, eamque non tantum maligne putridam, verum etiam ex utraque putredine confusam. Videamus quid senserit Galenus in hoc casu? Lege in 4 de Sanit. tuend. 5. in principio: *Cæterum in lasso corpore,* inquit, *si sanguis bo-* D *nus exiguus sit, crudi humores plurimi: huic nec sanguis mittendus, nec alui dejectio adhibenda. Quippe incisa vena, bonum sanguinem emittit; malum, qui in primis maxime venis circa jecur, & quod mesenterium vocant colligitur, in totum attrahit corpus,* &c.

Gal. 4 de Sanit. tuenda. 5. in princip.

Attendite ergo, quam magna cautione mederi in hoc casu oporteat, si is tam magnum ex sanguinis missione periculum minatur, quo majus esse non potest. Et inde certe vidimus alios subito lipyrico modo infrigidari; in aliis, febrem quæ antea non magna, nec ita pravi moris videbatur, E malignitatem subito contraxisse, symptomatibus longe à febris conditione alienis; quia ante sanguinis missionem putridas cruditates vasorũ parietibus adherentes, seu latebris abstrusas, vacuare radicitus non fecimus: in hoc enim opere solis clysteribus fidere non oportet, nec soli lenienti; quoniam in hoc casu ex duplici principio est magna resistentia, nempe ex parte cruditatis viscidæ, crassæ, altius adhærentis; & ex parte vasorum: nam si infundo, anfractus crassioris intestini cum aliis mucosis cruditatibus miscentur, & non diffi- F culter tantum, sed summa etiam cum difficultate educuntur. Ideo aut vehementioribus clysteribus uti decet, aut etiam seligenti cathartico, æquali præsumptæ resistentiæ, quantumvis febris videatur de putridarum sorte.

Vultis hæc omnia pericula in Hippocrate legere ex illa cumulata cruditate? attendite ad duodecim historias, quas nobis ob oculos proponit hujus febris, quę ab aliqua insolenti cruditate incepit: *Philistæ pocula continuam suscitavere febrem, mortuus est in quinto.* Hanc maximo errore accidisse Galenus auctor est: *Nicodemus ex Venere & potu,*

Hipp.

Galen.

potu, incidit in gravißimam febrem. Nihil mirum, nam fere semper Veneris delicta, gulæ & cruditatis errores consequuntur. quoniam quod Venus exhausit de vivifico nectare, imbecillitas & crapula de cruditate cumulat: quæ ex vini extraneo calore corrumpuntur: *Adolescens in Melibæa, est ob similem causam vita functus; neque Apollonius in Abderis impune tulit cruditatis delicta, cum aquam bibisset, & edisset intempestive bubulam, cum lacte cocto & crudo copioso, inde febris maligna orta est.* Forte quod venter nihil ingestorum reddidit, ut advertit Hippocrates. Sed neque excretiones saluti profuerunt *Adolescenti alii:* nam ubi præest malignitas ex illa cruditate jam corrupta, nulla valet excretio; illud tamen ex Galeno placuit adnotare, in hujus Historiæ Commentario: *Pocula quidem,* inquit, *nervis nocent, cerebro, & nervorum origini: venus vero, cum hæc satis lædit, tum vires illidit, & debilitat: itaque adolescens, vitiosa humorum collecta abundantia, merito à modica febre cæpit, ut tandem in exquisitam phrenitidem incideret. Phytioni ex crapula & vino, febris paribus diebus movebatur.* ac interiit tandem. Hoc etiam nolui præterire, quod plerisque historiis adnotavit Hippocrates; nempe quod in ægrotis, quæ ex prava cruditate inceperunt febres, paribus diebus moveantur; seu quod cruditas æmuletur pituitam, quæ dum putrescit, singulis diebus accessiones movet; seu ut advertit Duretus, quod corruptionis incremento, & irritatione lacessitarum partium, complexio alteretur & immutetur, ut diei & morbi naturam mutet; Inde etiam *Bianti pugili quod vorax ex carnium esu, maxime porcinarum, & vini odorati ebrietate febris periculum adauxit, & Nicolai puero ex potationibus. Filonis filia, quod intempestive cænavit & præpostere, mortem sibi conscivit.* Quantas crapula & cruditas calamitates asciverint, Hippocrates nos docuit, in hoc & aliis in locis, & multo magis Hispaniæ parœmia. quæ à longinquo ævo celebratur; *canas ii penas, ii soles matan los hombres*; *Pherecidam febris corripuit, & à cæna est malignior reddita*: Alium apprehendit post cænam cerebri sphacelus. *Epicharmi filio, ex itinere & potu, cruditas gravißimo periculo occasionem dedit.* Hic nomine cruditatis, inquit Vallesius, ejus coctionis, quæ per agitur in ventriculo, sublatio intelligitur, à qua multos, eosque graves morbos solere oriri, nemo ignorat. Quippe distendit ventriculum, ipsum plurimum gravans. Quicquid pro victu in eo manet, sentitur mox, tanquam pondus alienũ quoddam, minime naturale; corruptionem aliquam consequutum, mordet & rodit, hinc obnascuntur facile rigores, febres & principalium membrorum consensu, sopor, delirium, convulsio, apoplexia & syncopes. Summa, ex illa cruditate seu cruda seu corrupta fit gravis morborum conspiratio, læthaliumque affectionum confusa complicatio.

Galen. in Comm. Hist. hujus.

Diagnostica signa.

Communissima signa Galenus nobis dedit 3 de Sympt. causis 1. Hæc expressit per varias cruditatum corruptionis sortes. *Quippe alia est,* inquit, *cum cruditas corrumpitur, tanquam virus: alia tanquam lutum: alia crudos pisces, aut indicibilem alienamque putredinem olent.* Magis specialia nobis dixit Vallesius in historia de Epicharmi filio: *Cruditas,* inquit, *distendit ventriculum, & plurimum gravat, quod invictum in eo manet.* Hæc sunt, quæ paucis antea lineis legimus, quæve ob Hippocrate accipisse videtur in Libro de Salubri diæta, c. 2. & de veteri medicina cap. 20. *Quicunque postridie cibos eructant,* inquit, *præcordia ipsis elevantur, statim graves & corpore segnes fiunt, item mente pigri, hiatuque & oscitatione & dormitione & siti pleni: si vero etiam supra cænaverint & flatus & tormina, & alvus infringitur, & multis magni morbi principium hoc fuit.*

Galen. 3 de Sympt. caus. 1.

Vallesius Histor. de Epicharmi filio.

Hipp. Lib. de Salubri diæta, cap. 2. & de veteri medicina c. 20.

Sed attende, quod Galenus advertit. 1 de Locis 4. quod non semper nidor accidat à calore, nec semper à frigore aciditas. *Acescunt enim cibi,* inquit, *insuperati in calido ventriculo, & in nidorem vertuntur calida cibaria in ventriculo frigido*; id quod etiam ad cognitionem cruditatis conducit. Præter causæ antecedentis & conjunctæ varia & confusa signa: duo specialia nos oportet attendere, primo nempe quamdiu febris fovetur ab illa cruditate, dum in prima regione & mesaræi venis commoratur. Deinde, cum jam ab illo putredinis contagio ad aliam febris speciem videtur transiisse. Primum indicat levis quædam febricula, & excretiones corrupti alimenti mille modis fœdati, & urina nondum à nativo colore & substantia alterata: imo pallida, qua colorem; tenuis qua substantiam. & hi (scilicet humores) à frigido potu evidenter læduntur. Ad inculpatos humores jam transire putredinem, argumentum est, magis intensa sitis, pulsus inæqualitas, inæqualis horror & incrementum quoddam, quod typum alterius humorum servat. Præ omnibus vero crassa & densa urina, flava aut perturbata, in cujus fundo sabulosum quid residet: huc addit Avicenna: *Transitum significat cum absque sudore aut humorositate declinat, sed non absque febre, & est longa declinatio & difficilis, absque mundificatione pulsus: imo remanet in illis vestigium, & dolor capitis: hoc enim significat transitum ad febrem putridam.* Averroes addidit, *magis à nidorosa cruditate accidere, dum in fumosam vertitur, ob ciborum corruptionem.*

Galen. 1 de Loc. 4.

Avicenna.

Averroes.

Quænam ergo erit hujus febris conditio? qui typus? & quamdiu durabit? hæc si horas 24 transcendit, alterum duorum expectare oportet; seu ut denegeret in aliquam ex 4 humoribus: seu ut persistat, dum putrida cruditas in ventre, aut mesaræi venis absumatur, ex qua illa, febris scilicet fovetur. Hoc in casu talis erit conditio, qualis maligni, vel etiam putrescentis, (hoc est) conditio humoris, qui putrescit. Typum nullum servabit, dum sola putrida cruditas in febris causam cedit. Dicam tamen simul, quod in hac febris forte observavi; per noctem fortius hujusmodi ægri sunt realendi: forte, quia per noctem prohibita augetur ventilatio, nisi velis, quod cruditas pituitosi humoris naturam sequatur, cujus proprium est quotidie, singulari circuitu repetere, potissimum per noctem, dum crassi humores commoventur. Idcirco etiam hanc febrem paribus diebus semper observavi repetere. Interdiu inordinata & frequenti horripilatione ægros corripi vidimus, nata è putredinis foco, maligna expirante fuligine, eaq; delata per membra sententia, ut solet in malignis fieri, dum focus est in venis. Duratio erit brevis aut longa, prout crudorũ multitudo adfuerit, vel secus: seu prout

prout focus in patentibus & communibus viis, aut in anfractuosis abstrusisque cavitatibus delitescit. Hoc mirabile dicam à magno Hippocrate observatum, putridam cruditatem ad 11 & 12 diem in ventre causam febri dedisse: & tantum perdurasse, absq; eo quod auxiliis cederet: *Nam Nicostrati uxori cibus interclusus est ad decimum diem,* inquit Hipp. *Nec per vomitum nec per aluum dejectus. In Hermophili filio ad undecimum diem: ad quartum in Nicolai puero.* In Pythionis filio Hipp. advertit, ad 14 diem durasse febrem & per totum tempus alvū duram. Inde sane evincitur, posse febrem ex cruditate putrida in prima regione putrescente, ab illa scilicet causa, ad undecimum diem perseverare. Atqui inde non probatur, nullos alios humores venarum putredine coaffici. Imo videtur impossibile, per tam longa spatia posse tales venarum humores, saltim jure vicinitatis & consortii, inculpatos persistere; id quod etiam accidentia, quæ Hippocrates recenset in relatis historiis, videntur contestari.

Hipp.

Sed dices, Hippocratem & Galenum tantum ad tertium diem distulisse sanguinis missionem in suspicione cruditatum, ut excrementa descendant; tanquam illa esset præscripta naturæ meta, seu ut illas concoquat cruditates, seu ut illas expellat, quod in Juvene synocho laborante, videtur observasse. Respondeo, quod Galenus illud tantum intelligat, dum sola manet incocta cruditas absque corruptione & dum aluus excrementorum duritie retinetur, exspectans, intra hoc tempus aut illa vitia posse corrigi, aut in sanguinem cruditates verti: seu, ut excrementa, quæ in parte superiore detinentur, inferius descendant, perque inferiora expellantur facilius. Haud obscure patet illud in Juvenis historia, cui Galenus mitti sanguinem distulit eam ob causam, quia incidit in febrem nuper pransus, 9 Meth. 4. Eodem respectu 1 Acut. 42. sorbitionem distulit; clarius 9 Meth. 5. *Nam si præcedat ciborum cruditas*, inquit, *tanto tempore differre venæ sectionem jubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa descendant, videbitur.*

Galen. 9 Meth. 5.

Hoc tantum exspectare in corrupta cruditate, non sufficit, quoniam incapax est coctionis illa cruditas: nec ulla est securitas, ut hac meta descendat, maxime latebris interclusa; & quantumvis descendat, semper retrocessus periculum subest; & si attente legimus illam Græco-Latinam dictionem, qua in historiis cruditas retenta denotatur, de cruditate & non de excrementis dici facillime deprehenditur. Hippocrates hac dictione utitur, (*bromata*) non tantum in illa Nicostrati historia, sed 4 Epid. 20. & 5 Epid. 39. Per illam cibum & edulia Galen. intellexit, non vero ciborum excrementa; & 1 Acut. 32. hac eadem utitur dictione. *Bromata, & edesmata*, de quibus dixit Hippocrates, *si, quibus bromata sunt inclusa, iis non sublatis sorbitionem dederit, eos præcipitem agit in mortem.* Galenus cibaria aut excrementa retenta intellexit, sic 6 Epid. Sect. 5. text. 6. sic Libro de Affectionibus 42. 44. & 50. & 1 Aph. 18. Sic Jacotius in Commentario illius Nicostrati historiæ: *Majorem tamen affectum patiebatur*, inquit, *circa regionem hepatis, ex eo enim, quod cibus interclusus retineretur, ad decimum usque diem*, &c. Et nullo pacto excrementorum meminit.

Hipp.

Jacotius in Comm. Nicostrati.

Præterea in hac febrium sorte observavimus, (quando inculpati humores à putrida cruditate inquinantur.) Post importunam sanguinis missionem lipyrico modo ægros infrigidari, vivifici nectaris defectu, vel quasi corpus tepidum, seu non prout debebat, calidum reddi, insequente hebetatione mentis cum torpore. Ita hoc non accidit ex corruptæ cruditatis fermentata putredine, ut in illa, quæ à pravis eduliis comparatur; notante id Galeno in libro de ciborum bonitate & vitio cap. 1. Ita non dicimus, quod illud accidat, (quemadmodum etiam tradidit observatum Saxonia) vel quod illa prava cruditas non tantum deleterie corrumpatur, sed focum & mineram corrumpat, sive sit in ventriculo, sive quocunque loco mesenterii, sub fatali gangræna; ut 3 aut 4 accessione inopinata frigiditas incedat in extremis, ex qua (scilicet extrema) non recalescant; & quasi non febrientes æstimentur, quod Hippocrates variis in historiis confirmavit: veluti in Erasino, & illo, qui à cœna incaluit, in cujus Comm. sic apud Galenum legimus: *Hæc nos docet historia diligenter attendere, ut primum invadunt morbi, & non citra judicium, & cibum exhibere, & oblatum metiri oportet, etiam si parvi videantur morbi: hic enim ex præpostero cibo corruptionis periculum adauxit. Nam putrescunt quæ calida & humida*, 2 de Diff. Feb. 2. & Avicenna, *cibus sumptus supra cibum cum indigesto permiscetur, & retinetur cum eo, donec mora putrescat, & in virus denegeret.*

Galen in Comm.

2 de Diff. Febr. 2.

Avicenna.

Prognosis & Pericula.

Galeni in morbis mira sollicitudo & sedulitas nostram in medendo redarguit ignaviam. Quot attentionibus cruditatis discrimina considerat? *Verum in ventre* inquit, 8 secundum Loc. 6. *Ciborum corruptiones manifeste apparent, circa hepar vero distributum alimentum, ad sanguinem prius in viscere existente admiscetur, corrumpiturque temporis progressu, etiam hic una cum alimento circa ipsum non concocto: calida igitur intemperie circa viscus existente colliquationes fiunt, primo humorum deinde etiam carnis ipsius hepatis.* Hæc discrimina Galenus adnotavit, dum ad cruditatis corruptionem calida hepatis intemperies accedit; & illa venas intrat.

Galen. 8 secund. Locos 6.

Non ideo est par in omnibus cruditatis periculum; nam febris quæ ex levi cruditatis corruptione accidit, sive acida sive nidorosa sit, fere caret periculo, intra metas enim diariæ pellitur aut corrigitur; si vero aliena jam ferat accidentia, ex consensu nempe alicujus membrorum principalium, cordis, ventriculi, aut cerebri; unum duorum indicat, aut jam in putridam transire, aut putredine verti in aliam corruptionis sortem, quæ præcedenti noxam inferat graviorem; & utrumque est altiori judicio metiendum; de fatali consensu exemplum habemus in Hippocrate, 5 Epid. 22. in illa Apelei historia, & illius qui à cœna incaluit: *Apeleum invasit epilepsia*, inquit, *sed capite purgato remisit, rediit febris ad noctem, cum videretur sanus, sequenti vero post cœnam morbus invasit, & mortuus est apoplecticus atq; convulsus.* Quid mirum post cœnam, adaucta cruditate hæc evenisse omnia? Vallesius ad filii Hermophili historiam: eveniunt etiam, inquit, in hac febre (nempe ex cruditate) deliria, convulsiones, & apople-

Hipp. 5 Epid. 22.

cticæ passionis, per compassionem ventriculi & cerebri; à quibus aliquando ægroti intereunt, nisi mature præveniatur.

Eximia corruptæ cruditatis pericula sic Galenus extollit, 12 Meth. 3. (nec interest, utrum in venis, an in prima regione putrescat) *Quod si non modo crudi succi sint, sed etiam eo corruptiones pervenerint, ut concoqui ad perfectionem non queant, qui sic ægrotant, eorum est desperata salus.* Sed nos hanc sententiam intelligimus, nisi alvus prorumpat, libera & liberali excretione. Hac enim vidimus in hac febre ægrotos à maximo periculo liberatos. Simile tulit judicium Hollerius, capite de febre ex cruditate. Si vero talis perturbatio, inquit, in febre intensa ex sola cruditate apparet, inde mors in propinquo est; quia calor fusa & liquata cruditatum congerie suffocatur, & crassus humor vias intercipit, unde pravæ obstructiones, diuturnæ febres, ex fermentata putredine in malignas progressæ. Hujus tamen status signa sunt, longe inæqualis pulsuum inæqualitas, incollectiva pulsationum serie interdum intercisa, plumbea corporis moles, tarditas motus, corporis & mentis hebetudo & torpor.

Galen. 12 Meth. 3.

Haud minus certe gravia symptomata in pueris cruditas ex lacte corrupto concitavit; nobilis est illa præceptoris sententia, 1 Coacar. 115. *Puerulis acuta febris, alvus nihil reddens, unaque somni vacuitas, & calcitrandi vis, crebra item coloris mutatio, & ruboris suffusio, convulsifica hæc sunt.* Lactentes præsertim (dixit Duretus in hujus sententiæ Commentario) hæc solent comitari discrimina, crassiori maxime lacte utentes: tum etiam dentientes natura crassos, ac succi plenos, ad 7 usque ætatis annum: nam his acuta febris, quam putrida cruditas concitavit, si illa non excluditur, oppressionem facit, nervorumque debilium repletionem, si alvus nihil reddat; nam inde corruptæ, & excrementitiæ cruditatis notabilis proventus. Per illam Jonicam dictionem (dialectos) subintelligendum est, nisi alvus secedat. Hac etiam dictione Hippocrates in prognostico utitur: inde somni vacuitas à tetra lactis, corruptive cibi exhalatione, sive anathymiasi; quæ facit, ut expavescant pueri, & calcitrent, doloris acerbitate, & imbecillis cerebri, quod à quavis levi impressione alteratur; ideo etiam crebra coloris in corpore mutatio, vicissitudine repetita, dum color successione pallidus, lividus, aut ruber evadit, interdum à pravæ cruditatis qualitate, interdum à cordis læsione, ut Galenus existimat artis medicinalis 77. Jacotius & Duretus Commentario 1. ad 1 Coacarum Sect. 2. text. 38. ventris ignavia, inquit, depravationem & corruptionem chyli parit, vasorum impuritatem; seu ut Galenus dixit, pravorum succorum abundantiam, qua nec cor, neque aliud nobile membrum tutum ab incursu redditur. Demito, quod aliquando illa crebra coloris vicissitudo sanguinis aut cerebri inflammati consectaria sit, ut advertit Hollerius, Comm. ad 3 Coacar. 28. interdum ad laborem & angustiam sequitur, ut in animi passionibus experimur. Ideo forte Aristoteles, 8 de hist. Animal. 12. *Convulsione corripiuntur pueri*, inquit, *corpulenti, & lactes vescentes copioso, & crasso, & ex crassa nutrice*; corrumpitur enim lac, teste Jacotio, Comm. ad 3 Coac. 35. in his qui crassi sunt, & alvo dura, unde acris vigilia, lacte ad viride corrupto.

Hipp. 1 Coac. 115.

Aristot. 8. de Histor. Anim. 12.

CURATIO

Per indicationes specificas & individuales.

Ut indicationes lege, tempore, & loco eliciantur, illud est primo supponendum, & mineram putredinis in hac febre locū intra ventris anfractus, aut mesaræi venas delitescere; in ramo venæ cavæ descendentis: & pariter in pueris, ac viris. Quare scopus & prima ac generalis indicatio hujus putridæ cruditatis ablationem indicat, ut causa aliarum causarū. Specifica autem desumitur non tantum à cruditatis specie, sed & à loco, ubi illa putrescit, alias retinetur. Has indicationes Gal. adimplere nos docuit, 9 Meth. 5. per hæc verba: *Si igitur ea quæ corrupta fuere, vacuata esse videntur, tum lavandum tum nutriendum est; sed iis, quæ circa ventriculum sunt, prius consulito. Si vero omnino venter adstringitur, pratractatis præcordiis, mox toto ventre, considerabis diligenter, num cibus in gracile intestinum, aut in colon descenderit. Deinde ægrum interrogabis, qua maxime parte vel morsū, vel gravitatem sentiat: qualesve habeat ructus; nam si in superioribus aliquid diatrion-pipereon dabis; deinde præcordia omnemq; ventrem perfundes; hæc vero, si inferius descendant quæ vitiosa sunt facies, nempe aut glande aut clystere: vacuata vere alvo, nutriendum protinus*, &c. Hic Galenus incoctam & putridam cruditatem mederi nos edocuit, & concoquendo illam, & vacuando istam; donec robori ventriculi prospeximus. Vacuationem tamen præcipit faciendam per illam regionem, qua cruditates illæ continentur.

Galen. 9 Meth. 5.

In hoc tamen potest esse aliqua latitudo; nam si illa corrupta cruditas levis est, nec longo antea tempore contracta, nec recondita, ut speres clystere abstergente & modice purgante, aut illo iterato, illa posse deponi, & parco moderatoque victu; illis tantum auxiliis illa indicatio suppletur, tanquam vere contrariis æqualibus. Si vero adhuc illa febris persistit, & cum hac nobilis alicujus membri jam apparet consensus, jam hæc recondita cruditas animum acrioribus stimulis explorat, quoniam unum duorum nos timere oportet; aut in aliam febris sortem transiisse; aut altius abstrusam & reconditam in intestinorum involucris ac sinubus persistere. Quod si tibi potiori ratione videtur, tunc vacuandi sumatur indicatio ex ipso ventris affectu, ut Gal. est auctor, 1 Acut. 42. & 45. Et ventriculus, & ventris regio, aut ipsa intestina sunt loca conferentia, & huic vacuationi destinata. In hoc etiam alia nos consideratio sollicitat, nempe, si illa cruditas non cito depellatur, poterit venarum humores putredinis contagio coafficere graviorique damno, cum sit nullius plane beneficii capax. Id quod etiam ad properandum in executione nos compellit secundum indicationem, quam suggerit urgentia. Hoc ad literam practicatum invenis in relatis historiis ab Hipp. *Qui in Hermophili filio penna immissa vomitum concitavit, ac postea, clystere stercus multum subiit. In Nicolai puero, leniente medicamento educere cruditatem imperavit*, (forte quod altius recondita) *scilicet mercurialis aqua, qua stercorosa, humida, fœtida, spumosa dejecit. In Pythionis filio illud erat* mirabi-

Hipp. in Histor.

mirabile, quod appoſito felle multa egereret, quo ſtatim accidentia levabantur; ſed breviter alvus in tumorem elevabatur, & intendebatur & febris & cataphora. Exiſtente vero eodem ductu, datum eſt ex cnico, cucumere ſylveſtri, & meconio, tunc bilioſa illis eruperunt, ſtatim ſopor ſedatus eſt, facta febris mitior, omnia ſublevata & æger judicatus eſt die 14. Hoc ex hiſtoriis placuit adnotare, quod ad cruditatis reſiſtentiam vis medicamenti aucta fuerit. In hujus etiam hiſtoriæ Commentario Valleſius; certe mihi videtur, inquit, actum optime, & imitandum, ubi ſimilis ſe affectio obtulerit, nam reſtricta alvo, recte admota eſt per ſedem glans ex felle, ad vacuandam alvum, & revellendum à capite. Dum ad vacuationem febris remitteret, & ſopor, conſtabat aperte, corruptum à cruditate humorem in ventre detentum, maximam augendi febrem & ſoporem, cauſam eſſe, & maxime ſane curationem illam, per ventrem educendi. Quapropter nulla potior erat curandi ratio.

Et licet jam aliquid intra venas intrare ſit ſuſpicio, adhuc nihilominus perſiſtit vacuandi per ventrem indicatio, illius nempe materiæ, quæ in venas irrepſit, aut irreptura eſt, ut iſta revellatur, & illa vacuetur per loca conferentia, & proxima foco, & mineræ putredinis. Nam quæ adhuc latitat in meſaræi venis, ſucceſſione educitur ad illa, quæ ex ventre vacuantur. Et in hoc ſtatu, ſupra, quam credi poteſt, erunt damna, ſi quis auderet ſanguinis miſſionem tentare: nam ſuccederet ſordida & polluta corruptio cruditatis intra venas loco ſanguinis miſſi, ut Galenus adnotatum reliquit, 4 de Sanitate tuenda 5; & forte poſtea locus auxilio non erit, nec vos ſeducat jam aliquot dies tranſiiſſe, ut de febre ex venarum apparatu judicetis. Nam poteſt putrida cruditas in inteſtinorum latebris deliteſcere ad diem 12: ut antea ex Hippocrate legimus. Quare tutius erit ſaltem meo judicio, in purgantibus clyſmatis perſiſtere, aut purgantibus etiam medicamentis, non tantum lenientibus, ſed cum benigna tractione catharticis, qualis notæ eſt ſyrupus de filicula, regius & perſicus; & ſi adhuc reſiſtit, addito catholiconis parum; & dato, quod non eſſet in hac purgatione omnimoda ſecuritas; eſt certe gravius in ſanguinis miſſione diſcrimen, nempe lipyrico modo infrigidari, aut febrem maligniorem reddi; licet in hoc caſu ad ſint plenitudinis ſigna, quod docte advertit Gariopontus antiquiſſimus auctor in opere aureo, libro de Symptomatibus febrium in epitome & Avicenna, Fen.4. lib.1. cap.20.

Si vero febrem illam jam conſtet tranſiiſſe in putridam, ex venarum putredine & ex ſingularis humoris accidentibus; quid agendum? non eſt facile hoc ad nutum diſcernere; nam illa putrida cruditas interdum ita ſimilia mentitur accidentia, maxime in cerebri aut hepatis conſenſu; ut videatur à venarum putredine exorta. Utcunque tamen accidit à præſentia vel abſentia cauſæ, quæ tranſitum induxit, potiſſima auxiliandi ratio deſumitur. Nam ſi putrida cruditas jam procatharticæ cauſæ induit rationem, ſui ablationem non indicat, utpote quæ producto effectu jam evanuit, ut in aliis præincipientibus Galenus adnotavit: & tunc potiſſima indicatio deſumitur à cauſa antecedente, vel conjuncta illius febris, in quam migravit illa putrida cruditas; quæ erit ille venarum apparatus, ex uno aut pluribus humoribus jam, ex præcedente cauſa, putredine affectis. Et in hoc caſu, auxilii vacuantis ſpecifica conditio præſcribitur, ſeu ab humoris ſorte, ſeu ab illa putredine & vitio, quæ recens humoribus inducitur; & ſi hic aut ille humor in venis aut fervens, aut putreſcens, ſui indicat vacuationem, tutius per venæ ſectionem vacuatur; nam in hoc caſu ſanguinis miſſio potiori jure indicatur, ob rationes in tractatu antecedenti allegatas.

Atqui utrum illa ſanguinis miſſio ſit ex brachio, an ex talo celebranda, hoc operæ pretium eſt exponere. Et aliis conſiderationibus relictis, conſultiſſimum judico, hanc ſanguinis miſſionem ex talo imperare; donec conſtet, depoſitam eſſe omnem vitioſi humoris multitudinem. Nam damnum per meſaræi venas à putrida cruditate intravit, quo ſuppoſito, ſanguinis miſſio ex talo, ſecundum artis principia tutius à membris principalibus revellit citius, & per propinqua derivat, ſecundum venarum rectitudinem evacuat & prohibet ne ulterius diffundatur putredo, perſpiratum humoribus inducit; ac tandem à foco & minera putredinis ſucceſſione ad id quod vacuatur, humorem putredine affectum tutius & celerius educit. Quo auxilio non tantum attendimus ad cauſam, ſed etiam ad originem cauſæ; nec in hoc ſtatu par ſecuritas erit, in ſanguinis miſſione ex brachio: nam inter alia illud erit maximum inconveniens, quod ſurſum trahet cruditatis putridæ & corruptæ reliquias & ad majores venas faciet penetrare, quo non tantum inculpatos humores pravo illo contagio coaſſiciet, ſed cor & cerebrum etiam inquinabit, ut inde syncopi, lethargo aut phrenitidi pravis exhalationibus prompta detur occaſio; credite noſtræ experientiæ, eſt enim fideliſſima, & ratione ducitur.

Si vero in anfractibus adhuc primæ regionis ſit aliqua putridæ cruditatis ſuſpicio: licet jam putrida ex venarum apparatu incipiat, ſolertiæ prudentioris judico, à medicamento purganti incipere, ut illa prius cruditas deponatur; quam cum retroceſſus periculo ſanguinem mittere. Nam tunc potiſſima indicatio eſt à cauſa quæ adhuc perſiſtit in cauſalitate aliarum cauſarum. Et hoc auxilium à ventris affectu indicatur potiori jure quam ab affectu venarum jam producto: nam hęc cauſa in venis eſt effectus reſpectu prioris cauſæ, nempe cruditatis; & ſic uſq; dum conſtet illam eſſe depoſitam, non eſt potioris urgentiæ illa putrida venarum multitudo, cujus vacuandi indicatio tunc incipiet, quando omnia accidentia ab illa non tantum oriuntur, ſed foventur: tunc enim non eſt potiſſima auxiliandi ratio medicamentum purgans: nam à ſanguinis vitio intra venas, putredine, & multitudine potius ſanguinis miſſio indicatur; in hoc enim ſtat hujus & illius auxilii differentia, quod purgatio indicetur ab illa multitudine & vitio, quæ in prima regione continetur; miſſio vero ſanguinis ab illa, quæ in venis putreſcit. Si non placet etiam alia prudens auxiliandi ratio, alternatim nempe clyſteribus purgantibus, una die primam regionem repurgare & die ſequenti, ſanguinem ex ta-

lo

lo mittere, ut hoc etiam alternatim vacuante auxilio utrique indicationi satisfiat.

De materia medica pauca dicam; illa tantum, quæ à Galeno per indicationem inventa nanciscimur; non illius auxiliis: nihil enim hodie poterit nobis infelicius evenire, quam auxiliis veterum curari: nihil vero felicius, quam per indicationes ab illis adinventas auxiliorum quantitatem & qualitatem nosse. De hac crudorum forte sic Galenus alloquitur. 5 de Locis 6. *Natantes cibos corrumpit os ventriculi; at vero ubi talis corruptio in ventre incidit.* Sic mederi docet 6 de Sanit. tuend. 9. *Si quod corrumpitur in alvum descendit, maximum id compendium ad sanitatem est; quibus vero non descendit, hi provocandi iis sunt, quæ leviter dejiciunt: ut sunt, diaspolitic. cum nitro: & alia quæ ex cnico, & epithymo conficiuntur: etiam his vomitus ante cibum conducit.* Et lib. de Dissolutione continua, cap. 21. *Quando superfluitates ciborum tarde descendunt*, inquit, *de stomacho, & intestinis, debent dari cibi lenientes, & pungentes, in quibus sit dulcedo, acuitas, salsedo & nitrositas, ut aqua caulium, lentium, fœnugræcum cum melle*, &c. in Arte Med. cap. 94. omnia quæ ad hanc curationem pertinent comprehendit; *ut summatim dicam*, inquit, *quidquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, sanationis intentio est ejus ablatio, quæ si fieri non possit nisi transpositione, ideo quæ in superiori ventre comprehenduntur, per vomitum; quæ autem in inferiori, per subductionem educantur; superfluum enim cibi ac potus, ab evacuatione corrigitur*, &c. Sic legitur 7 Meth. 15. *Ventriculus vomitu & dejectione inanitur, intestina dejectione tantum, ut etiam cava jecoris, sumpta indicatione à figura.* Hoc mihi magnum semper extitit argumentum, cruditates quæ in mesaræi venis continentur, esse per dejectionem vacuandas: quoniam illæ venæ sunt vasa cavæ jecoris. Sed illud majori attentione dignum existimavi, quod Hippocrates adhuc in magna febre, & complicata cum venarum putredine, purgantia medicamenta potius, quam sanguinis missionem elegerit, ut patet ex relatis historiis; quod pariter postea Galenus nos docuit faciendum. Sic enim legitur 10 Meth. 10. *Nam quæ in ventre contenta sunt*, inquit, *statim dejicere oportet.* Per ventrem primam regionem intelligit, quæ pertingit usque ad venas hepatis, & totam illam mesaræi regionem comprehendit; si attente legimus, quæ docuit 4 de Sanit. tuend. 5. & 3. Et 6 Epid. Sect. 2. 33. Hoc ultimo ex hac Hippocratis doctrina eliciendum puto; quod si lenientibus & benignis non cedat illa putrida cruditas ad fortiora etiam properandum esse. Non est enim alia salutis via, licet ad 14 diem remoretur.

[margin:] Galen. 5 de Loc. 6. — Idem 6 de Sanit tuend. 9. — Idem Lib de Dissolutione contin. c. 21. — Idem Arte Medendi. c. 94. — Idem 7 Meth. 5. — Idem, 1 Meth. 10

In hac tamen necessitate tirones summa oportet instruere prudentia, ut ex arte discant & non utcunque, in re magni momenti: quare si in ventriculo adhuc hæc aut illa cruditas immoratur, quod ex ructibus, pondere, & fastidiosa subversione venaberis; hanc Galeni consilio per vomitum educes, 1 ad Glauc. 14. hoc enim magis ex arte erit quam purgare; quod si jam descendisse constiterit; hanc acriori clystere, & carminante concitabis. Si vero tenuis materia corrumpitur, fumosum ructum edit: & in hac gelidæ aquæ potus intercipere solet corruptionem, & adeo intemperiem sedare, ut nec amplius exinde invalescat, nec ad febrem materiam ministret; si materia est crassa, quæ corrumpitur, hæc nidorosa redolet: & hæc vomitu aut dejectione, & non alio ingenio educitur, prout supra aut infra subsistit; sed in hac vomitoria debent esse majoris efficaciæ; acriora clysteria: & si illa non prosint fortiora purgantia; sic in hoc casu Hollerius inquit: clysteres, ubi resistit alvus, acriusculi infundantur, addita benedicta aut hiera: nec timeas usum clysterum, nisi alvo citata. Quid amplius nos dicimus, licet alvo citata injiciatur clyster, si adhuc cruditas in ventre cum dolore & irritatione immoratur? nos enim in nobili Don Joanne Antonio de Mendoça, magno regis ministro, adhuc ventre nimis profusa clysterem imperavimus, cum amplius cruditatis in ventre superesse cognovissemus: ac inde omni cruditate deposita brevissime convaluit.

Si vero à deterrima putredinis conditione times, ne cito venas intret, à prima die lenitionem impera, & non ultra secundam, additis quæ majori securitate trahunt. Et si nihilominus febris forte magis intensa perseverat, crassiori & flava jam reddita urina, non protinus illam de putridarum sorte ex venarum apparatu æstimabis; sed tractatis præcordiis, an aliquid in prima regione cruditatis persistat, aut mesaræi venis, æqua lance perpendes. Quod si aliquid superesse cognoveris, syrupis aut electuariis purgantibus illud educere tentabis, antequam venas intret, loco sanguinis missi, pari medicamenti quantitate, & æquali virtute: nam minori turbatur cum periculo, & non evacuatur; & tunc maxime quando cruditas ad ustionem vergit incoctibilem: ut ex illa fœdata melancholia, aut ustæ cruditates producantur; aut pituita viscida, & salsa exuratur: his enim propriæ resistentiæ adjicitur, prava & rebellis conditio; qua fit, ut medicamenta quæ fortia respectu tenuium videbantur, sint respectu crassiorum imbecillia; sed ubi magis est opus cavitates abstergere, & abluere, placet magis liquidi medicamenti forma; nam hiera est tarda, debilis efficaciæ & calida. Quod si pilulæ placeant, sint illæ de hiera cum rhabarbaro, aut agarico, ne sint inefficacia, maxime ubi ventriculi, aut intestinorum parietibus adhærent viscida: nam solis uti consulit in hoc casu Galenus 7 Meth. 11. attamen cum Rhabarbaro Fernelius.

Inter hæc omnino prudenti solertia considera, ne te decipiant malignissimæ febris accidentia, ex pravo venarum apparatu, hæc enim solent putridæ cruditatis æmulari symptomata in dolore ventriculi, murmure hypochondrii, nausea importuna, & quod magis est; in crudis & graveolentibus excretionibus. Inter illa tamen, hæc tibi erit ratio differentiæ: in maligna, pulsus citissime cum omni inæqualitatis differentia collabuntur, in cruditate vero adhuc per dies in vigore persistunt, & excretiones sunt in majori copia & crassiores: quod etiam ex præcedenti crapula constabit, & pondere ventriculi.

Si à purgatione, seu quavis alia vacuatione, quam vel natura vel ars fecit, aliquid reliquiarum cruditatis in ventre superesse cognoveris à ventriculi imbecillitate derelictæ: hanc oportet abstergere, si est parietibus ventriculi imbibita sive intestinorum; attemperare, si calida; sive per epicra-

epicrasin vacuare, si multa: aut si amplexui, alimenti & coctioni obstat. Id petit ultima indicatio, ut ventriculus postea roboretur, intus & extra; non antea alioquin, illius major, quam par est, roboratio cruditates etiam retinebit; primum consequetur rhodomelite ex saccharo, cum miva cinnamomi in frigido & debili ventriculo: tabellis diarrhodonis, & rosarum condito in calido: emplastro mastichis externe roborato ventriculo & similibus. Per epicrasin corroboratione etiam vacuabis tertio quoque die seu diluto absinthii, seu rhabarbari spica roborato, seu foliorum senæ, cum aniso. Hic tantum utimur hoc aut illo exemplo: summa tantum capita indicationum perpendentes.

Victus ratio sit optimæ & facilis substantiæ, quæ alere sufficiat, non calorem obruere. Vitanda sunt maxime calida, quoniam febrem augent, crudos succos liquando, ita ut intra venas possint penetrare. Periculum etiam in dulcibus idem invenies; syncopen enim accelerant advertente Hollerio. In cæteris attende, quod in hac febre non leve sit peccatum, unde tutius erit rem agere paucissimis auxiliis, quam importunis, factis potius ad ostentationem periclitari.

Fluxu ventris superveniente, naturæ motum prudenter attende. Primum utique naturæ impetum nec concitare, nec sistere oportet; sed si pigre procedat, clystere abstergente, naturam ab impedientibus liberare. Si tormina & acriores morsus, ab illa relicta cruditate concitantur; clystere ex sale, jure avis, saccharo & vitello ovi demulcebis; & si major adhuc adest urgentia, ex putrido calore efferato, addita Philonii Romani drachma, illius acrimonia obtunditur.

Si vero sola incocta cruditas diarię febri causam prestat, hęc ab ipsa natura retinetur; seu ut vertat in sanguinem, seu ut concoquat, aut in statum meliorem reducat: quo in statu, quietem agere, & pannis contegere oportet, & coquentibus & modeste calidis illud opus perficere; sin minus, naturam sine fructu, & forte cum periculo turbabis; nisi detur occasio vomitum concitandi, aut illam clystere inferius ducendi.

Exemplum Hispali exhibuit hujus febris Michaël Geronimus, vir neque noto neque publico genere popularis anno 1647. Hunc invenimus magna detentum febre, ad tactum acrioris & mordacis caloris; & dum causam inquirimus, illam ex præpostera & varia ingluvie advenisse comperimus, & ex profusa vini potatione. Erat vir ille temperatura biliosus, intemperatus, & moribus diversus. Febris erat continua cum pulsu submerso inæquali: urina crassior in substantia, colore flavo ad fuscum declinante. Sub noctem febris intendebatur. Æger valde erat siticulosus, de capitis dolore querebatur. Ventrem sæpe tentavimus, ac inæqualem & flatuose tumentem adinvenimus, cum dolore & nausea; ac fere semper ructibus nidorosis. Quæ omnia & singula, cum attente perpenderem, hanc febrem ex putrida cruditate exortam, & productam æstimavi, ex vini calore corrupta cruditate: si non ex intemperie calida ventriculi, in latebris intestinorum & prima mesaræi regione cumulata.

A clystere incepimus, (nam vomere non potuit) ex hydromelite, oleo communi, picra & sale addito: quo etiam moderate dejecit, inde levatus est; sed nocte sequenti, anxia ventriculi molestia: & ob timorem, ne jam cruditas venas inciperet intrare, ut certo testabantur accidentia, die subsequenti, 4 uncias ex pugini de cocto accipere mandavimus, quo septies egessit & bona tolerantia; sed non totum medicamentum contulit; nam 4 & 5 die eadem febris erat lingua arida & urina subnigra, & satis manifeste jam venas putridam cruditatem intrasse, apparebat. Sed adhuc de ventriculo & tota ventris regione querebatur; nec desistebant ructus. Acriorem clysterem iterum imperavi, uncia addita benedictæ; & illud sexto die quo crassa, nigra, & corrupta cibaria dejecisse ejus uxor postea exclamabat; ut herbarum fragmenta, olivas jam corruptas, & alias corruptionis sortes: (fidelissimo certe argumento, corrupta excrementa altius in latebris recondita febri adhuc progressæ causam dare;) hæc enim medicamentum purgans non valuit educere. Inde febris mitior incepit apparere; urina in colore remissa: quo visum est à sanguinis missione desistere. Et cum febris, ventris borborygmus & inæqualis tensio non demitterent, nono clystere repetito bene cessit; nam in posterum omnia levabantur: nihilominus tamen reliquias parietibus adhærentes, abstergere, coquere, tenuare curavimus rhodomelite ex saccharo, haustulis borraginis aquæ satis calidæ: oleo absinthii, omphacino, spicæ, cum pulvere coralli roborato ventriculo: quo post 14 syrupo de filicula & persico repurgatus æger, perfecte, secure & absque recidiva, divino auxilio convaluit.

OBSERVATIO II.

De omni fluxu ventris; primo de Diarrhœa.

Est ventris excretio aliorum à sanguine humorum; bilis nempe, pituitæ, aut melancholiæ; aut alterius etiam mixtione.

Hujus fluxionis principium interdum est ab hepate alienum, ventriculo, aliquando à capite: non infrequenter etiam à toto corpore accidere videmus.

Signa cujusque singularia.

A toto corpore advenire illud est argumentum; quia dejecta excretio nullius humoris naturam sapit, sed tantum excrementi mille modis fœdati, à corporis intemperie producti. Ideo sæpe hanc diarrhœę sortem febris continua comitatur: quo fit etiam, ut in fluxum desinat colliquantem; nam ab acri & mordaci calore ambitus & venarum non tantum funduntur & liquantur succi, qui in venis persistunt, sed fœcundæ humiditates etiam, & aliquando caro; quæ aut quantitate aut qualitate irritant, inde naturam concitant, à cujus expellente irritata ad ventrem propelluntur. Causam & modum propellendi Galenus clarissime exposuit; 3 de Sympt. causis 2. A capite defluere materiam ad ventrem, monstrat spumosa & liquida excretio, in colore & substantia liquatam pituitam æmulans; nisi forte etiam cum ventris excrementis misceatur;

tunc enim est permixta excretio ex albo, pallido & viridi; quibus etiam mucores permiscentur, & semper affecti capitis aliqua signa sunt debilis aut dolentis: aliter rheumaticis affectibus assueti. Ab hepate originem traxisse indicat singularis hepatis intemperies, vel alius affectus, ut obstructio, aut putridi humores in illius venulis putrescentibus. Calidam intemperiem indicant biliosæ excretiones, flavę, croceæ, pallidæ seu virides, & ex nigro permixtæ; & cum ventris dolore, & acriori sensu. Ad hanc etiam speciem reducitur alius biliosæ excretionis fluxus, seu dum fellis folliculus ita parvus à natura producitur, ut quam hepar bilem generat, suscipere non valeat, seu ita est obstructus, ut recipiendo impedimento sit; & hi per omne fere anni tempus hanc diarrhϾ sortem patiuntur, & absque ulla febre, neque magno virtutis exsolutæ dispendio: imo hic fluxus est illis fere connaturalis: hoc nos etiam vidimus. Putridos humores in istius hepatis venulis putrescentes causam dare edisces ex ipsius hepatis obstructi signis; id quod fere accidere notavimus cachexię principio, & illis, quorũ color in facie defœdatus apparet. Ventriculus etiam cedit in hujus mali causam: non tantũ dum in coquendo debilis, sed dum intemperatus & mesaræi venæ sunt obstructæ; quæ ad lienteriam pleriq; reduxere. Debilitatem indicant egestiones cibi mille modis confusi, & fœdati; ipsum pondus ventriculi: Et hæc in aliis incipiunt, dum concoctio incipit mox à cibo accepto; in aliis, & quibus virtus major, septem horis à cibo. Si vero ex intemperie ventriculus laborat, prava etiam generat excrementa: non tantum fiunt cibi jam corrupti egestiones, sed ab illo excremento variegatæ, nempe coloribus permixtis, flavo, albo, viridi, & ad fuscum vergente; & tales ægros vexat nausea importuna, gravantur à cibo, & per totum coctionis tempus illis venter inflatur; quin etiam ad vomitum interdum concitantur. Lien quoque ex triplici principio importunæ diarrhœę causam prę stat, seu dum intemperatus, seu dum redditur debilis; vel tandem cum obstructus. Intemperatus solet adhuc vitiosos humores conspurcare, & acriores reddere, quo magis ad ventrem concitentur, si non etiam permixtis excrementis ab illa intemperie progenitis. Debilis aut obstructus est causa, dum non attrahit, sive recipere non valet illam portionem melancholiæ naturalis aut ustæ, quam sive pro alimento, sive pro sanguinis defœcatione attrahere tenetur: tunc enim natura, aut onere oppressa, aut prava qualitate irritata, supervacuam humoris quantitatem ad intestina pellit. Sed hujus signa sunt fuscæ, nigræ, liventes, aut croceæ, adustæque excretiones. Et lienis propria comparent accidentia in dolore, pondere, aut calore: & hæ sunt excretiones valde importunæ & longę.

Prognosis, & Iudicium in hac fluxus specie.

Cum diarrhœa incipit, illud primo considera: utrum critice, an symptomatis ratione contingat: pariter enim natura se exonerat, & critico judicio, tempore sanitates. (Natura hæc quamdiu superat materiam, in morbis dominatur, & pariter in hoc aut illo tempore, à morbo lacessita.) Secundo, an naturæ imperio & commodo hæc cedat vacuatio: an illa se præcipitet, quantumvis critica videatur excretio; siquidem dubitandi rationem de futuro eventu, in ancipiti alea (adhuc in critico judicio) nobis proposuit prudentissimus senex 3 Prorrhet. 52. *In judicatoriis perfrictionibus sanguinis exceptiones vehementes pessimæ.* Galenus in hujus Commentario, *nullam habet quæstionem hic locus, si vehementes & pessimæ scriptæ fuerint, nulla enim quæ præceps & vehementer ruit excretio non est timenda; quantumvis à natura magisterio incipiat.* Hujus etiam sententiæ diorismus fulcitur, sequenti textu 53. ubi inquit, *hemorrhagia violenta & multa est ad convulsionem*; Galenus, *ob exuberantem evacuationem, aut propter refrigerationem.* Quare non semper est bonis auspiciis suscipienda vacuatio, nec in bonis ducenda adhuc critica; usque dum secura levatione, & ægrum & medicum soletur. Quorsum ista? ne levius proferatur judicium: quia omnis illa excretio, quæ magis de viribus quam de morbo detrahit, semper est in suspectis ducenda; nam symptomatice aut critice profusa, aut, vires, utile vacuando, exsolvit; aut nimia irritatione se præcipitat, seu continua affluxione vias laxat, ut in posterum nequeat cohiberi; nam in hoc casu, si quo in alio, exitus acta probat.

Hipp. 3 Prorrh. 52. *Gal. in hujus Comm.* *Hipp. ibid. text. 53.* *Galen.*

Quapropter critica diarrhœa ex se est ad salutem, nisi ex accidenti periculum adjiciat symptomatica dubia: periculosa ex fluxu colliquante, seu sero seu humore liquato; ex carnis colliquatione lethalis: ex hac enim Galenus nullum sanatum vidit; 3 Epid. Sect. 3. text. 72. quia ad tabem vertit, nec auxiliis cedit: natura enim à morbo superatur. Caro liquata noscitur; cum dejecta excrementa sunt rufa, saturata, pinguia, crassa, fœtentia, ac emortuam carnem redolentia, cum pulsu duro & hectica febricula; in his enim cedunt prima postremis, & si quo in alio, incurioso fine. Denique circa hujus affectus sortem observavi in senibus importunam & longius protractam diarrhœam non sanari; nec in juvenibus longe extenuatis per continuam febriculam biliosa diarrhœa in hepaticam dysenteriam versa.

CURATIO.

An sistenda, an sinenda excretio; ultima indicatio.

Quomodo, & quam cauta prudentia, cohibere aut sinere conveniat ventris excretiones, satis manifeste colligitur, ex eo, quod neque magnus Hippocrates, neque doctus Galenus, ultimam manum, huic difficultati, imposuerint. Nam 1 Aph. 23. *Si qualia oportet dejicit irritatio*, inquit, (sive à quantitate seu qualitate fiat) *& illud à natura facile toleratur, hæc non est cohibenda excretio: si vero jam natura exolvitur, neque facile tolerat, hanc sistere oportet*; ex hac decisione Valesius, sibi visus est regulam generalem constituere: dum nempe vires ferre valent evacuationem pravi & putridi humoris, ferenda est excretio, roboranda natura, attemperandus humor; si vero exsolventes & syncopales tales excretiones videantur, sunt protinus sistendæ; cujuscunque etiam humoris sint: solæ enim criticæ lentæ sunt juvan-

Hipp. 1 Aph. 23.

juvandæ; aut aliæ quæ juvant, quantumvis symptomaticæ: hæc tamen regula, à generali indicatione deducitur, in qua est magna etiam latitudo: nec ultimam in singularibus sistendi necessitatem comprehendit viribus cum periculo morbi, & cum urgentiæ celeritate æqua lance libratis, neque cum singulari resistentia.

In diarrhœa & in dysenteria non esse cohibendum primum naturæ impetum, docent plures: quo autem signo illud præcognoscendum, silent omnes. Conjecturas plerique addiderunt, veluti divinantes: nempe cum natura incipit delassari, æstimant retinendum; fallaci conjectura: nam adhuc natura præ onere gravata, & oppressa, cujus erat auxilium vacuatio; videtur apparentur delassata, quo in statu si retinere tentas, ægros gravioribus accidentibus cumulas: quinimo nec quantum duret impetus, poterit ad necessitatem præfiniri; cum in aliis per plures dies duret; & sæpe in prima die cesset. Horatius Augenius ad tertiam diem naturæ impetum exspectandum existimat; & fallitur, cum sæpe ad plures extendatur. Jacchinus, si fluxus est materiæ proritatæ, inquit, non est temere detinendus: sed cum vires confestim dejicit, vel sensim corpus colliquat; qualitate putredinali, massam sanguineam corrumpendo, velut in pravis febribus, cum maxime fœtentia & pinquia dejiciuntur. In aliis casibus defendenda intestina; non retinendum, ut in dysenteria: & videtur vir iste in colliquantibus tantum retinere, consulere; & adhuc in hoc casu est certe ambigua latitudo: imo si fœtentia & acria à proritata natura expelluntur, graviori periculo retinentur: est enim omnis recursus pravus, sed humoris maligni lethalis, quia membra, in quæ decubuit, corrumpit. Et in hoc sequitur Aëtii doctrinam, *qui post tertiam diem lac recens mulctum ad purgandum concedit, per tres dies continuos in dysenteria, postea tertia parte aquæ decoctum ad demidium, per alios tres dies*: quo in opere superflua vacuare exspectat ad tres dies, ac postea retinere intendit: *nam aliena detinere*, inquit, *dum natura utiliter excernit, est certe grave malum*; *fiunt enim dolores, phrenitides, lethargi*, &c. hæc etiam sententia deficit in eodem principio.

Aëtius.

Trallianus in dysenteria affectum intestini considerat, & consensum ab humoris confluxu; si nempe à toto corpore excrementa ferantur ad partem ulceratam, seu ob colliquationem, aut vitiosi humoris abundantiam, natura expellente; *in his*, inquit, *negotium ægris facessere non expedit, ut quæ à facultate nos dispensante pulcre fiunt, prohibere festinemus. Quare in hujusmodi affectibus naturæ auxiliari oportet*; *si propter copiam eveniat, sanguinis missione, interdum etiam purgatione*, &c. His Trallianus sinendum aut vacuandum docuit, non autem quo loco & tempore sistendum.

Trallianus.

Alias excretiones videmus brevissime ad interitum ducere, alias per longa spatia sublevare; *Cherion à principio ad 20 diem biliosas & sinceras excretiones habuit, & liberatus est. Crito interiit postridie quam ægrotare cœpit, cui dejectiones meræ, biliosæ, subcrebræ*; *& mulier, quæ apud Pantamidem degebat in 7 interiit, cui alvus erat perpetuo lubrica, ejusque multæ tenues & crudæ dejectiones.* Interdum enim præ attonia effœta natura in principio profuse bona cum malis excernit, ut animam cum humore exhalet; ceu in adolescente & muliere, quæ in foro mendacii ægrotabat: hoc Apollonio etiam legimus contigisse; quo certe terminum excernendi præfinire videtur impossibile, & mille periculis expositum, ut impetus etiam excernendi pertranseat, exspectare. Sinendas excretiones dixit Valesius, quousque exsolventes & syncopales appareant. Et si forte tabem à principio advenire contingit, ex prava & maligna humoris conditione, quid agendum? (nam sistere aut sinere, æque præsentaneum affert mortis discrimen:) non video certe, quid in arte animum acrioribus stimulis exploret; nec quod majorem solertiam sollicitet, neque attentionem.

Idcirco nos in satis ancipiti negotio ab ipsa rei natura, præcipuam sinendi, aut sistendi indicationem in his excretionibus desumendam esse existimamus; si collimatione & solertia virtutis tenorem cum periculo retentionis conferimus: nam dum multitudinis prævalet indicatio: seu pravi & maligni humoris irritatio; si hæc cum debili virtute complicentur, (& hoc est in principio usque ad diem septimam:) consultissimum erit judicare, hanc imbecillitatem esse per aggravationem, & non ita urgenter sui custodiam illam oppressam virtutem postulare, ut requirit illa periculi urgentia ex humore retento: si illa est pravi humoris multitudo: quoniam ubicunque recurrit, lethalia concitare accidentia par est; seu ad cavitates venæ cavæ recurrat, seu ad cor, vel ad cerebrum; ibi enim syncopas, phrenitides, aut lethargos etiam concitabit, ut Aëtius timere & præcavere docuit. Quinimo & hujus imbecillitatis auxilium in hujus excretionis tolerantia libratur; si vero imbecillitas ex illa excretione comparata, seu ex malignitate, nobilem facultatem & communem valde lapsam ostendit, in suo principio & essentia: potiori urgentia sui petit custodiam; seu quando delassata, continere non valet utile nec inutile: seu quando colliquata excrementa excernuntur. Nam intemperies quæ valet colliquare, valebit etiam facultatis essentiam in suo principio dejicere, dum depascit vivificum nectar, & nativum calorem, ac omnino facultati necessariam temperiem evertit, non tantum in primis qualitatibus, sed in modo substantiæ: dum qualitates formæ præexistenti repugnantes inducit; quo in statu fictæ etiam multitudinis solent apparere indicia. Sed hæc non ita cito necat, ut illa essentialis imbecillitas, vitalitate aut animalitate corpori necessaria intercepta; quare in hac mox retinere consulo.

Solum restat, ut utriusque signa perpendamus; ad securius proferendum judicium. Sunt enim indicia multitudinis & irritationis, si biliosi multi corrupti ac exusti humores dejiciantur, in magna quantitate. Et si ex venarum apparatu adest putrida febris, aut ex calida hepatis intemperie generatur perenniter qui confluit ad intestina humor; quod sitis indicat, oris amaritudo; quo in statu nec prohibere, nec provocare convenit; sed alia vacuatione illam multitudinem deponere, veluti sanguinis missione, scarificatis cucurbitulis, & forte hirundinibus: & in suo principio hepar attemperare, intestina eluere: ac humoris feritatem frænare; ut alimentis etiam virtutem custodire.

Si vero humores colliquari sit aliqua suspicio, tunc protinus virtutem collabentem oportet extimescere: & si nimis profusæ excretiones contineri non valent: quoniam illud est lapsæ naturalis facultatis maximum argumentum; ut & pulsus vitalis asphysia: saltem cum imbecillitate aliqua inæqualitas, cum conspicua arteriæ duritie, fastidium extremum, singultus, & lienteriæ complicatio, extreme lapsam naturalem facultatem ostendit. Cibi abominatio, ac motus in surgendo imbecillitas, cum animi deliquio seu exsolutione, quavis egestione animalem facultatem collapsam indicat, naturalis exolutæ consensu: & tunc cohibendi est potior quam sinendi necessitas. Licet cum aliqua debilitatis nota tales excretiones sint sinendæ. Sed cave ne extremam atoniam exspectes.

Post hæc omnia dicam quod observavi. Quoties in longius progressa diarrhœa à debili ciborum appetitu, in cibi abominationem & horrorem ægrotus incidit, ab importuna siti ad singultum; à levi macie ad magnam carnis extenuationem; nullum sanatum vidi: maxime in habituali & lapsa hepatis intemperie, ex qua biliosi humoris est perennis affluxus. Ex his judico, donec magna debilitas instat, non fore exspectandum: sed dum nobiles (maxime naturalis) facultates collabi incipiunt, retinendum; quod ut plurimum accidit primo exacto impetu, ac deposito venarum apparatu. Illud tamen certo dierum numero præfiniri non datur; haud est enim æqualis ægrorum resistentia: & in plerisque vidimus, diarrhœam cum natura hominis consuescere, & durare per totum ipsius vitæ cursum; cujus fluxus in tali homine, si aliquo auxilio sistatur, mox iste in deleterias & gravissimas affectiones incidit.

In hoc tamen retentionis opere (necessitate id exigente) illud minime prætereundum duxi: primo, irritationem succi obtundendam, & membri mandantis intemperiem corrigendam; & clysteribus eluenda, attemperanda, & roboranda intestina: ac postea incrassantibus, adstringentibus intus & extra retinere oportet; id quod his diebus præstitimus in nobili Don Francisco de Paredes, cui in continua febre biliosa diarrhœa supervenit, & plane symptomatica: & his auxiliis septem integros dies exspectavimus; attemperando, reficiendo vires, & solo clystere ex hordei decocto: lacte chalybeato, cum ovo & saccharo: & ad extra, miva cydoniorum ad ignem inspissata, ventriculo apposita cum pulvere rosarum, corallium & masthichis, profusæ excretiones concesserunt: forte quod antea sanguinis missiones præcesserunt.

Incipiat ergo ex hypothesi sola biliosa diarrhœa ex pravo venarum apparatu, hepate perenniter bilem generante; cujus erit indicium aut continua febris, aut tumorosa aut livida turgentia venarum, cum ventris torminibus, siti, vigilia, &c. Quid agendum? nos mittimus sanguinem in hoc casu ex brachio, revellendi consilio; non semel sed pro multitudinis & perennitatis ratione: & postea cum jam attemperandi incipit indicatio, ex salvatella mitti non recusamus. Nam talis sanguinis missio ab illa multitudine indicatur: & hac deposita, & fluxus inde cessat, & prava dysenteria præcavetur, causa vacuata ad fluendum parata: quo non tantum vacuantis, sed revellentis vices gerit auxilium; & attemperantis etiam ex eventu. Et præterquam quod illa indicatio deducatur ab illo communi principio, *contraria contrariis*, &c. Hanc sententiam ex antiquis sequuntur Rhases, Aëtius, Trallianus: ex neotericis, Fontanus, Mercatus, Frambesarius; Jacchinus & Saxonia: & denique Amatus Lusitanus, aliique.

Nec est huic sententiæ contrarius ille Galeni locus, 1 ad Glauc. 14. *Neque si fuerit febris cum profluvio ventris, est opus alia vacuatione*, &c. Galenus enim de critico fluxu venit intelligendus, febris solutionem afferente: hunc enim nec concitare, nec detinere decet: ne natura alio vacuante auxilio se præcipitet: aut alio per sanguinis missionem distrahatur. Hoc etiam colligitur ex Stephani Atheniensis Commentario ad hunc eundem locum; 1 ad Glauc. text. 156. hæc sunt illius verba: *Sed nec cum Diarrhœa, (hoc est alvi profluvio) febris fuerit, aliqua alia indiget evacuatione*: (& postea) *nam qui sanguinem mittere, aut ventrem movere sunt ausi, adhuc magis acuta pericula intulerunt.* Et hic est illius Hippocratis sententiæ diorismus, (*alvo fluente sanguinem non detrahes.*) nec est par ratio; dum febris & diarrhœa sunt ab eadem causa: hoc est, soboles illius multitudinis, quæ in venis ad febrem & ventris fluxum cumulatur: dum symptomatice partem natura irritata ad intestina pellit, cum hujus etiam symptomatis periculo, partem putredine infectam intra venas reservans: quoniam hac deposita sanguinis missione, putredinis & fluxus symptomatici periculum præcavetur. Neque natura ab opere laudabili distrahitur, quoniam hic coacta & irritata pellit; sic sentit Lusitanus parum antea citatus.

Galen. 1. ad Glauc. 14.

Steph. Atheniensis Comment. in Galen. 1. ad Glauc. textu 156.

Hipp. in Aphorismis.

Si vero diarrhœa ab excrementis intemperati ventriculo fovetur, seu à continua cruditate inibi cumulata: neutrum potest per venas vacuari. Et in hoc casu, & regio & humoris conditio indicat seu vomitu revelli: seu per dejectionem vacuari, quo natura vergit, per loca conferentia. In excrementis à calida intemperie progenitis, tribus unciis ex condito, aut syrupo rosarum persicarum; aut syrupo de filicula, aut regio: ac postea, rhodomelite ex saccharo, aut syrupo rosato reliquias abstergere convenit, ac illas ultimo repurgare, seu diluto rhabarbari & absinthii; seu pilulis rhabarbari: ventriculo interim roborato per emplastrum masthichis, diaphœniconis Alexandri: seu miva cydoniorum ad ignem inspissata cum pulvere coralli, masthichis, & rosarum. At si à continua cruditate Diarrhœa fovetur in debili ventriculo per se aut ex eventu, ob hepatis aut mesaræi calidi syntimoriam, ablato ventriculi calore; (ut in hypochondriacis vidimus accidisse.) In hoc casu frigidam cruditatem & crassam prius abstergere, calefacere, & attenuare oportet rodomelite ex saccharo, rosato syrupo, tertia parte addita de miva cinnamomi. ac postea primam ventris regionem purgare pilulis de hiera cum agarico: aut pulvere de mechoacan, in potu, qui Hispano idiomate dicitur chocolate. Postea roborabis ventriculum oleo spicæ masthichis & absinthii, cum pulvere aromatici rosati, & diarrhodon: ac reliquias conteres cum hujus aut illius tabellis: aut rhabarbaro etiam masti-

mastico: ac ventriculum postea roborabis paulo calidioribus emplastris stomacho dicatis; nam roborati ventriculi cessante cruditate, cessat fluxus.

Si humores liquari & ad ventrem confluere suspicio sit, ut antea vidimus ex Gal. Hoc accidit in venoso genere, aut hepate humoribus ex calore liquatis, adurenti; seu quia cruditas in stomacho cœpta, ab hepate intemperato non corrigitur; ut asserit Galenus 8. secundum locos 6. ex quo prava etiam accidit diarrhœa. Cum attentione legite illa Galeni verba: *Deterior est illa transmutatio, quæ in peregrinam qualitatem juxta cruditatem fit:* (ac deinde) *ciborum corruptiones manifeste apparent; circa hepar vero distributum alimentum ad sanguinem prius in viscere existentem admiscetur; corrumpiturque temporis progressu etiam hic una cum alimento, circa ipsum non concocto: calida igitur intemperie circa viscus existente colliquantur primo humores, deinde parenchyma hepatis*, &c. Inde fere semper vidimus retorridum & fervidum marasmum advenire; aut in hepaticam dysenteriam ex calida intemperie ægrotos incidere.

Gal. 8. sec. Loc. 6.

In hoc casu duo petit unica indicatio, & ut liquationis principio obsistamus; & ut quam celerrime lapsam facultatem roboremus. Liquationis principium solet esse vel adurens calor; vel ustiva fermenta & maligna putredo, maxime calidis retrimentis & exustis. Prima ista indicatio adimpletur unico valentissimo auxilio; aqua nempe nive refrigerata & assueti pota, si non affatim, (illud enim non tolerat imbecilla ventriculi & hepatis facultas;) saltem inter cibum & cœnam; ac interdum ventriculi coctione peracta, supra conditum, aut citri aut cydonii. Utramque intentionem implet etiam tamarindorum conditũ, quod ab Indis ad nostram Hispaniam transfertur; & acida cum frigiditate exsiccantia aut sicca, adstringentia, ut terra sigillata, bolus orientalis, & trochisci de carabe, cũ aqua acetosæ, cydoniorum, plantaginis, portulacæ, & scorzoneræ; ut & condita ex acido citri, limonum & omphacii. Facultatem corroborant confectio hyacinthorum & alkermes, scorzoneræ & acetosæ, ut & recens theriaca, admixto bolo orientali. Quod si fluxus obsistit, narcotica admiscere oportet, utpote quæ incrassant, temperant, & adstringunt; sed sub hac cautione, ne vires subito dejicere contingat.

Hoc etiam in statu & hepar, & ventriculum frigidis adstringentibus oblinere oportet, ut excellens attemperetur calor, & facultas collapsa roboretur oleis adstringentibus, & omphacii succo, cum pulvere coralli. Clysteres sint ex lacte chalybeato aut hordei cremore, admixta muscilagine psyllii, aut cydoniorum cum saccharo, ovo integro; aut succo portulacæ, plantaginis & rosarum, cum bolo armeno & terra sigillata. Fugienda interim sunt omnia oleosa, utpote quæ sponte caloris occasione ignescunt; & (si placet) has aquas adstringentes nive refrigerare, perfecte illa indicatio adimpletur: ut oxalidis, portulacæ, plantag: endiv. & scorzoneræ parum michletæ addito, aut terræ sigillatæ; nam ab hoc potu in hoc casu incipere Rufus Ephesius consuluit.

Si ad maciem jam ex lapsa intemperie collabatur: tunc uti consulo lacte chalybeato, ad uncias 4 cũ saccharo rosato antiquo, aut simplici etiam propinato: Aëtius tertia parte aquæ addita, & decoctum ad medias commendavit, cujus præparatio, si lentum ignem consequatur, est optimum auxiliũ. Saxonia pullo utitur incrassantibus etiam præparato, ex antiqua Avicennæ sententia, ut ℞. amyli, tragacanthi an. ʒij gummi arabici ℥ß hordei mundi & cocti p. j. cochlearum. n. 12. nucleorum pini & seminis melonum ana ʒß. Nobis addere placuit, sacchari rosati antiqui ʒjß. recondantur in ventrem pulli, & bulliant in decenti aquę quantitate ad carnis separationem, omnia exprimantur; ac de hoc jusculo accipiat mane ʒvj.

An sanguinem mittere in hoc casu conveniat, ad indicationum prævalentiam deferatur judicium: nam si attemperandi prævalet indicatio, ut fere semper accidit, seu ab ustione, sive ex urenti calore liquatio contingat, sanguinis missionem facere nulla honestat ratio: quoniam tunc excessus qualitatis auxilium præscribit: & non vacuanda multitudo; si vero hæc forte & intra venas prævalet, cujuscunque humoris sit: licet ex illius putredine liquatio contingat, tunc sanguinis missio ab illa indicatur: quoniam humores eo pacto quo in venis putrescunt, per illas vacuantur ea proportione, qua in illis existunt, cumulati. Intra venas enim, quantumvis supernatent, non à sanguinis consortio separantur: & non possunt non suum sanguini vitium impertiri, quod alioquin sat esset ad sanguinem mittendum; ut probatum reliquimus. Quod si vires æqualem vacuationem ferre nequeant, veluti fere semper in his casibus accidit, saltem ex salvatella mitti sanguinem consultissimum erit, hepatis & venarum ratione.

Transeamus ad aliam diarrhœæ speciem; in qua dejectiones nigræ, fuscę, crassæ & fœculentæ excernuntur: quæ accidunt obstructo seu debili in trahendo liene; forte ex venarum angustia, aut humoris crassitie. Hoc tamen habet peculiare illa fluxus species; quod maxime per circuitus repetat: quia non excernitur, nisi quando supervacua multitudo cumulatur.

In hoc casu est majoris momenti consideratio: nullo uti adstringente in principio, neque intus neque extra: vidimus enim, ex retentione aut retrocessu hujus pravi humoris maniam accidisse: cui nulla postea profuerunt auxilia; inde prima indicatio emergit supervacuam humoris quantitatem vacuandi: quantumvis excretiones concitatæ videantur sufficere. Consequemur id syrup. de filicula & regio: seu decocto pagini: aut diluto rhabarbari & foliorum senæ, & similibus; non est enim alia nec commodior, nec tutior curatio.

Diu consideravi, an sanguinis missio possit esse ex usu in hoc casu: neque defuit ratio dubitandi; nam à vena cava descendente, per ramum splenicum fertur crassus & fœculentus sanguis. Ab hoc sugit lien sibi necessarium alimentum: & reliquum demittit ad venas mesaraicas, vel ad hæmorrhoidas expurgandum. Quod si supervacua multitudo superest non attracta: hac nimia quantitate aut prava qualitate, irritata natura illam ad intestina pellit, seu mariscarum osculis dehiscentibus expurgat. Et hæc omnia pos-

sunt evenire,& de facto eveniunt, inculpatis humoribus in hepate, in ramo venæ cavæ ascendentis:& absque ulla febre. Qua certè consideratione, non video à quo principio possit sanguinis missio indicari: saltem, ex venis bracchii; nam, pravum illum humorem, ut revellas, intendere, est venas majores pravo & fæculento sanguine conspurcare, attracto, loco sanguinis missi: quando major est utilitas per loca conferentia expurgare, & quo natura vergit; per inferiorem nempe regionem: & si in illa aliqua multitudo cumulatur, hæc, (per venas tali tutius vacuanda) commodius & per patentes vias, utpote ventrem, vacuatur. Quare nullo pacto sanguinis missionem ex usu esse existimavi; præterquam si venis superioribus aut putredo, aut febris, aut aliquod grave accidens complicatur; sive superior aliqua multitudo.

Vacuata ergo præsumpta multitudine, & prima regione repurgata, duæ restant indicationes principales: altera petit rebelles obstructiones radicitus recludere; altera in trahendo debilem facultatem roborare: est enim tractionis impeditæ occasio, obstructio; & trahere non valet imbecillitas visceris. Attamen ut viscus consequatur suum robur, prius expedit impactā materiam incidere, attenuare, recludere; ut facilius expurganti medicamento cedat: hoc impetramus rhodomelite ex saccharo, tertia parte oxymelitis addita, aut syrupo acetoso & rhodomelite: cum aqua scolopendrii, tamarisci, fœniculi, aut borraginis calida: si forte flatus prævaleat multitudo, ut solet in hoc casu. Postea purgantibus prædictis uti licet; aut pilulis huic fini paratis: ℞. foliorum senæ ℥j epithymi, polypod. an. ʒß. rhabarbari ℈j spicænardi, squinanthi, aristolochiæ. sem; petroselini, & caparum an. ℈ß. cum syrupo acetosæ f. 12. pilulæ & deaurentur. Quod si excretiones etiamnum persistant: (illud enim insuperatam adhuc obstructionem arguit,) apozemate Fernelii purgationi vim aperiendi addere, consultissimum judico: aut jure pulli, radicibus aperientibus decocto: aut syrupo de scoria ferri; aut tandem pilulis ex pulvere præparatæ scoriæ, rubiæ, & nigellæ romanæ, & similibus. Quod si ne his quidem affectus iste cedere velle videtur, (quia lien non trahit melancholiam,) tunc scarificatam cucurbitulam imponere super ipsum lienem erit secundum artem; quod etiam auxilium, Ludovicus Mercatus commendavit in præsenti casu. Nos quoque 12 hirudines sanguisugas, super eundem locum imponere consulimus, ut sanguinem illum fæculentum visceri impactum sufficienter extrahant.

Corpore jam exquisite vacuato, ad topica externa accedere individualis consulit indicatio, & quidem, quæ vias aperiant obstructas, viscerique robur addant; inter quæ non sunt infimæ notæ, quæ recipiunt, succi betarum & bryoniæ an. ℥iiij succi absinthii ℥ij vini ℥j. olei amygd. amararum & capparum ana ℔. ß. bulliant ad succorum consumptionem. Deinde adde pulveris asplenii, ceterach, corticum, capparum, cyperi, squinanthi an. ʒß. ammoniaci aceto dissoluti ʒjß. & cum cera citrina fiat unguentum; quo bis in die istius visceris debilis & obstructi regio oblinatur: & adhuc plus profeceris, si sequentium herbarum & radicum decocto antea foveatur; ut ℞. verbasci, absinthii, tamarisci, ac rad: capparum, apii, & petroselini, cyperi, squinanthi, ana p. j.; coquantur, in ℔. ij. aquæ ferratæ & aceto, ad medias; ac spongia tota lienis regio foveatur.

Si vero à capite reumate concitato; ad ventriculum materia confluat, inde ad intestina, primo considera conditionem confluentis humoris, illam diarrhœam concitantis; utrum tenuis, biliosus & acris; aut ex salsa pituita: an vero solis excrementis, quæ supervacua de catarrhoso cerebro redundant. In libro de glandulis Hippocrates per septem ductus, cerebrum sui ipsius excrementa expurgare nos docuit: *Per aures nempe, per nares, oculos, guttur, gulam, per venas, in spinalem medullam, & in sanguinem.* Galenus per quatuor, *palatum nempe, nares, aures, & oculos.* 2 de Loc. 3. *per palatum tantum & nares.* 1 Aph. 21. & 9 de Usu partium 1. Varios etenim ductus & canales, natura ad diversa excrementa expurganda elegit: sunt enim alia biliosa, pituitosa alia, alia melancholica; prout est illius intemperies. Sed ex his alii sunt familiares ductus, ideo consucti; & insucti alii extraordinarii, & non convenientes. Ordinarii ductus expurgandæ pituitæ, sunt palatum & nares; docente & monstrante nobis anatome, à tertio cerebri sinu ductum ferri conspicuum ad anteriorem cerebri basin, in cujus extremo tenuis membranæ portiuncula, instar infundibuli conspicitur: per quod sensim pituitosus humor, sive cruditas cerebri expurgata, in os & palatum destillat. Biliosa excrementa per aures expurgantur. Hi sunt familiares & communes canales, per quos cerebri excrementa, ex præscripta naturæ lege, expurgantur. Sunt alii extraordinarii & non familiares, per quos cerebrum copia excrementi oppressum sese exonerat; ut oculi, spinalis medulla, & nervi: ductus primi occasione, ophthalmiæ & oculorum accidunt fluxiones; consortio spinalis medullæ vero variæ tabis species, quas 3. de morbis Hippocrates descripsit. Per venas & arterias natura humorem pone aures transponit ad parotidas. Sed hæc sunt potius vasorum excrementa quam cerebri; quæ si contemperata, sunt certe minus noxia: sed cum intemperata, acria, mordacia, & salsa fuerint, graviora pericula minantur.

Hipp. Lib. de Glandulis.

Galen. 2. de Loc. 3.

1 Aph. 21. & 9. de Usu part. 1.

Constat hinc inde, per anatomen scilicet, palati duo esse præcipua foramina, per quæ ad nares & ad os se cerebrum expurgat; ad dorsum oblique duo canales prominent: quorum alter tegitur operculo, epiglottis dicto: tendens per asperam arteriam ad pulmones; aere deferendo, ac fuliginibus à corde expurgandis. Alter ad œsophagum canalis, qui recte asperæ arteriæ subtensus, ad quintam usque thoracis vertebram protenditur, & ibi per diaphragma permeans, desinit in ventriculi ostium, figura rotunda & oblonga. Cum ergo cerebrum supervacua congerit excrementa, quæ non satis valet expurgare per nares, per palatum: per hanc aut illam viam, qua data porta, pellit: & quando per œsophagum ad illam ventriculi cavitatem propellit, inde ad intestina, tunc excrementa supra dicta aut nimia quantite fluida, aut prava qualite irritata, ventris concitant fluxum. Hinc ista oritur diarrhœa.

Istius-

Iſtiuſmodi ergo excrementorum cumulata multitudo ſui ablationem petit, vel ut intercipiatur revulſione, vel quovis alio auxilio vacuetur; non enim in cerebri modo cavitatibus ad fluendū paratur, ſed & in cerebri vaſis jam fluens invenitur. Dubium non eſt hanc indicationem vacuanti auxilio adimpleri, aliiſque revellentibus & intercipientibus; ſed an poſſit ſanguinis miſſione perfici, expendiſſe oportet; nam illud non valet præfiniri: niſi merita indicantis & contraindicantis perpendamus. Si ergo excrementa quæ fluunt ad ventriculum frigidiora ſunt, à frigida cerebri intemperie producta; duo potiori urgentia ſanguinis miſſionem contraindicant: nempe ab excretionibus virium exſolutio: & quæ adaugetur in cerebro frigida intemperies, ſanguine laudabili detracto, qui hujus intemperiei potiſſimum eſt auxilium, & maxime ſi extra venas cauſa mali generatur & fluit: & per nervorum ac membranarum cavitates excurrit; tunc enim, meo judicio, tutius eſt auxilium Purgatio, ut cauſa mali detracta, ceſſet fluxus. Si vero, quæ in cerebro generantur excrementa, ad fluendum parata & fluentia, calida, acria, & mordacia ſint, ſalſa aut bilioſa, ſeu in venis ſanguinis abundantia copulata, ſanguinis miſſio potiori jure indicatur ab illa calida multitudine, quæ per revulſionem intercipitur: & ex vena communi vacuatur: cephalica & ex carpo derivatur. Et quod magis eſt, calida excrementa in vaſis & per vaſa excurrunt: & in illis potius quam cerebri ſubſtantia generantur; maxime ſi cum hepate & venis, eſt cerebri conſenſus. Revellunt etiam partium ſupernarum ligaturæ, cucurbitulæ, & fortes frictiones. Calidæ fluxionis argumenta ſunt mordacitatis ſenſus, faciei & oculorum rubor, gutturis titillatio, & calida hepatis intemperies.

Sanguine ergo miſſo, aut purgato humore; ex parte fluxionis alia emergit indicatio, nempe ut humoris tenuitas incraſſetur, temperetur caliditas & frænetur mordacitas: hoc & illud his aut aliis rotulis conſequemur; ℞. amyli, tragacanthi, gummi arabici, boli armeni orientalis an. ʒß. mucilaginis pſyllii, & cydoniorum ſeminis an. ℥ß. ſeminis papaveris albi ℈ij. & cum ſaccharo roſato, & cantho: f. rotulæ. Hæc etiam indicatio pilulis de cynogloſſa adimpletur; vel ℞. amyli, tragacanthi, boli armeni orientalis, terræ lemniæ; (& ſi aliqua eſt Gallici morbi ſuſpicio) radicis chinæ recentis ʒj. ſyrupi papaveris & roſarum an. ℥ij. & fiat opiata; de qua cochlear ſumat; hoc etiam complent ſyrupi adſtringentes & conditi, tamarindorum maxime; nec in hoc caſu diſplicet aqua nive refrigerata.

Sed in frigida cauſa corpore repurgato, hoc condito uteris, ſeu in alia forma ℞. thuris olibani, myrrhæ, & ſtyracis an. ʒß. pulveris è ligno aloes, & chinæ an. ℈ij. & cum ſyrupo myrtillorum fiat looth, aut conditum cum ſaccharo roſato.

Si vero ex hac aut illa cauſa ultima jam adveniat ſiſtendi indicatio; quando nempe jam facultas naturalis aut vitalis & forte animalis jam collapſæ videntur; & hæc ſuperant omnia fluxus retinendi pericula; ut ſuperius diximus: tunc utcunque methodus prævertatur, omni auxilio retinere oportet; quoniam natura ſe ipſam continere non poteſt, nec adhuc retinere; & ultimo indiget adminiculo. Vitalis indicatio adimpletur, cibis qui valent incraſſare, & adſtringere; laudabilibus, & facilis ſubſtantiæ; aſſis potius quam elixis: ut perdicum, columbarum campeſtrium, & maxime pullorum; hepata gallinarum & pullorum: ac ex eiſdem carnibus expreſſiones fiant; extremitates avium & arietum, ſi optime coquantur, & ova parum coagulata, ex conditis cydoniorum, citri, & perſicorum: aqua ſit auro igne candenti chalybeata; &, ſi Alexandro & Aëtio credimus; lac caprinum ferro ignito, ſeu alabaſtri fruſtis chalybeatum; ſeu addita tertia parte aquæ ad medias coctum, eſt in hoc caſu ſingulare auxilium, quod etiam Galeno non diſplicuit in calidis & bilioſis fluxionibus. 5 Aph. 64. Hoc auxilium eſt extenuatis apprime neceſſarium, licet extenuentur ſub aliqua febricula; alit enim, retinet & impinguat. In hoc tamen eſt prudens cautio adhibenda; ne in diarrhϾæ principio propinetur, quando febris & fluxus, à putrida, calida cacochymia fovetur; quoniam tunc facilius in cauſam mali vertitur, & pravus venarum apparatus adaugetur.

In aliis auxiliis maxime quæ intra corpus ſumuntur, eſt alia etiam cautio adhibenda, (quibus ultima adimpletur indicatio) ne pus illius ventriculi calor adſtringentium & narcoticorum uſu, penitus extinguatur; ideo aut calidis permixta propinentur, aut inter unum & alterum auxilium ſufficienti ſpatio interpoſito: externe roboretur ventriculus miva cydoniorum (calida prævalente intemperie) ad ignem inſpiſſata cum pulveribus roſarum, corallorum, & maſtichis, ſtupa carminata ſuperpoſita: & ventris univerſi regioni ſuperponatur diaphrœni-conis Alexandri emplaſtrum: aut frigida intemperie excedente, miva cinnamomi, addaturque pro ſtomacho abietis indiarum oleum. Selectiſſima & magis efficacia nos oportet ſeligere auxilia; nam à facilioribus incipere, tantum Galenus docuit, cum præſentaneum non impendet periculum; alias enim extremis morbis ſunt extrema auxilia.

Quare in diarrhœa extreme bilioſa eſt maximum auxilium aqua nive refrigerata: corrigendo temperiem hepatis, ceu officinæ in qua eſt cauſa mali & principium graviorum malorum: quod ſi diem 14 diarrhœa talis pertranſierit, ſolet in dyſenteriam hepaticam, ex cauſa calida degenerare, ut plurimum lethalem; ideo in attemperatione ſit potiſſima cura, ſeu id fiat ſalvatella ſecta: ſeu ſuper hepar, appoſito ſucco cichorii & omphacii, cum aceto roſato, & pulvere coralli: ſeu facto epithemate ex convenientibus aquis: appoſita ſæpius permutentur, ſi brevi incaleſcunt: aſſumendo intra corpus ℞. ſyrupi cydoniorum, ſeu roſarum ſiccarum ℥j. aquarum portulacæ, cydoniorum, & plantaginis ana ℥iij. confect: hyacinth. ʒß. (hæc cum adſtrictione malignitatem corrigit) margaritarum & ſeminis oxalidis ana ℈jß; inde æger ſumat ad tempus portionem, ſed longius à cibo & à cœna; de ſaccharo roſato cum eiſdem pulveribus, aut terræ ſigillatæ; ſive etiam trochiſcorum de carabe parum ſumat; vel de cydoniorum gelatina. Cibum & cœnam ab aliquo condito adſtringente incipere oportet; potus debitam moderationem non excedat; aqua enim quomodocunque ſit, ſemper

eſt

est aqua, altero die saccharum rosatum antiquum calefacias super unciis 4 aquę plantaginis, & succi rosarum Hispanarum Toleti: ac forti expressioni addas ℈j. trochiscorum de carabe aut michletę: & si æger varietatem in auxilio optat; accipiat pulveris myrobalanorum citronorum ʒß. in aqua cydoniorum aut plantaginis dissoluti.

Somno omnem sisti evacuationem præter sudorem nos Hippocrates docuit; quare in illo provocando erit suprema auxiliandi ratio; tum qua diarrhœam, tum qua dysenteriam; sed in narcoticis à levioribus incipere oportet; nam de vita agitur in quocumque auxilio: & erit in hoc casu, non qualiscunque levis, sed capitalis error; dabimus igitur de syrupo papaveris ℥ß. in plantaginis aqua & lactucæ; ℥ij. & si adhuc nec inde provocatur somnus; de michleta, aut Philonii Persicii ℈j. ad summum. ʒß. securius tamen in clystere hæc omnia miscentur, ut ℞. lactis chalybeat ℔. ß. aquæ plantaginis ℥ij. syrupi myrtillorum ℥jß. michletæ aut philonii ʒj. & post cœnam, somni hora accipiat.

Si vero causa frigida hanc diarrhœam fovet, fiat quædam ex istis opiata, ℞. ligni aloës mastichis, balaustiorum ana ʒß. diarrhodon. ʒj. michletæ ʒß. & cum syrup. de cortice citri. f. opiata, aut tabellæ cum saccharo rosato, & miva cinnamomi; quibus addere pôteris, philonii Romani, ℈j; hoc enim passionibus opitulatur frigidis; ut & persicum calidis: in summa tamen necessitate pilulæ ex opio sunt ex usu; ut ℞. cinnamomi ʒß. mastichis ℈j. croci ℈ß. opii. g. 8. & cum syrupo papaveris fiant 10; de quibus duas tantum æger accipiat, hora somni. Hodiè etiam datur extractum opii, & quidem ut opinor, securius ut postea dicimus.

De dysenteria.

Est cruenta excretio per inferna, hoc est, per alvum, ex abrasione, vel ulcere intestini aut tenuis aut crassi, cum torminibus ventris.

Causæ.

Sunt acres & mordaces humores: ichorosi, calidi, seu biliosi, usti, aut atri, melancholici: seu ex salsa pituita, quæ mordacitatem cum lentore contraxit. Jecur intemperatum hos succos aliquando producit; in venis cumulatos ustio aut putredo reddit acriores: unde natura irritata illos ad intestina pellit, seu perenni generatione cumulatos perenniter deponit; seu tandem oppressa multitudine imperioso magisterio, ad loca excrementorum vacuationi destinata utiliter transponit. Pars mandans est aliquando jecur, interdum totum corpus: & aliquando lien. Pituitosos succos etiam ventriculus producit, qui bilis mixtione, sive salsa putredine, in dysenteriæ causam cedunt; & tales à capite interdum dilabuntur, qui intestinis viscido lentore adhærentes, ulcerationes & tormina producunt.

Signa loci affecti, & ulceris diversa.

Harum partium, signa & consensum ex affectu antecedenti, disces; nulla enim est inter morbos affectio, quæ lucidioribus subjicitur signis. Nec inter scriptores ullum vidi, qui Galeno distinctius, hæc ipsa ad ulceris & causarum differentias exposuerit. Est Dysenteria, si credimus Galeno 6 de Locis 2. intestinorum ulcus, sed nec repente nec affatim fit: illa nempe species, quæ venit ab acribus humoribus à genere venoso confluentibus. *Hæc etenim*, inquit, *suas peculiares habet notas; in illa protinus ab illius principio bilis mordax secernitur, quam interaneorum abrasiones sequuntur; postea paululum cruoris simul excerni videtur: quando affectus ipse jam dysenteria est. Et quando prædictæ abrasiones dejiciuntur;* (ad veram loci patientis notitiam) *considerandum est, num pingue quidpiam dejiciatur, ita enim in crassis intestinis ulcus consistere credendum est; ubi vero cruorem simul excerni videris, intueri oportet, utrum is reliquis excrementis sit admixtus, utrum universus misceatur universis, an pars ejus aliqua reliquis supernatet: etenim si admixtus est; in superioribus: si vero supernatet; in humilioribus intestinis ulcus esse ostendit. Atque idem quoque in abrasis excrementis videre est; verum non ita manifeste ut in cruore; similis etiam, si ramenta excernantur, ratio est; nam ipsa, quod intestinum fuerit læsum, declarant, tum ab essentia propria, tum in modo etiam mixtionis aut supernatantiæ.*

Galen. 6. de Loc. 2.

In hoc hujusmodi dysenteriæ abiis, quæ ab hepate profluunt discernuntur: nam in hac ab initio tenuis sanies sanguinis; ab hepate dejicitur; deinde aucto malo, crassus humor, fæcibus vini similis, præterea in hepatis excretionibus nihil abrasum expellitur; atque interdum duorum aut trium dierum intervallo vacuatio supprimitur: deinde rursus redit malum, atque excernuntur excrementa prioribus multo deteriora. Id vero per intestinorum ulcera haud quaquam apparet; quippe in his neque affatim, neque ex longis intervallis excrementa dejici consuerunt.

Dysenteriæ hepaticæ signa.

Atque ulcera quæ in recto intestino suboriuntur, vehementi tensione & prompta dejiciendi cupidine infestant, paucis admodum sequentibus excrementis; quæ quidem ab initio pituitosa, & pinguia; progressu vero temporis abrasionis specie dejiciuntur; sed per totum morbi tempus, iis quæ à supernis descendunt, haud quaquam misceri videntur.

Hæc Galenus; ubi palam veram dysenteriam ex ulcere, ab hepatica, ex sanguificationis imbecillitate discerni vides. si tum etiam; ubi nempe ulcus istud consistat, per signa vere monstrat. His nos etiam addimus, quod si tormina vexent supra umbilicum, tenuia pati intestina, magnum est argumentum. si infra umbilicum crassiora; in tenuibus pręterea est intensissimus dolor isque acutis; & non ita vehemens neque pungens in crassis: ramenta in tenuibus graciliora sunt, & pauciora; & à dolore excreta per longa intervalla: crassiora, & in majori copia, sunt ex crassis; & forte magis pinguia, ut voluit Galenus.

Ulceris differentias dignoscere, non est parvi momenti: has in tres gradus Aëtius divisit: *Primum gradum constituit, cum album, pingue, mucilaginosum quoddam corpus excernitur,* quo intestinorum facies interna est obducta; & ab humoris acrimonia in transitu abraditur. Hanc fientem dysenteriam Galenus appellavit; 5 de Locis 3. 6 de Locis 2; illud tamen, paulo ante ex Aëtio recensitum, excerni contingit aliis excrementis permixtum; flavis, croceis, & mucoribus plenis.

Aëtius.

2. Differentia ramentorum excretione dignoscitur: *Dum ipsa tunicæ internæ ramenta excernuntur; quæ internam superficiem intestini obducunt.*

3. Est,

3. *Est, dum tota intestini substantia quæ carnem æmulatur, excernitur, cum fœtore ingenti:* hæc Aëtius.

Dicam quod observavi. Sanguinea ramenta & mucoribus plena in principio sæpe exire vidi; postea pus laudabile, aliquibus, quibus maxime salus sperabatur; aliis cruentum pus, crassum aut tenue, pro loci affecti constitutione: & ex illis ægris quibus ablutio & abstersio clysterum non profuit, excreta in saniem pravam abire vidi, donec carnis veluti ramenta profluxissent; quæ si cadaveris tetrum odorem referrent; nullum inde servatum deprehendi. Seorsim urinam emittere oportet, ne puris calor & substantia confundatur, ut sæpe accidit.

Plerisque placuit statuere, à tenuibus intestinis excrementum dejici, tenue, biliosum, inodorum; à jejuno crocea excrementa & fœtida; prave liquatis alimentis permixta: ab aliis saniosa, maxime à corrodente ulcere, interdum crocea, ramentosa, aut fœcem vini æmulantia; aliquando nigra & graviter olentia. Hęc sunt plane læthalia.

Ulcere depascente tenue & saniosum excrementum procedit; cum ingenti dolore variis ventris locis, quod frequenter ad surgendum instimulat: & febre majore moderata. Si in crassis profundius sit ulcus, emanat velut gutta cruoris crassa, carnosa, rubra, grumosa; aut pallida, livida aut permixta: sed hæc in desperatis.

Hoc in aliis vidimus, post saniem purum exire sanguinem; quod ulceris deteriorem conditionem arguit, nam acerrimus humor intestini venas depascendo corrodit, & oscula vasorum, per quæ sanguis aliquando profunditur.

Si tandem ulceris superficiem & labra occupat inflammatio, hoc indicat supra præexistentem nova febris: & si recentes adveniant dolores, & tota ventris regione incendium: tunc excrementa ulceris exeunt ichorosa, ut quæ ab ulcere inflammato resudant; hæc inflammatio, quocunque tempore adveniat, novas super pręexistentes suggerit indicationes; nempe revellendi, quod influit, sanguinis missione: & attemperandi, quod paratum est fluere; eluendi influxum: nam inflammatione sordes novas contrahit ulcus; nisi cito pus copiose diffluat, quod aliquibus accidit.

Periculorum prognosis.

An possit esse dysenteria critica, est maxima ratio dubitandi; sed lienosos dysenteria à gravissimis morbis liberari, in coacis est nobilis præceptoris sententia; sese ipsam natura importuno conatu à melancholicis succis expurgante, qui plus visciditate, quam ustione peccant. Nos vidimus ruptum empyema pectoris in illius cavitatem delapsum, importuna dysenteria per ventrem expurgari motu contentioso, & ventris gravissimo dolore; à puris acrimonia concitato; quæ pure expurgato, nullo fere auxilio cessavit: si clysterem abstergentem excipias.

Est dysenteria in pueris & senibus gravissimi periculi: in illis, quod excrementitio, facile putrescibili superabundant humido: in istis, quod vires surgendi frequentiæ non suppetunt, nec sunt ferendo auxilio pares: tum quod in illis ulcera difficulter curantur. Utrosq; in superiori intestino ulcera concitata, si septimum diem supergrediuntur, aut symptomatũ vehementia necant; aut auxiliorum difficultate superata, curationem superant: quia partes spermaticæ fere non coalescunt; nisi in pueris, ut Galenus est auctor; ex parte causæ est etiam alia difficultatis ratio: nam ab atra bile orta non sanantur, ut Hippocrates dixit 4 Aph. 43. quibus ulceris accedit inflammatio, pravo in loco sunt; nam præterquam quod curationem retardet, gravioribus malis ægros cumulat; ulcus sordidum redditur, interdum corrosivum; & depascendo necat.

Si vero incidat sine febre, licet cum torminibus ventris, interdum magna naturæ contentione liberat ab aliis gravioribus malis; sese ipsam expurgante natura. Si vero ad colliquationem sive ad tabem vergat, est omnino lethalis. Ex iis ęgris, quorum ulcera importuna putredine ad corruptionem vertebantur, ita ut purulenta excrementa cadaveris odorem referrent, nullum servatum vidi; intempestive suppressa excrementa, & ad cerebrum versa furorem vidimus concitasse: ex hac enim metastasi aut cerebri substantia corrumpitur, aut habitualem contrahit intemperiem, quo fit ut impactus & inculcatus humor auxiliis non cedat; nec membri imbecillitas illum valeat propulsare: unde accedit ut natura superata succumbat.

Præcipuæ curandi Indicationes.

1. Ante omne auxilium humoris naturam & impetum considera, quando fluit ad ventrem: 2. quæ ferat accidentia; 3. conditionem ulceris, utrum simplex, an inflammatum, sordidum vel corrosivum, &c. deinde quodnam prius ad se curationem trahat; nam urgentia (utcunque veniat) stat ex parte illius, quod citius periculum minatur. Sed quia hæc omnia ab humore foventur, veluti à causa continente vel conjuncta, seu quia impetuose, aut perenniter ruit, seu qua naturæ acris & corrodentis est, duæ prius indicationes artificem sollicitant: & humorem revellere ne fluat, aliter derivare: & paregorice illius acrimoniam temperare. Non enim effectus sine causæ ablatione tollitur. Illud alta mente perpende, ne ulla in principio retinendi indicatio te seducat, nisi conditionibus à nobis in diarrhœa positis; nam primum naturæ impetũ cohibere est mortis discrimen ex consulto adducere, tanto celerius, quanto deterioris conditionis humor, seu quanto ad membrum nobilius recurrit. Quapropter prius attende, num critica sit hæc dysenteria, cujus signa satis patent artifici. Quoniam in hoc casu, nec concitare, nec comprimere decet: sed humoris acrimoniam frænare, roborare ventriculum: ac vires omni ingenio instaurare. In humoris conditione considera, utrum calidus & tenuis: an frigidus & cum lentore crassus, cujus visciditate adhærescit, dum salsa ustione aut putredine contrahit acrimoniam.

Si ergo dysenteria symptomatica ab hepate perenniter calidum humorem generante, seu à biliosa venarũ cacochymia fovetur, quam natura lacessita à venis ad intestina pellit, cum febre forte majori moderata; (ulceris inflammati argumentum) securius est sanguinis missione revellere, longius à parte fluxione tentata; quam purganti medicamento humorem ad partem læsam ducere: quoniam purgatio febrem magis inten-

intendit & inflammationem: & si qua est malignitas, illam agitatione importuna diffundit; acriores & mordaces succos reddit: quo ulterius serpit ulcus & inflammatio, & humoris appulsu ulcus sordidum & corrosivum redditur. Quæ certe contraindicantia sunt ex mea sentententia, potioris urgentiæ ad prohibendum illud genus auxilii, quam regionis commoditas & humoris sinceritas, & educendi brevitas ad postulandum. Nam inflammationis febris & ulceris periculum, citius minantur discrimen si augeantur, quam hujus auxilii denegatio, quando sanguinis missione hæc omnia securius supplentur. Si vero in pueris hæc accidit, & adultis debilibus, aut scarifatis cucurbitulis, aut hyrudinibus brachiis, aut spathulis affixis revellitur & derivatur etiam. Et præterquam quod hæc curatio, fit ad legem illius principii: *contraria contrariis curantur*: oppositione contradictoria & privativa, & ad legem urgentiæ; est etiam ad Hippocratis & Galeni præcepta, in revulsionis & derivationis doctrina: 13 Meth. 6. 5 Meth. 3. 4 Meth. 6. & 13 Meth. 11; & contraindicantia purgationem in hoc casu esse potioris urgentiæ satis manifeste probatur in illa famulæ Onesidemi historia, quæ à debili pharmaco in principio dato mortua est; reor, quod recens inflammato ulcere; lege verba Hippocratis. nam mox, inquit, illam febris à pharmaco, valde fortis, corripuit, & dolor: (adauctæ inflammationis indicium) satius est legere à principio. *Famula Onesidemi in larissa ulcerata est ventrem, & intestina à bile sponte commota, & prodibat sursum & deorsum bilis & sanguis; & febris tenebat; huic debile datum est pharmacum, deorsum purgans debile potabile aquosum, & paucum; & vomuit ab eo multum, & deorsum subiit plus, & vespere rediit: postridie febris erat, sed debilis: venter autem ulcerabatur, & adhuc egerebat; tertia autem mortua est vespere, cum febris ipsam corripuisset valde fortis, &c.* Ex hac historia ad duo tantum attende: incepisse à bile sponte commota; à cujus supernatantia sinceritate & irritatione medicamentum purgans indicabatur, in rigorosa sententia minorantium; & secundo attende, bis Hippocratem repetere debile pharmacum & paucum: & nihilominus inde lethalia inceperunt accidentia; quæ sane observatio debet nos reddere in purgando cautissimos.

Hipp. histor. Famulæ Onesidemi.

Si vero simplex dysenteria absque ulla febre incipit & progreditur, seu ab acri & mordaci succo, seu à salsa pituita & lenta, quæ viscididate adhærescit, salsedine corrodit, & à stomacho descendit, ut tunicas intestinorum penetret seu ex se, seu ichoribus mixta; tunc purgare in principio & benigno cathartico nobis videtur secundum rationem. Hæc decisio patet in ipsa indicationum prævalentia; quia hic prævalet acris & supernatantis succi irritatio, quæ est purgantis medicamenti præcipuum objectum: adest etiam regionis commoditas, humoris urgentia, & vacuandi necessitas per loca conferentia, & maxime, si humor extra venas à stomacho ad intestina ducitur: & inter alia commoda ulcus eluitur per illud medicamentū à pravo adhærescente succo, subitoque per partem læsam ducitur, quo major est utilitas dum expurgatur, quam noxa quæ ulceri infligitur; & hæc mox à purgatione potest corrigi, clystere ex hordei cremore aut ex lacte: nec contraindicantia, in hoc casu, sunt ita periculis urgentia, ut in antecedenti.

Quare in priori casu, ventriculo (ut par est,) roborato, & hepate; aut jure gallinæ præassumpto; sanguinem ex basilica mittes bis aut ter, prout abundantia & fluxus perennitas postulare videtur, & vires ferre possunt; tandem ex salvatella; si in hepate est occasio mali; nam præter revulsionem viscus illud temperat singulari energia. Quod si fortasse, aliquibus diebus jam exactis, ulceri superveniat inflammatio, (hoc ex prædictis nosces) tum attende, quod ab illa nova mittendi sanguinem incipiat indicatio, licet antea missus in principio; & si hoc vires ferunt, nec postea sanguinem mittere dubites.

Quod si purgandi prævaleat indicatio, tenues & vergentes humores, aut viscidos & salsos purgare à principio absque ulla præparatione consulit gravioris mali præcautio, (nam tenues sunt in motu positi, & crassi sunt in via;) ut diluto ex ℥j. rhabarbari, in ℥iij. aquæ cichorii: cum ℥jß. emulsionis seminis carthami salsa & viscida pituita; in calidis & tenuibus succis cum ℥iij. syrup. persici, cum decocto florum & foliorum senæ; & si pilulas æger amat, cum pilulis rhabarbari ad ʒj. in crassis, de hiera Galeni cum rhabarbaro, aut agarico; prout prævalet mixtio crassi aut ichorosi succi: aut condito rosarum persicarum cum pulvere rhabarbari.

Utcunque humore vacuato, attemperandi sequitur indicatio, & irritationis moderatio: si in intestinis superioribus est ulcus, per ea quæ per os assumuntur; & si à biliosis & ustis sit confluxio: cum syrupo rosato portulacæ violato permixto miva cydoniorum, limonum, aut de acido citri aut agrestæ; cum aqua portulacæ, plantaginis, cydoniorum, & cichorii, quibus addi potest, si instat pervigilium, modicum de syrupo papaveris & de aqua lactucæ; eidem intentioni serviunt, condita rosarum, limonum, persicorum, tamarindorum, & cydoniorum; in pituita salsa, syrupo de corticibus citri uti potest menthæ, & rosarum cum similibus aquis, quibus coma absinthii infundatur; & si addere placet guttulas de oleo vitrioli; nam vehementer deficcat, moderate adstringit.

Si in intestinis inferioribus & crassis ulcus est, per clysteres auxilia præscribit indicatio, pari distinctione, nam in causa calida sint plane eluentes & attemperantes cum abstersione, ut ex integro hordeo ad crepaturam cocto, & ad ℔.ß. adde syrup. rosati ℥ij. saccharum & ovum integrum; at oleosa fuge. (nam ignescunt, & ulceribus nocent) Eadem est intentio, si clyster paretur ex lacte, cocto, crudo, aut chalybeato, cum ovo, saccharo aut syrupo rosato; si vero salsæ pituitæ acrimoniam delinire desideras; adde mucilaginem psyllii, semina cydoniorum, tragacanthi, & eam quæ ex radicibus buglossæ & borraginis per levem coctionem educitur; additis aut syrupo absinthii, aut de cortice citri: sed primas tenet rhodomel saccharatum; abstergit enim & mundificat ulcera.

Quod si doloris vehementia virium exsolutione, & pervigilio sit majoris urgentiæ, ut totam curandi indicationem ad se vertat; in clysteribus addes philonii ʒj. aut michletæ; sævum hœdi aut

di aut vituli; aut decoctum parabis ex capitibus papaveris, hyoscyamo & plantagine; & ad ℔. ß. addes olei violarum ℥ij. ovi vitellum; & ℥ß. philonii; per os dabis maxime hora somni de syrupo papaveris & rosꝫ: an. ℥ß. aquæ portulacæ & lactucæ an. ℥jß. & si his non sedatur; de michleta aut philonio addes. ℈j. tantum: quæ etiam poterunt propinari in emulsione seminum melonis psyllii aut papaveris.

Si vero prævalere cognoscas urentium succorum ustionem; dabis de sero lactis chalybeato, ℥iiij. pulveris crystalli præparati ʒß. vel de syrupo hordei ℥ij. aquæ lactucæ & portulacæ ana ℥ij. mucilaginis psyllii, & cydoniorum ana ℥ij. pulveris crystalli & terræ sigillatæ an. ℈j. & de hoc ægrotus sumat ℥iij. potest etiam capere lactis, & seri chalybeati an. ℥jß. sacchari ℥ij. seu præassumpto prius de saccharo rosato antiquo cochleari.

Cautissimum in hac dysenteria erit, adstringentibus in principio uti; ne per compressionem exitu denegato, humores ad nobile membrum retrocedant; seu adaptatis extra, seu intra propinatis: illud tamen illius status indicatio postulat, ut humoris sinceritas, mordacitas, & incontemperatio, contraria qualitate curentur; sinceritas nempe incrassantibus, & oblenientibus mordacitas, contraria & æquali frigiditate, quantum excellit præter naturam calor: & hoc, majore parte causæ morbificæ vacuata; tunc enim in Galeni doctrina, ad factam intemperiem devenire est occasio, non tantum in humoribus, sed in causæ principio, hepate nempe aut liene. Et ne qui ad ulcus deferantur humores, illudque præexistente pravitate coafficiant, & curationem periculo morentur; hoc consequimur sero lactis, aut lacte ipso chalybeato, cum pulvere crystalli præparati; cum lotura amyli & syrupo rosato: cum aqua plantaginis, portulacæ, & scarzoneræ an. ℥ij. tragacanthi ʒß. syrup. rof. siccarum ℥j. cum mucilaginibus psyllii & seminis cydoniorum, dissolutis in aqua portulacæ; additis aut boli armeni orientalis, aut pulveris diamarganti frigidi ʒß. sive margaritarum præparatarum: exhibere possumus cum aquis cordialibus, aut electuario de gemmis aut confectione hyacinthorum ad ʒj.

In clysteribus etiam, nisi aliis indicationibus præcedentibus, opus est detersione & mundificatione. Periculosum æque est adstringentibus uti; utpote quæ ulcus cominus attigunt; nam compressi humores circa ulcus, erosionem deteriorem faciunt. Purulentam materiam constringendo adaugetur corruptio; maxime quo crassior, & viscidior est humor, tunc enim pressius adhærescit, ut majorem inferat cruciatum & dolorem. Quare tutius erit in his anodynis paregoricis uti exsiccantibus mixtis, ut petit ulceris indicatio. ex. gr. ♃. seri aut lactis chalybeati; aut hordei cremoris ℔. ß. succi portulacæ, & syrup. rosati an. ℥j. vitelli ovorum n. j. olei omphacini & sacchari an. ʒß. Et hoc maxime in torminibus ventris.

Ad extra, (naturæ impetu jam exacto;) roborabis ventriculum emplastro de crusta panis: aut diaphœnicone alexandri; seu miva cydoniorum inspissata cum pulvere coralli, mastichis & rosarum: hepar & renes epithemate ex succo endiviæ & absinthii cum guttulis aceti rosati, ut temperetur calor in illo officinæ principio.

Inter hæc tamen fœces aliquando retinentur, & graviori damno; ideo inter clysteres, qui respiciunt causam antecedentem & conjunctam, & ulceris statum; aliquam imperare oportet, qui fœces illas emollire valeat & educere; ut ♃. decocti furfuris, prunorum, & malvarum ℔. ß. olei rosati, amygdalorum dulcium an. ℥j. sacchari nigri ℥jß. vitelli ovorum n. j. salis parum; aut loco decocti, utere jure avis aut pulli.

Ulcus etiam qua ulcus est, independenter à causa suas singulares indicationes præscribit ad melius curandum: nam quando sordidum redditur, detersionem postulat magis aut minus validam, prout sordities est superficialis aut profunda; si à levioribus incipere præsens petit status, ♃. lactis asinini, ℔. ß. syrupi rosati ℥ij. ovi n. j. sacchari paululum. Eadem est intentio, si fiat in decocto hordei cum corticibus cocti, in lacte aut in sero caprino; seu rodomelite addito: hoc tamen compositum medicum detergit efficacius ♃. decocti cicerum, lentium, lupinorum, ℔. ß. succi betæ ℥j. sacchari rubri aut rhodomelitis ℥jß; hoc salsam pituitam validius detergit.

Quod si nec inde ulceris abstersio consequatur, ad fortiora transire, petit adaucta indicatio: sed cum periculo; ne inde fluxio & dolor proritetur: nos in casu necessitatis hoc utimur; ♃. decocti lupinorum ℔. ß. vini rubri ℥ij. succi plantaginis ℥j. unguenti rubri in vino dissoluti ʒß. vel ♃. lactis ℔ß. seri ℥ij. sacchari rubri ℥j. unguenti Ægyptiaci ℥iij. opii G. ij. Si dolor urget, uti etiam possumus; in prædicto lacte pulveris Joannis de Vigo ℈j. opii g. ij; quod si inde fluxio & calor concitetur, alio clystere temperetur ex lacte aut hordei decocto saccharo & ovo integro.

Quod si ulcera serpentia reddantur; (quod ex dolore variis intestinorum locis innotescit, & punctionis cum ardore) humoris feritatem comprimere oportet, ac contemperare illius acrimoniam; intus auxiliis prædictis per clysterem ♃. decocti polygoni, rosarum, plantaginis, & hordei tosti, in sero aut aqua chalybeata, ignito auro. succi portulacæ & plantaginis an. ℥j. syrup. rof. ℥ij. loturæ amyli ℥j. ovorum candidi n. j. vel ♃. boli armeni, terræ lemniæ, coralli, cornu-cervi, an. ℈j. amyli ʒß. decocti hordei & succi plantaginis an. ℥iiij. & per horam infusa percolentur & exprimantur: colaturæ adde succi rosarum & portulacæ, aut syrup. an. ℥j. sacchari albi ʒß. & infundatur. In his maxime ab oleosis abstine.

Quod si ex recenti fluxione inflammatio concitetur in ulcere; quod ex ventris calore, nova febre & siti intensiori venaberis: ad temperandam eam ♃. lactis ℔ß. seri ℥ij. unguenti rosati ℥j. & f. clyster; vel additis succi plantaginis & olei rosati an. ℥j. vel ♃. seri chalybeati ℔ß. loturæ amyli & boli armeni orientalis ℥ij. butyri recentis & sacchari albi an. ℥j. vitelli ovorum n. ij. & sic injiciatur. Tepida sint hæc omnia.

Sedata inflammatione, & abstersione & mundificatione comparata, jam ad consolidationem ulceris devenire oportet; hæc est enim ulceris ultima indicatio. Quare præmisso eluente & abstergente

stergente clystere, ℞. vini austeri, aut decocti hordei tosti & pelygoni ℔ß. sacchari ℥j. aquæ aluminosæ ℥ij. pulveris gentianæ, thuris, an. ℥ß. tetrapharmaci in vino dissoluti ℥ß. Et in salsa pituita ℞. mulsæ ℔ß. vini austeri ℥ij. therebinthinæ venetæ, & butyri recentis an. ℥iß. syrupi rosi. siccatum ℥j. vel ℞. decocti rosarum, hordei, lentium, balaustiorum in aqua pluviali aut ferrata ℔ß. sævi caprini ℥j. boli armeni, gummi arabici, & cerussæ an. ℥j. olei omphacini ℥ß. ovorum candidi n. j. Mihi optime cessit ad finem curationis uso clysteribus ex lacte chalybeato, saccharo & syrupo rosarum: additis in fine trochiscorum de spodio, aut terræ sigillatæ ℥j. dante per os singulo mane sacchari rosati antiqui ℥j. trochiscorum de spodio, aut margaritarum præparatarum ad ℈j. communis aqua sit auro aut chalybe ignito præparata; cibus siccæ & electæ substantiæ, ex assis potius quam elixis factus; conditura sit adstringentibus condita, ut cydoniis, piris: & cætera debent ad diætam vergere desiccantem.

De cœliaca.

Est dejectio celer liquidi & corrupti alimenti, quod ventriculo immoratur, quantum par est, ut in illo concoquatur, si facultates ministrantes suum opus perficerent.

Hanc celerem dejectionem scimus dupliciter accidere; seu à trium facultatum impotentia, seorsim aut concursu; coquentis nempe, retinentis, aut attrahentis; seu ab irritatione expellentis; à debili attrahente hepatis expressa est Galeni sententia 8 sec. Loc. 6. *Cum igitur hepar*, inquit, *præ imbecillitate, ex ventre & intestinis alimentum trahere non valet, liquida & nondum justo modo exsuccata per sedem excernuntur.* De concoquente debili sic procedit: *& si quidem venter simul, cum hoc viscere fuerit imbecillus, ac non probe concoquens cruda: si vero validius fuerit, concocta quidem sed liquata: propterea quod nulla, aut omnino modica digestio, ac distributio ad hepar est facta. Si vero traxerit quidem hepar in se ipsum ex ventre & intestinis alimentum, sanguificare autem ipsum præ debilitate nequit, quemadmodum in ventre multiformis corruptio contingit, eorum quæ cruda remanent, sic etiam circa hepar*, &c. Et in differentias speciales progressus, cum exacta notitia sic fatur: *ex his pejor est illa transmutatio quæ in peregrinam qualitatem juxta cruditatem fit: moderatior vero ea est, in qua alimentum suam naturam quam diutissime servat, nulla alteratione ex particula, quæ ad ipsum concoquendum à natura destinata est, suscepta: atque & tertia præter has species est frustratæ concoctionis, cum semicoctum sit alimentum.* Tres fluxus species nobis Galenus in hac sententia ob oculos proponit, fluxum nempe chylosum, qui etiam ad cœliacam reducitur; nam in causa conveniunt, & in ipsa liquatione excrementi; lienteriam & cœliacam: prima ex hepate propria imbecillitate non trahente procedit: secunda ex debili ventriculo, alterare alimenta nequeunte: tertia est, cum incipit concoquere, sed perficere nequit; & hæc actio in semicocto alimento frustratur.

Gal. 8. sec. Locos 6.

Idem.

Idem.

Causa ex parte hepatis & ventriculi.

Principium & causa legitur, & satis manifeste in Galeni doctrina; est enim in utroque viscere actio diminuta: sed qua occasione minuatur, non ita manifeste percipitur, liquatis illis excretionibus: seu concoquens lædatur, aut retinens, aut attrahens; nam harum facultatum actiones in pondere librantur justæ temperiei; quæ si à justo deficiat, læditur operatio: interdum diminute, alias depravate: aut si particula ex lapsa intemperie, qualitates suæ formæ induit repugnantes; abolite. Sed in hoc etiam altior philosophia absconditur; nam actio diminuta, (in essentia levior) potest esse deterior abolita: dum ista accidit per consensum, & illa per essentiam minuitur: Hoc in casu proposito monstrabo. Frigida intemperies altius radicata cum sordida humiditate mixta, hepatis aut ventriculi minuit actiones, seu ut alimentum chyli non accipiat formam, sed liquatæ substantiæ, aut dimidio coctæ, seu ut non attrahatur, & sub hac mora periculum corruptionis subeat: ad hoc, tamen in cœliaca est prorsus necessaria totius substantiæ humectatio, hoc est, altius radicata intemperies in hoc aut illo viscere; saltem in ipsa intestini substantia: ad lienteriam vero sufficit solius tunicæ intestinorum, aut ventriculi lævigatio, aut sola ciborum multitudo, quæ impedit concoqui aut amplecti; & hæc actio, licet videatur abolita, in re est impedita, aut ex eventu talis; non propria essentia. Et inde accidit, ut actio diminuta sit interdum deterior abolita. Si vero ex pari causa, intemperie nempe, sive ad summum lapsa, seu non ita alte impressa hæc abolita actio & illa diminuta inducitur; tunc non est dubium, illam semper deteriorem esse; id quod ansam dedit Aretæo, Lib. 1. diuturnarum cap. 7. ut diceret: *In lienteria solum retentricis munus lædi: in cœliaca vero utriusque potentiæ, concoctricis nempe & retentricis simul.* Unde accidit quod in ista graveoleant excrementa, in illa nullo modo.

Aretæus Lib. 1. diuturn. c. 7.

Alia causa cœliacam inducit, flatuum nempe multitudo in ventriculo, quæ illo interclusa amplexum alimenti impedit necessarium; quo accidit ut alimenta, modo excrementi liquata, fœtida & cruda excernantur; non ob hoc tantum, sed & ab excrementorum intemperie, dum facultas distributiva læditur contracta impotentia.

Quare autem per intervalla repetat ille fluxus, illa mihi videtur ratio assignanda: quod aliquando flatuum multitudine alimenti distributio impeditur; quo fit, ut majori congerantur excrementa quantitate: & non ante congestam facultatem expellentem sollicitent: & hæc interdum; (est secunda ratio) ita effœta languet, ut, nisi à magna excrementorum quantitate excitetur; illo congestionis intervallo quiescat. Aliquando ab aliqua obstructione impeditur flatuum aut crudioris cibi multitudine, & ablatis impedientibus ad pellendum insurgit: si non accidit ut ipsa excrementa, nacta occasionem, qua data porta ruant pondorosa aut fluida; id quod raro in lienteria accidere videmus; nam quotidie incocta alimenta egeruntur.

Præsagium.

In præsagio illud tantum placuit adnotare, ut affectui sedula diligentia suppetias feramus; nam si inveteravit, habitu jam contracto, sero sapiunt Phryges, ut est in parœmia; quoniam lapsa intem-

intemperie, ex hepate aut ventriculo contracta, unum duorum expectare par est; atrophiam nimirum, aut hydropem; illam defectu alimenti; istam Jecoris sympathia; quod spiritibus & calore orbatum, sanguificatione imminuta, loco sanguinis venarum nauseosi abdominis regionem implet, aut flatibus aut aqua; quæ cumulatius à lapsa intemperie generantur.

Non est æque periculosa, quæ à mordaci succo ab hepate aut venis ad ventrem confluente, concitatur cœliaca: nam dum succus ille facultatem irritat expellentem, & alimentum cogit, quocunque in statu elaborationis; hoc facit aliis illæsis facultatibus. Hæc cœliaca absque ulla membrorum nutritionis intemperie potest negotium facessere. Illo stimulo depulso, brevius redintegratio speratur. Erunt signa hujus non adeo pravæ cœliacæ speciei, si cum prave liquatis excrementis aliqua bilis portio excernatur; si frequentius & scitationis irritamento, ad fœces egerendas venter excitetur: & in hepate erunt certa consensus signa, quæ dolorem, quæ sitim incompescibilem, & oris amarorem excitant; quæ in prima cœliacæ specie non apparent.

Cœliacæ curatio.

Si à mordaci succo liquida cogi excrementa contingat, illius irritatio indicat à principio medicamentum purgans: & si Aëtio credimus, illo mordaci succo vacuato, mox cessare cœliacam, facile æstimabimus; hoc ipso tamen consulo, ut indicantia & contraindicantia, æqua lance librentur. Nam si febris aut virium imbecillitas obstat, aut major ex parte intensæ qualitatis urgentia, quæ petat prius attemperari; temeritatis erit in primam indicationem præceps ire: & potest dari casus, in quo sanguinem mittere petat aliqua singularis indicatio.

Levi ergo præmissa attemperatione ex syrupo rosato & violarum cum plantaginis aut portulacæ aqua, mox purgare oportet hanc primam regionem syrupo persico regio, aut condito rosarum persicarum, aut decocto pugini; & si postea aut confluxus perennitas hujus biliosi humoris, aut aliqua obstructio, cœliacam retardet: reliquias vacuare per epicrasin decet, aut obstructiones repurgare vel diluto rhabarbari, cum decocto pugini: aut syrupo cichorii composito, aut illo apozemate Fernelii, quo omnes intentiones adimplentur; illa semper cautione adhibita, ut si in mesenterio obstructiones jam adesse cognoscas, ne ullo utaris adstringente, nam præterquam quod obstructiones pressiores efficies: tædio & contumacia affectum reddes insuperabilem.

Sanguinem mittere in cœliaca nullum vidi qui consulat, forte quod unica indicatione causarum diversitatem metiuntur, aut merita illarum non perpendunt; mihi tamen, sanguinem mittere in hac causæ specie, apprime necessarium videtur; nisi vires cujusvis membrorum principalium, cordis, ventriculi, aut hepatis, fluxus perennitate, spirituum exolutione, & dispendio collapsæ; forte ætatis ratione, potiori urgentia sui petant custodiam; quo in statu fortius contraindicant: aliter enim illa mordacis succi multitudo, sive sit biliosi aut melancholici, indicat sanguinis missione vacuari per se sola. Sed tunc magis hujus indicationis adaugetur scopus, quando aliqua sanguinis plenitudine copulatur; nam sanguinis missio est vacuans auxilium huic multitudini contrarium: humorem proritantem retrahens, ne ad læsa intestina deferatur, quæ irritantem cogit ad exitum liquidi alimenti festinantur; cum alioquin justam consequeretur coctionem; si non irritaretur. Hoc patet in illo communi medecinæ principio: *contraria contrariis.* Et tunc nulla est excusatio, quando cœliacam, aut febris comitatur, aut consequitur; & maxime si hepar ad calidam intemperiem lapsum, in perennitate, aut productione multitudinis, est hujus causa mali: nec ulla est major assignabilis ratio, nec ab humoris, nec ab affectus sorte, quare in diarrhœa, aut in dysenteria ab iisdem humoribus, sanguinem mittere sit ad artis principia; ut antea probavimus.

Ideo non displicet in hac causarum sorte, sanguinem ex basilica mittere utriusque brachii; ex salvatella postea, si maxime in hepate est occasio mali. Purgata ergo humoris acrimonia, aut sanguinis missione vacuata, duo restant auxilia: & acrem & mordacem qualitatem obtundere, hepatis intemperiem ad statum mediocrem reducere, ac imbecillitatem ventriculi corrigere. Hanc & illam indicationem ex præcedenti capite satis patere arbitror, ad intus dato, de syrupo papaveris & rosato an ℥ß. aquæ portulacæ & lactucæ an. ℥j. seu de condito rosato antiquo, & tamarindorum an. ℥j. trochiscorum de spodio aut michletæ ʒß. M. Et si jam cruditates cumulari videntur, additis syrupi de corticibus citri, aut absinthii, cum eodem trochisco.

In causa frigida.

Si ab impotentia alterius trium facultatum, adveniat cœliaca, hoc accidit, seu quia flatus ita ventriculum distendunt, ut cibaria amplecti non possit, & retentricem operari ordine & lege non permittunt: seu quia ex lapsa intemperie, cum humiditate sordida frigidaque harum facultatum actus (concoctricis maxime) aut minuuntur, aut omnino deficiunt. In utroque casu causam prius illidere, est prima indicatio: consequimur hanc purgantibus auxiliis, si non maxima hujus aut illius facultatis imbecillitas fortius contraindicet, prius sui custodiam postulando. Quare si pituitæ prævalet abundantia, sive hæc ad flatuum generationem concurrat, seu à caloris proveniret inopia, hanc prius incidere, attenuare, calefacere, & coquere oportet; non per longa spatia; est enim in prima corporis regione: hanc postea purgabis pilulis alephanginis, aut de hiera Galeni cum agarico: seu pilulis agarico rhabarbaro & aloe confectis, cum zinzibere, mastiche & spica; seu ex terebinthina veneta, rhabarbaro, & mastiche: merito enim siccantia, non humida medicamenta commendantur, ut quæ ebibere & trahere humiditatem apta sint, in tunicis imbibitam. Et si aliquo potu uti sit ex commodo ægri ℞. decocti absinthii ℥iij. myrobalanorum chebulorum ʒij. rhabarbari ʒß. spicæ ℈ß. aquæ plantaginis ℥iij. infundantur, & ferveant; & in expressione, adde syrupi persici, aut de filicula ℥ij. & miva cinnamomi aromatisetur; hæc pro placito repetere licet.

Postea quæ inde sequitur indicatio, petit roborare

borare ventriculum, & lapsam facultatem, ac discutere, (si qui supersunt) flatus: utrumque consequemur, syrupo de cortice citri & miva cinnamomi: aut confecto, ex decocto radicis chinæ, anisi, & cinnamomi, & saccharo, addita tertia parte mellis; & si guttulis vitrioli uti voles, illud ex arte erit: aut granis iij. ambræ griseæ in vino hippocratico; aut tabellis etiam diarrhodon cum ambra & moscho, aut zinzibere condito; aut haustulis aquæ vitæ, saccharo temperatæ; ex quinta anisi substantia, aut rorismarini, & similibus, in aqua melissæ; in qua etiam erit maximi usus ℥ß. magnæ theriacæ per aliquot dies propinare, aut ℥ß. castorei in decocto absinthii.

Pars hujus indicationis etiam adimpletur, si tempore & loco stomachum ad extra & robores & foveas; nempe impedientibus ablatis: ut pullis columbarum per medium dissectis, & recenti calore adaptatis ventriculo; & mastichis emplastro, additis pulveribus aromaticis; aut oleo de betto, seu balsamo: selecto spicæ pulvere, & absinthii, cum pulvere aromatici rosati.

Quod si his adhuc affectus renitatur, cucurbitulam magnam supra ventriculi regionem adaptato, & repete, si id petit necessitas; ut illius calor revocetur, & flatus distendentes dissipentur. Ustionem supra ventriculum aut setonem affigere plerique hic commendarunt, ut extremum resistentis ægritudinis auxilium: mihi tamen non placet, quoniam contrario fine operantur, & quidem contra quem nos intendimus scopum; hoc enim auxilium spiritus dissolvit, & minuit calorem, quem nos intendimus augere, fovere & conservare: ne frigida intemperie & flatus cumulentur, & actus facultatum minuantur. Et licet sordidam humiditatem resiccare intendant, illud non consequuntur, nisi vivifico calore dissipato cum majori damno quam commoditate: & si forte utilitas experientia convincatur, ustionem eligerem potius quam setonem: nam quod retentrix facultas præ impotentia efficere non valet, ejus virtutis actus aperte auxiliis supplere potest. Potissima hujus affectus ratio in caloris consistit diminutione, & hæc aptius ustione quam setone.

Quare auxilia nativo calori simillima eligere oportet, ut illa indicatio impleatur: si vero ad lapsam frigiditatem sit excessus, contrariis auxiliis qualitate & gradu nos oportet mederi; illa cautione adhibita, ne adstringentibus ante tempus applicatis, materia (mali causa) coerceatur, cum graviori damno. Ad illud tamen attendes; tantum fore ex usu adstringentia, ut facultas ventriculi, universo corpori necessaria tueatur, & tunc erunt, cum adstrictione roborantia usurpanda. Et hoc à principio hæc petit indicatio, nulla adhuc vacuatione præcedente.

Sed morbi ratione, majori parte causæ jam emissa, contrariis auxiliis contrariam temperiem inducere, & actum facultatis, jam collapsæ supplere, maxime curæ erit: quo in opere placet, pulveribus sacculo inclusis, ventriculi humiditatem ebibere ac siccare, & calorem fovere, aqua vitæ sacculum irrorando; ut ℞. spicæ nardi, cassiæ ligneæ, mastichis, squinanthi, corallorum, diarrhodonis, & aromatici rosati, absinthii, anisi, ligni sancti an. ℨj. includantur serico, & irroretur, ante quam sericum applicetur ventriculo. Usus passularum de corintho in vino per noctem infusarum longe utilior erit, & vini hippocratici aromatibus conditi, eorumque quæ antea diximus.

Quod si inde atrophia sequatur, summo mane oportet frictione totum corpus ad ruborem perducere, & ad partes externas alimentum allicere. Cibaria sint optimæ & facilis substantiæ; quæ sint etiam aromatibus condita; & si balnea dulcis aquæ videantur ex usu, adhibeantur potius ad brachia, nec stomachum attingant. Balnea sulphurea, malo inveterato, videntur secundum rationem indicata; quia cum adstrictione sunt siccantia: sed tutiora sunt, quæ ex ferratis mineralibus progerminant.

Humiditate in habitum contracta, non tantum in ventriculo, sed hepate, aut corpore etiam universo; nullum tibi fidelibus auxilium, quam sudores prolicere, aut ex chinæ radicis decocto, (quod certe primas tenet in hoc casu:) aut sarsæparillæ, aut ligni sancti; hoc enim auxilio & lapsa intemperies corrigitur, materia sudore dissipatur, imbecillitas in facultate contracta roboratur.

Quod si mesaræicarum obstructio complicetur, ut frequenter vidimus accidisse, curatio fiet, ut in sequenti affectu: quod si animi deliquia apparere incipiant, utcunque methodus prævertatur, omnino cohibere oportet, ac aliis auxiliis miscere cordialia: nam præter nativam corroborationem, pulveribus adstringentibus constant, veluti sunt: confectio hyacinthorum, de gemmis margaritarum, lapidis bezoar orientalis; in aqua melissæ, portulacæ, & plantaginis dissolutis, aut cum syrupo de cortice citri, & similibus.

De fluxu chyloso observatio.

Anno domini 1641 mensis Maji initio Hispali fluxus ventris incepit honestissimæ dominæ Annæ Mariæ de Araus, mira varietate importunus; jam chylosus, vespere cœliacus; alias lientericus, aliquando permixtus, humoris indicibilis liquidi & parum commutati alimenti, mille modis fœdati; ex frigida & humida in habitu contracta intemperie stomachi & hepatis, coquente & retinente facultate penitus jam collapsis: nam anno jam exacto persistebat; & si parum consisteret, mox revertebatur, per dies interpolato ordine. Causa erat, præter jam contractam intemperiem & imbecillitatem, licentiosa vita in ordine præpostero ciborum, in largiori potu, & libera pravorum eduliorum indulgentia; ex quibus venarum mesaraicarum erat antiquata obstructio: sed gravius peccatum, erat insatiabilis appetitus ad varias terræ sortes (picam recentiores dicunt.) Hæc omnia perdite deperibat; inde gravior quotidie obstructio, quo hepatis intemperies jam ad frigidam ibat altius radicata, cachexiæ præludio. Nam palpebræ oculorum inflatæ erant, ac pedibus tumor œdematosus, ut hydropem quis facile timeret; lien etiam debilis trahere non valebat quod supererat ex illis humoribus fœculentum; & ventriculi virtus chylo conficiendo impar erat: intestinorum retentrix, ob illorum lævitatem & sordidam etiam humiditatem, parum commutatum alimentum

mentum diffluere sinebat: maxime cum inutile pondus esset: nam per venas mesaraicas obstructas, nec à jecore attrahi, neque commutari spes erat, quo fluxus importunus indies augebatur.

In hoc statu hanc dominam invenimus. Indicationibus jam cum torno & cothurno libratis, visa fuit mesaraicarum obstructio sui ablationem indicare potiori urgentia; erat enim causa aliarum causarum, & in ordine prima: sed prius, ut ars ipsa docebat, à causæ foventis ablatione incepimus per pilulas, quæ accipiunt hieræ Galeni ℥j. rhabarbari electi ʒß. spicænardi g.iiij; mastichis, cinnamomi; G.8. & f. cum rhodomelite; & deaurentur; his ægra plusquam moderate dejecit: postea rhodomelite ex saccharo, tertia parte addita de miva cinnamomi, cum haustulis aquæ scolopendriæ & cinnamomi calidis reliquum concoquere, & attenuare incepimus: ac quinto die exacto, dilutum parari fecimus agarici & rhabarbari an. ʒß. spicæ & anisi an. G.iiij. in florum cordialium decocto, additis duabus unciis syrupi cichorii compositi; & hoc non male cessit. Sed adhuc illæ excretiones persistebant, non tamen tam frequenter, & certe minori quantitate; quo visum est reliquum per epicrasin postea repurgare vicibus repetitis tertio quoque die, apocema Fernelii imperando ad ℥iij. cum pugini decocto: roboratis interim nutritionis membris ventriculo & hepate, suo quemque auxilio.

Pro potu communi erat aqua rhabarbari in nodulo infusi; est enim illud, ut Hollerius dixit, pater hepatis, quod nos hic debile & frigidum intelligimus, quoniam rhabarbarum est mors calidi; auget enim istam intemperiem. Postea adsumebat quotidie de condito scorzoneræ & cardui sancti an. ℥ß. margaritarum & lapidis bezoar pulveribus inspersis; cum haustulis aut vini generosi, aut hippocratici; aut ejus loco, tabellam diarrhodonis: post hæc alias tabellas parari fecimus sub eadem roborandi intentione ℞. rhabarbari electi ʒij. myrabalanorum, citrinorum ʒj. pulv. diarrhodonis ʒjß. extracti anisi & cinnamomi an. ʒij; & cum saccharo albo in aqua melissæ dissoluto fiant tabellæ ad ʒj. & unam sumpsit quotidie.

Ideo ad auxilia cum corroboratione desiccantia diverti, quoniam antea jus pulli radicibus decoctum imperavi, ut possem has rebelles obstructiones reserare; quod ægra tam graviter tulit nimis lubrico ventre, ut inde desistere necessitas coegerit: nam licet ab illa obstructionis sorte hoc esset indicatum: nimia intestinorum & ventriculi lævitas ab omnibus potulentis & humidis lædebatur, peculiari contraindicandi ratione; qua certe consideratione semper consultissimum duxi; hæc & illa indicantia & contraindicantia prudentissimo judicio librari: nam quando hoc postulabat, illa morbi conditio, illud sordida humiditas ventriculi non ferebat: & præ imbecillitate moderatum exercitium non ferebat.

Sed nec inde cedebat rebellis affectus resistentia; quo visum fuit ad syrupum de scoria ferri devenire, & ad ℥ij. addebatur eadem aquæ quantitas, ubi erat rhabarbarum infusum, cum moderatissimo exercitio ad principium tantum defatigationis: erat enim illa ægra valde dejecti animi: & hoc per 9 dies. Ac postea in fine tabellas curavimus confici hac artis ratione. ℞. radicis rubiæ, nigellæ romanæ, cinnamomi, radicis chinæ, an. ʒij mosebi & ambræ an. G.iiij. mivæ cinnamomi parum, & cum saccharo fiant tabellæ; ad ʒj. & unam mane sumebat, ut in antecedentibus; ac devenimus postea ad potum radicis chinæ. Et exquisita victus ratione desiccante ex pullis columbarum, perdicum, & avibus montanis, & parcissimo potu, ut par erat, divini numinis beneficio convaluit.

De fluxu colliquante.

Galenus 3 de symptomatum causis 2; *Liquati succi*, inquit, *& in serosam humiditatem versi, à renibus, si sani sunt, attrahuntur: quod si trahere non valent, subitos hydropum status inducunt: si ad corporis ambitum deferuntur, interdum sudores diaphoreticos concitant; quod si quod liquatum est crassius sit quam possit à renibus trahi, aut in sudorem verti, totum in ventrem confluit, à venoso genere & fluxum concitat colliquantem*, &c.

Galen. 3. de Sympt. caus. 2.

In triplici humiditatis sorte accidit colliquatio: in humoribus, pinguedine, carne & humida partium solidarum substantia: si in humoribus: crassior illorum substantia vi urentis caloris tenuata vertitur in ichores referentes colorem & naturam succi, à quo liquantur: sunt enim à sanguine rubentes saturati; flavi aut virides à bile, & aliquando crocei & cærulei, pro ustionis gradu: subalbidi, urinam referentes à pituita: à melancholia nigri, aut cineritii.

Si intestinorum pinguedo colliquatur, veluti pingues quædam rasuræ humoribus permixtæ in egestionibus apparent, interdum veluti humiditas mucosa: si humores in venis & in hepate, simul cum pinguedine renum, urina pinguedine supernatante in matula conspicitur: & si soli humores, urina valde attenuata, sed ad fuscum colorem declinante: hæc omnia leguntur in Galeno 8 secundum Locos 6.

Et si caro liquatur, aut humida partium solidarum substantia, sunt excrementa aut rufa, saturata, aut nullius humoris colorem referentia; imo colorem carnis æmulantia, & pinguia; aliquando subalbida: & fœtor adest veluti cadaveris cum exsolutione & animi deliquio, quavis egestione: & cadaverosa facie ægroti subito contabescunt, veluti retorrido marasmo. Ex hac liquatione Galenus nullum sanatum vidit; 3 Epid. Sect.3. text.72.

Hujus fluxus causæ.

Hujus liquationis tres sunt causæ præcipuæ; in aliis est urens & intensa caliditas in humoribus aut in aliquo viscere principali, ad instar ignis liquefaciens: & hujus est signum febris ardens, seu illa, quæ marasmum inducit; licet non ita videatur intensa, velut hectica, cujus calor habitus assiduitate radicale humidum solidarum partium liquefacit: quod ipsum quoque calor efficit in tenui humore & præcalido; nisi cito & opportune auxiliis obsistamus; Galeni est expressa sententia 1 de Different. Feb. 8. & 10 Meth. 11. & 3 Acut. 12 & 13. & 7 Aph.35.

Secunda causa liquationis est sordida reduplicata & profunda putredo, quæ fermentatione ta-

lem suggerit calori qualitatem, ut partes, quas attingit propinquas, contabescere & colliquare faciat: & hæc est communis omni febri ardenti & malignæ, ubi putredo prævalet, dummodo ex colliquantibus sit; hoc etiam ex Gal. colligitur. 7 Aph.35. *Nam sive alvi excrementum, sive urina pinguis fuerit*, inquit, *colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quam in toto corpore existentis: quare neque omnino morbi renalis est signum, sed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati in omni febre colliquante.*

Galen. in Comm. l. 7. Aph. 35.

Hoc etiam accidit & peculiari ratione, præter putredinem & caloris ardorem, ex sola maligna qualitate: hæc enim sicut in aliis putrefacit, & in aliis urit; & mortificat, sic etiam in aliis colliquat; lege in statu pestilenti quem Hippocrates narrat text.40. *Alvus his*, inquit, *plerisque turbata erat*; Galenus: *biliosa & colliquantia indicia esse febrium ardentium maxima, plerisque existimant*; & text. 55. *biliosa, pinguia, tenuia, aquosa dejiciebant*; Galenus: *pinguia colliquationis esse ipse per signa docuit: aquosa, tenuis & serosæ humiditatis.* & text.57. *uno verbo: qui longis aut acutis morbis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui sunt. Cunctos namque venter sustulit.* Galenus: *Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, per excrementa alvi, omnes prope peremit. Quæ evacuabantur, erat colliquatio. Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem privatim vocant, quæ mortales vel citra pestem corripit.*

Galenus in Hipp. l. 3. Epid. Comment. 3.

Hoc idem adnotavit Hippocrates in Pario (hujus constitutionis exemplum) 3 Epid. Sect. 3. ægrot.1. *Die sexto*, inquit, *erat oleasa urina, dejectiones biliosæ, pingues.* Galenus in Commentario; *sed cum addidisset: biliosa & pinguia dejecisse: videtur aperte liquanti pinguedinem febri esse consequentia: ideo hæc prava censenda sunt; nam calor est ferventissimus, qui carnem fundit: moderatior qui pinguedinem; nempe & dejectiones quæ per ventrem excernuntur, putant omnes medici à pinguibus dejectionibus distare. In peste quidem longissima nostræ ætatis colliquata prope omnes excreverunt: quidam mere fulva: quidam moderatiora, omnes certe putrida. Verumenim vero hæ excretiones lethales sunt, nec tempus perferunt.* Et si fas est, quæ nos vidimus, addere in hac Hispalensi epidemia; alias croceas, subalbidas, pallidas, & plerisque crudas vidimus dejecisse. hoc enim accidit, prout materia, quæ liquatur, dejicitur: quoniam interdum sola serosa humitas liquatur; aliquando, humores, utplurimum pinguedo; & ultimo carnes ipsæ liquantur; quod etiam legimus accidisse in illa Athenarum pestilentia, de qua inquit Thucydides: descendente morbo in ventriculum, & exulceratione in ipso concitata, profluvioque simul incidente, multi ex imbecillitate interibant, &c.

Hipp. 3 Epid. Sect. 3. ægrot. 1. Galen. in Comm. Ibid. Dist. 74.

Nam liquatio humorum nihil aliud est, quam fusio cum motione: ex urenti aut mordaci calore: aut ex sola prava malignitate; quo fit, ut id quod liquatur, illa fusione moveatur: irritet acrimonia, & à natura concitata pellatur. Quod nec per poros, nec per renes expellitur; maxime si crassum est; hoc ad intestina ducitur; cumprimis si in hepatis venis & parte ejus cava liquescit: quod etiam Galenus videtur adnotasse 8 secundum Locos cap. 6. *Calida igitur intemperie*, inquit, *circa viscus existente*; (intellige circa hepar) *colliquationes fiunt; primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis*: & hinc procedens ad signa; *& evacuatur per ventrem*, inquit, *bilis crassa graveolens, & abunde colorata, quemadmodum in pestilentibus febribus contingit*, &c. nec te decipiat, quod aliquibus errandi causa fuit; non præcessisse antea oleosas & pingues dejectiones; id quod non in omnibus accidit: aliquibus enim soli colliquantur humores, in aliis pinguedo; & sola caro aliis, prout pars illa funditur à liquante calore.

Galen. 8. sec. Loc. c. 6.

Hanc colliquationem sensibilem appellavit Galenus: est enim alia colliquatio insensibilis hecticæ febris propria, & illius quæ marasmodes dicitur: sed utriusque differentiam sic Galenus exposuit, 10 Meth. 11. *Sane sunt*, inquit, *& quas marasmodes febres vocant, universæ ex earum genere, quæ colliquant. Sed in eo differunt, quod, quæ portio carnis in his colliquatur, ea semper vaporis vice digeritur; in illis defluit in ventrem. Cernitur hoc etiam in carnibus, dum in craticulis torrentur, evidenter fieri. Si enim carnes humidæ ac molles, cum adipis copia fuerint, eas sensu liquari deprehendas; sin sine adipe, & siccæ sint, in marasmodes febres transeunt. Clarissimo hujus rei argumento sunt infirmi, qui per alvum, quod liquatur, excernunt, qui nisi prius vel morbi violentia, vel medicorum inscitia moriantur, in marasmodes febres incidunt: postea vero adipe & carne liquatis nulla est sensibilis liquatio; nec fas est, easdem singularium partium fibras à malignis febribus liquari, sicut carnes; quando animal ipsum, priusquam hæ prorsus sint siccatæ, interimunt*, &c.

Galen. 10 Meth. 11.

Signa liquantis fluxus.

Acres dejectiones & inæquales dedit Hippocrates 4 Acut. 112. pro signo in hoc liquanti fluxu: *Qui ventrem inferiorem calidum habent*, inquit, *subeuntque acres dejectiones & inæquales; à colliquatione id patiuntur: excrementa his* (dicit Galen. in Commentario) *ob combustionem, non ob liquationem subire, proprie magis dixisset: nam colliquatio in eo fluxu fit liquata contabefactaque propter febrem malignam pinguedine vel molli carne.* In hoc Galeno non assentior; nam Hippocrates, quando in epidemiis variis colliquationis species descripsit, non semper à pinguedine incipere nos docuit, sed ab humore, pinguedine, aut molli carne; & adhuc ipse Galenus id fatetur, 8 secundum Locos citatus, ubi inquit; *Calida intemperie circa viscus existente, colliquationes fiunt primum humorum, deinde carnis*, &c. & idem potest accidere ventre calido; nam potest hæc aut illa substantia liquari, ubi nulla est adeps: ideo Hippocrates addidit inæquales, (quod forte Galenus non attendit.) Hæc est prima & ultima differentia colliquatæ excretionis ab illa, quæ ustione fit: quoniam hæc excrementa semper dejicit æqualia; & illa inæqualia semper, ut postea videbimus. Si advertas; sane, ubi siccitas calori copulatur; dejectiones meracæ & crassiores erunt; humidiores vero, si prævalet humiditas.

Hipp. 4 Acut. 112. Gal. Comm.

Gal. 8. sec. Loc.

Per gradus etiam caloris hanc aut illam substantiam liquari dignoscemus: nam à calore non valde intenso humores colliquantur: & acriori reddito, aut pinguedo, seu mollis carnis humiditas; non vero nisi ab exurenti, dura carnis compago. At sola maligna qualitas hæc omnia in actu & potentia operatur, absque ulla gradus divisione; nam propria activitate, velut in ictu oculi, omnem superat resistentiam.

Pro

Pro signorum clariori notitia, excretiones inspicere oportet: nam orta suis principiis attestantur; quare, si bilis funditur, & liquatur, erunt excrementa flava, saturata, crocea: si his ustio prævalet, crassiora redduntur. At si sola liquatio potior est, ichoris naturam subeunt; & inde flava saturata à bile; à sanguine rubicunda: atra & cineritia à succo melancholico: albicantia excrementa profusa, copiosa à pituita, sive à multitudine crudorum.

Rubeus fluxus etiam in hepaticis accidit, sicut lotura carnis; ideo hunc oportet à liquante distinguere: sed in hoc stat utriusque ratio differentiæ: liquatus ardentem sequitur febrem cum dejectione tum multa, tum subita; & ichores aliquam ustionem contestantur mira varietate in ipsa egerendi frequentia: nam alias flavi, virides, cærulei, & splendidi, profluunt, cum ingenti fœtore: & sensim crassiores redduntur; quod in hepaticis accidit contrario modo: in illis enim nulla fere est febris, & ichores ibi frigidam hepatis intemperiem & malum corporis habitum insequuntur; nisi forte à causa calida sit hepaticus fluxus: sed in hac aut illa causa egestiones semper nullam fere varietatem patiuntur; & præcedent signa quæ dicemus in hepatico fluxu.

Si vero jam liquatur pinguedo, tum hæc etiam ichoribus innatat, urina superfluitat, adhærescit ellychnio; aut sunt prorsus pinguia excrementa, ut antea ex Hippocrate, & Galeno vidimus; 7 Aph. 35.

Si carnes colliquantur, erunt excrementa pinguia, crassiora, fœtentia, cadaveris fœtorem æmulantia, veluti purulenta, aut ut liquatæ alterius carnis, & rubentia: & hoc in febre jam progressa, quæ hecticæ secundæ speciei assimilatur; cum tendit ad marasmum, qua in extenuatione nos nullum sanatum vidimus.

Unum restat: nimirum rationem differentiæ instituere, inter dejectiones, quas diarrhœa biliosa concitavit: hepatica, vel dysenteria; & illas, quæ sunt liquatæ bilis, aut fusi & liquati ichoris: ratio hæc desumitur ab ipsa rei natura; nam in diarrhœa biliosa, ubi non adest visceris imbecillitas, sed uniformis calida intemperies; semper calida excrementa generantur similia, ejusdem coloris, & similis substantiæ; neque de die in diem permutantur: at vero in colliquanti fluxu, aliquando dejiciuntur crassa, aliquando tenuia, jam crocea, jam viridia, interdum aut cruda, aut aquosa, non infrequenter oleosa & pinguia: & hæc ipsa quotidie mutantur, ad viridia, flava, cærulea, ut etiam fusco colore pallida; & semper fœtore indicibili: & si adest obstructio in venis ad lienem tendentibus, solent uno die cessare, & sequenti reverti.

Prognosis.

Fluxus liquatæ bilis, ichoris, aut cujusvis aliorum humorum, est periculi plenus: pinguedinis plus etiam periculi adjicitur, quoniam ad tabem ducit: carnis vero liquatæ; est omnino lethalis, quia marasmo retorrido interficit: exhinc Galenus nullum sanatum vidit.

Hujus fluxus Curatio.

Duæ principales indicationes omnem curam sollicitant; si hujus causa mali est multitudo; hæc indicat aliquod ex vacuantibus auxilium: si sola intemperies; attemperationem qualitate contraria; contraindicantibus æqua lance libratis. Tuum erit expendere, à quo major urgentia; nam ab illa gravius & celerius periculum insurgit: si dejectiones à venarum multitudine foveri est suspicio, & liquatio à nobilis visceris intemperie calida accidit; mihi non est dubium sanguinis missionem indicari, non tantum ut vacuans auxilium, sed attemperans: nam eadem auxiliandi ratio convincit in hoc casu, ac in diarrhœa, aut in dysenteria: hanc rationem superius leges.

Nec ulla te seducat purgandi indicatio in principio ad purgandum, licet sit impermixti & sinceri humoris: si calidi; ne calor, (liquationis causa) amplius intendatur, & ducat ad marasmum; nisi sit excusatio in frigidis colliquatis humoribus à pituita, ubi albicantes humores: quoniam tunc illos ex arte erit leviter vacuare, si pigre illos natura ducit, per loca conferentia. Et adhuc in hoc casu attende ad liquationis causam, & venarum etiam apparatum, an petat sanguinis missione vacuari.

Sed in utroque casu si natura præcipitata pellit, & se ipsam continere non valet, in principio nec fluxum continere nec concitare decet; sed loca, per quæ fluit, abstergere, leviter acrimoniam temperare, membra principalia roborare, atque vires reficere, ut impetus exsolutionem ferre possint.

Si ergo sanguinis missio potius ex arte esse existimatur, fiat ex basilica & utriusque brachii; sed tam æquilibrata cum eo quod excretionibus deperditur, ut cedat in auxilium, non in ægri perniciem; postea ex salvatella: hæc enim singulari energia hepatis calidam corrigit intemperiem. Si præfertur purgatio; & fit, ut antea in diarrhœa diximus, in hac humorum sorte. Si loca excretioni destinata abstergere oportet & humoris acrimoniam temperare; hoc clysteribus consequeris; maxime ex hordei decocto, aut ex lacte, aut sero, saccharo & ovo integro: seu additis portulacæ aut plantaginis succo, sive mucilagine psylli & cydoniorum: & in urenti causa; ℞. lactis chalybeati ℔ß. sacchari albi ℥j. mucilaginis psyllii ℥jß. michletæ aut philonii. ʒß. in magna somni necessitate, & hora somni. Nos etiam infundi facimus ℥ij. sacchari rosati antiqui; in ℔ß. aquæ capitum rosarum in expressione addimus syrupi rosarum siccarum ℥ij. michletæ ʒß. mucilaginis seminis cydoniorum ℥j. oleosa fugimus in calido affectu.

Interim cor & hepar frigidis epithematibus temperare erit maximi usus: nec ex illis timeas retrocessum, si attemperandi prævalet indicatio; ℞. aquarum portulacæ, plantaginis, rosarum, endiviæ & melissæ an. ℥ij. diamargariti frigidi ʒj. diamusci ℈j; & frequenter epithema mutetur, ne incalescat.

Si vero attemperandi prævalet indicatio, ut neque purgatio neque sanguinis missio sit ex usu; nullum æque auxilium hanc indicationem magis

adimplere existimo, quam potum aquæ nive refrigeratæ; si prudenti solertia, in tempore & loco, & quantitas & qualitas expenditur: hanc indicationem super omnem prudentiam Galenus nos edocuit in 10 Meth. 11. cui titulus est de hecticorum alimentis, & indicationibus eorum qui liquantur: *Hæc igitur cum scias:* inquit, *etiam liquantium febrium iisdem methodis curam ages, tum ad frigidam exhibendam quam primum properans, tum iis quæ humectent & refrigerent nutriens.* Et si quis dicat, hoc Galenum in hecticis, quæ ad marasmum insensibili colliquatione transeunt consuluisse, ne transeant; inde nos facimus argumentum ad hominem: ergo & in omni alia colliquante febre ex humoris putredine, aut ustione, aut prava qualitate; in hac enim non potest major contraindicandi ratio observari: & exinde Galenus, ad aliam transit colliquantium sortem, ad ardentes nempe & biliosas; *& in his biliosa autem*, inquit, *hujusmodi maxima ex parte subducuntur in iis febribus quæ colliquant, quibus ferme omnium adversissima, nocentissimaque est mulsa potio, veluti & modo contrario potio aquæ frigidæ juvantissima*; 3 Acut. 12. & dum prosequitur in capite sequenti 13. sic loquitur; *si vero febrem sciveris esse quæ colliquet, ab usu mulsæ abstineto, atque in ptisana cremorem devenito, observans, ut aliquod signum licet exiguum coctionis ex urinis videas. Nam si tunc frigidam dederis, maximo præsidio eris*: hanc coctionis conditionem etiam præcipit; 9 Meth. 5. in aliis ardentibus ex sanguine aut bile: hanc etiam videtur spectasse, 4 Acut. 40; quando dixit; *Nam ut cætera omittam, cum alvus liquida esse possit, tum propter ventris phlegmonem, tum propter colliquantem febrem, frigidæ potus maxime contrarius est phlegmonæ: colliquantibus vero febribus convenientissimus, eo quod didicisti, tempore exhibitus*; In his febribus hic aquæ frigidæ potus semper superlativo titulo commendatur.

Galen. 10 Meth. 11.

Idem, 3 Acut. 12.

Idem, c. 13.

Idem, 4 Acut. 40.

In conditionibus tamen Galeno non assentior; ut qui videam rationem & experientiam in contrarium. Nam ille frigidæ potus à summa periculi urgentia indicatur ut æquale auxilium, & contrarium; ab excessu nempe illius qualitatis urentis, & acerrimæ, vitæ periculum citissime minantis; dum nativam humiditatem colliquat, & utrumque calorem necessaria consequentia depascitur. Hæc est urgentiæ indicatio ex parte qualitatis. Contraindicatio autem ex parte cruditatis, minatur macronexiam, seu verti in alium longiorem affectum; seu quia debilitatem arguit in natura, non valente concoquere. Quænam ergo ex istis erit major urgentia? Averroes. 7. Collig. 8. *Si æger*, inquit, *vehementi siti cruciatur, non est expectanda coctio, cum vires antea deficiant. Quare satius est in principio exhibere aquam frigidam, cum materia febris non est cruda ob crassum & viscidum humorem, sed ob acrem & mordacem calorem: quare frigidæ potu acrimonia exstinguitur: & satius curabitur, licet in aliam febrem degeneret.* Idem sentit Aëtius, *Cujusdam mulieris exemplo, quam semimortuam ab exurenti febre, solo frigidæ potu ad vitam revocavit*; Sermone 1 Tetrabl. 2. cap. 72. & Rhases Tract. de Variolis cap. 6. De hoc etiam Duretus lamentatur, quod hujus potionis defectu, in extremo ardore ægri ad marasmum perducantur. Ga-

Averr. 7. Collig. 8.

Aëtius, Serm. 1. Tetrabl. 2. cap. 72.

riopontus etiam est in illa sententia, Libro de Febribus cap. 17. *Ubi tanta detur*, inquit, *ut sitis maxima febricitantis possit satiari pura: interdum & in critica die*; In hoc tamen adverto; quod si vires adhuc valentes sunt, posse concedi semel, & ad satietatem: aliter vero, tantum in cibo, & in cœna; & summo mane, ex distillatis nive refrigeratis, & ad solis occasum. Et si rem altius expendere velimus, hanc etiam Galeni fere sententiam facile quis inveniet; lege libro 10 Methodi, & in cap. 6. *Licet adsit hepatis inflammatio*, inquit, *adhuc aquam frigidam dabis; satius est enim phlegmonas in præsens adaugere, quam ægrum ad marasmum perducere*; hic enim loquitur de extrema urgentia, illic de regulari cura.

Gariop. Lib. de Febr. c. 17.

Galen. 10 Meth. & in cap. 6.

Nolim tamen, ne hæc licentiosa libertas te seducat, ut ad extremum temeritatis vertas; in purpuratis maxime, quibus magis arridet hæc sententia, ob consuetam hujus frigiditatis indulgentiam; nam in colliquanti fluxu innatus calor ventriculi & hepatis perenni vacuatione continuo dissolvitur, quo fit, ut, qui pusillus remanet, facile frigida potione & copiosa subito, extinguatur; quod periculum, si velis præcavere, de hac potione nive refrigerata poteris propinare ℞. aquarum cydoniorum plantaginis, capitum rosarum, portulacæ, & scorzoneræ an. ℥ij. diamargariti frigidi, & margaritarum præparatarum an. ℈j. & confect. hyacinthorum ʒß. &, si placet, addes de syrupo ribium aut agrestæ an. ℥j. & harum scilicet aquarum usus erit inexcusabilis, ubi malignitatis est suspicio; saltem humoris tenuissimi, & intensæ putredinis; tunc enim addi potest in aquis supra dictis crystalli præparati. ʒj.

Quod si febris exurens jam deferbuit, & manet lenta febris in hecticæ principio, ut solet in hoc casu: tunc lactis usus est maximi auxilii indicatus ab hoc febris & corporis statu. Sed si fluxus persistit, chalybe præparetur, seu coquatur ad tertias, addita tertia parte aquæ, ut lac maneat crassius: de quo dabis ad ℥iiij. cum sacharo rosato aut communi; in his etiam aqua cochlearum destillata, est nobilis auxilii: & si hæc fastiditur, poteris propinare jus pulli eo modo confectum: pullum mundari facies, ac ejus ventrem repleri saccharo rosato antiquo, cum frustulis cydonii, & perfecte concoqui; de cujus jure scutellam æger accipiat. Hoc modo Avicenna docuit præparare ℞. amyli, tragacanthi an. ʒij. hordei ad crepaturam cocti p. ß. cochlearum n. x. sacchari rosati ℥j. pinearum, amygd. dulc. & sem. melonis an. ʒß. omnia hæc in ventrem pulli condantur, & ad carnis separationem coquantur: ac de hoc jure ægrotus accipiat ad ℥vj. Ad extra super hepar imponatur linteum madidum hoc succo. ℞. succi agrestæ, endiviæ, & plantaginis an. ℥j. aceti rosati ʒß. santali citrini ʒj. frequenter permutetur, antequam incalescat. In hoc casu, corallorum extractum est nobile auxilium, ut & margaritarum & perlarum, quo non valentius ullum; & hoc modo accipitur; ℞. aquæ capitum rosarum ℥ij. extracti corallorum ʒj. & usus usque ad ʒiij. potest concedi.

De

De nigris dejectionibus; ad hepaticæ dysenteriæ differentiam.

Nigræ dejectiones, aliæ sunt ex hepate, aliæ ex liene: ex hepate tripliciter accidere videmus: seu ex corrupta in illo cruditate, seu dum ab exustione atra melancholia producitur; seu dum sanguis abundat, ex quo fæces illius majori quantitate cumulantur: seu tandem ex symbolica temporum ratione, ut accidit in autumno & vere: aliæ veniunt ex liene debili aut obstructo, melancholiam attrahere non valente, quo natura pondere aut prava qualitate irritata, supervacuum ad intestina pellit.

Si hæc possum selecto & prudenti ordine in suas cujusque classes locare, & digerere, magnum opus mihi videbor me fecisse: nam hæc tam confuso ordine sparsa inter auctores video, ut vix queas seligere in occasionem profutura; nam absque distinctione omnia quantumvis egregia, invalida; pro quo illud est primo supponendum, antiquissimos medicos pro nigra dejectione, non atræ & exurentis bilis intelligere; sed aut sanguinis, fæcis, aut non exquisitæ melancholiæ. Sic legitur Hippocratis contextu; 4 Aph. 21. *Dejectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, sive cum febre, sive sine febre, pessimæ, & quanto colores magis pravi fuerint, eo peiores. De dejectionibus nunc ipsi est sermo* (inquit Gal.) *quæ à priscis Medicis quidem nigræ vocantur, bilis vero nigra exquisite non sunt. Nam acre, & corrodens, & acidum non habent: neque in terram effusa, eam fermentant: verum sunt veluti sanguinis limus, & fæx vini, hæc tamen si diutius in corpore morentur, neque per aliquem sensibilem effluxum, nec occultum excernantur, verum transmutentur & putrescant, fit bilis nigra exquisite: antequam vero hæc genita sit, splen trahit eam, quæ est veluti sanguinis fæx hepar expurgans; abutiturque splen hoc melancholico succo ad sui nutritionem: & quam rursus ipse fecerit superfluitatem hanc totam expellit ad ventrem, una cum aliis superfluitatibus excernendam; si quando igitur, neque splen bene expurgaverit: & ille qui in hepate continetur sanguis, multum hujus superfluitatis habuerit, accrescetque debilitas visceri, ita ut in se ipso illas continere non possit, tunc illæ quæ nigræ vocantur, fient excretiones: & de his enunciatur illa Hippocratis sententia.*

Hipp. cont. 4 Aph. 21.

Galen.

Has dejectiones in quatuor classes Galenus subdivisit, 3 de Sympt. causis 2. *Cæterum sanguinolentæ excretiones quatuor in universum sunt, quatuor succedentes affectibus: una quidem ipsius sanguinis in his quibus artuum aliquis abscissus est, vel qui consuetum dimiserunt exercitium, per circuitum repetens: secunda fit, imbecillo hepate, cum sanguis aquosus plane dejicitur: tertia est melancholici & splendentis sanguinis. Et hæ tres ut multum simul excernatur, efficiunt. In quarta minutim & exiguo tempore expulsio facta visitur: alias quidem veri sanguinis, alias concreti: & in hac puris etiam exiguum aliquando excernitur, etiam ulcerum crustula: præterea membranosa quædam corpora, quæ intestinorum ipsorum sunt particulæ: & hæc intestinorum exulceratio est affectio quartæ excretionis.*

Galen. 3 de Sympt. causis 2.

Prima nigræ dejectionis differentia.

Hæ sunt species nigræ dejectionis à Galeno propositæ. Nostrum erit, cujusque singularis essentiam, causas, & exitus signorum æqua lance perpendere; prima quæ à Galeno expenditur species, est illius sanguinis abundantis, qui à necessario corporis alimento superfluit; nam mutilato membro aut omisso aliquo exercitio, sanguis qui erat futurus in partis abscissę alimoniam, aut in digestionem exercitii, aut gravat aut irritat naturam, ut sese ab inutili sarcina exoneret per ventrem; quod accidit in statu salutis aut morboso, sed veluti per crisin, imperioso naturæ magisterio. Sed illa excretio per circuitus repetit; quiescit enim natura paulo exonerata, ac postea, humore denuo succrescente, iterum concitatur: usque dum præsentit se ab onere levatam: & hæc est interdum puri sanguinis, interdum nigrioris excretio.

Ad hanc etiam alia nigræ dejectionis species reducitur; nigri nempe & splendentis sanguinis: nam parum infra in præcitato loco sic Galenus loquitur; *In prima accidit quod in gravato ventre: sic in hepate, ubi affatim digesti in ipsum nutrimenti fructum cepit, non patitur id amplius apud se morari.* (nempe quod exinde superfluit) *Cum ergo id recta progredi ex quavis causa nequeat, necesse est, retro ad ventrem recurrat. Apparetque is qui tunc excernitur sanguis, nigrior & splendidus: utpote ex sanguine & nigra bile mixtus: non enim splendorem servat, nisi, cum supra modum est excoctus; & tunc veluti cinis quidam nigra bilis efficitur. Vocatur autem talis dejectionis species à nonnullis dysenteria: quippe & mordentur non raro, perinde ac dysenterici.* In hac etiam sese natura exonerat ab inutili pondere: de hac Galenus porro loquitur, 5 de Locis 7. quando inquit: *similiter aliæ quædam eveniunt excretiones ob facultatis expultricis robur, & quidem sæpenumero integra etiamnum constante valetudine, plenitudinis ratione. Sic plerunq; cum pars aliqua affecta est, per jecur purgatur, viribus ipsius jam factis robustioribus. quippe concoctis in ipsa vitiosis humoribus, sequitur secretio, ita, ut utiles humores retineantur, expellantur vero inutiles; ut accidit mutilato aliquo membro, aut dimisso exercitio consueto. Solet etiam mulieribus mensibus retentis hujusmodi per sedem vacuatio fieri, & interdum per vomitum: verum & his quidem sincerus sanguis excernitur.*

Idem, ibid.

Galen. 5 de Loc. 7.

Est alia hujus primæ dejectionis differentia atræ cum splendore bilis, quæ generationem in hepate non habet, neque in venis illius putrescit, nec deuritur; sed in solis mesenterii venis, ut in hypochondriacis frequenter observamus, ex longa obstructione ventilatione præpedita, ac, exinde fermentata putredine aliqua ustione comparata; sive in toto corpore & cerebro deuratur, curis angentibus & perenni tristitia, nec non etiam aliqua sanguinis evacuatione, aut hæmorrhoidibus suppressis; quo fit, ut ad tempus aliqua nigerrimi sanguinis vacuatio per ventrem superveniat, & non magno virium detrimento, imo melancholiæ præcedentis levamine, à forti naturæ contentione, dum illa excretione atri & splendentis sanguinis se tuetur ab onere angenti & recursus periculo; nec illa magnam visceris læsionem ostendit, cum illis tantum venis fervet & cumulatur. de hac illa Galeni sententia intelligitur. 3 de Locis 6. quando dixit: *Fitque interdum, ut rufo colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant, atque post hos flavi; idque maxime, quando & vigiliis, & multis laboribus, & sollicitudine, & te-*

Idem, 3 de Loc. 6.

& tenui victu fuerint educati. Quibus hæ quoque notæ conveniunt, an hæmorrhois aliqua restricta sit, aut alia quæpiam consueta sanguinis vacuatio, aut mulierum menstrua. Insuper quibus cibis quis fuerit usus, utrum iis qui suapte natura succum melancholicum pariunt. Licet Hippocratis sententia 6 Aph. 23. ad melancholiam cumulandam sufficiens sit: si longo tempore perseverant & metus & mœstitia. Hæ sunt causæ; hæc signa illius melancholiæ; hoc profecto judicium hujus excretionis, quocunque tempore concitetur, quantumvis in principio alicujus affectus: nam duo illam semper comitabuntur: ægrotum nempe illa excretione sublevari, pondere inutili deposito: & nec anxietatem nec exsolutionem advenire, nisi levi quadam commotione, & ventris borborygmo.

Secunda nigræ dejectionis differentia.

Hæc per dysenteriam, quæ à priscis medicis hepatica dicebatur, constituitur; nam apud illos tantum erant hepatici, quorum hepar præ imbecillitate sanguificandi munus non obibat, seu ita diminute, sed nondum magna imbecillitate contracta, ut sanguis in solo generationis principio excernatur, cum incipit esse sanguis sicut lotura carnis; seu ita depravate, (aucta affectione) ut sanguificandi actio in aliam corruptionis sortem, à sanguine alienam degeneret. Hæc tamen imbecillitas sub aliqua latitudine ab illis æstimatur. Magna tamen est cautio in tollenda æquivocatione adhibenda; nam in Galeno variæ hepatis læsiones secundum varias illius facultates perpenduntur, & non omnes pertinent ad unicam nigræ dejectionis differentiam: nam si attractrix hepatis læditur, præ imbecillitate, tunc erit fluxus chylosus; si ab expultrice irritata, frustratur sanguificatio, pertinet ad primam vel tertiam speciem; si sola concoctiva, seu alterativa illius nutrimenti, ad hanc pertinet, secundum differentiam. Aptissime legitur in Galeno hæc omnis differentiæ collocatio; 8 secund. Loc. 6.

Galen. 8 sec. Loc. 6.

Cum hepatis attractiva læditur, inquit, *& præ imbecillitate ex ventre & intestinis trahere alimentum non valet, liquida per sedem excernuntur*; (nempe fluxu chyloso) *si vero traxerit, at sanguificare præ imbecillitate nequit, quemadmodum in ventre multiformis corruptio contingit, sic etiam circa hepar; sed peior est illa transmutatio, quæ in peregrinam qualitatem juxta cruditatem fit, moderatior, dum alimentum suam naturam diutissime servat. Tertia præter has species frustratæ concoctionis est, cum semicoctum sit alimentum. Et in hac hepatis sanguinolentus humor per alvum secernitur, ad instar loturæ carnis. Hinc plurimæ hepaticæ affectiones initium capiunt, nondum magnam debilitatem hepate habente, sed adhuc alimentum concoquere, & alterare potente: aucta vero affectione, nihil tale amplius excernitur, sed multiformes aliæ qualitates & compages, velut à ventre ex cruditate laborante. Calida igitur intemperie circa viscus existente, (sub hac aucta affectione præ imbecillitate) colliquationes fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis: frigida vero intemperie existente, neque assiduæ excretiones fiunt, neque multæ; durat tamen affectus diutius, & per aliquot dies profluet ipsis venter majori copia, cujus neque fœtor similis est iis, quæ ex calore liquefacta sunt, neque color similis, aut compages, verum minus graveolentia ab his excernuntur speciem putrefacti sanguinis, non colliquatæ carnis, habentia: aliquando vero id quod excernitur, velut sanguis niger apparebit; verum diligenter consideranti neque sanguis niger est, neque grumus, sed veluti limus quidam sanguinis crassi, qui prope ad atram bilem accedat; & plures ac ægre judicabiles colores circa hujusmodi affectionem in egestionibus apparent.*

Quare in hac secunda differentia tres species considerat Galen. dum nempe hepar sanguificare præ debilitate nequit: prima est attracti chyli corruptio in hepate; ut accidit in ventre corrupto cibo; quæ corruptio interdum est extremæ pravitatis, quam ille expressit per peregrinam: alia moderatior, dum alimentum attractum diu suam naturam servat; sed illud non excusat, ut quadam fusione in forma nondum confecti sanguinis, sed crassi dejiciatur: tertia est, cum semicoctum alimentum dejicitur, velut est sanguinolentus humor, ad instar loturæ carnis: ex hac enim imbecillitate plurimæ hepaticæ affectiones incipiunt, prout aut prima adaugetur intemperies, aut à calida aut frigida intemperie imbecillitas contrahitur: nam hæc aut illa longe diversa congerit excrementa; & omnes istæ sunt hepaticæ; nam ab incipiente imbecillitate exeunt, ad instar loturæ carnis. Hac ipsa vero affectione aucta, seu imbecillitate, alimenta alterare non valente; jam tunc non talis sanguis, sed multiformes aliæ qualitates, & compages nigri nempe sanguinis, lividi, aut splendentis, jam tenuis, jam crassi: & hæc accidunt hepate ex frigida intemperie laborante; quoniam, si illa imbecillitas à calida valde lapsa intemperie contrahitur, inde alia pullulant excrementa, quæ ad ventrem ducuntur, maxime si parte cava hepatis; nam tunc primo colliquati humores dejiciuntur; postea vero hepatis ipsa caro liquata: illud etiam differentiæ sortiuntur; quod in calida frequentiores sint excretiones, cum caloris & punctionis sensu; in frigida vero, neque tali frequentia, nec tali multitudine, neque fœtor est similis ut in calidis, neque talis compago; sunt enim in speciem tantum sanguinis putrefacti, veluti quidam limus: sed ubi sanguis corrumpitur, plures & ægre judicabiles colores in egestionibus observantur.

Calida tamen fere semper interficit: nam extenuatione & atrophia ad extremum perducit: & lapsa intemperie fere habituali, naturalem dejicit hepatis facultatem, ut tandem continere non valeat; humidum radicale depascitur, continua dejectione exsolvit, & extrema siccitate ad singultum perducit, qui motu importuno extremam nuntiat desperationem; ac tandem hepatis inflammationem cæteris malis auget: à frigida intemperie diutius perdurat, & nigra bilis & fusa & liquida dejicitur; sed sine splendore & postea concrescit, cum quadam opacitate nigra: atra vero bilis à calida intemperie producta; fusa etiam, & liquida dejicitur, sed splendet illo nigro colore, mordax est, ac tormina intestinis inducit cum exolutione & halismo, quibus interdum lethalis dysenteria succedit.

Sub hac distinctione, idem Galenus loquitur, 5 de Locis 7. In hac jecoris imbecillitate incipiente, progressa, & confirmata sic legitur in hoc etiam loco: *Igitur cum alvi egestiones aquæ, in qua nuper mactata caro abluta est, similes esse videritis, efficacissi-*

Galen. 5 de Loc. 7.

cacissimum hoc vobis signum erit affectionis hepaticæ, quæ ob imbecillitatem jecoris sit. Sic etiam, (procedit in eodem affectu) *cum fæci sanguinis similia per alvum excrementa dejiciuntur, jecur esse affectum conjiciendum est; id enim superassantis sanguinem hepatis indiciū est; uti primum, infirmi jecoris.* Sed hoc accidit; quia incipit interdum affectus ob frigidam hepatis intemperiem citra febrem, quando tenuis sanies excernitur; deinde tractu temporis, cum sanies in viscere corrumpitur, febris supervenire solet, quæ ab imperitis negligitur: (cum ignorent, illud esse signum affectus ulterius progressi;) & postea magnum negotium facessit, frigida hepatis in calidam intemperiem versa.

In hoc eodem loco Galenus differentiam solita diligentia expendit inter excretiones, quæ sunt vere hepaticæ, & illas quas mesenterii exprimit inflammatio; *Verum*, inquit, *ubi vel inflammatio, vel erysipelas mesenterium occupat, haud ita difficile est discernere, si alvi excrementa diligenter consideres: neque enim solum, qualia excerni diximus in jecoris imbecillitate, cum ad sese cibum trahere non potest, talia plane dejiciuntur; sed apparet etiam, veluti ab inflammatione, sanies quædam admixta, si maxime affecti hepatis nulla propria signa sint.* Cum attentione lege, excerni etiam in hoc affectu, qualia jecore non trahente excernuntur, aut qualia iis viis obstructis: necesse est enim comprimi mesenterii venas in inflammatione mesenterii: & super tales excretiones saniem, quæ ab inflammatione exprimitur, resudare: quod nos etiam judicamus accidere in inflammatione aut erysipelate concavæ partis hepatis: hoc tamen, nec prudenti solertia, nec adhuc longa experientia manifeste dignoscitur, veluti in affectu, in quo principes medicinæ nec satis manifestam distinctionem, nec exactam medendi rationem tradiderunt.

Idem, ibid.

Judicium in hac sorte hepaticæ malum fere semper portendere, vel exinde conjicio, quod judicet Galenus 5 de Locis citato, raro hepar ex imbecillitate redintegrari. Hæc sunt illius verba; *Atque ut in hepaticis affectibus*, inquit, *licet raro, medicamentorum auxilio robustiore evadente jecinore, interdum dejiciuntur excrementa, tum colore tum odore pessima, expurgante se ita viscere: sic eodem modo urinæ etiam deteriores redduntur. Quibus imperiti medici gravius morbi periculum subesse arbitrantur. Quod autem, protracto per longum tempus morbo, apparentibusque notis coctionis hujusmodi fiant evacuationes, non semel ex Hippocratis historiis didicistis*, &c. Nec ideo tollit spem convalescendi sub his conditionibus: ergo si raro accidit hepar robustius fieri, utplurimum ad perniciem hepatica terminatur affectio; attamen in melius mutari, in unico signo spes unica restat, nempe urinæ coctione, quando ipsa excrementa omnem pravitatem contestantur; illa enim est fidelissimum signum, facultatem naturalem robustiorem fieri, ac inde ad superandum aptam; quod etiam in hepatis inflammatione aut erysipelate accidere, si urinæ coctiones præcedant, non diffidit; quod nos etiam sub eadem dictione (raro) intelligendum remur; hoc invenies in Galeni contextu: *At per erysipelata*, inquit, *& inflammationes, accedente coctione, vitiosus, cœnosus, & putris humor utiliter excernitur.* Quare non solum in protractis, sed in acutis etiam illud accidere palam est.

Idem, ibid.

Differentia tertia.

Hæc differentia in illis nigris dejectionibus observatur, quæ ex superassato sanguine aut bile excernuntur; seu toto corpore calida intemperie laborante, seu solo hepate, seu liene debili aut obstructo, nigram superfluitatem non trahente, cujus signa tu leges in Galeno 6 de Locis 1. seu in mesaræi venis cumulata, ut in hypochondriacis excerni experimur: hanc etiam Galenus se vidisse testatur in constitutione pestilenti, ancipiti fortuna: quod nos testari possumus in hac constitutione Hispalensi; sic Galeni judicium nos edocet, 5 de Locis 7. *Plurimas vero hujusmodi dejectiones*, inquit, *in pestilenti hoc morbo conspeximus, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant, quam in aliis salvandis apparebant; non tamen vel in principio morborum vel in augmento conspiciebantur; tunc enim erant flava, rubra colore colliquamenta: quæ vero mox apparebant, nigra erant, veluti sanguinis fex, sive ipso superassato habuissent generationem, sive aliam extraneam putredinem adepta essent: quare ab initio quidem nunquam ad bonum sunt, magnam visceris læsionem ostendentes; ad morbos vero in vigore consistentes, sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante.*

Idem, 5 de Locis 7.

Mos est Galeno per vigorem statum denotare, & per mox apparentia, illa quæ adveniunt, principio & augmento exacto. Et de his, quæ primis temporibus apparent, Hippocratis Aphorismus intelligitur, 4 Aph. 22. *Morbus quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra aut infra exierit, lethale*; quia pravam & magnam visceris læsionem ostendunt, dixit Galenus, ex qua ustio contrahitur, aut maligna putredo; licet ad malam significationem sufficiat, in morbi principio excerni; in illo enim nihil naturæ ratione excernitur, sed causæ violentia, aut pravæ alicujus dispositionis: quando nempe natura, aut gravatur, aut valde ab irritatione lacessitur; & humor crudus est: *Nam tunc aliquid bene excerni est impossibile*; dixit Galenus; licet sit aliquando tolerabile; dum nempe tam magnam irritationem validæ vires ferunt: quando vero longo exacto tempore, in hujus humoris coctione, & sequestratione natura se expurgat, quævis, licet prava excretio, est utilis censenda; nisi ex alio principio adsit periculi occasio; nempe ab extenuatione, aut imbecillitate naturalis maxime facultatis, contracta ex acuto aut diuturno morbo: de hoc enim statu legitur, qui sequitur. 23 Aphorismus: *Quibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, seu quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, sive ut sanguis niger, subter exierit, postridie moriuntur: est enim in talibus*, si credimus Galeno, *natura adeo imbecillis, ut non possit concoquere, neque discernere, neque excernere, quæ ita prava sunt.* Non est tamen ex parte pravitatis difficultas, quoniam hæc à valida virtute superatur: sed quod effundatur, quod contineri nequit ob morbi magnitudinem virtute penitus exsoluta; non illius imperioso magisterio: ideo enim dixit, *Seu quovis alio modo extenuatis.* In hoc tamen agnosces nigrum sanguinem ab usta melancholia differre, quia ille aut fusus aut concretus, non habet splendorem: at vero nigra & atra bilis fusa absque concretione, cum splendore nigredinem sortitur.

Hipp. 4 Aph. 22.

Galen.

23 Aph. ejusdem.

De periculo harum excretionum satis manife-

ſtum judicium, in antecedentibus vidimus ex Galeno. Nobis addere placuit obſervationem ſingularem, quam vidimus, in viro quodam nobili Don Franciſco de Olivares, Comitis Nebulenſis à ſecretis miniſtro. Hic repente in indicibilem anxietatem ductus, nigræ & ſplendentis bilis egeſtionem fecit: ac in horæ quadrante animam exhalavit. Nulla erat veneni ſuſpicio ad extra propinato; maxima intus geniti: nobis enim rem perpendentibus, videbatur ipſius animus gravius curis attritus, in venis circa cor, ſeu in ipſius cordis ſinubus, atram melancholiam genuiſſe, ſeu intra venas hepatis; ac illorum membrorum corruptionem repente induxiſſe, ac ſubito lethale apparuiſſe ſymptoma. Hoc enim illis accidit, quod Galenus notavit in phrenitico; 3 Epid. Sect. 3. ægrot. 4. non eſſe ſubitam generationis cauſam, lethale tamen ſymptoma ſubito advenire: *Hoc enim*, inquit, *iſtis novimus accidiſſe, quod aſſumpto veneno aliis, aut venenoſo morſu læſis, forte à cane rabido uſu venit. Sed pedetentim in corpore cauſæ, quæ ſunt excitandis hujuſmodi malis, creſcunt: quod morſis uſu venit à rabidis canibus. Nam apertum eſt, quod canis venenum, (licet non otietur:) nullam ſui ipſius notam prodit; ſubito autem morſis, aquæ formido incedit, ac breviter poſtea moriuntur. Longo enim tempore cauſa quæ rabiem efficit, adaugetur, quæ ubi & tandem pervenit, mortem affert repentinam.*

Galen. 3 Epid. Sect. 3. ægrot. 4.

Differentia quarta.

Hæc ad veram dyſenteriam pertinet, quæ per antonomaſiam talis dicitur; dum cruenta excretio abraſionem aut ulcus ſequitur inteſtini: de hac in antecedentibus eſt perfecta notitia, & exacta curatio.

Harum excretionum cujuſque ſingularis CURATIO.

Primæ differentiæ Medela.

Primæ differentiæ curationem illa multitudinis indicatio præſcribit, quæ ſuperfluit ex ſupradictis cauſis; illa enim propellitur ad ventrem, natura potius inutili pondere laceſſita, quam à prava qualitate: licet non repugnet, utrumque commiſceri: quare, ſive excretio nigri, ſplendidi, aut rubentis ſanguinis fiat, conſultiſſimum erit, primum naturæ impetum ſpectare; non tantum ad primam, ſed ad tertiam diem, (in hac differentia ex hypotheſi.) Quod ſi exinde prudenti conjectura videatur, natura onus depoſuiſſe, tunc reſtat prudentiſſimum Galeni conſilium expendere, & judicium perpendere: 9 Meth. 5. *Sin ſequetur neceſſario*, (impedientia ſanguinis miſſionem conſiderat in ſanguinea febre) *vacuatio quæpiam, tantum illi de eo, quod ſuperfluum eſt, relinquendum, quantum eſt per eam vacuandum. Itaque ſi tempore mittendi ſanguinis, menſes moveri contigerit, ſive etiam hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatis fore videbitur, qui ſolus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: ſin minus, tantum ipſe detrahes, quo ex conjunctis ambobus perficiatur quod poſtulas. Veluti autem in his ad ipſam naturalem vacuationem, quæ ſenſu uſurpetur, non leviter attentum eſſe oportet: ita alibi, vel ad naturam ipſam, vel ætatem, vel cœli ſtatum. Sunt enim nonnulli ad exhalandos digerendoſque corporis ſuccos natura propenſi, ut pueri, & qui ſunt in calido & ſicco cœli aut regionis ſtatu, aut raro corporis habitu; aut quibus os ventriculi amara redundat bile, aut imbecillum & ſupra modum ſenſibile eſt.*

Galen. 9 Meth. 5.

Duo Galenus in hoc conſilio expendere mandavit, conferre nempe præſumptam multitudinem, cum evacuatione concitata: quod ſi par videatur vacuatio, ut quod incepit, perficiat natura, eſt ab illa exſpectanda perfectio; nec eſt ideo auxiliis turbanda. Si vero incepit, nec ducitur ad perfectionem vacuatio, tantum arte vacuare oportet, ut ex ambabus omnis anteacta plenitudo videatur depoſita. In hoc tamen docuit etiam compenſandum, quod alias natura inſenſibiliter vacuat, aut reſolvit in pueris & calidis, aut rara corporis textura aut ſenſibili aut debili ventriculo; hæc enim vacuationis etiam vicem gerunt. Sed nec inde omnis ratio dubitandi abſolvitur, utrum ſcilicet ſit exercenda vacuatio per eandem viam, & quo natura vergit, per loca conferentia; an per aliam, licet longe diſtantem, & contrariam? dummodo ſit illa multitudini vacuandæ electa: cui dubitationi reſpondemus; quod ſi ex febre putrida, aut ipſarum venarum plenitudine conſtiterit à venoſo genere ad ventrem, ſive ſanguinis limum ſive fæcem confluere, ex arte erit, per venas brachii illam ſanguinis miſſione vacuare, tanquam ab origine fluxionis revellatur. Si vero aliqua hæmorrhois ſit retenta, ſaltem fluere ſolita, aut menſes mulieribus ſuppreſſi, aut inſtantes, ſeu grave accidens hypochondriacæ melancholiæ æger patiatur, cum foco in meſaræi venis; tunc ſatius erit per venas tali, quod deficit, ſupplere, ducta indicatione non tantum ab ipſa humoris gravitate deorſum inclinante, ſed ab ipſa fluxionis origine, cuius prava ſentina continetur in ramo ſplenetico, cujus ſunt venæ tali proximiores rami; non ita brachiorum: & potior & brevior exinde ſervatur rectitudo: quo brevius & ſecurius pollicetur auxilium; niſi forte alicui videretur per eandem viam & per eandem loca, per quæ natura ducit, medicamento purganti, quod deficit, ſupplere; maxime ſi prava hujus humoris qualitas in irritando prævalet in indicando multitudini: tunc enim potius medicamentum purgans indicatur, ubi maxime, nec febris, nec profuſa natura gravius contraindicat, quoniam tunc æque bene poterit, forte majori ſecuritate, clyſteribus ſuppleri abſtergentibus, & modice vacuantibus; ſi non magna multitudo præſumitur, ut ex hydromelite, oleo communi, catholico, & ſale: aut ex betæ decocto, chamæmeli; fœnugræci, additis rhodomelite, ſaccharo rubro, hiera, aut diaphœnicone; aut ſi tormina vexant, ex ſolo jure avis, ovo integro, & oleo roſato.

Sed illud in hoc caſu maxime prudentiam commendat, nullo modo, nec aliquo prætextu impetum naturæ detinere aliquo adſtringenti, neque intus nec extra: vidimus enim ita in indelebilem maniam ægrotum tranſiiſſe; ſat erit, ventriculum ad extra roborare, oleo omphacino, ſpicæ, & abſinthii cum pulvere corallii; vires ſolido & facili alimento reficere, clyſteribus abſtergere, ac virtutem, ne labatur, tueri; modico vino uti, cum aqua maſticata; & ſi alia poſtea emer-

emergit indicatio, hanc prudens ſolertia adimplere docebit.

Secundæ differentiæ Curatio.

In hac ſecunda ſpecie curandi rationem præſcribit hepatis imbecillitas in ſolo ſanguificandi munere. Hæc elucet in alteratrice facultate, ſeu productiva ſanguinis; hujus debita operatio in temperamenti eumetria conſiſtit, & in modo ſubſtantiæ ipſius inſtrumenti ad operandum apti. Juſtitia temperamenti deficit exceſſu alicujus quatuor primarum qualitatum, ſimplici aut compoſita. Ex hoc etiam ſequitur, quod modus ſubſtantiæ non ſervetur; nam nimia frigiditate dureſcit inſtrumentum, excedente humiditate molleſcit, his etiam complicatis, hæc & illa vitia adaugentur. Hujus læſionis gradus etiam perpenduntur penes incipientem, lapſam, & confirmatam intemperiem; nam incipiente intemperie, facultas, in principio debilis, ſanguinem elaborare incipit, non perficit; ideo dejicitur velut lotura carnis. Illa vero aucta intemperie adaugetur etiam imbecillitas, & tunc variæ ſortes hepaticæ incipiunt; tunc enim chylum valet attrahere, ait Galenus, at ſanguificare præ imbecillitate nequit, quo fit ut coctionis defectu corruptio contingat. Hujus attracti chyli, & ſecundum varias corruptionis ſortes variæ dejectionis ſpecies obſervantur; nam dum adhuc valet alterare alimentum, & ſuam naturam diutiſſime ſervat, tunc ſunt excretiones rubentis & corrupti ſanguinis. Secunda fruſtratæ coctionis eſt ſpecies, cum ſanguinolentus humor per alvum ſecernitur, ſicut lotura carnis, nondum magna debilitate in hepate contracta: aucta vero affectione & imbecillitate, in alterando & concoquendo, jam nullo modo ſanguis, ſed variæ qualitates & compages humorum excernuntur, ut ſolet è ventre etiam cruditate laborante: & hæ indicibilis humoris naturam & ſubſtantiam ſortiuntur; in hoc etiam magna eſt differentia penes illam qualitatem excedentem, ſub qua hepatis imbecillitas contrahitur, calida nempe aut frigida, aut humida.

Quare ſi ex hypotheſi à frigida & humida ſanguinis alteratio fruſtratur, aut minuitur; duplex inde inſurgit indicatio, calefaciendi nempe & deſiccandi illam, quæ à medio exceſſit, intemperiem; & ſecundo laxam viſceris ſubſtantiam roborandi: quæ à membri nobilitate, & communi officio ſumitur indicatio, ut ſanguificandi munus perficiatur: & hoc & illud non valet adimpleri, niſi impetu fluxus ventris exacto; ſic enim, ablatis cruditatis illius impedimentis, lapſa intemperies contraria qualitate alteratur, & viſceris ſubſtantiam roborandi via patet. Ideo alimenta ſint aſſa potius, quam elixa: & ſi his uti placet, ſint etiam aromatibus condita, multæ & facilis ſubſtantiæ. Potus ſit moderatus, qui fere non humectet, ſed tantum alimenti vehiculo: ut ex radice chinæ, aut ligno ſancto, aut ſaſſafrace; ſi non etiam electi cinnamomi: ut cujuſque coquantur ℥ij, in libris ſex aquæ, ad tertias decoctæ: in hoc tamen caſu, ſententiam Rondoletii & laudo & amplector; nihil æque nec majori energia, hepatis ſubſtantiam roborare, nec frigidam & humidam illius intemperiem corrigere, quam recens rhabarbarum: eſt enim pater hepatis frigidi, ut etiam mors calidi; quare ʒj. craſſo modo contuſa, nodulo incluſa in tres libras aquæ infundatur per 12 horas: & de potione hac bibat æger in prandio & cœna, vino albo aut rubro moderate permixta.

Roborat, & temperat, & concoquit, quod adhuc crudum remanet, ſingulo mane ſumere ſyrupi de cortice citri & roſarum an. ℥ß. aquæ auro chalybeatæ ℥ij. olei vitrioli guttulas. ij. ſeu mivæ cinnamomi ʒß. extracti aniſi ʒij. ambræ griſeæ G. iij. aquæ capitum roſarum ℥ij: deinde paſſulæ corinthiacæ in vino adſtringenti macerentur, cum coma abſinthii, & de hac infuſione ℥iij. æger accipiat alternatim & per vices. Et his aut aliis poterit permiſceri rhabarbari extractum, in divitibus ſaltem, ſi illud invenitur; nam potentius naturalem facultatem corroborat, deobſtruit, & temperat, quod per frigiditatem aut humiditatem à medio exceſſit; ut etiam roriſmarini eſſentia extracta chymico artificio: ad vias abſtergendas etiam mirabiliter prodeſt terebinthinæ venetæ ʒß. in jure avis calidiſſimo diſſolvere, etiam aromatibus condito: addito rhabarbari electi in pulvere ℈j. Et hoc non ſemel, ſed per dies ægrotus accipiat.

Quod ſi 12 diebus jam exactis, videatur generationis perennitate multum adhuc humoris ſupereſſe, ſeu in viis communibus, ſeu venis meſenterii; hoc poteſt repurgari rhabarbari diluto, ut ℞. rhabarbari electi ʒj. myrobalanorum citrinorum ʒß. ſpicæ nardi, & aniſi an. ℈ß; infundantur aquæ cichorii & vino albo an. ℥ij. per 12 horas: expreſſioni adde ſyrupi violarum ℥jß. & aromaticetur.

Poſtea vero tibi maximæ curæ erit, jecoris imbecillitatem roborare, & ſanguificandi munus inſtaurare. Hanc indicationem adimplere videntur hæ tabellæ. ℞. jecoris lupi aqua vitæ præparati ℥ij, cinnamomi, cyperi, ſquinanthi an. ʒß. rhabarbari electi uſtulati ʒij. ſantali & corallii rubri an ʒß. & vino aromatibus condito, ſaccharoque clarificato fiant tabellæ ad ʒj. & hanc ſumat æger quovis mane cum vino rubro adſtringente, aut Hippocratico: hæc etiam aqua à claſſico quodam viro commendatur, & nobis videtur maximi uſus eſſe, ſeu mane propinata ad ℥ij. ſeu cibis admixta; ut ℞. jecoris lupi aqua vitæ & ſale præparati ℥iiij. ſanguinis teſtudinis ℥ij. ſantalorum omnium ʒj. pulveris ſquinanthi ʒij. eupatorii viridis conquaſſati. m. j. roſarum, cinnamomi, nardi, caſſiæ ligni, junci odorati, calami aromatici, croci, myrrhæ an. ʒij. unicornu ʒiij. radicis chinæ ſcoſinatæ ℥ij. rhabarbari electi ʒß. paſſularum corinthiacar. ℥vj. theriacæ magnæ, mithridatii, confect. alchermes aqua vitæ liquatorum an. ʒß. therebinthinæ venetæ ℥iiij. mellis & ſacchari an. ℥vj. vini albi & rubri odoriferi, & aquæ eupatorii an. ℔.iij. madeſcant omnia per 3 dies & poſtea per balneum mariæ inſtillentur: de hac æger ſumat ad ℥iiij. quotidie, & quidem per 20 dies.

Ventriculi imbecillitatem roborabis, ſi rhabarbarum frequenter maſtices, & aliquando maſtichem, ac ſalivam horum altero infectam deglutias. Sed inter omnia, nihil mirabilius videtur hanc indicationem adimplere, quam illius potionis uſus, quæ vulgo apud noſtros dicitur choco-

chocolate; nam hujus potionis ingredientia maxime huic intentioni proficua videntur; quoniam præsentanee roborat, vires reficit, spiritus instaurat, ac reddit robustissimos, sanguinem purificat, superfluam humiditatem conterit virtute aromatica, omnem principem roborat facultatem nova spirituum regeneratione; quod crudum superest, concoquit, sanguinis distributioni conducit, nativum calorem fovet: &, ut arboris vitæ poma, producit senectutem & vitam. Et si aliquibus accidat ventrem solvi, ut plerique testantur, tum tabellæ de chocolate dissolvantur in aqua portulacæ, plantaginis, aut capitum rosarum; &, si grana 4. addantur ambræ griseæ, mirabilis erit usus. Hanc, ultimo, implent intentionem clysteres ex vino absinthite, succo rosarum, an. ℥iij. & ʒj. pulveris diarrhodonis; nam & flatus resolvunt & corroborant.

Neque minori solertia jecur ad extra oportet roborare; etiam corroboratione ventriculi præmissa: quare decocto selectissimo vino, absinthio, cypero, squinantho, rosarum capitibus & ebuli foliis bis hepar de die foveatur, ac pariter postea hoc unguento. ℞. olei spicæ, absinthii an. ℥ij. capparum ℥j. succi ebuli, & absinthii an. ℥ß. vini malvatici aut Hippocratici ℥j. ferveant ad succi consumptionem: & in fine adde pulveris asari, cyperi, squinanthi, cinnamomi, & diamusci an. ℈j. ceræ citrinæ parum, ut fiat unguentum: vel ℞. olei hepatis gallinæ, & vitelli ovorum an. ℥j. spicæ nardi, squinanthi, asari, an. ʒß. bdellii, & styracis an. ʒij. therebinthinæ venetæ ʒjß. vini malvatici parum; & cum cera fiat unguentum in causa, quæ declinat ad calidam.

Curatio in tertia specie Nigræ excretionis.

Sive hæc incipiat à frigida jecoris intemperie, aut distributionis defectu, aut humoris cohibiti putredine, in calidam vertatur; seu sola ustione nigra illa reddantur excrementa; aut vasorum etiam impuritate sanguinis distributio præpediatur, seu ex obstructione recenti vel antiqua, duplex insurgit curandi indicatio: alia vacuandi jam cumulatos succos, seu exustos, sive corruptione defœdatos: ii enim aut obstruunt, aut amplius intemperant, foventque obstructiones: alia attemperandi qualitatis excessum, ut nobilis inde visceris redintegratio comparetur, sanguificatione in melius mutata.

Ut ergo prima indicatio impleatur, humores qui supersunt (si calidi) oportet saltem attemperare, ut cedant naturæ magisterio: si crassi, attenuare, si acres, oblinire, ne naturam stimulent, cum veræ dysenteriæ evidenti periculo. Hoc alia auxilia ex accidenti operantur, & alia per se: calidis enim & acribus vacuatis humoribus ex accidenti temperantur qui restant; & lapsa hepatis intemperies defectu conservantis: ideo potissimum auxilium nobis, sanguinem mittere, in hoc casu videtur, ubi cum illo qualitatis excessu prævalet aliqua ratio multitudinis, ut postea probabimus: ex brachiorum venis, ex salvatella postea, si id petit necessitas, maxime sanguinis distributio, ne præpedita, aut in calida hepatis aut lienis intemperie; per se ut contraria auxilia operantur, cum attemperatione paregorica, sive oblenientia; & sic incipies hanc indicationem adimplere syrupo rosarum & violarum cum aqua portulacæ, aut condito ex omphacio, aut scorzoneræ, cum cichorii aqua, aut buglossæ. Quod si, domita feritate, purgare sit consilium; hoc facies syrupo de filicula, & persico, aut regio & ad ℥iiij. cum florum cordialium decocto; aut hoc solo diluto. ℞. rhabarbari electi ʒj. foliorum senæ ʒij. anisi & spicæ an. ℈ß. comarum absinthii n. ij. infundantur in aquæ portulacæ ℥vj. per 12 horas, & forti expressioni adde, syrupi violarum ℥jß. & aromatizetur; & si adhuc amplius repurgare illa petit necessitas, hoc fiet apocimatis Fernelii ℥iiij. semel aut bis, prout prudenti consilio videtur; usque dum ab spurcitia pravi illius sanguinis vasa hepatis liberata consideres.

Paucis fere mutatis, hæc eadem oportet operari, ubi hepatis aut lienis obstructio huic affectioni causam præstat, additis tantum quæ leviter aperiant, ut syrupus sychorii & bisantini sine aceto: & in his humore primæ regionis expurgato, poteris etiam repurgare, terebinthina veneta, ad ʒß. in jure avis calido dissoluta cum pulvere rhabarbari: aut parata in morsulis cum pulvere spicæ, & rhabarbari; huic affectioni dum jam inveterascit, prodesse balnea sulfurea comperio, & est secundum rationem, cum aperiat, tenuet & resolvat.

Postea superfluitate vacuata, attemperandi & roborandi fluxionis originem sequitur indicatio, ut generationis perennitas præpediatur: quare si fuerit hepatis imbecillitas & calida intemperie contracta, & nondum valde lapsa; hoc decocto, fotus fiat in universa hepatis regione. ℞. aquæ masticatæ & vini rubri an. ℔.j. radicis ebuli, iridis florentinæ, absinthii, menthæ, rosarum & violarum, cyperi, squinanthi an. p. ß. ferveat ad medias, & fotu jam exacto, hoc unguento etiam liniatur. ℞. unguenti rosati ℥j. olei absynthii, spicæ, omphacini, caparorum an. ʒß. pulveris santalorum omnium, ligno aloes an. ʒß. & cum cera f. unguentum quo bis in die illa hepatis regio inungatur; ad intus viscus nobile, & ventriculus debilis roboretur, sequentibus tabellis, ℞. pulveris diarrhodon ʒß. ligno aloes ʒij. rhabarbari electi & mirabalanorum, citrinorum an. ʒj. sacchari rosati antiqui ʒß. & cum saccharo aqua rosata dissoluto, & tragacantho, fiant tabellæ; ponderis ʒj. & potest addi ambaris grisii & moschi an. g. iiij. ne hanc accipiat, cum vino adstringenti, non valde generoso; vel ℞. vini rubri ℔.j. absinthii, & eupatorii viridis an. p. ß. infundantur per 12 horas & colaturæ adde extracti rorismarini; aut coralli ʒij. & ℥ij, sumat ante cœnam & prandium; & pro communi potu sit aqua inaurata, candenti auri frustulo; sin minus, masticata; & inter hæc auxilia roboretur ventriculus, emplastro diaphinicone Alexandri, aut masticis, aut de cortice panis; ne fluxus perennitate & inedia ventriculi virtus dissolvatur.

At si, jecoris extremis venarum propaginibus obstructis, sanguinis distributio denegetur: seu, obstructo liene, quod melancholiæ superest non attrahatur, aperientia adaugere oportet, intus & extra; hoc enim indicat hæc affectus conditio, ut syrupo eupatorii bisantini, endiviæ, de duabus radicibus in aqua scorzoneræ aut sichorii dissolutis; ac postea eisdem auxiliis purgabis, & repurgare

gare poteris, prout antea diximus. in hoc affectu quoddam auxilium nolui, absque veritatis examine, dimittere, quod aliqui viri docti consuluerunt; in rebelli nempe jecoris aut lienis obstructione, aut indurato scirrho, super hujus aut illius regionem pro topico evacuante, affigere setonem, ut expiret quod illis de succi spurcitia continetur: ut postea obstructio facilius curetur; de hepate mihi semper dubitare contingit, ne nobile sanguificandi munus, auxilii violentia, fluxus perennitate in communi officio dissolvatur; præterquam quod impactus & induratus humor non attrahitur, seu tenuis & ad fluendum aptus; hæc tamen in liene timere par non est; non est enim illius officium æque nobile; quare loco hujus auxilii, cum necessitas instat, hyrudines semel aut bis super obstructum viscus affigere curarem: aut scarificatam cucurbitulam, ut exspiret quod illius tractioni impedimento est; ac postea si illud empyreuma jam deferbuit, & solus limus sanguinis superest, aut crassum melancholiæ; his pilulis vice alternata uti consulerem. ℞. theriacæ magnæ & mithridati; an. ℨj ß. pulveris aromatici rosati, & ligno aloes. an. ʒß. rhabarbari electi ℈ij. & cum miva cinnamomi fiant pilulæ; & quatuor singula die sumat; pro illa crassitie tenuanda; & forte conterenda.

Si tandem ab atra aut usta melancholia, illa nigra dejectio concitetur; hanc Hippocrates, ut lethalem, condemnat, si in morbi principio concitetur. 4 Aph. 22. quia tunc nihil naturæ ratione excernitur: sed sunt casus earum, quæ præter naturam sunt, in corpore dispositionum; ergo hic adest non tantum pravus humor, sed prava illius membri dispositio, ex qua talis humor generatur; prava dispositio contraria qualitate medetur: pravus humor sola expulsione; in hoc tamen considera, an in illo prævaleat qualitatis excessus: an sola multitudinis ratio: & ex quo celerius periculum minatur; nam si major est ex parte qualitatis urgentia, prævalet attemperandi indicatio: & nulla vacuatio postulatur: excepto ubi multitudo & qualitas simul, in perniciem mutuas tradunt operas, nam tunc in utroque auxilio periclitari compellit urgentiæ necessitas: sed prius in evacuatione, ut attemperationi detur locus; &, si valent à simili exempla, ab atra bile ferventi fit carbunculus, & in hujus humoris apparatu, Galenus 14 Meth. 10. *Ab incisa vena vacuando nos docuit incipere: nec illud obscurum*, inquit, *vacuationem, quæ ad animi defectum, usque sit adhibita, magis his etiam collaturam*; en humor, ubi æque prævalet qualitatis excessus, ac sola multitudinis ratio & æquali periculo; ubi à vacuatione, non attemperatione Galenus nos docuit incipere; clarius 9 Meth. 5. ubi indicationes docuit adimplere: in utroque auxilio auxiliandi rationem deputavit, in ardentibus febribus sub eodem extremo, multitudinis nempe & qualitatis; *Maxima vero*, inquit, *continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida*: nam quando pariter necessitas attemperandi instat, & vacuandi urgentia compellit, si vires non deficiunt, aut cruditas retardat, prius ferventem humorem oportet vacuare; & ut attemperetur, saltem ex accidenti, quod intra corpus manet, & ut securior attemperantibus via pateat.

Galen. 14 Meth. 10.

Idem, 9 Meth. 5.

Ergo roborato ventriculo, oleo omphacino, de cucurbita cum omphacii succo, & pulvere corali & rosarum; & jure avis aut hepate gallinæ præassumpto, cum succo limonum & pulvere crystalli præparati; fiat sanguinis missio ex brachio dextro, & basilica (est enim in hepate hæc prava dispositio) secundo ex sinistra, sed semper moderate; tertio ex salvatella, si etiamnum instet vacuandi necessitas, & ad ℥iiij. & si adhuc ex arte videatur revellere, hoc fiat scarificatis cucurbitulis, brachiis aut spatulis affixis; si vero derivare, hyrudinibus hœmorrhoidibus affixis; ac postea de hac potione accipiat ad libitum. ℞. aquarum cordialium ℔. j. succi omphacii aut limonum ℥ij. confect. jacinthorum ʒj. crystalli præparati ʒß. &, si videatur, nive refrigeretur. hoc enim auxilium, manifesta & occulta qualitate, contra deterrimam succi conditionem operatur, consiliatoris viri docti sententia; quod idem arbitror faciendum in æruginoso & porraceo succo; si hæc aut alia mala concitaverit: ad extra super hepar epithema impones, ex succo endiviæ & omphacii cum aceto rosato; & ex aquis cordialibus cum pulvere diamargaritonis frigidi supra cor; dummodo madidum linteum non sinas incalescere, sed mutetur frequenter; & in magna somni necessitate, nocte ad dormiendum, poteris propinare, ℥ß. de syrupo papaveris in aqua portulacæ aut lactucæ, & ad ℥iij. inter hæc etiam clysteres imperare oportet, eluentes, & attemperantes, ex hordei cremore, sero aut lacte chalybeato, ℔ß. ovo integro & saccharo; aut ex muscilagine psyllii, & cydoniorum, aqua portulacæ & plantaginis extracta, & ad ℔ß. ovo & saccharo, & in extrema somni necessitate addita ʒj. michletæ aut philonii. & si plura desideras, elige ex capite de fluxu colliquante quæ ab hoc affectu videntur indicata.

Æque magnum est temperans auxilium, ut vacuans, & æque in illo æqualitas servatur, si ex arte deducitur; ideo ad attemperandum non tantum in potione est servanda æqualitas, sed in frigiditate; quo fit ut in hoc casu, sit pro communi potu, aqua nive refrigerata, non ita parce sumpta, sed manu liberali, ne ægrum conficias retorrido marasmo: & omnes aliæ potiones ex medicatis aquis etiam nive refrigerentur, usque dum tam magnus videatur attemperatus fervor illius dispositionis, quæ tam gravi malo causam dedit, licet postea obstructionem pariant, & affectum reddant insuperabilem: is enim postea saltem in tempore medetur.

Dicam quod in hoc casu etiam observavi; avuncula quædam nostra, matrona satis publico satisque noto genere, nobilitate clara, quartanam ex usta melancholia patiebatur; in quarta accessione migravit in continuam, cum vomitu bilis æruginosæ, impermixtæ & frequenti dejectione, & crocea & atra, cum sanguinis ramento, torminibus ventris & anxio alismo, ita ut sexta die à continua febre tabida videretur: & absque ulla quiete mutationibus ut remediis uteretur: ac variis auxiliis sine fructu tentatis, casu animadvertit qui lac biberet; quod & ipsa concupivit: nam quarta erat exacta dies, ex qua neque cibi quicquam, neque potus retinuerit, quin omnia vomitu rejecerit; offertur ipsi lactis cocti hau-

ſtus ad craſſitudinem: & bibit fere ad libram ſemis, quod optime retinuit: ex quo omnia miteſcere cœperunt accidentia: vomitus conquievit, nec à ventre dejecit: quo incepit non tantum retinere alimenta, ſed appetere melius; inde etiam habitus redintegrari cœpit, ab imminente tabe; & paucis poſt diebus lactis unico uſu, divino beneficio ad priſtinam ſanitatem verſa eſt.

Ultima cauſa reſtat, (aucta affectione) ſi à calida intemperie valde lapſa, extincto vivifico calore, radicali humido diſſipato, ſanguificatio fruſtratur; quid inde ſpei reſtat? ſi ventris excretiones, ſecundum uſtionis gradus, variæ & diverſæ concitentur; ex his nullum ſanatum vidi; quoniam à privatione ad habitum non datur regreſſus; & talis morbi ſtatus ab Hippocrate & Galeno fatalis æſtimatur, 4 Aph. 23. *Nam quibuſcunque*, inquit, *ex acuto morbo, extenuatis nigra bilis ſeu uti ſanguis niger, ſubter exierit, poſtridie moriuntur*; *eſt enim in talibus*, inquit Galenus, *natura adeo imbecillis, ut nec coquere, nec diſcernere, nec retinere valeat*, &c. Utcunque tamen ſit, ne videatur caſus auxilio deſertus: in hoc radicalis humidi, & nativi caloris redintegratio eſt potiſſima & prima indicatio; & ſecunda, principes facultates collabentes reficere hepatis & ventriculi maxime roborantibus; illud tamen Galenus 8. ſec. Loc. 7. voluit, neque ſumme frigidis in calida intemperie derelicta neque impenſe calidis in frigida à caloris defectu, exequendum; ne his membris nobilibus, puſillus ille calor exolvatur, extinguatur in iſtis; quare temperatis tantum reſtat utendum, pro attemperatione, aut roboratione; non eſt enim in hoc caſu, ullus vacuantium uſus; & ideo in calida hepatis intemperie uteris ſyrupis incraſſantibus, ut roſato, portulacæ, cydoniorum, & ſimilibus, conditis maxime omphacino: in hoc enim condito, ſaccharo & ſucco frigiditas miteſcit, obtunditur acredo; manet corroboratio; epithemata in hepate & corde erunt maximi uſus; pro hepate uteris ſucco endiviæ aut omphacii & portulacæ an. ℥j. aceti roſati ℥ß. pulveris ſantalorum ʒß. vel ♃. ſeri lactis ℔ß. ſucci roſarum ℥j. pulveris diamargaritonis frigidi ʒß. & frequenter madidum linteum innovetur: ne recaleſcat amplius; pro corde etiam aquis cordialibus uti licet, cum diamargaritone & diamuſco, & ſuper ventriculum imponatur frequenter, & per vices, pullus columborum per medium diſſectus, & recenti calore cum pulvere corali & roſarum: ac tribus horis exactis alius imponatur; in magna imbecillitate clyſterium uſum fere nunquam prodeſſe vidi, ſeu, quia ipſi laxent, laxatas facultates, ſeu quia virtute exoluta nequeant retineri; ſi tamen videantur ullius uſus eſſe; parentur, ex lacte chalybeato, & ex ſucco plantaginis an. ℔.ß. in quibus infundantur ſacchari roſati ℥ij. & forti expreſſioni adde, ovum integrum, & ſyrupi myrtilorum ℥jß. ſeu fiat juſculum aut pulli aut gallinæ, decoctum cum fruſtulis cydonii, meſpilis, aut omphacio, de quo ℔ß. accipies, ovum, & ʒj. de terra ſigillata; & ſi horum membrorum jam deferbuit calor, ſint clyſteres ex vino adſtringenti, ovi candido, & ſyrupo roſato, aut myrtilorum; & in magna ſomni neceſſitate addita de micletæ ℥ß.

Hipp. 4 Aph. 23. Galen.

Illa tamen omnem aliam ſuperat, quæ à viribus reficiendis ſumitur, indicatio; & attende ne puſillus ille calor, medicamentorum congerie, aut ciborum multitudine obruatur; ideo parum & ſæpe, quam ſemel & multum, præſtat cibum offerre, quantumvis exolutione & ſyncope corripi videantur; ideo ad celerem alimoniam, & ut alteratrix facultas minus in conficiendo alimento patiatur, utiliora erunt, jurulenta expreſſa ex carnibus aſſatis perdicum, caponum, arietis aut vituli: aut ſtillatii ſiceres ex eiſdemmet carnibus, additis in diſtillando quæ cor & hepar roborant, & quæ violentæ reſolutioni valent obſiſtere, ut pulveres omnes cordiales diamargaritonis, diarrhodon, de cortice citri & ſantalorum omniū: addito in cibis pulvere lapidis bezoar orientalis, ſive margaritarum; & diſtillationes & coctiones fiant, cum fruſtulis cydonii, & cum acido citri, limonum, & omphacii; cujus etiam conditū roborat, reſolutioni ſpirituum obſiſtit; ſaccharo roſato uti poſſumus cum pulvere trochiſcorum de charabe, de ſpodio, de terra ſigillata; aut perlarum; additis margaritis optime præparatis, & in omnibus addantur auri folia; in cibo & in potu: ſi valent potionem accipere, fit ex ſyrupo roſarum ſiccarum, portulacæ, aut ex hordei ſyrupo, cum ſimilibus aquis: omnia laxantia intus & extra in hoc caſu à Galeno damnantur, 11 Meth. 16; ac ex eodem principio purgantia maxime noxia ſemper exiſtimavi; nam ventre nimis profuſo, retentiva facultas viarum laxitate continere non valet; & quæ tunc magis urget indicatio, eſt vitalis & à viarum laxitate adſtrictio: à membrorum nobilium atonia, roboratio; ideo à dextra pro ventriculo erit, miva cydoniorum inſpiſſata cum pulvere roſarum maſticis & corali: ſtuppis carminatis ſuprapoſitis; hepar etiam roborat, unguentum ſantalinum & roſatum, oleo cydoniorum & abſinthii mixto, & ſantalorum pulvere; diſſolutis in omphacii ſucco; aut aceto roſato, ſeu linteo illis madido ſuprapoſito, huic etiam facit intentioni, per os dare ſeri chalybeati ℥iiij. ſacchari albi parum; & ſi venter non amplius ſolvatur, hoc ſit per plures dies, tabella manus Chriſti præaſſumpta; ſin minus, de lacte ad tertias decocto; aquæ capitum roſarum tertia parte addita, vel communi, Ætii conſilio: aut mulieris, aut capræ recens mulſum; ſeu lapidibus ignitis chalybeato, ex Gal. ſententia, 10 Simpl. Med. Facult. 8. & ſi vires deficiant, parum vini nigri adſtringentis, in cibo & in cœna propinare illa petit neceſſitas, & virium diſpendium, cum aqua auro ignito chalybeato; narcotica in hoc caſu, timori potius quam utilitati fore, exiſtimamus, ob virium diſpendium, quod nos Galenus etiam docuit præcavere; corali extractum ſi poſſit inveniri, erit maximi uſus, in omni potione & in cibo; nam roborat, temperat, & inſtaurat ſpiritus.

APPENDIX

Hujus fluxus hepatici.

Tota hujus fluxus cognitio pendet ex illa differentia diarrhœæ, ab hepatico fluxu, ſi poteſt aſſignari, & in praxi dignoſci; pro hujus tamen & illius differentia, altam philoſophiam perpende: ſanguificam hepatis facultatem, ſive altera-

alteratricem, non in sola temperamenti mutatione primarum qualitatum consistere; est enim facultas à temperamento distincta: sed in debita humidi primigenii proportione, unitate continua, & recta partium positione; nam sola intemperies, dum nativum temperamentum evertit, cogit alteratricem, plus de humore sibi consociali producere, quasi symbolica ratione; veluti calida bilem, & frigida pituitosum sanguinem, quia patibilia ad hanc formam disponit; si vero eo illa intemperies perveniat, ut humidum radicale minuat, vitiet, aut corrumpat, tunc facultas loco naturalis & gentilitii humoris sibi consocialis, alios producit vitiosos, seu deminute, sive alio vitio conspurcatos: & hoc, prout intemperies incipientem, aut progressam affectionem producit, in radicali humido & vivifico nectare; seu, prout illud vitiat, obruit, aut depascitur; nam tunc effectus illius facultatis sanguificæ, erit non tantum intemperati hepatis, sed debilis, aut omnino depravatæ facultatis, unde talis productus humor, erit soboles hepatici affectus; qui semper debilitatem arguit, in hoc viscere nobili & illius officio communi; & hos tantum Galenus hepaticos vocavit.

Patet hæc philosophia; nam facultas consistit in parte seminali, cui insita est, cujus etiam virtute generantur spiritus, præcipuum illius instrumentum; & licet nulla esset spiritus naturalis ambitio, aut necessitas, ut dubitat Galenus; est saltem sedes animæ humidum radicale, cujus medio suas edere operationes nemo dubitat; ergo aliud est virtus, aliud temperamentum; nam dum innatus calor viget, & spiritus insitus, robur viget illius facultatis, quæ sita est in illo; quando autem corrumpitur, seu ex aliquo principio minuitur, redditur facultas imbecillior, saltem illius actio depravatur; sint tibi exempla & juvenes & senes; nam ex hoc solo principio, in illis omnis viget facultas; in istis deficit aut minuitur; hoc confirmatur ultimo, quod bene potest esse in hepate inflammatio, & valida & recens intemperies, absque ulla hepatica debilitate.

Hæc pariter comparatur imbecillitas in hepate, ab intemperie aut calida aut frigida, valde lapsa, à calido aut frigido humore, dum hæc aut illa humidum radicale minuit aut depascitur; inde hepatis alteratrix sanguifica in opere fatiscit, & succum, quem generat, corrumpit; hoc tibi monstrabunt excrementa; nam si frigida prævalet intemperies, erunt sicut lotura carnis, aut sanguinis rubentis & corrupti: ad quod etiam adjuvat ventriculi debilitas; nam quæ ex illo exeunt inconfecta, corrigi ab hepate imbecillo non valent. si vero calida, dum humidum radicale depascitur, hujus imbecillitatis est occasio: & quæ elaborantur imperfecte, à calore extraneo humida cum sint, facillime putrescunt, & ideo varii colores & compages excernuntur, pro materiæ putrescibilis sorte, & corruptionis aut putredinis gradu; idem accidit, si imbecillitati complicatur obstructio in venis aut hepatis substantia, corrumpitur enim diu retentus humor, & egeruntur, non unius sed varii colores, pro corruptionis & materiæ sorte; in quam degeneravit; & in hoc casu, neque sunt continuæ dejectiones, nec frequentes, sed per intervalla duobus aut tribus diebus, quiescentes, & revertentes postea sine causa; seu, quia in intestinis paulatim congeruntur excrementa in diebus quietis, quæ cedunt postea cumulata in irritationem, aut onus expultricis, quæ tandiu expellendo persistit, quoad onus deponat, & postea quiescit.

Quod si amplius calidum innatum corrumpatur, in radicali humido, & exurens caliditas prævaleat, inde excrementa in peregrinam qualitatem mutantur; secundum cruditatem quæ corrumpitur: unde alia fiunt flava, pallida, crocea, vitellina, cærulea, viridia, aut nigra; quod si inde transeat, ad colliquationem, non erunt excrementa naturalis humoris, sed si fiant ex humore liquato, erunt illius coloris & substantiæ humoris, qui liquatur, semper graveolentia, ob intensam putredinem, si est pinguedinis, aut carnis colliquatio, erunt crassa, rufa, oleosa, & pinguia, & tetrum carnis corruptæ odorem æmulantia; & hinc differentia innotescit dissectionis, quæ est vere hepatica ab illa, quam sola diarrhœa concitavit; nam in hac fere semper, eadem & similia, eodem & pluribus diebus excernuntur, illius nempe humoris quem lapsa producit intemperies; veluti si ex hypothesi, sit calida, & plus de humore bilioso producat, erunt excretiones mere biliosæ, flavæ, croceæ, pro ustionis gradu; si frigida laboret, aut in debili ventriculo cruditas cumuletur, erunt pituitosæ, crudæ; si frigida, & sicca, aut humida fortasse, ut plus limosi sanguinis producatur, seu melancholiæ supersit multitudo: & cum hoc lien debile aut obstructum, illius supervacuum non expurget, erunt tales excretiones melancholicæ, nigræ, veluti sanguis niger, aut limosus; & in hoc casu, fere semper sunt unius compagis & coloris; nempe biliosæ, pituitosæ, crudæ, aut melancholicæ, nigræ, quia sunt illius humoris naturalis: at vero in hepatica, eodem & alternis diebus colores & compages permutantur; nam eodem die solent excerni cruda, liquida, flava, crocea, viridia, aut nigra, cærulea aut permixta, pro putredinis, aut ustionis gradu; defectu aut excessu caloris, seu pro cruditatis sorte, aut materiæ etiam putrescentis; hæc sunt ad literam ex Galeni doctrina 8 secundum Locos 6. hæcque nos etiam in praxi observavimus.

OBSERVATIO.

De colera, morbo.

Rei novitas & affectus urgentia, occasionem dedit, ut nos accurrendo vocitarent ad Didacum de Modina Soquero, juratum Hispalensem S. Inquisitionis ministrum, die 8 mensis Julii anno 1643. hunc inveni exhaustum, profusa supra modum evacuatione, superius per vomitum, inferius per secessum, ut vix credibilem quantitatem biliosi succi, & alterius crudi putridi, mille modis fœdati, cumulate & affatim dejiceret; quorum causam præcessisse accepimus, copiam incocti & pravi alimenti, pedum nempe, & intestinorum, vetulæ juvenculæ: est etiam temperatura & constitutione biliosus, in cibo & in potu parum cautus, imo & interdum voracissimus, neque in potu vini & aquæ parcus: amplo & lato ventre; sed inde major excretionis quantitas,

titas, quam erat ingesti alimenti; nam processerunt excretiones ad 120; permulti etiam interpolati vomitus, humoris biliosi, æruginosi, corrupti, mille modis fœdati, & interdum qui nullius humoris naturam sapiebat, (proprium cruditatis corruptæ in peregrinam qualitatem transmutari, ut fuit mens Galeni 8 secund. Locos 6.) omnium facultatum erat extremus languor, cum vitalis maxime facultatis asphigia & pulsu formicanti; abolita fere appetentia: animali facultate ad summum debilitatis acta; cum tremore & motibus interpolate convulsivis, nervis surarum, retractis, & dolore convulsis, cum frigido sudore corpus jam pene exolutum videbatur, ut prava diaphoresi, brevi periturum sperares.

CURATIO.

Recens omnium facultatum exolutio erat spirituum exolutionis consectaria: ideo prima indicatio videbatur vitalis, perditis nempe viribus instaurandis, quas intra breve tempus perituras sperabamus; ideo jusculo saginatæ pullæ, parum vini nigri admixto, & bis cocto vino nigro imbuto, stomachum roborare decrevimus statim; quem illinire fecimus (impetu jam exacto) miva cydoniorum ad ignem inspicata, cum pulvere coralli, masticis & rosarum; postea duabus actis horis ad frænandam humoris acrimoniam; de hoc potu uncias tres accepit; ℞. syrupi violarum & de muscilaginibus an. ℥jß. aquæ portulacæ & plantaginis an. ℥iij. crystalli præparati ʒß. postea in eadem potione addi fecimus confect. jacynth. ʒj. pro vitalis facultatis corroboratione: sed cum adhuc vomendi importuna contentio instaret, vomitum leniter prolicere curavimus, ℥vj. aqua boraginis tepida cum ℥j. syrupi violarum; nam vomitu amplius luctabatur; clysterem postea imperavimus pro torminibus ventris ex jure avis ad ℔ß. olei amygdalarum dulcium ℥ij. ovi luteo & sacchari albi ℥j. & in sequenti nocte, clysterem accepit, ex hordei decocto ovo integro & saccharo: & cum anxia perturbatio non cessaret, & ad vomitum prona, de jure pulli accepit fere ad ℔ß. cum saccharo, & copiose vomuit: quo aliquantisper conquievit, & cœnavit de pectore gallinæ asso, & paululum dormivit; & inde die sequenti viscera, valde labefactata roboranda curavimus emplastro de mica panis tosta, cum vino rubro, & pulvere coralli; masticis, cinnamomi: iterato postea emplastro dactylorum Alexandri: & de hac potione paululum adsumebat; ℞. syrup. rosarum siccarum ℥j. aquæ portulacæ & plantaginis an. ℥ij. confectionis jacinthorum ʒj. crystalli præparati ʒß. postea hora exacta bis coctum vino rubro intinctum: quibus vires resipiscere moderate cœperunt; & nobis etiam placuit cessare ab auxiliis; solo cibo & cœna; nam tempora quiescendi dignoscere est artis excellentia superior; ne natura, quæ respirare optat, improbo labore delassata, auxiliorum congerie obruatur.

Die sequenti de gelatina cydoniorum parum accipiebat, & jus glaciatum pullæ contusæ ad meridiem; quoniam nihil aliud poterat deglutire: postea alio levi cibo ad quatuor horas iterato, cum bene lymphato vino; inde vomitus & ventris perturbatio mitescere cœperunt: extrema etiam recalescere (fidelius redintegrationis argumentum) sed remansit febricula cum linguæ arida siccitate, & faciei & capitis rubore & calore; & ab hinc pulsus inceperunt à fatali asphigia emergere, & aliquantisper clarius elucescere, animalis facultas reviviscere, & algida membra calefieri, pannis, cinnamomo, & mastice calefactis, & frequenter admotis; quo incæpit sistere diaphoresis, & sudor detineri.

Hæc intra secundam diem acta sunt; in tertia parum de illa potione cordiali accipit; roboratur ventriculus: attemperatur hepar; aliter moderate cibis, nobilis & facilis substantiæ, & lymphato & moderato vino: retracta membra à principio oleo amygdalorum dulcium, & de semine lini, moderate tractantur, clysterem illa nocte accepit, quia detentus venter, ex jure oleo rosato, & saccharo parum salis admixto; in 4 febris erat, & major moderata, cum flava & intensa urina; quo sanguinem moderate mitti jussimus ex bracchio, ac parum de aquis cordialibus accipere, antea roborato ventriculo; in 5 sanguinis missione iterata ex brachio sinistro, in integrum divino beneficio convaluit.

De urinæ suppreßione alta, obstructis emulgentibus.

Hanc plures vidi suppressionem pati: nullum sanatum vidi: iis obstructis viis & venis obseratis; ureteribus tamen & renum cavitatibus obstructis, suppressionem sæpius observavi, & divino auxilio curavi; & urina ad diem 13 suppressa, ægrotum vidimus liberatum, medicum nempe Carmonensem, jam quinquagenarium, nomine *Antonio de Gama* anno 1635. permultis postea lapidibus expulsis, muco & pituita obductis, nihil omnino patiente vesica, sed vacua absque ullo dolore, nec in tota perinæi regione: ad ilia & renes dolor comitabatur; sed in balneo emolliente positus (exquisite causa antecedente vacuata, clysteribus sanguinis missione ex talo & emolliente purgatione) duo grana cantaridum accepit, aqua malvarum infusa, & cum tota substantia cum pulvere ameos & seminis fœniculi; quo non contemnendam urinæ copiam emittere incepit, crudam, non corruptam, nec olidam usque ad libras quatuor: & cum illa lapidibus expulsis levabatur: huic expulsioni præcesserunt, fluxus ventris, serosæ humiditatis soboles, vomitus biliosi, importunus singultus, cum deploratis signis. hæc acciderunt à tertia ad 13 suppressionis diem. *Historia.*

Ab Hippocrate, & Galeno usque ad nostra tempora suppressiones vesica patiente plerique observarunt; obstructis renibus & ureteribus non pauci; Marcellus Donatus, & Mercatus, ab imbecilla renum facultate expellente, suppressionem se vidisse testantur, quod paulatim accidisse noverunt; sed urina repente suppressa, vesica non patiente absque ullo dolore, in tota perinæi regione, sed obstructis emulgentibus, quæ tendunt à cava descendente ad renes, nostris temporibus observarunt Salius & Mercatus; historias etiam retulerunt de hoc ipso affectu, Jacobus Carpo, aliam Jacotius: Georgius Transterus; aliam & Jacobus Æteus.

Nos

Nos etiam Hispali & Betica provincia, non paucos vidimus sub hac obstructione periisse; & tam frequenter his temporibus accidisse comperimus, ut nullus fere sit, primæ notæ, ne dicam Medicus, sed Chirurgus, qui hanc semel saltem, non viderit; & Tiberius Damianus, (vir certe in hac arte excellens) nobiscum, & aliis Doctoribus Hispalensibus multis præfuit.

Affectus est obstructio, morbus nempe in via, qui ad depravatam compositionem reducitur. pars affecta sunt venæ emulgentes, quæ à trunco renali oriuntur; & quod ad renes ferantur, tales dictæ, quod eo serosum humorem prolectent renes: & quando transitus hujus serosi humoris præpeditur, fit symptoma illud in retentis: suppressa nempe serosa sanguinis & aliorum humorum humiditate, vi hepatis & venarum producta, & in sanguinis depurationem à renibus attracta.

Causa hujus obstructionis, crassus & lentus humor est; ut plurimum de pituitæ sortibus & cruditatum cumulata congerie: & in mea sententia, à melancholico succo fieri non repugnat; fit & ex grumo sanguinis, ruptis aut laceratis venis, ictu, percussione, aut casu; interdum sese natura, sanguinem per has venas expurgare conante, aliquando autem pure, dum sese natura abscessu expurgat.

Pars affecta, ut dixi, sunt venæ emulgentes, ambæ scilicet; nam unica obstructa potest illa serositas expurgari per aliam: positus harum venarum est in ipsa vena cava descendenti, non multum ab egressu illius; nam mox in parte dextra altior ramus implantatur, in renem dextrum; depressior in sinistro, ut si quid serosi humoris in exitu elabatur à dextro, refluat ad sinistrum; uterque ramus est magnæ & conspicuæ latitudinis, & capax recipiendi adhuc humoris multitudinem, crassæ & latæ substantiæ, & uterque in utriusque renis cavitatem terminatur; ut quidquid renes attrahant de humore seroso aut bilioso, per ipsa deducatur; ut exinde per ureteres ad vesicam etiam expellatur.

Signa sunt, urinam repente supprimi, absque ullo mejendi desiderio: vacua & non dolente vesica, & absque ullo renum, ureterumve, dolore; à quarta die pondus in tota renum regione & ossis sacri persentire incipiunt, urinam tamen emittere non appetunt; inde incipit difficilis spiritus, veluti anhelantium, & oculorum palpebræ inflari: & corpus veluti cachectico apparatu, intumescit, (cibi & potus serosa humiditate in venas refluente) quo nativus calor extinctionis periculo laborat; nam causa conjuncta & antecedens sibi viam præcludit; languent præ tristitia depressi; plerique in somnum delabuntur: impotentes, invalidi, non ferunt exercitium; post quintam diem manus & pedes tument, febricula emergit, torpor mentis & corporis occupat, & vomere incipiunt, cum importuno & impio singultu; & graviora pati pia dissimulatione contegere conantur; ne se damnatos judicent atrociori morbo: post septimam tamen omnes facultates fatiscere incipiunt, & animalium maxime spirituum defectu; & impuritate vitali suffocata: naturali postremo sanguificandi munere pereunte: ac tandem, nativus calor succorum congerie obruitur.

A Præsagium est omnino infœlix: quoniam è diametro pugnat, celeris vacuandi necessitas, cum causę contumacia: ante quartam enim diem, urina exitum postulat, priusquam lethalia concitet accidentia, seu membra principalia corrumpendo, seu indelebilem intemperiem in illa inducendo; id autem, & causæ contumacia non permittit, frigidi, lenti & viscidi humoris: nec partis affectæ situs; longe enim, ab auxilii efficacia ille distat; nam externa auxilia, quantumvis efficacia, debiliora sunt, quam causa & situs postulat; interna vero infracto marte partem ad affe-B ctam perveniunt; quicunque hæc consideres; nam fortia cathartica ad summũ, majorem partem vacuant, causæ antecedentis: sed conjunctam non commovent, nec impactam; quam certe (ut nos experientia docet) nulla avellit violentia; diuretica vero, quantumvis efficacia; præterquam quod urina refluente hebetantur; accidunt jam inermia; nam ab stomacho, ad ventrem descendunt: inde per mesaraicas ascendunt, in hepate morantur: & benigna chyli & sanguinis qualitate demulcentur; si non demolliuntur; C inde in cavam, cum sanguine miscentur: ac tandem parum infra ad emulgentes penetrant, ut ad renes perveniant, quo serosum humorem ad vesicam impellunt; dimitto, quod damna, quæ per tot anfractus, & ambages imprimunt hæc auxilia, sint interdum deteriora & graviora morbo; auxilia enim quæ violentiam humoribus inanimatis inferunt, longe insolentiorem in partes animatas, & sensibiles inferre par est; vidi enim stibium usq; ad sanguinem, vacuare vomitu & secessu, & im-D pactum emulgentibus venis non evellere; nec adhuc commovere; si ergo hoc summa effrenis medicamenti violentia non valet, quid de aliis sperare, par erit? si in illis non servatur æqualitas, quid mirum? vidi enim epotis cantharidibus usque ad grana vj. sanguinem per urinam effundi, (horrendum certe symptoma) & humorem iis venis impactum, non deturbari, nec ab hujus auxilii violentia: &, licet aliquid urinæ moveretur, non erat ab illo superiori loco, sed ex illa urinæ portione, ureteribus & vesica dereli-E cta; ex iis alium vidi periisse in 8. alios 12. 14. & 16. alios corrupto sanguine universo, ex urina permixta, alios tandem humido radicali obruto: & vivifico nectare superato.

CURATIO.

In curatione primo ad scopum attende; deinde ad indicationes: scopus unicus & potissimus est, urinam provocare; nam scopus est, id, in quod intendimus: indicationes præscribunt, affe-F ctus, causa & symptoma; sed quia affectus & symptomata, quæ ex causa foventur, tolli non possunt, nisi ablata causa; ideo indicationem primam causa præscribit: hæc enim sui ablationem indicat, ut affectus & symptoma curetur; adhibita in considerationem urgentia causæ, affectus, aut symptomatis. quare primo considera, an illa obstructio adveniat, in corpore pletorico & pleno, an etiam pravis & crudis succis scatentibus.

At in hac prima indicatione illud prius attende; causam non tantum magnum auxilium indicare, quia magnum affectum fovet, & lethale symptoma; sed etiam executionis celeritatem:

quia intra breve tempus exitium minatur, ut observetur paritas non tantum in auxilio, sed in tempore. quid enim proderit morituro in 4. ad quintum auxilia differre?

2. Adverte unicam causam varia posse indicare: nempe per multitudinem, vacuationem, per frigiditatem, calefactionem: per impactam inhærentiam, commotionem: & per visciditatem, abstersionem, & per obstructionem, apertionem, etiam indicare; nam licet unum, unum indicet, in genere aut specie; reliqua ab individualibus essentiis indicantur, prout varios usus sortiuntur, ab illo generali principio; *contraria contrariis curantur.*

Hæ tamen indicationes minuuntur aut augentur, secundum intensionem aut recessum, & periculi celeritatem, aut aliter; sed humoris individuum, locus, & pars affecta, determinat ex vacuantibus auxiliis, quod est magis conveniens.

Prima die.

Quare in proposito casu, si corpus est pletoricum, vacuans auxilium debet à sanguinis missione incipere; nam illa plenitudo causam conjunctam fovet: vide causam in Galeno, 11 Meth. 10. 8 Meth. 4. idque præcipiti celeritate, nempe mane & sero, ex utroque brachio, & axillari vena; est enim affectus intra cavam; & tutius à parte superiori revellitur: & eadem nocte, si id vires non renuunt, aut sanguinem ex talo mitterem, aut hyrudines hæmorrhoïdibus affigerem; ut derivetur quod continetur in venis, quæ partem ad affectam pertendunt; & mox sequenti die, purgationem instituerem, & illam satis validam; ex granis 4. stibii albo vino infusis; aut ℈iiij. pilularum fœtidarum; cum granis 4. diagridii: aut, si magis placet, purgantibus aperientia etiam admiscere. ℞. Terebinthinæ aqua malvarum lotæ ʒjß. agarici trocis. ʒj. cantharidum G. iij. & cum oxymeli squilitico. f. pil. 9. & aurentur; quo non tantum intendimus causam antecedentem vacuare; vomitu & secessu; sed impactum humorem commovere, & præcipiti periculo occurrere; nam causam prius illidere, Galenus nos edocuit in præcitatis locis, antequam ad aperientia accedamus.

Ne quis dicat à levioribus fore incipiendum; illud enim Galenus in affectu leviori intelligit, & non in casu ubi præceps periculum: lege in 5 Meth. 15. *Nam in iis morbis*, inquit, *in quibus periculum non impendet, vera ea opinio est; at ubi moriendum prorsus fuerit, alienissimum à ratione foret à minoribus inchoasse; nam ad ultimos morbos ultima prorsus remedia maxime valere*, &c. Idem sentit etiam 10 Meth. 10; Idem Celsus Lib. 2. cap. 10. & nulla non temeritas, in hoc casu, rationalis erit, velut etiam per contraria à methodo inventa; non tantum à causæ & affectus renitentia, sed etiam à celeri & brevi symptomatis periculo; præterquam quod nos fidelis docet experientia, validissima auxilia in principio nullibi adhuc profuisse: nec est ita facile has obstructiones illidere usu chalybis, ut docto Mercato videtur. id mihi miri fuit, quam viriliter adhuc validissima auxilia ægroti, sine aliquo fructu, pertulerint.

Galen. 5 Meth. 15.

Quare, præhabita sanguinis missione, si præest sanguinis abundantia; adhuc in cacochymia, si vires suppetunt, nec ita longe distat; aut etiam purgatione, si crudi scatent succi ab stibio, aut alio forti medicamento; in nocte sequenti locum renum, ureterum usque ad vesicæ regionem, per ilia placet inungere, unguento de Mercurio, forti fricatione, non semel, sed bis, ut impactus commoveatur humor.

Secundo die.

In die subsequenti consulo, ut accipiat æger grana viij. præparati mercurii, in jure aut in vino: aut aqua scorzoneræ, additis granis iiij. lapidis bezoar orientalis: aut diamusci; aut pilulas de terebinthina ante dictas; postea vero octo exactis horis, clysterem satis validum accipiat; si non est nimis profusus, aut irritatus venter, ut ℞. hydromelis ℔ij. ubi coquantur, centaureæ, ebuli an. ℥jß. colocynthidis cartami polipodii an. ʒjß. rad. iringi, fœniculi, asparagi contusarum an. M. ß. & ad medias cocta percoletur; de hoc accipiat ℔ß. succi cucumeris agrestis ℥ß. olei rutæ ℥ij. mellis persici ℥jß. hieræ logodionis ℥j. salis gemmæ ʒjß; & adverte ut clysteria in hoc casu parva quantitate injiciantur; ne renes aut ureteres comprimant.

Tertio die.

Postea humorem venis emulgentibus impactum, commovere, penetrare, & deducere tentabimus; (*Majori parte succi vacuata*, ut fuit mens Galeni 8 Meth. 4. *cum alioquin metus sit, ne si ipsis liberandis, priusquam vacuaveris, studeas, ipsas magis impingas*; piaculum enim, aliter fieri Galenus judicavit, 11 Meth. 10.) & hoc non utcunque, sed valido satis medicamento, ut ℞. cantharidum gran. iij. dauci pulverisati & seminis ameos an. ℈ß. infundantur in aqua malvarum per sex horas in ℥ij. & propinentur; vel ℞. olei vitrioli: ℈j. olei sulfuris ʒj. olei terebinthinæ sublimati ℥ij. & dentur in jure avis aut vino albo. vel ℞. pulpæ seminis cartami & agarici trociscati, an. ʒß. seminis alchecengi ℈j. cantharidum. G. iij. seminis ameos ℈ß. & cum oxymele squilitico fiant pilulæ 6. quas accipiat, seu in noctis, seu diei principio; vel ℞. oxymelis squilitici ℥jß. aquæ malvarum ℥ij. cantharidum præparatarum G. vj. nullum enim, in hoc casu, est morbo superius auxilium.

Galen. 8 Meth. 4.

Nec cantharidum usus in hoc casu, nec urinæ ulla suppressione alia, est ita formidabilis, ut plerisque videtur; lege Galeni verba 4 de Simpl. Med. Facult. cap. 19. *Sane vero & cantharis*, inquit, *parce interim sumpta, quibusque oporteat admixta, præterquam quod vesicam, nihil offendat, etiam renes expurget, imo & quæ efficaciora conficiuntur, ad urinas movendas medicamenta nonnihil habent cantharidis, neque vesicam ulcerare invenies*; idem habet 3. ejusdem operis cap. 23. & 11. titulo de cantharidibus. & 4 Acut. 122.

Galen. 4 de Simpl. Med. Facult. c. 19.

Quæ si non tibi frugi sunt, ponatur in balneo, ex egelida aqua, radicibus & seminibus emollientibus cocta, aut ex oleo communi, & dulci tepido; (balneum enim urinas movere sola sui ratione, Galenus docuit, 11 Meth. 10. ante illum Hippocrates 3 Acut. 58.) & positus in illo accipiat; hujus potionis ℥iij. ℞. theriacæ magnæ ʒß. sanguinis hirci præparati & sem. petroselini an. ℈j. oxyme-

℈j. oxymelis squilitici ℥ß. cantharidum præparatarum G. iiij. seminis ameos G. viij. aquæ rafani & malvarum an. ℥jß. m. vel de hac, ℞. spiritus sulfuris & terebinthinæ an. ℨij. spiritus fœniculi, sparagi, eringi & sabinæ an. ℨj. spiritus rhabarbari rapontici & cartami, chymica arte extractis, (non est enim difficile) an. ℈ij. & in aqua rafani & malvarum accipiat.

Post meridiem, (levis cibi coctione peracta) hoc accipiat. ℞. diacurcumæ ℨß. dialacæ ℈j. chalybis in vino præparati ℨß. syrup. de 5 rad. ℥ij. pulveris cantharidum præparatarum. G. ij. decocti cardus sancti ℥ij; & parum se exerceat, si illud vires ferunt, ab hujus potione; & interim inungatur tota renum & ventris regio usque ad ossa pubis unguento de Mercurio duplicato: aut oleo de croco de vitellis ovorum, de schila & scorpionum admixto.

Quarto die.

Quæ si interim prodesse non comperias, rationi consonum est, serosam humiditatem per universum corpus jam diffusam, vacuare: ne massam sanguinis universi corrumpat, aut vivificum nectar obruat; aut membra principalia: aut læthalia inducat accidentia, ut singultum; quo in opere etiam ad vias urinæ superfluum compellere fas erit; interdum per ambitum corporis dissipare, & tunc de hoc accipiat; ℞. radicis iridis florentinæ ℨß. contusa maceretur in vino: & de hoc ℥ij. accipiat; & si inveniatur, electuarium ex granis maturis ebuli, dabis ℨß. si ex seminibus ℨj. vel ℞. soldanelæ, senæ turbit an. ℈j. & cum saccharo accipiat, & desuper bibat parum vini generosi; vel ℞. infusionis ex ℨij. rapontici & ℨj. rhabarbari in aqua fœniculi multoties chalybeata & ℥iiij. accipiat; vel ℞. decocti asari, ferro ignito sæpius chalybeati, ℥iij. diagridii. G. iij. & accipiat; vel ℞. rapontici ℨij. infundatur in aquæ rafani ℥iiij. & colaturæ expressæ adde oxymelis squilitici ℥ij. stibii G. ij. m. vel ℞. absynthii cardus sancti an. ℨß. rapontici rhabarbari senæ turbit. anisi seminis fœniculi an. ℨj. infundantur per horas 8 in vino, bulliant & colentur, & colaturæ adde pulveris cantharidum. G. iij. pulveris eringi scinchorum an. gr. vj. & accepiat ℥iiij. addita mivæ cinnamomi ℨij.

Victus ratio sit, quæ serosos non augeat humores, ex assis potius quam elixis: & elixa diureticis cocta; aqua decocta ex ligno saxafras; exercitium sit ad principium defatigationis: seu ad provocationem sudoris; & si hoc non valet, curru, aut lectica deferatur; super renes vesica imponatur semiplena oleo, quo ferbuerint schyla, ebulus, eringium, sabina & radicis sparagi.

Quinto die.

Nullum non experiri in re abdita, & noviter tractata rationale erit; si sit maxime ad artis principia inventum. Quare judico prodesse posse ad quintam diem; (urina per ambitum diffusa) decoctum Gaiaci, aut saxafrasi, si ad extremam coctionem reducantur; ut ex ℔j. ligni in libris vj. aquæ ad ℔ij, ut etiam ex sarsa aut china, quibus mire sudores provocantur; & potenter urina tenuatur, & commovetur humor; hoc etiam ex arte fere judico 8 aut 10 sanguisugas, A supra renis regionem imponere, ut attrahant ab ipsis emulgentibus, & ibi detinere usque dum extrahantur, 4 aut 6 unciæ sanguinis; seu duas cucurbitulas super illam regionem scarificare, & bonam sanguinis quantitatem extrahere.

Ex chymicis medicamentis sublimatis; illud placuit super omnia, quod à Petro Petreio celebratur, uti his passionibus aptissimum; & ex mercurio repurgato conficitur; *Purgetur*, inquit, *mercurius sale siccato, & sublimetur, cum vitriolo, sale communi, & sale petræ, ut artis est, postea aceto distillato solvatur, distilletur acetum, materia siccetur, post* B *spiritu vini correcto digeratur, donec in mucosam pinguedinem transeat, hinc liquor extrahitur, & in arena fortissimo igne urgetur, quo ad humor lactis instar extillet; hoc iterum affunditur, & oleum albissimum ac suavissimum, omnis eradentis facultatis expers, provenit, per os assumptum ad ℨij. vesicæ faucium aliarumque partium abditarum exulcerationem persanat, & renum & ureterum morbos per sudores urinamque discutit.* hæc fol. 195.

Petrus Petreius fol. 195.

De lapide vesicæ, quem canalis non capit.

C De lapidis fabrica, de causa materiali & efficiente, de signis & prognosi, super omnes scripsit, Doctor Franciscus de Oropeza Medicus Hispalensis; nos plures in hoc orbis Hispalensi Theatro curavimus; sub varia fortuna; non est in animo de lapide in communi tractare, sed pleraque hujus morbi selecta adnotare, quæ longa experientia observavimus.

Si lapis est major quam per pudendi viam valeat penetrare, accidentia sequuntur aut lapidis D figuram, aut magnitudinem; nam pondus levissima sæpe accidentia tulit; in aliis enim est rotundus & levis, qui natat in urina, de quo miram historiam audivimus; illustrissimus, Don Petrus de Castro, Hispalensis Archiepiscopus, vir nobilis & fœlicis memoriæ; per annos nonaginta, in ætate longæva, integra valetudine vixit: postea feliciter obdormivit in Domino: præ caloris vivifici inopia: illius actione & repatione nectare vivifico extincto: neq; de urinæ suppressione, de lapide vesicę, nec dolore, unquam queri auditus est; E post obitum ejus cadaver, aromatibus condire clientes decreverunt; ideo ablatis intestinis, vesicam simul extrahere artifices curarunt, in cujus alveo tres sunt inventi lapides, alter ovi columbæ similis, minor alter, tertius pineæ fructus magnitudinem æquabat; sed ita quisque levis, in tota supercie æqualis, ut licet vesicæ parietibus allideret, dolorem non inferret, licet pondus excusari non possit: illud certe in hoc casu est memoria dignum, quod de urinæ passione nunquam conqueri visus, nec auditus sit illustris vir; F nam leves lapides, & æquales possunt, longi temporis spacio delitescere, absque ulla urinæ passione.

Historia.

Longe diversa accidentia, postea adnotavimus in Doctore Francisco de Figueroa, Medico Hispalensi, & non infimæ notæ: is ad annos septuaginta urinam cœpit emittere veluti fuligine obductam, parum & sæpe: & cum irritatione crudelius mixtus tempore torquebatur; cum vehementi simul egerendi cupidine; cum ardore, & dolore urinæ; hæc postea per aliquot dies delituerunt: cum incepit urina sabulosa, acrius ad mejen-

Historia.

mejendum irritare; nec ideo destitit occupationibus medicinæ incumbere; cum,en, subito lenta febricula suboritur, acrior urinæ irritatio: inter mejendum acerrimi dolores, sanguine in urina permixto: & dum mejere cupiebat, simul excernere alvi excrementa contendebat; cum importuno & irrito tenesmo: febris crescit, sitis & linguæ scabrities, cum urina nigra, & sabulosa, subito & ad tempus pellucida; hæc omnia erant lapidis signa, angulis eminuli, & punctis figurati, qui ubicumque vesicæ cum urina illideret, acerrimos dolores concitaret, sordidis & corrodentibus ulceribus inductis: interdum inflammatis: ex quo febris & cætera symptomata etiam persistebant.

Sanguis interim à sociis febris & vesicæ inflammatæ timore mittebatur, ex bracchio, ac postea ex talo: & syrupo de muscilaginibus, & aqua malvarum leniebatur urinæ acrimonia; ut etiam ad extra, fotu lactis communis, aut oleo violarum, & nenufaris; syringa etiam per pudendi canalem, serum aut lac, cum saccharo etiam mittebatur; aut ex emulsione seminis malvarum, muscilagine psyllii, aut hordei decocto; cum succo portulacæ & saccharo; sed omnia in irritum cedebant; nam tabe brevi consumptus periit; postea vero inter artifices chirurgiæ decreverunt, ut vesicæ locus inspiceretur: & ita factum est, docta dissecatione: & in illius alveo inventi sunt duo lapides inæquales & horridi, acutis eminentiis obducti, substantia & colore subrubi, sanguine defœdati; vesicæ corpus erat, & facies interna, aptis, nigris, & lividis corrupta; ut & permultis albis in circulo corrosa; hæc enim comitantur accidentia in hac calculi sorte, quem canalis non capit.

Postea nos accersire jussit Antonius de Victoria, Hispali quæstor Regius: longo ex itinere confractus, urinandi frequentia & urinæ ardore lacessitus: & in medio actus urinandi interdum urina subsistebat; nobis comitem dedit, in consultationem, Tiberium Damianum, passionibus urinæ valde exercitatum: ac rebus undequaque perspectis, ac canali pudendi explorata, adhuc lapidis suspicio anceps erat & lubrica; & ex parte ægroti, aversissima, ne sævissimo malo damnatus videretur; quod his omnibus accidisse notavimus; nam alii in flatus, mejendi difficultatis causam referunt, urinæ acrimoniam in salsam & viscidam pituitam, quam frequenter, cum urina proliciunt: & in lapidem nullus; postea vero incepit urina sabulosa emitti cum maximo ardore, & simul alvi excernendi cupiditas, in urinandi actu, cum aliqua residentia arenarum, cum mucosa & viscida pituita; interim febris oritur, putrida, biliosa, cum siti & ardore urinæ, & continuo fere pervigilio: & in dies sævius urinæ cruciatus sæviebant, (proprium hujus sævæ passionis febrem ad tempus etiam concitare, sævitia symptomatum, ulceratæ vesicæ.) continui dolores, ex lapidis appulsu & collisione, ad internam vesicæ superficiem; horum omnium aucta occasione, adaucta etiam cacochymia, sanguine præassato; si non exusta bile, ut vomitu patet æruginoso.

Dum inter varias morbi facies, febris putridæ & doloris urgebat indicatio: sanguis ex brachio

A mittebatur, postea ex talo; syrupo violarum & de muscilaginibus, cum aqua malvarum, & boraginis doloris acrimonia sedabatur, & febris empyreuma; vino omnino interdicto; & cum indies amplius contabesceret, & febris videretur in habitu contracta; (quod etiam in plerisque notavimus in tabem verti ex ulcere vesicæ) ut lacte asinæ uteretur, consultissimum duximus: interdũ lactis sero; per syringam, muscilagines psyllii, & cydonii, cum aqua malvarum aut hordei, aut ex lacte & saccharo, aut sero etiam chalybeato, in pudendi canalem mittebantur; ad extra etiam loca

B illa pudendi fovebatur; toto membro etiam subterfuso & locis circumcirca, vel solo lactis balneo: seu ex decocto hordei, violarum, malvarũ & capitum papaveris: seu oleo violarum, amygdalarum dulcium, & unguento cucurbitæ, & rosato, interdum pro dolore sedando, conciliando somno, paregorico clystere utebatur; sive ex jure pulli, seu ex decocto capitum papaveris hyoschyami, violarum, cum oleo violaceo, saccharo, vitello ovi, & ℥j. philonii Romani; & interdum sub noctem adsumebat, ℥ß. de syrupo papaveris

C cum aqua lactucæ seu malvarum.

Sed nec inde remiserunt dolores, & in urina, loco residentiæ, velut pus album spectabatur, cum viscidæ & albæ pituitæ miscella: jam multis ante diebus & fere à principio; inter nos ratum & plusquam certum erat, nobilem virum, lapidem in vesica continere, non parvæ magnitudinis, & satis inæqualem, horridum, & angulis eminulum: plusquam possit per pudendi canalem transcolari; qua in desperatione consultum inter nos fuit, an viri ætas, (erat enim quinqua-

D genarius,) vires, morbi status, lapidis magnitudo, & tempus permitterent extractionem lapidis per incisionem, in vesicæ canali; quo artificio non paucos in hac nostra ætate Tiberii Damiani ope vidimus liberatos; primo sese nobis obtulit grandis ætas, erat enim 54 annorum, sed hæc objectio nobis satis non fuit; nam recenter, hac ipsa sectione vidimus liberatum illustrem Episcopum Balbastri; D. Bernardo de la Cabra, sub hac ætate & fortasse majori Parisiis à perito artifice lapide à vesica extracto; & Hispali, vidi-

E mus his diebus hac ipsa sectione ab orco vindicatum virum, neque noto neque publico genere, suis tantum stapedibus notum, juxta divi Augustini cœnobium; qui erat ætate fere annorum 60; à cujus vesica per sectionem fuit extractus lapis, qui sex fere uncias appendebat; dexteritate & artificio Tiberii Damiani, viri non satis laudati hujus sæculi; cujus manibus vidimus centum fere lapides eximiæ magnitudinis à vesicis extractos, in pueris, in viris, & in seni-

F bus; neque nos ab hac sententia deterruit virium status; mediocriter enim auxilia ferebat; ad hoc tamen consultissimum duxi, considerare vires, non enim nisi validæ, tam validum auxilium ferre queunt; vulnus nempe suo jure læthale, & symptomata, quæ ex illo succrescunt; & in hoc auxilio hujus sævæ ægritudinis unica spes erat; aliter enim prædiximus accidentium immanitate & sævitia moriturum; anceps nutabat æger, sectionis periculo; quo prorsus necessarium distulimus auxilium; inde febris incepit ingravescere, & satiscere vires, & graviora intendi acciden-

tia

tia, cum jam æstas inciperet; indè maxima suspicio incessit ulceris in vesica, ex ardore & dolore pudendi, scalpendi frequentia, ex pure cum viscida pituita permixto; sed præcipue, ex continua febre, horrore inæquali, ordinem non servante, nocturnisque exacerbationibus insignito; sed majori animadversione dignum existimavimus, quod febris illa, quæ ab his ulceribus fovetur, aut incipit, aut desinit in hecticam, licet à putrida incipiat; ut febris quæ fovetur ab ulcere pulmonis. quo fit ut omnes fere tabidi moriantur: quod cum in hoc ęgroto etiam innotesceret, post alia auxilia, imperavimus, ut de lacte asinæ juvenculæ parum sumeret, à tribus unciis incipiendo, ut paulatim ascenderet ad octo; & licet nihil his auxiliis profuturum spes esset, (erat enim adæquatum auxilium, lapidis à vesica extractio;) libenter consuluimus auxilium, hoc enim maxime urinæ acrimonia temperatur, & abstergitur ulcus. quoniam est lac asinæ, si quod aliud, renum & vesicæ ulceratæ, seu ab acri humore lacessitis potissimum & efficax auxilium; iis tamen nihil proficientibus, tabe consumptus periit.

Dum hæc alta mente recolimus; eadem symptomatum gentilitas, idem fere morbi progressus à nobis etiam observatus in quodam religioso Societatis Jesu, in Collegio conceptionis intemeratæ Virginis; qui etiam, cum dolore in fine mictus & urina primo nigra, postea sanguinolenta, ultimo sabulosa, lente cum febre oborta, ac ultimo tertiana continua de genere ardentium, tabe consumptus obiit; est enim illud peculiare tabis genus, quod sequitur putridum, aut corrosivum ulcus in vesica.

Historia.

Eisdem nunc symptomatis vexatur, Ludovicus de Perea, vir satis Hispalensibus notus: ut etiam alius subsidii exactor; & uterque extrema desperatione laborat; is enim potu lactis asinæ vitam miserabilem ducit; inter ardores & dolores urinæ, & solo potu aquæ malvarum cum saccharo candido, & balneo dulcis aquæ egelidæ, quoad tempus levatur; syrupo interdum de muscilaginibus admixto aut violato, dum denique exactor tabe consumptus periit, & Ludovicus tandem diem obiit.

Qua certe cognita desperatione, & supposito, quod in hoc statu nullius sunt auxilii auxilia; & sit fatale inter dolores & lamenta perire: est, si quo in alio, observandum illud Celsi consilium, & Galeni; *Fieri quidem potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur, quod si nullum aliud appareat auxilium, periturusq; sit qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus; in hoc statu boni medici est, ostendere, quam nulla spes sine magno auxilio sit, faterique quantus in hac re sit metus; ac demum, si exigatur, exequendum; satius est enim anceps remedium experiri, quam nullum*; Sic Celsus Lib.4. cap.10. in hoc statu, & in hac morbi sorte mille experimentis consultum reor, magni illius lapidis extractionem intendere, & aggredi, quam ægrum in summa desperatione demittere; à tertio anno usque ad sexagesimum; neque te ulla timoris ratio deterreat, si vires ferre possunt auxilium; nam extractionis periculum, contra vires, non contra ætatem, pugnat; fateor enim sectionis discrimen; sed in hoc casu, (si est peritus artifex) alia lux liberationis non elucet; & est in hujus auxilii timore extrema desperatio: illud tamen attende, ut magna circumspectione, & lapidis certa cognitione, candela explorati, ac doctorum virorum consilio celebretur.

Galen.

De febre epileptica.

Historia.

Nova febris, saltem à nullo medicorum observata, die 13 mensis Julii anno 1643. in medio æstus diei venit ad ædes nostras mulier, neque noto neque publico genere, sed gemitu & afflictione miserabilis, ut nos ad filiam videndam commoveret; vicit æstus ardorem pietas: ac puellam decem annorum invenimus motibus convulsivis irritatam, cum moderata febre, sed alismo implacido, ut nullibi quiesceret, & maxime cardiaca ventriculi lacessita: mox intra breve spatium, accidens epilepticum vidimus incepisse, contortis oculis & membris corporis universi convulsis; cerebri potentiis oblæsis, & omni abolita pene sensatione, à quo valde delassata quievit, sed non à dolore ventriculi: mox illi vomitum imperavimus ex boraginis aqua tepida solo admixto saccharo: illud enim sese nostro judicio primo obtulit, an bilis æruginosa, aut aliter deterrima, os ventriculi pungeret, ut cerebrum, nervorum consensu coafficeret, & epilepsiam per consensum ventriculi concitaret, (crapulæ enim, neque pravi, neque corrupti cibi ulla erat suspicio) postea vero, vomitu concitato, paululum conquievit infida certe levatione; nam protinus, velut à postliminio revertitur crudele accidens epilepticum, cujus ingressum ægrota sentiebat semper implacida, mutationibus ut remediis utens. sed major afflictionis causa in ipso ventriculo persistebat; sic pariter alternatis symptomatis totam hanc egit diem; quorum sævitiam aliter divertere, & aliter oblinere, curavimus frictionibus, ligaturis, cucurbitulis etiam alternatis; & mica panis succo agrestæ aut cerasorum acidorum imbuta; interdum aquæ hordei parum calentis potu, cum violarum syrupo; nonnihil enim flatuum interdum eructabat; hæc omnia in febris accessione erant; febris ad noctem parum levata est, quo etiam quieverunt accidentia; & cibo refecta moderatius aliquantum & ipsa quievit.

Placidam egit noctem, neque de dolore ullo querebatur, præter morsum ventriculi; urina ad flavam declinabat, crassa, moderate confusa; & licet de febre putrida satis manifesta essent indicia, non ob hoc tantum, sed ob accidentis immanitatem, quod maximam intulit vim naturæ, sedula diligentia sanguinem mitti jussimus illa die sequenti, sed ex talo, non tantum quod valentior inde esset revulsio, sed quia in hypochondriis pravorum succorum sentinam & fluxionis originem conjecimus; (quod hodie certe attendere est maximi momenti; nam hoc solo auxilio phrenitides, lethargus, & alia symptomata præcaventur, quæ ex impio consensu oriuntur; vaporibus illis insuperatis) & cum aqua cerasorum & scorzoneræ, parum aquæ tyliæ admiscere, tum offerri ipsi cibum jussimus, horis aliquot ante accessionem; attamen paucis exactis horis irruit fraudulenter accessio, dolores ventriculi incipiunt clamosi: epileptica accidentia revertuntur, ut puella à dæmone obsessa videretur, præ

doloris sævitia nullibi quiescebat; & sic deinceps hora decima sequentium dierum inceperunt reliquæ omnes accessiones, intermittenti tertiana periodo; ut merito illam dixeris duplicem tertianam, cum vomitus pituitæ, & bilis in principio; ex urenti ardore, linguæ siccitate, oris amaritudine, &c.

Hanc in principio febrem diximus epilepticam; aliud est enim febris cum epilepsia, & epileptica febris, talis ab accidenti dicta; in hoc quippe differentiæ ratio constituitur; quod dum accidens, cum febre complicatur, ab alio, quam à febris principio, aut à foco diverso oriatur, licet illius occasione concitetur, hæc est certe febris cum epilepsia, ut quando ab apparatu epileptico, seu à cibo, ventriculo corrupto, febris occasione commovetur, seu ab affectione cerebri primigenia; seu vaporibus acrioribus redditis, veluti in variolis: sed hoc in eo differt à febre epileptica, quod nec determinato tempore concitetur, nec aliquem ordinem determinatum servet; sed prout sors tulerit, ille commovetur apparatus; at vero in febre epileptica, quia certum ordinem servat, determinato, & tempore & loco, eandem febris causam, ejusdemque mineram & putredinis focum; ideo illud accidens peculiare & gentilitium hujus febris videtur; ut merito hæc febris dicatur epileptica, & non ut sopor lethargus, & phrenitis, ex frigido aut calido humoris apparatu: hoc enim peculiare habet in hoc casu accidens epilepticum; nam præter causam fixam, focum determinatum habet, in loco, quo quadam veluti necessitate cum cerebro consentit; in venis nempe, quæ os ventriculi circundant; ibi enim ramus nervi insignis à sexto cerebri pari, superiori orificio implantatur, & in reliquum ventriculi corpus postea distribuitur; nec parum ad hoc facit, quod ipsum os ventriculi amplo foramine septo transverso adhæret, quo doloris & humoris appulsu, mox cum cerebri substantia & nervorum principio consentit, ut in septi transversi inflammatione adnotavimus.

Quo supposito, consensum epileptici accidentis in hac febre, non tantum fuisse os ventriculi causam existimamus, sed singularem humoris apparatum, acerrimi nempe & mordacis; cujus appulsu, cerebri & membranarum substantia vellicetur: & ne dum illa tantum, sed focum peculiarem febris, in venis, qua os ventriculi coronant; quo certe vidimus in hac duplici tertiana epilepticum accidens, per accessiones incrementa advenisse, in declinatione evanescere, & in singulis postea reverti, tam statuto ordine, ut ita proprium videretur accessionis accidens, quasi tertianæ intermittentis rigor: nec sit mirum, hanc febrem ita denominari, si ob similem causam, & consimile accidens, Galeno placuit nominare, ob singultum, singultuosam febrem; quia in illa est etiam focus intra venas ventriculi, & acerrimus humor; qui determinato & tempore & loco, tale concitat accidens, præfixo nempe accessionis tempore; aliter ac ubi est febris cum singultu, ex alio quam à febris principio & foco: ideo non statuto ordine, sed quando casu incidit irritatio, quæ est illis differentiæ ratio.

Hanc, ut diximus febrem, ex talo sangui nis missione repetita curavimus, hyrudinibus postea, hæmorrhoidalibus venis adaptatis, quo mitiora vidimus accidentia. postea, jam capite recepta, (non parum enim occasione accidentis confluxit) vena in carpo secta derivari curavimus; frænatis intus humoribus cordialibus aquis, cum pulvere crystalli præparati, addita interdum dragma ex confectione iacinthorum; quibus febre reddita mitiori, protinus demisit epilepticum accidens; ideo syrupo regio & persico repurgata, divino auxilio convaluit ex atroci & singulari morbo; nec opus fuit transire ad syrupum nostrum pro vera epilepsia; quem invenies in titulo de epilepsia per pollicis consensum.

De ischiade observatio cum Galeni judicio.

Historia.

Honesta mulier 50 annorum, obesa, defectu exercitii, cruditatibus haud vacua; nativo temperamento biliosa, Hispali, Augusti die 17, anno 1643, nos accersit, ischiadico dolore afflicta & oppressa; dolor incipiebat in ipso osse sacro infra renes, in tota utriusque ossis, & cruris utriusque regione; ut se nec inflectere posset, quin acerbo dolore torqueretur; inflexa & supina decumbebat; inde ab osse sacro, ad ischiam, cruris utriusque descendebat dolor maxime ad sinistram; doloris qualitas erat, ut mordacitatem præ se ferret, cum calore majori moderato; sed à feminibus usque ad pedes frigus calorem superabat; absque febre nec siti, mitior erat dolor in quiete: mota irritabatur; satis manifesto indicio, humoris collectionem fieri, juncturæ cavitate.

Quare cognita doloris qualitate, & causa: fieri nempe ex bile mordaciori reddita, cum aliqua pituitæ miscella satis tenui, parte affecta nota, ut etiam affectionis origine; nam ad ischiam sinistram omnis humor decubuit, & per crus universum, compressis nervis & ligamentis, ad tibiam usque descendebat; à venoso genere humore confluente bilioso; à debili ventriculo cruditate permixta; mox præmisso clystere ex hydromele, oleo, sale, & catholico; sanguinis missione ex brachiorum venis, revellere decrevimus, & ad 4 uncias illi ad sanguinem misimus: ac postea ex talo, posito à contrario; deinde ex affecto; & saphena sinistra; & cum dolor persisteret, ad derivandum hæmorrhoïdibus sanguisugas adaptare curavimus.

Ad intus syrupo rosato utebatur; haustulis aquæ calidæ boraginis aut scorzoneræ, ut citius concoqueret; anodinis interim utebamur; ex oleo rosato, amygdalino mixto: additis tantum guttulis aceti ad penetrationem; nam repellentia fugere in hoc casu, nobis Galen. consuluit; interdum solis foliis aloës; (savila quæ apud nostros dicitur) utebamur, per medium incisis, & calentibus; aut emplastro ex mica panis in lacte, vitello ovi, cum oleo camomilli, lumbricorum & croco, postea juxta minimum pedis affecti digitum, venam scindere imperavimus, & bona sanguinis quantitate extracta; dolor incepit conquiescere; quo longam doloris remissionem expectavimus ad purgandum, ut cederet felicius purgatio: hoc enim est summe necessarium in hoc casu, ne occasione medicamenti commotus humor, ad partem debilem & dolentem revertatur; quare omni fluxione quiescente, & à dolore vacua,

vacua, purgationem jussimus, ex syrupo persico & de filicula cum decocto pugini: quo (divino auxilio) melius habere cœpit; sed non ideo illam non repurgavimus; pilulis de hiera cum rhabarbaro; ut ad topica valeremus accedere; ad hoc enim non est opus ut corpus sit positum in exquisitissima evacuatione: sufficit enim, ut sit mediocriter evacuatum; quo opere exacto, humorem in ischia pactum, tenuatum extrahere nobis fuit consilium, (quoniam tum dolebat) cessante omnino fluxione, ideo cucurbitulam magnam parti dolenti imponere mandavimus, altis scarificationibus inflixis; quod si huic auxilio non cederet, consultissimum erat, sanguisugas ischio dolenti adaptare, & bonam sanguinis quantitatem extrahere; & si resolutionis indicatio nos amplius solicitat; hoc in casu consequitur fælicius unguento parato ad schiaticam, aut communi unguento de Mercurio, quod certe ad has affectiones, licet nihil de gallico participent, prodesse comperimus, non in hoc tantum sed in omni artrithico affectu, cum distet humor in recondito & separato loco; quoniam valentius & commovet & penetrat, tenuat, & resolvit.

Nec opus fuit, ad cauteria super ischiam (ut sæpe usu venit) devenire; hæc enim tantum ex usu esse existimamus, cum membrum nimia viscidi & humidi humoris quantitate, muscidum redditur; præ articuli & ligamentorum remollitione; nam dum calidus prævalet affectus, cauteriis majorem fluxionem ad partem excitamus, & impactum facimus excandescere; quando illius affectus indicatio cum attemperatione resolutionem postulabat.

Hæc nos in hoc singulari affectu imperavimus, indicationibus ad limam & lineam redactis; nunc placuit, de ischiade Galeni judicium ob oculos proponere; 10 secund. Locos cap. 2. ubi ex professo de hoc affectu loquitur; *Ex genere artritidis*, inquit, *est tum ischias, tum podagra; communem habent, hi tres affectus humoris redundantiam, quæ affectam occupat articulationem, qua expleta, in omnem partem circumsitæ particulæ tenduntur; & ex his dolor oritur.*

Gal. judicium in hoc casu 10 sec. Locos cap. 2.

De causa sic porro loquitur; *Aliquando quidem irruens humor sanguineus est; ut plurimum vero pituitosus, aut ex pituitoso & bilioso mixtus: aut etiam sanguine cum ipsis permixto; interdum non pituitoso, sed crudo tantum.*

De signis sic procedit; *Cæterum differentiæ affluentium humorum facile deprehendi possunt, tum coloribus, tum symptomatibus; biliosus enim sanguis, multæ caliditatis sensum ægroto exhibet, & calefacientibus irritatur, à frigidis laxatur; confert etiam ad cognitionem præcedens vitæ ratio, otium, exercitia, & balnea: ætas, anni tempus, & corporis habitus*, &c.

Curationem autem sic instituit: *Curationis principium sit*, inquit, *tibi vacuatio humoris, affligere reperti; siquidem humoribus ex æquo redundat corpus, venæ sectione, deinde purgatione, postea vero, manibus & pedibus, pharmacis repellentibus utamur; circa coxendicum vero juncturam id facere vitemus. Cum enim in profundo ea sita sit, sanguis ex vicinis & ambientibus vasis ac musculis compellitur: mitigatoriis igitur in principio opus est; dolore circa coxendicem hærente; quæ neque refrigerent multum, neque fortiter calefaciant: qualitatibus sane postea opus habet; nam calore plus trahente exacerbantur.*

De ischiadis præterea judicio sic fatur: *Raro quidem fit ischias ex sanguinis multitudine; & citissime curatur, venis circa poplitem, ac talos sectis; & si quis ante totius evacuationem, acrioribus pharmacis in ischiade usus fuerit, præsertim in eo, qui ex humorum copia ortus est; circa partem affectam ægre curabilem affectum reddit, copia ibidem indissolubiliter condensata; nam calore & siccitate in crassis & viscosis, non dissimile quidquiam assationi inducet; tanquam igitur, maximam vim ad affectionis curationem habeat, totius corporis vacuatio, ab ipsa incipiendum est; non solum à cruribus, sed à cubito primum, sanguinis detractione facta; auxiliatur, maxime in ischiade vomitus ad revellendum, & à cibo maxime; condensatis humoribus, acribus etiam est utendum; his cucurbitula affixa maxime auxiliatur; & purgatio per efficaciora infusa; velut ex colocyntida;* (per validos clysteres intellige;) *ut ℞. decocti centaureæ camomilli, lauri, colocyntidis. Lib. j. olei rutæ ℥ij. rhodomelis persici ℥ijß. hieræ logodionis ℥j. salis gemæ. ʒij. & f. clyster.* Hæc Galenus in loco præcitato; quæ repetit & probat, libro de Constit. artis medicæ cap. 17.

De artritide à causa calida.

Historia.

Est artritis, omnium articulorum, saltem majorum universalis dolor; interdum lassitudinem corporis universi æmulatur; doloris differentiam constituit, seu calida, sive frigida causa; hanc nos affectionem vidimus & à calida causa, in casta & honesta muliere juvencula, octo supra viginti annis, Hispali, mense Majo, anno 1643. erat enim sanguinea, ad melancholiam declinante temperie; ex partuum frequentia, articulorum debilis, capite catharroso ad calidum & humidum declinante; unde fluxio calida & humida nitrosa ex tenui pituita, sanguine ichoroso, & ichoribus biliosis permixta; quæ quavis occasione, per partes calvariæ externas decurrebat: non per nervos, sed per cavitates spinalis medullæ, & per venas capitis externas ad cervicem; quam rigidam nimia repletione inveni; ac exinde ad humoris cavitates musculos & articulos utriusque brachii descendebat: ac tandem ad ischiadem coxas, genua, & ad pedis articulos universos; ut die & nocte perenniter, non tantum continuo dolore, sed motus torpore premeretur; in illo fluxionis principio, neque partes tumescere, neque color carnis mutari videbatur; intumescebant postea, cum dolor aliquantisper mitescebat, (humore ab articulis ad externa propulso) semper tamen cum caloris & acredinis sensu; ut flamma inde expirare videretur; ad illam invisendam nos accersit maritus; 35 diebus jam exactis à dolorum principio, multis præsidiis tentatis, à docto certe medico, omnibus sine fructu.

Quare cum judicarem, quod hæc fluxio alias elabitur per cerebri ventriculos, ad palatum; aliquando per partes cerebro externas, per venas nempe, & cavitates, quæ tendunt ad cervicem, & scapulas, exinde ad articulos; sic curationem incipere institui; primo ex brachio sinistro (quo dolor non tantum sæviebat) parum sanguinis extrahere curavi: & secundo ex contrario talo; non mediocrem enim febrem doloris vehementia concitavit, non tantum symptomaticam, sed ex venarum sordido apparatu, ex bile & pituita putridam, ut urina intense flava & crassa no-

tum fecit: & ut parum syrupi rosati acciperet, addito cochleari syrupi de papavere ad humoris frænandam acrimoniam: aquam radice scorzoneræ coctam consuluimus; vespere clysterem imperavimus, ex hydromele, oleo communi, catholico, & sale; tertia die ex talo contrario sanguinem mitti jussimus; prout doloris levatio permittebat, quia feminibus remiserunt dolores; ex brachio etiam vespere sanguis mittitur; erat enim crudelis hujus morbi sævitia, & perennis urgentia; & cum articuli postea fere omnes ex æquo paterentur, 12 hyrudines ano affigere mandavimus; quæ non parum sanguinis extraxere; & cum adhuc persisteret dolorum importuna sævities, duobus diebus interpositis, ex carpo manus parum extracto sanguine, repetita auxilia, dolorum intervalla fecerunt.

Ad topica devenire coëgit, magis continua mulieris querela, quam ratio regularis medendi; fluebat enim adhuc ab internis ad artus, prava illius humoris multitudo, licet satis magna præcessserit vacuatio; hoc enim accidit, quando prava congeruntur excrementa, à singulari intemperati membri intemperie; horum enim sicut est perennis generatio, sic etiam est perennis affluxio; & licet pro adaptando topico satis evacuationis præcessisset; (quod Galenus certe prærequirit, in prudenti consilio, topicorum) sed non quod corpus sit positum in ultima penuria, ut post evacuationes exquisitas: sat est enim quod sit evacuatum mediocriter; licet mihi semper visum sit prudentius consilium, præscribere corporis & topicorum differentiam; nam alia corpora, satis quavis levi vacuatione, topicis idonea redduntur; illa maxime quæ carent, temperata supervacuis: neque perenni fluxioni sunt obnoxia; alia vero magis intemperata, catharrosis fluxionibus plena, seu quibus prava congeruntur excrementa, neque adhuc post evacuationes ingenitas, seu arte celebratas topicis satis tuta redduntur; in topicis etiam est magna differentia, nam paregorica tantum anadina, interdum ne vacuari quidem corpus amant, & gravius evacuatione tutissima redduntur; repellentia vero plusquam mediocrem vacuationem postulant, ne fiat graviori periculo palindrome; majorem resolventia: & prorsus exquisitam vacuantia, ne plus attrahant & majori periculo, quam possint vacuare; & hæc & illa, prudentem limitationem habent, in urgentia; quam Hippocrates docuit, 6 Epid. Sect. 2. text. 8. quando dixit, *Derivare, cedentem retrahere statim renitentem cadere*; in cujus Commentario Galenus, *neque enim semper*, inquit, *in retrahentibus auxiliis permanendum, sed aliquod tempus interponere oportet, ut succum qui in affecto membro inhæsit; excerni permittamus, seu multitudine distendat, seu qualitate cruciet; nam si humores in particulam illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque revulsoriis aliquid proficies: non amplius membro proritante succos in se ipsum, juxta inclinationem, quam à principio non recte acceperat.*

Hipp. 6 Epid. Sect. 2. text. 8. Galen.

Unde partibus à dolore obsessis, tepentia adaptare mandavimus frustula, semiassa, illius herbæ, quæ nostro idiomate, savila dicitur; Latine aloes, quo parum illa obdormivit oblinitis doloribus, sed cum crudelius reverterentur, postea hoc illi auxilium imperavimus. ℞. aquæ plantaginis, solani, & rosarum an. ℥iiij. muscilaginis, seminis altheæ, cydoniorum an. ℥ß. cui addatur croci ʒß. aceti rosati ℥j. canphoræ. gr. 6. sunt enim apprime fugienda omnia oleosa, in principio calidæ fluxionis, quoniam attrahunt, dum ignescunt; interdum placuit permutare auxilia, panno in lacte madido, modico croco addito, seu tertia parte de plantaginis aqua; aliquando oleo rosato, cum modico aceti auxilium persensit.

Inter hæc nos etiam contulimus ad ipsam fluxionis originem, à cerebro enim confluebat perennis distillatio, ut quoquo pacto interciperetur; ac mox capillos abradere præcepimus, qui erant certe permulti & oblongi; quo melius habuit, ex capitis dolore, & ab illa cervicis tensione: nam à capite flammam expirare dicebat; quare oblinita cervice, oleo amygdalarum dulcium: humor etiam expulsioni parabatur; & fluens & in venis putrescens, syrupo rosato, cum aqua scorzoneræ & endiviæ; quo per longum tempus, purgationem differre consultum duximus, donec in summa quiete jam morbus videretur, & in omnimoda remissione accidentia, aliter enim, ut nos fidelis docet experientia, magnam turbationem in corpus induci vidimus, & dolores sæviores reverti, febrem intendi, & totam morbi constitutionem, non absque periculo produci, si dolore & febre sæviente, purgans medicamentum propinetur; quinimo, nec adhuc recenter, dolore quiescente: sed longius oblito; ideo post 12 dies instaurata, ac humoribus purgationi aptis hoc benignum medicamentum dedimus; ℞. syrup. de filicula & persici an. ℥ij. decocti senæ pugini ℥ij. & aromatizetur; quo non pauca egessit; licet doloribus postea tentaretur; & postea tabellam diarrhodon per aliquot dies adsumebat, cum aqua endiviæ & portulacæ; ac topico mutato, cum dolores jam remissiores videbantur, pannis vino unius anni madidis super dolentia loca utebatur, & ad articuli roborationem, & resolutionem impacti; postea vero, hoc etiam vicibus alternatis; ℞. muscilaginis seminis altheæ, fænugræci, in aqua salviæ & rosarum extractæ, ℥iij. olei lumbricorum, camomilli, & rosati an. ℥j. medullæ cervi & vituli, & equi an. ℥ß. & cum cera fiat: quo partes à dolore obsessæ leniantur; vel ℞. micæ panis in lacte maceratæ, ℔j. croci ℈ij. florum camomilli & meliloti an. p.ß. farinæ sem. lini fænugræci an. ʒß. olei liliorum ℥ij. & f. emplastrum ad ultimam resolutionem comparandam. aliquando quoque utebatur ad extra pannis etiam madidis in aqua distillata ex stercore bovis cum aqua salviæ, vino generoso permixta, quo dolores quiescere cœperunt.

Sed cum adhuc reliquiæ persisterent, (erat enim intemperata mulier, fluxionibus catharrosis obnoxia, & pravis humoribus referta:) has per epicrasim vacuare consultum duximus, præcipue in capite congestum; ac tandem repurgare quod in hypochondriacis obstructionibus continetur; ideo primo has pilulas accepit, ℞. massæ pilularum sine quibus, & de rhabarbaro an. ʒß. diagridii gr. ij. & cum syrupo stecados f. 9. & aurentur. ac sex diebus exactis, de apocimate Fernelii uncias 4 adsumebat; tertio quoque die; quod idem eadem quantitate ex decocto pugini comparatur.

Eo

Eo tandem necessitas devenit, ut per errhina à capite divertere necessitas consuluerit; unde singulo mane pulvere utebatur tabaci; os etiam interdum colluebat succo betæ & majoranæ, vino extractis; caput etiam singulo mane fricabatur, (capillis abrasis) aut solis pannis calentibus, aut sacculo his pulveribus pleno; ℞. foliorum salviæ, majoranæ, stecados, an. p. j. milii ℔ß. anisi, fœniculi, fænugræci an. ℥ß. salis communis ℔ß. torrefiant, & fiant duo sacculi: quorum altero calido caput alternatim fricetur; donec frigescant pulveres; in his supinus decubitus est commodior, ne cerebri excrementa in cervicem descendant, & in artus; nam pronus in nares inclinat excrementa.

Tandem, partes laxas, & debiles, roborare consilium fuit, hoc decocto ℞. rosarum balaustiarum, salviæ, galarum, stecados, camomilli, & myrti an. p. j. corticum granatorum. p. ß. coquantur in aqua, ubi ferrum ignitum extinguitur; & postea addatur aluminis aut salis ℔ß. & tepido artus foveantur, mane & sero; nec opus fuit ad sarsæ & chinæ sudores devenire, licet unguento de mercurio & dialthea interdum uteremur, ut par est in rebelli affectu; nam prædictis auxiliis divino beneficio convaluit.

Illud denique summa attentione dignum existimavi, maxime in podagra antiqua, & jam habituali; membris extrema debilitate lapsis; ne talem podagram perfecte curare intendamus, nam perfecte curati in graviora delabuntur pericula; ignobilioribus membris roboratis; quæ minori periculo, (contracta imbecillitate,) noxios excipiunt humores, graviori, repellunt roborati; quo fit, ut qui postea succi recurrunt à membris ignobilibus pulsi, aut saltem non recepti, ad membra principalia deferuntur, & cum vitæ manifesto discrimine; hoc Galenus advertit; sic legitur in illius contextu, in Lib. de Nat. Hum. Comm. 2. text. 5. in fine; *Satius est enim ut humores pravi, relictis principalioribus partibus in ignobiliores deferantur, quam quod ab ignobilibus in principes impellantur; aspeximus enim sæpe in his, qui articulari morbo aut podagra obnoxii erant, quod repulsis ab artubus, humoribus eo delatis, illi in principem aliquam partem contendentes, homini interitum attulerint; cui ea sola relinquitur spes salutis, si iterum possent ad artus revelli,* &c. hoc his diebus vidimus accidisse, & palam observavimus; in Reverendissimo, & Eminentissimo Cardinali Spinola, sedis Hispalensis Archi-Episcopo, quem graviter vexatum, & podagricis accidentibus afflictum; (ex podagra antiqua) ad vinaceorum usum, Doctores aliqui, nobiles certe medici, detulerunt; ex tanto auxilio sperantes, tantorum malorum levamen; erant enim longe debilia extrema, quo facile noxios excipiebant succos, gravissimis doloribus; ideo post alia auxilia sepelierunt, per quindecim dies hujus viri corporis dimidium in vinaceis, fine Octobris mensis; quo peracto auxilio, melius habere videbatur, nec tam molestis doloribus vexari; sed inde lenta febris incepit, & licet iterum recurrerent dolores, indies intendebatur febris, fere semper continua, ex bile & pituita: de genere ardentium in progressu; ut fermentata putredine, jam videretur de malignarum sorte; ad cor & ad caput, videbantur pravi illi succi recurrisse, quo graviter afflictus, & extrema imbecillitate superatus, frigiditate corpus universum occupante, debilissimo & formicanti pulsu; animam, (beatissimam certe) reddidit Creatori, veneris die 12 Februarii hora septima mane: anno Domini 1649.

Galen. Lib. de Natur. Humana. Comm. 2. text. 5.

De artritide à causa frigida.

Ioannes Aluarado, Senex, olim sanguineus, nunc crapula & vino pituitosus, in autumni principio, doloribus podagricis, & aliorum articulorum premebatur, non mutato colore, pedibus tumescentibus, tum ore veluti œdematoso: corpore universo pituitosis succis scatente; sed à cerebro descendente cumulata pituita; in hoc statu à clystere auspicati sumus curationem: ex hydromele, oleo communi, & camomilli, sale & benedicta; postea ex talo sanguinem mitti jussimus, & externa saphena, satis moderata quantitate ex alio secundo; hyrundines deinde hæmorrhoïdibus apponere mandavimus: quoniam fluere solitæ hæmorrhoïdes, jam olim suppressæ, restitebant; & sanguinem in bona quantitate extraxere; syrupum rosatum cum aqua cinnamomi accipiebat interim; & aquam radice chinæ coctam, in potu ordinato: victus ratio ad siccum declinabat, ex assis potius quam elixis; cum vero distillatio in articulos à cerebro persisteret, neque minus à crudo ventriculo conflueret; placuit primam regionem, aliquo medicamento repurgare, ac ideo pilulis de hiera illam regionem eluere decrevimus: quo non male egessit; crudi & frigidi humores postea parabantur, syrupo de cortice citri & rhodomele, cum illa chinæ aqua; secundo repurgavimus, agarici & rhabarbari diluto, additis duabus unciis syrupi de filicula; quo satis multa egessit; ac sex diebus exactis ad caput repurgandum accessimus, pilulis de agarico & cochiis an. ℥ß. diagridii. gr. ij; & cum rhodomele f. 7. & aurentur, quibus sublevari aliquantulum cœpit; erat enim excrementitia pituita, ex ventriculo & cerebro collecta: ex frigida & humida, valde lapsa utriusque membri intemperie; hanc postea corrigere, & horum membrorum facultates roborare, ordo indicationum postulabat; quod adimplere fecimus, tabellis aromatici rosati, & diarrodon; ut stecadis condito & zinziberis. cœnam omnino interdiximus, præter bis coctum vino madidum; vinum etiam, ventriculi ratione moderate permisimus dilutum aqua cocta æquali portione; ac potum omnino fecimus moderari: hoc enim est prudentis consilii in hoc casu; &, ad conterendas illius excrementi reliquias, post cibum & post cœnam de hoc pulvere dedimus. ℞. anisi, coriandri præparati, an. ʒj. cinnamomi electi, caryophyllorum an. ℥ß. margaritarum præparatarum. ℈ij. facchari rosati antiqui, ℥ij. & de hoc pulvere assumat cochleare; ad hoc etiam magnopere conducere existimamus, post cibum & post cœnam, poculum electi chocolate accipere; nec pro errhino, displicet, ad nares trahere & divertere cum pulvere tabaci; sed non præpostero & vitioso usu, ut assolent frequenter, hoc superati vitio, sed bis tantum, ante cibum & cœnam.

Ulterius necessitas urgebat, ad majora auxilia devenire, cum non hæc adeo viderentur æqualia; ideo

ideo ad radicis chinæ & gaiaci decoctum, ut paulatim proliceretur sudor, accedere consultum duximus; ut ℞. radicis chinæ, ℥j. ligni sancti scofinati ℥iiij. radicis scorzoneræ n. j. per 20 horas infundantur, in libris octo aquæ fontis postea ad medias coquantur; & coletur; & de hoc adsumebat uncias octo, cum saccharo, actuali calore, singulo quoque mane; & profuse sudavit per duodecim dies; quo auxilio tenui & siccante diæta omne fere excrementitium dissipavit, & membra humido scatentia, fere redintegrata sunt, ac dolores in totum remiserunt, clysteribus tertio quoque die repetitis: quoniam hæc sudorifera auxilia exsiccant excrementa; ac ultimo, corpus universum, à crassiori excremento derelicto repurgavimus illa purgatione supra dicta.

Hæc nos fecimus in hac sorte artritidis; sed quia vulgares perfectam sanitatem non consequuntur, apponunt potius ignorantiæ, quam morbi resistentiæ, & postulant, quæ nondum sunt inventa; ideo placuit, non tantum ad causam, sed etiam ad originem causæ devenire; quare si adhuc persistit perennis morbificæ causæ generatio; post prædicta auxilia, caput à capillis abrasum, singulo mane fricabitur sacculo calido his pulveribus pleno; quo mire capitis excrementum dissolvitur, & humida intemperies desiccatur; ℞. foliorum salviæ, majoranæ, stecados an. p. j. seminis anisi, fœniculi, fænugræci. an. ℥j. milii ℔ß. salis communis ℔ß. torrefiant in sartagine, & imponantur sacculo, quæ applicetur capiti universo; movere sternutamenta erit secundum artem, ex pulvere tabaci, aut etiam betæ succo; bis in die; aut grano masticis ore retento, aut folio tabaci: hæc enim per os pituitam eliciunt; aliud auxilium ego excogitavi, & in me ipso feci experientiam, & magnopere contulisse experior, ad hanc intentionem, cum hoc quod etiam facultatem roborat animalem; ℞. nucis muscatæ, cinnamomi, anisi, caryophyllorum, & illius aromatis qui apud nostros dicitur bainillas, (& in confectione chocolate miscetur,) an. ʒß. hæc crasso modo contusa, excipiantur, in illo instrumento quod dicitur, petinbao, & pruna superposita, fumus per os excipiatur, ter aut quater in die; hoc enim desiccat, roborat, & per pituitam educit.

Ad topica in hoc casu tarde certe devenimus, cum noverimus, quod natura sese ab onere angenti in hæc ignobilia loca excrementa transponat, veluti quadam crisi; ac illis roboratis, facilime ad membra nobilia recurrat. ideo est magna cautio adhibenda, ne pars debilis recipere assueta roboretur, ut Galenus antea præcitato loco advertit; antecedente capite; attamen illud ex arte erit, doloris sævitiam oblinire, ab accidentis urgentia indicatione expetita; & ne humor, articuli cavitate receptus lapidescat, in tophos aut in nodos concretus; ideo nos utimur foliis aloës semiassis per medium incisis; deinde muscilaginem extrahere curamus, ex radice altheę, semine cydoniorum aut psyllii, & seminis plantaginis, semper enim frigidæ materiæ aliquid serosæ aut calidæ miscetur; & panno in his madido utimur, addita aceti aliqua portione, & aliquando lacte; quod si magis participat de frigido humore in vino, aut mero aut lymphato, & iis semper tepidis, excepto in æstate; quod si illis non cedat, sanguisugas dolentibus locis adaptamus majori aut minori quantitate, prout humor præsumitur, articulo receptus, quod auxilium in hoc alia superat, ut illa vacuatio à parte comparetur, non tantum subtilis, sed crassioris succi, absque ullo retrocessus periculo.

Postea vero, ad torporem inductum discutiendum, humore impacto exoluto, hoc lenimento utimur; ℞. olei lilii, cammomilli, lumbricorum, vulpini an. ℥j. muscilaginis, psyllii extractæ aqua salviæ ℥j. croci ℈j. camphoræ gr. iij. ceræ parum, & f. lenimentum; aliquando emplastri micæ panis in lacte, croco, flore cammomilli, cum farina etiam fænugræci; interdum sola aqua vitæ, parte ad ruborem fricata, ac postea oleo lumbricorum imbuta. aqua mense Majo extracta ex stercore bovis plerique utuntur, & fælici successu; alii unguento, ex succo ebuli, & sambuci, cum oleo liliorum, cammomilli, & cera.

Si vero ad nodos articuli dolores jam deveniant, hoc uti poterit emplastro. ℞. gummi picis navalis axungiæ anseris, vituli, ursi, & equi, an. ℥ß. sulphuris hermodactylorum an. ℥ß. olei vulpini terebinthinæ an. satis ad emplastrum; sed illud miræ efficaciæ experior, si unguento de mercurio pro morbo partes obliniantur, & fricentur, addita dialthea.

Interim est potu modicissimo, sorbitionibus & jusculis parcissime utendum; & est à nivis usu omnino abstinendum, adhuc inassuetis à narcoticis est, ut à veneno fugiendum, tam intus quam ad extra; quoniam affectum tædio & contumacia deteriorem reddunt, ut Galenus advertit 12 Meth. 3.

Clysteribus est frequenter utendum, acrioribus maxime & purgantibus; nam à locis dolentibus revellunt; purgare in principio aliquando conveniet, ubi nulla est febris, sed non valentioribus, nec prorsus lenientibus; nam debilia movent, & non evacuant, & ad membra dolentia protrudunt, quare in hoc casu placet, benigniora trahentia seligere, ut rhabarbarum, & agaricum, & inter electuaria, diacarthamum, nam obturbit & hermodactyles est maxime conveniens.

Et ubi non est febris, non tibi cura sit, de exquisita humorum coctione: nam humor motu positus, & tenuis, facile à medicamento rapitur, & habet naturam adminiculantem, ut Galenus est auctor; sed ubi febris in venis putrida complicatur, omnino coctionem expectare, est ad artis principia, & auctorum decreta: & affectus, qui ex illa fovetur, & febris ratione, illud etiam indicatur; nam si crudum, quod non cedit, movetur; facile ad partem dolentem pellitur; quoniam sicut, humore pulso, pars à dolore liberatur; sic dolens motum, & non expulsum attrahit, & doloris irritatione, & quod humor movetur juxta inclinationem, quam à principio non recte acceperat; de hoc exempla vidimus & non pauca: est etiam purgatio repetenda, bis aut iterum, si nova fluxio concitatur, licet à purgatione dolores concitentur. sed non erit abs re, antea phlebotomiam imperare, attemperantibus uti, si fluxio est soboles pravæ alicujus qualitatis excedentis, intemperati membri producentis, est tamen

men virtuti prospiciendum maxime, ne illa in posterum ferendo auxilio delassetur.

In topicis frigidioribus est tantum persistendum, quo rubor, calor, dolorque auferantur; postea transire oportet ad unguenta, cum resolutione roborantia; quod si tenacior materia resistit, sive quod altius impacta, uti poteris fotu, cum spongia ex decocto ebuli & radicis altheæ, aut jure capitis vervecii; (ne lapidescat humor) & postea uteris hoc emplastro; ℞. gummi pini, ℥j. picis nigræ ℥ij. casei veteris, pulveris hermodactylorum, & sulphuris, an. ℥j. axungiæ veteris ℥j. ceræ parum & f. emplastrum, innovetur quotidie, donec libertas motibus comparetur; aut minuatur tumor; nec expectes, ut in tophos materia vertatur.

Postea vero, ad discutiendas reliquias materiæ, & partes roborandas, maxime in pedibus & manibus, hoc decocto uteris, ubi fere per horam membra contineantur; seu spongia fovendo ℞. baccarum juniperi, radicum elenii, & altheæ an. ℥ij. rad. ebuli m. j. foliorum lauri, myrti, salviæ, betonicæ, stecados, origani, calamyntæ, majoranæ, floris rorismarini an. m. j. fœnugræci ℥j. fiat coctio in lixivio sarmentorum, in bona quantitate; quo illa contineantur membra; ac pedibus & manibus detersis, inunges unguento supra dicto.

Quod si ne istis cedat, vaporem accipiat ex his herbis decoctis in vino, aqua, & aceto, vel ex vino, aut aceto, ubi silices igniti extinguantur; quousque sudor manare cœperit; erit tandem auxilium, ad thermas hos deducere; & si capitis intemperies, unde perennis fluxio, habitum jam contraxit, fonticulos aperire intercipientes fluxionem, divertit; & si est frigida capitis intemperies, decocto lixivio, herbarum capitalium foveatur: si calida, embroca herbarum frigidarum; tepida, neque probo emplastica, quia effluvia reprimunt necessaria, unde augetur fluxio, si magis placet cucufa; hæc fiat ex herbis capitalibus, ut nigella, romana, ligno aloës, &c.

De lethargo: ubi pleraque ex Aretæo desumpta.

Pleraque tantum in veternosis affectibus placuit adnotare; carus & coma, aut sunt febris symptomata, aut per se ipsa, morbi; continuis febribus raro accidit carus: sed cum accidit, grave malum portendit: coma in interpolitis frequentius, sed nec tanto discrimine: hoc nos vidimus febre interpolata, & per quindecim dies perdurasse; & talis insensibilitas, immobilitasque corpus universum occupabat, ut levi apoplexia videretur affectus; & cum febris accessione incipiebat carus, in declinatione, resipiscere veluti videbatur: & in febris carentia omnimoda erat somni vacuitas.

Lethargus semper est febris comes, illa semper continua; semperque cum delirio, & nervorum mollificationem semper affert, jure vicinitatis & causæ sympathia; ac ideo Aretæus advertit, *Vt in clysteribus apponatur castoreum, quia intestinum in illo affectu veternoso est ad excretionem emortuum*; ut ℞. vini optimi ℔ß. olei rutæ ℥ij, nitri ℥ij. castorei ʒß; & hoc post alia clysteria vacuantia; & per vices injiciantur etiam, & alia purgantia; in illo maxime, qui accidit ex irrigatione pituitæ, in cerebri substantia; & secundo advertit, *Vt si à principio adveniat lethargus, sanguis majori audacia mittatur; sin phrenitidi, aut alii affectui superveniat, potius eligatur purgatio*; sed in mea sententia, neutrum ferent tunc imbecillæ vires; & potius eligerem clysteria purgantia; si non datur occasio, sanguinem parce mittendi, saltem ex carpo manus; ut Galenus advertit 13 Meth. 21; aut per sanguisugas hæmorrhoïdibus appositas: seu in occipite per scarificatam cucurbitulam; cujus tunc erit proxima indicatio cum vires majori auxilio non suppetunt, seu, cum à parte vacuare, est ultima necessitas.

Nec sane timor erit, ubi altus est sopor, in mulsa ʒß. castorei propinare; quoniam magnam frigidæ causæ arguit abundantiam, caloris præfocati periculum: & cerebri imbecillitatem fere insuperabilem; si ex irrigatione, & non ex apostemate; *Castoreum enim*, inquit Aretæus, *nervos firmat habitumque calidum restituit, acrioribus etiam tunc pedes fricare jubet, ut excitetur æger; & caput ultimo spongia abstergere.*

Illud ante omne auxilium tibi maximæ curæ erit, an fiat ex irrigatione, an ex apostemate expendere; quod ex febris intensione, & delirii ferocia, an secus, venaberis; nam acriora topica, quæ resolvunt validius, ut prosunt in irrigatione, ita in apostemate affectum deteriorem reddunt; ideo in apostemate, topica nostro calori similia eligimus, quæ præternaturalem non intendant; & tantum ideo communi oxyrhodino addimus, de camomilli oleo ℥ß. aut in aceto, flores camomilli facimus ebullire; & hoc imbuta spongia abstergimus, capitis anteriorem partem; fælici-ter etiam conteruntur reliquiæ ex decocto camomilli, rosarum, betonicæ, salviæ, & pulegii, ut vapor per infundibulum per nares suscipiatur; & caput etiam spongia foveatur; ultimo in oleo rutæ, & camomilli addimus aceti squilitici ℥ß. castorei ʒß; in lethargo ab irrigatione; in illo autem qui fit ex apostemate, magis temperata eligimus: & utimur arietis pulmone capiti adapplicito; seu pullo columbarum per medium dissecto, & recenti calore adaptato; hæc auxilia moderate resolvunt calorem, non intendunt; in ultima tandem necessitate resolvendi; si somnus importunus non cedit: in oleo rutæ, nucis muscatæ, euphorbium & castoreum addes, parum addito olei de sehila; sin adhuc renitatur, (cucurbitula occipiti apposita) ad sinapismum venire ultima cogit necessitas; extrema indicatio; qua plerique seducti, cauterium puppi capitis apponere consuluerunt; & in hoc certe statu, auxilii periculum morbi non superat discrimen; & nulla temeritas non est rationalis: si aliqua vitæ spes elucet; nam corpus, si jam sudore madet, licet sit phantastica in pulsu elevatio, non sunt prorsus infamanda remedia, quæ aliis possunt esse saluti.

Illud nolui præterire, quod frequenter omissionem vidi, in tempore nempe, venæ frontis secandæ; nam in mea sententia ideo fere semper secatur ad interitum, quia elapsa occasione secatur; quando extrema cerebri imbecillitas nullam vacuationem ferre potest; hoc topicum & vacuans

cuans auxilium, omnes alias vacuationes antecedentes prærequirit, sed non est prorsus necesse, ut corpus sit positum in ultima penuria; nec ut semper expectetur status, si celeritas urgentiæ periculum anticipare cogit. Quare hujus auxilii occasio, nec est à tempore, nec ab aliis auxiliis metienda: sed ab indicantis urgentia, aut postulantia, ab illa nempe cerebri multitudine, si ex illa cerebri corruptio timetur; & hanc timere par est, seu dum magna incæpit inflammatio: seu altus sopor, cerebrique longe à se recedens alienatio, excitantibus, aut contrariis æqualibus non cedit.

Cauterium in sutura coronali impositum videtur ab extrema desperatione indicatum, non utcunque, sed cum soporis causa, magis ad frigidum inclinat, irrigatione potius quam inflammatione; hoc ægrotos legimus revocatos, plerisque in historiis, quas retulit Schenckius; aliam refert Jacobus Camerarius libro 1. Observationum de Lethargo fol. 68.

An, desperatis morbis, temerariis uti conveniat auxiliis, ut in iis quæ sequuntur exemplis.

1. An in angina suffocante & desperata, conveniat asperam arteriam resecare, vel profundas inducere scarificationes super angentem locum, ut expiret quod suffocat?

2. An in apoplexia conveniat in desperatione, venas jugulares aperire; aliquando etiam temporales carotidas?

3. An suppurato empyemate, sectio aut ustio facienda, inter 4 aut 5. vertebram, usque ad cavitatem thoracis, ut pus cavitate contentum extrahatur?

4. An in tipsi usus ligni sancti conveniat, pro exsiccando ulcere, & sicca potius quam humida curatio?

Typis dare, quæ non fecimus, nec alium fecisse vidimus, erit certe junioribus scandalum, & errandi occasionem dare: ubi maxime de vitæ agitur negotio; nam illi audebunt temeritate aggredi, quæ ab expertis & doctis judicant jam peractum: & in illis non erit ita grave piaculum, velut in senioribus; qui hæc potius in admirationem, aut ingenii ostentationem elata vanitate scripserunt; nam illi imperant quæ typis mandata invenerunt, & judicant ab aliis experta.

Sed quia inter hæc sunt aliæ considerationes, quæ non tantum nobilitant artificem, sed arti comparant excellentiam; ideo hæc non omnino omittenda æstimavimus: ut si possit aliquis desperatus servari, & ut rationalis temeritas ab irrationali & indocta singularem sortiatur differentiam; nam vulgaris medicus, aut timet non timendo; aut præceps in pericula ruit, dum illa nec novit, nec expendit: quoniam, ut dixit Aristoteles, nullis magis fiunt omnia conspicua, quam ignorantissimis, quia fit magna ex desperatione securitas. at vero animo generosus, præclarus sapientia, & longa experientia securus, scientiæ veritate fulcitus, ad auxilia quę formidat ignarus, non præceps, sed consilio & deliberatione, mature manus extendit; ac indicationibus, quæ in contrarium vertunt securitatem, æqua lance libratis occasionem quærit, & non elabi sinit; nec omnia peræque formidat; libratis cum torno & cothurno circumstantiis: nec ita vulgi timet implacidam censuram; ut propterea à recte operando desistat.

Illud tamen alta mente perpendes in hoc casu, (in quo est summa rerum, & electio melioris consilii) ut si contraria æque urgent in consultatione, & utrique occurrere absque magno periculo non datur, homines in fortunæ arbitrio esse, non fortunam in hominis arbitrio; & esse impossibile, omnia comprehendere, quæ sola conjectura expenduntur; cum hoc tamen non est, ut omnia formides, & quæ imminent pericula, ex parte auxilii omnia peræque consideres, si ex parte morbi est fatalis omnino desperatio; nam si omnia perpendis, & omnia extimescis, nunquam aliquid magnum efficies; magna enim non nisi magno periculo suscipi amant; ubi potius aut nobilius est, quod periculo emitur, quam quod timore perditur; pleraque enim importuna irritantur prudentia; satius est enim, & prudentius erit, omnia alacriter aggredientem dimidium ærumnarum & periculi pati, quam in re gravi, omni præsumpto metu, & desperatione, nihil omnino pati; nam dimidium facti lucratur, in valore, audacia; & licet in contrarium hæc cedat resolutio, nihilominus bene consultum est; peregit enim partes suas consultor; melior enim deliberatio est in nostro consilio; eventus deliberationis in sola manu Dei, qui dirigit nostra semper consilia, ad nutum divinæ providentiæ; sui juris manente hominis libertate; cum hoc tamen est aliquid naturæ majestati tribuendum, quæ in omnibus momentis fide caret; sunt enim ut in arte, sic monstra in natura.

An ergo hæc extrema auxilia conveniant in his extremis morbis; hoc, libratis urgentiæ indicationibus, perpendere oportet; nam eo plane modo quo magni affectus indicatio, magnum petit auxilium, urgentia in executione celeritatem postulat; ut in utroque extremo æqualitas servetur; & si extremum auxilium utrumque comprehendit, magnitudinem nempe & celeritatem, ut in casu proposito: hoc aut illud, quantumvis temerarium, ab illa desperatione indicatur; hoc enim stat ex parte indicantis; postea enim expendemus an majori periculo prohibeat contraindicans, dum ad opus descendimus, cum interdum theorica ratio conveniat, quod non potest ad practicam reduci; sic nos illam præceptoris sententiam intelligimus. 1 Aph. 6. & non de solo victu, ut Galenus intelligit; parum enim Hippocrates dixisset, si de sola victus ratione loqueretur; patet hoc etiam & ex Galeni verbis, 5 Meth. 15, dum Archiginem arguit; *Falluntur*, inquit, *qui semper à parvis incipiendum auxiliis contendunt, at simul ac nihil profecerint, aggredienda majora; nam in morbis, ubi periculum non impendet, vera ea opinio est: at ubi moriendum prorsus est, alienissimum à ratione est, à minoribus inchoasse; nam sicut reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoque sententia recte est dicta; nempe ad ultimos morbos ultima prorsus remedia maxime valere*; Quo etiam convincitur Galenum, in illius Aphorismi Commentario, victum, pro uno tantum exemplo attulisse, eorum quæ extremi rationem

Galen. 5 Meth. 15.

rationem sortiuntur; hic vero de aliis loquutum, prout petit urgentia.

Hac ergo supposita sententia Galeni, respondemus in generali & communi doctrina, secundum nobiliora Medicinæ principia, & auctorum decreta; hæc licet extrema & fere desperata auxilia (aliis maxime sine fructu tentatis) extremis in morbis ultima desperatione convenire; quantumvis videantur suo jure læthalia; ex præcisa indicandi ratione; hoc primo constat ex Galeni doctrina, 10 Meth.10. hecticæ febris exemplo, pulcra sane sententia: *In his vero*, inquit, *qui ex caliditate & siccitate febribus hecticis urgentur, solidarum partium affectus, candenti ferro est similis: hos in balneo ne calefeceris; imo melius erit, ut mersis in frigidam extinguamus calorem; at in hoc metus est, ne corpus in diversa transferas, & frigidum reddas: non propterea est prorsus deserendum auxilium; siquidem, si aliter liceret, & tutiori via, consultius esset; sed quoniam totum curationis momentum in refrigerando consistit, & ex refrigerantibus auxiliis, noxa imminet, necessarium arbitror, Thucydidis consilio, agentes aliquid vel periclitari; quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ unica videtur, ea dubia est, necessum arbitror, his adversos periculis, ire; nam noxa, licet magna, auxilio illata, tempore calefaciendo sanatur; nec periculum par est in frigido, ac calido affectu; nam siccitas consummata non sanatur; si igitur insanabilis solidarum partium siccitas est; tum expeditissima in eam per hecticas febres via patet; melius est hominem in frigidam intemperiem transferre, cui curationem adhibeamus postea; quippe qui id fecerit, postea noxam oppugnabit; qui vero mortiferam insistere viam sinet, is desperatam ægrotanti salutem fecerit; quanto itaque satius est, aliquid nonnulla cum fiducia vel cum periculo facere, quam spe dempta certo perire; tanto profecto satius est, potentibus pugnare præsidiis, quam nihil agere*, &c. & libro 12 Meth. c. 1. de narcoticis agens: *Sin ex vigiliis & viribus resolvendis*, inquit, *ad mortis discrimen æger tendat, tunc tempestive hujusmodi medicamentis utare: non ignarus, corporis habitum nonnihil ex his lædendum, læsionem tamen potius quam mortem eligendam; nam si hæc modica est, facile resarcitur: sin ita immodica, ut nec longo spatio persanari queat; at certe hanc ipsam eligendam potius remur, quam ut homo pereat*; satis auctoritatis est in Galeni sententia: illa tamen, alia Celsi, medici veteris & Latini, fulcitur, lib. 2. cap. 10. per hæc verba; *fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur; sed si nullum tamen aliud appareat auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quaque via fuerit adjutus; in hoc statu boni medici est ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique quantus in hac re sit metus: & demum, si exigatur, sanguinem mittere; de quo dubitare in hujusmodi re non oportet; satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum; idque maxime fieri debet, ubi nervi resoluti sunt: ubi subito aliquis obmutuit; ubi angina strangulatur: & ubi prioris febris accessio, pene confecit, paremque subsequi, verisimile est, neque eandem videntur sustinere ægri vires posse*; hæc Celsus.

Galen. 10 Meth. 10.

Idem, lib. 12 Meth. cap. 1.

Cels. lib. 2. cap. 10.

Hoc profecto nos docent Chirurgi peritissimi, in extremam necessitatem acti; nam sæpe in casu desperato unius membri, sphacello aut gangræna corrupti, absque misericordia, totum membrum usque ad partem sanam, amputare non verentur, læthalis hæmorrhagiæ periculo; quando nullum aliud salutis speratur auxilium; in dubio an æger pereat, sub læthali auxilio, aut desperata temeritate convalescat; hoc idem observatur quotidie in lapidis extractione à vesica; cujus magnitudinem sæpe magnum & læthale vulnus non capit. hodie extant apud Tiberium Damianum magni lapides, quorum extractio videtur supra fidem; aliquem vidimus, cujus pondus octo superat uncias, & ovi pavi magnitudinem æquat; cujus ægrotum supervixisse vidimus, inflicto in canali pudendi magno vulnere, ad musculi longitudinem protenso, hæmorrhagiæ inflammationis & gangrænæ periculo; & nihilominus hoc eligere sub dubio, quam certo sub lapide perire, rati sunt prudentissimi viri; & sub pari discrimine, cancri pectoris ulcerati, evelluntur; quorum historias recensere esset otio & tempore abuti; hoc tandem philosophica ratione confirmatur; *contraria contrariis curantur*, quod est antiquius medicinæ principium; hæc contrarietas non tantum de contrarietate qualitatum intelligitur, sed etiam de contradictoria multitudinis, nempe ad evacuationem; 2 Aph. 22. ut etiam de oppositione relativa, ut dum alvi fluxus curat alvi fluxum; 1 ad Glauc. 9. sicut de oppositione positiva, ut si demas superfluum. Quod cedit in morbi causam, aut imminens aut præsens; & sub hac contrariorum ratione, etiam continetur urgentia, quæ sui ratione non tantum petit æqualitatem in auxilio, sed celeritatem in executione; frustra enim differtur auxilium morituro in 4, ad quintum; & ideo extrema desperatio temeritatem petit 12 extremo, si in illa auxilium libratur, licet dubium; patet; nam in hoc statu, nullum est principium (ex suppositione) à quo sit sperabilis salus, nec ex parte naturæ, si hanc superatam supponis, nec ex communi & regulari methodo curativa: quoniam jam sunt peracta communia auxilia sine fructu; ergo jam desperatus est æger; ergo ut servetur æqualitas in desperatione, respectu magnitudinis & urgentiæ, auxilium debet esse æquale, ut proportionata magnitudine, & in celeritate succurrendi; si ergo aliud non datur, nisi quod in dubia temeritate succurrat, hoc erit sine dubio eligendum, ex illo communi Medicinæ principio; si in hac temeritate aliqua elucet auxilii scintilla, aut libertatis spes, licet periculosa; hoc enim satius erit, quam ægrum sub extrema desperatione morti tradere; illud docet prudentia, & selectissima consulit Medicina, & nec experientiæ nec rationi gliscit; nec enim decorum fuerit, dum vanæ æstimationi prospicimus, periclitanti auxiliandi pietatem denegare.

Objectiones contra traditam doctrinam expenduntur.

Contra istam doctrinam tria solent objicere prudentissimi Medici: primum; si sub hoc temerario auxilio æger periclitetur, mors medico consulenti imputabitur, & non necanti morbo; ex quo magna contrahitur infamia, cum honoris jactura; cui æque tenemur, quam alienæ vitæ.

2. Non esse ita certum auxilium, ut salus necessario consequatur; & in dubio videtur, ex consilio in necem conspirare.

Galen. 11 Meth. 9.

3. Verba Galeni in illorum gratiam nos objicimus, 11 Meth. 9. *In quo enim desperata salus est,* inquit, *imprudentis consilii fuerit, apud vulgum infamare media, quæ multis aliis fuere saluti; ipse siquidem aliquos novi ex amethodis istis, qui cum ea quæ nos gessimus essent imitati, iisdemque præsidiis, in iis qui morituri prorsus erant, usi, adeo nihil profecerunt, ut etiam tempestivum eorum usum, suspectum formidolosumque reddiderint; verum nos tempora præsidiaque iis, quos servari spes est, scribimus: quando ægris qui insanabiles sunt, iis nec tempus ullum oportunum, nec præsidium sit; sunt enim desperati solis prognosticis relinquendi, ut Hippocrates dixit,* &c.

Tota prima objectio est politica; est ideo politicis rationibus refellenda; quare dicimus; quod si in magnis & complicatis rebus, ubi aut rerum confusio, aut contrariorum complicatio consilia confundunt, semper optimum quærimus, nunquam fere discernimus consilium; nam multa alioquin fæliciter cessura, importuna irritantur prudentia; quare si quod optimum assequi non valemus, prudentia erit, minus malum eligere; (ubi est æque dubia & salus & periculum,) si in illo spes fulget, quæ in desperatione non apparet; operis temeritatem, & auxilii discrimen, non inficior, illa tamen insecura temeritas in ratione auxiliandi aliquam spem facit; ideo illam aggrediendam reor; sed ex consensu propinquorum & parentum desperati ægroti, & non aliter; sic enim & saluti & honori prospicitur, & lucratur in dubio quod perditur in desperatione operandi; quod si illi auxilium recusent, (nuntiato periculo,) partes nostras peregimus: sin annuant, nulla restat infamia, nec honoris jactura; sed invalida & timida prudentia, semper securissimum proponit, omnia reformidat, quia ferre non valet, & simulat prudentiam in valoris defectu; invalidi est animi, semper securiora petere, ut generosi, aggredi difficilia, si salus in periculo latet: dulcissimum vitæ genus est quies, sed pulchrius est labor; adhuc sua morali sapientia dixit Seneca; *Non desperaveris, etiam diutinos ægrotos posse sanari: si multa invitos & facere coëgeris, & pati; sapientia ars est, certum petat, eligat profecturos, ab his quos desperaverit, recedat, non tamen cito relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet; quoddam enim inhumanitatis genus est, ægrotos in extrema desperatione derelinquere; nam quos spes alit in dubio, certa interdum necavit desperatio.*

Seneca.

Ad secundam objectionem dicimus, ita esse, nullum fere ita certum auxilium, ut salus ex necessitate consequatur, lassæ naturæ vitio, (non auxilii,) quæ proportiones & gradus & morbi & auxilii non assequitur; sed non est ideo dicendum, auxilia in necem conspirare; & in sui ruinam; licet salus illa non consequatur; nam inde sequeretur (quod est valde absurdum) omnes, qui non consequuntur auxilio salutem, in necem conspirare; nam qui salutaria remedia proponit, ex quibus emolumentum non consequitur, tantum tenetur, auxilium à morbo indicatum, quod vires ferre possit, ex propria sententia objicere; non eventum nec effectum auxilii: hoc enim libratur in manu aliena; ideo consultare comperio maximum esse lucrum, licet à contrario res eventura sit, nihilo tamen bene consultum est, quoniam fortuna superavit consilium; non est

A certe discrimen sine necessitate adeundum; sed si repugnando omnibus quæ dicuntur, non ostendis, quid firmum & stabile sit, perinde peccas, ac is, qui contraria dixit, & tu invalida reputasti; illud tamen hodie experimur, ut calculo non prævaleant digniora suffragia; nam illi tantum ad consultationes convocantur, qui alieno ambulant gradu, & alieno comedunt appetitu; pauci sint consulentes, sed electi: prudentes potius, quam elata vanitate superbi; nam ubi multa judicia, ubi major confusio; lapidum congeries

B unita, geometricam altitudinem condit, non unitatem physicam; sic ingeniorum multitudo, non unum facit egregium: imo simul se mutuo impediunt, non juvant; hoc est, aperte falsum, quod in oculis unicum, egregium & perspicuum, duo superant oculi: si potentia unius, plus valet ambobus separatis; cum major activitatis sphæra longiorem metiatur distantiam; & splendor unius, & unita virtus superat fere semper duorum splendorem confusum & sparsum; sed illud multa perdit: quod non est tam bella conditio in

C comitiis, quæ non vilescat & pereat, si à paucis insequitur, & à multis obruitur: nec tam mala quæ sibi primas vendicet, si suffragiorum multitudine superat; cum hoc tamen prudens erit consilium, ubi vitæ & honoris periculum non impendet, ut prudentes viri semper consulant, quod melius, sed interdum multitudine cedant, licet illud videatur deterius; non debemus enim ita propria sententia obniti, ut pro ignorantia æstimemus cæterorum suffragia.

D Ad tertiam objectionem dicimus, Galenum intelligendum esse de illa ægroti desperatione, qua magis periclitatur in auxilio, quam ex morbo, in moribundis nempe, lapsis in essentia viribus membrorum principalium; non autem de illis, ubi gravante onere, vires ita redduntur debiles, ut fere non appareant, (quod in morborum principio & statu, accidere videmus) quoniam in hoc casu, insperatum conatum sæpe natura sumit, omnibus collectis viribus, ut grave ponat onus; quo inde præter expectationem resipiscat, & viribus redintegratis, pugnet contra morbum

E alacrius; quod nullus adhuc mediocriter exercitatus non experitur; & hoc non ex alia causa, quam à summa periculi urgentia; ad cujus imitationem, in hac extrema desperatione, (dum fiat per aggravationem, aut alio curabili principio) nos temeraria auxilia, (si talia dici merentur, ab illo morbi statu indicata) tentare consuluimus; pariter enim, monstra in arte evenire, sicut & in natura nos docuit Averroës; nam soli moribundi, viribus jam collapsis, essentia debilibus, & in radice membrorum principalium, sunt, quibus

F nec tempus, nec præsidium ullum est opportunum; & hi sunt desperati, quos solis prognosticis Hippocrates relinquere mandavit; sed adhuc illud incivile, inhumanum, & impium videtur, & Christiano indignum, nisi cum jam prorsus est moriendum; sunt enim plerique morbi, peculiari ratione incurabiles, sed qui per longum tempus extenduntur, quos non erit humanum derelinquere; licet nulla revalescendi relinquatur spes; veluti in marasmo retorrido, in quo, ut Galenus est auctor, 10 Meth. 10. nulla est sperabilis salus, & in typsi ex ulcere pulmonis à corro-

dente

dente succo à capite fluente, 5 Meth. 12. & ulcerato cancro ab atra bile genito, 14 Meth. 9. licet sint plures morbi, qui naturę majestate & sapientia persanantur; *Vesica decisa*, dixit Hipp. 6 Aph. 18. *aut cerebro, aut corde, septo transverso aliquo ex tenuibus intestinis, ventriculo aut jecore, læthale est*; fateor, quod hi morbi sint suo jure læthales, sed ex his plures vidimus naturæ, aut artis magisterio persanatos; quorum historias nimis longum foret recensere; neque Dureti placet interpretatio, tunc solum mortalem fore decisionem intestini, cum penitus amputatur intestinum, aut interiorem penetrat cavitatem; nam satis manifeste monstrant cavitatem decisam excrementa dejecta; & hi etiam quotidie sanantur.

Hipp. 6 Aph. 18.

Vera tamen ratio differentiæ in ipsa morbi idea, & loci patientis, aut imbecillitatis dignotione latet; ne plane moribundis salutaria suscipiantur auxilia, quæ aliis fuere saluti; nempe, an sit in cerebro, in gutture, aut corde, & ea quantitate, quæ superari nequit; seu non ita breviter, quin ante interficiat, dum regularis curatio instituitur; sed hoc & illud medico indiget valde exercitato, periculis edocto, constantis & generosi animi; hoc enim non potest ulla signorum syndrome præfiniri: quam interdum non superet, aut naturæ majestas, aut decipiat difficile judicium, fallax experientia; nam si non est ita stabile præceptum, quod aliqua limitatio non invertat, quomodo in re plane fallibili ulla erit securitas? de imbecillitate per essentiam, & per aggravationem signa, nos antea in quæstione minorandi proposuimus: nunc sat erit attendere: ut, quæ venit in morbi principio aut augmento, ut plurimum grave sequatur onus, potius quam facultatum essentialem lapsum, ex magna dissolvente intemperie: quæ ideo debilitatem parit, non tantum quod spiritus corrumpat, sed quod partis temperiem & substantiam evertat: quod ne morbi, in principio, sed progressu accidere, par est; idem etiam & Galen. fatetur, 12 Meth. 5. quando dixit, *Quod virium essentia, quibus regitur corpus, tum spiritu, tum solidorum corporum temperamento consistit*: & hæc est ratio, quare immodica intemperies, seu perenni actione, sive activitatis violentia actum virtutis dejiciat; (quod certe moderata non facit;) quia non solas qualitates temperamenti vitiat, & perdit everso omni temperamento, sed ipsammet substantiam, innati calidi, & ejus humidi radicalis consumit, ad cujus defectum, calorem frigidiorem fieri, & illam temperiem everti, est omnino necesse; & inde, necessaria consequentia, essentialis sequitur imbecillitas; sed quia hæc fiunt per alterationem; & alteratio non ita brevi fiat: ideo imbecillitas, quæ in morbi principio apparet, potius per aggravationem æstimatur; quæ morbo jam progresso per essentiam, licet non repugnet, à causa malignissima, intra tempus brevissimum, essentialem debilitatem consequi; quoniam illa activitatis violentia supplet indispositionem patientis.

Galen. 12 Meth. 5.

Hæc maxima fundamenta suadent, ut plurimum in extrema desperatione periclitari, auxilio quantumvis temerario, si in illo aliqua spes lucet; licet dubia; quam ægrum in ipsa desperatione dimittere: nunc ad casus speciales descendamus.

A *An in apoplexia, solo affecto cerebro, desperata, carotidas aperire conveniat; & an in illa, quam parit jugularium interceptio; jugulares?*

Adhuc, quando venit extrema desperatio, illud per signa ediscere oportet; dupliciter accidit apoplexia, in Hippocratis & Galeni doctrina, seu dum cerebri & ventriculi substantiæ à multo, aut lento & crasso succo subito obB struuntur; spiritibus, aut illustrationi transitu denegato; (hæc enim sunt animalis facultatis instrumenta:) & intra cerebrum penitus coercentur; ne ad partes infernas permeet illustratio, diffundatur spiritus: ideo, velut in ictu oculi, perit sensus & motus; de hac Galenus loquitur 3 de Locis 10; ubi signa desperatæ invenies: *Discernitur autem affectionis magnitudo*, inquit, *ex noxa quam spirationi infert, vehementia; cum enim naturalem ordinem plurimum egreditur, magnam; cum vero paululum impedimenti est, parvam in cerebro noxam esC se conjicere oportet; sane omnium pessima spiratio putanda est, quæ & intermittitur, & magna cum violentia trahitur; (hæc in mea sententia est plane desperata) & sane mori contingit apoplecticos, ob id quod spirare non possunt*, &c. *& hæc*, inquit, 2 Aph. 12. *maxima & acutissima est apoplexia*; & procedit in signis fortis & debilis. *Fortis vero est*, inquit, *in qua magna cum vi respirant; fortis etiam est illis, sed minus, qui neque intentum neque violentum, inæqualem tamen, atque exordinatum, ac præterea intermittentem habent anhelitum; in quibus autem aliquem servat ordinem, D debilior existit; & si omnia necessaria fiant, cito curantur; nempe in debili: hoc tamen accidit*, (*Galenus adhuc*) *aut propter aliquam dispositionem inflammatoriam, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso*, &c. quo etiam clare patet, ad hanc etiam reduci; quam se invexisse gloriatur Fernelius, 2 de abditis rerum causis cap. 15. ex plexus retiformis obstructione; nec enim ab illa variat in affectu, nec loco patiente, nec in causa, quæ insuperabilem obstructionem parit; ut etiam quæ à cerebri accidit sphacello, E seu inflammatione ita magna, ut ad necrosim vertat; seu musculorum temporalium percussione, seu sanguinis abundantia subito confluente; quarum historias etiam retulit Benevenius cap. 110. nam illas omnes, non tantum ad legitimas, sed ad fortes reducere erit secundum artem, quoniam in his omnibus à cerebro deorsum, transitus animalium spirituum intercipitur.

Galen. 3 de Loc. 10.

2 Aph. 12.

Transeamus ad aliud apoplexiæ genus, quo spiritus vitalis ad cerebrum exitus denegatur; quæ non ita proprie dicitur apoplexia, sed quaF dam necessaria consequentia, & consensu; ideo ad spurias hanc reducere placuit: licet æque desperata, & æque fortis interdum observetur; hanc descripsit præceptor in 4 Acut. 23. hæc sunt illius verba: *Quod autem quis repente obtumescat, id venarum interceptiones, occlusionesque faciunt, si sane absque occasione, vel forti aliqua causa, id contigerit; hinc syncopes epilepsiæ, aut apoplexiæ eveniunt*, dixit Galenus; in hac spiritus vitalis ad cerebrum transitus denegatur, quo fit ut etiam otientur animales potentiæ, dum illis alimentum, animalibus nempe spiritibus quod ex vitalibus

Galen. in 4 Acut. 23.

comparatur, non suggeritur; & aphoni redduntur, & concidunt, veluti syderati: sensu & motu penitus abolitis, si venæ jugulares penitus obserantur; aliter dimidio oppletis: non virtute in essentia debili, sed oppressa crassi sanguinis multitudine: quo nativi caloris extinctionis etiam agitur periculum, quia ob copiam suffocationi quidpiam simile patitur; & quæ immobilitas apparet, est proprie per aggravationem imbecillitas; sed hæc est spuria apoplexia legitimæ respectu: quoniam licet in accidentibus conveniant, in origine differunt, & loco patiente; hæc enim accidit sanguine multo & crasso ad venas jugulares occurrente; seu ex motu vehementi, veluti luctatoribus, seu ex vehementi iracundia, ut nos in homine bilioso adnotavimus, qui quoties vehementer irasceretur, in quandam veluti apoplexiam incidebat, jugularibus venis vehementer intentis, manifeste pulsantibus, ut rumpi præ tensione nimia viderentur; hoc etiam vidimus accidisse ex maximo mœrore & timore perculsis; *Potest quoque contingere*, addit Galenus in hujus sententiæ Commentario, *ob recentem quandam exolutionem & affluxionem virtutis, congelatis admodum spiritibus.* Quod etiam, veneno ad cor subito recurrente, aliquando vidimus accidisse, & per malignas & pestilentes febres vigore vitali penitus exoluto, & animalitate per consensum collapsa; si non accidat, per primigeniam affectionem, fieri apoplexiam; nempe ab humore multo & crasso ad caput refluente, ab interceptione permanente; nec permittente inferius defluere; tunc enim, si refluit ad nervos, convulsiones parit: si cerebri substantiam, aut paniculos, epileptiam, aut apoplexiam gignit: si ad cor, quod superius ascendere non valet, alismum aut asphigiam, seu exolutionem; nam hæc omnia constant ex ipso Galeni Comm. qui hæc, sub nomine illius dictionis generalis aphoniæ, seu vocis privationis, comprehendit.

Galen.

Sed quia locum auxilii topice præscribit, non affectus, non causa, sed pars illa, ubi affectus residet, ideo partis illius singularis signa maxime distinctiva, oportet contemplari; nam cerebro affecto carotidas: jugularibus obstructis jugulares, nos docet aperire; ideo forte Hippocrates singularia signa interceptionis descripsit, 4 Acut. 26 & 27. & Galenus 3 de Locis 10. *Quam pluri-mis autem horum* (dixit Hippocrates, dum loquitur de interceptione jugularium,) *accidunt hæc: faciei rubores, oculorum constantia, manuum porrectiones, dentium stridores, pulsus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & spirituum, in venis interceptiones; cum dolores accesserint bilis atræ, fluxuumque acrium fluxiones fiunt, dolent morsa interna; morsæque atque admodum arefactæ venæ intenduntur; inflammataque trahunt quæ influunt; quapropter corrupto sanguine, neque renibus neque spiritibus, naturales pertransire meatus, infrigidationes fiunt ob stationem: vertigines, aphoniæ, capitis gravitas & convulsiones. si jam ad cor vel hepar, vel in venam pervenerint; hinc epileptiæ & paraphexiæ, si continentes locos fluxiones invaserint; atque spiritibus exire nequeuntibus exaruerint,* &c. Hæc videntur translata ex libro 2 de Morbis cap. 13. ubi eadem pene leguntur verba, sed hæc sunt signa tantum interceptionis jugularium: & si ex illa forte incidat apoplexia; tunc alia sequentur apoplexiæ signa; illa tamen erunt longe diversa à signis apoplexiæ, quæ accidit cerebro primario affecto; in hac enim, patitur facultas animalis intercepta, unde difficilima redditur respiratio, & cæteræ facultates per consensum; in illa vero, quæ jugularibus interceptis supervenit, in mea sententia vitalis facultas primo patitur, ac postea animalis per consensum, spiritu vitali intercepto, quibus deficientibus necessario deficit animalis; unde, sicut illius est signum pathognomonicum, difficilis respiratio; sic hujus erit, pulsuum inæqualitas, nisi accidat per propriam affectionem cerebri, adhuc jugularibus interceptis, ut dicebamus antea.

Galen. 3 de Loc. 10.

Propria apoplexia, quæ accidit cerebro patiente.

Hæc sunt interceptionis signa, incipientis, progressæ, & confirmatæ: nedum apoplexiæ tantum, sed etiam aliorum affectuum, qui ab illa interceptione oriuntur; nam incipientis signa sunt, dum fluens humor, jam venas jugulares intercipit, & tunc incipiunt faciei rubores, oculorum constantia, manuum porrectiones, &c. refrigeratio vero extremorum est progressæ, cum humor confluit ad interna, & congelari incipit; confirmatæ est sanguinis corruptio, seu ob stationem congelatio, unde, ab humore confluxo, & nedum ventilato, extrema refrigerantur prius: & ab humore, qui postea recurrit ad cor, ad cerebrum, aut hepar, his venis interclusis, incidunt aphoniæ, convulsiones variæ, & interdum salubriter, dum inæquali motu, natura hos humores calefacit, tenuat, aut extrudit; nisi forte succedant paraplexiæ, aut gravis apoplexia, cum in locos oppletas venas continentes desederint ipsi fluxus: *Locos*, dixit Galenus, *corporis partes, quas auctor ipse scripsit, cor, hepar, cerebrum, & venam cavam, ad quæ, cum humor confluxerit, hos affectus producit.*

Conclusio.

Hinc præcipua actio operandi edifcitur, sumpta indicatione ab illo partis situ, ubi morbus insedit, & temeritas à desperatione; an ergo conveniat, salutem ita temerario auxilio librari, unica conclusione respondemus; in omni desperata apoplexia, seu vera & legitima cerebro patiente: seu spuria, venis jugularibus interceptis, regularibus auxiliis sine fructu tentatis, aut saltem ut disponant ad ultimum, licet cum temeritate suscipiatur, non tantum convenit, sed ab illo statu indicatur, venas jugulares aperire, (non arterias) in illa, quæ venit à jugularium interceptione, apoplexia; aut venas temporales incidere, in vera & legitima, ut salus adhuc extremo periculo lucretur, hoc auxilio; si ex illo aliqua est sperabilis salus: ut re vera est; & maxime, si sanguis toto corpore turget, aut venæ jugulares, aut carides pulsant.

Hæc conclusio satis probata manet, ex præcedenti generali doctrina, hujus tituli, indicationum præscindentium extremam morbi necessitatem, & auxilii ultimam actionem: utriusque meritis cum torno & cothurno libratis; nunc in casu apoplexiæ singulari sic probatur; primo Hippocratis auctoritate, in ultima discriminis urgentia; 6 Epid. Sect. 2. text. 8. *Derivare cedentem, retrahere statim, renitentem cædere*, &c. in hujus sententiæ Commentario posuit Galenus extremæ desperationis auxilium; statim cædere quod renitur, si illud jam ultimum periculum minatur;

Hipp. 6 Epid. Sect. 2. text. 8.

minatur; hæc etiam Valesii, viri docti, est ultima sententia in pleuritide, in angina, apoplexia & aliis, jam ultimum periculum minantibus; sic Galenum intellige 4 Methodi 6. Si vero fluxio valenter irruit, revellere ad contraria studebimus; si autem jam constitit atque membro inhæsit, derivare per vicina magis expedit; ideo forte Rasis 9. ad Almansorem cap. de Apoplexia: *Venas quidem, seu jugulares in extremo periculo aperire mandavit*, utpote quibus oppletis, affectio oriatur, inanitis vero solvatur; hanc etiam fuisse Galeni sententiam clare patet; aut alterius sui temporis medici, qui haud minus auctoritate pollet, in libro de Anatomia vivorum tit. de Anatomia venarum manus; *Et venæ temporum*, inquit, *quæ flexuosæ sunt, phlebotomantur, & quæ sunt in angulis oculorum*, &c.

Ras. 9. ad Alm. cap. de Apop.

Galen. sive quis alius Medicus, lib. de Anatomia vivorum tit. de Anat. ven. manus.

Hanc Marcellus Donatus sententiam non tantum amplectitur, sed etiam ut securam commendat; lib. de Historia Mirabili cap. 7. *Audacter*, inquit, *ad harum arteriarum sectionem devenire opere pretium futurum, maxime crediderim, nec est, quod vereamur sanguinis fluxum, in casu maxime deplorato & læthali, in quo satius est, aliquid cum spe bona operari, quam ægrotum certæ morti derelinquere*: nec exemplum à Marco Gatinaria in contrarium adductum quidquam facit; nam secus accidit in vulnere, quo arteriæ tunica multum hiat, ac in apertione longe minori, à chirurgo phlebotomo fabrefacta; adhæc venæ temporales, quæ jugularium propagines sunt, minori cum periculo secari poterunt; præterea, cur est quod timeamus in morbo adeo gravi, arteriæ sectionem, cum Galenus 5 Meth. 7. & lib. de sanguinis missione 17. in longe minoris periculi affectu, in arteriis secandis, audax non semel, sed sæpius fuerit, fælicique successu, ut ipse testatur; quod pariter faciendum confirmat Avicenna Fen. 4. 1. cap. 20. noverunt sane viri isti clarissimi, nocumenta, quæ subsequi possunt, eorumque meminere, & præsertim, sanguinis copiosi & spirituosi effluxionis: sed ad hæc mala evitanda, ingenia & præsidia tradidere; quorum tutissima præscissio transversalis vasis ita dispositis, ut extremitates retrahantur, sanguinisque exitus sistatur; non est itaque expavescenda apoplexia, quæ curationis spem penitus non adimit, temporalium arteriarum decisione: cum majus inde juvamen, quam damnum consequuturum, jure sit censendum; & in casu maxime, ubi ipse Galenus lib. de Sang. miss. citato, fatetur, apoplexiam fieri aliquando multo sanguine, in animantis principium decumbente; nec illud miri erit studioso, qui noverit Galenum ipsum 13 Meth. & 3. de Locis in vertigine, & plerisque oculorum affectibus arterias secare imperasse: & illo antiquiores, idem etiam se fecisse testantur; ut etiam dum caput calida spirituosaque materia, abundaverit, & ex illa affectum excitaverit; nos artificem novimus, qui utrinque apertis carotidibus frumenti granum foraminibus inderet, ut rebelles & calidas oculorum fluxiones interciperet, & fælici successu hæmorrhagiæ absque ullo periculo. reor quod hodie, hujus operis obliterato usu, sit in causa, ut non ita frequenter commendetur; cum olim in frequenti usu esse nos Galenus docuerit; & Brasavolus in Commentario ad 4 Acutorum Sect. 9. varios arteriarum secandarum modos consuluerit, ut in necessitate maxime profuturos. quod Nicolus etiam non omisit; Serm. 2. Sum. 2. Tract. 1. cap. 10.

Marcell. Donat. lib. de Histor. Mirab. c. 7.

Hæc fortasse alicui videbuntur theorica speculatione convincere; sed non posse ad practicam reduci ob inevitabilem sanguinis hæmorrhagiam; sic equidem existimaverit is, qui hoc opus non viderit; nam venæ temporales in hoc casu, non tantum absque ullo periculo, sed etiam securissime secantur: si artifex, qui has venas aperire decrevit, unicam servet oris & faciei positionem; (hoc attendatur, utpote quo consistit summa auxiliandi ratio) quoniam si intendit venam temporalem dexteram aperire; (idem etiam de jugularibus intellige) volvat faciem versus partem sinistram, fronte moderate ligata, & sub brachiis tenui sindone comprimente: nam tunc vena temporalis, aut jugularis dextera intumescit; & tunc hæc audacter scindatur, absque ullo timore: & quatuor aut 6 unciis sanguinis extractis, mox facies ad rectam & naturalem positionem revertatur; ut jugulum & facies in directo consistat, aut si placet, ad sinistram divertat; tunc enim labia venæ scissæ & carnis adaptatæ, ad situm naturalem conversa, foramen naturaliter claudunt, & quavis facili ligatura occludunt, ut ne gutta quidem sanguinis instillet; nedum profluat; præterquam quod illud sit faciendum à perito chirurgo, qui omnia sanguinem sistentia in promptu habeat, & ad manum parata; ut, si id petat necessitas, sanguini profluenti sit auxilio: qui emplastro levissimo, ex ovi candido & pilis leporis, vel corii rasuris facilime sistetur; hoc certe non est imaginarium, sed nostra experientia comprobatum; neque testibus eget nostra veritas.

Suppone etiam, quod ex cerebri inflammatione veniat apoplexia, quod nos etiam vidimus aliquando: in hoc casu Hippocrates 2 de Morb. 37. alio in codice text. 26. hoc auxilium per hæc verba commendat, *Si vero ex naribus sanguis fluat*, inquit, *venas & in brachiis & in temporibus splenüs suppositis deligato*; & nos addimus; *seu venas narium scindito*, ut ad naturæ imitationem, exoneretur cerebrum ab eo, quo veluti sarcina premitur; neque refert, an Hippocrates de cerebri sphacello loquatur; si paritas in auxiliandi ratione & in indicatione observatur, in apoplexia & sphacello cerebri; est siquidem paritas in utroque affectu, in causa, in loco patienti, urgentiæ celeritate & auxilio; nam sub eadem indicatione, idem fere consuluit in alio capitis affectu, quam ipse vocat venarum supervomitum, hoc est sanguinis exitum à venis extra calvam, cum inflammatione & dolore partium adjacentium & nervorum: *In his*, inquit, *cum sic habuerit, deraso capite, si non calefactorius cesserit, frontem ea parte, qua capillus desinit à capite, findito*, &c. & text. 29. *si cerebrum jam corrumpi incipiat, quod magnis inflammationibus accidit; cum ita habuerit*, inquit, *secare oportet, qua parte intumuit: & perpurgato osse ipsum radere, & ad secundam laminam, deinde ut fracturam curare*, &c.

Hipp. 2 de Morb. 37. text. 26.

Idem, text. 29.

Hæc indicatio, quam præscribit urgentia, & vacuatione obsessi humoris, à parte oppressa adimpletur; nec minori imperatur periculo: nec certius pollicetur salutem; & tamen à præcepto-

re traditur, quia fatius eſt, certò ex valetudine periturо, anceps auxilium experiri, quam nullum; veluti in cerebro corrupto, ubi qua parte intumuit, ſecare imperavit; & in venarum capitis ſupervomitu, hoc eſt, dum ſanguis extra calvariam refunditur, cum inflammationis & gangrænæ periculo, venam frontis inſcindere; ſeu in parte poſteriori, ubi capillus deſinit, altas ſcarificationes & profundas infigere, ut ſucceſſione ad id quod vacuatur, quod in profundo latet, & periculi urgentiam inducit, attrahatur.

Idem, text. 46 & 47. Lege ulterius text. 46. & 47. *Si ſyderatus quis fiat, inquit, & anteriorem capitis partem dolet, & oculis non videt, ſed ſopor ipſum tenet, & venæ in temporibus pulſant: & febris debilis tenet, & corporis impotentia emarceſcit; hunc calida lavato, caput calefacito, myrrham & æris florem in nares infundito; & ſi his melius non habet, quæ unica ſpes reliqua eſt, ſyncipui ipſum ſindito; & ubi ſanguis defluxerit, labiis compoſitis curato; ſi vero non ſecueris, 18 aut 20 die plerunque moritur*; non moror, an Hippocrates de cerebri ſphacello, an de ſpuria apoplexia, hoc proferat judicium; nobis enim ſat eſt, vacuationem à parte affecta, imperaſſe, aliis non proficientibus auxiliis in morbo ſatis periculoſo, tam horribili, & crudeli auxilio, ut credas nullum gravius eſſe, quam mors inevitabilis; hanc Petrus Salius in Commentario hujus loci, admiratur & ſequitur ſententiam; & miror profecto, miror, quare hæc ſalutaria auxilia in deſperatis morbis à doctiſſimis viris & expertis, magna ſui fiducia, non revocentur quotidie in uſum, ut unicum extremæ deſperationis aſylum; quare in apoplexia, jam ex hypotheſi deſperata, non tantum carotidas inſcinderem; ſed in illa venarum interceptione, jugulares aperire conſulerim; venam frontis ſecarem: leonicas & narium internas, ut ars petit, haurirem; ac tandem altas & profundas ſcarificationes infigere non dubitarem, raſo capite, ubi capillus deſinit, in utroque latere poſterioris juguli; ſeu, ut Hippocrates conſulit, juxta ſyncipitis ſuturas; donec aliqua ſanguinis quantitas vacuetur, ut illius ſucceſſione attrahatur, pars aliqua illius, qui obſtruit ventriculos & cerebri ſub-

Cautio. ſtantiam; dummodo adhibeatur cautio, ne illud, ut ſors tulerit, imperetur, ſed in juvenibus aut viris melancholicis, ſeu ubi ſanguinis craſſi abundantia præſumitur, in cerebri vena coronali concreta; non ubi craſſa & frigida pituita, paulatim in cerebri ventriculis congeſta, ſeu ex crapula frequenti cumulata; aut in extreme ſenibus, & pleriſque obeſis mulieribus & frigidis.

Illud ultimo minime prætereundum duxi; nobiliſſimum nempe & præſentaneum auxilium, in hoc morbi ſtatu, quod à præceptoris ſententia colligitur, & ab ipſa natura edocetur; 2 Coacar.

2 Coacar. ſentent. 3. ſententia 3. ſic legitur in illa, *Quæ apoplecticis veniunt hæmorrhoïdes, ſalutares*; hoc ſalutare auxilium docuit in apoplexia natura, cujus documenta nobiliora ſunt quam artis nobiliſſimæ; unum nos docuit, dignum illius excellentiæ; in auxiliis vacuantibus, nempe, ad originem fluxionis attendere; aliter enim aut cedunt auxilia in irritum, aut fiunt cauſa graviorum malorum; nam ſi ex hypotheſi, melancholicus humor in cerebrum aſcendit, ex ramo ſplenetico, qui ad internas inteſtini oras terminatur, ſeu ex ramo venæ cavæ deſcendentis, qui venit ad externas, ſi in hoc caſu urgentia ſeducti, ex brachio, aut alio ſuperiori loco, ſanguinem mitti placet, anceps & lubrica erit auxiliandi ratio; nam præterquam quod nihil adimit de humore confluxo: fluentem adjuvat, juxta inclinationem quam à principio non recte acceperat; & ſuperius revocat, & ad partem læſam trahit; ex talo vero, non tantum conſtat vacuare quod lædit, ſed etiam in poſterum læſurum, ſeu ex hæmorrhoïdibus talis vacuatio provocetur, per liberum & liberalem exitum ſanguinis melancholici, ad naturæ imitationem, quæ per ſimilem exitum, juxta humoris inclinationem, in hæmorrhoïdibus auxilium invenit, de quo nos admonet in hac brevi ſententia; & hoc in utraque apoplexia, propria aut ſpuria intelligendum reor; nam inferiori vacuata multitudine, ubi minera & focus deliteſcit, poſtea tempus erit, impactum vacuare, ſecundum alia principia & præcepta, ab Hippocrate & à Gal. tradita; nam propoſitum auxilium rheuma conſiſtens trahit verſus originem; concitatum longiſſime revellit; quo nihil utilius poteſt excogitari; & dato, quod Hippocrates hoc tantum in debili conſulat apoplexia; non extra magiſterium artis erit, in omni alio ſimilis urgentiæ affectu, ſi fovetur ab eodem principio, pari uti auxilio: non prorſus deſperato; hoc enim prudentis medici eſt, ne ſubeat ſuſpicionem occiſi, quem ſors ipſius peremit.

Nam, ſicut debilis apoplexiæ eſt critica vacuatio ſalutaris; ſic ea, quæ artificio fit medici, ad imitationem naturæ, talis redditur; dignoſcitur autem debilis apoplexia, cum ſine ſtertore eſt, ſed cum difficili tantum ſpirandi frequentia, ob infirmam facultatem motricem; in his ergo, ideo hæmorrhoïdum, & ſimilis auxilii comparatur utilitas, quia iis cacochymia melancholica lienis, totius adeo meſenterii & cavarum jecoris partium expurgatur; & in mulieribus uteri, per illam venarum anaſtomaſim; ſeu quia vacuatur repletio venarum, quæ adjacent lumbis, ex quibus eſt facilis ad cerebrum tranſcurſus; & unde fiunt, *dolorifica lumborum mala, utiliter ſanguiflua*, ut Hippocrates dixit, 2 Coacarum 12; per illas nempe venas, quæ ex hypogaſtria expanduntur, ad cutim hypogaſtrii muſculoſam, & in rectum etiam inteſtinum; hujus utilitatis cauſa in Hippocrate legitur, 6 Epid. Sect. 3. quando dixit, *Quod hæmorrhoides, cum inconſiderate ſiſtuntur, eadem ſolent inferre mala, quæ ab iis provocatis arcentur*; dum conveniente concitantur; ſeu medici artificio, ſeu ab ipſa natura; ideo in hoc caſu erit par, & æquale auxilium, ſeu illas provocare ſit conſilium, ſanguiſugis, ſeu ſanguine ex talo miſſo; nam utroque auxilio, & melancholica plenitudo vacuatur, & rheuma concitatum & conſiſtens revellitur; quando per anadromen, ſeu per epigeneſim fit hujus ad cerebrum excurſus.

Hipp. 2 Coac. 12.

Idem, 6 Epid. Sect. 3.

Sed quia in apoplectico, qui ſui rationem non reddit, non facile diſcernitur, an per primigeniam affectionem fiat, an per epigeneſim, & progreſſum venarum hypogaſtrii; hoc Hippocrates ex alio principio divinare nos docuit; quando nempe eſt in cauſa melancholicus humor; fieri per tranſcurſum, eſt magis rationi conſentaneum, quoniam talis humor non in cerebro, ſed in liene aut hepate ſui generationem ſortitur, & venis

epiga-

epigastrii commoratur, ex quibus ad cerebrum impellitur; ideo tunc auxilium comparatur, per causæ morbificæ detractionem, per vias sibi consociales, quoniam non aliter redintegratur salus, sive sit facultatum, seu humorum; nisi illa perspecta sit egressio, & unde, & quomodo, & ubi causa veniat; & qua minera & foco delitescat; inde enim melior curandi indicatio, medici artificio ad naturæ imitationem, duce judicio, & comite experientia comparatur: & ne ex debili apoplexia, ex commoto humore, fiat in fortem metastasim; si natura cessante & negligente sui, nullo etiam auxilio adjuvatur, & ut aliquid successione ad id quod vacuatur, de loco affecto detrahatur.

Apoplecticis à natura provocatæ hæmorrhoïdes ab Hippocrate censentur salutares, ergo & ab arte & pro salute erunt; non tantum fluere solitis, sed licet nullæ antea apparuissent: sic enim natura comparatum est, ut hæmorrhoïdibus apertis, cacochymia melancholica lienis totiusque mesenterii & cavarum jecoris, ubi maxime pravi adservantur humores expurgetur; ob anastomosim venarum, ex mesenterio, venæ portæ, ramoque splenetico, ad ultimas sedis oras productarum: quo non tantum causa antecedens vacuatur, sed quæ futura conjuncta speratur, revellitur; & meo judicio, si magna fieret vacuatio, conjuncta jam in capite, cerebroque recepta successione ad id quod vacuatur, retrahitur deorsum; *Non solum ratione evacuationis*, inquit Galenus 6 Aph. 11. *hujusmodi passiones persanant, sed ipsa qualitate humoris vacuati*; & si fas est dicere quod in hac parte sentio, ideo mihi videtur, quia prava qualitate depulsa, depellitur etiam imbecillitas, ab illa qualitate contracta, ut temperie illa redintegrata, virtus etiam denuo comparetur; hæc enim sanguinem crassum assolent vacuare humore plenum melancholico; ideo non sit mirum, si curet apoplexiam ab humore ortam melancholico.

Galen. 6. Aph. 11.

Nec tibi in auxilio obstet, longa à capite distantia, quantumvis celeritatem in auxilio desideres; nam præterquam quod, à fluxionis origine & à foco, ubi humor ascendit, non tantum ab hæmorrhoïdibus, sed ex talo est brevior distantia: si ex brachio fieret, non tantum retractionis opus impeditur, sed est ad partem læsam trahendæ manifesta fluxionis occasio: quod utrumque prohibuit, tam Græca & Latina, quam Arabum schola; nec est difficilis hujus rei demonstratio; par enim est distantia in mania, velut in apoplexia, par humoris confluxio, eadem pars affecta, & forte eadem fluxionis origo: *Et insanientibus*, dixit Hippocrates, *si varices vel hæmorrhoides supervenient, insaniæ solutio*; forte quia humor à parte læsa longissime retrahitur, derivat ab origine, & loco fluxionis, seu quia, qui vacuatur humor, cum illo qui abscessit symbolisat; ideo Hippocrates apertas hæmorrhoïdas illis maxime auxilio futuras æstimavit; quibus ætas à quadragesimo ad sexagesimum annum producitur; quoniam intra hanc ætatem, rationale duxit, si fiat apoplexia, quod humorem melancholicum pro causa sortiatur; ut Galenus etiam clarissime exposuit; hæc sunt senis prudentis verba 6 Aph. 57. *Apoplexiæ autem fiunt, maxime à quadragesimo anno, usque ad sexagesimum. non omnem apoplexiam ita fieri*

Hipp.

Hipp. 6 Aph. 57.

commentatur Galenus, *sed nuper, dictam tantummodo*; nempe quæ fit ex atra bile, iis contingit advenire, qui dictam agunt ætatem; quoniam in his maxime abundat atræ bilis humor, &c.

Hæc omnia possumus magistra experientia confirmare; nam sicut in apoplexia à cerebri commotione, aut inflammatione orta, ex sola larga sanguinis hæmorrhagia, salutem comparatam vidimus, sic in illa quam sæva melancholici succi anadrome induxit, liberalis & libera, hæmorrhoïdum vacuatio pari beneficio concitabitur; nam hoc & illo auxilio, aut artis aut naturæ ab onere cerebrum sublevatur; ab obstruente succo; ac onere deposito, facultas resipiscit, salus redintegratur, ut Hippocrates dixit, 2 Coac. 83. per hæc verba: *Qui in febre continua muti jacent, siquidem è naribus sanguis fluxerit, & vomuerint, & ad se ipsos redeant, servantur*; hæc nos docent principia, & veterum decreta; dicam quod ipse inter medendum vidi: Petrus Morera, civis Hispali, ut publico genere, ita & divitiarum opulentia notus, dum annum sexagesimum ageret, in levem incidit apoplexiam: hunc medendum suscepimus, & hac doctrina doctus, mox ex talo illi sanguinem misimus, & satis copiose, præmisso acriori clystere; medio fere noctis: & in mane sequenti ex contrario talo, iterum mitti jussimus, & fortioribus ligaturis interpolate laxis, octo exactis horis sanguisugas in bona quantitate hæmorrhoïdibus adaptare mandavimus, quo aliquantisper resipiscere cœpit & respirationis libertas comparari; quo deinceps divino beneficio convaluit; hoc incepit mensis Maji principio: & interim vir iste navigandi frequentia, lichenes ab exusto melancholico succo, cum ingenti pruritu patiebatur, inguinibus ad nates, & in utroque femore, ac caloris acredine seductus, in Betim fluvium se mergere seu natare decrevit, mense Julio, dum cœli canis latrat, viget syrius ardor, (Hispalensium vetus consuetudo) cum, en subito, eadem ipsa nocte, lichenes evanescunt & funesta palindrome in caput retrocedunt compulsi aquæ frigiditate, quo in fortem incidit apoplexiam; nam tribus fere horis non exactis difficilis adeo spiritus, cum stertore cœpit, ut nulla vitæ spes reliqua esset; nam adhuc majoribus auxiliis in celeritate urgentia libratis, intra sex horas brevissime devixit.

Hipp. 2 Coac. 83.

Hinc alia elicitur conclusio à majori ad minus; si in morbo omnium acutissimo vacuans auxilium à loco distantissimo, juvat, imo præcise indicatur, ab illa fluxionis origine, quia circa lienem in hepatis cavo, & loco mesenterii velut in sentina pravi coacervantur succi; potissima ratione convincitur, in aliis morbis & minoris urgentiæ, quibus focus, minera, fluxionis origo, & sentina ab his locis præsumitur, necessario futurum hoc vacuans auxilium, à parte inferiori hujus loci; veluti in febre, cujusque sortis sit, putrida aut maligna, capitis dolore, phrenesi, lethargo, epilepsia, debili apoplexia, aut paralysi; si inibi originem traxisse, verosimili ratione præsumitur; ut in hypochondriacis, & mulieribus, licet non fluant menses; quibus semper præsumitur, pravos succos vasis coacervari uteri; nec dubites his omnibus omnem succorum colluviem, circa producta coacervari loca: quoniam hoc

hoc Galenus, ut maxime rationi consentaneum duxit, in lib. de Humoribus, ex quo translata legimus eadem fere verba in 4 de Sanitat. tuenda cap.5. *Cæterum si in lasso corpore*, inquit, *sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio adhibenda; quippe incisa vena bonum sanguinem emittit, malum qui in primis maxime venis, circa jecur, & quod mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus*: & si tibi videtur, quod hic loquatur tantum in casu cruditatis, attende quæ leguntur in libro de Humoribus Comm.2. text.15. *Nam evacuationes*, inquit, *probum sanguinem vacuant, & pravum, qui in primis potissimum venis, quæ in jecore & partibus, quæ circa ipsum sunt, colligitur, in totum corpus attrahunt.*

Galen. 4 de Sanit. tuenda cap.5.

Idem, Lib. de Humor. Comm. 2. text.15.

Si ergo in cerebro receptum, non præsumitur posse inferioribus auxiliis deturbari: saltem esse potioris urgentiæ rheuma consistens, quam adhuc concitatum: jam tempus est superioribus pugnare præsidiis, contra ultimam affectus jam inducti urgentiam; sanguinem ex brachio mittendo, si adhuc constant vires, saltem ex carpo manus, seu vena in fronte incisa, aut sub narium pinnis: seu tandem occipitio affixa cucurbitula & scarificata altioribus plagis; nam si ex illa sanguis largiter hauriatur, plus sanguinis missione prodesse, testatur Aretæus; quod si adhuc barbara renitentia renititur affectus, tunc carotidas temporales aperire in vera per essentiam apoplexia, seu jugulares, in illa quam venarum induxit interceptio, ultima nos compellit urgentia.

An in Angina suffocante, in ultima desperatione, conveniat asperam arteriam resecare?

An inter anulos asperę arterię resecare, in ultima urgentia, aut extrema desperatione conveniat, seu profundas inducere scarificationes super angentem locum, ut expiret quod suffocat, hoc etiam non vulgarem notitiam exoptat, sed generosum animum, longa experientia, & fiducia magnis in arte rebus assuetum.

Pro cujus decisione adverte, duplicem esse suffocantem anginam; ex simplici inflammatione, aliam in musculis gutturis aut faucium internis aut externis cum ulcere superficiali, interdum corrosivo aut putrido, aut sane sine illo; alteram, ex ulcere carbunculoso & maligno, ardente contagioso pravo & depascente, quæ apud nostros dicitur garrotillo. quarum essentia per angentem inflammationem constituitur, seu præpediatur respiratio, seu sola deglutitio, sive utrumque simul; si utranque canalem comprimere contingit, ut auctor est Galenus 4 de Locis 3. & 6. ad hoc tamen sufficit inflammatio sine ulcere; patet experientia; nec perinde obstabit ulcus inflammatorium idem posse efficere, ex illis quæ dicebamus antea; quoniam suffocationem inducere citra inflammationem, non ita probabile videtur; aliam anginę constitutionem Hippocrates tradidit observatam. 2 Epid. Sect. 2. 28. *In hac*, inquit, *cervicis vertebræ intro vertebantur, & suffocabant; utpote in quibus omnia anginæ accidentia erant satis conspicua; aliis cum febre invadebat, aliis sine illa; & licet plerique evasissent; omnes quos ego vidi mortui sunt*; hæc Galenus. patet illud ex dislocatione vertebrarum accidisse; ex violentia illuc irruentis humoris.

Hipp. 2 Epid. Sect. 2.28.

Aliam anginæ sortem addidit Aretæus, lib. 1. Acut. passionum, à capite 6 ad 9. ubi de tribus anginæ speciebus sic loquitur; *Peracutus morbus est, spiritus compressio; duæ sunt hujus species; aut enim instrumentorum spirandi phlegmone est, aut solius spiritus in se ipso causam habentis affectus; instrumentorum quidem, musculorum epiglottis faucium, columellæ summæ arteriæ, ob phlegmonis excellentem magnitudinem; alteri autem generi contraria eveniunt: instrumentorum collapsio, & singulorum materiæ insignis macies; ut strangulatio vehemens, & ipsomet pectore latentioribusque partibus circa cor pulmonesque abdita inflammatio videatur; hanc appellant interius urgentem & angentem; ego vero existimo solius spiritus id vitium esse, prava convulsione ad calidissimam siccitatem conversi; nulla corporis parte inflammatione laborante; id enim mirandum non est; nam in Choronæis strangulatus citra ullum corporis affectum, acutissimi contingunt; imo vel unica inspiratione, priusquam corpus aliquod maleficium contrahat, homines moriuntur; maxime veneno intus genito; primæ sortis anginosis, lingua exerta, oculi prominentes, & hi permutatione moriuntur, (ad pulmonem scilicet) febres igneæ, & hæc sunt caninæ propria; anginæ autem, collapsio, instrumentorum gracilitas, pallor, oculi cavitas, fauces, gurgulio retracta; eodem die moriuntur, aut paulo post; quod autem in melius vertitur, inflammat omnia quæ extrorsum phlegmone impulerit*; huic Aretæi sententiæ assentior, in solo vitio spirituum, & instrumentorum convulsione; nam, præter tanti viri auctoritatem, hoc acerrimis & tenuibus humoribus, malignis & pestilentibus facilime inducitur: quin imo & spiratibus ad igneam siccitatem conversis.

Aretæus lib. 1. Acut. pass. à cap. 6. ad 9.

Postea & in capite 9. de signis & causis acutorum; columellæ & gutturis carbunculosa, sic descripsit; *Vlcera in tonsillis fiunt*, inquit, *alia mitia; aliqua aliena pestifera, necantia, ista sunt lata, cava, pinguia, quodam concreto humore albicantia, livida aut nigra sordentia: id generis ulcera aptæ nuncupantur; quod si concreta illa sordes altius descenderit; affectus ille schara est, Græce, Latine crusta; crustam vero circumveniunt rubor excellens, & inflammatio & venarum dolor quemadmodum in carbunculo; & exiguæ, raræque pustulæ, quas Græci exanthemata vocant Orientes: hisque aliæ supervenientes in unum coalescunt, atque inde latum ulcus efficitur; & si interius in os depascendo serpit, ad columellam usque pervenit, ipsamque exedit, & linguam etiam occupat & gingivas, & dentes denigrantur; in colum etiam phlegmone erumpit; atque isti haud ita multis diebus, febribus, fœtore, inediaque consumpti intereunt; at si in pectus per arteriam id malum invadat, illo eodem die strangulat*, &c. (asperam intellige, qua repit ad pulmonem.) & ad inflammationis curationem descendens in cap. 7. sic loquitur: *Haud ignobile quidem medicamentum præstat, si sanguinis missione ad animi usque defectum ægrum perduxeris, usque eo tamen, dum ne anima deficiat: in quibus vero inflammationes devorationem impediunt, linguam ad palatum reflectens, ipsius venas rescindito: quod si multus sanguis defluxerit, magis proderit. sin ab angina autem suffocante fiat, ad extra evocabis cataplasmate, ex nitro & sinapi; ut tumor foras vertatur; arteriam asperam resecare non probo; est enim contra experimentum*; hæc Aretæus, quem sequitur Ætius lib. 2. sect. 4. cap. 46.

Idem, cap. 9.

Idem, cap. 7.

Non

Non dubito, ut quod intus recurrit, si extra revocetur, levationis esse, & maxime cum Hippocrates dicat 6 Aph. 37. & 7. Aph. 49. *Ab angina habita, si tumor fiat in collo, bonum: & si tumor & rubor, ad pectus supervenerint; extra enim morbus vertitur*; quando illa est critica ad melius transmutatio, & ad illam sequuntur, secura levaminis vestigia, ut est respirandi libertas, febris & doloris levatio, quocunque die fiat; nam morbis peracutis robur virtutis & naturæ majestas supplet diei privilegium: sed illud semper dubito, calidissimis pharmacis, ut Aretæus dixit, posse illam indicationem adimpleri; quando illis aucta inflammatione, gravius adaugetur periculum: & si illa forte contingat transmutatio; non ideo est in bonis ducenda; solet enim inflammationis magnitudo, adhuc intus manente foras verti, per progressum, sive epigenesim; non relicto priori foco, sed in hoc casu nec spiritus libertas comparatur, nec tantorum malorum sublevatio, quinimo & interdum gravioribus malis ægros cumulat; & in hoc statu hæc tibi semper erit certa regula; si utriusque merita æqua lance perpendas.

Hipp. 6 Aph. 37. & 7 Aph. 49.

Illud etiam hoc loco nolui præterire, quod in praxi non semel observavi; nempe in angina suffocante interdum repente suffocationis accidentia delituisse, & illud sine signis, ut æger deglutire & respirare melius videretur: & die non exacto, nova respirationis difficultas suboritur, febris intenditur, sicca tussis accedit; ex his alium vidi perire, pulmonis inflammatione suffocatum; alium liberari, per magna & valida discrimina, angina versa in pulmoniam, lege vicinitatis viarum libertate; seu ex prava metastasi, si non epigenesi inflammationis ulterius progressæ; quod accidit, seu materia multa, quæ naturam compellit, dum urget suffocatio, sive à malignitate, quæ serpit dum sui similem in vicina producit, per communia vasa, ad pulmonem: illud est argumentum transmutationis, quod nova spiritus incipit difficultas: nec deglutitio ut prius impeditur, licet non compareretur omnimoda libertas; hoc enim illis accidit quod Hippocrates jam dudum adnotatum reliquit, 5 Aph. 10. *Qui ab angina liberantur, materia ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt, & si hos effugerint, suppurantur*; illam dictionem (liberantur) non à morbo, non à periculo intellige, sed ab anginæ suffocatione, materia alio transmutata; aliter enim Hippocratis sententia esset aperte falsa; si de omnimoda enunciaretur libertate, & de omni angina; nam de illa tantum mihi videtur sententia prolata, quam creat materia aut multa aut maligna, quæ acri tenuitate sine causa movetur, & irrito cretissimo concitatur; ut erranti motu à natura coacta impellatur; aut intus retrocedat attracta, à caumate pulmonis, aut à cordis incendio, necessaria ventilatione, ex viarum angustia denegata; ansam nostræ sententiæ dedit antiquus Aretæus, lib. 1. de signis & causis acutarum cap. 1. quando dixit, *Anginosis cum lingua exerta oculi prominentes, hi permutatione moriuntur*: ad pulmonem intellige, ut accidisse legimus Polimarchi uxori, 5 Epid. 37. *Huic anginosæ*, inquit Hippocrates, *facta est ad pulmonem transmutatio, ad nonum sine voce mortua est; adhuc vena secta, quia signa multi & pravi humoris erant; de alia etiam angina historiam enarrat, quæ in convulsionem est mutata, licet plane lethalem*; 5 Epid. 102. & aliam 7 Epid. 19.

Hipp. 5 Aph. 10.

Aretæus lib. 1. de Signis & Causis, Acut. c. 1. Hipp. 5 Epid. 37.

In aliis adnotavit Hippocrates, absque ullo in gutture nec faucibus tumore, ita difficilima redditur respiratio, ut nisi erecta cervice aërem attrahere non valeant, & de dolore in summo gutturis loco conquerantur; potus & in nares resilit, & pene suffocantur, & ii eodem fere die moriuntur, si Aretæo credimus; & nos etiam repente strangulari observavimus; de his causas & signa antea in Aretæo vidimus; sicut & in Hippocrate 1 Prognost. 26. qui secunda aut 3. die strangulari dixit, & Galenus repente 5 Aph. 34. dum offendiculum tantum summo gutture inest; utramque anginam mederi nos docuit Galenus 13 Meth. 16. & de Sang. miss. 19. in principio secta vena in cubito: post principium venis quæ sub lingua sunt sectis; quæ indicatio aliis etiam auxiliis adimpletur, sanguisugis nempe & scarificatis cucurbitulis sub mento, aut occipitio: altis plagis inflexis, ad has Galeni leges: nos vena in talo secta, celerius experimur auxilium.

In ultima tamen desperatione plerosque video de laringhotomia cogitasse, & tradidisse multa ex veterum monimentis collecta, ut etiam experimenta varia; plures etiam video reclamantes, quia hoc auxilium est æque desperatum, ac desperata anginæ suffocatio; ideo in ancipiti anceps, utrorumque rationes perpendi, chirurgos peritissimos consului, fideliores experientias ad limam & lineam redegi, & alias sectiones æque periculosas pari desperatione celebratas, ut si fas esset securius eligerem.

Præciso gutture aliqui, ubi mors sperabatur, salutem invenerunt, in summa desperatione suffocantis anginæ, dixit quidam Avicennæ Commentator; historiam etiam refert *Albucasis cujusdam squinantici, qui vulnus in gutture accepit inter anulos, canæ pulmonis & convaluit*; in libro 8. cap. 43. Antonius Musa Brasavolus, in 4 Acutorum, alterius refert squinantici historiam, quem ille propriis manibus dissecuit in gutture, & bene cessisse tradit; alias etiam plures refert historias anginæ desperatæ, quæ in gutturis sectione invenerunt auxilium, & salutem; aliam refert Olorius 1 de Morbis 22. in scholio capitis anginæ cujusdam anginosi, qui sibi jussit guttur, in summa desperatione amputare, & medico absente factum est, ac inde desperatam salutem recuperavit; Paulus lib. 6. cap. 32. modum sectionis celebrandæ edocuit, ex Antyli sententia; quod etiam Rasim legimus factitasse; & se etiam hujus sectionis fælicem experientiam vidisse; & de alio medico aliam audivisse. Neque ab hac sententia alienus loquitur Alsaravius, tract. 11. cap. 9. nec illam improbavit Albenzoar, imo in capra bene cessisse tradit, facta experientia, in proposito casu; Avicennæ Fen. 3. cap. 11. sectionem amplectitur, & modum sectionis edocuit; ut etiam Haliabas, 4 Practicæ 38. illam probat Agricola in capite 2 Medicinæ herbariæ; & se sectionem fecisse in gutture testatur in angina; Joabertus tractatu de Affectibus Thoracis cap. 1. Jacotius super Coacas. 3. 16. hanc sectionem & probat & commendat; & quatuor refert historias cum fælici eventu celebratas; Guillelmus Placentinus, lib. 2. cap. 7. chirurgiæ plures refert, à se ipso curatos,

Historia ex Avicenna Comment.

tos, à penetrantibus vulneribus, œsophago inflictis. Et tandem Galenus, seu quisquis sit auctor libri de Anatomia vivorum tit. de Anatomia venarum manus; *Ex istis sunt*, inquit, *duæ jugulares & minuuntur in principio lepræ, & fortis anginæ: & angusti anhelitus & in asthmate acuto, & in raucedine vocis, & in apostemate pulmonis; nempe in pulmonia; & in spirandi difficultate, quæ multo sanguine fit calidos; &* 5 Meth. 4. *harum jugularium venarum sectionem, securissimam judicat*; utpote, inquit, *cum harum quoque profluvium, citra vinculum, sistat, si altera manu inferiorem vasis partem comprimas: altera medicamentum vulneri imponas, ac blande comprimas, donec concretum adhæserit; mox deligabis superne, deorsum, & non è contra emplasticis utens, &c.*

Gal. lib. de Anat. viv. tit. de Anatom. venar. manus.

Idem, 5 Meth. 4.

Celeberrimos hujus civitatis Hispalensis consului chirurgos; jam diu Dionysius Betus, vir certe, operandi dexteritate fælix, clarus experientia, & edoctus medicinæ principiis & præceptis; & is se non semel, ulcera gutturis penetrantia, tradidit persanasse, sed in desperata angina cũ doctore Ancona guttur dissecuisse inter annulos, sed non sine discrimine postea persanasse: ac sectionem ut apprime necessariam commendavit; Doctor Antonius de Viana Medicus, & chirurgus, omnium ore non satis commendatus, post longam experientiam, dum de hac sectione loqueremur, agitata inter nos conferentia, & consultatione, audacter dixit; est certe aggredienda, in tanto mali discrimine illa gutturis sectio; nulla enim alia salutis spes fulget in desperatione: plures enim fortasse restitutos legeremus, si agrestis timor, à tanto & tam necessario auxilio doctos artifices, pavore non averteret, si non metus calumniæ, quam jam nos fere non timemus; imo cum ex mali sævitia & desperatione pereundum est, alacriter aggrediendam consuluimus; nonne, est hoc amplius, quam vulnus penetrans internam gutturis superficiem? forte illud cum incidit, curare non aggredimur? nam si mors ex ipso auxilio timetur, est cum spe salutis; quam ex morbo desperato, nullo ex principio speramus; & auxilium secundum rationem, à medicis & chirurgis commendatum exercemus, & salus in periculo nisi alio periculo lucratur; & quod nostrum est partium peregimus; nam divinæ providentiæ sunt eventus; non sunt æque læthalia ulcera, pectoris penetrantia? & in empyemate, non vidimus quotidie exerceri, & salutem in illo periculo lucrari?

Etsi hoc refellimus auxilium, quod læthale, ob officii communis & partis dignationem; seu ne sanguis à vulnere in cavitatem penetret, cum præsenti suffocandi periculo; nonne hæc eadem non incidunt pericula in omni alio vulnere gutturis penetrante: & tamen aggreditur curatio, nec ideo demittitur eo quod desperata hæc instantia locum habet, si quis illud sine necessitate adeundum putaret, at in tanta mali calamitate, & desperatione, alienum à ratione erit, salutem per hanc temeritatem non adire; est enim par necessitas, & æquale periculum, in vulnere ab hoste, aut chirurgo, inflicto.

Conferamus ergo alia temeraria auxilia, quæ sunt prorsus læthalia, non tantum ipso jure, sed ab Hippocrate & nobili vetustate damnata; cum ista sectione; nonne vesicæ sectio, ut læthalis damnatur ab Hippocrate, ob inflammationis periculum; fortasse non videmus quotidie, plures ad magnos lapides à vesica extrahendos, ad vesicam usque à canali, vulnera penetrasse, & fælici successu, pristinæ sanitati restitutos: nos his diebus vidimus plures à Tiberio Damiano dissectos, & quod magis est, homines grandioris ætatis, & lapides vix credibilis magnitudinis extractos; vulnera etiam pectoris penetrantia nonne ab Hippocrate & Galeno damnantur ut læthalia: & sunt vere talia cordis vicinitate, & ob officii pulmonis interceptionem; nonne in empyemate frequentem sectionem non vidimus inter 4 & 5 costam, aut inter 5 & 6. & pure jam extracto, belle convaluisse; vulnera cerebri penetrantia ventriculi jecoris & tenuis intestini, etiam 6 Aphorismorum, ut læthalia traduntur ab Hippocrate; & cerebri commotionem 3 de fracturis, quod syderationis agitur in periculum; & ille ipse terebro cerebrum adeo perforare mandavit, ubi de pure aut sanguine putrescente timetur, intra calvam; & nos cerebrum ipsum vidimus per vulnera dissectum & dispersum, & postea salutem bene redintegratam; & in partu cæsareo matricem dilaceratam vidimus; & mille casus refert Franciscus Rousetus, & Gaspar Balduinus; non est ergo major ratio in illis, quam in illa desperatione, si temerario auxilio utamur.

Sed adhuc ista decisio tot experimentis, auctoritatibus & rationibus innixa, plerisque doctis viris non placuit; sed contra illam novis objectionibus insurgunt; ob timoris periculum recentis sectionis; vel saltem à sanguine transfuso in canali arteriæ, aut nova inflammatione oboriente; sive ex hæmorrhagia, si vena præscindatur, aut arteria, maxime jugularium; secundum ex refrigerationis periculo, si subito per apertionem, frigidus ingrediatur aër, qui cor repente subeat & pulmonem, quo etiam repente periclitatur æger; aut si secatur nervus reversivus, quo mutus redditur æger, ut illi evenit imperito chirurgo, qui cheradas vehementer extraxit cum strumis, ut auctor est Galenus; neque tandem illa sectio locum habet in gutturis carbunculo, quoniam sectione scara non evellitur, neque præfocationis libertas comparatur; nam illud cancrosum ulcus, necat corrosione, fœtore, & contumacia.

Pro solutione harum objectionum; consulere placuit doctissimum chirurgum, cujus dexteritate, in proposito casu, omnes istæ nebulæ dissipentur; Hieronymum nempe Fabricium ab Aquapendente; qui in suis operationibus chirurgicis de hac operatione ex professo tractavit; sub titulo de præfocatione asperæ arteriæ in angina; folio 44. & hic postquam quæstionem hinc inde controvertit, in hæc verba prorumpit; ex quibus elicitur, in quibus affectibus sit secanda, & quando, & ubi abstinendum à tali sectione, & breviter respondet; in omni difficultate respirandi secanda est, ubi suffocationis periculum imminet, & alia remedia non ferunt, excepto, si aspera arteria & pulmo colluvie sunt repleta, cujus causa necessario suffocatur patiens; contra secanda est, quando aut in ore, aut sub mento, aut tonsillis aut columella, aut in faucibus, aut in larynge inflammatio oboritur, tam magna, ut via asperæ

arteriæ,

arteriæ perfecte obstruatur; in qua tamen bronchia materia, multa repleta non sint; & de hac auctores citati intelligendi sunt; in summa, ubi materia & affectio est tantum in larynge, supra inscindendum, ubi vero à laringe, infra abstinendum; hanc enim, Galenus inquit, ex Asclepiade tunc secare prodidit; cum summus metus est ne stranguletur; dummodo suppurata non sit inflammatio, tunc enim alio ingenio est aperienda: quare in casu proposito, secare audacter oportet; imo vero etiam, si asperæ arteriæ repletionis aliquot signa adsint; nihilominus secare: cum sectio sit tutissima; uti videbitis; ideo auctoribus, qui hanc sectionem probant, assentior, & subscribo, dummodo qui secat, sit peritus anatomes.

Primo enim, ob hoc non poterunt lædi venæ, nec arteriæ jugulares, quæ longius ab hoc loco distant, ut dicit Paulus, & anatomia monstrat; neque nervi, cum ea anterior colli pars nervorum expers sit; neque musculi, quod in medio loco, ubi sectio, musculorum interstitium est; & cum hic locus, ut dicit Paulus, excarnis sit, neque etiam alia pars alicujus momenti lædi, aut violari potest.

Inclinato ergo ægroti capite retrorsum, ut reddatur arteria conspicua, & longiorque fiat, & membranosa intermedia melius appareat, incidimus cutim, quæ exterius in collo est, inter duos anulos, ita ut membranam secemus, quæ inter cartilaginem interponitur, non cartilaginem; quæ sectio facienda est infra caput asperæ arteriæ, spatio trium ipsius, quatuorve circulorum; quare invento loco membranæ, inter circulum & circulum medio, ipsum signabimus atramento, per latitudinem cutis; postea cutis hinc inde digitis apprehensa, ipsam per longitudinem prioris lineæ secamus; sic enim nullum periculum est, ut vasa nervi, aut musculi, lædantur; secus si transverse incidamus, & vulnus etiam postea facilius consuitur, & ad mutuum contactum reducitur; quantitas autem sectionis sit, quantum pollicis transversi latitudo est; præterea sectio futura est, quæ in medio spatio servet lineam transversam, & tam longa sit, ut tantum mucro scalpelli rotundi ingrediatur; postea deducimus hinc inde digitis cutim, adeo ut musculus asperæ arteriæ superpositus, nudus appareat, (gossypio usto, aut albumine ovi, venis occlusis ne effundant sanguinem) quo facto musculi duo attendendi sunt, qui asperæ arteriæ superstant, & linea quædam albicans, qua in medio invicem dividuntur conspicienda: tum vero unus ab altero musculo, per longitudinem est unguibus deducendus, ut latum spatium conservetur; ita enim asperæ arteriæ corpus statim apparebit; quo apparente, tum demum sectio inter anulum, & anulum facienda est, transverse; & ita alte demittendum est instrumentum, ut ad cavitatem valde propinquam perveniat; cujus rei indicium erit; quia, ut dicit Antylus, spiritus per vulnus cum murmure exibit; hoc est faciendum scalpello, qui non acutum, sed latum habeat mucronem; ne feriat appositam partem; quo facto, canula immittenda exigua, quæ foramini respondeat, & alas habeat, ne intus attrahatur, & ne subito frigidus ingrediatur aër ad cor & pulmonem; quia sectio eo usque est servanda, quo timor suffocationis prætereat; quod solet intra triduum aut quatriduum esse; postea renovato cutis vulnere, per scarificationes, si opus sit, cutis crebris suturis, mutuo applicanda conservandaque est; & membranosa & cartilaginosa substantia, si non per primam, per secundam saltem intentionem; (collo obducto) facile persanantur; quo non tantum est verenda talis sectio, sed omnino perfacilis sapienti, & perito chirurgo.

Hæc Fabricius ab Aquapendente; ideo ad literam citavimus; quia non aliter satisfieri objectionibus plene duximus. non enim ea quæ pendent ex manuali opere, metaphysicis rationibus probantur; sed ipsa experientia opere celebrata; tempus præfinitum operis faciendi non dixit, cum hoc sola instans præfiniat suffocatio, à prima usque ad quartam diem; in plane acutissimis, aut ultra; quod sane in ulcere carbunculoso, non est pari securitate sperandum, nam corrodendo serpit, & depascendo, quæ sana sunt, absumit illa sectione non obstante; quare causticis potius intus in hac rem agere oportet, non igne actuali, ut Aretæus dixit, his tamen non obstantibus, si aliquis hanc velit sectionem experiri, nobis dissonum rationi non videtur; quo omnibus objectionibus satis factum putamus.

Illud tamen adverto, hanc sectionem non esse adeundam cum de gangræna in angina timetur; nec ægroto jam pene suffocato; aut calore extincto, vel obruto, vi alterius morbi complicati, cum extremo pallore faciei, ne pereat æger in ipsa sectione, & subeat opinionem occisi, quem sors ipsa peremit; nec lactentibus pueris, aut invalidis, sed adultis, robustis, & quadratis, à septimo anno sursum, & aliis ægrotis, à cujus robusta natura speremus talem sectionem ferri posse; nam quantitas auxilii, nec exacta virium resistentia, nec dici, nec scribi possunt; auxilia enim, dixit Galenus, 1 Epid. Sect. 5. text. 1. tunc talia fiunt, quando in tempore, & ut decet ea medici applicant; ille enim est auxilii auctor, & rectus virium æstimator, qui est occasionis inventor, & qui novit quantus ab statu naturali ad præternaturalem sit egressus; occasio autem præceps est.

Illud tamen novimus in plerisque, ut cum de rebus, ubi est necessario periclitandum disserunt, semper securiora eligunt, & fucata prudentia occultant in verbis animum: ne de opinione comparata aliquid minuatur; optimum consilii simulantes; nam cum videant ex successu eventus ponderari, semper securiora consulere ratum putant; licet maximum negotii posse consequi videant; nec inde consequatur: hanc fucatam prudentiam non probo; hoc enim delicati animi & invalidi est indicium, qui nullum laborem ferre, nec rem adversam, experimento valent.

Secundum ut maxime profuturum adverto, in hac sectione non esse, aliquam cartilagineam anuli portionem avellendam, sed solummodo secandam & aperiendam: quod etiam Avicenna adnotatum reliquit; hæc enim est particula, quæ redintegrari non valet; nam quando Galenus dixit, quod partes spermaticæ non regenerantur, intellige simili unione ac deperdita, vere tamen dissimili substantia, callo nempe obducto, sed hoc per longum tempus; & quia deperdita substantia non valet ita cito regenerari, periculum est,

est, ne ante æger pereat; sed tu lege ulterius in hoc Galeni loco, & invenies excepto in pueris, quia puerorum substantia, adhuc tenero humido primigenio & vivifico nectare, & facultatum naturalium robore potest redintegrari.

Tertiùm adverto, quod adhuc aliud auxilium nobis restat præter sectionem; & certe non invalidum; aut enim inflammatio est sub oculis conspicua, aut nec intus nec extra ullum inflammationis est vestigium, neque tumor apparet; in primo si vertitur, ad suppurationem periti chirurgi puris exitum, per internam sectionem intendunt, longo & acuto scalpello; & in secundo casu, ubi ægrotum suffocari contingit, ut auctor est Galenus 4 de Locis 3. Ætius Sermone 8. 47. Hippocrates in prognostico citato tunc aliis auxiliis sine fructu tentatis, sub maxillis & supra collum, altioribus plagis incidere oportet, seu ut contentus in inflammatione calidissimus sanguis, seu ut pus jam contentum expiret; sic enim ægrotos ab suffocatione & legimus, & vidimus liberatos, illustrium auctorum testimonio: quod etiam sufficiens probat ratio à partibus vicinis, humore vacuato; sed hoc magna cautione aggrediendum reor, oblongis in rectum scissuris non transversis, ne vas nobile, aut nervum inscindere contingat; quod si tribus horis exactis adhuc suffocatio instet, hyrudines sectionibus applicare, utilissimum judico, ut, quod superest, de pravo humore extrahatur; hoc enim auxilio in ultima desperatione anginæ, ægrotum liberatum scribit Benevenius lib. de Abditis morborum causis 38. nempe Nicolaum Rota, altioribus plagis sub maxillis inductis, quo cum sanies multa prorupisset, adeo morbus levatus est, ut faucibus spiritum simul & cibum capientibus, facile postea ad bonam valetudinem esset transitus.

An vero, hoc aut illud auxilium conveniat, in ultima anginæ differentia, quam doctus Aretæus descripsit, seu vitio spirituum, seu arida convulsione accidat, nobis absolute videtur, nullius fore usus: cum infra guttur, partes arida siccitate convellantur, & circa cor, & pulmonem vitalis vitientur spiritus, quorum neutro auxilio esse possunt, neque plagæ inflictæ, neque penetrans sectio; cum aridæ partium siccitati, aut spirituum exurenti calori, sola excellenter & frigida & humida medeantur.

An in facto empyemate, inter 4 & 5. costam sit imperanda sectio?

Empyema fieri, variis thoracis partibus, & sub variis affectibus, est expressa Hippocratis sententia; ut à rupto abscessu, ad thoracis cavitatem; veluti in versa ad pulmonem angina; à pleura & pulmone inflammatis, ut etiam à lateribus costarum; à pituita à capite dilabente ad thoracem, non tantum in ipsa cavitate putrescente, sed etiam ab illa quæ ad latus adhæret, & ibi in pus verti contingit: ex aquæ etiam in pulmone & pectore collecta, veluti in hydero pulmonis: ut ex sanguine in pectoris cavitatem refluente, tussi dirupto vase, ex penetrante vulnere, aut alia ruptura; à comprimente frigore, seu laxante calore, seu corrodente succo, aut anxio labore; ex pericardio etiam propter cordis affectum, docet Aquapendens folio 48. titulo de thoracis sectione in Empyemate; aliquando enim, inquit, ex anatome inveni pericardion purulenta materia repletum, & cordis universam superficiem, scabiosam, seu ulcerosam redditam. Quare fit empyema à materia pituitosa, aquosa, purulenta, & sanguinea, aut ex utrisque mixta.

A pleuritide & pulmone suppuratis Hippocrates est auctor, 3 de Morbis text. 63. 64. & 65. & 67. *Quod si pus anacatharsi*, inquit, *non educatur, sed sui significationem ad latera præbeat, secato aut urito*: & in textu sequenti, & latus & modum sectiones edocet; *dum à pure, aut sanguine ex vulnere in pectore collecto*, 2 de Morbis 135. *à pectoris suppurato tuberculo*; 2 de Morbis text. 135. & 137. *In hoc*, ait, *indolens latus decumbere non valet, sed insanum, & ubi decumbit, veluti lapis ipsi pendere videtur; & pedes intumescunt, hunc secato aut urito*, inquit, *postea pus emittito; ad decimam diem lenimentum ex lino crudo indito: tanquam per decem dies post sectionem pus expurgari possit; ex hydrope pulmonis aqua thoracis & pulmonis cavitate contenta*, 2 de Morbis 130. *in his*, inquit, *facies, venter, scrotus intumescunt, si sectionis tempus præterierit; in his*, fatur, *qua parte strepitum perceperis, ibi secato, in infimo loco quo effluxio facilis contingat*; & in fine hoc addit, *& siquidem in lenimento pus adhæret, plerunque evadit; sin minus aqua extracta, cum siti & tussi moritur; si à venarum accidat ruptione, in pectore aut dorso*, 2 de Morbis text. 139. & 1 de Morbis 35. & 14. *& à vena laboribus rupta.* text. 15. & 16. *& hunc*, inquit, *ante & retro urito, utroque loco, sic enim sanus evadit; à pituita à capite prolapsa*; 1 de Morbis text. 17. 18. & 19. *ex latere à glutinato putrefacta*, text. 34. *à pulmonia.* 3 de Morbis 32. *& tandem ab angina, dum ad pulmonem vertitur.* 5 Aph. 10.

Hipp. 3 de Morb. text. 63. 64. &c.

Idem.

Idem, 2 de Morb. 130.

Satis disputatum & probatum existimo, in summa desperatione, auxilium, quantumvis temerarium, si illud est morbi proprium, & ab illius statu indicatum, posse tentari aliis sine fructu tentatis; quare non est ut immoremur in empyemate, utpote quo vidistis, toties Hippocratem sectionis auxilium imperasse; & quo casu & statu singulari; tunc maxime, cum pectus per tussim expurgari, spes absit; & typsis, aut suffocationis periculum minatur; quod tibi & febris vehementia, difficultas anhelitus & pondus insuperabile monstrabit; & vires tantum auxilium ferre queant; illud tamen adverte, quod si gangrænæ aliqua sit suspicio, quod ex sputo fætido, sanguineq; purulento venaberis, cum celerrima respiratione, pulsu formicante aut undoso, quod ab hoc auxilio abstineas, ne pereat æger in ipsa sectione.

Hanc sectionem celebratam legimus in Hippocrate, 4 Epid. text, 7. in Aristodemo, & Filidis filio suppuratis, actuali cauterio, quo resecare in pectore mandavit, ut contentum pus extraheretur; Eupolemus, quia tardius est sectus quam opus erat, mortuum à sectione narrat; ideo etiam, inquit Syrenius in Omilo, suppuratus non evasit, quia tardius sectus est, 5 Epid. 20. ex quo nos etiam elicimus; maxime necessarium consilium; sectionem tunc esse faciendam, si pus intra tempus ab Hippocrate præscriptum, ab ipsa natura non expurgatur, quod est, aut intra decem dies, aut paulo post, prout prudenti solertiæ visum sit, viribus cum expurgandi resistentia æqua

lance

lance libratis, quæ non poteſt eſſe in omnibus æqualis; nam alii tardius, & citius alii expurgantur. hanc etiam ſectionem legimus in Marcello Donato celebratam in puero 12 annorum, & ceſſiſſe fæliciter; de hiſtoria mirabili cap. 9. inter quintam & ſextam coſtam inducta ſectione.

Nos etiam hanc ſectionem practicavimus, non in pectore tantum, ſed in abſceſſu, ſupra fundum ventriculi verſo ad ſuppurationem, & fælici ſucceſſu, cujus tumor externa illius ſuperficie eminebat, non ſcalpello, ſed acuto & candenti ruptorio; ne facultas officio communi dicata laberetur; acutus orificio ſanies primo manare cœpit, pus deinde, hac ſanie permixtum, per decem fere dies: & vulnus, ut ſordidum ulcus poſtea curabatur; & radicis chinæ decocto, perfecta eſt curatio; in empyemate à pleuritide ſuppurato, oborto in ſervo & non ſatis robuſto, ſectione inducta inter quintam & ſextam coſtam, pus etiam perfecte expurgavimus, abſterſione facta cum rhodomele, & ſyrupo liquiritiæ hydromeli admixtis & per vulnus immiſſis; & ad intus cum ſyrupo de tipſana, & decocto etiam pectorali, & non multis auxiliis convaluit; & in alio ex vulnere pectoris penetrante, ex ſanguine transfuſo, in parte thoracis decliviori, factum eſt empyema: & cum pus videretur non poſſe anacatharſi duci, antequam vires omnino laberentur, facta ſectione in eodem latere parte decliviori, & ſupra ſextam coſtam; in ſectione remedium invenit; in civitate Carmonenſi anno Domini 1634. de hoc eodem vulnere, oborto empyemate hiſtoriam refert Veſalius in conſilio pro duce Terræ novæ, quem fecit aperire, ſecundum decimæ coſtæ thoracis inceſſum parte decliviori, & convaluit, & adeo tutam hanc ſectionem judicat, ut nullus hujus ſymptomatis gratia pereat; Braſavolus, 6 Aph. 27. ſe morem antiquum ſecandi renovaſſe gloriatur, & modum etiam ſecandi ſuppuratos edocet; quod etiam ſe feciſſe teſtatur Luſitanus, centuria 1 Cur. 6.

In hoc tamen eſt prudens cautio adhibenda, ut hoc fiat antequam natura pus in pectore lapſum, per aliam viam expurgare contendat; ne illud laudabile opus præpediatur; nam poſſe expurgari empyema per varias regiones, Hippocrates & Galenus docuerunt; primo anacatharſi, hoc eſt tuſſi ducto per os ſputo: deinde per urinam, ultimo per ſeceſſum, ſed non ſemper pari ſecuritate; nam dum per urinam vergit, pus à pectore ingreditur per venam ſine pari; inde ad emulgentes, exinde ad veſicam abſque eo quod cordis ſinus ingrediatur, ut Galenus eſt auctor; per uterum in mulieribus etiam expurgari licet raro, docet Aquapendens; & Libavius, interdum per abſceſſum in latus è directo ad extra excitatum; ſi ergo natura nulla harum expurgationum excitatur; imo ob puris copiam, lentorem, aut craſſitiem, aut virium imbecillitatem, non poſſe expurgari timetur; unica ſalutis ſpes reſtat, & ea ſane dubia, ut ſcalpello frigido aut ignito, per ſectionem in pectore paretur emiſſarium: non ſemper enim ſunt naturæ miracula expectanda; quantumvis naturæ majeſtas in omnibus momentis fide careat.

De hoc lege Laurentium lib. 9. q. 12.

Quare loco, ubi pus deliteſcit, optime explorato; an dextra an ſiniſtra cavitate; licet in utrumque latus interdum materia abſcedat, à pleuritide angina aut pulmonia, frequentius à pituita, à capite prolapſa; quod tumore, dolore, calore, pondere, & ſtrepitu fluctuanti aſſequitur; non protinus eſt uſtio aut ſectio tentanda; ſed, ut Hippocrates in coacis conſuluit, ad 15 diem à ruptione vomicæ, ut pus illud ad mediocrem coctionem perducatur; nam tenuis concreſcit & craſſa tenuatur, ſæpe refrigeratur, latiori ſpatio; & natura per id tempus reficitur validis & temperatis cibis; ut lacte, hordeato & aliis; attamen illo die exacto, ſi id affectus poſtulat, non eſt amplius differendum ſectionis auxilium; quoniam, ut Hippocrates innuit. 2 Coacarum 31. trium morborum curationem cito eſſe aggrediendam; in hydrope, nempe, ſecando, urendo; empyemate, & capitis tromate, terebrando; in talibus enim cum neceſſitas inſtat, ipſa celeritas mera eſt; omniſque delatio periculoſa; res enim antequam diſcernatur, conſiderari optat, ſed brevem executionem poſt conſilium; nam ex pure in pectore prolapſo, corrumpere & corrumpi timetur, & cordis facultatem & ſubſtantiam coafficere.

Sectio quo loco facienda, non apud omnes conſtat; nam inter 4 & 5. coſtam, à notis ſupputando, judicat Liebavius lib. 7. Aph. 44. in ſcolio; Aquapendens, inter 5 & 6. Veſalius ſecundum decimæ thoracis coſtæ, inceſſum; qua illa maxime in poſteriora obliquatur & prominet; verſus altiorem latitudinis coſtæ ſedem; in conſilio pro Duce Terræ novæ; omnes ſunt periti anatomici, & omnes ſectionis pericula fecerunt; ne ullus nervus, vena, arteria, aut ſeptum tranſverſum, oblædantur; ex illis tamen illa mihi videtur, certior anatomia, quæ ab Aquapendente probatur, utpote ab illo celebrata, & quæ magis videtur ſecundum rationem; facta prius linea ex atramento, ubi eſt inciſio celebranda: inde ſumpto inſtrumento ex altera parte retuſo, ne pulmones oblædat, ex altera aciem habente, & commode ad cuſpidem recurvato: altera parte, qua retuſum eſt inſtrumentum, ad ſextam pone coſtam, & inniti debet, ut cutis denſitas ſcindatur; & Hippocratis & Pauli conſilio eſt oblique ſcindendum, ſecundum rectitudinem fibrarum muſculorum intercoſtalium, externorum, poſteriora ſuperioraque, verſum axillam, inſcindendo: & eo uſque oblique intra agere, donec ad cavitatem ventum ſit; & inciſio non lente fieri debet, ut, ſi fieri poſſit, priuſquam pulmones deſideant, ne, dum iterum turgent, offendantur; quod ſecurius fiet, ſi in ſtatu expurationis, fiat inciſio; cognoſcetur, ad cavitatem ventum eſſe, ab exitu ſaniei vel aëris per vulnus; vel à vacui ſenſatione in manu artificis; tutius tamen erit, ſi ab inſtrumento pars, ad unguis magni digiti menſuram ſit expedita & nuda, & in reliquo linteo alligata.

Inſtrumento candenti uti plerique conſulunt, Hippocrates utroque uti conſuluit, inciſorio nempe aut ignito: ubi pus ſperatur, laudabile, meo judicio, uti ſolo inciſorio mandavit; ubi vero de maligno timetur, ignito; ut pars igne corroborata à putredine etiam præſervetur; quod Salius etiam conſultiſſimum duxit 1 de Morb. Sect. 3. text. 5. quod ſi una pars thoracis, tantum

tum pure repleta sit, ea est inscindenda; & si latere in utroque, ut nos docet Hippocrates, quoniam in dubio res est, an à dextra refluat ad finistram; incisionis tamen magnitudo debet esse, ut pus possit exire, crassum, mediocre, aut tenue; & pro hac ratione, talis ne subito spiritus exhalent; quod si foramen puris exitui non respondeat, debet eodem instrumento dilatari; illa tamen est cautio adhibenda, ne tota materia collecta, semel elabi permittatur, sed per vices; nam hujus rei periculum, Hippocrates nos docuit. 6 Aph. 17. quod ut præcaveatur periculum, Aquapendens consulit, ut canula argentea sit ad manum parata, ut, quantum nobis libeat, vacuetur; nec ultra quam par sit; quod etiam Hippocratem consuluisse dixit; quare rationi videtur consentaneum, ut quotidie exire permittamus ad semilibram usque, pro patientis robore; ac ultimo consuluit, si inde materia non exeat, esse instrumento puris attractorio attrahendam; ut peritis mos est.

Cautio.

Facto igitur emissario, an salus expectanda sit, ex puris conditione potissimum conjiciendum est; illud nos spe & lactat & solatur, si quod erumpit pus, purum sit, album, non fœtidum, neque valde permixtum, sed unius formæ, non diversæ naturæ; ex albedine partium similarium, & membranarum illa coctione comparata: non albedine excocta cum majori crassitie quam par sit, & substantia & albedine æquale, inter crassum & tenue, non ustione sed coctione, albedine illa comparata; læve vi caloris nativi non morbosi; sub his enim conditionibus nec potest esse fœtidum, nec ingrati odoris; quod si aliter exeat, subcruentum, lividum, aut cænosum, aut eximie crudum, corruptionem & putredinem indicat, aut partis ubi decidit sive ubi recipitur, seu ex carne pulmonis jam corrupto decessisse, aut membranarum pectoris; quod utrumque casum fere arguit deploratum; nam aut gangræna tales in brevi moriuntur, aut in typsim incurabilem decidunt, aut in pectoris fistulam & thoracis, ut advertit Hippocrates 7 Aph. 44.

An liceat Typsim decocto ligni sancti curare?

Cum inter classicos viros quid legere contingit, quod communi rationi gliscat, curandique indicationi repugnet, incuriosi hominis esse judico, causam hujus dicti aut facti non rimari; illud ex Galeno scimus, in proposito casu, hecticam febrem, calorem possidere candenti ferro similem, 10 Meth. 10. in intensione qualitatis, & radicatione instrumenti; typsim ex ulcere pulmonis semper hecticam febrem habere sibi comitem; quo in affectu febris & frigidis & humidis attemperari postulat, ut latissime patet ex Galeno in præcitato loco: ulcus autem pulmonis abstersionem, mundificationem, & desiccationem postulare, nemo ambigit; & inter complicatas indicationes hujus aut illius affectus: illud quod brevius periculum minatur, potiori urgentia, sibi primam attentionem vendicare, nullus non novit in arte vel mediocriter instructus; & lignum sanctum, in primis qualitatibus, calorem & siccitatem ultra secundum gradum possidere; constat ex Monarde Saxonia, Laguna & Lusitano; quod hæc siccitas sit pulmonis ulceribus aptissima, qua sunt ulcera, & qua membrum (pulmo) & humidum & laxum, nos nunquam dubitavimus; sed ligni calorem posse febrem intendere, altius radicare, & putridam etiam complicare, ita clare patet, ut illud etiam monstret experientia, ita ut, potissima ratione timor sit, ne dum ulcus intendimus curare, ægrotum ad marasmum perducamus; quem curare Galenus judicat impossibile; non est enim in hoc medicamento separabilis à siccitate calor; si non dicimus in proposito casu, ligni sancti decoctum, peculiari analogia, ulcera magna & difficilia, & abditæ malignitatis persanare; & quadam necessaria consequentia febrem, ut ulceris peculiare symptoma. ita ut in hoc casu, curato ulcere febris ut illius symptoma auferatur. sed febris hectica cum ad habitum venit, licet ex ulcere pulmonis contrahitur; jam ab illo non pendet, & quæ antea per symptoma incepit; jam per se dici meretur morbus; quantumvis certo gradu conservetur ab ulcere; duplicem enim respectum febris habet, & qua respicit ulcus, & qua habitum partium solidarum; & ob hoc certe judico, quod ulcus curetur hac desiccatione, quod adhuc ablato illo conservante in illo certo gradu; hæc quæ remanet febris, secundum alium gradum in habitu contractum, illo auxilio non curabitur; sed postea à natura facilius impedientibus ablatis, & instaurantibus auxiliis, & frigidis & humidis adjuta: non tantum qualitative, sed substantifice etiam attemperantibus; si modus substantiæ per habitualem calorem comparatus, & ad qualitatem terminatus intrinsece alio modo substantiæ permutetur, per qualitates contrarias comparato; licet per longum tempus.

Et hæc est ratio, quare observationes (quas jam recensere incipio) refellere non placuit; imo nostris subnectere. Philippus Incraffias, in consilio pro Duce Terræ novæ, historiam refert cujusdam Leonoræ à Ricio, quæ ex sanguinis copioso sputo, in typsim lapsa erat, cum sputo postea purulento, & aliis typsis signis, de quo nulla inerat dubitatio; hæc, inquit, cum vix per mensem ligni sancti decoctum absorbuisset, ita sanata fuit, ut decimus annus ageretur, ex quo jam salva supervixit: alteram etiam historiam enarrat, cujusdam Augustini de Urbino, qui typsicus factus, non tantum fœtidissima frequenter expuebat, sed fœtidam etiam spirationem emittebat cum febre hectica complicata, cum putrida, qui ligni sancti assumpto decocto per mensem non tantum, sanus est redditus, sed obesior factus & robustus: Fracastorius etiam non ab hac sententia alienus, typsicis, hecticis, & consumptis ligni sancti decoctum audacius præscribit, quam ut ratio videbatur postulare; 3 de Morb. contag. cap. 8. Hercules de Saxonia lib. de Morbo Gallico fere ad finem, tabidos & marasmo consumptos ligni sancti decocto curare non tantum commendat, sed maxime extollit & experimentis & observationibus confirmat; Franciscus de Arce, chirurgus præstantissimus lib. 2. de Vuln. cap. 2. thoracis fistulas & typsi & hectica consumptos se curasse ligni sancti decocto gloriatur, non tantum Gallica lue infectos, sed alios, & hecticos, & typsicos, dummodo humiditas prævaleat in capite, aut alio in loco. Quod à Gallica

lue

lue tabidos & consumptos illud decoctum curet, non mihi miri est, cum talium affectus ab illa qualitate conservetur, qua depulsa, extincta, aut ablata, etiam curabitur affectus qui ab illa fovetur; sed solam humiditatem exsiccando absque læsione aliorum affectuum, hoc videtur difficile.

Nihilominus tamen, non est nihili facienda experientia, de qua Galenus tertio sui Methodi: *Vsque adeo utile est experimentum, ut non solum inveniat remedia medica, verum ipsam rationem coarguat; & si cum aliqua probabili ratione copuletur, proxima evidentiæ est*; si ergo attendimus, quod omnes istæ observationes eo maxime tendunt, ut exsiccato ulcere sanitas consequatur aliorum malorum, & virtus instauretur, non omni ratione destitutam experientiam aspiciemus; & eo libentius in hanc veni sententiam, quod Avicenna miraculo judicat apponendum Fen. 10. 3. Tract. 5. cap. 5. se typsicam mulierem curasse ad ultimum consumptionis actum, ita ut postea fuerit impinguata, tanta sacchari rosati quantitate, ut vix credi possit, in quo nulla major virtus elucet, quam qua desiccando operatur; & sacchari in operatione abstergendi.

Galen. 3 Meth.

Nos mirabilem etiam curationem referemus typsicæ satis extenuatæ, nomine Maria de Ventaja, anno 1647. hieme jam progressa cum mors sperabatur; & jam per annum integrum typsica & hectica longe extenuata à medicis deserta; præcesserat enim sanguinis rejectatio interpolata, nunc cum purulento sputo, nunc cum pure sincero, rotundo, impermixto albo & excocto; sed tempore quo menstrua purgatio advenire solebat, purulento & cruento sputo; ac variis & multis jam auxiliis tentatis ab aliis doctoribus sine fructu; nos maritus advocare curavit; quo in statu illud imprimis faciendum æstimavimus; febrem nempe attemperandam; erat enim intensa, & abstergendum ulcus, ac postea extenuationem impinguandam, si id assequi possit; ac pro utraque indicatione adimplenda, ut singulo mane acciperet imperavimus de saccharo rosato unciam unam, & de lacte capræ recenter emulcto uncias tres, lactis quantitatem per dies adaugendo; & inclinante sole, ante cœnam, eandem sacchari rosati quantitatem accipiebat; & mane & sero pariter, totum pectus & dorsi regionem ad renes linteis, eodem recenter extracto lacte madidis, oblenitur, usque dum exsiccentur; illisque iterum atque iterum repetitis; & tam paucis auxiliis ita, sensim ad sensum levabatur, ut calor, qui antea erat ignis acer, jam tepidus & lentus videretur, & sputa, quæ antea erant saniosa, fœtida & rotunda, excocta, nunc paucissima extant, & tussi oblinita jam alba crassiora permixta pituitoso succo; &, licet extenuata postea supervixit; nec mireris paucis uti auxiliis; nam præterquam quod apud nostros hæc laudabilis consuetudo observatur, invalidos & longa valetudine extenuatos, auxiliorum congerie non obruere; hoc etiam fore conrra nobiliora medicinæ præcepta judicamus; nam de inscitia arguit illum, qui quando ab auxiliis cessandum non novit; nam dum effœtæ languent facultates, plus importuno auxiliorum usu officio fatiscunt, quam morbo debellantur; ideo nobis tunc maximæ curæ erat, ne venter solveretur attemperantibus cum adstrictione roborato ventriculo, ut miva cydoniorum cum pulvere corali; in prandio & cœna assis potius quam elixis utebatur: hæc enim substantifice humidiora sunt, si combusta excipias. de gelatina etiam perdicis & caponis utebatur; ac illæ potus erat in communi, aqua radice chynæ, cocta radice scorzoneræ addita, pro exsiccando ulcere, ut antea de ligno sancto diximus; illud enim longa experientia observatum habemus, ut, si humidis & frigidis (ab illo febris statu indicatis) importune utamur, quod facile ventriculi retentrix, & hepatis sanguifica officio fatiscunt, ut venter, læthali symptomate diarrhϾ solvatur, quod nullo auxilio postea compescueris; nec est quod inde timeas desiccantibus auxiliis, ut libera & liberalis anacatharsis cesset; si in illis ab adstringentibus caveas: non est enim hæc siccitas æque periculosa ac humida laxatio. præterquam quod ulceris consolidatio non consequitur, nisi valenter siccis, licet moderata adstrictione polleant.

Et in tantum video peritissimos viros huic desiccandi necessitati adactos, ut præter illa, quæ initio diximus, Capibasius vir emeritus in medica palæstra, hoc singulariter etiam commendaverit; lib. 2. Practicæ cap. de typsi, nam tempore quo agglutinare ulcus velimus, inquit, lac non exhibendum, propter humiditatem quæ calli impedit generationem; & humiditates dissipari non sinit, imo siccissima & frigida præscribit medicamenta; nec etiam abhorret adstringentia; ut toti corpori & ulceri prospiciatur; ex Galeno 4 Meth. 7. & concludit, ex his colligitur, ad vehementer desiccantia esse deveniendum, quia alias non inducitur callus, quare ad pastillos andronis conferendum reor, inquit: & aliqui habent pro secreto, (quod ego etiam suadeo, & pastillos non probo) ut exhibeatis ab initio ad guttulas ij. olei de vitriolo; cum aqua rosarum aut succo plantaginis, & medico saccharo ad penetrationem, Avicennæ exemplo; qui saccharo rosato utitur ad desiccationem; & ob hanc intentionem Galenus tabidos ad Thavias ire mandavit, non tantum quia lac hujus insulæ ad siccius declinat propter pascua sicca, sed quia illius regionis aër, ob siccitatem est ulceris auxilium.

Petrus Salius, non ignobilis commentator Hippocratis lib. 1. de Morbis, Sect. 3. text. 5. *In typsis curatione*, quam proponit, *cynæ radicis decoctum*, inquit, *est typsicis aptissimum; est enim radix & calida in primo, & sicca in secundo: & alia hujusce qualitatis cum quibus ea etiam adhibui, quæ putredini, corruptioni, & flacciditati visceris resisterent, & quæ potissimum pulmonem respicerent; ad hoc autem præ cæteris tanquam singulare & præstantissimum; (quod ea ratione sub silentio prætereundum nequaquam sentio) medicamentum, administravi, cujus ope non solum, in curatione tabis, vel instantis vel incipientis, sed etiam in distillationibus salsis, præcipue autem tenuibus in sanguinis diuturnis, ex ejus ardore aut calore causatis febribus, aliisque pluribus rebellibus morbis, mira & fere incredibilia (præter meam aliorum quoque exspectationem) perfeci; hoc medicamentum est sandalorum decoctum, formatum simili fere ratione ac formatur ligni sancti, seu guaiaci decoctum, factum modo in aquis stillatitiis simplicibus, modo addita portione vini albi aut rubri, pro ratione affectus, modo alia ratione præparatum; & modus exhibendi*

Pet. Salius Lib. 1. de Morb. Sect. 3. text. 5.

bendi parem cum prædicto habet modum, &c. hæc Salius; quod nobis & aliis viris doctis semper probare placuit; ut etiam quinta coralorum substantia ad ℨj. singulo mane cum aqua rosarum aut plantaginis ad 40 dies exhibeatur.

Santalorum species tres ex India asportantur, citrini, albi, & rubri; duo primi sunt magis aromatici, & validi; sed omnes sunt temperamento frigidi, circa tertium gradum, & sicci in secundo; si ergo ut radicis chinæ decoctum parari debet, sic parabitur; ℞. ligni santalorum citrinorum scosinati, ℥vj. infundatur in libris sex aquæ fontis, & coquantur ad tertias, & de hoc decocto singulo mane sumet, ad ℥vj. cum saccharo simplici, aut rosato; & ad 30 dies; aut amplius, si ita visum est; aut id petit necessitas; in vere autem ex media quantitate parabitur, ne acescat; ut ex ℥iij. tribus ligni, & totidem aquę portulacæ, plantaginis, ut una consumatur; & victus ratio semper ad siccum vergat in morbo jam progresso; licet in principio de humido sit particeps; Cardanus lib. 3. de Venenis cap. 18. ad ulcera pulmonis callosa & antiqua oleo calcanti seu vitrioli uti consulit; ut in lacte chalybeato, aut plantaginis aqua tres infundantur guttulæ.

De scirrho, jecoris spurio.

Hispali nono Calendas Martii anno Domini 1647. nobilem mulierem, nomine D. Annam de Pineda; filiam jurati Hispalensis satis noti, Ruidi de Pineda; hepatis scirrhum notum jam diu pati novimus, cum inæquali & antiqua duritie melancholica, non prorsus sine doloris sensu; nam sub hepate compressa, haud mediocrem dolorem sentiebat; sed conspicua & magna renitentia, tumore inæquali, & hoc cum capitis dolore, & maxime sub vespero, & cum lenta febricula, & invicta tristitia ex hypochondriaca melancholia; & in ætate erat jam 30 annorum, nativo temperamento biliosa, actionibus celer, conditione præceps, & morbus anno jam exacto perdurabat, quo in longo spatio plures Hispalenses doctores varia tentarunt auxilia; alius ægrotam Mercurii uncionibus damnavit, non tantum sine fructu, sed gravioribus malis cumulavit: chirurgus alius pilulas de præcipitato mercuriales accipere coegit; quo incerto & venenoso auxilio, parum abfuit, ut certæ desperationi cederet; alius chalybem longa dierum serie imperavit, quo valde extenuata & cum febre continua, mœsta & melancholica, longo tempore degit: alius tandem sarsæ decoctum satis validum imperavit; quo tabem fere induxit.

In hoc statu, alterius similis curationis notitia illecta, à nobis antea celebrata, in D. Sebastiana, infante honesta & generosa Domina, quam divino auxilio, ab interni abdominis abscessu liberavimus, per secessum mali causa depulsa; toto nempe abscessu in ipso folliculo intercepto, depulso; purganti medicamento satis nobili: (puris crumenam dixeris) ac ideo nos accersire jussit; vidimus nobilem fæminam valde extenuatam, cum continua & perenni febricula, & in latere dextro infra ultimam costam cum tumore conspicuo, inæquali, duro, & renitenti, sed cum doloris sensu manifesto, in tota jecoris regione; quo non omnino de illius salute desperavimus; (est enim hæc jecoris durities scirrhosa, hydropis fere semper consectaria: si credimus Galeno.) nam licet non esset in prima juventute, erat certe in media; nec pulsibus dejecta, sed omnibus facultatibus generosi vigoris, & super omnia animi generosi. quo aggredi curationem, alacriter incepimus; ac primo bis sanguinem ex talo mittere imperavimus, non tantum uteri ratione, sed adservati sanguinis in mesaræi venis, qui semper in simili affectu, in his locis servari, nos admonet Galenus 4 de Sanit. tuenda cap. 5. & Comm. 2. de humoribus cap. 15. postea ex utroque brachio & basilica sanguinem moderate extraximus, inde ex salvatella; ut nobile attemperetur viscus & sanguis vacuetur infectus; postea vero venis hæmorrhoïdalibus 12 sanguisugas apponere mandavimus, quæ sanguinis quantitatem extraxere, nigri crassi & fæculenti, ut his venis adservari par est.

Interim fovebatur ventriculus oleis roborantibus cum pulvere corali, aut diarrhodon; pro syrupo sumebat de rhodomele sacchari, & syrupo endiviæ, an. ℥j. cum aqua scorzoneræ & borraginis; in ventre lubrico maxima cura erat, communis aqua, erat radice scorzoneræ cocta; si non scolopendria; & in potu, maxima moderatio ob hydropis periculum. postea humoribus ad fluendum paratis, & lubricis jam viis, (quando non potest coctio urinæ comparari, ut his casibus nequit; & rebellibus morbis usu venire solet;) ægrotam jam purgare decrevimus, nobili, non violento medicamento; ut est accurata Galeni observatio; ne ab effreni fiat medicamento, melancholicis barbara irritatio. 1 ad Glauconem cap. de quartana; ut ℞. syrupi de filicula & persici an. ℥ij. decocti senæ pugini ℥ij. & aromatisetur; quod cessit mirabiliter; ac post quartam diem, (præhabita humorum coctione tempore intermedio) rhabarbari dilutum & foliorum senæ, pari conferentia accepit. dein, apocima Fernelii præparare præcepimus, de qua ℥iiij. tertio quoque die adsumebat, pro illis aperiendis & repurgandis viis, quæ sunt in mesenterio, circa hepar & in fundo ventriculi; hanc per vices accepit, unica die mutuo interposita; ac in ultima largissime egessit, ut corpus per epicrasim exquisite vacuatum videretur; quo in statu, Galeni consilio 11 Meth. 16. & 8 Meth. 4. supra ipsam duritiem, hepatis dolorosam, quia aliquid phlogosis adhuc superesse videbatur, & constabat caliditatis sensu; apponere curavimus pannos succo endiviæ cum aceto rosato madefactos, actuali calore, & ut ad tempus simili cautione mutarentur; quo dolor & calor mitescebat.

Postea vero cum jam corpus exquisite vacuatum videretur, de jecoris vacuatione cogitavimus, ut impactum vacuaretur etiam; ne inposterum, in relapsus occasionem cederet, quovis levi delicto: quod etiam Galeni testimonio legimus commendatum, 2 ad Glauc. 2. de Sang. miss. 18. 13 Meth. 11. 4 Meth. 6. Ideo super ipsam hepatis duritiem, in qua tumor & dolor spectabatur mitior, 12 sanguisugas affigere curavimus; quas primo fractionis impetu jam exacto, & plenas & tumentes forcipibus scindere ratum duximus, ut non tantum tractum vacuaretur, sed nova inde sequeretur attractio: quo multum sanguinis

guinis primo rubentis, atri postea emanavit; sed cum exinde affixæ & sugentes persisterent (dictu certe mirabile,) tam magnam quantitatem sanguinis atri & melancholici attraxere, ut fidem facerent infallibilem, à partibus tumori vicinis, & ab ipso melancholico succo, hepatis substantia infixo, causam mali traxisse & vacuasse; nam tumore reddito mitiori renitentia cessit; & evanuit dolor; quo certam redintegrationis spem attulit; deinde hepatis regionem fovere jussimus decocto absinthii rosarum, radicum caparorum, & rubiæ, addito succo ebuli; ac inde unguento de virues, rosato & santalino, pro roboratione, & resolutione moderata; ut visum est Galeno, 11 Meth. 16. sed ultimam manum imposuit exactissimo calculo, nostræ curationi, fonticulus, dextro in crure; quo haud multis post diebus pristinam recuperavit sanitatem, & nunc sana persistit, quatuor anni tempestatibus exactis; inde enim hujus auxilii comparatur utilitas, ut si ex habituali intemperie affectus melancholici, perenniter similis excrementi congesti fieret generatio, perenni etiam vacuatione levaretur, quod fideliter eventus comprobavit.

OBSERVATIO.

Admirationi potius quam imitationi, de colico & iliaco dolor.

Hispali, anno Domini 1647. die 20 Octobris, vidimus hominem satis notum, Melchiorem Gerrero, (equorum domitorem) qui in præcipiti equi cursu ad sellæ caput, toto ventre allisit, ut fere animo præ doloris vehementia linqueretur; inde domum reversus, de ventris dolore querebatur; incepit illa nocte cum horripilatione parva febris cum siti majore moderata; inde vomitus cibi antea præassumpti, cum alismo implacido, sed dolor ad umbilicum velut pali infixi; cor sibi ac inter duos lapides comprimi videbatur; nullæ dejectiones, neque flatus quid excernere poterat; clysterem mulieres imponunt sine fructu.

In hoc statu, hominem satis afflictum vidimus, & concursum accidentiū perpendentes, colicam affectionem pati existimavimus; si non vere iliacam, in hoc enim tantum utriusque differentiæ versatur, quod in colica, non sit omnimoda intestini obstructio; in iliaca vero sit completa: erat enim excrementorum omnimoda suppressio, deorsum; cum dolore à dextra parte renis, per umbilicum ad sinistram pertenso; omnis vero inclinatio sursum erat, ad vomitum; interdum corrupti alimenti, sæpius jam defœdatæ bilis, ita ut nihil ingesti cibi contineret; eo quippe devenit desperatio, ut excrementa alvi fœdissime corrupta, motu peristaltico, palam per os rejici videremus: ut assistentes omnes, alvi excrementa esse contestarentur; ut & ægrotus ipse; inde animi angor inexplicabilis increvit, & continua febris, ac dejecti animi ultima desperatio: licet inter hæc pulsus constarent mediocriter; sed urina erat intense flava.

Cum de auxiliis in summa necessitate cogitarem, ad eliciendas ex ipsa rei natura indicationes, inveni morbum esse in via, obstructionem nempe in colo intestino, ex qua fœcum omnimoda suppressio; nec solum adesse obstructionem suspicabar; quinimo & vehementem etiam intemperiem, ex inflammatione intestini, quam factam ex antecedentibus æstimavi: & hanc esse potissimam obstructionis causam: ex tumore enim opplente cavitatem, suppressio oritur; dolor ex intemperie, & humore etiam distendente, aut mordente substantiam; sed ex dolore, punctione, & onere gravante, inferius exitu denegato, fit sursum peristalticus motus, natura ad expellendum irritata; est enim motus ille naturali contrarius; nempe cum intestina fibris rotundis circumcirca colligunt sese, inferne sursum, neque id naturaliter; quoniam natura irritata, pondere, dolore, aut ulcere, in parte inferiori, sursum pellit humores, fœces aut flatus, quia deorsum alvo suppressa, exitus denegatur; pars enim dolore lacessita, qua data porta pellit; & cum deorsum non valet, sursum rejicit; & calida humoris intemperies, (inflammatis humoribus & partibus) & febrem producebat & sitim, ad cor & ventriculum vaporibus delatis; *Est enim ileus, utriusque intestini sursum revolutio, qua nec excrementum nec spiritus infra transmittatur, sed contra, cibus, humores, & stercus, cum inveteraverit, per os rejiciuntur.*

Illud tamen mirum omnibus erat, tantam adesse in corpore fœdæ & putridæ bilis multitudinem, quantam rejici per os quotidie videbatur; illud tamen dupliciter accidere comperimus; & quod profusa natura, successione ad id quod vacuatur, aut se nimia irritatione præcipitat; aut valde lapsa continere non valet; seu quia sunt quædam ita in producendo efficaces intemperies, ut non tantum præexistentem apparatum corrumpant, sed similiter defœdatum producant; ex partis intemperatæ conditione, ut nephriticis doloribus plerunque experimur, & valida ventriculi cibi corruptione; aut etiam ex causæ producentis efficacia; ut tempore grassantis pestilentiæ, ubi non tantum apparatûs corrumpitur; sed pestilens apparatus producitur; demitto robur facultatis expellentis irritatæ, quæ siccitate aliquando intenditur; aut tandem quia in abditis ventris & amplis cavitatibus magna ex longo tempore cruditatum multitudo cumulatur, quæ postea in magna quantitate evomitur, aut dejicitur.

Potissimam hujus affectus causam, non fuisse excrementa suppressa, relatio patientis fidem fecit; neque fuisse crudorum, nec cibi præassumpti multitudinem, nulla antecedens præsumtio indicavit: nec illa per os rejici videbamus; quod erat necessario futurum; neque hominis habitus, licet quinquagenarii: est enim macer, hirsutus, melancholicus; neque fecisse occasionem flatus, nos satis ratum duximus: in hoc enim colicus flatuosus ab humoroso differt, quod in illo omnis sursum ad vomitum irritatio fumosa & inanis est propensio, cum anxietate indicibili; in humorali vero, aliquid humoris aut fœdi excrementi, rejicitur, (licet in illo de hoc aliqua possit esse suspicio) nam vir ille abdominis rupturam patiebatur; ut intestina ad scrotum descenderent; ex quo frequens in ventre borborismus.

Quare non sola inductione patet, sed etiam philosophica ratione convincitur, hujus colici,

(in mea ſententia iliaci) doloris cauſam fuiſſe, colli inteſtini inflammationem; in collo inteſtino fuiſſe, ſatis ictus in hoc determinato loco convincit; nam ad caput ſellæ alliſit, illa abdominis pars, quæ umbilico prominet, per quam maxime ducitur colon inteſtinum; nam illud à renis parte dextra, ad jecoris cavam, hinc ventriculi fundo, lienique accumbens, reni ſiniſtro alligatur: ac ideo ad ſiniſtram per illam abdominis regionem, qua umbilico prominet, ut cingulum pertenditur; ut periti noverunt anatomici; illud etiam, vel facile convincitur, inflammationem in craſſis, non tenuibus fuiſſe inteſtinis. nam ſi pars ſuperior affecta eſt, cibus; ſin autem inferior, ſtercus per os redditur; nam tenuia inteſtina perficiendo diſtribuendoque chylo dicata ſunt: craſſa vero, ſtercori & fæcibus colligendis deſtinata, & in hoc caſu ſtercus per os rejici vidimus.

Et hinc colligo in Galeni contextu eſſe mendacium, aut codicis errorem; nam ut Galenus differentiam conſtitueret, inter volvulum, qui in craſſis aut tenuibus inteſtinis concitatur, 3 Epid. Sect. 2. ægrot. 9. ſic infit: *Qui ſtercus ſi vomant*, (advertitur enim hoc etiam fieri) *clariſſimum ſit ſignum tibi, ſubtilia inteſtina affecta*; nam ubi legitur *ſubtilia*, puta *craſſa* eſſe legendum. quoniam ſi ſubtilia inteſtina per conſenſum non afficiantur (quod poſſibile eſt Galenum intelligere) videtur aperte falſum illud Galeni dictum: patet ex antecedentibus; nam in tenuibus inteſtinis nondum ſunt ſeparata nec depoſita excrementa, illa enim tantum perficiendo diſtribuendoque chylo ſunt dicata, ut craſſa fæcibus & excrementis deſtinata. quare ſubtilibus inteſtinis affectis propria paſſione, non eſt poſſibile poſſe ſtercus evomi, ut Galenus aſſerit in contextu; ac ideo exiſtimo, pro ſubtilibus, legendum craſſis, ut ratio convincit anatomica; ſi non dicimus tenuia inteſtina fuiſſe per conſenſum affecta.

Galen. 3 Epid. Sect. 2. ægrot. 9.

Hanc etiam inflammationem extitiſſe ſatis patet, ex tumore, dolore, & renitentia, manifeſte percepta in abdominis regione circa umbilicum ex continua febre, & linguæ arida ſiccitate, ad fuſcum colore declinante, ex pertinaci & perenni ſingultu, qui à tertia die morbum jam deploratum indicabat, ſi Hippocrati credimus, quando dixit: *Singultus ex illo læthalis*: tu cauſam per otium Commentario leges; extrema perpetuo frigida permanſerunt; neque potum poterat continere, faſtidium erat inſuperabile; tantum una nocte deſipuit; demitto alia accidentia, cæteris cauſis communia; ut continui vomitus, uſque dum alvi excrementa liquidiora, putida, motu periſtaltico dejiceret; importuno impatiens aliſmo, cibi abominatio, alvi omnimoda ſuppreſſio, urina valde rubra, ad flavam intenſam declinante.

Hipp.

His ergo, affectu, cauſa, ſignis ſymptomatis, & viribus cum torno & cothurno libratis; (nam ſecundum hic, & nunc eſt certe judicium proferendum, ne nos fallat judicium.) præſagium duximus omnino deplorati ægroti, quoniam par non erat exſpectare, ut prius cederet excrementi ſuppreſſio & inflammatio, dum in pernitiem mutuo tradunt operas. quam aut morbi magnitudo, & acuties aut doloris immanitas ſymptomatumve ſævitia necaret, maxime in tanta inteſtinorum imbecillitate ex hernia diuturna contracta; nam

A adhuc curatio exactiſſimo calculo inſtituta, nobis non videbatur ſuffectura; quin antea aut accidentium immanitate, affectus renitentia, aut virium imbecillitate æger deficeret; inexpugnabile enim vitium eſt, dixit Duretus, ob ſummam cauſarum unde ortum habet contumaciam: præterquam quod inter illa quæ vidimus, ſymptomata, ileus morti damnatus legitur ab Hippocrate, 7 Aph. 10. *In ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio malum*; in coacis non malum, ſed mortale legitur; *quoniam officia* (aliter legendum,

Hipp. 7 Aph. 10.

B quippe munia) vitæ apprime neceſſaria, membris principalibus graviter læſis intercipiuntur; ut ventriculi coctio, ſanguinis diſtributio, excrementi depulſio, & cerebro & nervorum principio compatiente, decipientia, & convulſio; quæ ſola propria ſævitia necarent.

Cum hoc tamen, pium, ac humanum duximus, hominem in deſperatione non demittere, ut ſi forte inter monſtra, quæ in arte rariſſime contingunt, hoc accideret; & maxime cum naturæ majeſtas in omnibus momentis fide careat; ideo

C invocato prius Chriſti Salvatoris auxilio, Sacramentis Eccleſiæ; ſanguinem ex brachio dextro & axillari vena, roborato prius ventriculo, & præaſſumpto juſculo, mitti juſſimus, poſt communem clyſterem emollientem, ut non tantum, rheuma; jam concitatum, ſed fluere paratum revelleremus, & ad uncias ſex, ut non tantum fieret ſatis indicationi magnitudinis, ſed & celeritatis & periculi; (magna certe in præcipiti negotio conſideratio) alium clyſterem poſtea imperavimus ex decocto malvarum furfuris & pruno-

D rum, cum oleo roſato, ſaccharo, & catholici parum. quo excrementa, quæ infra inflammata loca conſiſtebant, exierunt; & ſupra regionem abdominis tantum lintea madida, in oleo roſato & dulcium amygdalarum, apponere curavimus; topico permutato, una hora exacta, cum pullo per dorſum adaperto, & ſanguine madente adaptato: aut etiam cum vitellis ovorum, in ſupra dictis oleis malaxatis & tepentibus adhuc; nam frigida repercutiendo ſunt ſuſpecta; calida inflammando.

E Pro cibo ſolam juris ſorbitionem aut levem panatellam accipere mandavimus. quo male noctem egit, ſequenti mane, ex brachio contrario & axillari vena parem ſanguinis quantitatem extraximus, (ventriculo, ut prius, roborato) omphacino & abſinthii oleo, cum pulvere corali; ne ventriculi virtus omnino laxaretur; ſed ne prava excrementa ad ventriculum pulſa comprimerentur, alta mente curavimus; poſtea parum aquæ ſcorzoneræ & endiviæ ut biberet, permiſimus, ut fervor intus halitus temperetur; ac

F cibo prætenui, ſed valido aſſumpto; clyſterem ſub veſpere apponere præcepimus, ex decocto hordei violarum & malvarum, cum ſaccharo vitellis ovi, oleo roſato, & gallinæ axungia liquefacta, aut butyro recenti ſine ſale, ut ſi forte partem inflammatam attingeret, phlogoſim temperaret, & coqueret quod concoqui eſt habile; ſed clyſter non multo poſt dejicitur abſque fæcis ulla permixtione; ſed horis duabus jam exactis idem clyſter accipitur, in jure avis, & cæteris admixtis.

In hoc ſtatu erat longe afflictus æger, abſque ullo accidentium levamine, vomitibus continuis, dolori-

doloribus impatiens, cum die subsequenti summo mane nos accersire jussit: & cum pulsus adhuc non omnino dejectus cerneretur; sanguinem ex talo dextro extrahere curavimus, ad uncias 4 moderate, ut peracta revulsione ex brachio fieret à parte & loco inflammato, derivatio ab hoc declivi loco, ut nos Galenus docuit faciendum. 4 Meth. 6. quo parum levaminis persensit in dolore, non in excretione; quare cum tertia die jam exacta, vomitus jam fœdi & pravi cernerentur, ut expresse & clare alvi excrementa per os reddi, omnibus innotesceret; alvo nimis constricto: apud omnes salus erat omnino deplorata; qua in ultima desperatione, jam mihi visum est, extremum experiri auxilium; ac clysterem acrius irritantem accuratius imperavi, quantumvis inflammationis persisterent indicia; ex decocto rutæ, centaureæ minoris, colocynthidis, camomilli, parietariæ & radicis altheæ; ℔j. olei rutæ ℥ij. rhodomelis persici ℥ijß. hieræ legodionis ℥j. salis gemmæ ℥ij; quo parum è ventre dejicere cognovimus, præter ipsum clysterem.

Quo præviso periculo, in mane subsequenti, sanguinem ex talo sinistro mitti jussimus, ut parte proxime vacuata, topicis valentioribus daretur opportunitas. sed cum nec inde cederet, sævi symptomatis urgentia, & per horas periculum instaret, consultissimum duximus & summe necessarium, sub vespere, 12 sanguisugas venis hæmorrhoidalibus adaptare; ut loci vicinitate, & venarum rectitudine (nam à ramo epigastrico & splenetico meseraicæ & hæmorrhoïdales externæ oriuntur.) sanguis circumcirca inflammationem contentus vacuaretur, quo ad sex sanguinis uncias extraxisse chirurgus fatebatur.

Poste a vero ventrem inungi fecimus unguento de Mercurio pro morbo; bis in die, ut violentiæ cederet contumacia.

Sed cum jam ultima desperatio, extremam temeritatem indicaret, (omnibus rationabilibus auxiliis peractis) ex Celsi, Hippocratis, & Galeni sententia, nos ad extrema auxilia, quantumvis temeraria, manus extendere ratum duximus: æstimantes in nullo præsentius posse periculum adesse, quam in morbo crudeliter necante; sed posse ex illis spei modicum sperari; ideo illa nocte, præcedentem clysterem imperavimus additis mellis squilitici ℥ij. quo accepto & retento clystere, parum excrevisse visum est; ut inde parum levaminis acciperet, nam spei modicum ægrotum solabatur; ac totus venter, illa nocte unguento de mercurio, non tantum oblinitur, sed moderata frictione tractatur, & ex opposito etiam in dorso, ac assumpto jusculo, noctem non ita implacidam, neque molestam transegit.

In die subsequenti, cum venter aliquid obedientiæ præ se ferret, & cedere inflammatio resolutioni videretur, licet in prima declinationis parte, (erat enim & febris & sitis moderatio; ventris obedientia, & doloris remissio, certum declinationis argumentum) hoc purgans medicamentum dedimus. ℞. syrup. de filicula & persici an. ℥ij. confect. hamec simplicis ℥ij. decoct. pug. ℥ij. & aromatizetur; hoc retinuit, quoniam jam vomitus non ita sæviebant: quo accepto, intra quatuor horas per ventrem dejicere incepit, tam prava, fœtida, & graveolentia, ut vix credi possit: quo æger resipiscere cœpit; sed tam magna animi & corporis exolutione, ut neque satis vires perciperentur.

Excrevit tota die non parum, quo jam ab extremo contrario, erat timor æqualis, à ventris nempe solutione, quæ quantitate, & virium respectu, videbatur profusa, & in dubio erat, an tam dejectæ vires, vacuationem, licet pravi & corrupti humoris, ferre possent; sed impetu, tam pravæ & profusæ evacuationis jam exacto, ventriculum roborare, & vires instaurare nobis fuit consilium; erat enim ex præcedenti pugna valde lapsum; ac ventriculo adaptato emplastro dactylorum, parum excretiones subsistebant; nec ulla ventriculi ad vomitum irritatio infestabat; neque tanta aversione, cibi capiebantur; & ad oblata non tanta repugnantia, se gerebat; ad actiones promptior; sed ab emplastro ad tertiam diem, nil fere egerebat, & venter sui erat oblitus; quo decrevimus, talem imperare clysterem. ℞. de jure avis ℔ß. olei amyg. dulcium ℥ij. sacchari nigri ℥jß. catholici ℥ß. salis parum, &c. quo non parum de liquidis & durioribus excrementis ejecit.

Sed nec inde febris in totum cedere videbatur: & sitis neque pro ratione sedari; lingua erat scabra, usta, cum intensa rubedine: urina valde rubra & crassa, quibus causis commoti, consultissimum duximus, sanguinem ex salvatella mittere, quo relicti empyrheumatis vestigia; (causa durantis mali) temperata cesserunt; ac omni redintegrata valetudine, & viribus lentè recuperatis, summo Dei auxilio & beneficio, contra omnium expectationem, sanus evasit, & pristina fruitur sanitate.

Quod si ex vitrea pituita hoc malum accidere contingat, efficacissimum, inter cætera quod inveni, auxilium, est vinum, quod sic parare facio; ℞. ligni Gaiaci ℥x. corticis illius ℥ij. in xx libris vini generosi infundantur, & albi, & per horas 24. deinde bulliat lento igne, usque ad dimidium consumatur; & collaturæ adde, hysopi, pulegii, an. m. j. rhabarbari & senæ an. ℥iiij. & iterum bulliat, usque dum consumatur ℔j. & in fine adde, florum cordialium an. p.ß. & de hoc sumat usque ad ℥viij. à minori quantitate incipiendo; & ad 20 dies plus minusve, pro moderatione accidentium.

CONSULTATIO.

De frequenti abortu, Excellentissimæ Dominæ, Comitissæ Nebulensis.

Anno 1626. inter viros hujus sæculi doctos, de frequenti abscessu excell^{x}. Comitissæ consultum est, ne in orbam sterilitatem incideret, & successione filiorum fraudaretur, (alias orbaretur;) quod timere par erat; quoniam excellentissima D. Anna de Silva, per hæc tempora 20 annorum, sanguinea & optimi coloris, pulchritudine, virtute & donis naturalibus excellens, ut natalibus altis; sed ordine præpostero vivendi, & varia ciborum conditura, (ut omnibus purpuratis, non sine magno periculo mos est) importuna ciborum repetitione, & potus frigidissimi libertate, cruditate supra cruditatem cumulata,

mulata, in varias obstructiones incidit, hepatis, lienis, & totius pene mesenterii; quo ventriculus cæpit coctionem vitio frigidæ cruditatis maculare; quod cum hepar corrigere non valeret, recenti ventriculi vitio coaffectus, aquosum, crudum & limosum sanguinem producebat; & hac occasione uterus in frigidam incidit intemperiem, & frigidi & humidi sanguinis consortio, qui erat illius alimentum in humidam & laxam; unde illius laxabantur acceptabula, ut & cotylidones; & oscula venarum, nimia laxitate, adaperta, prætenuem sanguinem fluere permittebant; ut menses, nec ordinem servarent, nec moderationem: & tempore fluendi exacto, adhuc postea uterus, flatuum importuna illuvie, frequenti borborismo vexabatur; & profluente humiditate scatebat, neque semper æqualiter, sed mensibus exactis diebus subsequentibus non ita importune.

Et quia ab immatura ætate, sexdecim annorum & in corpore gracili concipere incepit, cuidam viro docto visum est, uteri angustiam, (capacitate denegata) abortus causam dare; nihilominus tamen non est plane difficile, causas hujus abortus internoscere, ob evidentes causas & notissima signa; nec in hujus juventutis vigore est fœcunditatis redintegratio desperanda, si excellentissima comitissa, obtemperet auxiliis & præceptis, & vitam sedentariam pro exsiccante dicta, & vitæ moderatione & temperantia commutet; quod si sibi non habeat persuasum, semper de successione filiorum dubitabimus; & non de orba sterilitate in posterum futura, ob illa damna, quæ emergunt quotidie ex frequenti abortu, & prava uteri valetudine, quæ in dies vires acquirit eundo; à lapsa intemperie, utero & membris seminalibus derelicta, seu à compositione uteri depravata, ab continui solutione, cicatrice postea infælici; quæ non tantum concipiendo obstant, sed fœtui conservando impedimento sunt.

Et licet fœtum portare cæperit, corpore & ætate quæ pene immatura videbantur, & partus labores, membris nondum robustis experiri; abortus infælicitatem, mihi nunquam visum est referendam in uteri angustiam, licet de hac suspicari par esset; quippe cum nullum erat infallibile signum, quod nos de uteri angustia redderet certiores, & hæc causa à multis non recipitur, nec illam probat Mercurialis; sed quod fœturæ pondere & augmento uterus dilatatur; quod etiam monstrat experientia in puellis duodecim annorum; sed cum sint aliæ causæ, quæ potiori jure, evidentique ratione, convincant, non est quod ad ignotas & pene improbabiles recurramus; quando possumus recurrere, securius ad notas. Nam crudorum copiam, acceptabulis & utero congestam, causam utrique (partui nempe & abortui,) dedisse, vel exinde conjicimus, quod tales succi pondere inutili, vasa generationis distendunt, debilitant, & superflua humiditate ita laxant uteri ligamenta, & fœtus involucra, ut fœtum continere non valeant, maxime grandioribus mensibus; & inde accidit, ut fœtus sui perfectionem non attingat, seu ob nimiam copiam suffocatus, seu inutili alimento, perfectione & augmento præpeditus: seu tandem retinendi impotentia prolapsus; illud est argumentum quod in utroque partu, utraque fœtura, parem debilitatem tulit, & imperfectionem; veluti alimenti defectu; quia tales succi dum abundant superflui, non tantum in membris generationis cumulantur, sed in corpore toto, quod præposterus ordo, & ciborum varia conditura & multitudo indicabat; quam ventriculus conficere non valet: & potus frigidissimus, est causa per se sola abortus, & frustrati conceptus; dum nativum calorem, & sitas in illo facultates, aut delet aut extinguit; uti sunt naturales quibus & alimur & vivimus. quibus si omnibus accedat, defectus exercitii (non sana mente abortus timore imperatus) complentur omnes abortus causæ, cumulatis absque resolutione cruditatibus, & membris omnino enervatis.

Hoc etiam confirmatur accidentibus in utroque gestationis tempore: vomitus nempe erat, & variæ cruditatis fluxus, & ventris, hocque per plures menses; capitis dolores, dejectus, appetitus: longas etiam & erraticas febres, radicatæ antea obstructiones exceperunt, & totum gestationis tempus permanserunt; sed illud super omnia fidem facit, à partu & abortu utrumque fœtum magnam crudorum copiam secum tulisse; & in primo illam in causam epilepsiæ cessisse, recens natæ fœturæ; & in secundo per nares vix credibilem crudorum quantitatem, rejectam vidimus.

Nec etiam suspicari par est, primum fœtum laudabilis sanguinis abundantia obrutum periisse, ob sanguinis narium frequentem hæmorrhagiam dominæ comitissæ; gestationis tempore. quæ ob immoderantiam & virium dispendium, sisti aliquando postulabat; quinimo, si sanguinis conditionem attendamus, hoc magis nostram corroborat sententiam; erat enim tenuis & aquosus, ut fere non concresceret; & talis venas ipsas nimia laxitate (humiditatis propria) non tantum laxat, sed illarum ora reserare compellit, quo diffluit, non pellitur; illud enim negari nequit, quod oculis innotuit, tenuem nempe & aquosum sanguinem, velut aqua dilutum, è nare profluxisse: & si sanguinis laudabilis abundantia fœtum immature obrueret, saltem corpus & vires fœtus, validiora essent, ut cui non defecit alimentum; quod à contrario evenisse notavimus, invalidos & imperfectis membris in lucem prodiisse; utilis alimenti defectu.

Ex quo concludimus, frequentem abortiendi occasionem in domina Comitissa, crudorum, & aquosi sanguinis abundantiam, & frigidam & humidam uteri intemperiem extitisse, quo generationis membra, non tantum concipiendo semini, sed retinendo fœtui, inepta reddebantur.

De Præservatione.

Ut ergo consequatur filiorum successio domus excellentissimæ Dominæ; & abortus occasio depellatur; præservatione prius debemus uti: & postea curandi ratione; illa tempore intermedio, quo nulla gestationis est suspicio: ista dum fœtæ signa apparere incipiunt; in præservatione, (absente Comite excellentissimo & non cohabitante) accipiat tertio quoque die usualem clysterem; & humorum præparatio incipiat, ab rhodomele sacchari cum syrupo de cortice

cortice citri; quod si illa abhorret, cum miva scorzoneræ, aut limonum ad unciam unam, misceatur, de miva cinnamomi, cochlearia duo; absque ullo timore, ne calorem inducat, cum haustulis aquæ radicis chynæ coctæ; & octo diebus jam exactis, seu humoribus coctis; de syrupo Regio, aut filiculæ cum decocto senæ & florum cordialium accipiat an. uncias 2. seu in Indico chocolate deluatur; sin minus, de condito rosarum Alexandriæ uncias tres accipiat, & de pulvere senæ ʒß. admixto.

Postea paretur rhodomel, ex ℔j. decocti radicis chinæ, & unciis duabus mellis, una facchari quæ coquantur ad despumationem, & fervorem, de quo ad uncias 4 accipiat summo mane, actuali calore; loco syrupi; & quatuor diebus jam exactis ʒj. accipiat pilularum de hiera Galeni cum agarico. seu pilularum Fernelii de hiera cum rhabarbaro & masthiche; hæ enim species pilularum, vasa generationis debilia corroborant, dum humiditates superfluas ebibunt; cruditatis extrudunt; & hæ accipiuntur singulo, quarto aut quinto die; totidem interpositis. in quibus rhodomelis prædicti præparatio etiam antecedat, & hoc per mensem integrum, si magis non placet, ʒß. castorei, cum aqua cinnamomi aut saxafrasis calida; & per viginti dies; summo mane.

Et si interim mensium defectus, (fortasse abundantia) ad sanguinem mittendum, occasionem præbet; ante auxilia purgantia, illud consultissimum judico, magna circumspectione faciendum, in corpore gracili, & viribus longe ex antecedentibus attritis; nec præceptis medicinæ obstabit, sanguinis missionem aut differre, aut omnino non facere; si maxime crudorum abundantia longe sanguinis laudabilis superat quantitatem; aut ægrotæ timor dissuadeat; si urgens necessitas non instat; in febris vacuitate maxime, ubi securius purgatione repetita sanguinis missio suppletur; semper tamen ex talo consulo faciendum; utrumque ex Galeni consilio, 4 de Sanit. tuenda 5. & lib. de Sang. miss. 11. 18. & 19.

Et si postea obstructiones relictæ videantur, quæ aperientia expostulent auxilia; post evacuationes secundum artem erit, de syrupo, de scoria ferri, uncias duas propinare, cum decocto radicum petroselini & scorzoneræ; quod si illud non placeat, uti poterit, de radice iringi vulgo de cardo coredor, aut cardus sancti, aut saccharo condita & exsiccata, aut miva ex saccharo conservata admodum aliorum conditorum, quæ saccharo & melle condiuntur; & pulvere cinnamomi & ligno aloes gratiora redduntur; & de his ad unciam unam quotidie accipiat; cum exercitio majori moderato singulo quoque mane; & ad sexdecim dies; quoniam ad concipiendum & retinendum semen, est illud singularissimum auxilium; & omnibus aliis juste anteferendum, maxime visceribus obstructis, & ubi uterus humida scatet cruditate.

Dum hæc executioni mandantur, & tantum exsiccationi incumbimus, post primum medicamentum purgans, (mediocriter corpore vacuato) uterinis pessariis uterum abstergere, mundare, & roborare decet, quod nullo alio auxilio tutius consequemur, quam balsami optimi & electi, frequenti usu; & si liquidæ substantiæ invenitur in petia bombicina adaptetur; sin autem solidæ in suffumigio per vas angusti oris, aut sella perforata insedeat, ut balsami vapor penetret uteri cavitatem; & adverte quod æquali fructu, ad partes pudendi internas & externas adaptatur; licet tutius sit ut antea applicentur, alia uterina pessaria usualia, quæ conficiuntur ex succo artemisiæ & mercurialis, cum pulvere cinnamomi, & ligno aloes; & si placet uterum repurgare, addito agarici pulvere; aut in sacculo tenui, aut melle candido pessario confecto; & ad extra, umbilico adaptetur emplastrum pro matrice cum galia muscata: aut fiat ex galbano addita tertia parte galiæ.

Potus communis sit semper moderatus, & ex aqua rhabarbari, ut ʒj. in libris octo aquæ ad tertias coquatur; sin minus, in libris 4. infundatur in petia per 12 horas; est etiam mirabilis dum in eadem aquæ quantitate concoquitur, ʒß. sasafras; & ad tertias coquetur; & iste potus erit, aut ex una aut ex ambabus simul, totoque à gestione vacat tempore: nam tum aqua radicis chinæ aut cinnamomi prægnanti potus erit; si in eadem aquæ quantitate; ʒij. radicis chinæ aut una cinnamomi concoquatur.

Et his omnibus auxiliis peractis, ad os sacrum infra renes, ubi uterus ossibus alligatur; hoc utile emplastrum adaptabitur; ℞. emplastri de pelle arietina, & pro matrice an. ʒj. galiæ muscatæ ʒß. & novo linteo, aut corio ambare præparato, imponatur; & si ex illo ardor aut inflammatio experitur; utatur emplastro Comitissæ, aut de cortice castoricorum, quæ sine calore roborant, exsiccando; sed advertat, ut parum quam menses instent, deponatur, usque ad menstrua purgatio, ne exacta iterum affigatur; & singulis diebus permutetur; exsiccatus.

Et si his auxiliis peractis, adhuc non videtur exsiccata hæc uteri humiditas, quæ concipiendo impedimento est; imo abundant flatus cum frequenti & importuno uteri borborismo, consultissimum judico, aut uti balneis medicatis sulphureis aut ferreis: aut sudoribus ex sarsa aut ex radice chinæ, ad hoc opus paratis, in justa quantitate; & maxime si gallici morbi aliqua sit suspicio; & hæc sunt potissima præservandi auxilia in hoc statu maxime oportuna.

Curatio gestationis tempore.

Gestationis tempore omnia vacuantia auxilia sunt suspecta, ideo, quantum possibile fuerit, fugienda, tam per sanguinis missionem, quam per purgationem: excepto si tanta crudorum abundantia cumulatur, forte pituitosi sanguinis, ut fœtus suffocari, aut acceptabula laxari periclitentur; quoniam in hoc casu post tertium mensem aut primis jam exactis, est nobile medicamentum propinandum, quod roborando evacuet; ut quod ex rhabarbaro & mustace conficitur, in pilulis aut pasulis. quoniam hiera in hoc casu, (alias aptissima) ob amaritudinem, poterit abortui causam dare; rhabarbaro etiam in substantiam uti poterit, ut si ℈iiij. accipiat, aut ʒj. in miva scorzoneræ aut limonum, & parum cinnamomi: aut in condito rosarum Hispanarum; ut quod paulatim congeritur, sensim & per epicrasim vacuetur: & à gestationis principio, prædictis robo-

roborantibus externis utatur; ossi sacro, & diebus intermediis aut aliis inter hæc ipsa tempora quatuor aut quinque dactylos accipiat, pulvere refertos subtilissimi corali, aut margaritarum præparatarum, summo mane, ut roboretur fœtus, & illa absumatur humiditas.

Et ob filiorum periculum, qui in hac nobilissima familia pereunt epileptici: si placet illos à tam sævo morbo præservare, domina Comitissa de hoc rhodomele gestationis tempore accipiat, tribus diebus in hebdomada singulo quoque mane, unciam unam, à quinto mense supra; ℞. stillatitiæ cerasorum, ivæ arteticæ, pæoniæ an. ℥vj. succi rosarum ℥viij. mellis optimi, satis ad rhodomel, & dum coquitur, adde mellis squilitici ℥jß. theriacæ, smaragdorum ʒiij. & in fine aquæ tyliæ ℥ij. mivæ cinnamomi ℥ijß. ut aromatizetur; & de hoc etiam recens nato infanti poterit ad dies 20 paululum propinari, quotidie; est enim omnium excellentissima præservatio.

Illud est tandem summopere cavendum, toto curationis & gestationis tempore, ne in cibo aut potu moderationem excedat; quoniam in hoc successionis fœlicitas libratur; aliter enim omnia irrita & sine fructu erunt: cibus erit triplex tantum in die, & semper moderatus; mane, aut solo poculo chocolatis, aut facili cibo tantum sine carnibus; nec utatur varia conditura ciborum, nec mixtione varia, crassorum & tenuium; sed tantum cibo utatur simplici, gallinæ aut caponis, aut perdicis, recensque nati columbi; fugiat omnia flatuosa, humida, indigesta, veluti lacticinia, & pisces crassioris substantiæ, verbi causa ostreacea; olera inutilia, & fructus æstivales immaturos; si vehementem excipias appetitum prægnantis; nam in hoc casu adhuc prava sunt permittenda; fugiat etiam potus nimiam quantitatem, maxime nive refrigeratam; quia frigidus potus per se solus erit abortus causa, in hoc casu; neque ideo in hoc & aliis temporibus potum moderate frigidum interdico; & hæc sunt quæ maxime conducunt in ejusmodi rerum statu excellentissimæ Comitissæ, cui Deus prospere faveat, quamque perenniter fœlicitet.

De constitutione febrium malignarum, quæ Hispali viguit anno 1648.

Anno salutis 1648. 20 Martii, grassari cœpit contagiosa & maligna febrium constitutio, in nostra civitate; quo tempore etiam vigere cœpit pestilentia in meridionalibus civitatibus Murcia, Alicante, & Hispali tamen potior erat hujus febris contagiosa ratio, quam maligna, conditio aliis malignissima: nos enim eo tempore, simul eadem domo, & ex eadem febre decem ægrotos vidimus & curavimus, apud Rodericum Matiam, & omnes sedula & attenta curatione divino austro flante evalere; & hoc commune erat, in omni fere domo & familia Hispalensium.

Iis incipiebat febris, & non valde intensa: aliis à principio malignissima, quæ intra quartam diem jugulabat, atroci malignitatis conditione, vitali facultate ad ultimum debilitatis acta; & intra breve illud spatium, aut reddebantur tabidi; seu veluti gelu frigidi; præ malignitatis fraudulentia; seu omni humida dissipata substantia, interno empyrheumate, liquata; seu spiritibus eadem malignitate, à tota substantia dissipatis.

Dum corporis cordis substantiam prius invadebat, illud erat pestilentis hecticæ indicium, quod intra quartam diem tabidi reddebantur; urina à nativo colore fere non mutabatur, cum pulsu duriori, aliis formicanti similis: plerisque æmulabatur naturalem; & omnes fere se nihil mali pati existimabant; hi omnes periere; medicis nihil tale verentibus; sed subito & inopinato devixere.

Quibus autem malignitas prius humorum apparatum invadebat; aliis persistebat in sanguine, & pluribus in bile; aliis febris erat de genere ardentium; de synocharum genere paucioribus: & in his intra quartam diem in febrem biliosam mutabatur; in istis tantum, accidentia harum febrium propria & communia elucebant; usque ad 4 diem, neque sitis intensa, nec in placido alismo jactabantur: plures se sanos existimabant, (vehemens læsæ mentis indicium) postea delirium erat commune omnibus; non paucis soporosa vigilia; capitis dolor, neque laboriosus, nec intensus; sed hoc peculiare in omnibus fere observavi, tumultuantem nempe capitis vacuitatem, ut nec stantes, nec sedentes persisterent, imo apud se non esse exclamarent; deliquium aliis subito invadebat, & habitantes domum, & extra venientes omnes fere contagio afficiebat.

Delirium aliis ad septem & plures dies vidimus perstitisse; ut filio Joannis de Avila, qui delirium novem diebus tulit; & in 14 à delirio & febre liber evasit; huic erat oxyrrhodinum ex aqua & aceto rosatis, frequens embroca, noctu maxime, ex lacte & decocto violarum, malvarum, foliorum lactucæ, & capitum papaveris; ultimo vena in fronte secta corpore exquisite vacuato, ad se redire cœpit; sanguinis missio ex talo, in his erat potissimum auxilium, postea sanguisugæ, hæmorrhoïdalibus appositæ; quia in his major sanguinis fœculenti copia, & maligna putrescentia defœdati, in meseræi venis & in hepatis fundo adservatur, si credimus Galeno 4 de Sanit. tuenda 5. quo facilius, promptius, brevius, ut à proximo loco, & minori periculo per has inferiores venas vacuatur; quod à contrario æque tutum non erit; nam dum sanguinem per venas brachii superiores mittimus, sursum, & non sine magno periculo, in prava sentina adservatum attrahimus; quantumvis aliquid, de illo qui venis majoribus putrescit, vacuetur; aliquid adjuvabat cordialium usus; nam illud omni malignitati est commune, ad ustionem vergere; his non erat furiosum delirium, imo mite, neque sitis urgebat, nec fastidium; imo aliis ciborum appetitus intensior, quam febris conditio postulabat, ventre nimis adstricto, quod omnibus fere erat commune; nam quibus biliosa diarrhœa supervenit, iis in hepaticam dysenteriam finis erat: & hæc à causa calida, quorum neminem vidimus evasisse.

Hujus symptomatis mihi serio vigilanti illa causa occurrit, quod malignitas clam & insidiose in hepar irruebat, ex venarum mesenterii, & cavæ partis jecoris maligno apparatu, unde altius radicata in hepatis substantia, hujus membri nobilissimi vires altius atterebat, & eversa temperie, non tantum bilem, sed humorem mille modis fœda-

fœdatum producebat; quo virtus sanguifica, in essentia debilis reliquas facultates fatali consensu afficiebat.

Quod non ita evenisse animali facultati observavimus; nam à delirio & sopore major pars evasere; quod essent per consensum; nam à confirmato delirio per essentiam raro aliquem vidimus evasisse; sed illud præ se tulit in aliis, ut dum cerebrum occuparet malignitas talis, oblivio ægrotos detineret, ut ne sui quidem meminissent, nec magnarum quidem rerum quæ sibi gesta erant; ut nobili Eugeniæ Justinianæ, quæ ingravescente morbo, in magna cerebri conturbatione, adhuc non palam delirante; se Deo & Deiparæ Virgini dedicavit, in observantissimo cænobio beatissimæ Theresiæ; hæc domina convaluit post 21. & à matre admonita de voto, in infirmitate celebrato, coram ipsis parentibus & servis, attonita præ admiratione respondit, se piissimi non meminisse voti, esse tamen facturam, quod parentum suffragiis videretur.

Hujus malignitatis diversitas, non tantum in varietate apparatus consistere mihi semper est visum: sed quod contagiosa seminaria in aliis validiora erant, aliis mitiora, pro cœlestis influxus ratione, incipientis, validi, aut progressi ad summum; hic enim materiam disponit, aut paratam invenit, ad majorem corruptionem, seu ustionem validam: (ab utraque enim malignitas resultat) illud est hujus præsumptionis argumentum, quod vidimus constitutionem debilem incepisse, & valide progressam non multis post diebus: & anno 1599. vaga incepit malignarum febriũ constitutio adhuc cum bubonibus, & carbunculis talis obedientiæ, ut auxiliis cederent; & hæc eadem seminaria, talem malignitatem postea contraxere, ut nec signifer quidem evaderet, ut est in proverbio. hoc idem & his diebus vidimus accidisse, anno 1649. in illa grassante pestilentia, quæ Hispalem affixit; quam nos late descripsimus. hunc sequi influxum invisibilem, vel exinde convincitur; quod in hac & illa constitutione illud vidimus accidisse, nulla aëris mutatione, quæ ocurreret oculis; & temperato & clementi cœlo saltem ad siccitatem verso; nam per novem menses, neque pluviam vidimus, neque cœli caliginem; sed illud observavimus, aëre inculpato cælestem influxum disposuisse corpora ad maligna seminaria producenda, suscipiendaque; quod etiam Cornelius Tacitus adnotavit, in omnium vastissima pestilentia, quæ tempore Neronis Romæ grassata est.

Hoc etiam producit hujus malignæ qualitatis efficacia, quod non tantum corpus dispositum, in illa accidentia præcipitat, sed etiam ineptum ad malignum apparatum disponit: sed aliud peculiare influxus cælestis addit, in illa maligna producta qualitate, ut illius moveat apparatum, & deducat ad membrum super quod dominatur: supponamus, quod invisibilis influxus illius configurationis stellarum, aut alterius singularis planetæ, in hoc aut illo signo super emunctoria dominetur, seu super ambitum corporis: tunc mihi non est dubium, bubones & anthraces generalem epidemiam constituere; nam quæ in una constitutione in generali fiunt, non possunt non esse communissimæ causæ; & in genere causalitatis, nulla potest esse generalior, quam cælestis influxus: & licet cor sub alis apparatum deponat, lacessitus: & ad inguina hepar: cerebrum retro aures; hoc poterit in aliquo singulari evenire, ex singulari causa, sed in omnibus simul in communi, in sola generali epidemia; hoc non poterit, nisi ex alia superiori causa moveatur apparatus; bene poterit etiam, si super cor, hepar, aut cerebrum dominatur influxus, aut simul super omnia; hæc dirigere membra, ut super sua quæque emunctoria excrementa deponant; ad hoc tamen semper est necessaria communissima causa.

Illud etiam maxime miri est, quod unica eademque maligna qualitas, in aliis ustionem inducit, si forte calidis & urentibus humoribus adhæret, aut illos propria efficacia producit; unde in causone, furiosa insania, colliquantes dejectiones & dysenteriæ pestilentes; in aliis putrefacit, si forte succos corruptioni aptos reperire contingat, ut humida constitutione præcedente; unde magis elucent putredinis indicia, velut, intensa febris de putridarum sorte, urina flava, crassa, & perturbata; implacidus alisinus; aëris expirati pravus odor; pulsus in contractione frequentior, & sudorosæ febres, &c. in aliis mortificat, cum nempe malignitatis efficacia humores ad veneni conditionem vertit; quo in statu quocunque repit humor, partem ad quam decumbit, aut ex toto corrumpit, aut in gangrænam mutat, aut saltem vehementi intemperie evertit; modũ substantiæ commutando. ex qua contracta imbecillitas, postea longo tempore durat, aut multiplici relapsui disponit; & isti sunt, qui repente frigescunt calore moriente, aut parte in gangrænam versa, cui decumbit humor; unde totius corporis torpida refrigeratio, torpor mentis & corporis; plerisque tandem infrigidat, si materia quam venenosam reddit, humido primigenio aut nativo calore defraudatur; seu in humoribus, seu in partibus solidis; veluti in historicis, ex semine corrupto venenoso, Galenus adnotavit; & epilepticis, ex aura frigida venenosa, &c.

Hujus constitutionis exemplum.

In hac constitutione mederi pluribus nobis contingit; inter quos, quæ potiori fœlicitate curatio enituit; in domina Eugenia Justiniana fuit, claræ virtutis virgine, ut natalibus altis; est enim nobilissimæ familiæ Genuensis. huic febris octava mensis Julii incepit, cum aliqua suspicione cruditatis ventriculi, ut ex pluribus aliis etiam observavimus; facta est postea tertiana continua, cum capitis dolore majori moderato, (erat temperie sanguinea, declivis ad pituitam in ætate juvenili & sexdecim annorum, dedita voluptatibus in cibo & in potu, ordine præpostero indulgens.)

Curatio incepit à clystere modice irritante ex mulsa, oleo communi, sale & ℥ß. catholici; quo ventre satis exonerato attendimus, an hic & nunc instarent menses, apparuit urina, jam ad flavam declinans; menses nuper præteriisse comperio: quo sanguinem ex talo mitti jussimus, & ut fieret longinqua à membris principalibus revulsio, (ut par est in omni malignæ febris suspicione, & maxime ubi in mesaræi venis putredinis malignæ est suspi-

ſuſpicio) obſtructiones enim menſium, ubertati impedimento erant: quod licet non obſtaret, in mulieribus & febribus malignis ſemper ex talo incipiendum reor; nam fere ſemper ab uteri ſpurcitia & prava humoris qualitate ad putreſcendum apti, omnem foveri febrem, cæteroſque morbos, & venarum corporis apparatum experimur; ac ideo, licet menſes non inſtent, nec præterierint, à talo ſanguinis miſſionem incipere conſultiſſimum judico. ac poſtea ſuperarum venarum apparatum minuere, ſi id petit neceſſitas; inde febris intenſior videbatur, & flava & craſſior urina.

Secunda die clyſterem mollientem & attemperantem accepit ex decocto prunorum, furfuris, & malvarum, cum oleo amygdalarum dulcium, ſaccharo nigro, ſale, & catholico; & illud ſummo mane; poſtea enim roborato ventriculo oleo abſynthii, omphacino, & pulvere corali: & juſculo avis dato; ex talo contrario mitti ſanguinem ſecundo imperavimus & ad uncias ſex; & cum valde ſiticuloſa eſſet, & impatiens, ℥iiij. aquæ ſcorzoneræ cum granis tribus lapidis bezoar Orientalis, avidiſſime cepit; interim febris in principio erat, venarum procedente cruditate.

Tertia die futuram malignitatem & febris periculum prædiximus, ac ſacroſancta confeſſionis & Euchariſtiæ ſacramenta accipere mandavimus; poſtea roborato ventriculo, ex brachio & baſilica dextra ſanguinem extrahere curavimus ad uncias fere ſex; fervor enim febris & ſitis indies major erat; moleſta & vacua capitis conturbatio; cum aliquo ſimulato delirio; nam erant verba multa, ut in alia adnotavit Hippocrates. hinc inceperunt malignitatis ſigna innoteſcere, non tantum prædictis ſymptomatibus, ſed omnimoda pulſus inæqualitate, in ſingulari quaque pulſatione: implacido aliſmo & jactantia, ut in rubris puncticulis, per brachia & ad dorſum diſperſis; poſt meridiem febris intendebatur & ſopor; neque ſapere videbatur, imo & ſui maxime negligens & oblita.

Illa nocte, commune oxyrrhodinum raſo capiti imponi juſſimus: & ab acceſſionis principio, à natibus deorſum, ſiccas cucurbitulas adaptari: & alternatim compreſſas ligaturas; ac illa nocte, ſcarificari duas ad nates cucurbitulas ratum duximus; ac poſtea de potu cordiali accipere ad ℥vj. conſtat potus ex aquis cordialibus ℔j. confect. jacinth. ʒj. lapidis bezoar Orientalis G.vj. in febris declinatione, corpus frictionibus tractare imperavimus, ſuperne deorſum, ut ex alto ad ſuperficiem venenum extrahatur; & à capite valentior fieret derivatio.

Et ſi cui videtur impenſa auxiliorum cura, advertat quod indicatio non tantum debeat eſſe æqualis in acutis, in quantitate auxilii, & qualitate contraria, ſed in acutis, & celeritate operandi; antequam aut confirmetur ſopor, aut delirium: aut intenſa putredo in ſordidam & malignam vertatur: aut in univerſalem ſucci corruptionem; nam poſtea ſero ſapiunt Phryges.

Oxyrrhodinum conſtabat, ex oleo roſato completo & omphacino an. ℥j. aceti roſ. ℥ß. ubi obiter adnotare par eſt, ut ſi prævalet delirium, cum importuno etiam pervigilio, quod oxyrhodinum paretur, ex aqua & aceto roſatis, addita fortaſſe de aqua lactucæ tertia parte; quo in ſtatu embroco frigidarum herbarum, addita tertia parte lactis, utriuſque accidentis implet intenſionem; ſi vero prævalet ſoporoſus lethargus, ex oleo & aceto roſato componatur, maxime in principio, & ad finem augmenti, & ad ſtatum uſque dum fervor attemperari poſtulat; nam cum aliqua incipit declinatio, ut conterantur quæ ſuperſunt, reliquias impactas moderate reſolvere oportet, ſed tali cautione, ne iterum reaccendatur fervor: ut tepentibus pullis gallinæ aut columbarum, aut pulmone arietis, ſeu catulo recenter nato; ſi non forte ſat eſt, communi oxyrrhodino parum addere de oleo camomilli, aut decocti pulegii, & renovetur antequam incaleſcat.

Quarta die febris magis intenſa cum invicto ſopore; ideo ad ſanguinis miſſionem properavimus, ex brachio ſiniſtro, & axillari vena, & ad ℥iiij. roborato ut antea ventriculo; dato poſtea de potu cordiali, ad ℔ß. omnia ſummo mane; ut ante febris invaſionem, aliquid cibi caperet; ſed faſtidium difficilem curationem reddidit; quoniam perſuaderi non poterat capiendo cibo; ideo de gallinæ contuſo, & colato parum accipiebat; poſtea una hora exacta, cum ſpongioſo ſaccharo, aut tenero bis cocto, de aqua, nive refrigerata, bibebat quod ſatis videbatur; inſperſo antea in gallinæ contuſo, pulvere lapidis bezoar Orientalis.

Hora quarta, cum ſatis jactabunda aliſmo videretur, cucurbitulas ſiccas apponi juſſimus, à natibus deorſum; & ob immenſam ſitim, cum ſpongioſo ſaccharo potum dedimus, nive refrigeratum, & ut ſatias caperet, conſuluimus, ex Galeni conſilio. 9 Meth. 5. nec te in grandi periculo, aut mortis aut tabis imminentis remoretur coctionis defectus, ad propinandam aquam, ubi ſuppetunt vires; nam in hoc caſu Averroes; 7 Colliget. 8. audacter aquam conſulit tribuendam, antequam vires deficiant, dummodo cruditas ſit ob acrem & urentem calorem; hora octava noctis, cum cerebrum adhuc alto ſopore & delirio oppreſſum videretur, cucurbitulas ad nates ſcarificare conſultum duximus; ac parum de potu cordiali accipere, ſatis valido; cænavit hora decima de gallinæ juſculo, & hepate gallinæ, cum potu moderato.

Quinta die clyſterem ſummo mane accepit, de jure avis amygd. dulcium, ſaccharo ſale & catholici ℥ß. quo non male certe tulit; ſed cum corpus valde delaſſatum videretur; conſultum duximus, in hac die ceſſare ab auxiliis, frictionibus & cordiali potu, prandio & moderata cœna.

Sexta die accerſito doctore Ludovico Ramires in conſultationem, nobis de morbi eſſentia dubitare non licuit; grande periculum inſtare videbatur, cum febris & accidentia parum remiſſa viderentur, imo adhuc vigere malignum venarum apparatum, ut palam fecit urina craſſa, flava, cruda, & fere conturbata; quo in eo convenimus, ut ſanguis iterum ex talo mitteretur; ſemper enim in mulieribus, morbos ab utero foveri eſt vehemens ſuſpicio: quia uteri venæ, nec ſemper, neque bene à venenoſo ſucco ibi coacervato, repurgantur; & quod remanet, febris occaſione efferveſcit; quod non tantum eſt cauſa, ſed & fomes ac origo graviorum malorum; quo peracto,

acto, de potu cordiali accepit solitam quantitatem; & hora 9. cibum, cum potu frigido moderate; vespere ligaturis excitabatur sopor: deorsum vocabantur vapores, & scarificatis cucurbitulis sedabatur delirium in nocte.

Die septima adhuc febris intensa: symptomata, licet non ita valida, parum adhuc remissa videbantur; neque crisis hac die sperabilis erat, non præindicato cruditatis tempore; ideo ut sanguisugæ venis hæmorrhoïdalibus adaptarentur, consuluimus; hoc enim auxilium, non tantum à mesaræi venis, & ab hepatis cavo, sed majorum venarum apparatum potenter exhaurit, & derivat à foco & minera putredinis, quæ est causa aliarum causarum; si à perito artifice imponantur; nam calidæ aquæ vapore tractus humor juvatur; & à corde & cerebro revellit: & atros & malignos vapores, licet per accidens, atro humore deorsum vacuato, vel ex eventu pellit; quo tulit alacrius in posterum, & de potu cordiali parum sibi tribui postulavit vespere, frictionibus repetitis ab opere cessavimus, in cœna dato jusculo inspersis granis 4. lapidis bezöar Orientalis.

Octava, febris eadem, delirium, & vacua capitis conturbatio adhuc persistebant; & in somnum delatio, quo in statu potum aquarum cordialium expetivit; & cœpit summo mane; post horam cucurbitulas jussimus applicare, 4 ad nates. 4 ad sparthulas, & è directo, in cordis regione, incisiones fieri, quæ de sanguine bilioso non parum extraxere, cum viridi serositate mixto. (morbo jam progresso detestabile signum, est enim ustivæ corruptionis sanguinis universi indicium, quando ad venas capilares expanditur.) postea communi oxyrrhodino misceri jussimus de oleo camomilli ℥ß. supra cordis regionem, apponi mandantes dulcia poma, vino & aqua rosata cocta, postea malaxata, & cum pulvere diamargaritonis frigidi, & diamusci mixta: quo cor tantisper levabatur; ad noctem, columbę pullum, per medium dissectum syncipiti, raso capiti, adaptatur; & horæ duplicatæ spatio retinetur, postea caput, aqua tepida à sanguine abluitur, ac de pectore avis cœna facta placido & securo somno, noctem transegit.

Nona die clysterem accepit & præcedenti similem: quo parum levabatur; nec soporosa erat, nec ita conturbata delirio: cerebrum cataphoricis accidentibus & continua febre permansit debilissimum; ut nec per multos dies caput potuisset sublevare; quod cæteris omnibus accidisse in hac constitutione observavimus. parum de potu cordiali accepit: & cibum hora nona, cum potu nive refrigerato: & hinc febris incœpit mitior apparere, remitti accidentia, & cum resipiscere cœpit, sui ita erat oblita, ut ne voti quidem, Deiparæ promissi, in principio morbi, celebrati meminerit; inde ad 21. febris reliquiæ & imbecillitatis permanserunt, sed quia nil memoria dignum posthac celebratur, ideo rerum quæ acciderunt postea, memoriam non facimus; nam in 21. à febre libera, & ab summa imbecillitate instaurata, ætatis privilegio, Dei benignitate evasit.

Purgare in hoc casu nec usu futurum, nec ex arte fore existimavimus: in principio enim febris & maxime malignæ, dum major à medicamento timetur conturbatio, major etiam effervescentia, & veneni diffusio in nostra regione, & in nostris hominibus ratio & experientia redarguit; excepto, si ventrem lenire, recenti cruditate, necessitas exposcit, ut nos late probavimus propria quæstione; in febris autem declinatione, humore quiescente, nec alteratis reliquiis; nec recursus suspicionem inferentibus; tam superfluum quam periculo plenum, quis facile intelliget; & maxime dum viget syrius ardor; quo periculum periculo augetur, ut prudenter Hippocrates advertit; & quingentis fere hujus constitutionis ægrotis, non memini unum vel alterum mendum curasse, nisi febre omnino liberati viderentur; & ob superius allatam rationem: & ne data cathartico, (quantumvis clementi) occasione, ut venter diarrhœa forte aut dysenteria solveretur; omnibus fere hujus constitutionis ægrotis, quibus venter solvebatur, pereuntibus: & apud nos hodie, rarissime purgare in febribus contingit, excepto paucissimis hieme aut autumno; nam quæ judicantur, & judicata sunt integre, non purgare, sed mittere sanguinem, ita ferente sententiam Hippocratis; natura enim quæ morbi impetum superavit, judicio & crisi, reliquias etiam conterere valebit; quod si non assequatur, recidivæ periculo: tunc si sola attemperatio non sufficit, aut sectione salvatellæ, aut sero lactis attemperato hepate: tunc erit commodior occasio purgandi, concoctum & non crudum humorem; motum & non quietum; & illam Hippocratis sententiam intelligo, non tantum dum conspicuo judicio morbum natura judicat, sed dum insensibili transpiratione, nempe, cum mutatur ad melius paulatim ad salutem.

In hac constitutione illud etiam minime prætereundum duxi; nempe in duobus ægrotis delirium & soporem longissimo tempore perdurasse, & tamen à febre & delirio evasisse; (cum alioquin doctor Ludovicus Mercatus, in 24 horis asserat interdum confirmari) altera fuit satis honesta virgo, filia Didaci Navarro, Hispalensis, quæ in maligna febre & morbo jam progresso, delira, postea soporosa, per integros quatuordecim dies oppressa, delirare non destitit, donec optime vacuata sanguinis missione ex talo, ex brachiis per hyrudines utriusque manus carpo, tandem vena in fronte secta, (cui malum non cessit) & cucurbitula occipiti affixa post alias inferius; delirium aliquantisper sedabatur; licet vigilandi impotentia deplorata omnibus videretur; & merito, cadaverosa facie, longe extenuata, cum febricula hecticam æmulante: dum circa maxime necessaria versabatur delirium; nempe circa cibum & potum, ad quæ, intra septem integros dies cogi nequivit. casus, qui merito ab Hippocrate, in coacis ut læthalis damnatur; in hac ultima desperatione versabatur, cum aliquid comedere incepit, & lente & ad longum tempus instaurari, embrochis attemperantibus, topicis modeste resolventibus, pullis nempe per medium dissectis & pulmone arietis! quo tandem, divino beneficio evasit, & sana nunc persistit. Alter, fuit filius Joannis de Avila, hic intra septem dies neque die, nec noctu destitit delirare, sed miti & pacato delirio, ut fieret noctambulus, exactissima tandem curatione malignissimæ febris de genere ardentium;

tium; & potu cordiali nive refrigerato, corpore optime vacuato, prius ex talo, ut malignis & pestilentibus febribus consultissimum est; deinde sanguisugis, tandem vena in fronte secta, embrocha frigidiore præcedente, incepit jam rarius desipere, ac tandem mente redintegrata, cum omnimoda febris vacuitate, pristinæ, (Dei auxilio) sanitati restituitur.

Quantum in hac constitutione licuit observare, neque phrenitis, nec lethargus, neque alius soporosus affectus inflammationem sequebatur, sed solam cerebri irrigationem; & illud potissimum erat argumentum, quod nullus furiose delirabat; nec ulla videbatur confirmata phrenitis; nam magis aut minus resipiscebat, prout tenuatus humor exhalabat, aut attemperabatur.

Dysenteriæ singularis observatio.

In hac constitutione jam, sub finem Augusti, ad nos misit Nicolaus Plato, nobilis Genuensis; in cujus domo vidimus Joannem Augustinum implacido alismo correptum satis intensa febre, & importuna siti divexatum, cum fluxu ventris biliosо, ramentis sanguineis permixto; sed super omnia, improbo fastidio superatum; hæc omnia, secundo febris & fluxus ventris die, vix, aut sat difficulter noveris, an febris sit diarrhœæ accidens, an diarrhœa febris symptoma; hoc tandem ultimo comperimus, biliosam nempe febrem incepisse, de malignarum sorte, cum flava & intensa urina, & pulsus inæquali differentia: & simul inter alia symptomata, illam biliosam diarrhœam processisse, ut hujus febris symptoma tanquam ex constitutione suspicari par erat; nam per hæc tempora talia vagabantur; quippe ab acri & biliosо succo, in intemperato hepate perenniter congenito, natura irritata, majorem partem symptomatice, ad hæc loca communia impellebat, altera putrescente in venis derelicta, ut plane fluxus pravæ febris accidens æstimaretur; grave prorsus in hoc tempore symptoma; quod illo omnes pene, qui ita constituti maleque affecti, morerentur mortales, ad dysenteriam hepaticam prolapsi; tertia die, sanguinea ramenta, magis quavis egestione innotescunt, ut jam inceptam intestinorum dysenteriam dixeris, non contemnendo ulcere; & perquirens quonam intestinorum delitesceret, dolores amplius sævientes, in abdominis parte inferiori pati novimus, torminibus intensis & clamosis: & sanguinis ramenta parum mixta, & mox à doloribus excreta; quo ratum plane duximus, crassiora intestina, ulcera deportare, quod haud mediocriter ad curationem conducere Galenus nobis dixit, 6 de Locis 2.

Erat juvenis iste biliosus, exustus melancholia, hirsutus, & tetrici coloris, cum nuper ad nos à Genua pervenit, neque cibis neque moribus nostris educatus, nec expeditæ linguæ adhucdum erat; ut animi conceptus explicare posset; sed nos, quoquo meliori modo potuimus, ægroti mentem facilius colligere incepimus, utut ex male formatis vocibus: & ut illius curatio à divino auxilio inciperet, curavimus, scilicet sacrosanctis sacramentis ecclesiæ.

Prima die, & in secunda morbi, roborato ventriculo, oleo omphacino, & absinthii calidis moderate, & pulvere corali, sanguinem à dextro brachio, & basilica ad uncias quinq; extrahere mandavimus; securius enim hoc auxilio, quam purganti medicamento, ab ulcere inflammato revellitur, & humor in venis ebulliens, & fluere paratus, vacuatur; postea accepit de syr. rос. ℥j. & ℥iij. de aqua portulacæ; & horis duabus jam exactis, clysterem abluentem accepit ex hordei decocto ad crepaturam acto, ovo integro, & albo saccharo; hora decima cibum in prandio accepit, ex pulli dimidio concocto, alia parte asso, & fructibus appetitum juvantibus, ut condito cerasorum acidorum, & pyro & melone clausit cibum, bis cocto, & persicorum condito; aqua nive refrigerata potui suo inserviente.

Secunda die vidimus excrementa flavitie intensa saturata cum pure jam permixta, & sanguinis ramentis, ac si dixeris sanguine purulento: quo conjecimus, ulcera sordidiora fieri, & serpendo procedere cum inflammatione, quæ crescebat indies; nam ventris tormina intensiora erant, febris intendebatur, urentissima siti, & tam importuno, & anxio alismo, ut mutationibus, tanquam remedio, frequenter uteretur; quod nobis ansam dedit, etiam de febris malignitate suspicari; erat enim certe valde maligna; illud erat maximum argumentum, inæqualis in singulari quaque pulsatione æqualitas, & in omnibus simul, quo sanguinem secundo mittere, dubitare non erat ex brachio sinistro, & basilica & ad uncias 4. ut antea roborato ventriculo; ac postea de hoc potu accepit frigidam quantitatem; ℞. aquarum scorzoneræ, cydoniorum & plantaginis an. ℥vj. portulacæ & capitum rosarum an. ℥ij. confect. iacinthorum. ʒj. hæc enim, ut malignitati, sic ventris lubricitati obstat, & ulceri siccitate medetur; humoris feritatem attemperat, & viscera corroborat, & aquarũ concursus, contra causam & febrem pro meritis & dignitate purgat.

Pro inflammato ulcere, clysterem imperavimus, ex decocto plantaginis rosarum Toleti, & hordei ad crepaturam acti, cum saccharo, ovo integro, & syrupo rosato, ad ℥jß. oleosa fugienda semper existimavimus, ulcere inflammato, ne amplius ignescant; quo exacto cibum in prandio accepit, de pectore gallinæ asso, & cum agresta condito; & in potu accepit aquam nive refrigeratam, quantum cibo par erat; cum bis cocto & condito pyrorum.

Vespere tormina augebantur, cum importuna egerendi frequentia: intendebatur febris, & sitis, quietem non ferebat; quo decrevimus in diei cadentia, si febris levaretur, (ut cessit,) de potu cordiali nive refrigerato, quantitatem accipere; & de facto accepit; postea clysterem imperavimus, ut paregorice mulcerentur dolores; & ad illa ventris tormina, fecimus prius pulli dimidium cum hordeo concoquere frustulis pyrorum, ad perfectam hordei crepaturam, & pulli coctionem; de hoc jure ℔ß. accepit de syrupo rosato ℥ij. philonii Romani ʒj. & cum vitello ovi, pro clystere accepit. quo modice levabantur dolores; somnus concitabatur, ut adcieret quietem; ideo hora nona sub noctem pyrum accepit assum, cum gallinæ substantia in jure præparata. quo non implacidam egit noctem, nec omnino tamen quietam.

Die tertia invenimus ægrotum, non valde delassatum,

lassatum, sed tristi melancholia oppressum, quo in statu, licet vires constarent, à sanguinis missione supersedere consultissimum duximus; eo sane consilio, quod nocte antecedente narcoticum in clystere acceperat; hoc enim est certe Hippocratica prudentia dignum, ut in die, qui sequitur narcoticum, omnino à sanguinis missione caveamus; quoniam, ut Hippocrates in coacis advertit, sanguinis detractio in torpida refrigeratione, malum; eo enim commodo defraudatur natura, unde illius instauratio sperabatur, si inconsulto sanguis mitti contingat.

Ideo summo mane accepit de potu cordiali, inde hora exacta, de hepate gallinæ, ut vires instaurentur; postea roborato ventriculo, oleo cydoniorum & absinthii, cum pulvere corali, clysterem mitti jussimus, ex lacte lapidibus ignitis præparato, cum albo saccharo, & vitellis ovorum; est enim lac chalybeatum, ut Galenus dixit 10 de Simpl. Med. Facult. cap. 8. optimum dysenteriæ auxilium, & omnium ventris acrium fluxionum: abstergit enim ulcus, roborat vires, attemperat irruentes humores, sanguinis œconomiam moderatur: ac tandem cibum & præcedenti quidem non absimilem accepit, cum aqua auro chalybeata, & moderate frigida; nive admota; & ut sub diei ardorem somnum quæreret in quiete, imperavimus; est enim somnus maximum harum passionum auxilium, ut qui omnes evacuationes præter sudorem cohibet; spiritus deperditos instaurat, dolores mulcet, corpus delassatum restituit; ac illo deperdita redintegratur corporis œconomia; est tandem omnium passionum, dono divum gratissima quies.

Sed nec inde febris, neque pravæ excretionis symptomata quievere (dolore modice temperato) quo sub vespere clysterem Ætio laudatum, mittere non abnuimus, ex hordei decocto, & vitulino sævo, cum vitellis ovorum, & parum rhodomelis ex saccharo permixto; inde ventriculo roborato cœnam cæpit, ex pullo columbino, & malo persico assato, cum bis cocto, & aqua auro chalybeata.

Quarta die, febris & dysenteriæ symptomata casum posuere in ancipiti alea; & extremo discrimine ægrotum; quo (acceptis prius divinis confessionis & sacræ Eucharistiæ sacramentis) roborato ventriculo, & jusculo assumpto, sanguinem ex salvatella mitti consultum duximus; quoniam jam vires febris malignitate & surgendi frequentia, attritæ (alias delassatæ) videbantur. præterquam quod homines exteræ nationis, non ita viriliter sanguinis evacuationes ferunt, repetitas, ut nostri; ac extractis quinque sanguinis unciis, quatuor accepit, de potu prædicatarum aquarum, cum pulvere crystalli præparati; nive refrigerato; ac horis duabus exactis clysterem accepit; ex ℔ß. seri chalybeati, aquæ plantaginis ℥ij. rhodomelis ex saccharo ℥jß. crystalli præparati, ʒß. (ut ustiva malignitas frænetur) ac tandem hora decima cibum in prandio accepit, ex gallinæ contuso, quia insuperabili fastidio urgebatur; parum postea hora exacta bibit, super frustulum conditi satis grati ex persico & piro; & sub finem diei non ita male tulit, licet egestiones non cessarent; febris aliquantisper mitescebat; nec ut antea incrementum excepit; sed sitis adeo ægrotum seduxit, ut vesperæ gelidæ quantitatem acciperet; quo cœnam parum distulit, ut clysterem acciperet, modice detergentem; id enim postulabat ulceris indicatio, quoniam pus majori sorditie & fœtore scatebat, ut ex sero & hordei decocto; quibus infundebatur sacchari rosati ℥j. ac postea facta expressione cum rhodomele & ovo integro parabatur; quo non male illa nocte transegit; nam, data cœna ex pulli columbini dimidio, modice conquievit.

Quinta die licet febris paulo mitior videretur, virulentiores comparuerunt excretiones, & magis purulentæ, quæ sordidius ulcus attestabantur; quod certe grande malum, providam curationem, & sedulam providentiam postulabat; ideo ex abstergentibus cum attemperatione hoc enema accepit ℞. decocti hordei ad crepaturam acti & depurati seri an. ℥iiij. sacchari ℥j. rhodomelis ℥ij. unguenti Ægyptiaci ʒß. est enim in hoc casu apprime necessarium, ne adstringentia clysteria imponantur, ne pus sordidum reprimant intra ulcus, corruptionis periculo fatali; hoc enemate quievit moderate, intestinis & ulcere ablutis, & abstersis, ab illa obscœna virulentia; nec deinceps tormina in illa regione sævire; accepit deinde de syrupo rosato ℥j. de aqua portulacæ ℥iij. & ventriculo jam longe delassato, de emplastro de crusta panis cum oleo cydonii ℥j. imponi imperavimus; quo prandium accepit de pectore gallinæ semiasso, & omphacio condito cum alia portione contusi & colati; in mensæ principio accepto de condito cydonii; nam bellaria, levigato ventriculo, citant egestiones: inde prandium clausit cum bis cocto, & prædicta aqua chalybeata, & non extreme frigida.

Ex hac die ceperunt symptomata remitti, sed non excretiones, putrida conditione pravæ; sed illud nobis attentione dignum sese obtulit, quod nullas antea fœcum excretiones habuisset; quo nobis visum fuit, ut sub vespere acciperet clysterem ex lacte chalybeato ℥viij. unguento rosati ℥jß. sacchari ℥j. vitelli ovorum. n. ij. catholici, 4 unam. quo, adservata longo antea tempore excrementa, absque ullo labore prodiere; quod idem in jure avis etiam conficere par est; quo alacrius tulit, & levius ferebat, & febrem & symptomata; unde cœnam accepit, ex assato pyro, pulli dimidio, nescio quo condito genuensi præparato; quo noctem fere totam in quiete transegit; neque excretiones ita frequentes ibant; nec ita copiosæ in quantitate continua, nec discreta; ex quo ulcera fere abstersa & munda videbantur, ut ad consolidationem devenire protinus sine mora necessitas consuleret.

Ideo sexta die primo mane accepit de condito rosarum Hispanarum, antiquo ℥j. & de plantaginis aqua ℥iij. ac roborato ventriculo, emplastro diaphinicone Alexandri; hoc enema accepit; ℞. succi hordei ad crepaturam acti, & vini nigri austeri, an. ℥iij. & bene misceantur, sacchari ℥j. emulsionis boli armeni Orientalis, & thuris in aqua plantaginis solutorum, ℥ijß. succi plantaginis ℥j. & tepidum mittatur; ac illo accepto, melius se degere dicebat; nam exinde cœperunt excrementa solidiori substantia excerni; ciborum appetitus restitui, physis redintegrari;

unde in prandio accepit totum pectus perdicis, remisso igne assum, ne duriori substantia coctioni resisteret, & in potu parum vini austeri, lymphati aqua chalybeata; quoniam jam febris mitior videbatur; & in cœna parum de condito cydonii, cum vitellis ovorum, & parum aut nihil præterea bibit.

Die septima parum accepit de syrupo rosarum siccarum, cum aqua portulacæ & plantaginis, & postea clysterem, (quem maxime profuturum sperabamus) mitti jussimus, ut ℞. vini albi austeri ℥ij. mulsæ confectæ in decocto rosarum Toleti ℔ß. terebinthinæ venetæ vino calido dissolutæ, & butyri recentis an. ℥ij. syrupi rosarum siccarum ℥j. quo optime alvus confirmabatur; in prandio & cœna cibum ut antea accepit; quo redintegrata salus pullulabat in melius quotidie; nam licet alvus non in totum absisteret, neque febris demitteret, usque ad 14. ad tempus aliquando accepit ex lacte chalybeato, ovo integro & saccharo clysterem; quo perfecte, divino auxilio, convaluit.

In hac constitutione, mense nondum exacto, mulierem neque noto neque publico genere, nos à sæva & læthali dysenteria curare, Numini divino placuit, cujus sit Nomen in æternum laudatum. Huic ulcus in intestinis declivioribus incepit cum ventris torminibus clamosis, quæ maxime auxiliis obsistunt, cum magna inflammationis suspicione, ex febre & siti exurenti; quo factum est, ut hepar, calida altius radicata intemperie, essentialem contraheret imbecillitatem, unde hepati dysenteria emanavit, quæ licet maxime auxiliis obsisteret, est tandem recuperata salus, non tantum auxiliis præcedente observatione repetitis, sed narcoticis loco & tempore oblatis, interdum in clysteribus, aliquando in potu, ex philonio micleta, & papaveris syrupo, in tam moderata quantitate, ut in auxiliis periclitari, umbra neque tantum timoris esset.

Purgare in principio in hoc casu nec hujus morbi fine, licet plerisque placeat, nobis tamen non placuit; causam leges per otium in nostra quæstione minorandi; titulo de dysenteria; sed potissima ratio eo maxime urget, quod malignæ febris principium, & ulceris inflammati conditio potiori urgentia purgandi auxilium contra indicat, quam feritas humoris & ulceris præcautio petere videatur; in fine autem nulla instat necessitas humore à natura vacuato & persanato ulcere. nam celerius necat cathartico malignitas, diffusa, & serpens, & aucta inflammatio, quam humoris conditio, licet prava: & ulceris quod incipit dubia inclinatio; & ad malum propensio.

OBSERVATIO.

De hypochondriaca, melancholica, Gallica gonorrhœa complicata.

D. Andreas de Soto, juvenis 20 annorum, nec validæ, nec robustæ naturæ, dum hypochondriaco affectu vexaretur; biliosus & venereis deditus, in gallicam incidit gonorrhœam, renum purgationem vocant, improprio vocabulo; est enim proprie parastatum, & vasorum seminalium ulcerosa inflammatio in principio, quia in ulcus ichoribus scatens ut plurimum degenerat, dum est gallicæ labis consectaria; hæc ulcerum impuritas à perito chirurgo ordine regulari tractabatur; bis sanguis ex talo mittitur; syrupo violarum cum aquis malvarum & endiviæ, ad purgationem præparatur, nescio quot diebus: medicamentum purgans instituitur, qua purgantium sorte, nunquam nobis innotuit; quoniam nos accersit in die subsequenti; illud constitit ejus relatione, se sæpissime & validis doloribus è ventre egessisse; ut se uri in tota ventris regione exclamaret; sitis intendebatur, quæ nullo fere potu mitescebat; ad tertiam diem valida febris erat, cum urina tenui, intense flava, & doloribus ventris ita validis, ut nec se flectere, nec elevare possit: & si forte ad egerendum surgeret, clamoribus totam domum implebat; in hoc statu, curandum ægrotantem suscepimus, cui primo accessu clysterem imperavimus ex jure avis, oleo amygd. dulcium, vitello ovi, & saccharo ac linteo ad ventris regionem imposito, oleo dulcium amygdalarum & rosaceo imbuto, tepente adhuc: cibum ex gallinæ contuso accipiebat, cum moderato potu; insomnem noctem egit, valde siticulosus, sed fastidium erat insuperabile.

Universam ventris regionem tractare, ad melius curandum, nobis ex arte fere visum est; invenimus enim in illa adurentem tactui calorem, & quandam veluti renitentiam, & dolorem intensum & clamosum, dum manu tangeretur; & infra umbilicum ita validum, & subsultantem pulsum, ut valide tangentem manum à se pelleret, quo phlogosim inflammationi proximam, in tota abdominis regione concitatam, conjecimus. ex purgantis medicamenti violentia, & ab excandescentia humoris melancholici in mesaræi venis irritati; quod in nocte subsequenti confirmavit febris de genere ardentium; & constitit esse phlogosis & inflammationis symptoma, ex iis quæ jam diximus; ideo insequenti mane, roborato ventriculo & jure præassumpto, ut sanguis ex talo mitteretur curavimus, vacuationem ob virium defectum moderando, ad uncias tres; cui fuit auxilium incantamento simile; nam repente levabantur dolores, febris mitior erat, & omnia leviora symptomata; postea, potum fecit ex aquis cordialibus in bona quantitate; quo prandium alacrius accepit ex pectore avis, & potu moderato; inde febrem postea experimur continuam, sed non ita intensam: quo in sequenti nocte, attemperante clystere præcedente; siccas cucurbitulas à natibus deorsum imponi jussimus; inde cœnam accepit, ex solo jure avis, sine alio potu; donec hora exacta ipsi jus propinaretur; quo non ita implacidam noctem egit, & maxime quod potu aquarum cordialium, sitis per intervalla levaretur; non sunt enim tales ad ultimam potus inopiam & desiccationem perducendi. hunc vidimus in subsequenti die, non ita intense febri correptum; sed de ventris regione maxime condolentem; & cum flava & intensa urina & paulo crassiori, quo iterum ex talo contrario sanguinem mitti jussimus; ventriculo ut prius roborato ac 4 de sanguinis unciis extractis; linteum lacte madidum supra ventris regionem

imponi

imponi imperavimus. die 3 de viribus soliciti, (ut prima & potissima postulat indicatio) à vacuanti auxilio abstinuimus; dum potu temperatur aquarum cordialium, quem sequitur, enema ex lacte bene cocto, vitellis ovorum & saccharo; quo ventris dolores modice sedabantur; sed vespere arietis omentum, oleo amygdalarum dulcium calefactum, ventris dolenti regioni imponi jussimus; quo noctem egit à doloribus vacuam; 4 die cum adhuc de ventris dolore quæreretur,& hypochondriacus affectus nondum cederet; octo sanguisugas venis hæmorrhoïdalibus chirurgus adaptavit, quæ sanguine saturatæ, sponte ceciderunt,ac supra vas aqua calida vaporante, ægrum sedere fecimus, super quod parum sanguinis etiam instillavit; ut ex utroque 4 sanguinis unciæ extractæ viderentur. quo auxilio, symptomata, & febris paulo mitiora videbantur; pariter in hoc ac cæteris auxiliis roborato ventriculo; non male egit noctem, cum cœna ex pectore gallinæ, & piro bene asso; in quinta die licet accidentia remissiora essent, aliqualis dolor in ventre persistebat, qui topicum auxilium postulabat, quo nobis videbatur ex arte esse, pullum per spinam dissectum abdominis regioni adaptare; quo dolor absolute est sedatus: salus redintegrari cœpit, & Dei beneficio ipse sanitati restitutus.

Ex his omnibus una tantum elicitur conclusio, quam magna cautione sit in hypochondriaca melancholia purgandum; nam quovis adhuc benigno medicamento irritatur melancholicus humor, in mesaræi venis inculcatus, ita ut ex commoto graviora pullulent accidentia, quam ex illo impacto; Hispali anno Domini 1649. die 1 Decembris.

De auditus stupore observatio.

Frater Josephus de Sancto Petro, Carmelitarum ordinis Beatissimę Virginis, incepit auditus stuporem persentiscere, exinde venit ad surditatem incompletam; erat vir iste capite neque valde robusto, neque debili, & 60 annor. sed per varias temporũ mutationes. (nam ventis orientalibus & meridionalibus flantibus surditas augebatur) in incompletam incidit surditatem; quam amoveri postulabat; erat temperamento bilioso ad melancholiam declinante; licet causa in capite esset crassior ex eventu, ex viscida pituita, in tunica membranosa imbibita, ex qua flatuum copiosus proventus; sed hæc erat his humoribus mixta, ut nativa temperies producebat; nam per venas in caput facile conscendebant; quibus etiam & causa surditatis fovebatur; ac ideo à sanguinis missione incepimus, à brachio dextro & à vena communi ad uncias 4 extracto sanguine; & in die sequenti à latere contrario; interim rhodomelis ex saccharo singulo mane cepit unciam unam, de aqua cinnamomi, uncias tres, quo die quinta in carpo manus, vena inciditur & ad ℥iiij. extrahitur; ac exinde humoribus exacte præparatis, imperatur purgatio primæ solius regionis, ex syrupo persico & filiculæ; cum decocto pugini, quæ feliciter cessit; postea iterum præparatur; syrupo de stœcade & rhodomele, & pilulis purgatur, cochiis & aggregativis. quod etiam haud minus bene cessit. quo ex arte peracto; ad topica devenimus, inter quæ unum maxime profuit, nempe retro utramque aurem, in cavitate quæ est in radice auris 4 hirudines affigere, usque dum sanguine saturatæ forent & tumentes, sua sponte deciderent; ut posteaque sanguinem fluere permisimus donec sisteret; quo solo beneficio ita exinde melius audire cœpit, & clarius voces percipere, ut fere non indigeret alio; licet intra auris cavitatem bis in die guttulæ mitterentur olei amygdalarum amararum, & castorei. quibus flatus mire discutiuntur; ac postea bombice his imbuto utebatur, & vitæ moderatione postea ultimam salutis manum imposuit. licet nostro consilio postea, fonticulum in brachio aperuisse jusserit, ut quod perenniter generatur, extrahatur perenniter; quo (divino auxilio) est auditus in totum restitutus.

QUÆSTIO UNICA.

An in omni affectu, qui sanguinis missionem exoptat, à sanguinis missione, ex talo semper incipiendum?

Hæc inter nostros doctores incepit controversia, anno 1653. quidam doctus, hanc novam inauditam, neque unquam in quæstionem tractam, ab Hippocratis tempore existimavit; ideo sectam dixit, & inauditum dogma, ac ejus auctorem methodi præversorem nuncupavit, quia de tradita antiquorum via deviavit; nos meritis controversiæ, cum torno & cothurno libratis, illam ad limam & lineam redegimus; & propriæ sententiæ fundamenta ita solida jecimus, ut classicam, & probabilem magis opinionem reddere videremur; & quia nos, antequam agitaretur controversia, plerisque in observationibus, non tantum singularis affectus, de auctorum genere, sed febris malignæ pestilentis, aut simpliciter putridæ, à sanguinis missione, ex talo incipiendam esse curationem existimavimus, ideo hanc quæstionem, uti saluti publicæ maxime necessariam discutiendam duximus; quapropter contrariæ sententiæ fundamenta in medium adducere, in re gravi, ancipiti negotio, pro invenienda veritate decrevimus; nam contraria juxta se posita, magis elucescunt; hæc sunt præcipua contrariæ opinionis fundamenta; ut attendatur serio, an nostra sententia classicam opinionem reddat; quæ à posteritate insequi mereatur.

Primo, ut recta instituatur curatio, hoc debemus deducere, ex vera affectus & partium notitia: an cum vena consentiat, unde sanguinis missio instituitur; sic Galenus lib. de Sang. miss. 16. 3. de Anatom. Administ. 6. 4. de Sanit. tuend. 10. & 12 Meth. 11. *Siquidem*, inquit Galenus, *quod vacuandum sit, id communis indicatio est, unde autem & quomodo vacuatio sit facienda, id æger ipse docet locus.*

Gal. lib. de Sang. miss. 16. 3. de Anatom. Admin. 6. 4 de Sanit. tuend. 10. & 12 Meth. 11.

Secundo deducitur ex Galeno 7 Meth. per hæc verba: *Illud pro comperto habens, non posse ad perfectionem, ullum affectum sanari: manente adhuc ipsa unde natus est causa*; & sicut illæ in diversis locis oriuntur, hic causa in diversis stabulatur etiam, quibus venæ non possunt habere æqualem rectitudinem, nec æqualem distantiam: unde sequitur, ut non cuique affecto loco possit auxiliari vena secta; nisi sanguis ex vena, cui magis consentit,

sentit, vacuetur; ergo non semper est vena incidenda in talo.

Tertio partium consensus fit per venas communes cum ipsa parte ægra, ut Galenus libro de Sang. miss. dixit; & hoc observatur, si venæ ramo venarum proximo oriantur, ergo si cerebrum afficitur, tardissime, aut nunquam ex talo speratur auxilium.

Quarto, si nulla sit pars primario affecta, sed humor intra venas putrescit, ut in febribus, sanguinis missio debet ex illa vena fieri, quæ proxime rectitudinem servat, cum loco ubi humor putrescit: qui si fuerit inter alas & inguina, absque dubio in brachio proximam rectitudinem servat; non ex talo, in quo longa distantia: quæ tardius auxiliari valet; totus discursus patet in illo Galeni Commentario, de Stymargi ancilla, in cujus historia sic legitur: *Quod igitur sanguine abundante, venam incidere oporteat, nemo non novit; siquidem in venis ille continetur; nempe si utero affecto, circa talum aut in poplite incidere convenit; alia enim alii corporis parti vena communicat; quare oportet vacuationes semper ex communibus moliri; nam si venas, quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & sanam semper offendes.*

Gal. Comm.

Quinto, ex Hippocrate & Galeno deducitur, in 4 Acut. 23. *Quod autem quis repente obmutescat, id venarum occlusiones, interceptionesque faciunt, si sano absque occasione, aut alia forti causa, contigerit; venam igitur brachii dextri internam secare oportet; ideo ex venis brachii,* inquit Galen. Commentario; *quia velocissime & plurimum, ex iis quæ principes sunt partibus, vena ea corpus evacuat; atque ob id, in acutissimis morbis ad eam sese confert;* idem etiam observare mandavit, in libro de Sang. miss. 16. in angina, 13 Meth. 21. in phrenitide & lethargo, pulmone affecto, pleura, septo transverso, hepate, & liene; & concludit Galenus, *porro tam perspicuum sæpe, celereque remedium, quæ è directo, affectis partibus venæ secantur, afferunt, ut & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant.*

Idem, 4 Acut. 23.

Sexto, ex Galeno probatur, in omnibus febribus venam esse in brachio secandam, non in talo; nam 11 Meth. 14. in continentibus ex brachio venam secandam consulit; & 1 ad Glauc. in tertiana simplici aut continua in quartana ex manu sinistria. (hoc est, ex brachio, ut Galeno mos est;) & in communi consulit, ceu in affectibus capitis aut juguli, ut vena cephalica secetur: & dimidii corporis ex basilica seu interna: & ex utrisque simul ex communi, & ex partibus ventris inferioribus ex saphena; quod si bene attenditur, haud obscure convincitur, semper ex talo sanguinis missionem imperare, esse contra Galeni & Hippocratis mentem; quinimo, & contra rationem: si in sanguine mittendo, venarum consortium, rectitudo & cum parte patiente vicinitas, ad artis principia non libretur.

Hæc ad nostra usque tempora antiquorum extitit observata doctrina; & nescio, an mirum corruptione, & temporum curriculo, conditiones, ut hominum, ita morum vertantur, singulis centum annis; ideo pleraque super veterum observationes nobis licuit observare; forte à regni opulentia & ordine confuso, & præpostero ciborum, à luxuria & licentiosa libertate, data occasione: quo homines videntur à se ipsis diversi: non in natura hominis, sed diversis hominum accidentibus, quæ ad tempora, & diversam vivendi rationem permutantur; ut certe non sit mirum, si longe ab antiquis diversa observentur, ut inde indicationum observetur varietas, sub iisdem antiquorum præceptis; & sub antiquis Medicinæ principiis; quoniam facile poterit fieri, iis omnino immutatis, ut indicationes medendi permutentur.

Quidquid ergo ex hac prava vivendi ratione colligitur, à natura peculiari fine ad venas mesaræi deponitur, ibique inculcatus humor, facilime putrescit, & crassitie & lentore obstructiones parit, & alia gravia accidentia, tali concoctione & consensu olim non observata, ut patet ex illis quæ Galenus scripsit 3 de Locis 7. quæ postea aliis complicata, indicationes aut mutant, aut forte contrarias inducunt; indeque accidit, ut hæc indicatio, cæteras indicationes olim traditas obumbret, & obscuret, quod natura impurum, pravum, & fœculentum sanguinem in hæc loca deponat; ex quo consensum super consensum addit; hoc patet, non tantum ex viris peritis anatomiæ, sed & ex ipso Galeno liquet: sic Laurentius in sua venarum divisione lib. 4. cap. 5. *Præparatus in porta ramis excoctus, in ejus radicibus, & expurgatus amaro ac lutulento recremento sanguis, jam ruber & sincerus, per mirabiles amastoses, in radicis venæ insignis, & maxima perlabitur; quod vero fœculentum, ab utili & purissimo sanguine separatum, ad venas mesaræi deponat;* sic etiam ex Galeno colligitur, in libro de Humoribus Commentario 2. text, 15. *Nam evacuationes,* inquit, *probum sanguinem vacuant, & pravum, in primis potissimum venis, quæ in jecore, & lactibus sunt;* (hoc est intestinis) *in totum corpus attrahunt;* & lib. 4. de Sanit. tuenda 5. hæc eadem sententia legitur ad literam translata sed clarius expressa; *Cæterum si in lasso corpore,* inquit, *sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio adhibenda; quippe incisa vena, bonum sanguinem emittit, malum, qui in primis maxime venis, circa jecur, & mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus.* hoc etiam legitur, 13 Meth. 16. quando dixit: *Quod ideo jecoris substantia est scirrhis maxime oportuna, utpote quæ naturaliter lutosum quidpiam continet; lienis vero rara, propter nutrimenti, quo nutritur, speciem; monstratum est enim, quod crasso nutritur sanguine, qui veluti limus purior est, facileque nigra bilis efficitur, quem melancholicum seu atrum appellamus humorem;* Fernelius etiam lib. 4. Pathologiæ cap. 10. *Omnium propria sedes,* inquit, *& origo in prima est corporis regione, circum præcordia, circum ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, panchreas, omentum, aut mesenterium; hæ siquidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit, cumulaturque humorum colluvies, &c.*

Laurent. de Ven. div. l. 4. c. 5.

Gal. lib. de Humorib. Comm. 2. text. 15.

Idem, lib. 4. de Sanit. tuend. 5.

Idem, 13 Meth. 16.

Fern. lib. 4. Pathol c. 10.

Non ob illam rationem tantum, sed ex alia observatione nostri sæculi propria, in hanc veni sententiam, quam confirmavit illa gallica lues, longe lateque dispersa in omni sexu & in omni ætate; cujus indicibilis apparatus vergit ad melancholicũ, non simpliciter tantum, sed cum adustione indicibilis qualitatis energia, & cum ab initio primo partes pudendas coafficiat, & hepatis sanguificationem labefactet, gallicas purgationes creat, & infima ventris regione, hypochondria-

chondriacos affectus, rebelles & varicosas obstructiones parit, in pancreis & mesaræi venis stabulatur; quo fere accidit, ut partes etiam superiores pravo & importuno contagio coafficiat; hoc etiam patet, venarum mesenterii usu, & naturæ etiam magisterio, in hujus sanguinis expurgatione; nam melancholicum sanguinem impurum & fœculentum, ab utili & puro separatum, in ramo epigastrico deponit, ex illo ad hæmorrhoïdales transmittit; seu ad uteri venas in fæminis, quo ad tempus irritata natura, aut succi fœculentia, ustione contracta, aut putredine, seu prava illius quantitate, talem per has venas expurgat; usque dum exonerata sit, & alia denuo colligatur;& hoc perenni vitæ cursu,collectione & expulsione mutuo alternata: in aliis plerisque alio expurgata per vomitum, aliis per secessum, prout humor, qua data porta, ruit, aut impellitur naturæ magisterio; quo plane confirmatur, hanc fœculenti sanguinis quantitatem,inibi confluxisse; quod accidit in omnibus & sexu & ætate, perenniter, uniformiter, difformiter; magis in melancholicis, intemperantibus, luxuriosa vita enervatis, & vitæ sedentariæ deditis: obstructis & venarum angustia præpeditis; minus, in temperantibus & sobrie viventibus, in pueris, ætatis,& temperiei privilegio, & laborioso exercitio occupatis; in mulieribus etiam, & potiori jure ex duplici principio, in mesaræi venis, & venis circa uterum, prava humorum colluvies adservatur: & sexus ratione in utero, seu pro ciendis mensibus; seu fœtus alimento, in juvenibus, & secundo ut depuretur sanguis; seu ut pravum ad venas excretioni destinatas deponat, seu ad vias communes, ut in viris.

Quæ cum sint nostri sæculi propria, maxime in excessu; non sit mirum, si illa Veteres observata non dederint; quinimo illi etiam non omnia æquali judicio perpendunt; nam (ut, omnibus mos est) pleraque tradunt, exactissimo calculo comprobata: & alia leviori judicio; neque pleno veritatis examine; quo fit, ut suo judicio decepti, soleant nos etiam propria auctoritate decipere; si absque veritatis examine illorum dicta non apte, ut decet, exploremus; sit nobis exemplum, quod ex Galeno, Rufo, & Posidonio legimus, libro de Melancholia, sive Galeni sit, seu alterius hujus sæculi viri: *Tertia melancholiæ species*, inquit hic auctor, *quam principium à ventriculo habere diximus, quam hypochondriacam appellamus, hoc est præcordia vexantem, cujus accidentia circa ventriculum incipiunt*, (ex pylori nempe obstructione, ex Dioclis sententia, 3 de Locis 7. & venarum mesaræi;) *inde inflationes, ructus, adstricta alvus, & supernatans ad vomendum humor; tum ipsi ægrotantes in præcordiis turbari omnia,& commisceri sentiunt: & sicut vapore fuliginoso, & fumoso aut crasso ad oculos elevato, cæcutire se aliqui sentiunt, & suffusionem patiuntur; ita & nunc in cerebrum ascendente melancholico vapore, melancholici casus menti obversantur*; & post hæc, quæ vere Galeni sunt, ut patet ex 3 de Locis, incipit Possidonius, *in quibus sanguis abundare videbitur, à principio statim venam cubiti incidere convenit, præsertim in quibus consueta aliqua sanguinis evacuatio retenta sit; in mulieribus autem quibus menstrua defecerunt, tali venam aperire convenit*; hæc Posidonius, nescio an Galenus etiam; in hypochondriaca melancholia ventris inferioris, & ubi causa mali delitescit; hic forte apud doctos non erit gravis error existimandus? & contra omnia Hippocratis & Galeni præcepta supradicta, & inferius dicenda; nempe, locis inferioribus patientibus,venam superiorem esse secandam? nemo ergo miretur, si in eis,quæ à vera ratione & vera indicatione longe absunt, ab antiquis deficere contingat; non enim illi Domini nostri sunt, sed recte operandi præceptores: quod si illi à recto deficiant, ab illis etiam deficere par erit.

Galen.

CONCLUSIO I.

His ergo breviter prælibatis,sit prima conclusio; secundum antiquorum præcepta, & hactenus ex ipsis observata; si ad situm & ubi partium attendimus, ubi morbus essentialiter, absque ullo consensu delitescit, ex venis communibus, quæ parti affectæ proxime è directo consentiunt, est sanguinis missio facienda; ut partibus supra jugulum affectis, ex vena humerali, in media regione ex basilica: ex utrisque simul, supernis & infernis, ex communi, si vero infra jecur, ex tali aut malleoli venis.

Hæc conclusio est ad Hippocratis & Galeni mentem, & ergo vere antiquorum: sic in Galeno legitur, in libro de Rigore, tremore & palpit. cap.5. *Alia enim alii corporis parti vena communicat; oportetque vacuationes semper ex communibus moliri; nam si venas; quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & sanam semper offendes*; hæc etiam conclusio,non tantum de evacuatione & derivatione venit intelligenda, sed etiam de revulsione secundum aliquam hujus dimensionem, (qua de re postea amplius dicturi sumus;) hoc expressit Galenus; 1 Prorrhet. Comm. 3. text. 53. exemplo hæmorrhagiæ; *Quod autem*, inquit, *manum recto tramiti nari, unde sanguis abunde fluit, respondentem, secare, manusque ejusdem humeralem venam ferire oporteat, liquido constat omnibus. si vero ex utraque nare, secare ambas nihil prohibet; non enim per eas vacuationis, sed revulsionis gratia, sectionem facimus*; hoc idem confirmat in libro præsagiorum experientia confirmatum, titulo de sanguinis detractione ex venis; ubi est Vallæ censura; totum hoc caput, ex libro de Sanguinis missione extractum est; & in hoc titulo ita legitur; *Revulsionis gratia, qui in rectum languentium, secat venas, confestim conspicuam conspexit utilitatem; ideo qui anularis sinistri venam secat, lienem juvat; & in pleuriticis è directo languentis loci*, &c.

Gal. in lib. de Rigore, trem. & palp. cap. 5.

Galen. 1 Prorrhet. Comm. 3. text. 53.

Quod autem de evacuatione & derivatione intelligatur, & in Galeno legimus, lib. de Const. Artis Med. cap. 17. *Siquidem*, inquit, *horum quoque primus scopus est, evacuatio succi, qui in inflammatum locum decubuerit; at quo illum modo vacuare expediat, ipsa illarum partium, quæ detinentur, natura indicat; & hinc adducti, fluxiones, quæ in coxam decubuere, sectis venis in poplite, aut talo evacuabimus: & eas pariter, quæ in utero comprehensæ sunt: quæ in thorace, & pulmone, per venam cubiti interiorem; sicut eas, quæ in capite & collo, per humeralem*, &c. Ideo, Galenus 10 secundum Locos 2. dixit: *Quod ischias ex sanguinis multitudine fieri soleat; id si fit, citissime curatur, venis circa poplitem, aut talos sectis*; hic supponit revulsionem à superis jam factam, ut antea dixit 13 Meth.11.

Gal. lib. de Const. Art. Med. c.17.

Galen. 10 sec. Loc. 2.

At

At in libro de Sang. miss. 18. quibus conditionibus revellendum, & quibus vacuandum: & quibus ex venis alternandum, nos apertius docuit; *Sic porro*, inquit, *quemadmodum prædictæ omnes partes superiores in cubito vena secta juvantur; sic quæ his inferiores sunt, illis quæ per poplites, aut malleolos decurrunt; sunt autem dictis inferiores, coxendix, uterus, vesica; renes ambigunt, respectu utrarunque; nam interdum inferiores sunt iis, interdum superiores; nempe quando plenitudo est superior; itaque misso ex cubito sanguine, interdum obsultant, ubi videlicet, recens fuerit inflammatio seu phlegmone, copiaque sanguinis affuerit; quibus vero affectio inest, quem proprie nephritim nominant*, (hoc est dolorem in renibus ex humore, imbibito, & jam nondum fluente,) *eam, quæ in poplite est, secare expedit; nam quæ in cubito sunt, evacuationes, purgationes superius retrahunt; in cruribus vero menses provocant*, &c. & cap. 19. sequenti, hoc clarius exposuit, *incipientes phlegmonas*, inquit, *revulsu vacuare oportet, quæ vero inveteratæ sunt, ex ipsis si fieri potest, ut affectis particulis: quod si nequeant, saltem ex vicinis, ut quod affectæ parti infixum est, vacuetur*; idem etiam prosequitur Galen. 6 Aph. 36. ex ipsius Hippocratis sententia; *Vidimus siquidem*, inquit, *Hippocratem ipsum in omnibus libris suis in partibus quæ supra hepar sunt, è manibus sanguinem mittere: in inferioribus autem, venas quæ in poplite aut talo sunt, secare jubet*; hæc omnia ad exempla reduxit, in lib. 1. ad Glauc. capite de tertiana, & quartana, in illa ex basilica dextra, in ista ex sinistra sanguinis missionem imperando.

Lib. de Sang. miss. 18. — *Galen. 6 Aph. 36.*

Fundamentalis ratio hujus conclusionis, in eo præcipue consistit, quod illa vacuatio, quæ proxime è directo celebratur, lege vicinitatis & consortii, citius & brevius succurrat, quam quæ à longinquo & latere contrario; licet aliqua servetur rectitudo, in ipsa partium positione, seu continua fibrarum longitudine, in qua illa consistit; & secundo in eo præcipue convincet, quod hujus auxilii indicatio, à positu & situ partium deducetur, à morbi celeritate & periculo, quæ cito succurri postulant; in morbis maxime, qui celeriter & cum periculo properant ad statum; qui citius remediis curari amant; antequam mors præveniat periculum; quod lege vicinitatis, & æquali auxilii magnitudine, celerius & brevius consequitur.

CONCLUSIO II.

Sed quia in eodem morbo, secundum diversa sui ortus principia, aliæ indicationes emergunt, ex alio principio: & hæ interdum opposita & contraria indicant, saltem longe diversa, ideo secunda elicitur conclusio; & hæc est nostri sæculi propria, ab antiquis diversa, ratione, experientia, & observatione confirmata.

In eisdem affectibus primæ conclusionis, quantumvis acutissimis & extremæ urgentiæ, quorum materialis causa amat, (ex veterum decretis) per venas communes vacuari, proxime è directo, eo quod iidemmet ipsi morbi, per consensum partium infra jecur incipiunt, & foventur incepti, debet sanguinis missio ex talo fieri, è directo, non ex brachio: donec multitudo consensus deponatur; postea vero, si permanet inducta dispositio à consensu, ut affectum inducat per essentiam, tunc sanguinis missio debet fieri per venas communes sibi consociales, indicationibus urgentia libratis, an à consensu, an producto affectu, citius periculum minetur.

Hæc conclusio deducitur ex selectissimis Medicinæ principiis, & ab observatione nostri sæculi propria; olim non observata; si attendimus, quod non omnis urgentia obsessi membri, licet inde periculum minetur, petit, à loco proximiori fieri sanguinis missionem, sed illa tantum, quæ affectũ inducit, per essentiam: si vero per consensum, debet à loco proximiori imperari, non ubi est affectus, sed ubi est focus & minera consensus: & in hoc casu, semper fieri per communes venas, proximo directo existimamus: licet fiat à talo.

Præcipuum hujus conclusionis fundamentum, est in illa doctrina quam antea ex Galeno probavimus; in omnibus nempe & sexu & ætate, uniformiter, difformiter, naturam, impurum, fœculentum, crudum, & inutilem succum, ad ventrem & mesaræi venas deponere, duplici fine: & uti utilis nutritioni sanguis purior alimento reddatur: & ut alimento inutilis, qui est naturæ onecri, & ejus imperioso magisterio obstat, per loca ab ipsa expulsioni destinata, expellatur; nempe per hæmorrhoïdas, ventriculum & ventrem, vomitu, aut secessu; quod si ex eventu contingat, ut per nullam ex his viis expellatur; nemini erit dubium, quod in hac ventris regione prava & fœculenta humorum colluvies adservetur.

Secundo ex Galeno supponimus, urgentissimos affectus fieri per consensum ventris inferioris, qui videntur per propriam affectionem fieri cum febre, & sine illa; hoc Galenus nos docuit, 5 de Locis 6. & primo de consensu ventriculi sic loquitur: *Porro multos non solum insomnia somni tumultuosi molestant, sed amentia quoque, propter vitiosum humorem in ore ventriculi acervatum*: & ad inferiorem ventriculi regionem procedens sic prosequitur; *non enim solum ut cardiacis syncopis, ita & stomachicis nonnulli corripiuntur; sed etiam convulsionibus, sopore, morbo comitiali, & melancholia, nec non & accidentibus, qualia per suffusiones infestant; atque omnes hi affectus, consentientibus ic æteris partibus, fieri dicuntur; igitur exacte animum advertere oportet, ut discernatur affectus, qui ex ipso per consensum eveniunt, ab iis qui hujusmodi particulis per essentiam; sed hæc discernere facile exercitatus poterit; si ea quæ præcesserunt diligenter considerat: veluti, in juvene grammatico, qui quoties vehementer cogitaret, aut doceret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur; quin etiam per febres quosdam conspeximus, derepente convulsione prehendi, nullo quod eam præsagiret, præcedente indicio; qui biliosо superveniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt*, &c. In his ipsis affectibus per consensum inductis; adverte, alios fieri solis partibus nervosis lacessitis, ut dum os ventriculi ab acerrimo humoris in venis, quæ ostium circundant, adservato lacessitur; quoniam tunc cerebrum alteratur, aut sola qualitate, continuitate alterationis, inducta: aut vaporibus etiam cerebro proritato; seu illorum intemperie depravato; nam morbi comitiales, & convulsio, sunt irritationis consectaria; stultitia, sopor & melancholia; solius qualitatis; ideo qui solam irritationem consequuntur, causa continente vacuata sedantur; qui autem intemperiem, persistunt dum durat intemperies, & illa dum persistit, quantum magis

Galen. 5 de Loc. 6.

magis humoris craſſities renititur, coctioni aut diſſipationi; ut in melancholico ſucco ratio perſuadet, & docet experientia.

Hinc procedit Galenus ad hypochondriacos affectus, ut à ſucco melancholico in ventris regione adſervato, pari conſenſu, orientes; *Deflatuoſo vero*, inquit, *hypochondriaco morbo, nemo non dixit, quomodo triſtitiam, deſperationem, mæſtitiam inducat; atque ut ſummatim dicam, ad melancholiæ accidentia, nihil reliquum faciat; quippe laborantes hujuſmodi morbo, poſt cruditates, dictis accidentibus multo vehementius infeſtantur; ac plures ex ipſis ſplenetici quoque ſunt; quo circa conjiciendum eſt, ex hoc etiam viſcere vitioſam ſaniem, in ventriculum irruere; ergo ea accidentia, quæ vel cerebrum vel oculos afficiunt, vitioſorum humorum vaporationem ſequuntur*, &c.

Galen.

Ad alia conſenſus ſigna procedit 2 de Loc. 9. *Ergo cum pars aliqua*, inquit, *ſimul cum alia ſic afficitur, ut irritata quidem una, altera vehementius moleſtetur; remiſſa vero irritatione quieſcat, eam per conſenſum affici putandum eſt; hæc ſiquidem una conjectura communis eſt; ſed de cerebro proprium ſumitur judicium, ſi non aſſidue delirium permanet, ſed auctam febrem ſequatur; ut cum febris initio, ſopore & commate laborantes, gravantur, ac poſtea quieſcunt.*

Galen. 2 de Loc. 9.

Qua ſuppoſita doctrina, noſtra concluſio ſic primo à Galeno probatur, 3 de Locis 5. *Neque latere nos debet*, inquit, *ubi per conſenſum quis afficitur, ipſaque affectio in fieri habeat eſſe; quod deletis efficientibus ipſam cauſis, ipſa quoque ſimul deletur, ſi vero conſentientes partes permanentem jam habuerint diſpoſitionem, quamvis quieſcat cauſa efficiens, ipſa tamen permanebit affectio*; & 2 de Locis 9. *Nunc quomodo diſtinguantur affectus primitivi*, inquit, *ab iis qui per conſenſum eveniunt, conſiderandum eſt; nam hujuſmodi ſpeculatio proprie ad hoc inſtitutum pertinere videtur: & quidem non ſine manifeſta utilitate: quippe quod ad curandi utilitatem imprimis pertinet, cui nam parti remedia ſint adaptanda, cognoviſſe; nam per ſolum conſenſum læſo cerebro, ſi ea pars, quæ primario affectu laborat, fuerit curata, priuſquam cerebro propria aliqua eveniat diſpoſitio, nullum in ipſo relinquetur accidens; quod ſi ex conſenſu aliqua permanens fiat in ipſo diſpoſitio, tunc non ſolum parti, quæ primario affectu laborat, ſed capiti quoque remedia adhibere oportet*; ideo forte Galenus in Pauſania, Syro, dum vexaretur digitorum paralyſi, remedia, quæ digitis medici adaptaverant, læſæ parti adhibere juſſit, 3 de Locis 10.

Idem, 3 de Loc. 5.

2 de Loc. 9.

Iam habemus quadam veluti demonſtratione comprobatum, naturam ad imam ventris regionem ſanguinem fœculentum deponere: & pravam colluviem humorum; habemus etiam ad ſuperas corporis regiones fere inevitabilem conſenſum, ex hypotheſi cumulati humoris, concitari. hoc etiam monſtravit, fideliſſima experientia, noſtra ætas; eſt enim natura in rebus novis quotidie producendis feraciſſima: & hominum errores, in ordine præpoſtero vivendi, in cibo & in potu, occaſio graviorum malorum; quin imo & influxus cæleſtis ad hæc patibilia varie terminatus, nova & diverſa, in ſingulis momentis in accidentibus & morbis faciunt pullulare; quorum cum ſit medendi diverſa indicatio, non ſit mirum, ſi auxilia, ad has indicationes terminata, ſitum & naturam diverſa ſortiantur.

Sed dicet aliquis, hoc eſt naturæ proprium, non temporum, ergo etiam in tempore Galeni & Hippocratis, eadem in ventre ſervabantur excrementa impura, prava, & fœculenta; ex quorum conſenſu acuti morbi poterant advenire, ut ſanguinis miſſionem ex talo poſtularent, ex vera ratione conſenſus: ſed hoc nec Galenus nec Hippocrates tradidit obſervatum; nec alter medicorum uſque ad noſtra tempora: ergo recens noſtrorum obſervatio, contra tam clara antiquorum judicia, non eſt recipienda, contra primos ſcientiæ conditores.

Reſpondeo, quod non omnia natura in momento produxit, ſed quotidie nova, & peculiaria in ſingulis ætatibus: ſive ex influxu cæleſti, ad hæc patibilia varie terminato: ſive ex varietate patibilium, quæ varie per ætates permutantur; nam hæc ad tempora veniunt; temporibus enim Catholici Ferdinandi, Hiſpaniarum Regis, gallica cœpit lues, tam variis nunquam antea viſis accidentibus: ac in eſſentia tantum ab aliis diverſa, ut cogeret contraria & diverſa auxilia experiri: cum calidis, nec frigidis cederet auxiliis: & non multis ab hinc annis in Zelandia Scorbutus incepit, hoc eſt continua à gingivis & dentium radicibus ſanguinis emanatio, ſymptomatis aliis complicata, cujus etiam inſolita conditio, ab uſitatis alia auxilia invexit, à conſenſu lienis potius indicata, quam à parte primario patiente; ſicut alia etiam horrenda valetudo, quæ Plica ab auctoribus dicitur: in illa enim tædioſa, craſſa, & glutinoſa, quæ emanat à capite humiditas, in humore putrido involuta, inſerta in capillis quandam colubrum & ſerpentum ſpeciem repræſentat; horrendum capitis morbi genus, qui etiam auxilia diverſa fecit excogitare; & jam olim, & à longinquo ævo, Hippocrates, & cavit & præcepit, ne prægnantibus & ſenibus ſanguis detraheretur, ob citiſſimum mortis & abortus periculum; ac poſtea Galenus, piaculum etiam judicavit, & in pueris ſanguinem detrahere, ob innatam reſolutionem, illius ætatis gentilitiam; ſed hoc Celſus attentius perpendens, & ſeveriori veritatis examine conſiderans, illam profert ſententiam, firmus puer, robuſtus ſenex, & gravida mulier tuto ſanguinis miſſione curantur; quod experientia poſtea confirmavit; & uſque ad noſtra tempora invaluit illa Celſi opinio, obſolevit antiqua, & patrum medicina.

Quæ non prodigioſa & rara nobilis Coſmographia, in hoc novi orbis miraculo, nobis non obtulit ſpectanda, non tantum in auxiliis, ſed in morbis recens excogitata; quis enim Æthiopas, antequam cerneret, credidit? dixit Plinius: aut quid non in miraculo eſt, cum prius in notitiam venit: naturæ enim vis atque majeſtas in omnibus momentis fide caret; quoniam natura, fœcunda prægnanſque, nova & mirabilia quotidie parturit; eſt forte noſtra ætas præcedentibus ætatibus inferior; aut inter jam elapſas fuit alia ingeniorum ubertate feracior? ſcientiarum collimatione illuſtrior? artium inventione cumulatior? aut tandem novis excogitandis laborioſior? nonne, noſtris temporibus, peritiores aſtronomi, in Caſſiopeia, Cometam raro miraculo obſervarunt, & cœlo ſtellarum, in nullo ſæculo antea obſervatum: in cujus prodigioſa obſervatione, mathematicam demonſtrationem protulit Tycho Brahe; erit fortaſſe hæc obſervatio

nihili facienda, quod priscis illis temporibus, à nullo fuerit antea observata? imo à prudentibus hominibus est in pretio habita; sic enim illustrantur scientiæ, & augentur; ut hodie supra fidem, à se ipsis longe nobiliores videantur; hic referam nostro Hispano idiomate, quod alio in loco huic instituto consecravi.

Que bien pareçe, que no ha interpretado, ni considerado el Doctor, N. *aquellas primeras palabras del primero de los Aphorismos de Hippocrates,* (vita brevis, ars vero longa.) *estas dos palabras son una relacion comparativa, que se haçe la una a la otra; por que es la vida breve? por que, comparada con la dillatacion y profundidad de la sciencia, es mui desigual la vida, aloq; ai, que alcansar de la sciencia; y esto no por lo que esta alcansado, y descubierto, sino por lo que resta por descubrir; que lo descubierto como se a cosa finito y limitado, no es imposibile al juizio humano, el alcansar lo; son las sciencias, como los rios, que aunque naçen de una pequeña fuente, con los aroios, que se le mesclan, se hacen caudalosos, y quanto mas se apartan de sus principios, tanto mas se desconoçen. desto se puede hacer facil demonstracion; començo la medicina, (como las de mas sciencias) de humildes principios, de unas observaciones y experiencias, escritas en unas tablas, en tiempo de Apolo y de Esculapio; y destas començo a discurrir Hippocrates, con lo racional de su juizio, y principios de su filosophia, y hallo nuevos principios, de que hico los præceptos que hallamos en sus escritos, con que funda la escuela que sigieron despues; y sobre estos discurrio Erasistrato, y añadio otros nuevos; y e neste compas se fueron añadiendo y delatando otros, de los que se siguiron, como Diocles, y algunos empiricos, otros racionales; hasta el tiempo de Galeno, que con lo diffuso y largo de sus escritos, hico escuela entera, mas con lo que añadio a lo escripto, que con lo que avia hallado; y con ser tan fundados en buena Philosophia sus præceptos y reglas; estas hallaron despues en los que se siguiron contrarias observaciones, calificadas con la razon, y con la experiencia, como las sangrias en niños, en viejos, y en preñadas, que Cornelio Celso impugno, y a plaudieron los que vinieron despues, con ser contra Hippocrates y Galeno este dictamen; muchas cosas impugno Tralliano de Galeno, muchas añadio Aretæo; y no por que no las dixeron aquellos primeros padres de la Medicina; dexan de ser verdad, estas que estavan reservadas para los venideros; de mas de que la mesme naturalesa se muda con los tiempos en los sujetos singulares; y de aqui es, que las opiniones delos hombres, son como las costumbres de los siglos; (que cada uno bate su moneda) que como cada uno muda nuevos hombres, muda nuevas costumbres, per los diversos apreçios, que hace en cada uno; y esto passa en cada cien años; como avian dellegar las çiencias y las artes, à la grandeza que oi tienen? si los hombres illustres de cada siglo, no huvieran añadido algo, cada uno à lo escripto; y por esto, se dicen à los hombres. que sobre salen, hombres de un siglo; esto pues que es el major credito de los siglos, esto reprueva el doctor* N. *por que razon pregunto yo se ha puesto, la Theologia en la cumbre que oi tiene; la Philosophia y apareçe, que se desconeçe de si misma; la medicina oi tieno nuevo lustre, no por otra razon, sino por lo que los hombres le an acresentado assi de nuevas opiniones, como nuevos remedios, hallados, con la observacion, y experiencia; en lo que se devia mirar, es, no en lo que se diçe nuevo, si no en la razon con que se diçe; por que no todo lo alcanso aquella antiguedad, aun que lustrosa mucho nos dexo à los venideros, sobre que descurrir; y per esto mucho que descubrir; en lo oculto del secreto de la naturalesa; bien es, que esto causa alguna novedad, pero desta se adeo buscar, la razon antes de resolvere se condeñarla; por que el mesmo peligro, tuvo lo que en aquel tiempo invento, de nuevo que lo que en este se diçe; y esto se jusgo despues por lo major; esto lo dixo admirablemente Tacito, resebido de todos los politicos:* Quæ nunc vetera sunt, nova fuere, quæ exemplis tuemur, & in exempla erunt; *no pierde por moderno, el que oi dice algo nuevo, si es bueno lo que dice. que los nublados que le oppone la æmulacion, de los que biven, los consumira el tiempo, con el tiempo que lo que oi se defiende, con exemplos agenos mañana, sera exemplo para los venideros; El Doctor, Hidalgo, uno de los mas celebres cerujanos de su tiempo, y de nuestra edad, en Sevilla, sigio la via comun, la major parte de su edad, curando las heridas, frescas y las de cabesa, confracturas de guesso, sub intraciones, comociones de cerebro, contusiones, &c. conforme los præceptos de Hippocrates y Galeno, y de mas varones de la antiguidad, y con los remedios, que ellos daxaron observados, para lenar estas indicaciones, que era trepanado las heridas que penetravan al caso, sacando los guessos que sobre salian, y las heridas frescas per segunda intension; sigundo este camino, alparecer, mas seguro, por observado de aguillos siglos, y de aguillos varones, en una escula tan essentada como de dos milianos. pero viendo que por este camino, y via decurar, se le morian los mas, sin poder remediar lo, vino en consideracion, de examinar, con prudente juizio, esta tradicion resebida de todos, sin examen y sigida por sola la veneracion de la antiguedad; y hecho regurosso examen, començo à obrar por otra via, que el llama particular, que fue juntar unir y sublevar, los guessos rompidos, y subintrados, sin trepanar ni descubrir, ni sacar alguno dellos, aun que estuviessen mui desunidos, y apartados, limpiando lo extraneo de las heridas, y uniendos los extremos, y labios separados, defendiendo el calor de las partes, por que no se exhalassen los spiritos, y procurando unir los labios de las heridas frescas, por primera intension, por que la naturalesa, (que es la que verdaderamente cura) perficionasse, lo que el avia y à dispuesto y unido, con los remedios desta indicacion; y viendo que los mas sañavan por esta via, por que la naturalesa, criava un poro en los guessos mas fuerte, que el mesmo guesso, y unia con la sangre fresca, las heridas: totalmente determino desamparar à Hippocrates, y Galeno en esta parte, y sigir lo que la razon, y la experiencia le mostrava, pareciendole de via dar mas credito à la experiencia ocular, que mostrava lo contrario, que à aquella tradicion de la antiguedad; por que aquella pudo hallar en à quel tiempo los hombres en estado, que los fuesse de util y provecho, à quel modo decurarse, y por estarto da via en la cuna de sus niñes la medecina; y depuesaca averse incidado, no la essentia de la naturalesa, si no las condiciones de los hombres, sus temperamentos, sus modos de bivir, y sus costumbres, ya con la variedad de los influxos cælestes, y à de los mantenimientos, y à de las aplicaciones, y modos de bivir, y à de la differencia de climas, y habitaciones; y otras causas, que pueden mudar estos cuerpos; con que viendo, que esto se ajusta vamas a o estos hombres, y à lestado desta region, como lo mostrava la razon, y la experiencia, y la felicidad de los successos, trato de dexar aquella, y segir esta via particular, en que apeñas se lemoria alguno de los que legavan bivos à sus manos, y despues halla esta via tanto applauso y sequito, que es la mas valida, y sigida en todo España.*

Esto nos succedio à la letra, en Sevilla, à algunos de los medicos della atentos (à unestra parecer) à la verdad,

dad, y à la razon de los ſucceſſos, por que viamos que ſangrando, conforme los preceptos de Hippocrates y Galeno, y en los caſos de ley expreſſos deſtos varones, ſangrando de los braços, ſobrevenir nuevos accidentes, y aumentarſe los que antes avia, y la obſervacion, y experiencia nos moſtro las mas vezes, ſangrando en calenturas ardientes malignas, (y nochos y tercianas del braço, en la via comun, conforme la urgencia, que la calentura ſe armava de majores accidentes, y nos ſobrevenian otros que no tenia, como un phreneſi, o modorra, graves dolores de cabeſa, mas intenſa, ſed, y realmente parece tomava nueva fuerça y con major malicia: en las inflammaciones de garganta frenecias, y dolores de coſtado, hallavamos aumentarſe en intencion, y numero de accidentes majores que antes: eſto nos ſuccedia, y ſuccede oi, en caſi todos, pero mas en mugeres, aun en aquellas, que per ſu edad le an faltado los mezes.

Conſiderando pues con eſpacio y attencion eſte caſo, me pareceo realmente, que en las mugeres ſuccedia lo referido, por que ſe movia con la ocaſion de la calentura o affecto agudo lo detenido en aquella centina, ya de la madre, ya del vientre, de lo feculento, y podrecido o aduſto: que no ſe expurgava por las razones dichas; y eſto comovido con la ſangria del braço ſe llevantava y ſubia, a la cabeſa, y al coraſon; y hacia los accidentes referidos, en hombres y mugeres, por que en ambos ſexos ſe reſerva lo fæculento y inutil en el vientre; que no mueſtra eſtos effectos, en quanto no ſe mueve: pere ſangrando del braço, al punto ſe reconoçe eſta novidad, mas o menos conforme al apparato reſervado: (que tan bien puede ſucceder no aver mal apparato) con nuevo dolor de cabeſa, ſucoros, o delirios; de que me perſuadi, (confiriendo eſte caſo con los varones mas doctos) a que començando, a ſangran del tobillo, en los caſos referidos, aßi de calenturas como affectos urgentes, ſe hacian dos coſas de grande utilidad, en beneficio comun: lo primero ſe vacuava de parte mas proxima lo contenido, en la centina del vientre; con que ſe impedia el inficionarſe mas, lo que ſe avia començado apodrecer en las venas majores, con lo que ſuccedia en lugar de lo vacuado por las venas del braço; y lo ſegundo ſe revelia del coraſon, y cerebro, lo que podia ſubir y avia començado ya a humear a la cabeça, con la efferveſcencia de la calentura; de mas, de que como tengo baſtantemente probado, los vaſſos que ſe ſangran en el tobillo, ſon tan caudaloſos como los del braço, con que ſe haçe evacuacion igualmente copioſa, tan prompta y mas ſegura: con que no ſe pierde tiempo, en ſoccorrer a la urgencia, que ſe aumenta, con lo que deſtos vaſſos del vientre ſube; y eſto ſolo para dar lugar, à vacuar eſta centina de ruines humores, con una dos otros ſangrias de abaxo, o con ſanguiſuelas; y pareciendo, ya aver ſatisfecho a eſta indicacion, præciſa en mi juizio, y ſeguros de no tener que embiar arriba; ſi perſevera la calentura, o la urgencia de otro affecto: yo y los de mas ſangramos llenamente, del braço, como lo pede el affecto o ſu urgencea, de la muñeca, o de la frente, o de las leonicas, acercandonos a la parte affecta, como lo pide la razon del caſo; y tal vis comienço ſangrando del braço en los caſos referidos de las concluſiones, o exceptuados per particular razon y no ſiempre, (como por infamar las ſangrias del tobillo ſe a publicado,) del tobillo: a me parecido, referir eſtas razones en nueſtro idioma, por que de algunos ſe à defendido el Latin, o por creſpo, o por poco uſado.

Quid ergo mirum? ſi noſtris temporibus in ſola affectione hypochondriaca, tam diverſa conſpeximus, non tantum ex propria ſitus affectione & eſſentia, ſed ex conſenſu tam diſtantium & diverſarum partium, ut merito hæc ſola antiquorum auxilia à diverſa ſitus poſitione & conſenſu indicata, ad contraria vertat; & concludimus, quod hanc conſenſus rationem non obſervarunt veteres, in hoc caſu, ideo de illa nihil notatu dignum tradidere; nos vero rem illam accurate & ſerio collimantes, & obſervatione perpendentes, invenimus, illam eſſe ſecundum rationem, in ſtatu hominum hujus ſæculi, ac ideo illam tradere obſervatam, conſultiſſimum duximus, ut diſcat caveatque poſteritas.

Hæc concluſio, quo ad utramque partem per generalem indicationem initio probatur, ex illo generali principio, *contraria contrariis curantur*; nam ſi illud expendimus, in acutis per conſenſum affectibus omnis in illis ſervatur oppoſitio, quæ in ſanguinis miſſione ex talo deſideratur; ſeu conſenſum reſpiciat, ſive affectionem per eſſentiam; in hac enim illa prima oppoſitio invenietur, quæ in primis quæritur qualitatibus per ſe aut eventu; dum humore calido vacuato, ex eventu, refrigerat: in illa etiam ſecunda obſervatur contrarietas, dum illius vacuatio multitudinem curat; veluti inter eſſe & illius privationem, ut Hippocrates dixit 2 Aph. 22. relativa etiam obſervatur oppoſitio, ut dum reſpectu ſuperarum partium, vacuat revellendo, nempe materia tranſpoſita aliter derivata; ut etiam ex Galeno colligitur 6 Epid. Sect. 2. text. 9. in hac etiam privativa ſervatur contrarietas, ut demere ſuperfluum & defectum ſupplere, quæ ad contradictoriam reducitur; quod etiam legitur in Galeno 1 ad Glauc. 9. non his tantum, ſed aliis ſervatur contrarietas, in magnitudine, nempe, celeritate, & æqualitate auxilii; quo etiam æqualitas ſervatur in urgentia, in ipſa ſuccurrendi celeritate, & in magnitudine auxilii, reſpectu magnitudinis morbi & cauſa multitudinis; quod Galenus nos imitari docuit, 5 & 7 Meth. cap. 12. & 15. quæ etiam æqualitas, repetita auxilii applicatione, ſuppletur, quantumvis inæqualis; quando magnitudinem æqualem natura ferre nequit; & adverte, quod ut illa ſervetur contrarietas, ſat eſt ut alia ſint contraria per ſe, alia ex eventu; ſicut, alia in actu, alia in potentia; ſic enim contraria contrariis curantur; in hoc etiam affectu per conſenſum, ſanguinis miſſione ex talo celebrata.

Secundo probatur, per indicationem ſpecialem loci affecti, ubi eſt mali occaſio, occaſionis fomes; nam Galenus, enarrans Hippocratis hiſtoriam de Stymargi ancilla, cui in tremore ex talo ſanguis detractus profuit, ea ſola ratione, quod in ventre inferiori affectus erat, cujus conſenſu febris intendebatur: *In hoc ſtatu*, inquit, *non ad occaſionem tantum, ſed ad occaſionis fomitem veniendum eſt*; (*quod etiam bis repetit*) *hanc*, inquit, *ſanavit ſanguine ex talo detracto, etſi tremores totum corpus occuparent; ſed ad occaſionem veniendum eſt, & ad occaſionis fomitem; quod igitur infeſtabat, copia ſanguinis erat, cauſa ipſius vulvæ, ad coxas inclinatio: propter quam mulier purgata non erat; fomes vero occaſionis, vulvæ affectus erat; copia vacuationem indicabat, pars affecta, locum, per quem vacuare conveniebat: unde hæc ambo tangens, ſanguinis detractionem ex talo molitus eſt; quod autem utero affecto, circa talum, aut in poplite, decidere convenit, niſi prius venarum communiones ex anatome didiceris, haud poteris, id quod dico aſſequi;*

Hiſt. Hipp. de Stym. ancilla, ex Gal. c. 5. lib. de Rigore.

hæc Galenus in libro de Rigore cap. 5. si ergo daretur, quod pravus humor, in hac ipsa regione cumulatus esset, & in eodem pene venarum ramo, ubi non solum est occasio mali, sed occasionis fomes; in morbo acutissimo, sive ille sit febris, lethargus aut phrenitis; fieret sine dubio demonstratio, sanguinis missionem ex talo necessario auxilio futuram, non ex brachio.

Ex antecedentibus dedimus plenissime probatum, in ventris inferioris regione in omnibus uniformiter difformiter, pravum & fœculentum sanguinem, in mesaræi venis & hœmorrhoïdarum cumulari; illud est etiam natura comparatū, humores natura, aut prava conditione, aut loci commoditate putrescibiles, quavis occasione facillime putrescere. Detur ergo quod febris incipiat de genere ardentium, aut alius affectus acutissimus? quomodo potest imaginari, quod, febrilis caloris occasione, (licet, alibi incipiat putredinis minera) hæc prava sentina, saltem non alteretur agitata, & inde incalescat? quis nos securos reddet, quod pravus, fœculentus, & deterrimæ conditionis humor, inibi non putrescat? quod si taliter accidat, non possunt non venire in consensum, loci primario affecti: seu per vapores, seu alteratione per continuum facta, seu per ipsarum venarum communionem; à ramo iliaco, usque ad portæ ramum, inde ad cavæ truncum, & partes inter alas & inguina: sive ad caput & cerebrum hoc consensu delato; ut postea plenius demonstrabitur. Quod si argumentum concludit, ut judicat Galenus in affectibus uteri; etiam necessario convincit, in affectibus venarum infra jecur; nam in utroque casu non tantum ad affectus occasionem attendimus, sed ad ipsius occasionis fomitem: quod est fortius Gal. argum.

Hoc etiam à simili probatur; ex alia sententia auctoris libri de Anatomia vivorum, cujus censura est interpretis, in quo multa & vera & Galeno digna continentur; sive Galeni sit, seu antiqui auctoris; titulo de Venarum manus Anatomia; *Et juvamentum phlebotomiæ ischiadicæ*, inquit, *magnum est in dolore ischiæ, podagræ, in varice, & elephantiasi: & saphena, quæ est versus inferiorem partem pedis, manifestior est; ad evacuationem sanguinis ex membris sub hepate: & ut sanguis à superioribus ad inferiora declinet; quare menstrua provocat, & hœmorrhoïdum orificia aperit; & ad summum, phlebotomia venarum pedum confert ægritudinibus, quæ fiunt ex materiebus ad caput declinantibus, & ægritudinibus matricis; & magis debilitat, quam phlebotomia venarum manus*, &c. Duo in hoc casu attendimus; hanc tali phlebotomiam à superioribus revellere, & ab inferioribus, ubi est focus & minera consensus, derivare, & si est magis copiosa, vacuare: quod utrumque consequimur in proposito casu, vena in talo secta: *Quoniam non satis est*, inquit Galen. 13 Meth. 11. *ipsa universalia novisse, nisi quis in particularibus se exerceat.* Et procedit: *Illud vero, an interna secanda, an ea quæ juxta malleolum est, an quæ in poplite; id ex laborante particula indicatur; nam si sola indicatur, revulsio, longißime à parte fluxione tentata, est facienda; & nequaquam ad eam trahere convenit: si vero vacuatio, à proxima; ideo partes supernas supernis venis vacuamus; renibus vero, vesica, & pudendo, & utero sic habentibus (quæ infra jecur sunt) eas quæ in cruribus sunt, secamus; sin minus, quæ juxta malleolos; causa siquidem, quod vacuandum sit, id communis indicatio est: unde autem, aut quomodo sit vacuatio facienda, id æger docet locus*, &c. Ex hoc loco elicimus, ut si in particula illa multitudo delitescit, ut illius consensu primarius affectus foveatur, quod hæc indicat, à parte sibi proxima vacuare; nempe à loco, ubi ille consensus amandatur; quod si accidat, à partibus infra jecur aut fieri consensum, aut foveri; valida demonstratione convincitur, à tali venis esse incipiendum. Hoc etiam Galenus peculiari asterisco notavit, in libro de Sang. miss. 18. designans partes inferiores, ex quibus desumitur consensus.

Galen. de Anat. viv. tit. de ven. man. anat.

Galen. 13 Meth. 11.

Hoc etiam ex alia Avic. sententia convincitur, *& cum suppreßio est morbi causa, ejus reditio est morbi medela*; nempe, aut per eandem viam, aut per illam quæ è directo, proxime per venarum communionem constituitur. Id quod nos, non tantum de solis suppressis intelligimus, sed de loco ignobiliori adservatis nec bene expurgatis: est enim in utroque par ratio; veluti, cum ab hæmorrhoïdibus in thoracem, aut cerebrum humor aut vapor ascendit; tunc enim aut illas provocare, aut tali venas scindere, erit regularis & optima curatio. Hæc sententia est ab alia Hippocratis translata, quando dixit: *Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus solutio*; quando nempe inibi adservatis supervenit; quod non tantum Hippocrates, sed ipsa natura docuit; nam ille retentus humor, sive à natura inibi adservatus, quantumvis non suppressus, superiorem adauget plenitudinem; quod si per inferiora vacuetur, deposita illa inferiori, deponetur superior; saltem successione ad id quod vacuatur. Et licet nulla esset solitæ vacuationis suppressio; (illud enim late omnibus patet) adhuc, sub hac consideratione, operandum nos Galenus instruxit, libro de Sang. miss. 19. hæc sunt Galeni verba: *Si vero præcautione tantum in vere vacuamus, æque pars quævis in sanguinis detractione accommoda est: quibus autem eximie pars quæpiam, ubi prius evacuati non fuerint, infestetur; haud æque liceat ex quavis parte vacuare, verum sicut in iis qui pati jam incipiunt: ideo podagricos ex cubito vacuato, comitialibus vero morbis, vertiginibusque obnoxios, potius ex cruribus*: & reddit inferius rationem: *communis ergo iis*, inquit, *quos vere vacuare convenit, hæc ratio est, si quidem insigniter infirmam partem aliquam habeant, in quam, quæ colligitur plenitudo, decumbat, per revulsionem vacuare: at si tale nihil sit, quacunque magis placebit, excepta hœmorrhoïdis, aut mensium retentione, ut antea diximus*; quare concludit Galenus, si pravi humoris multitudo in venis cumulatur, ex qua periculum imminet, ne ad partem debilem decumbat, (quod in vero potissimum accidit) in hoc casu non quævis vena est accommoda; sed ea quæ longe à parte debili recipiendo apta, avertit, & revellit; & à proxima, ubi est focus & minera consensus; ut in comitialibus & in vertiginosis à consensu; *Ideo*, (dicit Gal. 6 Aph. 36.) *legimus in Hipp. in omnibus libris suis consuluisse, in partibus quæ supra hepar sunt, è manibus sanguinem mittere; (dum nempe laborant per essentiam) in inferioribus autem, venas, quæ in poplite, aut talo sunt, secare jubet: seu illæ etiam laborent per essentiam; seu sint aliarum occasio consensus.*

Avicenna.

Hipp.

Gal. lib. de Sang. miss. 19.

Galen. 6 Aph. 36.

Quæ autem supernæ aut infernæ sint partes, Galenus ipse clarissime exposuit 6 Epid. Sect. 2. text.

Idem, 6 Epid. Sect. 2. text. 14.

text. 14. *Superiorum inferiorumque*, inquit, *omnium corporis partium, jecur, ut videtur, terminum statuens, Hippocrates; ipsius enim divexum, transverso septo adnexum est; quocirca & quæcunque supra jecur sunt, hæc eadem & supra septum extant: cor scilicet, pulmo, & hæc ambiens pectus; adhuc & multo magis collum & caput; reliqua omnia, in inferioribus corporis esse dicuntur: & ex superioribus aliqua magis supra sunt, aliqua minus, ut inferioribus.* Quare, si antea ex Galeno didicimus, quod partibus inferioribus patientibus, est sanguinis missio ex talo celebranda; si in mesaræi venis sanguis fœculentus, crassus, exustus, putredini paratus cumulatur; satius erit, & minori periculo expositum, ex illis sanguinem demere, per venarum communionem proxime è directo, quam ex brachio, cum periculo, ne ad partem læsam debilem per consensum affectam deferatur. Ideo Galenus 2 ad Glauc. 2. indicatione à situ partis patientis desumpta, gibbis, partibus hepatis laborantibus, per urinam vacuare consuluit per venas sibi consociales, concavis autem, per excretionem inferiorem, secundum cognationem partium, per loca cum quibus majorem communionem habent, ut cedat fœlicius vacuatio.

Et si ad Galeni mentem attendimus, in præcitatis locis, & magis ad ipsam rationem, qua ille ut Philosophus ducitur, inveniemus facile rationem, qua hæc omnis confirmetur doctrina. Quæ nam erit ratio, quare mensibus aut hæmorrhoïdibus, aut fluere solitis, aut suppressis in mulieribus, aut viris, si inde morbus aliquis superveniat acutus, generalis, aut particularis, licet nulla instet suppressio, sanguinem ex talo mittere, semper ratio & Galenus consuluit: & de hoc nulla alia ratio potest excogitari hujus dicti, aut facti, nisi, quia in partibus infra jecur fiat illa pravorum humorum collectio, quæ, per se aut per consensum, est occasio graviorum malorum: ergo ex ipsa ratione convincitur, quod si alio in loco infra jecur, præter uterum & hœmorrhoïdales venas, prava humorum colluvies cumuletur, quod ex inferioribus venis est etiam facienda vacuatio, non ex brachio; nam eadem militat ratio, & in utroque casu: & eadem ad vacuandum ducimur ratione; est enim par ratio in utroque; à paritate ergo rationis sic argumentor; incipiat phrenitis, lethargus, angina, aut legitimus causo, à mensibus aut hœmorrhoïdibus retentis, aut fluentibus actu, suo loco & tempore, & sub quavis urgentia; in hoc casu, unde sanguinem mittere erit prudens consilium? ex talo, an ex brachio? ex talo, omnis sapiens dicet; & omnes sine controversia exequuntur; quare ex talo, non ex brachio? illud etiam est sine controversia: ne affectus urgentia augeatur à confluente succo, ex uteri aut mesaræi venis; & quia respectu fluxionis originis, partis mandantis, & mineræ, putredinis, magis & proxime vacuat vena tali quam brachii; cum distantia in hoc casu non perpendatur, penes dimensionem, longitudinis partis affectæ cum talo, sed penes distantiam ab ipsa fluxionis origine; & hujus respectu, non ita longe distat vena tali, ut basilica brachii; imo proximius vacuatur ab illa quam ab ista; ergo distantia non obstat, inter caput & talum, ut citius succurratur urgentiæ: quo fallaci ludibrio, vulgum implicare contendunt, ut à salutari auxilio dissuadeant. Adhuc iterum urgeo argumentum; quare non ex brachio, quantumvis minus distet, in hoc urgentissimo affectu, sanguinem mittere incipimus, sed ex talo, ubi major distantia observatur? hoc patet luce clarius, & ipsa veritate compulsus contrariæ opinionis assertor confitetur; ne sursum attrahatur jam concitatus humor, ad ipsam partem, & debilem & læsam; ne à recenti confluxu augeatur; & ne laudabilis naturæ motus præpediatur; illa tractionis occasione, dum humor ad venam sectam fluit: ergo jam patet, sanguinis missionis occasione, ex brachio sursum humores attrahi; in majori quantitate, quam per sanguinis missionem vacuetur; aliter enim non esset, quod metueremus à sanguinis missione ex brachio; ergo hujus rationis paritate convincitur, argumento ad hominem, si ex hypothesi in mesaræi venis, & hæmorrhoïdalibus, fœculentus & pravus humor cumulatur, qui ob aliam rationem nequeat expurgari, seu quia venarum ora sint duriori coalitu obserata, seu quia ipse humor sibi viam præcludat, & inde incipiat angina, phrenitis, aut lateralis dolor; fore etiam necessario à sanguinis missione ex talo incipiendum, non ex brachio: si valet argumentum, ubi illa urgentia fovetur, ab uteri venis; aut hæmorrhoïdalibus. ergo evidente etiam demonstratione convincitur in hoc casu etiam à sanguinis missione ex talo fore incipiendum; saltem in casu, ubi illa prava colluvies, in ventre cumulata urgenti affectu, causam præstat: ergo pariter, si in omnibus cumulari convincitur, in omnibus etiam valebit argumentum.

Et dato quod ita esset, (quod revera non est) quod illa colluvies pravi & fœculenti succi, quæ in ventris sentina adservatur, in aliis digeritur, concoquitur in aliis, plerisque expurgatur, adhuc restat in pluribus, nec concoqui, nec digeri, nec expurgari in illis nempe, qui frequenti hypochondriaca melancholia vexantur, cordis doloribus stomachi & ventris ex pylori manifesta obstructione, aut mesaraicarum; hoc enim oculari demonstratione patet; ergo saltem in hoc casu debet sanguinis missio ex talo celebrari, non ex brachio, ex nostra satis manifeste comprobata doctrina.

Dicit aliquis? ergo in omni sexu, & in omni ætate, & in omni morbo, est à sanguinis missione ex talo incipiendum; si in omni tali humorum fœculentia cumulatur, ut præsupponit jam tradita doctrina? quod, ut absurdum, à nemine conceditur; distinguo consequens, in sexu & ætate, uti apta colluvies cumulatur, ut in causam affectus cedat, per venarum consortium per se aut per consensum, ut possit venæ sectione educi, per venas sibi consociales, concedo consequens: si vero adsit legitima hujus præcepti limitatio, nego consequentiam; qualis ergo erit hujus argumenti limitatio, primo in pueris & inperfecte sanis, tam parva quantitas hujus colluviei, cumulatur, quæ non valeat cedere in affectus urgentiam, & adsit manifesta occasio affectus ex alio principio, veluti in pueris variolis obsessis ex sanguinis fervore, ex aëris contagio: ut in viris illis perfecte sanis, qui repente in morbum acutum inciderunt, & manifesta occasione,

ut ex capitis stromate, in vulnere, aut distillatione suffocante in guttur irruente; nam ex perfecta sanitate, non præsumitur tanta succorum, & prava colluvies in ventre: & ex affectu subito irruente in hoc statu, potior indicatio succurrendi desumitur proxime è directo; nisi ex alio principio revellendi indicatio vicem præoccupet. Exceptio est etiam illius regulæ generalis, si hæc prava colluvies, aut cruda, aut incocta extra venas propellitur, ad cavitatem nempe intestinorum; tunc enim per sola conferentia debet educi per ventris regionem; concoqui crudum, & abstergi, secundum alia medicinæ principia, neque semper sanguinis missione; nullum enim est ita inviolabile præceptum, quod aliqua limitatio non invertat: veluti etiam si tam præcipiti acutie affectus vitam ponit in dubio, ut sit proxime ab ipso loco affecto vacuandum, quod plerisque acutissimis accidit; tunc enim utcunque methodus prævertatur, imminenti periculo est subveniendum. Illud tamen pro coronide adverto, has limitationes, & alias veritatem illius regulæ generalis non infringere: nam excepto in illis, omnibus aliis est semper æternæ veritatis, secundum medicinæ principia & præcepta; nam vena in talo secta, duplex observatur utilitas, dum duplex indicatio adimpletur; revellendi, nempe & vacuandi: ut æque cito succurratur urgentiæ: & in brachio una tantum, & illa cum periculo; nec ideo inficior, cubiti venam, interdum æqualiter revellere, pariter vacuare, à trunco venæ cavæ, servata paritate; sed non æquali securitate in auxiliandi ratione; nam brachii vena secatur cum periculo revocandi humores, qui in ventris sentina, febris aut acutissimi affectus occasione effervescunt, bulliunt, putrescunt, concitantur; quod nullo pene ingenio præpeditur; nam illa secta vena, natura humores ad sessuram transmittit, & cæteri, necessario, (ne detur vacuum) succedunt, ad id quod vacuatur, per sibi consociales ductus: illud tamen si accidat, vena in talo secta, est in ægri salutem; nam duplex vacuatur plenitudo, & quæ erat in mali causam casura, si sursum duceretur; & illa singularis plenitudo, quæ in venis consistit, ubi affectus latitat; quoniam sentina pravi & fœculenti sanguinis proxime è directo vacuatur, & secundario, plenitudo superior, dum loco inferioris multitudinis vacuatæ, succedit, quæ erat causa mali; quo triplex etiam munus adimpletur, revulsionis, derivationis, & evacuationis; quo, procul dubio, celerius urgentissimo affectui succurrimus, vena in talo secta, quam in brachio, si ex hypothesi in proposita doctrina, fit conclusio.

Probatur porro ex ipsa humorum latione & naturæ urgentia: hoc enim longe lateque patet, sanguinis fœcem & melancholiam, ut nutritioni inutilia à natura post elaborationem separari: & illa esse ponderosa & gravia, ut cætera omnia etiam fœculenta, impura, seu sint de pituitæ sortibus, seu talia adustione reddita; ideo hæc omnia singulari providentia, natura secundum illorum lationem, dum imperioso magisterio operatur, deorsum impellit; non tantum quia gravia, sed quia parte decliviori, sunt loca ipsorum excretioni destinata, utpote magis ampla.

Non est enim inferior indicatio, quæ ab ipsa humoris latione desumitur, pro ipsius natura, & inclinatione, quam quæ à partis situ; hoc enim, etiam in Hippocratis & Galeni doctrina, video maxime observatum; ut, cum causæ & affectus indicationes contrariæ inter se pugnant, quod tum in regulari curatione causæ indicatio superet; nam secundum causæ lationem ut plurimum consulit vacuandum, quo humor & natura inclinat; ideo 1 Aph. 21. *Quæ ducere oportet*, inquit, *quo maxime natura vergit, per loca conferentia eo ducere oportet.* Et licet illud Galenus de criticis imperfectis intelligat, ex antecedente Aphorismo: idem Hippocrates seipsum, in alia sententia interpretatur, ut videatur generalem sententiam protulisse non de iis tantum, sed de ipsa humorum latione: ideo 4 Aph. 4. dixit: *Medicari æstate superiores magis, hieme vero inferiores; recte autem* (inquit in Comm. Galenus) *purgat superius: quoniam, qui tunc humor superabundat, flava bilis est; & omnino aër ambiens, & tota natura, magis ad superiora movetur: & pari ratione per inferiora in hieme, quia in illo crassus humor abundat; qui deorsum inclinat*; ideo etiam Aphorismo 6. sequenti, *graciles & facile vomentes per superiora consulit vacuandos, quia sunt magna ex parte biliosi*, ut auctor est Galenus; & procedit in Aphorismo 9. *Melancholicos autem plenius per inferiora, eadem ratione contraria opponentes*; Galenus in Comm. *quia vero ad inferiora declinat hic humor, non sine ratione ipsum jubet per ventrem inferiorem vacuari, sicut flavam bilem per superiorem, quia est levis humor; commune igitur ambobus est, ut ducantur, quo vergunt, per loca conferentia.* Ideo ante diximus, illam Hippocratis sententiam 1 Aph. de his etiam fere intelligendam; & in Aphorismo 18. ejusdem libri, jam transit ab humoris latione ad loca ubi tales humores stabulantur; non parum enim facit, ut fœliciter cedat evacuatio, ipsa loca attendere, ubi est talis humor, quo per venas communes sibi consociales vacuetur, proxime, è directo loco etiam patienti; sic legitur Hippocratis sententia, *supra septum transversum dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque vero inferiora molestant, per inferiora*; Galenus in Comm. *hoc Hippocrates, oris ventriculi etiam docuit exemplo, & hoc ad omnes dolores extendit, ut quicunque supra septum sunt, per superiora vacuentur, & qui infra septum, per inferiora, indicatione à situ partis deducta; & ab ipsa humoris latione*; & in hoc sensu Hippocrates 6 Epid. Sect. 1. text. 6. dixit, *si renum dolor gravis, venam in poplitem incidere oportet; venam autem cædere*, dixit Galenus in Comm. *ubi sanguis multus, aut crassus, in venis abundet: quod si utroque auxilio idem homo indigeat, à venæ sectione incipiendum esse patet; alias autem didicisti, membra supra jecur cubiti venæ sectionem postulare, infra vero, crurum, in poplitibus venas nobis cædentibus, aut omnino saltem juxta malleolos*, &c. Duplici ratione Hippocrates venam in talo secat hoc casu; & quia venæ inferiores proxime è directo ex his partibus vacuant; & quia humor, natura sua crassus, & ponderosus, ad has partes inclinat; & quia, ut alibi dixit, non ita facile revulsioni cedit; quod Galenus nos docuit in libro de Renum Affectione cap. 4. *Sed quia affectus renalis est*, inquit, *& materia, ex qua lapis generatur crassa, materiamque crassam sursum revellere promptum non est; magis vero ad ipsius lationem spectantibus deorsum vacua-*

Galen. 1 Aph. 21. *Hipp. 4 Aph. 4.* *Idem, ibid. 6 Aph.* *Gal. Aph 9.* *Idem, in Comm.* *Hipp.* *Galen. in Comm.* *Hipp. 6 Epid. Sect. 1. text. 6.* *Galen. in Comm.* *Galen. de Ren. Affect. cap. 4.*

vacuare, expeditum ob id, si valida sit virtus, venam quæ in poplite est, aperiemus, vel quæ ad malleolos; sin imbecillis, venam quæ est in cubito: & reddit rationem; *nam si virtute debili infra vacuabimus, retentrix facultas, quæ est imbecillis, non retinet, sed universa in præceps rapietur; & partem assiduo influxu impetet; succis videlicet, in locum imbecillem perpetuo procumbentibus: quapropter satius est, cum virtus est debilis, revellere ad superiora;* ut etiam (in nostra sententia) in recenti inflammatione aut humoris confluxu, ne vena in talo secta, graviori periculo ad partem læsam trahat. Nec adhuc constat vera interpretatio ad Hippocratis locum, nec quid intelligat, per dolorem gravem in renibus: dolorem in renibus per nephritim, Hippocrates expressit; sed nephritis est generalis passio renum, tam dolores, quam lapides comprehendens, ut advertit Gorreus: & ex doloris specie, (gravis nempe) potest colligi, de lapide locutum; nam licet possit esse acutus, ex lapidis eminuli punctura, ex sola lapidis ratione, est ex pondere gravis; sed neque semper ex pondere; & latione colligitur fore sanguinis missionem ex talo celebrandam; nam potest dari casus adhuc detento lapide, in quo sanguinis missio ex brachio sit electior; quando nempe ex lapide, jam adest, aut timetur ex acuto dolore, inflammatio: aut locis supra renes, crassi & fœculenti sanguinis, copia non mediocris; cum febre majori moderata, nempe ex apparatu; ne tantum ex dolore; nam cum lapidis exitus à sola multitudine præpeditur, quæ circumcirca renes stabulatur; mihi certe non est dubium, à sanguinis missione ex talo fore sanguinem extrahendum. Hanc prudentem cautionem Galenus nos edocuit, lib. de Sang. miss. 18. *Ubi vero recens, inquit, in renibus phlegmone fuerit copiaque sanguinis redundarit, venam in cubito seca: quibus vero affectio inest, quam proprie nephritim nominant, eam quæ in poplite est secare expedit, aut certe quæ in malleolis sunt.* Et licet apud omnes non constet quid Galenus illam dictionem, (*nephritim*) intelligat, ex alio Galeni loco constat de lapide locutum, (nempe lib. 6. de Locis cap. 2.) testimonio Aretæi, lib. 3. quando dixit: *Venam malleoli, quæ recta affecto reni, opposita sit, incidito:* & ex Paulo & Alexandro liquet, lib. 3. cap. 45. lib. 9. cap. 4. & quando Aëtius Tetrabl. 3. Serm. 3. cap. 5. videtur aliam sequi viam, nostram confirmat sententiam, & probat cautionem, cum ait: *Quando lapis in renibus fuerit obturatus, & vehementissimos intulerit dolores, sanguinis etiam multitudo periculum minantis materias attentione affectam partem advocat, ob acutos videlicet dolores: vena igitur cubiti propinquæ manus in corpore ex repletione affecto, secanda est; hoc enim indicatur, & ab inflammationis doloris vehementia, & superiori plenitudine, quibus ablatis à talo mitti sanguinem partis & affectus postulat indicatio.* Hoc idem consuluit Actuarius lib. 3. Meth. medend. cap. 1. *In alio etiam hujus auxilii utilitas elucet, nempe ut sanguinis missione ex talo lapis commoveatur & deorsum feratur, dum à commoto sanguine iritatur, quod magis & celerius accidit, si vena in poplite circa suram scindatur, ex hac enim vena validior motus concitatur in renibus.* Et hoc certe videtur Paulum consuluisse lib. 3. cap. 4. quando dixit, *Sanguinis missio adhibita dolorem sæpe levabit celeriter calculum emolita.*

Galen. de Sang. miss. 18.

Aret. lib. 3.

Aëtius Tetrabl. 3. Serm. 3. c. 5.

Actuar. lib. 3. Meth. med. cap. 1.

Idem.

Ex quo loco illud obiter volui adnotare; ut, secundum lationem, seu humorum inclinationem, vacuatio imperetur; nisi ex alio principio, contraindicans potiori urgentia, contrarium suadeat; quâ sane cautione prudentia dignum existimavi; ne in ardore urinæ, aut magna debilitate renum, aut vesicæ, sanguinem ex talo inconsulto mittamus, quantumvis sint illæ partes inferiores; nam ex supernis omnis labitur humor, attractus illa sanguinis missione, quem à se repellere non valent hæc membra imbecilla; ideo adaugetur affectus in ardore, & urinæ etiam in continentia, quod aliquoties observavimus. Est alius etiam casus, eadem indicatione & exceptione dignus, nempe, quando apparatus in venis superioribus præsumitur, aut sanguinis, aut calidi alterius humoris, ut inde locis inferioribus hepatis, phlogosis aut inflammatio contrahatur, quoniam tunc sanguinis missio, non ex talo, sed ex brachio certe imperanda: est saltem, dum fluens, aut fluendi paratus humor revellitur; secundum alia Hippocratis & Galeni præcepta; postea vero, si derivare aut vacuare placet, cum fluxio jam constitit, tunc per vicina potius ex talo poterit vacuari; quod si nihil obstabit, securius erit, ad humoris lationem vacuare; ut in auxiliando & humor & natura mutuas tradant operas.

Probatur ultimo hæc conclusio per individuales indicationes, & ipsius affectus, & loci patientis; ubi præcipue observatur consensus; in casu singulari, ubi morbi occasio, fomes occasionis, & minera consensus delitescit; hoc à Præceptoris sententia colligitur, & ab ipsa natura edocetur; in morbo omnium acutissimo, 2 Coacarum sententia 3. sic legitur in illa; *Quæ apoplecticis veniunt hœmorrhoïdes, salutares.* Hoc salutare auxilium docuit in apoplexia natura, cujus documenta nobiliora sunt, quam artis nobilissimæ; unum, nos docuit, dignum illius excellentia; in auxiliis vacuantibus nempe, non ad solam urgentiam attendere, nec ad solam æqualitatem in auxilio: sed primo ad originem fluxionis, seu ad mandantem locum, qui est mali occasio, & ad causam, quæ illo ascendit, occasionis fomes; aliter enim aut cedunt auxilia in irritum, aut fiunt causa graviorum malorum; nam si, ex hypothesi, melancholicus humor in cerebrum ascendit, ex ramo splenetico, aut iliaco, qui ad internas intestini oras finit, seu ex ramo venæ cavæ descendentis, qui venit ad externas; si in hoc casu, urgentia seducti, ex brachio aut alio superiori loco sanguinem mitti placet, anceps & lubrica erit auxiliandi ratio; nam, præterquam quod nihil adimit de humore confluxo, fluentem adjuvat, juxta inclinationem, quam à principio non recte acceperat: & superius revocat, ac ad partem læsam trahit; seu quia succedit ad id quod vacuatur, vacui ratione: seu, quod natura, eo impetu, quo ad scissuram concitatum jam commovet, etiam ad exitum compellit; ex talo vero non tantum constat vacuare, quod lædit ex mandantis principio, sed etiam in posterum læsurum; seu ex hœmorrhoïdibus talis evacuatio provocetur, per liberum & liberalem exitum sanguinis melancholici, ad naturæ imitationem: quæ per similem ductum ex arte concitatum, juxta humoris inclinationem in hœmorrhoïdibus auxilium invenit; de quo nos Hippocrates admonet in hac brevi sententia;

Galen. 2 Coac. in sentent. 3.

& hoc

& hoc in utraque apoplexia propria aut spuria; nam inferiore vacuata multitudine, ubi minera, focus, & occasionis fomes delitescit, postea tempus erit, impactum vacuare, secundum ista principia & præcepta, ab Hippocrate & à Galeno tradita; nam propositum auxilium, rheuma consistens trahit versus originem, concitatum longissime revellit, quo nihil utilius potest excogitari; hoc Hippocrates pro exemplo duxit in apoplexia; sed non extra magisterium artis erit, in omni alio similis urgentiæ affectu, si foveatur ab eodem principio, pari uti auxilio, pariter indicato.

Nam sicut debilis apoplexiæ est critica vacuatio salutaris, sic ea quæ artificio fit medici, ad imitationem naturæ, talis redditur: in his enim ideo hæmorrhoïdum aut sanguinis missionis ex talo, comparatur utilitas, quia iis cacochymia melancholica lienis pravi, fæculenti, aut putridi humoris, adeo etiam mesenterii & cavarum jecoris partium, expurgatur, & in mulieribus uteri, per illam venarum anastomosim: seu quia vacuatur repletio venarum, quæ adjacent lumbis, ex quibus est facilis ad cerebrum transcursus; & unde fiunt dolorifica lumborum mala, utiliter sanguiflua, ut Hippocrates dixit 2 Coacarum. 12. per illas nempe venas, quæ ex hypogastrica expanduntur, ad cutim hypogastrii musculosam, & in rectum etiam intestinum; hujus utilitatis causa in Hippocrate legitur, Epid. Sect. 3. quando dixit: *Quod hæmorrhoïdes, cum inconsiderate sistuntur, eadem solent inferre mala, quæ ab iis provocatis arcentur; dum convenienter concitantur; seu medici artificio, seu ab ipsa natura:* ideo in hoc casu erit par & æquale auxilium; seu illos provocare sit consilium, sanguisugis; seu sanguine ex talo vacuato.

Hipp. 6 Epid. Sect. 3.

Nam utroque auxilio melancholica, aut prava multitudo vacuatur, & rheuma concitatum & consistens revelletur, quando per anadromem, seu per epiginesim fit hujus ad cerebrum transcursus; nam illa vacuatio fit per venas communes sibi consociales: nec aliter valet redintegrari salus, sive sit facultatum, seu humorum, sive obsessi membri; nisi illa perspecta sit egressio, & unde, & quomodo & ubi causa veniat; & qua minera & foco delitescat: inde enim melior curandi indicatio, medici artificio, ad naturæ imitationem, duce judicio, & comite experientia, comparatur; maxime, si natura cessante & negligente sui, nullo etiam auxilio adjuvatur: & ut aliquid, successione ad id quod vacuatur, retrahitur deorsum, cum ægroti & naturæ levamine; *Non solum ratione evacuationis*, inquit Galenus, 6 Aph. 11. *Hujusmodi passiones persanant, illæ provocatæ hæmorrhoïdes, sed ipsa qualitate humoris vacuati.* Etsi fas est dicere, quod in hac parte sentio, ideo mihi videtur, quia prava qualitate depulsa, depellitur etiam imbecillitas ab illa qualitate contracta: ut temperie illa redintegrata, virtus etiam denuo comparetur.

Galen. 6 Aph. 11.

Nec tibi in auxilio obstet, longa à capite distantia, quantumvis celeritatem in auxilio desideres; nam præterquam quod à fluxionis origine, & foco ubi humor ascendit, & consensus fovetur, non tantum ab hœmorrhoïdibus, sed ex talo est brevior distantia; nam & artis principia, auxilium ad consensum respicere, & à parte mandante vacuare oportet; si enim ex brachio fieret vacuatio, non tantum retractionis opus impediretur, sed ad partem læsam foret trahendæ manifesta fluxionis occasio: quod utrunque prohibuit, tam Græca & Latina quam Arabum schola; ut postea videbimus.

Nec est ita difficilis hujus rei demonstratio, par enim est distantia, in mania, velut in apoplexia; par humoris confluxio; eadem pars affecta, & forte eadem fluxionis origo, & mandantis occasio; & insanientibus, dixit Hippocrates, si varices vel hœmorrhoïdes superveniant, fit insaniæ solutio; in cujus Comm. Galenus, quæ à melancholico succo fit, adeo ut expellente natura ad partes ignobiliores, eos qui insaniam efficiunt humores, sicut dictarum passionum generatio fit, sic etiam insaniæ solutio: forte quia humor, à parte læsa longissime retrahitur, derivat ab origine, & loco fluxionis; seu quia vacuatur humor; cum illo, qui abscessit, symbolisat: & si nullus observatur consensus inter cerebrum & mesaræi venas, magis inde urgebit argumentum; si nullo observato consensu, sola auxilii retractio, ad auxilium consequendum sat est. Hæc omnia possumus magistra experientia confirmare; hæc nos docent principia, & veterum decreta: dicam quod ipse inter medendum vidi; Petrus Morera Hispali, ut publico genere, ita divitiarum opulentia notus, dum annum 60. ageret, in levem incidit apoplexiam; hunc medendum suscepimus anno 1647. & hac doctrina doctus, mox ex talo illi sanguinem misimus, & satis quidem copiose, præmisso acriori clystere; medio fere noctis; & in mane sequenti ex contrario talo iterum mitti jussimus; & fortioribus ligaturis interpolate laxis, adaptatis ad femora; octo horis exactis sanguisugas in bona quantitate hœmorrhoïdibus adaptare mandavimus; quo aliquantisper melius cute habere cœpit, & respirationis libertas comparari; quo deinceps divino beneficio convaluit.

Ex hoc ipso discursu necessaria elicitur conclusio: Si in morbo omnium acutissimo, vacuans auxilium à loco distantissimo, juvat, imo præcise indicatur, ab illa fluxionis origine, quia circa lienem in hepatis cavo, & loco mesenterii veluti in sentina, pravi coacervantur succi; potissima ratione convincitur, in aliis morbis & minoris urgentiæ, quibus focus, minera, fluxionis occasio & sentina, ab his locis præsumitur; necessario futurum hoc vacuans auxilium, à parte inferiori hujus loci, veluti in febre maligna pestilenti, aut simpliciter putrida, in capitis dolore, phrenesi, lethargo, epilepsia, debili apoplexia aut paralysi, si inibi originem traxisse, aut foveri præsumitur; ut in hypochondriacis, & mulieribus, licet menses non habeant, intemperatis, lascivis, & præpostero victu, & vitæ ratione utentibus, obstructis, aliter melancholicis, quibus semper præsumitur, pravos succos in cavo hepatis & lienis, & mesaræi venis cumulari; his omnibus non dubites sanguinem ex talo in principio mittere bis aut ter, prout est apparatus. Quo deposito, jam alia insurgit indicatio, pro affectus urgentia, & læsione partis superioris, &c.

Secunda pars, hujus conclusionis, nempe si à consensu

consensu remanet inducta dispositio; in hac sanguinis missio debet fieri per venas sibi consociales indicationibus urgentia libratis, &c. in probatione hujus secundæ partis, illud tantum volui adnotare, ut sanguinis missio, aut fiat alternatim, aut secundum urgentiam, ab hoc aut illo loco in quo magis urgentia ad se attentionem vocat; & hoc nonnisi consensus multitudine deposita; sit nobis exemplum lethargus, aut phrenitis, per consensum partis inferioris, & quæ sunt infra jecur; ita ut ex consensu, affectus sit in cerebro productus, seu prava dispositio: quod monstrabitur; si adhuc multitudine deposita & ablata efficiente causa; misso nempe ex talo sanguine, non semel, & ab hæmorrhoïdibus sanguine, hirudinibus extracto; si adhuc his peractis, perseverat delirii aut soporis affectus: tunc per venas sibi consociales fiat sanguinis missio per cephalicam nempe, sive in carpo manus; & majori securitate consequetur auxilium, adaptatis parti inferiori ligaturis, dum sanguinis missio celebratur, ut fæmoribus; & extrema urgentia in fronte vena scissa, sive in primis narium, sive occipiti affixa cucurbitula, & scarificata; quam soporoso affectu, plus sanguinis missione prodesse Aretæus existimat.

Hæc doctrina à Galeno probatur, seu ab auctore libri, præsagium experientia confirmatum; sic legitur in hujus libri medio: *Membra superna, in ancone*; (*hoc est in brachii cubito alias flexura*) *sanguinis detractione adjuvantur*; *ita in inferioribus his est*, *ut in poplitibus & talis*; *sunt autem dictorum*, *quæ ad coxendicem*, *vesicam & vulvam alternantes*; *ideo in ancone quandoque sanguinis detractionibus obtemperant*; *cum recens fuerit inflammatio*, *& sanguinis vis multa*; *sin affectio sit*, *quam proprie phrenitim appellamus*, *poplitem secare oportet*, *& in talo venas*, &c. In hac sententia, cum nobis hæc lectio corrupta videretur; (phrenetim nempe) seu interpretis culpa, seu typographi, ad librum de sanguinis missione recurrimus; ex quo hoc caput translatum Georgius Valla judicavit: & ibi lectionem incorruptam invenimus: & nobis videtur, erroris causam dedisse, similitudo illius dictionis, & loco hujus (nephritim) *phrenitim* scripsisse, quæ est vera & genuina lectio, ut legitur in vera Galeni lectione, in libro de Sang. miss. cap. 18. à Theodorico Gaudano interprete, translata: *Quibus vero affectio*, inquit, *inest*, *quam proprie nephritim nominant*, *eam quæ in poplite est*, *secare expedit*, *aut certe quæ in malleolis sunt*: hæc enim lectio est potius secundum rationem; cum ibi Galenus de venis communibus proxime è directo secandis, verba faciat: qua demonstratione convincitur, illam esse corruptam lectionem.

Gal. lib. de Præs. exp. conf.

Gal. lib. de Sang. miss. cap. 18.

Sed ad literam Galenus loquitur, in proposito casu nostræ conclusionis 2 de Locis 9. citato; *Nunc quomodo distinguantur affectus*, inquit, *primitivi ab iis*, *qui per consensum eveniunt*, *considerandum est*; *nam hujusmodi speculatio proprie ad hoc institutum pertinere videtur*, *& non sine manifesta utilitate*: *cui nam parti remedia sint adaptanda*, *cognovisse*; *nam per solum consensum læso cerebro*, *si ea pars*, *quæ primario affectu laborat*, *fuerit curata*, *priusquam cerebro propria aliqua eveniat dispositio*, *nullum in ipso relinquetur accidens*; *quod si ex consensu aliqua permanens fiat in ipso dispositio*; *tum non solum parti*, *quæ primitivo affectu* *laborat*, *sed capiti quoque remedia adhibere oportet*; & 3 de Locis 5. *Si vero consentientes partes permanentem jam habuerint dispositionem*; *quamvis quiescat causa efficiens*, *ipsa tamen permanebit affectio*: quo in statu, Galenus nos expresse consuluit 13 Meth. 11. per venas affectæ parti communes vacuare, ut quæ proxime è directo, urgentiæ & celeri periculo affectus jam inducti succurrant; *Nam quod vacuandum sit*, inquit, *id communis indicatio est*; *unde autem*, *& quomodo æger ipse*, *docet locus*, *qui jam in propria afficitur essentia*. Quod idem in libro de Sang. missione 19. ad practicam reduxit, quando dixit: *Quod inveterato affectu*, *per ipsammet partem debemus vacuare*, hoc est, per venas sibi consociales proxime è directo; hoc enim petit illa affectus producti indicatio, ut auxilio, quod citius & brevius succurrat, impleatur; non tantum, illa indicatione generali, nec tantum specifica, sed singulari & individuali, affectus jam inducti, & partis quæ primario patitur; per venas illi consociales secundum rectitudinem situs, & illarum quæ proxime cum affecta communicant.

Gal. 2. de Loc. 9.

3 de Loc 5.

13 Meth. 11.

lib. de Sang. miss. 19.

Illa tamen est cautio adhibenda, in hoc casu, ut qui in prima regione commorantur humores pravi & fœculenti, si jam in cavitatem exierunt, & in viis communibus intestinorum, seu in ipso ventriculo, seu venarum etiam extremis oris detinentur (quod constabit ex vomitu frequenti, aut similí etiam egestione) consultissimum erit, hos aut vomitibus, aut clysteribus, antea vacuare: sin minus, aliquo lenienti propinato; at vero, de hoc fideli conjectura si non constet, sed quod mesaraei venis aut hæmorrhoïdalibus, quæ à porta descendunt, adhuc inculcati detineantur, satius & prudentius erit, sanguinem ex talo aut poplitibus mittere; præmisso acriori clystere.

CONCLUSIO III.

In omni febre humorali, seu simpliciter putrida, de continuarum sorte aut ardentium: sive intermittenti, seu maligna, aut vere pestilenti, est incipiendum à sanguinis missione ex talo; non ex brachio.

Pro hujus conclusionis intelligentia, illa est prius supponenda doctrina; quod in febre humorali, si est continua, humor intra venas putrescit intra majores aut minores, seu aliquo determinato loco, ubi phlogosis aut inflammatio delitescit; in ardentibus intra majores venas, inter alas & inguina: seu, dum pars aliqua nobilis, ut hepar, cerebrum, ventriculus, aut uterus, inflammata, causoni occasionem præstat; in intermittentibus vero, aut in pancreis & minoribus venis, ut voluit Fernelius; aut alio determinato foco, & venarum exilium, seu venis longe à corde dissitis, ut communis Schola; in febre pestilenti & maligna, super illam putredinem, in hoc aut illo loco, ubi sanguis putrescit, aut cæteri humores, est addita illa maligna qualitas, quæ duplicem analogiam sortitur; & est prima ad sanguinem, cum quo peculiarem habuit analogiam: & alia, ut cor præcipue invadat, peculiari destruendi antipathia: nam corrumpere, est hujus qualitatis prima actio; non semper uno tamen modo; nam in aliis corrumpit, putrefacit in aliis, in plerisque exurit, & in non paucis mortificat: in omnibus vehementer alterat; sed in hoc, super

alias qualitates excedit, quod corporis apparatum ad sui productionem disponat; si non etiam dispositum invenit; nam facilime in dispositum imprimit actionem: sin minus, actionis violentia, cui nec validus resistit, apparatum malignum in corpore producit; & hoc illo in loco, ubi major pravi humoris quantitas cumulatur; & cum natura in toto vitæ cursu, perenniter, in cavo hepatis & mesaræi venis, & hæmorrhoïdalibus illam pravam colluviem deponat, rationi videtur consentaneum, hunc protinus apparatum concitare quando incipit febris. Et hoc fere convincit gravissima hujus febris initio accidentia concitari; antequam, longe lateque putredo extendatur; deliria nempe, lethargici affectus, impatiens alismus, vomitus, alvi fluxus, interdum colliquantes, & absque ratione exsolutio; quæ aliter evenire non solent, nisi à vaporibus pravis per consensum elatis, seu à prava metastasi humorū, à foco aut minera putredinis, ubi deterior humorū apparatus delitescit: nec ideo inficior, illum posse putrescere, intra majores venas: illud tamen non obstat, inferiores venas, ubi prava sentina, febris occasione effervescit: posse etiam simul hæc membra principalia impio consensu coafficere.

In hoc igitur triplici febris genere, ex triplici principio, sanguinis missionem ex talo convenire fieri, quando incipit febris, consultissimum judico. primo, quia à febris calore illa prava colluvies humorum, antea adservata, in cavo hepatis mesaræi venis & hæmorrhoïdalibus protinus effervescit; sin minus, ulterius putrescit agitata: ex quo impio consensu vapores elevantur, (hujus pravi humoris gentilitii:) ad cor, ad cerebrum, & hepar; ut hæc membra graviter coafficiant: nec desunt hujus consensus signa; nam cum incipit febris, dolor capitis incipit, alismus corporis totius, & dolor, & confractio; quæ sunt illorum vaporum consectaria, seu putredo in hac aut illa minera delitescat, cum possint, ex utraque elevari: secundo ex Gal. colligitur hoc idem ex alio principio lib. Sang. miss. 12. *Nam quibus sanguinis ferventis*, ait, *tibi copia apparet, quam citissime eam vacuare conator, priusquam in principem aliquam partem ingruat*; & tanto cautiori prudentia hoc præceptum perpendere debemus, quanto magis constat, illas ardentes febres, circa membra principalia originem traxisse, ut idem nos docuit Gal. Epid. Sect. 1. text. 9. Circa os ventriculi & jecur, & 1 Epid. Sect. 2. text. 20. & 2 Epid. 75. Nunc nos à doctis quærimus, si daretur, quod humor in venis majoribus fervesceret, circa aliquod viscus principale, & si hujus occasione, prava illa sentina, inferioris ventris, hæc eadem principalia membra, pravo vaporum aut exhalationum consensu, coafficeret; cui forte obstabit, primam & secundam sanguinis missionem, ex talo imperare: saltem in gratiam hujus pravi consensus? in hac enim sanguinis missione, (maxime copiosa) quam citissime ferventis sanguinis copia vacuatur; à membro principali revellitur: longe humor abducitur; & si antequam irruat, à Galeno magna vacuatio maxime commendatur; potiori jure, si jam partem principem occupat, ab illa revellere, & successione etiam vacuare, consultissimum erit.

Galen. de Sang. miss. 12.

3. Hoc idem, ex Oribasio, Juliani Imperatoris Medico, paulo post, à Gal. in febre pestilenti comprobatur, lib. 7. Med. Coll. c. 20. & de scarif. crurum; de qua ita Apollon. *Cumq; pestilentia vehemens per Asiam vagaretur, multique ob eam causam obirent, egoq; in morbum itidem incidissem, secundo die cum remissio fieret, crus scarificavi, & ad duas libras sanguinis detraxi, atque hac ratione, vitavi periculum; quo sane auxilio cum multi quoque usi essent, sunt servati; erant enim signa plenitudinis, atque illi præcipue evaserunt, qui sanguinem copiose evacuavissent; ex cruribus nempe; at etiam mediocres capitis dolores fauciumq; inflammationes, & dolores circa latera recentes tollit*, &c. Satis clare colligitur, ex ipsius doctrina, vel crura scarificanda, vel mittendum ex talo sanguinem in febre pestilenti; nam unica auxiliandi ratio, in eo præcipue consistit; ut ille pravus humor revellatur à membro principali, quod maxime pestilenti veneno lacessitur; & in mea sententia, inde major revulsionis comparatur utilitas, quia ab hac prava sentina humor pravus, exustus, putridus, & corruptus vacuatur; quo tollitur occasio hujus pravi consensus.

Galen. lib. 7. Med. Collect. c. 20.

Libenter etiam in hanc ducor sententiam, cum video, eundem auctorem in cap. 20. citato, sub eadem intentione, ex talo mulieres jam provectas vacuare; *Ego sane*, inquit, *etiam valde ætate provectas, quibus jam pridem nihil menstrui ferebatur, ubi aliqua corporea molestia conflictarentur, hac curatione sublevo; nempe scarificationibus in crure; hæc enim mulierum propria est, multumque habet efficaciæ; quippe quæ naturalis excretionis modum imitatur; porro vacuare interdum soleo scalpello, interdum autem per hirudinum applicationem.* Magnum est hoc exemplum, sed majus est quod sequitur: *Oculos etiam* (idem auctor prosequitur) *cum quidam ex longo tempore ab incessabili fluxione infectos haberet, hoc præsidio sanatus est*, (crurum nempe scarificatione) *cum nos aliis etiam localibus circa oculos auxiliis usi fuissemus, totiusque corporis curam gessissemus; senex etiam*, (prosequitur,) *quidam cum prius quidem longis, postea vero brevioribus interjectis intervallis à strangulosa circa pulmonem angustia vexaretur, simili modo curatus est*, &c. Hæc Oribasius; si ergo res recto, (ut decet) judicio penduntur, mihi non est dubium, & provectæ mulieris affectus, à pravo illo venarum apparatu, in venis circa uterum foveri, & in aliis, quæ sunt ejusdem rami, quæ ad mesenterium etiam expanduntur; ideo illo revellenti, & derivanti, auxilio mederi; sicut illam inveteratam oculorum fluxionem: & strangulosam in alio angustiam à pravo venarum apparatu, quæ sunt circa mesaræum, & in hepatis cavo; non est enim consonum rationi, longinquas venas & non consociales cum parte quæ medetur, ita cito mederi; & minus credi potest, hominem sapientem, consociales affectui demisisse, & elegisse alias & maxime distantes, si non crederet, ex illarum consensu illas partes affectas.

Idem, c. 20.

Hoc etiam fidelissima nos docuit experientia, in sæva pestilentia, quæ Hispalim afflixit, anno 1649. in hac enim si aliquis évasit, sanguinis missione ex talo servabatur; in quantum bubones impedimento auxilio non erant. In hac enim constitutione, duo præcipue hanc sanguinis missionem indicabant; & prava veneni pestilentis conditio, quæ in cor à principio irruebat; & subita metastasis, sive raptus humorum, ad omnia princi-

principalia membra, ſed maxime ad cerebrum; nam ſubito in phrenitidem aut lethargum delapſi cernebantur; quorum cauſa non in omnibus erat cerebri apparatus, cum antea eſſent placida ſanitate; ſed certa melancholiæ conditio, quæ omnes promiſcue occupabat; cujus non erat expers, nulla ætas, nec ſexus; quia apparatus erat omnibus melancholicus malignæ qualitatis conſectarius, omnibus fere venis; ſed cum is in cavo hepatis, lienis & meſaræi venis deliteſceret, (nec dubito etiam quod venis circa cor.) ideo talem apparatum inferius revellere, erat potiſſima & prima hujus præcipitis urgentiæ indicatio; materiam nempe veneni, à nobilioribus ad ignobiliora transferre; aliter enim ſi ex brachio fieret, eſſet venenum ad cor ipſum attrahere, ab ignobiliori certe loco. Et illud nobis erat certius melancholici apparatus argumentum; quod adhuc infantes & lactentes, temperiei & ætatis privilegio, huic apparatui ineptiſſimi, carbunculos & anthraces ferebant, & illos urentiſſimos, quibus erat uberior proventus; nam illa ſeminaria peſtilentia erant aduſtionis productiva: ut urentia monſtrabant accidentia in interno ardore, ſiti incompeſcibili, æruginoſis vomitibus, & nigris, quę omnia inſuperabilis ſuperabat triſtitia, nullo ingenio quæ levari facilis eſſet. Illud etiam vidimus, in plerisq; in abdominis regione dolores ingentiſſimos, qui nullo adeo ingenio ſedabantur, ut nobis viſum fuit, imbecillâ naturam, ut membra principalia tueretur, hunc pravum apparatum commovere, quo illum ad inguina extruderet; quod cum, præ imbecillitate, conſequi non valeret, hæc pravi humoris conditio deterrima, totam abdominis regionem delaniare videbatur; & illi nobis certe videbantur bubones imperfecti, ex imbecillitate in pancreis relicti, ubi major hujus pravi apparatus ſtabulatur copia; quæ per tali venas, aut hæmorrhoïdales, indicat vacuari, ex nobilioribus medicinæ principiis.

Hoc ultimo probatur exactiſſima venarum anatomia, earum nempe quæ ad malleolos & talos expanduntur; ut peritiori notitia dignoſcatur hujus doctrinæ pondus, inter venas ſibi conſociales, dum ex talo aut brachio ſecantur, hujus aut illius loci ſervata rectitudine, & debita diſtantia: in affectibus cujus ſitus majorem communionem habet cum hac, aut illa vena, quæ ſecatur. Has nos Salmanticæ ſic diſſecare vidimus: deſcendens truncus venæ cavæ ad os ſacrum, in ramos ampliſſimos, findi novimus: iliacos, ſic dictos quod deſcendant per ilia, demitti majores ramos; nam, quod noſtrum attinet inſtitutum, in duos inſigniores compartitur; iliacos jam dictos; & ab utroque ramo, quatuor pares ſcaturiunt; nempe vena ſacra, hypogaſtrica, epigaſtrica & pudenda; hypogaſtrica omnium ampliſſima, omnes fere partes hypochondrio contentas alit: ab hac rami quam plures expanduntur, alii ad uterum, ejuſque cervicem, alii ad recti inteſtini extrema, qui hæmorrhoïdas externas, plethram depletrices pariunt; epigaſtrica vero, in epigaſtrii muſculos divaricatur: & hæc ſæpe à curali ramo emergit; poſtea vero idem ramus iliacus, extra abdominis cavitatem delatus, & ad inguina cruraque deſcendens, cruralis dicitur; ab eo etiam plures emanant ſurculi, per femur, tibiam, & extremum pedem in numeroſa ſerie; ſunt tamen hujus rami magis conſpicui; ſaphena, iſchias minor, vena muſculoſa, poplitea, ſuralis & iſchias major; ſaphena ſeu malleoli vena, ad inguinis glandulas nata, per internam cruris partem, ad malleolum externum deſcendit; iſchias minor, è regione ſaphenæ, in anteriorem iſchii cutim, & ejus loci muſculos diſtribuitur; muſculoſa, in muſculos extenſores, & omnes fere fæmoris muſculos derivatur; poplitea in cruris poſticam partem delata, per medium poplitem delapſa ad calcem uſque deſcendit; aliquando per externum malleolum fertur; ſuralis in ſuræ muſculos deſcendit, & circa malleolum internum reflexa, latus internum pedis ad cutim pellicis pertingit; iſchias major, per ſuræ muſculos delata, inter peronem & calcem, in muſculum digitum pedis abducentem, & cutim ſpargitur; & hinc partium edisſcitur conſenſus, hinc venarum rectitudo & vicinitas, cum partibus abdominis, & ventris, ubi à natura pravus, fœculentus, inutilis, & craſſus ſtabulatur humor; nam vena, quæ in talo ſecatur, aut eſt ex ramo hypogaſtrico, qui hæmorrhoïdales venas conſtituit, & uterum circundat; aut ex ramo iliaco, qui poſtquam alit cavitatem abdominis, ad crura & ad pedes deſcendit, unde ſaphena, in utroque latere, interna & externa; quæ dum ſecantur, illa pravi humoris multitudo deponitur; proxime è directo.

Inter brachii venas, & affectus ventris ſuperioris, ſua etiam ſervatur rectitudo, jure vicinitatis & conſenſus, & per varias etiam anaſtomoſes, quo inter ſe ad invicem communicant; nam ab axillari ramo, ipſius venæ cavæ aſcendentis, tres oriuntur venæ, thoracica nempe, baſilica & cephalica; thoracica in mammas, & in anteriores thoracis muſculos, unico ramo, altero in poſteriores diſtribuitur; harum venarum tres rami, ramis venæ azygos coëunt; baſilica, per interiorem, cephalica per exteriorem brachii partem fertur; baſilica in profundam & ſubcutaneam dividi ſolet; profunda axillari arteriæ, & tertio nervorum pari ſupertenſa ad medium cubiti flexum, effertur; parte inferiori; in duos ramos poſtea dividitur, quorum alter ad pollicem, & ad reliquum manus alter extenditur; ſubcutanea per cutim excurrit; & in brachii flexura, in duos ſcinditur ramos, quorum alter ad internum cubitum delatus, cum humerariæ ramo unitur; & ex eo coitu communis vena naſcitur; alter baſilicæ ſubcutaneæ ramus, per infernum brachii latus deſcendit, & in vicinam cutim terminatur; cephalica, ſic dicta quod capitis affectus magis reſpicit, per brachii exteriora magis repit, dum ab axillari ramo, emergit; hæc dum ad cubiti flexuram pervenit, in duos ramos finditur, quorum alter in interiorem cubiti, oblique latus, cum baſilicæ ramo coit; & communem venam parit; alter inſignior; per radium ad ejus fere medium, deſcendit; hinc oblique ad carpum excurrens, manum externam irrigat, & conſpicuo ramo inter parvum digitum & anularem deſinit.

Inter has venas etiam multæ obſervantur communiones, unde oritur diverſus conſenſus inter illas, ſi illarum rectitudo obſervetur; nam eæ quæ per cutim divaricantur, uniuſcujuſ-

que partis oppositæ tandem inter se copulantur dextræ cum dextris, ut in facie, supernæ cum infernis, ut in musculis epigastrii: internæ cum externis, ut jugularis internæ rami cum ramis externæ coëunt: & externæ thoracicæ cum internis azygos; externæ mammarum cum internis pectoris; externæ capitis cum internis, quæ per membranas excurrunt; & inde fit, ut cum thoracica ab axillari prodeat, in pleuritide ejusdem lateris sectio mire conferat; & quia adiposa cum emulgente coit, per ramulum exiguum, ut puris in thoracis cavitate collecti, expurgatio per urinas etiam consequatur; & inde etiam inter affectus per essentiam, partium superarum, harum venarum sectio mire prodest, & celeriter juvat; quia cito succurrit jure vicinitatis & consensus. Major pars illustrium medicorum Vandaliæ illustris in hanc opinionem fælici plausu veniunt, & Archiatri Regii plerique, ut & Salmanticensis Academiæ serenissimæ, & hujus & illius provinciæ, saltem nobiliores & candidati viri; opinionum novitas semper periclitatur in admiratione, & dum quæritur veritas, ratione contendimus, non desperatione illius consequendæ, non indignatione, neque æmulatione imprudenti: ferior animus literarum studiis mansuescit, indocilis & barbarus efferatur: propria æstimatio fortasse aliorum jactura comparatur? eat ergo per omnem maledictionem propriæ sententiæ defensio: quid speras apud cordatos viros; proprio quisque sinu, tui animi vilitatem expendit: ô numen cælitesque, quam difficile est male partis bene uti: detractione æstimatio viris justis non deest; natura enim ubique pabulum feris posuit; & quamvis hirundines utrunque solem metiuntur, esca nunquam errantibus deest: ergo soli homines non impune implebunt exhaustas livore vires: ergo in belluas pontus erit clementior, quam civilis ratio in mortales, in eandem genitos sortem: forte animantibus reliquis aliquid supra hominem natura debebat: ô barbarum, ô feriores homines, quam humanam olim Androdus feram invenit: me peregrinum esse satis prodit, quod in tanta solitarius frequentia expecto benignitatem hospitii.

CONCLUSIO IV.

In omni affectu, qui pendet à metastasi, sive humoris raptu: seu à fluxione corrivante; revulsio debet fieri ad ipsam fluxionis originem. quod si hæc non sit nota, longe à parte fluxione tentata; & hoc in curatione regulari; at vero in celeri urgentia pro sua cujusq; vice, debet revulsio & derivatio alternari: & utrunque secundum partis situm, membri nobilitatem, & venarum consensum, à poplite aut brachio, pro affectus urgentia.

In expositione hujus conclusionis, stat major illius comprobatio; nam si ex hypothesi fiat epilepsia, ex pollicis manus dextræ consensu, non ex talo, sed ex manu ipsa, est prima revulsio imperanda; si non alia consideratio animum acrioribus stimulis explorat; an nempe, ex pravo apparatu, antiquis obstructionibus adservato, aut mesaræi venis ille fiat consensus, & utrique loco deferatur, ut nos etiam interdum observavimus: *Sunt enim,* (ut Galenus nos docuit 5 de Locis 6.) *in consensu proprietates quædam ineffabiles, sed quæ accidentibus, quæ narrari possunt succedunt, quibus certiores stabilioresque evadunt, affectarum partium notæ, veluti in juvene grammatico,* &c. quod si accidat à communibus venis cum loco unde consensus venit; imperetur revulsio, quod erit ut plurimum ex talo; sin à jecore accidat hœmorrhagia, Galenus super jecur cucurbitulas imponi jussit, ut fiat ad originem fluxionis revulsio; nescio an securo & prudenti judicio, ne ex humore denuo confluente & recenter attracto, jecoris inflammatio superveniat, in corpore impuro & pletorico, & ne dum vacuato: quod si urget necessitas, nostri erit consilii ut prius ex talo revellatur, ex carpo aut brachio derivetur, ac exquisite corpore vacuato; imponatur super jecur cucurbitula, ut ad fluxionis originem talis fiat revulsio; quod intelliges, si adhuc fluit humor; quoniam tantum revellitur fluens aut fluere paratus: ac ex ipso argumento deducimus; si ex cavo hepatis ventris à mesenterii regione, præsumitur fluxionis origo licet non bene nota, si ad partes supernas est confluxio, ex talo debet sanguinis missio fieri, idque duplici ex principio: & quia longe à parte fluxione tentata revellitur, & quia ab origine fluxionis derivatur: si vero in partibus inferioribus jecore, sit insignis affectio, & à superna plenitudine præsumitur confluxio, est à venis brachii celebranda revulsio; veluti si in renibus vesica, & hepatis convexa, aut testibus infestet inflammatio, sive urinæ ardor: piaculum enim esset, ad partem læsam trahere, sanguinis missione ex talo; erit tamen secundum rationem, sanguinem ex brachio, aut manibus detrahere; dum fluxionem constitisse compertum sit; nam postea à partibus infernis derivatio, est ad artis principia & veterum decreta.

Galen. 5 de Loc. 6.

Pro hujus conclusionis intelligentia, illud est in omni opinione supponendum, quatuor instrumenta, in casu hujus conclusionis fore in his morbis auxilio futura; revulsio nempe, derivatio, vacuatio, & opus mixtum, ex utroque auxilio. Revulsio est ad contraria, seu ad longinqua retractio: &, si sit nota fluxionis origo, est ad ipsam fluxionis originem. Derivatio est humoris retractio ad latera seu ad loca vicina. Evacuatio est per eandem partem sensibiliter aut insensibiliter eductio. Ad revulsionem ex arte celebrandam, quatuor conditiones adesse voluit Avicenna; prima est, ut adsit contrarietas; hæc tamen secundum trinam dimensionem observatur; aut secundum longitudinem, ut sursum & deorsum; à partibus superioribus nempe ad inferiora; aut secundû latitudinem, veluti à dextris ad sinistra; aut secundum profunditatem, ut ante & retro; sub qua dimensione comprehenditur, quæ intra & extra observatur; veluti in pleuritide, dum vena brachii scinditur, è directo; & tum, parte posteriore dolente, vena secta in fronte juvat. Has dimensiones Hippocrates & Galenus observat, 5 Aph. 68. 5 Meth. 3. & libro de Revulsione cap.2. Secunda conditio est, ut illa fiat per venas sibi consociales & cum parte affecta; quia inter illas observatur generalis consensus; ideo enim Hippocrates, 5 Aph. 50. *Mulieri,* inquit, *si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quam magnam* ad

Hipp. 5 Aph. 50.

Gal. Comm. *ad mammas appone: melius est*, inquit in Comm. Galenus, *inferius apponere, sub mammis potissimum, ubi sunt venæ, quæ ad ipsas desubter veniunt.* Tertia est, ut servetur rectitudo inter partes ejusdem lateris, ut inter jecur & venam axillarem è directo sibi consocialem; veluti etiam in pleuritide, aut inflammato liene ex sinistra. Quarta & ultima conditio est, ut revulsio fiat ad longinqua, ne humor ad partem læsam facile revertatur: illa tamen longitudo intelligitur, quando de origine fluxionis non constat; quoniam si constaret, ad ipsam fluxionis originem voluit Galenus humorem revellendum, 5 Meth.13. & 13 Meth. 6.

Satis & plenissime patet hujus conclusionis comprobatio, ex iis quæ ad illius intelligentiam ex Hippocrate, Galeno, & Avicenna diximus; sed à Galeno ulterius probatur, in lib. de Sang. miss.19. *Nam incipientes phlegmonas*, inquit, *revulsu vacuare oportet; quæ vero inveteratæ sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis particulis; quod si nequeant, saltem ex vicinis.* Hoc secundo ad Glauc. 2. ad exempla reduxit: *Si fluxus ad genu deferatur*, inquit, *is sanguinis evacuatione ex superioribus indiget; si vero aliqua pars superior pateretur; per inferiora sanguis est educendus; semper enim fluxionis motum, ad contrarium trahere expedit:* & in eodem loco, *à positu, indicatio*, inquit, *neque ipsa negligenda est; nam perquam vacuare oportet, & quomodo, ipsa præcipue demonstrat; fluentium igitur antispasis retractio est; quibus jam membra obsiderunt, debetur derivatio.* Utrumque vacuationis genus per communes venas fieri, Hippocrates præcepit; *Veluti in locis muliebribus retrahes vena secta in cubito: derivabis, si eas, quæ in poplitibus aut talis sunt, venas secueris.* & hoc non ex alio principio, nisi quod in uteri venis coacervatus humor, pravo consensu, potest partes superiores coafficere.

Gal. lib. de Sang. miss. 19.

Est tamen quædam in Hippocrate sententia, quæ semper mihi magnam difficultatem intulit; nam videtur convellere omnem præcedentem doctrinam; & maxime, si credimus Galeno: *Difficultatem urinæ*, inquit, *venæ sectio solvit, secare vero interiores*, 6 Aph. 36. *Re vera*, inquit Galenus, *venæ sectio solvit difficultatem urinæ, quæ propter inflammationem, aut multitudinem fit: secare vero interiores, de venis manuum dici non potest: vidimus siquidem ipsum, in omnibus libris suis, in partibus quæ supra hepar sunt, è manibus sanguinem mittere: in inferioribus autem, venas quæ in poplite aut talo sunt; ab una enim ambæ nascuntur; quæ in poplite trifariam dividitur, quoniam & una vena ad hoc membrum pervenit*, &c. Si diceret Galenus, difficultatem urinæ ob inflammationem vesicæ, aut partium illi circumjacentium, peracta revulsione ex brachio, sanat vena in talo secta, ut derivans & vacuans auxilium; nulla superesset ratio dubitandi: sed à principio nulla distinctione addita, eo solo titulo, quod esset in partibus inferioribus jecore inflammato, de inferioribus venis esse intelligendam Hippocratis sententiam: hoc nec est Galeno dignum, nec illius doctrinæ consentaneum, ut paucis infra lineis manifeste convincitur: ac ideo reor, Hippocratem in illa dictione: *Secare vero inferiores, de brachii basilica, aut basilicis in utroque cubito esse intelligendum*; Basilicæ enim venæ, interiores, ab omnibus fere auctoribus dicuntur, & ab ipso Galeno, & constat ex anatome: *Nam*, in

Hipp. 6 Aph. 36.

A 4 Acut.23. *in venarum interceptione*, inquit, *igitur venam brachii dextri internam secare oportet*; & de Constitutione Artis Med. 17. *quæ in thorace & pulmone sunt*, inquit, *per venam cubiti interiorem*, (hoc est per basilicam) *vacuare oportet*; idem repetit 13 Meth.11. ubi sic legitur, *illud vero an interna secanda, aut ea quæ juxta malleolum est, id ex laborante particula indicatur; nam si sola indicatur, revulsio est facienda longissime à parte fluxione tentata, nequaquam ad eam trahere convenit.* Ætius etiam interiores vocat brachii venas Tetrab. lib.1. Serm.3. cap. 12. Ex his locis facile patet, ipsum Galenum, basilicam venam internam nominare: illud ipsum etiam demonstratione convincitur; in phlegmonis principio, ad contraria & longinqua esse revellendum, secundum dimensionem quæ magis valeat urgentiæ succurrere; & phlegmonis magnitudinem inhibere, *nequaquam ad ipsam trahere convenit*, dixit Galenus; quomodo igitur credi potest, Hippocratem, in phlegmone vesicæ internas tali venas secare imperasse? ut Galenus suadere conatur: ideo de interna basilica potius intelligendum esse, semper existimavi.

Galen. in 4 Acut. 23. Idem, de Const. Art. Med. 17. Idem, 13 Meth. 11.

Secunda pars hujus conclusionis, nempe in affectus urgentia, quæ ab ipsa fluxione inducitur, aut alternandam evacuationem, aut urgentiori succurrendum; hoc ab Hippocratis sententia non vulgari colligitur, 6 Epid. Sect.2. text.8. *Derivare, cedentem retrahere statim, renitenti cedere*, &c. reddit in Comm. rationem Galenus: *Neque enim semper*, inquit, *in retrahentibus auxiliis permanendum; sed aliquod tempus interponere oportet, ut succum, qui in affecto membro inhæsit, excerni permittamus, seu multitudine distendat, seu qualitate discruciet; nam si humores in particulam illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque revulsoriis aliquid proficies, non amplius membro proritante succos in se ipsum, juxta inclinationem quam à principio non recte acceperat.* Duplici fine in hoc loco, Hippocrates, alternari revulsionem, & derivationem imperavit; & ne amplius ad læsam partem, rheuma concitatum, attrahatur, occasione attrahendi ablata; & ne attractum & particula impactum, celeriter adeo corrumpatur, ut locum auxiliis postea non permittat: & hæc potissima urgentiæ indicatio, Hippocratem coëgit, inter regulares revulsiones coactam derivationem interponere, ab ipsa urgentia indicatam; nam in quantum confluens humor retrahentibus cedit, sat est, revellentibus pugnare: illud enim significat per illam dictionem, *cedentem retrahere statim*; attamen si illis renititur affectus, *renitenti cædere*, dixit, hoc est, humorem particula impactum vacuare; sic Jacotius illam Hippocratis sententiam intelligendam voluit, ad 1 Coacar. Sect. 2. text. 44. *Nam celebre*, inquit, *Galeni præceptum fuit, ne toto fluxionis tempore, revulsoriis acquiescamus, sed interponatur medium tempus, in evacuatione humoris, qui in parte affecta continetur; & in doloris sedatione, ut dolor calorque partis, quæ fluxionis causæ sunt, utraque tam particulari quam universali evacuatione tollantur; ut in oculis, angina, pleuritide*, &c. quare fluentem humorem retractioni cedentem, oportet revellere: si vero revulsioni renitatur, & periculum urget, derivare per vicina, & adhuc per proxima vacuare, seu per ipsammet partem, magis expedit; quod Jachinus amplectitur 9 ad Almansorem

Hipp. 6 Epid. Sect. 2. text. 8. Gal. Comm.

Jacotius ad 1 Coac. Sect. 2. text. 44.

rem 3. Mercatus & Fontana cap. de Apoplexia; licet ab hœmorrhoïdibus, aut mensibus retentis, incipiat affectus, in urgenti maxime apoplexia; est enim prima urgentiæ indicatio, quia brevius ex illa periculum minatur; sic etiam Valesius Hippocratis præceptum intelligendum duxit, in textus citati Commentario; *Ita enim sæpe,* inquit, *in eisdem inflammationibus internis, cum revulsioni non satis cederent & timorem phlegmonis magnitudine, anticiparent mori, alternatim utens, missione sanguinis, secundum rectum, & scarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirifice eripuisse; hoc in angina suffocante, vena sub lingua secta, nos sæpius ad practicam reduximus, & in fronte etiam in apoplexia;* illud tamen ex hac sententia elicere consultissimum duxi, Hippocratem adhuc in extrema necessitate, & ultima periculi urgentia, revulsionem ut maxime profuturam consuluisse; quam semper debere fieri à parte longinqua, non ambigit versatus in Galeni doctrina, ubi maxime speratur, affectum, qui à fluxione pendet, revulsioni cedere: licet alternatim, ob maximam periculi urgentiam, consulat vacuare: ut citius & brevius occurratur periculo; ergo nec Hippocrates nec Galenus consuluerunt semper à fortiori, loco proximiori vacuare, quantumvis affectus urgere videatur; si datur revulsioni locus, quæ secundum artis principia debet vacuationem antecedere: ex qua illatione, nos aliam inferimus; ergo in angina, pleuritico dolore, & quavis alia interna inflammatione, secundum hanc doctrinam, debemus à revulsione incipere, & à parte longinqua, aut contraria, ut securius ad evacuationem accedamus; nisi talis incideret urgentia, ut mortis timor animum occuparet: hæc enim omnem methodum regularem invertit, &c.

Valesf. in Comm. super Hipp.

CONCLUSIO V.

Consulto prætermisi conclusionem, in hœmorrhoïdibus, aut mensibus suppressis, semper esse à sanguinis missione ex talo incipiendum, ut in hypochondriaca melancholia, ex pylori consensu, lienis aut mesaræi venis occlusis, & obstructis: hæc enim in omni opinione constans est ab omnibus recepta, ut illam probare, esset tempore pretioso abuti; nam Matthæi de Gradi & Mercati opinio, in pletoricis jam prorsus abolevit.

Sed adhuc in hac stabili doctrina, video quendam doctum, periculose & lubrice satis, periclitari; existimat enim, quod si acutus affectus superveniat hœmorrhoïdibus, aut mensibus fluentibus: si tempestiva sit illa vacuatio, ex ordine naturæ, quod est sanguinis missio ex talo celebranda, quo natura vergit per loca conferentia; si vero talis evacuatio, non in tempore veniat, à natura præscripto, sed ab illa irritata provocetur; quod tum illa vacuatio nihili facienda sit; & absque ulteriori hujus attentione, sanguinis missio debet fieri ex brachio proxime è directo, unde acutus morbus cito succurri postulat, nempe à venis brachii, in febre aut morbo laterali, & similibus: quoniam in hoc statu potior urgentia sit ex parte affectus, ipso jure acuti, quam evacuationis, quæ sui custodiam, secundum rationem non requirat; hæc ille: & in hujus doctrinæ confirmationem adducit Franciscum Valeriolam; Valesium item doctissimum, & Fernelium, etiam apprime doctum; quorum auctoritate illam doctrinam satis securam judicat; quia vacuatio symptomatica servari se non petit, veluti tempestiva & naturalis, &c.

Tantum abest, ut nobis hæc doctrina secura videatur, quin imo, illam ut pernitiosam, omnino improbandam judicemus. Multum, ut fas est, semper dotali auctoritati illustrium virorum; sed mihi semper potior & securior extitit rationis auctoritas; hæc enim semper cum veritatis examine profertur; & illi interdum absque ullo, ab aliis tradita protulerunt: & hujus sententiæ est potissima ratio, quod excretiones symptomaticæ, servari se postulant, interdumque adjuvari: sunt enim illæ malæ, ut signum, sed utiles ut causa; quo fit, ut si quovis auxilio præpediantur, eo ipso, quod sunt symptomaticæ, & pravæ, ac compressæ, eo graviora pericula minentur; quoniam est ipso jure prava humoris cujuscunque suppressio, sed pravi, maligni, & læthalis: & licet illæ utiles absolute dici non mereantur: non sunt ideo noxiæ, quod ab irritata natura concitentur; nam sæpe, (ut Valesius dixit, adductus in contrarium) quia per talos evacuationes cum difficultate liberantur; nisi ullæ tales acciderent, morerentur; quia quæ ob malignitatem à natura irritata pellebantur: repercussa & cohibita, in superiora irruissent, aut intra hepar, & magnas venas suppressa, malignius corrupta hominem interimerent. Nec est dubium, si in casu proposito, ex hypothesi, ubi acutus morbus cum simili evacuatione incideret, licet intempestiva, neque loco, nec tempore veniente, si sanguis mitteretur ex brachio, illam suppressam iri, cum mortis evidenti periculo. consulite Galenum libro de Sang. miss. 18. (hœmorrhoïdibus enim aut mensibus fluentibus sunt in pari periculo.) *Nam quæ in cubito fiunt evacuationes,* inquit, *menstruas purgationes superius retrahunt, in cruribus vero menses provocant;* & cap. 19. sequenti, ait, *cæterum si retentæ hœmorrhoïdes sint, si quidem cohibere eas voles, quæ in brachio sunt, sin provocare, quæ in cruribus sunt venæ, secare convenit; at iis, quibus repressi sunt menses, semper in cruribus.* & reddit rationem Galenus; *non enim, ut hœmorrhoïdibus quidam à malis liberantur, quidam eas habere gaudent; ita quoque se res habet in mensium purgatione: quippe immoderatæ hœmorrhoïdes hominem interimunt, at uteri purgationibus, ut quæ secundum naturam sint, tale nihil evenit;* hoc etiam Hippocrates nos docuit, in Methonis historia, dum fluxum sanguinis lentum, hœmorrhagiæ, capitis lotione adjuvaret, licet esset omnino symptomaticus: erat enim cum tenui & subnigra urina, non longe à principio; *Nam à judicio,* inquit, (hoc est à sexta die) *insomnis erat, deliravit, urinæ tenues, subnigræ, capitis lotionibus usus est; dormivit, mente constitit,* &c. In cujus historiæ Commentario, sic in Galeno legimus, *hujus te præsentissimum remedium docuit, capitis lotionem; dixit enim in libro de ratione Victus, in morbis acutis caput non lavandum esse, iis, quibus de naribus erumpit sanguis, nisi minus justo fluat; nunc vero erat justo minus, si quidem perpetuabat vigilias & deliria; at etiam quæ ducere oportet,* (1 Aph. 21. & libro de Humoribus) *eo ducenda esse, quo potissimum vergat, ad loca accommoda, recte in universum dictum,* ab

Gal. lib. de Sang. miss. 18. & 19.

Hipp. in Meth. Hist.

Gal. Comm. ibidem.

ab hoc casu fidem accipit, &c. Ergo adhuc symptomaticæ excretiones sunt per eandem viam adjuvandæ, & nullo modo per aliam vocandæ aut distrahendæ, quantumvis affectus urgere videatur; non potest enim alius urgentior advenire, quam hæc maligna febris, cum pervigilio, & delirio, fluxu ventris, & aliis, quæ Hippocrates norat; nec magis symptomatica excretio, quam quę apparet cum urina tenui & subnigra; in hoc casu, ex hypothesi, est potius Hippocrati & Galeno credendum, quam Valeriolæ docto & Valesio; non tantum quod sit apud illos potior à nobili vetustate auctoritas, sed ab ipsa rationis solertia, cui magis credendum semper existimavi.

Galen. 2 ad Glauc. 2. Et Galenus 2 ad Glauc. 2. *Vtrunque vacuationis genus*, inquit, *per communes venas fieri Hippocrates præcepit; veluti si velimus revellere à locis muliebribus vena secta in cubito: derivabis, si eas quæ in talo sunt, secueris*; quis ergo audebit temerarius, mensibus aut hœmorrhoïdibus fluentibus, quantumvis symptomatice, venas in brachio secare; contra Hippocratis & Galeni præcepta? &, quod magis est, contra evidentem & notam rationem? nam sanguinis missio ex brachio æqualiter retrahit & divertit; in natura & critica evacuatione, atque in symptomatica; in utraque enim sursum humores retrahit, contra naturæ motum, & humoris urgentiam; si pari ratione, motu contrario operatur, in sua essentiali actione: quæ est sursum sanguinem advocare, ut sursum vacuetur; erit ergo fortasse secundum rationem? puncticulas, bubones, & abscessus, quæ natura, deterrimo humore lacessita, ad loca excretioni destinata exire compellit; & mirabili certe providentia, ne membra nobilia corrumpat, alio avertere, contra naturæ ductum & inclinationem. Hoc nullus certe vir prudens judicabit, licet contrarium non esset placitis antiquorum: non ne Hippocrates 1 Aph. 21. *Quo natura vergit*, ait, *per loca conferentia, eo ducere oportet*; non dixit per contraria; forte Galenus 4 Aph. 20. *Nam pro inclinatione noxiorum humorum, non inquit, facere oportet vacuationem?* & tandem 4 Aph. 47. *Omnium deterrimas excretiones, si bene exeant, commendavit; nam excretiones*, inquit, *in febribus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ; & si bene exeant, bonæ*; satis manifeste convincitur per illam dictionem, (*malæ*) symptomaticas esse; & tales cum sint, si bene exeant, in bonis ducuntur: ex eo bene exire colligit, si credimus Galeno, quando cum ægroti tolerantia, & morbi conferentia illas exire cernimus; quantumvis symptomatice; satis igitur manifesta demonstratione convincitur, in urgenti affectu, mensibus aut hœmorrhoïdibus fluentibus, sanguinem non esse ex brachio mittendum: sed ex talo, ne naturæ & humoris motus præpediatur: quando illum adjuvare, saltem non detinere, decenseret; & si acutiei periculum, cum retentionis discrimine, æqua lance & maturo judicio perpendatur; non dubito, quin pravi & deterrimi humoris retentio, & naturæ vergentia præpedita, citius & brevius periculum afferat ægrotanti, dum super acutiem mali præexistentis pravioribus malis urgentiæ pericula adauget; quando sanguinis missione ex talo, & causa præexistentis mali, vacuatur, & humoris destinatio per vias excretioni destinatas adjuvatur; quo certè urgentiæ periculo occurrimus, & naturæ magisterio non obstamus.

Hipp. 1 Aph. 21. Galen. 4 Aph. 20. 4 Aph. 47.

Objectiones contra prædictam doctrinam dissolvuntur.

Huic tamen doctrinæ primo objicies, omnem esse falsam suppositionem in febribus, & acutis affectibus: ideo esse à sanguinis missione ex talo incipiendum, quod mesaræi venis & hœmorrhoïdalibus semper fœculentus coacervatur humor; à cujus consensu illa sanguinis omissio indicatur: ac ideo nihil argumenta convincere, quorum fundamenta in falso principio nituntur; patet instantia, in eo quod sagax & provida natura, suæ conservationis gnara, (dato, quod ita esset) hos humores, aut per vias sibi notas extrudit, aut corrigit, quæ putrida, aut resolvit, tenuia: & si quid amplius remanet fœculentum, hoc maxime putredini resistit, ut frigidum, & siccum, aut calidum cum siccitate aridum. Hæc instantia videtur ad libitum prolata, contra rationem, contra experientiam, & contra Hippocratis & Galeni decreta; &, quod magis est, contra ipsam naturæ providentiam; & studio contra dicendi potius, quam inveniendæ veritatis desiderio, quæ inter scientificas consertationes invenitur; nonne illud natura comparatum est, ut hepar quatuor progeneret humores; nonne inter illos, biliosum ad fellis folliculum separavit, peculiari fine? nonne melancholicum succum ad lienem deposuit, ut ex illo alimentum acciperet? & supervacuum postea in mulieribus ad uterum, in viris ad hœmorrhoïdales & mesaræi venas expellendum curavit, & ad fundum ventriculi; ut per vias excretioni destinatas expelleret? hoc apud omnes absque ulla controversia recipitur; & est ab Hippocrate & Galeno comprobatum, & magistra experientia convincitur; præterquam quod ex hoc fœculento, crudo, crasso, humore supervacuo, aliquando exusto, pravæ obstructiones oriuntur in pyloro, ex Dioclis sententia, in hepatis cavo, & ventriculi, lienis & mesaræi venis, ut auctor est Galenus 3 de Locis 7. quos sæpe ad naturam bilis atræ convertit, licet non exquisite, sed in ejus confinio: unde fere convincitur, sibi ipsis viam præcludere, ne possint per vias destinatas expurgari; quantumvis hoc intendat natura, & in hoc casu nihil probat objectio; quod tales humores non sint natura putrescibiles, hoc veritati & rationi glisçit: dupliciter enim hi humores putrescunt; qua calida & humida, & inculcata seu humida tantum inventilata, dum humidum interminatum à sicco, à calore extraneo separatur, & nativus corrumpitur; seu per adustionem, quæ putredinis etiam est species; nam humor corrumpitur in illa, veluti per putredinem; ideo accidentaliter à putredine differt; ustio enim, ab intensiori causa calfaciente inducitur; à remissiori vero, putredo; quantumvis ustio adjunctam habeat siccitatem; nam Aristoteles 4 Meteor. ustionem fieri à calore sicco nos docuit; quare ustio est alteratio corruptiva, quæ ad modum substantiæ terminatur: quod magis putredini resistat, quod est natura siccum, hoc non dubito; sed quod tandem putrescat, aut hoc aut illo modo, nemo inficiabitur: si omnia,

ut

ut dixit Aristoteles, præter ignem putrescunt; quod si accidat, erit necessarius & fatalis consensus, à venis, ubi humor putrescit, per vapores aut exhalationes, seu per ineffabilem proprietatem aliam, ut Galenus nos docuit.

2. Objicies, malignam, ardentem, & pestilentem febrem, anginam, & pleuritidem, posse absque ullo consensu oriri, ex sola putredine humorum in majoribus venis, aut alio determinato loco ut pleura inflammata, aut pulmone; inculpato humore in venis mesenterii adservato: quo cessat illa consensus ratio, quæ indicat à tali venis fere incipiendum; & per consequens, superior urgentia compellit, à brachii venis, absque ulla alia attentione vacuare; fateor, illud posse contingere; & nihilominus ex talo censeo vacuandum, semel saltem aut bis; quoniam in omnibus febrilibus morbis, calor præter naturam, per omnia corporis spatia diffunditur, ut ex febris definitione palam est; quo fit, ut, licet febris, aut acutus affectus incipiat, inculpatis mesaræi humoribus, sit prorsus necessarium, ut illos postea coafficiat, extraneo calore, sive ustione aut putredine, pro recipientis aptitudine; quoniam cum illi, aut loci ratione, aut propria natura, sint ad ebullitionem, sive ad putredinem parati, quia natura pravi, inutiles, inculcati, & à naturæ regimine deserti, & inde, ut à febrili calore concitentur, ut emittant vapores aut exhalationes exustas, & omnino deterrimas, quo impio consensu, aut febris intendatur, aut degeneret in aliam naturam sui deteriorem, aut nova concitent accidentia, harum exhalationum gentilitia; & longa experientia certe reor, quod hujus cautionis defectu, plerique in gravissima inciderunt pericula; quæ nulla postea diligentia potuit superare; sit nobis in exemplum, quod provectis accidit mulieribus, quibus jam ætatis ratione evanuerunt menses; nunc quærimus, quare in his, in morbis adeo acutissimis, ex talo sanguinem mittere incipimus? (hoc enim nulla non prudentia consuluit) licet in illis nulla suppressionis sit suspicio? nec adhuc uteri humores effervescant, ex hypothesi; non est alia ratio, nisi quia natura, solita ad has partes transmittere aliquid, in illis continet reservatum, quod febris occasione concitatum, aut febrem aut acutum affectum, pravo illo contagio coafficiat, quo ambo in ægroti pernitiem mutuas tradant operas; quod ut præcaveatur, prudenti consilio videtur, incipere à talo vacuare: quare nobis semper dignū prudentia videbitur, & omni ratione consultissimum, ob solum timorem rationalem ex parte inferiori vacuare incipere: ac postea, si ita urgentia postulabit, ascendere ad brachii superiores venas; in hoc enim, nec tempus, nec occasio labitur, sine fructu, & prudenti solertia medetur; Hipp. etiam adhuc, in acutissimis morborum, ex visceribus causam pro illis producendis & conservandis, ascendere, altissimo judicio nos docuit, libro de Structura hominis text. 3. hæc sunt illius verba; *Passio autem, quæ phrenitis nuncupatur*, inquit, *ex perurentibus febribus fit, vaporibus enim ex visceribus, per dorsum ad cerebrum, emissis, ejus humidum arescit, & homo mente captus efficitur*, &c. en, quæ dicebamus antea, ex visceribus nempe febris occasione, vapores calidos & urentes ascendere ex viscerum sentina, per venas & arterias, quæ perreptant per dorsum, quo cerebri humidum exarescit, & phrenitis producitur; attende etiam ad illam dictionem ex visceribus: religio enim semper Galeno & Hippocrati fuit, viscus, hepar, & viscera, quæ sub eo sunt, nominare; seu quæ in illa regione continentur.

Hipp. de Struct. homin. text. 3.

3. Objicitur, si daretur casus, ut puer, aut temperatus homo, in statu perfectæ sanitatis, ex causæ violentia, quæ hanc indispositionem superavit; incideret in malignam & pestilentem febrem, aut in alium acutorum morborum; in hoc casu non præsumitur, illa fœculenta colluvies in ventre adservata, nec mesaræi venis: in puero, quod calidus & humidus, & à tali succorum natura alienus; in viro temperato & perfectæ salutis, quia in illa ex prima aut secunda coctione, paucissima, aut nulla supersunt excrementa: & si aliqua remanent, hæc à robusta natura per vias sibi notas expelluntur; quo potissima illa cessat indicatio ex consensu deducta; & persistit illa quam consulit urgentia; quæ petit per venas communes sibi consociales proxime è directo vacuare: in febre ex axillari vena, in cæteris affectibus ex illa quæ cum parte consentit; & tunc nullius usus erit, ex talo vacuare; contra Hipp. & Gal. præcepta. Huic objectioni quidam doctus respondit, casum esse omnino metaph. non dabilem, quia nulla potest ita violenta causa esse, quæ valeat talem indispositionem superare; cum hoc fiat in tempore & per alterationem contrariam, per gradus comparatam: nos aliter sentimus, ut qui vidimus pestilentem & pravam qualitatem perfectam & robustam sanitatem subito deturbare; ut in venenis accidit; quare dicimus, quod nulla sit regula generalis ita solida veritate fulcita, nec ita stabile præceptum, quod aliqua limitatio non evertat, & aliqua non limitet exceptio; quid multum, si unica urgentia omnem methodum regularem prævertit, & ad rationalem temeritatem ducit; utcunque methodus prævertatur; ideo si talis daretur casus, quod nobis non videtur impossibile, hanc esse hujus regulæ generalis limitationem plane existimamus; nec ideo non veram esse sententiā, de sanguine ex talo mittendo in principio, in casu nostræ conclusionis.

4. Objicies, humorem impurum, crassum, & fœculentum, dato, quod ita esset, fore potius medicamento purganti vacuandum, quam ulla sanguinis missione; & quia est à natura sanguinis alienus, & quod in viis ab ipsa natura ad excretionem destinatis; huic objectioni plenissime fit satis, in nostra quæstione minorandi in principio hujus libri adducta; & ideo ad illam lectorem relegamus. Illud ultimo, prudentis cautionis dignum existimavi, nempe ab anno quinquagesimo in viris maxime debilibus, longe extenuatis, non fore à sanguinis missione ex talo incipiendum, (excepto, ubi morbus à præcedente suppressione ortum ducat) quia non tantum experientia, sed ratione constat, plerosque exhausta vivacitate ad extremam imbecillitatem prolapsos, sub hac sanguinis missione periisse: & cogitanti mihi rationem, illa se nobis obtulit, in senibus, crudorum abundantiam superesse, pauci sanguinis copiam, minimam spirituum: quæ facile aquæ calidæ balneo & fricatione exsolvuntur; quo

quo in opere, haud minus periclitatur artificis incuria, dum plus sanguinis extrahere, seu exire permittit, quam illa ferat ætatis & sanguinis laudabilis defectus; solet enim in hac ætate, utilis sanguis pravi alterius consortio defœdari, ac alimento inutilior reddi; neque potest, in magna aquæ copia sanguinis extrahendi quantitas demetiri, quin plus justo excedat; quod utrunque periculum, ex brachio sanguinis missione celebrata, vasculis præcavetur; librata ad necessitatem sanguinis quantitate: licet possit contingere, quod nos etiam vidimus accidisse: illos ex morbi violentia, aut ex malignitate periisse, sanguinis missionis nulla in eo culpa; sed in illam immerito rejecta, quæ semper infœlicitatis pœnas luit, & non salutis gloriæ; & possunt pariter errores accidere in sanguinis missione ex brachio ac ex talo, & potest esse par ad utrunque eventus, causa penitus ignorata; seu postulantis defectu, seu contraindicantis renuentia, non, ut decet librata; nec ista limitatio illam regulam generalem invertit, quoniam, id quod affectus postulat, virium defectus, ætatis ratione, & utilis sanguinis penuria non permittit.

Hæc sunt utriusque sententiæ fundamenta; hæc Galeni fuit olim sententia, secundum medicinæ principia, Hippocratis decreta, & laudabilis sane, quia illud illa ferebat ætas; nunc vero hæc est nostra opinio, quia alia longe diversa nostrum sæculum tulit: non est nova illa consensus ratio, sed recens observata: illud tantum novitatis habet hæc opinio, quod post tam longa sæculorum curricula, apud nostros recenter observetur; est tamen nihilominus æternæ veritatis; & nos, ut sapiens Galenus, classicam & probabilem opinionem condimus, ex iisdem medicinæ principiis, Hippocratis & ipsius decretis: hujus sæculi statum serio collimantes, & fideles experientias perpendentes, per omnes fere sexus & ætates; res enim ad tempora mutantur, ut homines & mores, quo novas leges nos condere faciunt; interdum prioribus contrarias, saltem longe diversas; Galeni auctoritatem magni facimus: sed de nostra ideo non diffidimus, posse consequi, quod ad probabilem opinionem viri docti desiderant. Non est ideo falsa res illa, quam Galenus non dixit: nec ideo absolutæ veritatis, quam Galenus probavit; Galenus enim & in plerisque fallitur, ut in multis sequitur veritatem, quæ illi inimitabilem auctoritatem comparavit: quo in opere illud ratum putamus, ut in rebus, quæ sola probabili ratione nituntur, non posse demonstrationem ita solidam fieri, ut aliis non supersit ratio dubitandi; nam res omnes sub aquilis & signis militant, aut solius candidæ veritatis, sive opinionis, & illæ probabilis aut falsæ; quod non tantum rerum mutabilitas parit, & incerta conditio, sed ad captum intellectus metitur, sive vera mensura, aut probabili; ut res metiri patitur: ideo non omnis vir doctus probabilis opinionis auctor est, sed qui mensura proxima veritati, res illas opinabiles metitur; ideo soli comprehensores principiorum & causarum, exactissime, quæ difficillima sunt, in sua facultate penetrantes, dicuntur sapientes, ut dixit Aristoteles 2 Ethicor. 7. & 1 Metaph. 6. 7. & 8. & 12 Metaph. 1. Cui subscribunt Severinus Martyriol. Lib. 1. de Differ. topicis S. Thomas 11 Metaph. Sect. 1. Alensis, Albertus Magnus & alii: ii enim dumtaxat sunt testes oculati veritatis, ut auctor est Aristot. 6 Ethicor. 1. ex ipsa experientia visum habent, & principia intuentur; cæteri sunt testes ex credulitate aliorum, vel ex auditu & rumore, vel ex conjecturis; quorũ mille non æquivalent in judicio uni viro gravi & perspicaci oculato testi: sunt enim prædicti sapientes, supremi magistratus doctrinæ, & controversiarum moderatores; quorum sententiæ transeunt in rem judicatam securæ probabilitatis; magistratus & jurisdictionales dicuntur, quia plus possunt imperio, quam cæteri subordinati simul collecti: & 6 Ethicorum 1. dixit Aristoteles, peritorum & seniorum sive prudentum judicio, absque demonstratione, non minus quam demonstrationibus attendendum est; & si his adsit rerum experientia, tantum abest, dixit Galenus, ut ratio dogmaticis sit usus, quo interdum ipsam rationem coarguat, ut ipsa nocere videatur; hæc diximus, ut attendatur serio, an nostra sententia classicam & probabilem opinionem reddat, quæ à posteritate insequi mereatur; nos enim in verba parentum non juravimus: in verba veritatis stetimus: nam absque ullo veritatis examine, antiquitati cedere, solius antiquitatis ratione, est ignavæ timiditatis servitus, & fatuæ ignorantiæ ultima desperatio, & in ipsa desperatione securitas. Fateor etiam, quod illorum doctrina & præceptis noster illustratur intellectus, ut majora sequatur; ideo certe cum illis inire competentiam, erit profecto indecens æmulatio; quare justitia pro sua cuique vice rependatur, in iis quæ æstimationem merentur; deferatur nobili Vetustati veneratio: in iis quæ immortalis labor, aut nostra magisteriosa diligentia invexit, nostræ auctoritati: quoniam, ut bene dixit Tacit. *Quæ nunc vetera sunt, nova fuere, & quæ exemplis tuemur, ea & in exempla erunt*; ideo forte probabilem opinionem non faciunt viri docti, & classici, in iis quæ obiter dixerunt; (alias magnæ auctoritatis:) sed in iis, quæ acriori judicio comprobata, & severiori censura collimata tradiderunt.

Tacitus.

Quare omnibus auctoritatibus & rationibus simul collectis, & pro contraria sententia adductis, sive Galeni sint, seu cujusque alterius auctoris, respondemus; illam esse generalem & communem in specie indicationem illius affectus, qui per essentiam in partibus inducitur, absque ullo consensu partium aliarum; & illam plane veram & secundum Medicinæ principia deductam confitemur; & Hippocratis, & Galeni temporibus absque ulla controversia receptam; sed temporum decursus, seculorum distantia, hominum diversitas, morum corruptio, diversa & præpostera longe vivendi ratio, longe diversa in moribus & morbis hominibus induxit, ut dicebamus antea; quod longe ab illis diversam opinionem condere, occasionem dedit, sed à selectissimis Medicinæ principiis deductam, & eorumdem placitis comprobatam: satius est enim doctrinam validis argumentis propria auctoritate fulciri; quam non satis accurato judicio antiqui auctoris sensum, in iis quæ ex propria sententia dixit, contra ipsius mentem extorquere.

Appendix præcedentis doctrinæ.

Non tantum ita solidis fundamentis hæc Catholica doctrina comprobatur: sed (uti nobis videtur) recens experientia plerosque viros doctissimos coëgit, ut, illam tanquam magis rationi consentaneam, commendarent: nam quando absoluta & exquisita revulsio intenditur, & à propositis indicationibus expetitur, semper est observanda extrema contrarietas in maxima distantia: hæc enim est exquisita revulsio; si vero expetitur revulsio simpliciter, hæc non est exquisita: & tunc sat erit, cum derivatione, revulsio à media distantia, nam in utraque servatur, humorum fluentium, antispasis, ad contraria nempe; secundum aliquam ex prædictis dimensionibus, ut dicebamus antea: quod in praxi sat erit, ut sit secundum artem, & ad Galeni & Hippocratis mentem; sic Horatium Augenium consuluisse legimus, de Sanguinis missione lib. 7. *Quamobrem*, inquit, *contrarietatis ratio duplex est: quarum una respicit extremam magnamque distantiam: alia vero non respicit extremam, sed mediam, in eadem latitudine.* Sic in revulsione generatim sumpta hæ duæ contrarietates inveniuntur: in exacta revulsione adest contrarietas simpliciter dicta; in alia vero revulsione, quam proprio nomine derivationem nuncupamus, adest contrarietas medii ad extrema; quare non sit mirum, si revulsio, cum derivatione in lateris dolore, ex sanguinis missione, ex brachio celebretur, ex talo vero exquisita revulsio.

Horat. Augen. l. 7. de Sang. miss.

Ex alio principio, non est necesse, ad sanguinis missionem ex talo imperandam, nec ut ab illa semper in fluxionibus incipiamus, ut mesaraicæ semper, aut hœmorrhoïdales humore in illis adservato causam præstent; sat est enim, quod hepar sit hujus fluxionis origo, uti sanguinis fons, & scaturigo aliorum humorum; tunc enim si ex brachio fieret, esset inevitabilis ad partem læsam tractionis occasio, sic in suffocante angina, Julius Cæsar Araneius loquitur; nam cum ipsa vera phlegmone, membrum, à quo fluxio oritur, jecur sit; utpote sanguinis officina, tantum abest, quod secta in cubito, vel manu, vena, ad contraria fluxio deducatur, ut etiam versus locum affectum, & in ipsam patientem particulam, quasi data opera alliciatur; nam vena cava ad jugulum delata in duas primo insignes distributiones, dextram scilicet & sinistram partitur, subdivisa; denique in jugulares atque axillares ramificatur; à jugularibus deinde externis gutturis vasa originem habent; cum igitur satis constet, germanam gutturis, manusque vasorum naturam esse: jugularesque sanguinem affectis angina particulis suppeditare; quænam materia dubitandi relinquitur, venæ sectionem à cubito, vel manu factam, humorem, à mandante membro, ad jugulum usque deducere? ubi autem eo pervenit, nonne ad affectam vehementi doloris sensu particulam, calore rarefactam, major ascendet materiæ copia, quam secta vena hauriatur? quapropter in eam devenio sententiam, ut morbo incipiente revulsionis gratia, nulla ex superioribus venis aperienda sit; verum ea quæ in poplite aut malleolo conspicitur; sic enim non solum ad contraria, rectitudine servata, trahitur fluxio; verum etiam & copia minuitur; nihilque ex hujusmodi sectione periculi imminet; quemadmodum in ea, de qua superius dictum est; revulsiva autem hac venæ sectione præmissa, nihil prohibet; ad eam ipsa vel postera die, si vires ferant, & morbus urgeat, derivationis gratia, cubiti venam aperire internam: totum enim hoc fieri potest, si revulsio præcesserit.

Hoc idem Joannes Heurnis confirmat, eisdem pene verbis, libro Morborum pectoris capite de angina: *Rationem si consulas*, inquit, *varia videbitur, hæc enim dicet, cubiti potius venam solvendam esse, quam pedis; non enim solum hac secta, sanguis à toto abducitur corpore, verum prolectatur aliquid à faucibus.* Sed alia ratio iterum huic obnititur, quod excurrentem succum ad repagula revocare semper decet, ineunte affectu rheumatico; fons autem phlegmonis jecur est, sanguinis nimirum officina; sed cum collum obsedit phlegmone, an tunc, secta manu, vel brachii vena, rheuma illud concitatum, ad contraria flectetur? non videtur, imo potius eo vocabitur; nam vena cava in jugulum delata, primo in binos magnos scinditur ramos, lævum & dextrum; subdivisa denique in jugulares, atque axillares distribuitur; à jugularibus deinde externis laryngis vasa ortum ducunt; an igitur secta in manu aut brachio vena, non subvehet sanguinem ad jugulares? si ita, an non vicina laryngis pars dolore vexata, ac calore rarior reddita, prolectabit maximam sanguinis copiam? quare ratio dictat ineunte malo, cum revulsioni studemus, vena feriatur, poplitis aut malleoli, cujus sectio hic periculi est expers; ubi itaque irriguum corpus sanguine circumfluit, sive hoc evenerit à solemni aliqua evacuatione suppressa, sive naturæ vi; primum secetur vena poplitis, aut malleoli: qua revulsione facta, veniatur, eadem die, vel postridie, urgente morbo, ad cubiti venam, vel cephalicam; atque illico post, ad venam linguæ veniendum; si ab ante acta sectione non sedatum fuerit malum.

Iohann. Heurnius, lib. de Morb. pect. cap. de angina.

Cum ex frequenti observatione perpendissem, quare in prima aut secunda sanguinis missione ex talo, morbus, quantumvis acutus, citius & brevius levaretur; quam sæpius sanguinis missione iterata ex brachio; in hanc veni sententiam, hoc ex duplici principio venire; & quia citius & brevius illa plenitudo deponitur, quæ in mesaraïci venis adservatur; ex qua præcipuus affectus, aut oritur, aut consensu fovetur; vel, secundo quia longius ab hepate, ut à fontis principio, revellitur; quo consensus occasio intercipitur; & maxime, cum, in mea sententia, sit æqualis distantia à jecore, ad venas tali, ut ad brachii venas; & non sola distantia æqualis, sed æqualis etiam venarum amplitudo; quo pari celeritate, ab hoc aut illo loco vacuatur, & corpus universum inanitur; hoc ad literam nos Trallianus docuit, & nostram certe sententiam confirmat, lib. 1. c. 15. de Melancholia titulo Curatio: *Quod si à brachio vacuatio fieri nequit*, inquit, *tentandum est eam à poplite, & tali partibus moliri; & hoc magis in mulieribus. nihil igitur minus juvabis, ex quacunque parte sanguinem detraxeris: cum etiam omnia simul vacuentur: quemadmodum divinus Hippocrates ait, confluxus unus, conspiratio una, omnia consentientia*; & lib. 7. cap. de Rejectatione sanguinis: *Iuvat*, inquit, *ipsos*,

Tral. lib. 1. cap. 15. de Melanch. tit. curat.

ipsos, nihil minus etiam, ex imis corporis partibus sanguinis detractio: novi autem ego, me, cum venæ cubiti in conspectum non venissent; etiam ex venis in talo sectis, sanguinem demisisse, & multo magis profecisse; nam materiæ ad longinquiores partes provocatio, firmiorem multo revulsionem efficit, &c. de quo certe nulla potest alia ratio assignari, quam superius dicta.

Et fortasse eisdem observationibus edocti neoterici; aliquid super antiquas addiderunt; nam hanc eandem videntur confirmare sententiam. Legite Horatium Augenium, lib. 7. de Sang. missi. 11. *Ad hæc vero*, inquit, *cerebrum apoplexia laborans, vel epilepsia, vel scotomia, postulat in partibus maxime distantibus, ut in tibiis secta vena, sive præservare, sive curare voluerimus, vacuare, modo ingens adsuerit in toto corpore plenitudo.* Sic qualiter, & minori cum periculo, inferiores venas, sanguinem infectum vacuare, Rafael Moxio existimavit; nam lib. 3. de Acut. Morb. Curat. per venæ sectionem; sic infit ipse: *Nulla igitur ratione credendum, plenitudinem venæ cavæ exactius tolli, cubiti interna vena secta; quam crurum; hoc enim esset omnino anatomicam doctrinam ignorare*: id quod etiam Horatius Augenius 3 Epistol. vel ab ipsa experientia confitetur: *Neque facile, concesserim tibi*, inquit, *plenitudinis affectum, facilius ex supernis, quam infernis partibus exhauriri: nam, quemadmodum cava suos emittit ramos ad cubitum, ita in duas præcipuas, maximasque partes deducta ad crus utrunque pervenit*: quod nos etiam exactissime, in harum venarum Anatomia dedimus comprobatum: non tantum in peculiari & acuto affectu, sed & in omni febre, securius & minori dispendio virtutis, dum fit sanguinis missio; quod Daniel Sennertus, ratum & omni ratione fulcitum existimavit. lib. 2. de Feb. cap. 5. *Major vero*, inquit, *est utilitas venæ sectionis in pedibus, præcipue si simul revellendum sit: nam si vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor & vigiliæ infestent, commodissime, & cum summa utilitate vena in pede aperitur, quæ evacuat, revellit, minusque vires dijicit*, &c.

Hor. Aug. lib. 7. de Sang. miss. 11.

Raf. Moxio, lib. 3. de Acut. morb. curat. per venæ sect.

Augen. 3 Epist.

Dan. Sennert. lib. 2. de Feb. c. 5.

Et ad instantiam esse potiori urgentiæ succurrendum in morbis ubi fluxio à partibus superioribus incipere videtur: velut in pleuritide, lethargo & similibus, est plenissime antea satisfactum: nam adhuc in hoc casu, urgentiam adjuvare partes inferiores, si turgent melancholico, gravi, & fæculento succo, mihi non est dubium: hæc enim sentina, ab extraneo calore concitata, suos mittit vapores & exhalationes, si non humores etiam, periculum superioris morbi adaugetur; & hoc secundum omnia Medicinæ principia prævacetur, sanguine ex talo misso in principio: & secundo, quia venæ inferiores æqualem magnitudinem habent, ut per illas corpus universum vacuetur: & tertiò, quia, ut antea monstravimus, æque distant trunco, ab hepate, nempe & à cava, uti superiores, quo æque possunt urgentiæ succurrere; demitto etiam, ex hac inferiori vacuatione nullum esse periculum: ex illis enim securissime, rheuma jam concitatum revellitur, & ab illa sentina vacuatur; & à brachii venis in principio, hoc concitatum rheuma, ad partem læsam trahitur: quo non ita celeriter urgentiæ succurritur, ut communis præsumptio, non ita certa, suadere conatur.

Ob impressionis brevitatem præcipitem, nec potui nec volui transcribere quæ superioribus in observationibus protulimus: aliquando nempe à venis brachii sanguinis missionem esse incipiendam; nunc dicimus, in omnibus esse observandum quod nostris conclusionibus demonstravimus: & maturo judicio perpendimus. Licet in præcedentibus plerisque ex brachio incipiendum duximus; illud enim hoc tempore, non tam severo & maturo veritatis examine, sed prout antea novimus, protulimus; quare illa ut ista in hoc sensu relegenda censemus.

Quod etiam crassus, impurus, pravus, & fæculentus humor, aut adustus aut crudus, habeat sui ortum in hepate, & exinde ad mesaræi venas deferatur, veluti ad sentinam, & ad locum illius excretioni deputatum, uti bilis ad folliculum fellis, ad intestina cruditas, & laudabilis sanguis ad ipsam venarum regionem: Galeni est expressa sententia, lege illius Comment. ad 4 aph. 21. *Qui incipit dejectiones nigræ*, &c. *Bilis hæc nigra*, inquit, *de qua sequitur, exquisita non est: nam neque acidum habet, neque fermentat terram: verum veluti sanguinis limus, & fæx vini: hæc tamen si diu in corpore morentur, neque per aliquem sedibilem effluxum, vel occultum excernantur, verum transmutetur & putrescat, fit nigra bilis exquisito: antequam vero hæc genita sit, trahit eam lien, hepar expurgans, abutiturque hoc melancholico succo ad sui nutritionem; & quam rursus ipsa fecerit superfluitatem totam expellit ad ventrem, una cum aliis superfluitatibus excernendam. Siquidem igitur, neque splen bene expurgaverit, & ille qui in hepate sanguis continetur, multum limosæ superfluitatis habuerit, accrescit debilitas in viscere, ut in ipso illas continere non possit; & tunc illæ quæ vocantur, nigræ excretiones fiunt*, &c. Duo manifeste ex hac Galeni sententia constare arbitror: fæculentos humores in hepate semper generari; & illos ad ventris regionem, naturam duplici fine deponere: & ut sanguis nutritioni aptus depuretur; & ut superfluum & omnino inutile per ventris regionem expurgetur, per cavitatem, nempe pars illa quæ ad illam delabitur; per mesaræi venas, aut hæmorrhoïdarum, quod in illarum cavitate adservatur; hoc invenias in illo Galeni Comment. si illud attente legeris, & 3. de Symp. Caus. 2. Dum de illo nigro & fæculento sanguine loquetur, in hepate progenito: *Cum ergo*, inquit, *id recta progredi nequeat, ex quavis causa*, (nempe obstructione) *necesse est, ut retro ad ventrem recurrat.* Hoc ultimò demonstratione convincetur: nam si malis, ab illa multitudine ortis, naturæ vacuatio medetur, per ipsam ventris inferioris regionem: seu per cavitatem, seu venis dehiscentibus, mensibus aut hæmorrhoïdibus provocatis; sic ergo pariter sanguinis missione ex talo, in illis, qui adhuc intra venas putrescunt, ad naturæ imitationem pari securitate, vacuabuntur: par enim est in utroque auxilio indicatio: par etiam in utroque necessitas, ad artis principia librata; & secundum humoris lationem, & naturæ vergentiam.

Gal. Comm 4 Aph. 21.

Gal. Comm. 3 de Sympt. Caus. 2.

Et si hoc est utrique sexui commune, & in omni ætate hos humores perducere, & huic naturæ legi obediri; ut crassi & fæculenti succi generentur in hepate, & ad partes infra jecoris regionem deferantur: per illam expurgentur: in illo, cui vetera subest mirari, & recentia ægris oculis,

oculis. Introspicere, cedat rationi admiratio; quando in infantibus, juvenibus, adultis, & senibus viris, & mulieribus sanguinis missionem ex talo in omnibus pro sua cuique vice, semper auxilio futuram, nos existimare audit: dum libratur indicatio secundum suæ latitudinis gradū: nam magis adaugetur adultis viris & mulieribus, magis vitæ intemperantibus, melancholicis, seu deditis luxuriosæ vitæ: quia magis in illis de illa fæculenta colluvie cumulatur; minus in pueris & vitæ temperantibus, & qui de prospera salute repente in morbos inciderunt: quia in his minus præsumitur de hac prava colluvie cumulatum; licet nullus immunis ab hac labe persistat in toto vitæ cursu: quoniam in nullo est status, in quo hepar quatuor humores non producat, & inter illos crassos & fæculentos, qui postea aut crudi, aut adusti redduntur ex eventu: ut hos ad ventirs regionem deponat, per illam expurgandos: neq; illud negari potest: hanc superfluitatem esse omnibus communem; hoc enim manifeste colligitur ex Gal. in præcitata sententia; & ipsa ratione ipsum evincitur: hoc in omnibus liquidis, quæ constant ex diversis substantiis, ipsa natura docet, crassum semper in fundo residere, ut depuretur tenue: *Hæc*, (dixit Gal.) *si diu in corpore morentur*; (non valent enim in omnibus ad libitum excerni) *neque per aliquem sensibilem effluxum, vel occultum excernatur, verum transmutetur & putrescat*; (hoc etiam accidit necessario, inculcatis ventilationis defectu) *fit nigra bilis, ex cujus parte utili lien alitur*; *& quæ rursus remanet superfluitas, jam omnino inutilis totam ad ventrem pellit excernendam*; quod si accidat, ut hæc limosa superfluitas, exitu denegato, non expellatur, hæc retenta, per se aut per consensum, aut fovet, aut producit morbos, qui ex ipso, aut alio principio oriuntur: nam ex affectu denuo orienti, (licet ex alio principio & ex alio foco) pravus & fœculentus humor commovetur, & saltem ex communi consensu; non potest non, aut præexistentem affectus magnitudinem adaugere, aut illam suo pravo contagio coafficere, & necessario deteriorem reddere; ex quo sane consultissimum erit, prius illam inferius cumulatam multitudinem deponere, sanguinis missione ex talo, ne urgentia superius affectus illius consensu augeatur, aut fiat forte insuperabilis.

Galen.

Uberior doctrinæ traditæ confirmatio; Antiquissima, Ægyptiorum, Medicina.

Apud antiquissimos Ægyptios, inventam hanc medendi rationem, tradit Prosper Alpinus; Medicus olim Cayri, Ægypti metropolis, in libro de Medicina Ægyptiorum cap. 1. quo in opere, videntur illi homines, ab ipsamet natura edocti; vel ab ipsis etiam animalibus. Nam de hippopotamo, & equo marino, in Ægypto, apud quosdam legitur; (est etiam animalibus ipsis ars morbos curandi insita; unde in medendi parte equum magistrum esse, non est certe à vero aliena traditio) in Nilo flumine degente, dum, assidua ingluvie & satietate, se obesum persentiscit, quod exit, in littus, indagaturus arundinum texturas, atque ubi acutissimum earum stipitem invenit, id in corpus adigens, venam quandam sibi in crure vulnerat: atque ita profluvio sanguinis excitato, morbosum alias corpus exonerat; mox plagam rursus limo obducit; quo sanguinem protinus sisti novit.

Ex hac historia, hoc quod dicitur, attentione particulari dignum omnino existimavimus, (*venam quandam sibi in crure vulnerat*,) quandoquidem sint aliæ plures tota corporis mole; tamen ex illa vena, loco decliviori sita, corporis plenitudo melius hauritur; & citius levatur. Si itaque bestias in illa orbis parte, Natura medicinam docuisse creditur, hac mirabili via: ecquale nam de hominibus, isthic loci, ratione & discursu præditis, judicium ferendum fuerit; & maxime, cum apud illos, primas artes & scientias ortum traxisse credatur, & ex antiquorum monumentis comprobetur? idque eo magis, quod priscis illis sæculis, Platone attestante, Ægyptiis plurimis doctissimisque medicis semper floruerit?

Usque adeo familiaris est sanguinis missio Ægyptiis, (ne materiæ discursusve nostri fines transiliam) ut non modo in magnis acutisque morbis; sed & in parvis non minus eam adhibeant; in omnibus plethoram fere præsumentes, licet nulla sit. Adde quod hoc auxilii genus multum refrigerare experiantur; ideoque omnibus fere morbis illud opportunissimum arbitrantur; cum judicent, omnes morbos, à calida sui cœli intemperie oriri; proin in omni morbo ea utuntur; qui à calida causa ortum traxit. Nec etiam minus obstructis & hydropicis in illorum principio eam adhibent; ut Prosper Alpinus, testis oculatus, in illa civitate medicinam faciens, adnotavit; lib. 1. cap. 2.

Et quantum etiam sectis venis, hi medici, sanguinis vacuent, nihilo minus familiarius, cruribus, antiquorum more, scarificatis, mittere sanguinem consueverunt; in pinguioribus maxime, albisque corporibus, eunuchis, mulieribus puerisque; minime tamen, Ægyptii medici scarificatis cucurbitulis ad dorsum, corpus universum posse vacuari, contendunt; quod dorsi venæ capilares maxime sint, & non ita recta à vena cavæ, venæ illæ accedant, quam crurum venæ, quæ iis longe grandiores, cum maximis venis, à vena cava rectius ad crura procedentes, in suras sparguntur; hæc de illis Alpinus memoria mandavit, lib. 2. cap. 7. & 15.

Ad hoc auxilium, (crurum nempe scarificationes) Ægyptii in omnibus morbis, ab humore calido orientibus, veluti ad sacram anchoram confugiunt; neque id immerito; cum tot ac tantas habere ad sanitatem vires, sæpissime sint experti: *Miror ego nostrates medicos*, dicit Alpinus lib. 3. cap. 3. *tam utile, atque à multis doctissimis Græcis & Ægyptiis medicis antiquis, ad morbos profligandos, hominesque ab iis præcavendos, adeo laudatum auxilium, non melius agnoscere, atque in frequentem usum non revocare*; *ego enim ab Ægypto in patriam reversus, multos scio ægrotos, crurum scarificatione, more Ægyptiorum procurata, sanitati restitutos. scis etenim, postquam in Italiam perveni, me perpetuo optima Ægyptiorum vestigia, in medendo sequi voluisse*; *præsertimque in sanguinis evacuatione molienda, maxime in usu crurum scarificationis*; *quod mihi fœliciori cum successu evenit*; hæc sunt ex lib. 3. cap. 4.

Alpin. lib. 3. cap. 3.

Et primus quidem omnium, cui eo modo sanguis

guis fieret vacuatus, puer erat, annos decem natus, qui duplici tertiana correptus, cruribus ambobus scarificatis, & educto sanguine convaluit. Paucis ab hinc mensibus, ab hujus pueri morbo, mulier ætate sexagenaria, hepatis pessima inflammatione laborante, dolore & tensione hypochondrii, siti magna, difficili respiratione, lingua nigra & arida, vena dextra in cubito secta, in syncopem prolapsa, ne misera mulier neglectis remediis moreretur, (malleolorum sive crurũ scarificationem plus boni quam venę sectionem pręstare ei posse, judicantibus nobis) cruribus scarificatis sanguis ad librę pondus commode eductus est; quo facto, ilico melius habuit, nocte dormivit; melius ręspiravit: atque adeo febris minui inde cœpit, ut die 14. fere libera fuerit, & 17. tota convaluerit. Post hanc aliam vidi, in eadem ætate, febre acuta continua, correptam, intenso dolore capitis, assidua vigilia, delirio, & alismo implacida; cui die 3. præmisso clystere, ambobus, profundis incisionibus, cruribus scarificatis, sanguinis libra, & plus fuit educta, à qua mulier melius statim se habuit; dieque 7, à febre libera evasit. Puer etiam 12 annorum, cum febre surdus omnino factus, scarificatis cruribus, & plurimo sanguine vacuato, statim auditum recepit, paucisque diebus post à febre convaluit. Duæ itidem eo tempore puellæ decumbentes, in pestilentem febrem delapsæ, ea scarificatione adjutæ sanitatem brevi receperant. Multi præterea ab utilitate hujus remedii persuasi, illud absque ulteriori difficultate ultro amplexi sunt; medicis acquiescentibus; quod idem etiam fecisse legimus, Amatum Lusitanum, 1 Centur. Cur. 18. in ulceribus oris; nam, præter multa alia quæ secum affert commoda crurum scarificatio, materiam à corpore redundantem minuit, & caput à dolore & malis affectionibus liberat; & 2 Centur. 58. de alio puero, sic loquitur ipse: *Filius Barbosii, natus annos 9. cum febre continua, inter medicos consultum est, pro ejus salute de sanguinis missione: primoque, à surarum scarificatione ceptum fuit, qua vel tantum illico sanus est factus.*

Amatus Lusitanus 1 Centur. Curat. 18.

Sanguinis vacuationem, per crurum scarificationes, factam, ei quæ venæ sectione fit, admodum similem esse, cognoscitur, (Alpinus ad huc) *quantitas enim sanguinis, per ejusmodi scarificationes educta, vel eadem omnino est, cum ea quæ vena aliqua secta educitur, vel saltem ei proxima:* Libras sanguinis per eam vacuari, testis est Oribasius, in se ipso expertus: Galenus etiam 2 Aph. *Vacuationem per malleolorum, vel crurum scarificationem, dixit proximam ei esse, quæ fit per venæ sectionem*; & hoc lente absque ulla violentia facit: & aqua dulci calefacta benigne; ut critice, aliquando & à natura cernitur; quo in opere, ars ipsa naturam imitatur: nec sit id mirum, quia suræ cæteris aliis cutaneis partibus, tum numerosiores venarum ramos, tum grandiores obtinent: ex quibus scarificationibus, multis venis dissectis, copiosior quam ab aliis sanguis exit, ut interdum æquet sanguinis missionem: sic enim legitur 2 Aph. 17. *Vacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem: proxima autem huic illa est, quæ fit per malleolorum scarificationem:* quod 4 de Sanit. tuenda 4. confirmavit his verbis: *Si virium robore, vires lassitudine constant, an cum sanguinis copia; an crudi sint, considera: nam, si cum sanguinis copia; aut vena incidenda, aut aliquid quod tantundem valet, agendum est: sane tantundem possunt hæc: quibus hæmorrhoides sunt retentæ, si has aperueris: si mulieri menstrua consuetudo cessavit, hanc si provoces: si horum nihil est, malleolos scalpello incide*; hanc veritatem novit Galenus quando 13 Methodi dixit: *Manu laborante crus scarificando, non tantum quod revellendo juvat, sed quod ad necessitatem satis vacuat:* Ut etiam libro de hyrudinibus; hoc in se ipso expertum, testatur Oribasius: confirmavit Antylus; ac tandem Apollon. Hipp. decreto: & tandem concludit Alpinus: *Hæc sufficiunt, ex Gal. Apollonio, Antylo, Oribasio, pro demonstranda hujusce scarificationis malleolorum, cum venæ sectione convenientia.*

Galen. 2 Aph.

2 Aph. 17.

4 de Sanit. tuend. 4.

Galen. 13 Meth.

Alpinus.

Ex his sane constat, crurum scarificationem, esse vicariam sanguinis missionis. Liquet etiam, illam in omnis febris genere, & acutis affectibus, partium superarum esse præsentaneum & æquale auxilium: ergo sanguinis missio ex cruribus, ex venis grandioribus, loco & tempore celebrata, potiori ratione, erit nobilius & promptius auxilium: nam à majori ad minus, bene valet argumentum; cum Galenus dixerit: *Scarificationem esse vicariam sanguinis missionis*; hoc est, illam in auxiliandi ratione æmulari, in copia sanguinis vacuati, & in evacuando & revellendo, & rheuma concitatum & consistens, æquali parallelo: nam Galenus, evacuationem omnium esse exquisitissimam dixit, quæ fit per venæ sectionem; huicque proximam esse, quæ per malleolorum scarificationem; si ergo sola malleolorum scarificatio, ita proficua censetur, in febribus, capitis, & thoracis affectibus, & aliis acutis, eò tantum, quod sit vicaria sanguinis missionis, & illud à principio, ut vidimus, ex allatis historiis; quanto potiori ratione, erit sanguinis missio ex talo, & ex trunco venarum celebrata? hoc enim non sola ratione convincitur.

Procedit Prosper Alpinus lib. 3. cap. 9. *Ægyptii crurum scarificatione, velut ad sacrum auxilium confugiunt, in omnibus febribus putridis; in principiis: uberiorem sanguinem hac via demunt; in puerisque nullum remedium apud eos est usitatius, atque magis expertum.* Hujus utique præsidii usus frequentissimus est, ad omnes febres putridas, in quibus sanguinem convenit vacuare vena secta; quandoquidem vires ex illa minime patiuntur: potissimumque in continuis, acutis, malignis atque pestiferis: est enim illa magnæ utilitatis vacuatio, quæ per venas inferiores fit; quoniam simul vacuando plenitudinem, à nobilibus partibus ad ignobiles noxios humores avellunt, caputque maxime ex illa juvatur: (quo nulla est excusatio, in urgentia, si citissime urgentiæ succurrit) ita ut non facile sit postea, in vehementes assiduosque dolores, vel diuturnas vigilias, deliria, vel phrenitides, vel in alia symptomata, ab ejusmodi evacuatione aliquem incidere; neque eo modo vacuatis, ita facile hypochondria tenduntur, aut inflammantur; neq; ita sunt obnoxii alismo impatienti; cordisque angoribus, respirandi difficultatibus, aliisque viscerum læsionibus, quæ in febribus acutis, malignis, pestiferisque accidunt: mirifice igitur in his febribus id auxilii prodest: nam liberat internas partes, noxios

Alpin. lib. 3. cap. 9.

ſuccos ad crura ſubtrahendo, & , quod magis eſt, quod à partibus nobilibus ad ignobiles, ad naturæ imitationem, (dum operatur critice) humores attrahit; perpetuo enim ipſa non poteſt humores, vel reſolvendo conſumere, vel foras rejicere; & interim ſat ei eſt, humorem à viſceribus ad quædam ignobilia loca projicere; veluti illis accidit, quibus poſt longas febres, dolores & tumores inducit.

Proſper Alpinus, lib. 3. cap. 10.

In omnibus etiam internis inſlammationibus, frequentiſſima ac tutiſſima eſt hæc crurum ſcarificatio apud illos; in peſte, ad hanc ſanguinis evacuationem, tanquam ad ſacrum & divinum auxilium, confugiunt, ob ſupradicta commoda, evacuationis & derivationis à nobilibus membris; illud tamen in peſte, peculiare Ægyptii faciunt, tribus, ad ſummum quinque, ſcarificationibus, longis tamen ac profundis, in peſte adminiſtrantur: quæ non ſolum in principio copiam ſanguinis tollunt, ſed toto morbi tempore, cum hæ apertæ reſerventur, noxios humores ad eam partem trahunt; & evacuant; quod in curanda peſte nihil utilius deſiderabiliuſque eſſe putarim: nam venenum evocat ab internis. Ætas huic auxilio accommodata eſt infantia, juventus, atque ætas ſenilis, & in utroque ſexu; infantes, vix annum nati, ad hoc auxilium ab iis admittuntur; ſed non niſi in pueris magno morbo correptis; & ex temperamentis, in calidis & humidis, frigidis & humidis magis prodeſt, quia ſanguis tenuior: in calidis hirſutis per venas magis in uſu eſt; & in hoc Galeni ſententiam ſequuntur; de Sang. miſſ. 11. *dum albas mulieres ſcarificationibus magis curare docuit; nigriores vero vena ſecta: quia craſſior ſanguis, quam per exiles venas valeat transſcolari*; hæc Proſper Alpinus de Ægyptiis narrat, lib. 3. cap. 10.

Supplere ſanguinis miſſionem ſcarificatis cucurbitulis, aut hyrudinibus, etiam illis in uſu eſt, ſed non ita frequenter; & quidem imbecillioribus tantum, cum non judicent poſſe illis corpus univerſum vacuari. Contrarium hujus nos vidimus in peſte Hiſpalenſi: hyrudinibus nempe ſcarificatis cucurbitulis corpus univerſum à ſanguine exhauſtum, ita ut nullo poſſit cohiberi ingenio; ideo omnium ſecurior nobis ſanguinis miſſio videtur, quacunque tandem vena fiat; nam craſſior & magis infectus ſanguis per illam vacuatur; & ad libitum etiam retinetur: quod aliis non accidit. Modum ſcarificandi apud Ægyptios Proſper Alpinus docuit, lib. 3. cap. 8.

Idem, lib. 3. cap. 11.

Non tantum ſcarificationes Ægyptii inducunt in ſuras & malleolos, ſed hoc etiam auxilio utuntur, in inflammationibus & doloribus longe perſeverantibus, aliis evacuationibus peractis, veluti in pleuritide ſuper dolentem locum, Traliani exemplo; in pulmonia, eo loco ubi magis incumbit inflammatio: & jecore inflammato, in dextro hypochondrio; liene, in ſiniſtro; multumque ſanguinis emanare ſinunt: & ubi in inflammatione, de gangræna timetur: aut indurato ſcirrho; podagricis doloribus ex ſanguinis confluxu; digitos dolentes etiam ſcarificant: & vulneribus ubi cicatrix difficulter inducitur; & in morſis ab aliquo animali venenoſo, ut à vipera, aut ab ſcorpione: quibus etiam & cum noſtris conſentiunt, à principiis Medicinæ edocti; hæc ſunt ex lib. 3. cap. 11.

Idem. lib. 3. cap. 12.

In coxendicum dolore; uſtione utuntur, potius quam ſcarificatione, ubi cauſa & frigida & humida dolorem concitavit; non ferro, & non auro ignito; ſed goſſipio, lineo panno incluſo, & filo ſerico alligato, hoc enim accenſo, & ignito, partem dolentem urunt, ſed non in recenti, ſed antiquo dolore: urunt etiam loca illa per quæ humor excurrit, ut, factis venis anguſtioribus, præpediatur tranſitus confluentis humoris, veluti in temporibus, in antiqua fluxione oculorum, in podagra & chiragra; & in omni articulorum laxitate & imbecillitate: nam robur exinde comparatur, membro maxime muſcido; ideo his utuntur, epileptici, paralytici & apoplectici: & in omni fluxione oculorum & dentium, tempora inurunt; tipſicis & ſuppuratis uſtiones inducunt, in ipſa pectoris regione, ut etiam aſthmaticis antiquis: & nos alium vidimus priſtinæ ſanitati reſtitutum, in hydrope, ſub hypochondrio ſiniſtro: in tumoribus crudis, velut in ateromate, uſtione utuntur, pro ſecreto: & eſt certe antquiſſimum & utile auxilium: hoc enim uſum legimus, Polybium & Hippocratem, in ſecundo de morbis in uſtione capitis; & 7 Aph. 44. Paulum lib. 3. cap. 77. Ætium, lib. 12. cap. 25. Et hoc tandem auxilio Ægyptios frequentiſſime uti, nos docuit Alpinus lib. 3. cap. 12.

OBSERVATIO.

De iſchiadis dolore in domina Duciſſa de Gueſcar, & fatali unguenti de Mercurio violentia.

Hiſpali, anno Domini 1654. in Julii principio, domina D. Anna de Belaſco, Comitisſtabilis Caſtellæ filia, Marchionis de Villa nueva uxor, duciſſa de Gueſcar, (non eſt enim poſt Hiſpaniæ Reges inter proceres familia illuſtrior) profuſa & importuna uteri hœmorrhagia, in extremum debilitatis agitur; fonticulus, quem antea in crure deportabat, exſiccatur: inde dolor coxendicus incepit in iſchia, cum febre majori moderata, is in dies diu, noctuque inceſſanter, ad clamoſam aſcendit, inſomnem ducit ægram: iſchiadicus dolor à doctoribus, affectus curationi deputatis, gallicus plane exiſtimatur, & præſumptione ſatis valida, & , ut talis medetur, regulari & docta curatione, ſed validioribus auxiliis obſiſtit, quo conſilium fuit, iſchiam unguento de Mercurio, partem ſingulari unctione inungere, (aliis auxiliis ſine fructu tentatis) quo ita profuſa diarrhœa concitatur, ut à violentia medicamenti deſiſtere neceſſitas compulerit: rejicitur ergo unguentum, & aliis auxiliis contra doloris inſolentiam inſiſtunt, ſed nullo ex illis comparato auxilio: qua ancipiti alea, tribus peritioribus civitatis chirurgis accerſitis, & tres illi docti medici (qui præerant antea curationi) de univerſali Mercurii unctione deliberant; in hoc ſtatu, nos vocant in conſultationem, & doctorem Didacum de Valuer de Oroſco, ac deciſionem auxilii, inter illos jam jam deliberatam, nobis amplexandam proponunt: de qua vero ſic effari non dubito.

Veſtram ſequi ſententiam, ut virorum illuſtrium, & qui longa in medicina ſtipendia meruerunt, & unius cujuſque ſalva conſcientia, ſemper mihi honeſtum & decoroſum eſſet; re tamen altius collimata, veſtræ deciſioni aſſentiri non debeo; primo, quia illud mihi ſemper habui perſuaſum, & longa rerum experientia fulcitum, hujus auxilii violentiam illos tantum effugere, qui illam ſuperiori & valida virtute ſuperarunt;

non

non eſt enim quæcunque virtus auxilio æqualis, ſed omnium, (naturalis, nempe, vitalis, & animalis) validiſſima: at omnes in hoc caſu deficiunt; vitalis nempe, quod pulſus, ſi non omnino languidi, pene apparent debiles: animalis, quod duobus ab hinc menſibus inſomnis, longo & clamoſo dolore, laceſſitur, ſpiritibus omnino exolutis; ut vox (quod vos ipſi auditis) jam pectori adhæſerit: naturalis, quia extrema pene atrophia laborat, & omnino nutritionis membra jam collapſa ſuo cujuſque opere videntur: in hepate enim eſt ſanguificatio omnino depravata, ut in colore defœdato apparet; ſtomachus importuno dolore ſuum opus non edit; ac univerſalis nutritio fruſtratur; quo nobis omnino videtur impoſſibile, poſſe tantam ferre effrenis auxilii violentiam: hoc etiam validiſſima ratione convincitur; nam, ut ex veſtra relatione conſtat, ſola peculiari loci affecti unctione unguento de Mercurio, tam profuſa diarrhœa concitatur, ut omnes periculo turbaret, quo mox ab unctione deſiſtere prudens judicatur conſilium: ſi ergo totum corpus univerſali unctione ejuſmodi unguenti tractatur, quis nos ſecuros reddet ab eodem diarrhœæ periculo? & magis præſentaneo, majori quantitate mercurii intra corpus ebibita, quo major neceſſario concitabitur irritatio & minori corporis reſiſtentia, unde nobis inevitabile periculum videtur; & ſi (ut ex veſtra etiam relatione conſtat) coxendicus dolor, licet gallicus, mox à fonticulo ſuppreſſo ſuboritur, quis dubitat, quin eo provocato & fluenti medeatur? ſi verum eſt quod Avicenna dixit, & ante illum ipſa dictavit ratio; & ſi ſuppreſſio alicujus evacuationis eſt morbi cauſa, ipſius reditio eſt morbi medela: & ultima ſit ratio, ex impedientibus hoc violentiſſimum auxilium, eſſe febris non inferius; hæc enim neceſſario ad humorum commotionem intenditur, ſi præeſt; &, ſi nondum incepit, concitatur; & hac mercurii colliquatione æger ad tabem ducitur, & maraſmum, à quo recurſus pene eſt impoſſibilis.

Et veſtris argumentis reſpondere nec arduum nec operoſum erit; dicitis enim, quod ubi ratio non reſtituit, temeritas adjuvat; & in hac domina nulla auxilia antea profuiſſe, imo ad mortem tendere doloris immanitate & ſævitia, importuno & fatali pervigilio: dicitis ſecundo, quod febris gallica non tantum non impedit auxilium, quin imo quod hoc ſolo medeatur, gallica lue extincta aut expulſa: & tertio, quod humor intra iſchiæ cavitatem compulſus & impactus, nullo alio auxilio eſt ſperandum cedere; & fateor, & vobis certe fateor, quod ab extrema deſperatione extrema indicatur temeritas, ſed illa eſt tentanda, ubi potior ſpes, quam deſperatio nos ad illam temeritatem ducit; nempe quando vires talem temeritatem ferre poſſunt; nam ſi morbus medetur, & vires una concidunt, eſt potius imprudentiæ tribuendum auxilium, quam artis magiſterio; nam ars ſemper ſanare intendit, non ægrum in præcipitem dare; & quod febris ſit ex impedientibus, potiſſimum vel exinde convincitur, quod adhuc gallica extincta lue, ſi febris per ſe ſola altius radicatur, in valde morbo extenuatis in habitum verſa hectica comparatur, & non medetur lues; quod quotidie mille probant exempla: & ad humorem in iſchia impactum ſunt unguenta uſu & experientia comprobata, & minoris periculi, nec tantæ violentiæ; ut illud de quo Donatus Antonius ſcripſit, ℞. ſucci foliorum rutæ, ſambuci & calaminthæ an. ℥j. bdellii opoponacii amoniaci, aceto diſſoluti an. ℥ß. pulveris de oſſibus humanis ℥ij. myrrhæ, reſinæ therebintæ an. ʒiiij. cremoris ſeminis altheæ, lini, fœnug. an. ℥j. farinæ hordei, fabarum lupinorum an. ʒvij. picis & ceræ quod ſat ſit, ad emplaſtrum. ſin minus, hoc prius experiri nobis videtur, conſultiſſimum eſſe, quod Hiſpali vulgariter dicitur, *del Doctor Placa*, quod & ille accepit à *Doctore Hidalgo*, in antidotario generali, fol. 112. quod recipit olei ſcorpionum ℥iiij. olei veteris communis ℥v. ceræ novæ Hiſpanæ ℥iiij. raſuræ cornu cervi, ℥jß. aceti veteris albi ℥x. ferveant in olla nova, bene obturata, donec nigredinem concipiat; ac poſtea frictione hujus unguenti pars dolens foveatur, ut penetret unguentum, & ſtupis carminatis poſtea contegatur; quod ſi hac ultima experientia doloris non conſequatur ſedatio, poſtea de extremo auxilio conſulere tempus occaſionem monſtrabit.

Noſtram ſequitur ſententiam doctor Didacus Valuer de Oroſco, clari nominis medicus: ſed quia plures ſententiæ ut plurimum ſuperant meliores, (fatalis multorum conſilii neceſſitas) ideo hæc noſtra ſuperata multorum ſententiæ ceſſit; non meliori; nulla enim videbatur prudentior; nam paucis interjectis diebus, cæteris doctoribus viſum eſt, dominam unguento, de mercurio, univerſali unctione inungere, quo dolores paululum levari videbantur; qua inani ſpe plerique conſulentium inflati, de propria ſententia jactabundi, ſe Apollines ſomniabant & Æſculapios, &, ſi diis placet, gloria digniores Hippocrate: ſed mox ceſſit infœlicitati fœlicitas; nam colliquante ſuperveniente diarrhœa, & febre, haud minus colliquante, pauciſſimis diebus ad tabem & maraſmum conſerva vitam piiſſimam cum morte amariſſima commutavit, triſtiſſimo totius civitatis cum dolore.

De impotentia coeundi in cive Hiſpalenſi.

No eſte el primer caſo deſta data, que avimos remidiado; pero en eſte cavallero ſola la edad pone en duda el remedio: por que eſte acha que en el le haçe una molificacion, o relaxacion, de los vaſſos del miembro, que ſon el nervio fiſtuloſo, los ligamentos, nervios y arterias, de que ſe compone; y de los vaſſos ſeminales, que debiles, y flacos de las humedades, embebidas en ellos, ni pueden elaborar, ni detener el ſemen, ni darle el calor que de neceſsita para la delectacion; y aſsi ſaldra ſin ella, o con mui poca, y las mas vezes frio: y algunas ſin ſentirſe; y como el remedio aſsi de la deſtemplança, fria y humida, como de la corroboracion deſtas partes, es el calor nativo de nueſtro cuerpo, que actua, y da vigor a los de mas remedios, para obrar con major efficacia, ſi eſte falta (como es præciſſo en edad de 60 años) tanbien lo es dadar, de la ſeguridad de conſigirſe en todo, quando, a mi juizio, ſera poſible en parte; bien importara ver eſte Cavallero, a qui pora ajuſtar la ſingularidad de las cauſas, pero, por cumplire el orden, de quien mele a mandado, dixe lo que ſiento; lo primero ſea ſu bebida aqua de china, y a cabe la comida en un poco de vino puro, y bueno o dulçe, o tinto, eſpeſſo; cada noche ſe unte los rinoñes, y ingles y

el

el empeine, con eſſe unguento; que va ordenado; y a baxo de los teſticulos. Abſtengaſſe ſeis deas, no llegar a ſu muger, y ſi es poſible, eſte eſtos fuera de ſu lugar; y el que a ellos ſe ſige, ande, ande tres horas a cavallo: y llegando a ſu caſa çene con ſu muger de un capon aſſado, y de una olla de carnero, en que aia coſsido una hierva que llaman cruca, bien conocida en las boticas; y entre eſta comida beba un poco de vino tinto, moderadamente; y en lugar de la poſtrera bebida, tome una xicara de chocolate, bien caliente, que ſeu eſcogidamente bueno no del que ſe vende: y eſte tenga algo de picante, y no ſea mui ſoſo, y con eſto ſe recoxa a ſu cama, y arimeſſe ſu muger a los lomos y rinoñes, de ſuerte que la caliente: y deſta manera eſte haſta media noche ſin tocarle: y ſi deſpertarle procure boluer a dormir, haſta la madragada: y a eſta hora puede juntarſe con ſu muger: deſte eſtilo de obrar ai grandes experiencias: y juſgo que a de a provechar, en el caſo propueſto; y para ſegurar mas lo que ſe pretende y diſſea; en los dias ſigientes, tamara cada manaña, deſſa conſerva una eucharada tanto como una caſtaña; con una xicara de chocolate, eſcogido y picante; o en ſu lugar, 4 onças de vino dulce o tinto: comiendo de ſuerte y tan buenas comidas, que no ſe encrudeſca el eſtomago de gallina, perdigon, o pechones, y ſi fuere poſsible, unos teſticulos de gallos nuevos, mas que pellos; algunas noches occhos con una pepitoria de alones y menudillos o aſados; eſte orden ſe a de guardar de comida y bebida dos mezes; y ſi con el retiro de los ſeis dias y orden referida, ſe hallare, bien ſe haga otra otras dos veZes lo meſmo, y con las meſmas condiciones; y conforme ſe hallare me acuſe; eſte no es caſo de ſangrias ni purgas; lo mas prudente y eſcogido que haſta oi, ſe a obſervado es lo que e dicho; La conſerva que va recidada en eſſe papel a parte, es la mas efficas al caſo, y el unguento el mas eſcogido para la corroboracion deſſas partes. Deſeo ſe conſiga el effecto que pretende, y en lo que me tocare de ſervir a.v.m. me tendra para quanto ſele offreſca. Cuja vida guarda nueſtro Señor;

El Doctor
CASP. CALD. DE HERED.

Conditum, ℞. Corticis citri & zinziberis recentis conditi an. ℥jß. conſervæ eringii. ℥j. carnis lutræ aſſæ ℥iij. teſticulorum vulpis & galli & pudendi tauri an. ʒß. diamuſci, & diambræ an. ℈j. carnis ſcinchorum ℥j. cerebri paſſerum ℥ij. ſeminis crucæ ʒß. & cum ſaccharo & melle deſpumato fiat opiata; de qua ſumat, ut caſtaneæ quantitas.

Vnguentum, ℞. Olei irini & de caſtoreo an. ℥j. mithridati & theriacæ magnæ an. ʒß. ſeminis crucæ & cæpæ, an. ℈j. euphorbii & caſtorei an. ℈ß. ceræ parum, ut fiat unguentum molle.

De melancholia hypochondriaca, hujus ſæculi OBSERVATIO.

SECTIO I.

Quo ab affectu melancholico differat melancholia.

Dupliciter mihi ſemper eſt viſum hunc affectum poſſe conſiderari: ſub vera nempe melancholia, ſub illa ratione, quo nomen hypochondriacæ meretur, conſenſus & ſympathię jure; & pro ſolo affectu hypochondriaco; in hanc ducor ſententiam ex ipſomet Galeno, 3 de Loc. 7. quoniam, dum refert Dioclis de hoc affectu ſententiam, affectum hypochondriacum videtur retuliſſe: nam adhuc illius ſeculi medici, diſpoſitionem hypochondriacam alii; aut morbum flatuoſum plures appellavere: quem Diocles deſcribens, affectum hypochondriacum videtur deſcripſiſſe; nam reddens rationem ſymptomatum: pro parte affecta, venas conſtituit, quæ proxime alimentum à ventriculo excipiunt, meſaraicas nempe, & ex ramo iliaco; dum valida & compreſſa obſtructione infarciuntur; & argumentum eſt, alimenta, ventriculo recepta, vel ad longum tempus non deſcendere: *Vnde vomitus, ventris rugitus, pylori palpitatio: ventriculi dolor, cruditas, flatuum multitudo*, &c. Et hæc ſunt ſigna hujus obſtructionis.

Secunda pars affecta, eſt illud os ventriculi inferius, quod primo inteſtino continuatur; hoc enim dicebat Diocles in hujuſmodi paſſionibus inflammari, ac ob illam inflammationem obſtrui etiam orificium, ideo prohibere ne tempore à natura deſtinato deſcendant; quo accidit, ut diutius retenta, tumores, æſtus, cordis palpitationes, & alia accidentia producant: nec etiam Galeno diſplicuit, quod per epigineſim totus etiam ventriculus inflammetur, à venis humore jam exuſto repletis, communicata phlogoſi: vel ex pylori oſtio, quod venæ & non paucæ circundant, ex iliaco ramo; ubi fovet, melancholicus, exuſtus & fæculentus ſanguis illinc à natura tranſmiſſus, ſeu ut utilis alimento, depuretur: ſeu ut per hœmorrhoïdales expellatur, per venarum anaſtomoſes ſibi conſociales; hinc totius pylori palpitatio, hinc obduruit tota pylori regio, conſpicuo tumore: & illa pars venarum, quo pertendit obſtructio: ad regionem nempe jecoris aut lienis, cum ſiti, lingua ſicca, ventre nimis adſtricto, &c. nec inde tranſit Diocles; ſed his Galenus addidit, 5 de Locis 6. [Galen. 5 de Loc. 6.] *Ac plures ex ipſis ſplenetici quoque ſunt; quocirca conjiciendum eſt, ex hoc etiam viſcere vitioſam ſaniem in ventriculum irruere*: & merito ſane: vidimus enim non paucos, qui vomitu, aut ſeceſſu, atri & nigreſcentis humoris nimiam quantitatem dejeciſſent; quod inde defluere, rationi videtur conſentaneum.

Inde tranſit Galenus; qui nobis videtur veram hypochondriacam melancholiam deſcripſiſſe, ad ſolius affectus differentiam: [Galen.] *Hæc ſunt*, inquit, *quæ Diocles quidem literis prodidit: verum, in hoc ſymptomatum catalogo præcipua totius concurſus accidentia, ſilentio præteriit; quæ videlicet melancholiam, & flatuoſam melancholicamque affectionem tanquam charactere quodam deſignant; atque omiſit, ut puto, (dicit Galenus) hujuſmodi accidentia, eo quod ex morbi ipſius nomine manifeſte declarantur: qualia nobis Hippocrates propoſuit, 6 Aph. 23. Metum nempe & mæſtitiam, pathognomonica melancholiæ ſigna.*

Debita tamen Gal. veneratione, nobis videtur ob aliam rationem, hæc melancholiæ ſigna, reticuiſſe: non eſt enim credibile, virum apprime doctum, & ſatiatum Hipp. doctrina, duo unica accidentia, & illa jam ab Hipp. tradita, quæ veræ melancholiæ eſſentiam conſtituunt, ſuppoſuiſſe: vel ob aliam rationem reticuiſſe, ſi de vera melancholia loqueretur; nobis enim magis conſonum rationi videtur, nec metus, nec mæſtitiæ meminiſſe:

nisse: quia de affectu, seu sola affectione hypochondriaca loqueretur, & non de vera hypochondriaca melancholia: & facile in hanc veni sententiam, cum per triginta annos vix numerabiles hujus passionis ægrotos conflictari vidisse absque ullo metu, nec mæstitia, ea ratione qua cæteris melancholicis accidit, licet variis hypochondriacis accidentibus turbarentur, & quidem, quod maximum est, per longissimum tempus.

Alios attamen pati vidimus, non illa tantum hypochondriaca symptomata, sed illa cum timore & tristitia sine causa; quo longa experientia satiatus, perpendi, hos affectus, inter se non vulgari notitia differre, sed distingui peculiari & certa ratione; licet ab eadem parte affecta, & ab eadem causa producantur: nam Galenus 5 de Locis 6. dum accidentia utriusque perpenderet, sic alloquitur: *Porro multos non solum insomnia, & somni tumultuosi molestant, sed amentia quoque propter vitiosum humorem in ore ventriculi acervati*; & parum infra, *de flatuoso vero & hypochondriaco morbo, nemo non dixit quomodo tristitiam, desperationem, mæstitiam inducat; atque ut summatim dicam, ad melancholiæ accidentia nihil reliquum faciat; quippe laborantes hujusmodi morbo, post cruditates dictis accidentibus, multo vehementius infestantur.* Quare inde elicimus, quod dum sola hypochondria vexantur, absque eo, quod in cerebro permanentem affectionem inducant, erit tantum hypochondriacus affectus; dum vero, ex consensu jam potentiæ rectrices oblæduntur, prava dispositione, jam inducta hypochondriaca melancholia.

Galen. 5 de Loc. 6.

Hujus differentiæ Marcellus Donatus causam reddit, de Historia mirabili lib.3.c.8. *Et si omnibus*, inquit, *melancholici vapores eleventur: qui fortes animales facultates habent, resistunt magis, & dictos dissipant vapores, ut melancholicis accidentibus non corripiantur. Si vero debiles possident facultates, facile suos effectus producunt nigri vapores, timore & tristitia inductis*, quod etiam ex Galeno colligimus 3 de Locis 7. *Quemadmodum externæ tenebræ hominibus pavorem inducunt, qui non admodum robusti sunt, & indoctis, sic etiam pueris & debilibus*, &c.

Marc. Don. lib.3. cap.8. Hist. Mirabilis.

Galen. 3 de Loc. 7.

Quomodocunque tamen sit, uterque affectus communicat, in parte primario affecta, in causis: & interdum in ipsa læsione actionem: nam ea tantum differunt ratione, quod in vera melancholia hypochondriaca potentiæ rectrices in cerebro lædantur; simul cum aliis hypochondriorũ accidentibus; imo clarius, cum ea intenduntur, ut Galenus est auctor; at vero in solo affectu hypochondriaco, iis symptomatibus torquentur, absque ulla sensibili læsione facultatum rectricum, ut Galenus nos docuit in præcitatis locis; & 2 de Sympt. Causis: quod tunc accidere comperimus, cum non tantum ventriculi, cordis, totiusque hypochondrii actiones læduntur ex cibo, excremento, humore; aut flatibus retentis: sed cum pravæ, nigræ, ustæ, & calidæ fuligines, mille modis fœdatæ, cerebri substantiam fucata nigredine obducunt, obscurant, intemperant, & spiritus silvestres opacos & obscuros reddunt; quo variæ delirii species contingunt, maxime cum timore & mæstitia; inde dejectus animus, & mens superata jacet: sub illa quam solus Aretæus expressit differentia: *Quod sit animi angor, in una cogitatione defixus*; hujus doctrinæ diorismum tu per otium leges 2 de Symp. caus. 7. Cui titulus est, de symptomatum causis in principe animali functione: hîc enim maxime observantur illæ proprietates ineffabiles, quas Galen. in hoc affectu adesse observavit, 5 de Loc. 6. Quare, in quantum potentiæ rectrices non læduntur, dicitur hypochondriacus affectus: cum vero animi vexat angor, cum timore & mæstitia, sine causa, tunc nomen hypochondriacæ melancholiæ meretur, consensus & sympathiæ jure, mesaræi, ventriculi, pylori, cordis, hepatis aut lienis; aut harum utriusque venarum.

SECTIO II.

De hujus affectus varietate, olim non observata.

Hujus tamen affectus est tam mira varietas; tam rara, tamque indicibilis conditio, ut ab omnibus qui huc usque scripsere, ne minimum quidem hujus passionis tradatur observatum; aliis enim accidit ex sola retentione seminis putridi: seu indicibili qualitate defædati: quod illis maxime comperimus accidere, qui nobilem castitatem profitentur; quodque nos vidimus ad interitum duxisse, nobilem D. Ferdinandum de Olivares, à Secretis Excellentissimi Comitis Nebulensis, quo adeo contabuit, præ solo timore & tristitia, ut miseram certe vitam, pro morte piissima, & sancta, commutaret.

Alium vidit collega quidam noster, Hispalensis, æque nobilis theorica doctrina, quam clarus longa experientia: quem octo horarum spatio, universalis facultatis animalis eclipsis apprehendebat, quo veluti paralysi corpus universum affectum videretur, ut, ne crus, aut brachium, ne caput quidem movere pertentaret: nec, si vellet, potuerit: ac illis horis exactis, ciborum peracta coctione, tunc movere membra incipiebat, & fere redintegratis viribus resipiscebat; quem medici ut paralysi affectum, curare intendebant: & calidis auxiliis lædebatur, dum tandem ei, sanguine ex talo misso, & sanguisugis hœmorrhoïdalibus adaptatis, pristinam sanitatem, Deo propitio, restituit.

Quod certe accidere par est, si modo attente perpendatur; quia dum peragitur coctio, tardo & lento motu, (cibis & excrementi undique, obstructione, aut phlogosi compressis) crassorum ingens vaporum colluvies sublevabatur, ac in partes posteriores cerebri irruebat, ut recens nervorum, ac spinalis medullæ obstructio efficeretur: quo spiritibus transitu denegato, paralysis corporis universi, (licet mentita) videbatur: donec crassi vapores illi in aërem abierint, cessérintque omnino dissipati: unde non erit mirum, etiam aliquando effici per consensum paralysim, vel saltem æmulari fugacem; illis maxime, qui levem apoplexiam, veluti per accessiones fieri conspexerunt, à causa vaporosa, ut nos attente etiam observavimus.

Alium vidimus, quem universalis vitalis facultatis asphigia, per inordinatas accessiones apprehendebat; ut nullibi pulsus, seu alius arteriarum

riarum motus cerneretur, & hoc longo temporis spacio: quod pariter allidere videtur, dum crassorum vaporum, sive ex cruditate seu ex ipso sanguinis melancholici fervore, multitudo elata, per venas & arterias in cordis valvulas subito irruebat, quo facultas vitalis (vaporibus exitu denegato) sub onere oppressa, motus consuetos contractionis & dilatationis edere non valeret, usque dum hæc vaporum colluvies à cordis calore dissipata evanesceret.

Simile certe accidens, & gravissimum symptoma postea observavimus in Francisco Alfaro Hispalensi: qui ad tempus, & illud certe breve, magnas & inordinatas accessiones patiebatur, tam crebræ & difficilis respirationis, ut cogeretur erecta cervice respirare, non sine cordis vehementi dolore & palpitatione, ut orthopnœa videretur oppressus, & hoc per intervalla, interdum longiora, & aliquando brevia, quæ per noctem gravius sæviebant; (quo tempore, melancholicus humor pituitoso mixtus, & propria natura motum appetit) quod concitatur, quia vaporis usti & maligni colluvies, subito à mesaræi ventriculi & lienis venis, longe lateque ex fermentata obstructione elevabatur, ac septum transversum subito irruebat: quod ut illam noxam fugeret, sursum retractum pulmones etiam comprimebat, adeo ut difficilimam edere respirationem cogeretur; ac etiam maligni & tetri vapores, spiritibus vitalibus permixti, & intra cor recepti, cordis facultatem ad sui expulsionem proritabant, & non aliter, quam comprimente & dilatante motu, à causa concitante: (quo palpitationis essentia consistit) quod certe adjuvabat, crudi tuberculi in pectore suspicio, (ut pulsus monstrabat inæqualitas) quam postea palam fecit eventus: & hoc non sine aliqua læsione facultatum rectricum; cætera accidentia, quæ Galenus ex Dioclis sententia enarrat, 3 de Locis 7. sunt adeo communia, ut ne peritum, nec imperitum lateant; ideo de illis peculiarem memoriam non fecimus.

SECTIO III.

Melancholiæ hypochondriacæ essentia perpenditur.

Quare, est hypochondriaca melancholia, depravatæ compositionis affectus: peculiaris nempe obstructio venarum mesenterii & pylori, & interdum ventriculi quæ declinant ad venæ portæ ramum, qua iliacum aut epigastricum constituit, aliquando ad jecinoris cavæ descendentis ramulos; ex succo melancholico exusto, seu mora diutina non ventilato, seu diu fermentata putredine: quo in venis varicosa interdum fit obstructio; ac exinde fumosi, atri, & maligni vapores, (exitu humori denegato) palpitationem visceribus inducunt, si non ad dorsum etiam: quod si, cum vitali spiritu permixti penetrent cordis sinus, in corde dolores, motus & palpitationes animadvertuntur: si vero ad cerebrum conscendant, fit aliquando hujus animalis potentiæ stupor; fere semper & timor & mœstitia, sine causa, quæ superari nequit: aliquando insomnia terribilia, & pavores in somno: & pleraque alia, quæ Hippocrates libro de virginum morbis enarravit, ex uteri consensu, & obscœnis vaporibus: & hinc alia signa edisci possunt.

Ad hanc obstructionem aliquando sequitur inflammatio, & aliquando phlogosis partium illarum, ubi maxime obstructio inclinat; ut nobis dixit Diocles, ex præusto & calido humore, melancholico, qui in obstructione diu fermentata putredine, retinetur, & vasa replet, majora & minora, ut etiam spatia inania partium subjacentium; hanc nos aliquando vidimus super ipsum ventriculum; sæpe juxta umbilicum, in tota pylori regione: haud infrequenter, à cornu ventriculi sinistro, ad lienem; & ad jecoris regionem multoties: cum tumore & dolore conspicuo; insigni retinentia, acerrimo calore; hinc graviora, concitantur symptomata, quam ubi talis obstructio à sola crudorum succorum multitudine fovetur; in illa insignem pulsus duritiam observabis, septo transverso maxime communicata phlogosi.

Symptomata, in hac causa, illa erunt potissima; coctio remorata, ut à meridie ad noctem, præassumpta cibaria non descendant, nec coquantur; ita ut cruda postea evomere contingat; & usto succo melancholico alimentis permixto, acida evomantur, ut stupor dentibus etiam innotescat; licet illa apepsia, aliquando caloris ventriculi inopiam sequatur, à frigida illius intemperie: aliquando à lapsa ad calorem hepatis intemperie, furato ventriculi calore; ut cruditas ad acidum vertatur: hinc dolor ventriculi molestus; indecens sputatio, & cordis palpitatio & dolor; hinc alismus implacidus, quo mutationibus æger, ceu remediis; sed sub hac differentia, ut acerbitas ad stuporem dentium, atro succo permixto, fit urentis caloris consectaria, simplex vero aciditas, solius deminuti; ut hinc curandi indicationes elicere discamus.

Hæc passio est calida & sicca intemperies cum materia, seu prava dispositio, quæ resultat ab hac obstructione; quæ interdum est phlogosis, nonnunquam inflammatio, & utraque fovetur, seu ab humore in ipsis obstructionibus impacto: seu à calidis & ustis excrementis, quæ ab ipsis intemperatis membris producuntur; quæ loca ubi decubuerunt, repleverunt; ex Dioclis sententia; quæ inflammatio interdum epigenesi serpit, aliquando consistit, ut tota pylori regio, ad ventriculi inferius orificium, ubi cum primo intestino connectitur, conspicuo tumore condolescat; ut non sit mirum, si partes intestini, & ventriculi inferioris orificii, tumentes coeant, ut excrementorum & cibi præpediatur exitus, ac inde graviora emergant accidentia, ut sitis, cum linguæ scabritie, continua febricula, & fatale fastidium, ad ciborum abominationem, ut corpus ad marasmum perducat, & alia symptomata, quæ Hippocrates observare mandavit, 6 Epid. Sect. 3. text. 1. quæ tu ibi leges per otium.

Superius etiam ventriculi orificium, eadem de causa, nuper coalescere observavimus, in Petro de la Vega, viro neque noto, neque publico genere Hispalensi; dolorem ille ad costas lateris utriusque mendosas pati cœpit, cum tussi & linguæ scabritie, difficili spiritu, (magis dum move-

moveretur) cum importuna siti, alvo in principio lubrica, ex quo dolor lateris sinistri conquievit; mansit ad latus dextrum importunus, cum fatali fastidio; hinc in tota ventriculi regione conspicua innotuit inflammatio, & ad jecur pertensa; sed illud mirabile notavimus, ut licet ad cibum & potum cogeretur, illum transire per guttur non valeret, à superiori ventriculi orificio, cum dolore ad pectus juxta jugulum; & simili è directo ad dorsum; quod si illum nitebatur impellere, deorsum cogebatur ad vomitum, cum lenta febricula, lentam & viscidam expuebat pituitam; multum etiam à flatibus calidis vexabatur; erat vir iste, antea hypochondriacus, calidæ & siccæ contexturæ, & debilis ventriculi; quare tota viscerum regio, à calidis hypochondriacis flatibus occupata, phlogosim cœpit contrahere; quæ cæteris humoribus exustis, cessit in inflammationem venarum pylori, & totius ventriculi; usque ad superius orificium, quod inflammationis magnitudine coaluit; quo tandem non atrophia tantum, sed tabido & marasmo retorrido confectus, ex hac vita migravit; licet omnibus ad curationem rite, loco & tempore peractis. Similem refert historiam Fernelius, lib. 6. de Part. morb. & Sympt. cap. 1. in gravida, tuberculo duro, supra os ventriculi oppressa; quo ita obturabatur illius orificium, ut quidquid indebatur, tacto ore ventriculi, mox revomeret, atque omnino redderetur.

Si vero phlogosis aut obstructio sit in venis, quæ repunt, à ventriculo ad hepar, aut econtra, inde sanguinis præpeditur distributio: qui retentus postea incalescit, & exuritur: ac inde progerminant varia excrementa, aut vitiosa sanies, quæ ventriculo, corde aut cerebro recepta, per venas sibi consociales varia & contraria concitant accidentia.

Si venæ quæ tendunt ad lienem obstruuntur, ex ramo splenetico, aut phlogosi, aut inflammatione, obsidentur, in propria substantia illis redditis varicosis: lien non expurgatur à succo melancholico: qui retentus putrescit, aut malignam contrahit ustionem, cujus singulari energia, diversa concitantur accidentia, ac interdum sibi ipsis contraria: inde etiam flatus, mille modis fœdati, calentes, aut exusti, elevantur; qui si ad cor feruntur, palpitationes, deliquia, & exolutiones gravissimo discrimine superveniunt, cum pulsu celeri, duro, & inæquali: si ad cerebrum, ut substantiam, aut tunicas pervadant, insuperabilis mœstitia & timor: solitudinis amor, & omnis vitæ tædium; interdum mentis & corporis stupor: est enim hujus melancholiæ species, gravis animi angor, in una cogitatione defixus, ut dixit Aretæus; quo in statu etiam quoddam inexplicabile visceribus persentiunt; si ad ventriculum, cardialgia vexat, & totius hypochondrii tristis sensus: nos vidimus, sub costis mendosis gravissimum dolorem, & ita renitentem auxiliis, ut spuria mentiretur pleuritis, cum tussi, difficili spiritu, lenta febre, linguæ item siccitate & scabritie; ac interdum, flatus maligni, aut turgentes, titillationem variis in locis inferendo; ægrotum quiescere, nec ad momenta sinunt; si vero exhalationes septum transversum feriant, tam difficilem spiritum inducunt, ut erecta cervice cogantur respirare: quod si illud viciniæ & consortii jure inflammetur, fit perenne delirium.

Hujus affectiones duas refert historias Bonevenius, primam c. 36. in Antonio Bruno, cujus dissecto corpore, inventum est ventriculum, ad imam ejus partem, junctis oris ita coaluisse, ut cum nihil ad inferiora transmittere potuerit, omnia necessario per vomitum revomeret; quo tandem ille vitam finivit: & secundam in Petro Aldimario, (in capite sequenti;) *In hoc*, inquit, *repertus est callus, inter venas quas mesaraicas appellant, à quo cum venæ ipsæ adeo obstruerentur, ut ferri inde sanguis ultra non posit, necesse fuit puerum ab hac vita migrare.* (Bonevenius Hist. c. 36.)

Alia à septi transversi consensu melancholia.

Alia est hypochondriorum consensu melancholia, sed à diverso loco, quam Salius hypochondriacam vocitare non dubitat; hanc descripsit Hippocrates 2 de Morbis, text. 159. hæc sunt prudentis senis verba: *In visceribus velut spina esse videtur, & pungere: & anxietas ipsum corripit, & lucem ac homines fugit, & tenebras amat, & timor invadit: & septum transversum foris tumet, & ad contractum dolet, & expavescit, & terriculamenta ac somnia horrenda videt, & quandoque etiam mortuos; & morbus hic fere plurimos vere corripit*, &c. (Hipp. 2 de Morb. text. 159.)

Hanc nobis hypochondriacæ melancholiæ speciem, interpretari placuit, ut quæ sit per consensum; non quod frequenter accidat; sed ne aliquando contingat, illius notitia penitus ignorata; non sunt enim res abditæ superfluæ; sicut enim, affecto per sympathiam cerebro, à præustis & calidis vaporibus, qui ab obstructione fermentata, hypochondrii conscendunt; accidit melancholia; sic pariter hæc eadem producitur, dum septum transversum à nigro & exusto humore obsidetur in venis quæ ipsum intertexunt; seu vaporum consensu: seu singulari hujus septi transversi sympathia; nam inter septum & cerebrum talis est syntimoria, tam fatalis consensus, ut septo patiente, cerebrum pati sit omnino necesse: quo non sit certe mirum, si fatalis necessitas vetustissimos medicorum seduxerit, ad credendum, fore in septo transverso mentis sedem; nam *phrenas* ipsum appellavere; quasi mens in illo resideret, vel aliquid prudentiæ conferret, ut Galenus est auctor 5 Meth. 4. & nos in feraliis etiam adnotavimus.

Ex signis tamen quæ enarrat Hippocrates, duo infero; symptomata, alia ex parte humoris, alia ex læsarum partium affectione provenire: illud secundo colligo, quod belle Aretæus advertit: *Incipientem melancholiam, in una tantum cogitatione esse defixam*; postea vero omne dementiæ genus divagari; cujus rei rationem, in capite de Phrenitide, diximus. (Aretæus.)

Veluti spinam pungentem, in visceribus sentiunt, (inquit Hippocrates) sicut enim humor atrabilarius acri & erodente qualitate, punctionis sensum infert, in carbone aut cancro: sic in visceribus, dum in obstructionibus aut phlogosi ebullit, aut inflammatione effervescit; velut spina pungit; & ad tristem dolorem sequitur implacidus alismus, seu malignis vaporibus cordi etiam lacessito, seu viscerum dolori compatiente.

Lucem ac homines fugiunt, & timor invadit; sine timoris causa; in hoc enim cernitur æstimativæ error, si non forte phantasiæ: quia hæc humoris seu vaporis nigredo cerebro spiritibus inducta, (nigris speciebus in formata phantasia) res ut horribiles & tristes repræsentat, per species, quibus potentias intellectuales cum errore informat: quo talia coguntur judicare depravatæ & delusæ potentiæ. Nos mulierem vidimus, sub ista melancholia, quæ à somno, perterrita & pavida, exulans, exclamabat, & terrore oppressa, dormire fugiebat, ne illis illusionibus terreretur; læditur enim ab illa succi & vaporis nigredine quædam intrinsece necessaria conditio, ad recte operandum, nempe candor in cerebro, perspicuitas & splendor spiritibus: ex quo temperamenti ægritudo inducitur: temperamentum enim non tantum ex primis qualitatibus primæ formationis constituitur, sed ex secundis & tertiis, quæ ex illis resultant; ideo enim Galenus, libro quod animi mores, reddens rationem quare homines terreantur: *Quia res timendæ*, inquit, *repræsentantur in tenebris horribiles, per species, sub tali dispositione ab objecto emissas*: & cum potentiæ species recipiant, sub illa conditione, seu ab illo objecto nigro colore defœdato, omnia tristia judicat & timenda; ideo animi mores corporis temperaturam sequuntur.

Galen. lib. Quod animi mores.

Hoc interdum non sola efficit nigredo humoris melancholici: sed rerum tristium species, in ipsa memoria reservatæ; dum à nigris vaporibus concitantur; seu ab hujus aut illius sympathia; quod cum subito accidit, subito etiam contingit expavescere; hæc terrorem incutiunt, non tantum cum obscurant, sed cum acri & mordaci qualitate, cerebri potentias, & concitant pungendo, & motu inæquali solicitant; hinc somnia repræsentantur horrendis spectaculis tristia, ut se vidisse mortuos putent, ac palam profitentur se vidisse.

Sed quod magis admirationi est, ut plerosque stupidos reddat melancholia: alios disertos, & longe acutioris quam antea ingenii; causam reduxit Aretæus ad sensuum acumina, spirituum puritatem, & luculenti succi absumptionem; hæc sunt auctoris verba, lib. 2. de Signis & Caus. Acut. cap. 4. *Animus stabilis & constans est*, inquit, *sensus omnis purus, & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea, primo seipsos de vita migraturos persentiunt, deinde præsentibus futura denuntiant: alii cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse soli, præ sensus acumine & puritate, eos adesse cernentes; aut forte animo ipsos prænoscente; quippe antea in lutulentis humoribus demersus erat, quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt, prædicant: ex utroque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur: sed quorum succi & ingenium adeo extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites*; hæc in febre ustoria retulit Aretæus, tanquam vi caloris excedentis inducta; ex quo ego non dubito, virtute etiam exustæ melancholiæ & lucidæ idem posse in aliquibus consequi; quod & aperte legitur in eodem auctore lib. 1 Chronicarum cap. 6. ubi de furore loquitur, ex usta melancholia: *In his*, inquit, *species furoris infinitæ sunt; ingeniosi namque & dociles, astronomiam callent sine doctore, philosophiamque possident à nemine traditam: poëticam quoque velut à Musis infusam; aliquid enim in morbis emolumenti præbet docilitas. rudes autem & indocti melancholici, gravia ferunt pondera, figulariam exercent, ac fabrilem, aut lapides cælant; præterea monstrosa cogitant. Carpentarius quidam olim fuit, cum domi esset prudens operator, & omnia officii recte peragebat; porro iste in loco ubi arte sua fungebatur, mente constabat; at si in forum quandoque decederet, ad balneum aut ad aliud necessarium, instrumenta deponens: primo suspirabat, deinde egrediens, humores constringebat, postea cum è servorum fabricæ locique illius conspectu abiisset, tum penitus insaniebat, & furore corripiebatur; quod si ad eundem locum celeriter recurrisset, iterum ad se redibat; hæc erat inter locum illum, & viri mentem cognatio*, &c. qui de hoc argumento majora cupit, legat nostra Feralia: & Ludovicum legat Bonaciolum, in sua Eneade muliebri cap. 4. & reliquorum accidentium melancholiæ qui velit rationem ediscere, per otium, in Galeno moretur, 2 de Diff. Sympt. cap. ultimo; 3 de Locis 7. & si placet in Avicenna legere, legat Fen. 1. 3. Tract. 4. cap. 18.

Aret. lib. 2. de Signis & Caus. Acut. cap. 4.

Aret. lib. 1. Chron. c. 6.

Quod à septo transverso illa etiam concitentur symptomata, ut à causa mandante, & cerebrum in consensum trahente, illud est argumentum, quod Hippocrates dixerit: *Quod in hac melancholia, septum transversum foris tumet, & ad contactum dolet, & ad intus retrahitur, cum viscus velut spina pungitur.*

Sed merito quis inquiret, quem nam affectum patitur diaphragma, dum cedit in causam melancholiæ: nam quando Galenus dixit 5 de Locis 4. affectum diaphragmatis concitare delirium; illud certe continuum, inflammatum proponit, non aliter affectum, & cum febre continua, cujus exemplum Hippocrates adduxit in Sileno; 1 Epid. Sect. 3. Ægrot. 2. dum vero cedit in causam melancholiæ, Hippocrates alterius affectus meminisse videtur: nempe timoris & tristitiæ sine febre, tristi doloris sensu, in septi regione; quod cum vero delirio non compatitur.

Pro hujus dubii solutione, adverte, quod triplici affectionis sorte solet septum transversum laborare: seu dum frigidis & tenuibus excrementis impletur, quibus etiam leviter intumescit, & illud sine febre, cujus signa sunt, dolor, difficilis spiritus, pulsus parvus & durus, non creber, quia usus adaucti necessitas non urget, ut 4 de Præsag. expulsibus, adnotavit Galenus in capite de septo: & ad hanc affectionem non sequitur necessario delirium, nisi prope mortem: vel ab excrementis confluxis inibi putrescentibus, vel mixtis biliosis, qui postea etiam confluxerunt; quo in statu solet leve delirium concitari; interim tamen tensio hypochondriorum observatur subvacua, cum non inde tumor ad tactum observetur; quoniam intus musculi retrahuntur; ad diaphragma ab humore obsessum. Hanc se testatur vidisse affectionem Salius, ad tabem vel ad mortem sæpius terminatam: quoniam ut crudi tuberculi in pectore, gravi cum periculo rumpuntur, vel continuo delirio perducunt ad marasmum, aut continua febre, sic in hoc diaphragmatis affectu, tabe conficiuntur. Quod si majorem notitiam desideras ejus, lege Salium, lib. de Affect. particularib. cap. 8.

Secundam affectionis sortem nobis proposuit Gale-

Galenus; 5 de Locis 4. septi nempe inflammationem, ad quam sequitur febris, difficilis & inæqualis respiratio, delirium perpetuum, cum pulsus duritie conspicua: & subito invadit: non ut vera phrenitis, quæ à cerebro accidit, quam præcedunt cerebri male affecti signa, in depravatione, neque tarda & rara; sequitur respiratio ut in illa; hujus affectus exemplum est Silenus, qui à septi inflammatione in 11. abiit. cujus accidentia tu per otium leges.

Tertia diaphragmatis affectio est illa, quam proponit Hippocrates suo libro de morbis, ut antea notavimus, nempe, ex copia humoris melancholici, exusti, aut serosis & ustis excrementis, in septi transversi substantia imbibitis, ne dum etiam putrescentis, aut in venis illius adservatis; humor enim imbibitus velut spina pungit: jure vicinitatis cor comprimit, & angit: si non ustis fuliginibus lacessit & intemperat: exinde ad cerebrum, calidæ, nigræ, & exustæ fuligines conscendunt, unde tristia jure imaginatur, obversantur molesta, & finguntur horrenda: si non etiam exusto illo & imbibito succo, phlogosis concitatur; cujus occasione septum celerius movetur, & per nervos, quadam titillatione, cum cerebro consentit, seu continui ratione commutata phlogosi; quo melancholica concitantur deliria; quare septum in hac affectione, calidam & siccam patitur intemperiem, sine febre, (aut illa certe lenta) cum materia exusta melancholica ad primæ & secundæ affectionis differentiam.

De hac peculiari melancholiæ sorte, illa legitur Coacarum sententia, (1. in 5. Coacarum Sect. 2. text. 65. ex Olerio:) *Qui citra inflammationem dolent, a latere turbulenti, tenuique & moderato morbo laborant, ii phrenetici evadunt*; dum enim lente, & paulatim humor melancholicus in septi substantia imbibitur, seu per congestionem cumulatur, dolorem non vehementem concitat, sed molestum: nam putredinoso colore, levi contracta phlogosi, seu fuliginibus ad cerebrum delatis, seu sympathiæ jure, seu nervorum consensu, ut auctor est Galenus; seu tandem nervorum titillatione, qui descendunt à cerebro, & in medio septi implantantur, ut Matheus de Gradi tradidit observatum: si non etiam alteratione caloris per continuum facta in ipsis cerebri involucris, aut substantia, dum à latere dolent, turbulenti redduntur; hoc est turbatæ mentis: ac doloris & febriculæ tenuitate delusi; (quoniam citra inflammationem est affectus) tenui & moderato morbo videntur laborare: sic etiam medicis sentientibus: ac postea nihil tale verentibus, accidit subito phreneticos evadere; seu inflammatione denuo concitata, seu putredine, ex inveteratione causæ, ulterius serpente, quæ certe inhiberi non valet; ad quæ sequuntur postea inflammationis signa & accidentia; quæ nos in hujus inflammatione clarius exposuimus.

Lib. 1. in 5 Coac. Sect. 2. text. 65.

Hic patet Hippocratem non loqui de pleuritide, nec vera nec spuria: nam illam excludit per inflammationis vacuitatem: & istam per phrenitidem; mille etiam sunt in visceribus partes, quæ talem dolorem pati possunt, ut membranæ intercipientes mediastinum, pulmo & cordis involucra, in illa pectoris regione: sed ad nullius affectum phrenitis necessario sequitur, ut ad septi transversi affectiones.

Nec reor flatulentum affectum & solis crudis flatibus talem affectionem concitare, licet dolorem concitent: hoc enim sæpe vidimus; nunquam tamen ægrotos delirare adhuc septo transverso, flatuum varia commotione concitato: nam si daretur hoc, à fortiori deberent in tympanite aut anasarcha ægrotos delirare: in his enim continuo à flatuum turgentia septum transversum non tantum concitatur, sed etiam continuo impellitur; si non dicimus quod levis dolor incipit à pleura aut à mediastino, & postea communicatur diaphragmati, jure vicinitatis seu per epiginesim: nam membranæ intercipientes pleura & mediastinum, cordi & septo transverso, per fibras alligatur; quo videntur tenui & moderato morbo laborare, ac postea phreneticos evadere.

SECTIO IV.

De causis hypochondriacæ melancholiæ.

A Galeni temporibus usque ad nostra sæcula, sexdecim transierunt sæculorum spatia; nec suis temporibus magni fecit Galenus hujus melancholiæ symptomata: nam per illa brevissime pertransit; forte quod illo sæculo, non magnum facesserit negotium (ad tempus enim sæviunt ægritudines) medicis; post Galenum; seu quia non sævierit, seu quia non valde grassaretur; ideo de hac melancholia raram memoriam fecerunt: nec ullus forte illam asteris connotavit, neque ad nostra tempora, quibus sævire mira varietate cœpit, & longe per omnes ætates & sexus divagari. Quod ipsum nostrum acrioribus stimulis animum incitavit, inquirendique ansam præbuit: quare in nostro seculo, & acrius sæviret, longiusque grassaretur; at ecce, mox sese nobis offert, hujus sæculi luxus, vitæ intemperantia, ac opum affluentia; quibus se ut prior, sic fere nostra hæc ætas enervavit. Et facilis erit hujus quidem veritatis persuasio, saltem iis, qui norunt, in quam frequentia & gravia discrimina homines inducat intemperantia.

Medicinæ necessitatem olim, hominum intemperantia induxit; dixit Seneca: *non coegit orbem medicinæ necessitate, ætas aurea, ubi absque medicorum ope homines transierunt*; *jam olim Plato Socratem introducit sic dicentem*; 3 de Rep. *tempore ante acto, notum non fuit catharri nomen, quod ars coquinaria nondum esset exculta; cujus cum cœpit usus, non catharri solum, sed alii morbi apparere cœperunt; qui ad excolendam, & in frequentem usum trahendam medicinam homines coegerunt.* Illud prosequitur postea Seneca argumentum, Epistola 95. *Medicina*, inquit, *quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur sanguis, & vulnera coirent; dein in hanc multiplicem pervenit varietatem: nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse firmis solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto: qui postquam cœpit, non ad tollendam, sed irritandam famem, quæri: & inventæ sunt mille conditura; quæ onera sunt plenis; inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditate macies; inde qualis ebrii titubatio: inde distentus venter, inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus: inde tabes, torpor, palpitatio, convulsio vertigines, oculorum auriumque tormenta; & cerebri æstuantis*

tis verminationes: innumerabilia febrium genera. Immunes erant ab his malis, qui nondum sese delitiis solverant, qui sibi imperabant, & sibi ministrabant: corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu fatigati, aut venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibus: qui nisi esurienti placere non potest; itaque non opus erat, tam magna medicorum supellectile; simplex erat, ex simplici causa, valetudo; multos morbos multa fecerunt fercula; necesse est itaque inter se diversa dissideant, & hausta male digerantur; aliis alio nitentibus: nec est mirum, quod inconstans, variusque ex discordi cibo morbus sit, & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulsa, redundat.

Maximus ille medicorum & hujus scientiæ conditor, fæminis, nec capillos defluere, nec pedibus laborare dixit; atque hæ jam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt: non mutata fæminarum natura, sed vita est; nam cum virorum licentiam æquarent, corporum virilium vitia æquaverunt; non minus vigilant, non minus potant: oleo & mero viros provocant, æque vomunt, æque nivem rodunt, (solatium æstuantis stomachi) libidine vero, nec maribus quidem cedunt; quid ergo mirum, maximum medicorum ac naturæ peritissimum, in mendacio prehendi: cum tot fæminæ podagricæ, calvæque sint; beneficiumque sexus suis vitiis perdiderint? & quia fæminam excurrunt, damnatæ sunt morbis virilibus: non erat olim necesse circunspicere multa auxiliorum genera, cum essent periculorum paucissima: innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera; plures enim interfecit gula, quam gladius, & omnis periculorum ferarumque congeries.

Quibus sane cautus & edoctus, reor, quod maxima causarum hujus sævi affectus, in hoc sæculo sit continua cruditas, quæ rebelles fovet obstructiones, & ustionis etiam causam præstat; seu illam pariat ciborum multitudo, sive prava conditio, seu præposterus ordo; aut rerum inæqualium conditura, quo membra nutritioni servientia, ad lapsas & contrarias intemperies dilabuntur, fere semper in habitu contractus: nam in hepate calida radicatur: frigida in ventriculo: similis in liene aut mesaræi venis; quo nativus calor, & vivificum nectar, aut pabuli defectu marcescit, aut caloris violentia dissipatur; unde perennis ustio inculcatis humoribus, aut continua cruditas, ac ultimo flatuum uberior proventus, ex quibus contraria pullulant accidentia, & maxime, cum illis copulatur qualitas indicibilis: seu cælestis influxus, quæ ex ipsis patibilibus varia & contraria concitant.

Quare duo præcipue humores in hujus mali causam mutuas tradunt operas; & non semper qua tales: sed qua, peculiari energia, hujus singularis affectus producunt accidentia, huic propria, non alteri communia; habent enim nescio quid latentis energiæ illa hypochondriaca symptomata: in quorum dignotione nostri sæculi observatio alias præcedentium superavit, seu quia morbi, ut mores, ad tempora mutantur: dum aliis noviora repullulant; seu quod corporis vitia hominum vivendi rationem æmulantur: longe enim aliter, (ut in Seneca, & in Platone legimus) temperantia facili cibo, nec per artem corrupto, humores & homines disponit, quam voluptas deliriis quæsita, non ad tollendam, sed irritandam famem; in illa enim nihil superest crudi, & nihil supervacui: neque membra debilia redduntur; in hac vero accidit, quod Præceptor non siluit, 6 Epid. Sect. 3. text. 1. *Ventris torpor*, (excruditate nempe,) *omnium confusio vasculorum, immunditia, cerebri consumptio, ideo & calvities, instrumentorum attritio*, &c. est enim in rebus prodigiose malis, reciproca perennitas ad malum, membrorum ad humores, & humoris ad membra; forte quod communis natura indies redditur imbecillior; ideo non sit mirum, si humores, quos olim robustiora membra ad legem naturæ producebant, hæc illam conservarent salutis in statu fœlici; nec ut, quos in hoc sæculo, tot vitiis corrupto, generent imbecilla, sint recentibus malis antea nunquam visis concitandis aptissimi.

Galen. 6 Epid. Sect. 3. text. 1.

Ii sunt, melancholicus humor: & crudorum uberior proventus: nam quatuor humoribus in hepate productis fæculentum & crassum, natura duplici fine, ad ventris regionem aut attrahit, aut pellit: pellit, ut purior reddatur, utilis alimento, quo superest in venis; attrahit, seu ut lien simili nutriatur, seu ut foras expellatur, quod est naturæ oneri; ideo hos humores natura sua graves, defluere permittit, aut expellit ad mesaræi venas, & hœmorrhoïdales, ut ad vias expulsioni, ab ipsius præscripto, destinatas; quod si accidat, ut per illas expurgari non valeant, quod obstructæ, aut illius lentore & crassitie obseratæ, ustionem & putredinem nacti, gravissima concitant accidentia; hujus affectus propria: nam crudorum proventus non est causa potissima illius melancholiæ, sed veluti concausa; poterit esse causa affectus melancholici, qua obstruit, aut producit aut dolores aut flatus: illa enim est ratio differentiæ, quod vera melancholia per timorem & mœstitiam constituitur in ratione talis rectricibus potentiis depravatis, quod inferior obstructio frigidæ cruditatis non efficit: sed calidi & exusti vapores, ab illa sublevati: ideo est concausa; at vero hypochondriacus qui dicitur affectus, per alia accidentia hypochondrii ab his longe diversa, constituitur, quæ ab obstructione, & proventu frigidæ cruditatis, ut à causa præcipua poterit advenire. Licet non repugnet adhuc in affectu, illam esse concausam, ex qua etiam vapores eleventur, qui cedant in primam & potissimam hujus affectus causam.

In flatibus etiam illa mira observatur varietas, quod alii sint fumosi, calidi, usti, & melancholici: alii vero frigidi, vaporosi, & humidi; hos elevat, non intensus, sed diminutus calor, ex materia humida & sequaci; qui valet elevare, non resolvere: velut tempore hyemis, quo illa solis actio reflexa, elevat, non resolvit; illos vero, aut ventriculi calor, supra modum intensus, aut vicinarum partium, exurens elevat & producit; si non ab ipso humore putrescente, aut exusto expirant: lege causam per otium, in Galeno 1 de Locis 3. & 4.

Quare morbus præcipuus in hac affectione est obstructio: & causa antecedens, qui jam confluit, humor: conjuncta jam confluxus: continens & conservans, flatuosa materia.

Non quæcunque obstructio affectum hypochondriacum constituit: nec veram melancholiam; sed illa tantum, quæ aut causæ inveteratione, aut succi peculiari vitio, seu longa ventilatione

tione denegata, humores obstruentes adurit, putrefacit, aut peculiari malignitate afficit: dico malignitatem, quæ ustione, aut fermentata putredine consequitur; inde maligni, calidi, & interdum urentes & fumosi flatus conscendunt, ab extraneo & præternaturali calore sublevati.

Hæc tamen accidentia, quæ ex illa emergunt, crudelius sæviunt, & frequentius, si credimus Galeno: *dum cruditas augetur*; & si experientiæ, dum coctio peragitur; quoniam tunc maxime à calore coquenti, & præter naturam, & flatus à cibo, & fuligines à putrido humore concitantur: quæ varias etiam partes impetunt, ut cor, cerebrum, septum transversum, & lienem: quo pro varia partium læsione, sensibilitate aut præstantia, si non pro antecedenti etiam apparatu, hostili sympathia, gravia aliquando contraria concitantur symptomata; quæ maxime adauget recens, aut vetusta corruptio ciborum: nidorosa vel acida: seu à morbo ventriculi, seu ab ipsa ciborum qualitate, ut Galenus advertit. Quare autem iis flatibus hypochondriaca melancholia oriatur, tu per otium leges in Galeno, 2 de Sympt. Caus. 7. & quare solus affectus melancholicus. 3 de Locis 7.

Quare autem inconstans & varius sit morbus, & contraria secum ferat symptomata, ex ipsa affectus prævalentia edisces: nam interdum prævalet frigidior affectus; aliquando calidus & exustus: hoc etiam fieri ex discordi, variaque cruditate, quæ contrariis constat, monstrat experientia; quia ex illa partes contrariæ contrarias actiones inducunt; in has obstructiones facilius decidunt, curantur difficilius, qui nativam venarum angustiam patiuntur: ideo forte fœminæ crudelius torquentur, pravo etiam menstruorum consortio: & melancholici humoris constitutione & natura exusti.

Cum ergo ex illa affectus prævalentia cumulatur uberior frigidorum proventus, prævalent illa frigida accidentia, ut dolores ventriculi, murmur in hypochondriis, & palpitationes flatibus exitu denegato: indecens & profusa sputatio: si vero mora crassi & lenti succi, in obstructionibus uruntur, per ustionem transeunt in succum melancholicum, aut vires illius nanciscuntur, ut Galenus advertit libro de Atra bile; & talis erit flatuosus affectus: sed tunc hypochondriacus, cum est aptus ut melancholiam per consensum inducat.

Illud tamen minime prætereundum duximus, quod non vulgaris docuit Philosophia, illas, nempe cruditates & flatus, alia esse frigida, alia calidissima; cum utraque à deminuto calore fieri observentur; illud in communi novimus evenisse, exurentem calorem, nativum & vivificum nectar, (in cujus temperie facultatis essentia consistit) sensim & paulatim absorbere, ipsa phlogosi partium, inflammatione obsessarum; & inde accedit, ut coctioni, & nutritioni dicata membra, nativo calore defraudentur, quo fit ut illorum actiones minuantur, aliquando frustrentur, sæpius corrumpantur; unde frequens cruditatum proventus, & ex illis obstructio, inde impedita sanguinis distributio, ex quo excrementorum continua illuvies; & hinc per accidens frigidæ pullulant accidentia, & calida per se; dum exu- A rens calor supra frigiditatem vires exerit, aut è contra frigiditas membrorum; fortasse corrupti alimenti; inde accidit etiam, ut remoretur coctio, perficiatur tardius, vel ad nidorem vel acidum vertatur: aut sequatur flatuum uberior proventus, aut frigidi, aut calidi: ut alternatim, aut frigida emergant, aut calida repullulent accidentia; prout hæc aut illa prævalet intemperies.

De hac melancholiæ sorte, (meo sensu) illa legitur Coacarum sententia 2. Coacarum cap. 11. text. 30. ex Dureto: *Vmbilici dolores cum pulsu con-* B *juncti, nonnihil præ se ferunt mentis perculsæ: his autem adveniente crisi, pituita satis multa cum labore excernitur*; si hæc accidentia cum illis conferamus, quæ sæpe in hac melancholia observamus, non difficile erit hujus sententiæ diorismum elicere; quis hos umbilici dolores non observat quotidie? quis pulsum ad umbilicum non vidit? ustis fuliginibus interclusis, & flatubus venarum obstructione exitu denegato, in illa pylori regione juxta fundum ventriculi, exitum appetentibus; quid mirum, si fuligines aut septum transversum feriant, C aut cerebrum conscendant, hæ, consensus & sympathiæ jure, quin & effusis tenebris, à gentilitia fuliginum nigredine, nonnihil præ se ferant mentis emotæ, non absolute deliria inducant; sed aliquid delirii, seu aliquid timoris & tristitiæ, sine causa; his adveniente crisi pituitæ, satis multum cum labore excernitur; naturæ nempe contentione cum ventris dolore & tenesmo: quia dum adhærescunt, vim naturæ expellentis requirunt, ad illarum expulsum.

Hipp. Coac. Sentent. 2. c. 11. text. 30.

Illud majorem fidem facit, quod de hypo- D chondriorum affectibus in hoc loco prognosim Hippocrates constituat; nam sententia 28. antecedente de ventris palpitatione cum febre, hoc est, de inflammatione hypochondrii, seu translatione humoris ad caput, à ventris regione, exemplum posuit in phrenetico, & in Sileno; in hac vero sententia, nulla translationis, nulla febris suspicio haberi potest, sed exhalationis melancholicæ, fortasse sympathiæ; excludit enim illa febris vacuitas omnem inflammationis suspicio- E nem; ac illa juxta pylori pulsatio, magis explicat hujus melancholiæ energiam: humores enim in obstructione inculcati uruntur, inde fuligines expirant, quæ exitum quærentes in angusto, pulsum concitant, & molesta distentione dolorem: & præter alia septi transversi phlogosis poterit esse delirii occasio.

Inde tamen major oritur difficultas, quod morbus non levatur, nisi ipsa causa & occasio mali vacuetur: & in hoc affectu, causa est humor melancholicus: & humor, qui per crisim excer- F nitur, ex hypothesi est pituita multa; quare non videtur propria expositio: & hæc est causa, quare in Prorrithico Galenus hæsitet in expositione hujus sententiæ; & postea Duretus. hæc eadem sententia legitur in Prorrhitico 1 Prorit. 35. & ob expositionis difficultatem Galenus pro hac dictione phlegma, legendum censet pneuma, hoc est spiritus, quo longe sententiæ sensus immutatur; sic enim legitur in Prorrithico: *Circa umbilicum dolores palpitantes, quod mentis permutationem ostendant, quidpiam habent; circa judicationem vero spiritus, satis vehementi cupiditate penetrat, furæ quoque*

1 Prorrh. 35.

quoque dolores in his mentis aberrationem indicant, &c. non utcunque circa umbilicum dolores palpitantes mentis emotionem indicare credendum est; sed quando ab spiritu calido, fuliginoso, usto & melancholico, oritur palpitatio: & ne tum tantum, sed quando septum transversum hoc impetu pervadit, vicinitatis jure; nam os ventriculi septum dividit ab spirituali regione; cum igitur spiritus circa judicationem satis vehementi cupiditate penetrat, humor in septo transverso jam collectus commovetur; quo lædit nonnihil mentem, propterea quod nervosis partibus principium compati consuevit: si credimus Galeno; quod à septo peculiari ratione contingit, non à cæteris partibus. Hæc expositio roboratur, exposita sententia, ex 2 de Morb. 159. quæ de vera hypochondriaca melancholia legitur; & dato, quod legeretur, pituita & phlegma, ut in coacis legitur, integra nihilominus manet lectio, quam Duretus se non intelligere fatetur; nam in hoc affectu, ex accidenti pituita producitur, ut antea notavimus, à qua pylori, venarum, & mesaræi, obstructiones incipiunt, foventur, & persistunt, à cavitatibus, & venis circumjacentibus, subministrata causa, à debili ventriculo indies cumulata. Si ergo oppressa natura, aliter irritata ad crisim, concitatur, spiritum concitat flatuosum: & vehementi commotione pituitam impellit, per regionem sibi consocialem; quod non accidit, nisi cum à dolore & à pulsatione hypochondrii concitatur; & tunc evenit, quod aliis in crisibus, ab exhalationibus per crisim concitatis, mentis emotionem concitari: & à contentione pituitam expelli, antea adservatam in communibus viis, ex causa supra dicta: labore & tenesmo, & in perculsæ mentis beneficium: quoniam hoc humore expulso, aut alio translato, obstructionis causa inhibetur: & humor jam impactus ventilatur, deposita fovente multitudine; calor attemperatur, quia phlogosis cedit, ut jam præstet inducias in hoc longo & pertinaci morbo: (hæc enim est, in hoc affectu crisis) non aliter enim febres, quæ obstructione foventur, auxiliantur; quam multitudine, quæ est causa aliarum causarum, vacuata, aut alio transposita.

Nec placet in hoc loco Dureti expositio; nam fingit lethargicum delirium; aliter enim crisim à pituita prodesse non valuisse, inquit: nam hoc ex Hippocratis sententia non colligitur; imo ex Galeno 5 de Locis 4. & in loco Prorrhitici citato, deliria, quæ septi compatione contingunt, omnem fere somni vacuitatem afferunt: & licet talis esset pituita excreta, cederet in auxilium; ut nostra probat ratio.

SECTIO V.

De signis & prognosi hujus melancholiæ.

Dubito, an aliquis possit hujus affectus signa ad limam & lineam redigere, ut exactam dignotionem præstent; in tanta enim varietate, neque simplicibus signis, neque simul collectis quiescit intellectus; & ex illis quæ proxime affectus essentiam sequuntur; nullis fere nisi exercitatis satis patent: habent enim hæc signa, nescio quid latentis energiæ, quæ solis jam provectis innotescit; & hæc potius redolent ustionem, quam absolute frigidam cruditatem: quare, sive dolores sint, sive anxietates, vertigines, pavores, aut quæ repræsentantur in somno terribilia, cum hæc sint nigredinis, vaporum aut pravæ ustionis consectaria; semper illas qualitates æmulantur: unicum tamen signum, fere pathognomonicum, nos cum veteribus etiam observavimus; nempe pulsus in hypochondriis, juxta fundum ventriculi; ibi enim est semper cum phlogosi manifesta obstructio, ex qua calidi flatus interclusi, & exitum quærentes partem illam subsultare compellunt: quare, si cor petunt, exhalationes quæ ex illa expirant, anxietates pariunt, implacidum alismum, & dolorem in cordis regione: si ventriculum, vomitum aut acidæ pituitæ, bilis aut melancholiæ, nos etiam ut atramenti vidimus; si cerebrum, dolores in occipite, vertigines, in somno terribilia, & insuperabile interdum pervigilium, quod ad maniam vidimus pervenisse; si membra respirationis penetrare contingit, difficilis spiritus miram varietatem observavimus; & semper cum viscerum dolore, & sensu acrioris caloris; si nervorum substantiam, stupores in brachiis, & cruribus occupasse notavimus; ut videretur æmulari paralysim: & hæc omnia vidimus per accessiones circuitum peragere; demitto variis in partibus dolores, & alia symptomata, confusa & contraria, quod hæc, sola prudens solertia & attenta observatio comprehendit.

PROGNOSIS.

Affectus hypochondriacus est certe difficilis & tardus, ob obstructionem & causæ renitentiam; inde flatus & variæ cruditates emergunt: sed si recte attenditur, medetur in principio, dum nec inveterationem, nec habitum contraxit: si vero jam affectus phlogosim aut inflammationem impressit in venarum substantia, pylori ventriculi, jecoris, aut lienis, seu cum vita etiam consenescit, vel ad tabem, vel hydropem perducit; nempe ad flatuosam tympanitim; ad marasmum plerosque vidimus perduxisse; quibus est extrema pernities ultima desperatio, si illis fluxus ventris superveniat; est enim argumentum, ab altius radicata intemperie, virtutem naturalem præ virium atonia periisse; quo mox fatale est, vitalem in consensum adducere.

Timor & tristitia, si longo tempore ex causæ inveteratione mentem aliis illusionibus percellit, vertitur in maniam, & eam quidem plane desperatam.

Si vero jure vicinitatis phlogosis aut inflammatio venarum mesenterii, pylori vicinia, aut lienis, septo transverso epigenesi serpit; desperata est salus; nam miti, pacato, & occulto delirio, perducit ad tabem, vel marasmum.

Illud nos etiam observavimus, quod cum phlogosis à pylori regione vertitur ad inflammationem, quæ majorem partem ventris occupat, totam præcipue regionem ventriculi, ex parte quæ ad jecur pertendit: si ex causæ inveteratione illud accidit, quod est casus læthalis: & quod vires non suppetunt, auxilio æquales, & quod gravis & rebellis affectio auxiliis non cedit.

Si vero partes, obstructione tumentes, & dolore pertensæ, ex sola humoris infarctione & decubitu

cubitu tument, chalybeatis auxiliis, post evacuationes repetitas solent auxiliari; antequam obstructiones varicosæ reddantur; si temperantia cruditatem prævenias; nam solent antiquæ obstructiones, recenti cruditate indies cumulata, ustionem augere, ac inde intemperiem altius radicari: quo semper curatio redditur difficilior.

SECTIO VI.

De curatione, dum in hoc affectu frigida causa prævalet.

In hujus melancholiæ curatione, illud prius attende, an frigidæ causæ accidentia prævaleant, an calidæ; nam si prævalent flatuosi dolores, à frigido ventriculo cumulata pituita tali cautione, curationem instiatues: ut pituitam concoquas, incindas & abstergas: absque eo, quod calefactione repetita, calidum inculcatum humorem excandescas: & si persistant accidentia, in tepidis & moderate calidis persiste, semper de ventriculi corroboratione solicitus; ne tanta cruditatum colluvie, illius calor, (qui est in hoc casu præcipuum auxilium) obruatur.

Suppone vomitum concitari, seu nausea importuna ab inundanti ventriculi pituita: unde remorata coctio, perennis ciborum ad acidum corruptio, ut tempore coctionis exacto quia ne dum illa perficitur, ad crudi expulsionem natura concitetur, in hoc statu sit tibi prima cautio, ne naturæ expellenti obsistas; nam præterquam quod obstructiones pressiores efficies, affectus redditur contumacior: quare prius vomitum concitabis aqua borraginis, aut naphæ tepidis: postea clysterem imperabis, ut communes cruditates educantur ex hydromele, oleo, sale, & benedicta aut catholico: si pruna foliis senæ & saccharo condita pro primo leniente non displiciunt: pro qua intentione poterit etiam, sympus regius, aut filiculæ, cum decocto pugini propinari; si cruditas supra cruditatem cumulata præsumitur; deinde cruditatis (maxime innatantis) bona parte deposita, detergere incipies quod ventriculi tunicis adhærescit, & mesaræi venis, rhodomele, ex saccharo, tertia parte addita, si placet, syrupo de corticibus citri, aut aliquid de miva cinnamomi, maxime per hyemis rigorem; nam solius rhodomelis usus ventriculi dejicit appetitum; mire tamen borraginis, aquæ calidæ haustulis ventriculi coctionem juvabis, & quandam etiam coctionem flatibus comparabis; nam est etiam sua flatibus coctio, qua redduntur expulsioni apti; postea stomacho modice roborato: aut pillulis de hiera, aut rhodomele persico, aut decocto pugini: aut pulvere de mechoacur ad ℥j. in illa potione quæ chocolate dicitur, primam regionem ex succo crudo vacuare intendes. postea vero ex Galeni consilio 8 Meth. 4. ad detergendas obstructiones accedes: si affectus est recens, in præhumidis & albis mulieribus apocimate Fernelii: in aridis vero, biliosis, exustis, jure avis aperiente, radicibus petroselini, buglossæ, borraginis, & scorzoneræ, & ciceribus nigris alterato; quibus si detersio cum apertione non consequitur, & ex causæ inveteratione renititur, ad scoriam ferri devenire par est; de quo satis multa viri practici. Illud tamen, circa Galeni præceptum, nolui præterire, quando dixit: *Præstat igitur vitiosi succi majori parte jam emissa ad detergendas obstructiones accedere*, &c. quod non est necesse, ut corpus sit positum in ultima penuria; sat est enim, ut sit mediocriter vacuatum; hoc enim est majori parte jam emissa; ad corporis rationem & multitudinem; nam vacuatio, quæ est uni moderata, est alteri superflua.

Galen.

Postea vero, stomachi roborationem & coctionis defectum, ad statum meliorem reducere intendes, ac victum cum moderata siccitate instiatues, facilis coctionis & potus parsimoniam; ex aqua cinnamomi; si non placet, de chinæ radice moderatum miscere; carnes sint potius assæ quam elixæ, aviculæ campestres: & ad extra mire prodest de mastice emplastrum, cum guttulis ex oleo abietis: semper fugies quæ excellenter calida, si nimia siccitate acriora redduntur: hæc enim faciunt excandescere quæ ad intus uruntur; in emplastris vulgaribus stomachi, adverte, ne sint maxime calida; hæc enim continua caloris tractione calorem ventriculi furantur, ut cruditas deterior reddatur, & coctio tardius celebretur; quare illud præcaveatur; aut moderate calidis cum roboratione: aut interpolate per dies imponatur.

Secundo suppone, ventriculi dolorem, aut sub costis aut ventris regione concitari fortasse ad lienem, obstructis pylori aut mesaræi venis, ex flatuum crassorum multitudine qui foventur à multa cruditate, & frigida pituita, in ventre cumulata: in hoc statu, (si aliud non suadet doloris vehementia;) clysterem modice irritantem imperabis, ex hydromele, aut herbis carminantibus, ut decocto cammomilli, rad. altheæ fænugræci, prunis, furfure & urtica, cum melle, oleo amygdalarum & cammomilli ℥j. Catholico, & sale: quod si his non solvatur, hieræ logodionis addatur ℥j. flatuosos vapores postea haustulis aquæ calidæ borraginis dissolvere tentabis, vicibus repetitis; si non placet, naphæ aut jasmonorum, quæ fumidos vapores potiori energia dissolvunt; & si cor maxime dolet, additis quatuor granis lapidis bezoar orientalis.

Et dolorem oblinies ad extra, si humidæ pituitæ prævalet abundantia, furfure & milio calidis in sacculo inclusis: hæc enim illius humiditatem bibunt: si prævalet siccitas & calor, exhalationum & fuliginum, quando in doloris causam cedunt; aut foliis savilæ (aloëm Dioscorides vocat & laguna) ex calfactis aut frustulo axungiæ porci, cum pulvere cammomilli, aut dulcium amygd. & cammomilli oleo: seu ex arietis omento, eisdem oleis calefacto, rem agere oportet; quod si dolor non cedat, vesica semiplena decocto herbarum carminantium, cum oleo amyg. & cammomilli, dolorem oblenire tentabis, quod si adhuc resistit, clysterem imperabis cum oleo amyg. dulcium, & butyro vaccino sine sale, saccharo & filonio, saltem ad ʒß. si id tibi urgentia postulare videtur; profuse enim dolor vires atterit, & sanguinis massam celeriter corrumpit; sin minus, cucurbitulam quam magnam parti dolenti impones: hæc enim esse auxilium flatuosis doloribus, incantamento simile, nos admonet Galenus. 12 Meth. ultimo. quando dixit:

Galen. 12 Meth. ultimo.

xit: *Similis namque est eorum curatio, & quæ per comprehensas jam materias perficiatur; nisi quod is, qui spiritum flatuosum comitantur, propriam quandam curationem est sortitus ex cucurbitula cum flamma copiosa, subinde admota; videbiturque tibi præsidium hoc in hujusmodi effectibus incantamenti cujusquam simile quid efficere, sive ii in intestinis, sive in quavis corporis particula sint excitati; illico enim cucurbitula admota qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum à dolore sani redduntur*, &c. si corpus est plusquam moderate vacuatum; ad hoc mire etiam confert palumbus aut pullus recens natus; per medium dissectus, sed vivus magis placet.

Quod si ne dum remittit, tum de sanguine mittendo jam considera, quoniam doloris vehementia (adhuc in causa frigida) tantum sanguinis attrahit, saltem occasione, cum partes à dolore immunes condolescant, & dolenti transmittant, ut de inflammatione dolor periclitetur; doloris enim vehementia (dum clamosus, præcipiti urgentia, causæ aliter frigidæ indicationem obumbrat & obscurat, ut Galenus est auctor 12 Meth. 1. & Mercatus advertit in colico dolore; quare sanguinis missio, sola aut repetita, tantum urgentiæ respiciat, ipsa doloris causa non neglecta, viribus, causa morbi, doloris vehementia, ad invicem collatis, & pro sua cujusque vice, exactam indicationem ponderibus librata suis: sed quia solent antiquæ obstructiones, recenti cruditate in dies cumulata, ustionem concipere: ut recens etiam cruditas obstructiones augere, impingere, aut denuo producere; ideo si adhuc affectus renitatur, è prima regione cruditate deposita, illud est argumentum, impactum humorem mora ustionem concipere, & fœculentum humorem (exitu denegato) retrocedere: quo illa obstructio est occasio mali, occasionis fomes, & causa graviorum malorum; nam exhalationes, quæ inde ad cor, ventriculum, aut cerebrum conscendunt, graviora symptomata & dolores concitare non desinunt; ideo non solum sanguinem mittere consultissimum duximus, sed & ex talo quidem: hoc enim indicat, & occasio mali, occasionis fomes, ut Galenus consuluit in Commentario de Stymargi famulo; nam obstructionis occasione augetur multitudo; hæc sui ablationem indicat, vacuanti auxilio: partis situs determinat, unde & ubi vacuare conveniat; & Hippocrates & Galenus in hoc casu, si affectus infra hepar consistit, per poplitis, aut tali venas vacuare nos docent, ut antea probavimus.

Quod si à privatione caloris ex contra operantia hepatis calidi, & ventriculi frigidi, flatuum generatio & doloris occasio oriatur, calidum arietis omentum oleo amygdalarum dulcium calefactum, loco dolenti adaptabis: sin minus, arietis pulmonem, calentem adhuc, aut catulum per medium dissectum suo actuali calore: aut tandem (maxime regioni ventriculi) recens natum palumbum per medium dissectum intestinis avulsis, aut pullum etiam calore & sanguine madentem; & vivus magis placet ventriculo oppositus: aut gallinæ pectus assume cum pulvere cinnamomi, aut anisi, aut carnis vaccinæ frustulum, cum eisdem pulveribus; aut tandem dulcia poma vino odorato, cocta cum pulvere diarrhodon & diamusco, prægnantibus maxime mulieribus super ventriculi, aut ventris regionem; quod si dolor persistat, præsidia illudens, ventosam multa flamma dolenti loco, Galeni consilio, adaptabis, 12 Methodi ultimo; cruditatibus antea, per alia auxilia depositis.

Quod si (ut in pluribus assolet,) ex habituali intemperie, & varicosis obstructionibus hæc importuna accidentia, in orbem ad tempora versentur, securius erit cessare ab auxiliis: & victus parsimoniæ, & prudenti regimini, & in omnibus rebus non naturalibus moderamini, curationem ad tempora committere, fonticulis in cruribus apertis; quam ægrotum auxiliorum congerie obruere; & fortasse conficere: non est enim melior curatio, quæ à Galeno, Rufo, & Posidonio traditur, libro de Melancholia ad medium.

CURATIO.

Dum à calida causa oritur hic affectus.

Si vero phlogosis harum obstructionum, aut calidæ intemperiei prævalet indicatio: illud prius considera, an ratione obstructionis, humor crassus, & fœculentus, exitu denegato, retrocedat, sive stabuletur iis eisdem venis; ut sanguinis distributio præpediatur; saltem non expurgetur, expurgandus hœmorrhoïdalis aut mesaraicis suppressis, an ratione causæ antecedentis, aut etiam occasione phlogosis, pravus humoris exusti apparatus, aut usti excrementi supersit, quod tibi indicabit molesta febricula, linguæ siccitas, insuperabile fastidium, cruditas nidorosa, ut quæ fumos eructat, ventris dolor & ardor, & urina, intensa cum flavitie, & secundo considera, quibus in locis illa præsit obstructio: & ad quæ retrocedat non expurgatus humor.

Quod si ita sors tulerit, (clystere cruditate à prima regione expurgata,) mox delibera de sanguine mittendo; non ratione impacti & obstructi, sed aut regurgitantis aut antecedentis apparatus; seu, ut præcaveatur, ne phlogosis transeat in inflammationem, ustorum excrementorum occasione, seu ne major ebullitio in obstructione concitetur: seu tandem ne à consensu, membra principalia afficiantur gravius; licet talis humoris apparatus longe distet à sanguinis natura; & sit mille modis fœdatus, etiam si illud urinæ cruditas dissuadeat, ut advertit Fernelius, consilio 41. si vires adhuc suppetunt: nec in cinerem est jam versa fæx sanguinis, quod tibi indicabit retorridus marasmus; nam hæc sanguinis missio, non tantum ab illa multitudine indicatur, sed à sanguinis vitio, quod bilis aut melancholiæ consortio contrahitur, aut etiam putredine, aut sola ustione; si causam placet legere, consule Galenum, cap. 11. ex libro 9 Meth. & 4. & 8. at si iis plura desideres, legito nostrum judicium contra doctissimum Abbatem Ponce de Sancta Cruce; in cap. 3. cujus titulus est: An obstructio à crassis & lentis succis impediat sanguinis missionem?

2. Considera, à quo loco sit sanguinis missio exercenda, locus enim à parte affecta indicatur; nam si loca infra hepar aut renes patiuntur, situs ratio docet, ex talo esse sanguinis missionem exercendam, licet nulla hœmorrhoïdum adsit suppressio, neque mensium, ex Hippocratis & Galeni consilio; tunc enim fit securior à capite, corde,

corde, ventriculo & hepate revulsio; & à parte obstructa derivatio: & æqualiter, corpus universum per has tali venas vacuatur, ac per superiores, cum fere æque distent ab hepate, ut à fonte. Et hæc quidem non est apud nostros tantum opinio, sed imo certa demonstratio: quam tibi legere licet, si libet ei tantumdem otii impertiri, in nostra unica quæstione; An in morbis, qui sanguinis missionem exoptant, à talo semper sit incipiendum?

Postea vero, sanguine satis ex talo vacuato, multitudine & viribus libratis, seu tumeant hœmorrhoïdes, an secus in viris; seu fluant, seu desierint menses in mulieribus: sanguisugis hœmorrhoïdes aperire oportet, & ita sanguinem combustum, aut aliter extrahere; prosunt enim, lege vicinitatis & consortii, ut quæ ab iliaco ramo derivantur; non semel tantum, si id affectus petit: est enim illud melancholicis morbis singulare auxilium, si Hippocrati & rationi credimus; dummodo aliæ sanguinis missiones præcedant: causam licebit legere in Galeno, 7 Aph. 11. & 6 Epid. Sect. 4. 37.

Sed ante hoc, aut illud auxilium, ventris retrimenta exusta vacuare oportet, abstergente clystere; ex decocto malvarum, prunorum, furfuris cum oleo amygd. dulc. saccharo nigro, catholico & sale; ac die subsequenti, ventriculo roborato, oleo omphacino, absinthii, & pulvere corali, aut mica panis tosti vino, & aqua rosata irrorata, cum eisdem pulveribus & jusculo, aut hepate gallinæ præassumpto: sanguinis missionem imperabis; & si placet, ante horæ dimidium sumat aquæ borrag. & scorzoneræ an. ℥ij. cum. gr. tribus lapidis bezoar orientalis, per hyemem calida, & per æstatem frigida; quod si alia diei aut noctis hora, aut ventriculi dolor, aut cordis palpitatio à calentibus flatibus auxilium sollicitant, haustulis hujus aquæ calentis dissolvuntur, cum pulvere bezoar orientalis; & interim cordis regio etiam foveatur, naphæ unguento & rosato, olei spicæ guttulis, aut Matthioli, cum pulvere diamargaritonis, & diamusci: aut pomo odorifero cocto, in vino generoso, aqua naphæ lymphato cum eisdem pulveribus, supra cordis regionem apposito; neque displicet in hoc & præcedenti casu, haustulum calentis chocolate accipere; nam flatus mire resolvit, ventriculi vires præsentanea actione instaurat, spiritus robustissimos creat, & vires recreat omnium facultatum; ac cordi denique mire opitulatur.

Si tandem, his peractis, adhuc dolor persistat, in ventre aut in dorso, secundo quoque die accipiat clysterem ex jure avis cum oleo amygdalarum dulcium; saccharo & vitello ovi: & si venter duratis excrementis resistat, fiat ex jure de capite & pedibus vervecis, oleo violato, saccharo, vitello ovi, & uncia catholici: quoniam hæc enemata solent humoris acrimoniam retundere, flatus calidos oblenire, moderate dissolvere, dolores ventris sedare, ustionem compescere: est enim singulare hujus passionis auxilium.

Si nimiam patiatur ventris adstrictionem, tempore aut natura contractam, & clysteres vehementer abhorret, ob gravia symptomata, quæ suppressis excrementis contingunt; qualia Hippocrates descripsit, 6 Epid. Sect. 3. text. 1. in subsidium hujus necessitatis, aliquod familiare auxilium præ manibus sit oportet; nam in ventris lubricitate potissimum hujus ægritudinis subsidium, Galenus deputavit 3 de Loc. 7. nos duobus cochlearibus horum prunorum utimur; tertio quoque die, quo blande venter solvitur, & absque excandescentiæ periculo & ustæ auxiliatur melancholiæ; ♃. aquæ borrag. ℔. ij. ß. foliorum senæ selectorum, ℥jß. ferveat usque dum tertia portio absumatur; & colaturæ & forti expressioni adde prunorum sine nucleis ℔ß. atque iterum ferveant ad syrupi usque consistentiam, & sub finem adde cinnamomi in pulvere ℥jß. de quo accipiat languens ad ℥j. vel duo cochlearia, 3 Acut. 4. quoque die.

Si vero adhuc caliditas persistit, cum oris amarore & marcescenti tristitia, licet nulla sit febris, medicamenta purgantia, ceu venenum, vitabis, licet nobilis aut benigni auxilii: solet enim excandescentia inopinata ægritudinem diutius protrahere, & in graviora pericula inducere; quinimo & novam putredinem, & febrem, quam postea non adeo facile compescas; quare in hoc statu securius humoris feritatem, & flatuum calidorum turgentiam frænabis, sero lactis curiose confecto; accipe ℔. ij. lactis & casei à sero separatione, coagulo, aut dum fervet, cum guttulis aceti; in vasculo coletur spissiori linteo, ac postea ad ignem ferveat ad ebullitionem, usque dum ebullit, projice super illud cochlearia duo albuminis ovorum, ut magis depuretur, & clarior evadat; quo exacto, iterum percoletur, & addita uncia una sacchari, accipiat ad ℥viij. hieme, aut debili stomacho, actu calidum cum cinnamomi pulvere; æstate vero, siti & ardore prævalente, actu frigidum: & potest dari casus, quo nive etiam refrigetur modice, & hoc per longum tempus, & ad 30 dies, seu dum symptomata mitescant.

Et iterum attende, an secundo conveniat hœmorrhoïdibus sanguisugas imponere, ut aliquid atri & usti sanguinis denuo cumulati, extrahatur, vel saltem sanguinem ex talo mittere, ut melancholicus apparatus, quo talia symptomata foventur, minuatur. Etsi hepatis calidi prævaluerint signa, erit secundum artem, inferiori apparatu deposito sanguinem ex salvatella mittere; quæ singulari analogia hepatem attemperare creditur.

De stomacho sit tibi magna solicitudo, ut semper roboretur; de hepate attemperando tunc solum, cum longe lateque ustionis prævaleant indicia: ne obstruatur hepar frigiditate nimia; quod facies corpore exacte vacuato: nam abscissa causa, attemperandi sequitur indicatio, ut auctor est Galenus; & ratio convincit, quæ mihi semper est potior auctoritas; ut linteo succo endiviæ, aut scareolæ permadido cum guttulis aceti sæpius permutato, ne calore reaccenso incalescat; quod sit jam obstructio contracta, & nimia debilitas, additur de oleo absinthicorum & caparorum ℥jß.

Quod si jam, tempore adhibitis item auxiliis, temperari noveris acrimoniam hujus præusti succi, & symptomata mitescere; ut melancholiæ conspicua levatio videatur: tunc occasione, cum torno & cothurno librata, & prudenti solertia, & maturo consilio delibera, de corpore purgando: & hoc

& hoc fiat quidem aut solo pugini decocto, floribus cordialibus parato; ad ℥iiij. cum saccharo: aut in illo confecto chocolate, sic enim modice venter solvetur, aut syrupo regio & persico an. ℥ij. cum prædicto decocto: & in robustioribus cum syrupo filiculæ.

Et si à purgatione calor è vestigio remanet, aut fortasse intenditur; aut clarificato temperabitur; aut aquis cordialibus: & ad extra, succo scariolæ, unguento rosato, & santalino cum guttulis aceti.

His ergo jam peractis, & humòre causæ antecedentis vacuato, postrema insurgit indicatio, & ita necessaria, ut aliter radicitus morbus non evellatur; nempe succum obstructionibus impactum: (quem purgans auxilium vacuare non valuit) abstergere, aperire, ac per epicrasim vacuare. Hoc autem (ne erres) indistincte facies, ut sors tulerit; nam in corporibus extenuatis, maxime exolutis & aridis, præ succi acrimonia, & siccitate, uteris jure radicibus de ureteris cocto; tunc enim accipies radices recentes endiviæ, borraginis, petroselini, scorzoneræ, & buglossæ an. n. j. cicerum nigrorum p. ß. petroselini, parum coquantur cum pullo, aut dimidio saltem, in vere, aut æstate; in hieme cum gallinæ dimidio usque dum perfecte caro separetur ab ossibus, & tunc sale, croco, coriandro sicco, & cinnamomo condiatur, & de hoc accipiat ℥vj. hoc enim auxilio & corpus nutritur, aridum humectatur, melancholiæ acrimonia retunditur, obstructum aperitur; & illo accepto se hora una exerceat æger.

Si vero cum succo melancholico cruditatum miscetur abundantia, quo non ita superabundat siccitas, tunc valentius & securius auxilium est illud Fernelii apocima, quo inscinditur crassum, abstergitur viscidum, aperitur obstructum, & repurgatur putridum; contrariorum humorum copulatio: præterquam quod observatum habeo, quod pituitosis & potulentis mulieribus, & obstructis à copia crudorum, cum debili & cænoso ventriculo, nocet valde jus illud radicis de ureticis alteratum, ob nimiam forte humiditatem, quę cum ipso jure cumulatur; ideo placuit apocima Fernelii describere, quod ipse in simili morbo imperavit; ℞. radicis buglossi, oxalidis, cichorii an. ℥ß. agrimoniæ cuscutæ ceterac, an. m. j. foliorum senæ mundatorum ℥jß. fiat decoctio ad ℔j. addendo sub finem trium florum cordialium, an. p. j. in colatura infunde rhabarbari electi ʒiij. cinnamomi ℈iiij. in expressione dissolve, syrupi violati ℥ij. & paretur apocima clarificatum, deturque ad ℥iiij. alternis diebus 4 horis ante cibum: hujus apocimatis tutissimus est usus, ac sine virium dispendio; sensimque eo tota mali causa vacuatur, teste Fernelio.

Quod si adhuc obstructiones reniti videantur, ex cænosa pituita, succis melancholicis & exustis permixta; tunc uti oportet syrupo de scoria ferri, ad ℥ij. in jure radicibus alterato, aut decocto radicum cichorii, petroselini, & scorzoneræ; si non placet scoria præparata oleo amygd. dulcium uti, nimis prævalente rebellis obstructionis ustione melancholica: si vero aperire & evacuare est in animo; his pulveribus uti consultissimum duco; non enim hæ duæ intentiones, ut contrariæ, pugnant, ceu in apocimate Fernelii patet, & in aliis ℞. nigellæ romanæ ʒj. rapontici ʒjß. rhabarbari & radicis rubeæ an. ʒß. foliorum senæ elutæ ʒij. cinnamomi ʒj. redigantur in pulverem, & exsiccata in lapide marmoreo, iterum conterantur, vino irrorata; deinde adde scoriæ ferri, oleo amygd. præparatæ, ℥ij. lapidis bezoar orientalis ℈ß. & fiat pulvis, de quo accipiat, ℈ij. aut ʒj. cum syrupo capillorum veneris, aut ℥ij. de chocolate liquido; aut in vino albo, & si patitur hepar, adde eupatorii ʒj. sed, ut penetrent, omnia in tenuem pulverem redigantur.

Terminus hujus aut illius auxilii, erit donec accidentia mitiora reddantur, aut flatuosa accidentia remittantur: si inter ambulandum suffocatio premit, usque dum levetur suffocatio: si dolor, donec remittatur; si decolor est æger, usque dum vividus reddatur; si timor & mæstitia, quousque mitiora reddantur; similiter si animi angor, cordis palpitatio & dolor, ex solo scoriæ pulvere nos dedimus ad dies 25 aut 30. illud tamen adverte, quod si venter subsistit, ut 3 quoque die solicitetur clystere molliente catholico admixto; & ut sexto quoque die inter scoriæ propinationem, accipiat de syrupo filiculæ & persico an. ℥ij. cum decocto pugini, aut de syrupo cichorii cum rhabarbaro; ut aperienti sit facilior aditus; alios consuluisse video, non sine ratione, in rebelli affectu, guttulas olei de vitriolo in aqua endiviæ aut scorzoneræ, quod certe non displicet auxilium; mulieribus maxime obstructis.

Victus ratio in cibo sit optimæ & facilis substantiæ; ad humectandum prona in extenuatis & exustis; cum modica refrigeratione: ubi prævalent cruda, sint modice siccantia quæ in victu sumuntur; sed semper temperata; potus aquæ scorzoneræ, addito pulvere cinnamomi: exercitium sit tantum humidioribus ad sudoris provocationem; seu ad principium defatigationis, non ut membra sentiat delassata; ut à veneno, fugiat omnia excellenter calentia, tam in medicamentis quam in cibis; velut aqua sarsæ aut ligni; sicut & flatuosa, & quæ facile ad nidorem vel acidum vertuntur, veluti lacticinia & legumina; & super omnia fugiat sarsæ chinæ, ligni sancti decoctum, excepto si à Gallica lue traxit ortum; tunc enim siccitas melancholiæ, alexipharmaca auxiliorum qualitate humidis temperata curatur.

Sed hujus ægritudinis inde major securitas, si fonticuli aperiantur in cruribus; ut si ad lienis regionem obstructio inclinet, in sinistro; si ad hepar, in dextro, si in tota mesaraei regione, in utroque; hoc auxilio (quod inter magna censeo numerandum) fit secura à capite revulsio, à corde derivatio, & ab intemperatis & obstructis membris jugis vacuatio, saltem successione vacuati.

Ultima indicatio, nempe attemperandi siccitatem & ustionem, (quæ in membris corporis universi ab hoc succo relinquitur,) adimpletur balneis aquæ dulcis egelidæ, si credimus Galeno 3 de Locis 7. hæc enim balnea apprime melancholicis conducunt: non ut proliciantur sudores, sed quo tam diu excalfactum corpus refrigeretur, arefactum humectetur: hæc aridis & exustis conducunt, non illis qui nimia scatent cruditate succorum; hæc enim balneo liquefacta, obstructiones pressiores efficiunt, & per corpus

pus

pus universum diffusa, ad hydropem disponunt: quod si illis exactis non cedat inde malum; illud erit compendium hujus curationis; & cibi parsimonia, & potus abstinentia, & fonticulos in crure aperire, ut jam antea diximus.

Curatio Melancholiæ à septo.

Qui ad indicationes veterum medicorum morbi curantur: id quidem exactissimo calculo, rationali methodo, ac secundum naturalia principia præstatur: qui veterum auxiliis, perperam, & maximo cum discrimine; hæc diximus ob superstitiosos quosdam medicos, quorum importuna prudentia, reprehensionem sollicitat, non laudem: abolitam veterem medicinam continuo deplorantes. Facilis erit hujus rei demonstratio; Hippocrates in libro de Morbis superius citato, descripsit melancholiam, à consensu hujus septi transversi; text. 160. qui sequitur: *Huic*, inquit, *veratrum bibendum dato: & caput purgato: postea vero lac asinæ*, &c. pro hac evellenda melancholia, veratrum, medicamentum supra fidem effræne, nobis Hippocrates proponit: deinde caput purgare; postea pharmacum propinare: & in Hippocratis lectione pharmacum, electivum cum violentia sonat medicamentum. Hippocrates nondum artis excultæ, ut sua tulit ætas, nobis auxilia proponit: quod potuit, & quod debuit, fecit: sed postea politioris literaturæ viri, ac nobilior artis cultura, mitiora auxilia potiori methodo nobis dedit; quin imo & Galen. blande tractare melancholiam in principio, in primo ad Glauconem nos docuit: sed ratio & experientia nos arctiori vinculo constringit; nam si effrene medicamentum daretur in principio, ægrotus fere vitæ discrimen non effugeret.

Hipp. lib. de Morb. text. 160.

Quare in præsenti affectu, considera, an per congestionem à calida & sicca intemperie melancholicus humor, aut ustum excrementum cumuletur in hoc nobili viscere: an fluat per decubitum congeniti humoris in toto aut in hepate, ut inculcatione contrahat ustionem, aut confluat exustus: si per congestionem, ubi calida prævalet intemperies, humores venarum, quæ hoc viscus circundant, illud simili vitio coafficere, nemini dubitare licebit: quod si accidat, illud plane convincitur, ad phlogosim, aut inflammationem viscus illud disponere; quam fatale excipiat delirium; quare in hoc casu, sanguinis missio in principio non tantum indicatur ab illa multitudine succi aut excrementi; sed à morbi magnitudine, partis nobilitate, cordis vicinia, officio communi, cerebri sympathia, & tandem ut præcaveatur, quod timetur, discrimen.

Si aliunde melancholiam confluxisse videas, attende à qua corporis sede, an à toto, hepate, aut liene; an evacuatione recenti aut uteri suppressa; an etiam à succo melancholico, quam natura deposuit ad mesaræi venas, seu hœmorrhoïdales, exitu denegato: attende etiam, plenitudinem melancholicam semper cum sanguinis vitio copulari; quo supposito, etiam in hoc casu ab iisdem principiis indicatur; & potiori jure in humoris confluxu sanguinis missio proposita: & hoc quidem evidenti ratione deducitur ex libro 9 Methodi per totum caput 2. & reddidit rationem Galenus in 6 Epid. Sect. 1. text. 2. in libro de Sang. miss. 10. & tractatu nostro de minorandi ratione, in cap. 2. ex 3.

Sed non exinde constat, à quo loco debeat exerceri, à tali, an à brachii venis: nos à talo incipiendum consultissimum dicimus: & quia per has venas æqualiter corpus universum vacuatur, ac à brachio; tum quod æqualiter distant à fonte unde confluit, sive ille sit hepar, sive lien: securius revellunt à cerebro aut corde; celerius & promptius evacuant à mesaræi venis, aut hœmorrhoïdalibus, cum quibus communionem habent in iliaco ramo; quæ ad septum pertendunt, ut antea monstravimus; & ultimo, quod phlogosis, concepta in hoc nobili viscere, mox attrahit in consensum partes inferiores; quando sursum revellitur. Taceo hœmorrhoïdum aut mensium suppressiones, quę huic affectioni maximam causam præstant; & ipsius humoris ponderosam naturam; quoniam licet nihil horum adesset, ex talo nihilominus erit securissimum & brevius auxilium; quare, inferiori illa plenitudine deposita, & corpore universo per has easdem venas vacuato; sanguisugas hœmorrhoïdalibus apponi imperabis, ut crassum & fœculentum, ut quod cedit in consensum, vacuetur, postea derivabis cucurbitulis siccis, aut scarificatis à natibus deorsum: quod si adhuc urgere affectus videatur, tunc ad venas brachii ascendere, pro derivatione & vacuatione, nobilis artis erit; vide tamen sis ne te seducat urgentiæ præsumptio, ut ordinem invertas; nam celerius & securius urgentiæ succurrimus, venis in talo sectis, quam in brachio: venis enim brachii sectis, ad partem læsam trahimus, quo urgentia & urget & augetur; in talo vero inhibetur quod urgentiæ occasionem præstat; quo fit, ut illi celerius succurrat.

Interim humoris acrimoniam attemperare & mitescere docet: quod quidem præstari potest aquis cordialibus & attemperantibus, ac largiori potu; & si tussis vexat, syrupo violarum, & jujuvarum; neque displicet parum de papavere etiam admiscere, ut provocetur somnus; aut elegmate ex aqua rosata, syrupo violarum, saccharo candido, & stirace alba, ut ad formam Loch ad ignem reducatur.

Clysteribus fœces etiam emollire oportet; ac humoris feritatem intus attemperare; ut ex decocto prunorum, furfuris, & malvarum, saccharo, oleo violarum aut amygdalorum, cum sale & catholico; sin minus, ex solo jure avis, eisdem oleis saccharo & vitellis ovorum; septi transversi regionem, oleo violarum & amygd. dulcium cum gallinæ axungia inungere oportet: &, si placet partem septi tensam, atque intus retractam emollire, id facies spongia in decocto malvarum, radicum altheæ, fœnugræci, violarum, cum floribus cammomilli; aut linteis in sero lactis madidis, & tepidis.

Si dolor persistat, & aliqua delirii præludia compareant, saluti id quidem mihi videtur; bene que consultum, si, peractis evacuationibus per sanguinis missionem, sanguisugas illi parti, septi transversi retractæ affigere cures, ut impactum in hac septi substantia vacuetur, cedat inde malum, & consensus ad cerebrum ambitio; interim tamen, à cerebro repellere oportet quidquid confluit de exhalatione, de rheumate concitato & confluen-

confluenti, aut quod fluxurum timetur, seu communi oxyrrhodino ex duabus unciis olei rosati omphacini, & media aceti, seu aqua lactucæ addita, seu rosata, aut papaveris emulsione in magna somni vacuitate: seu muliebri lacte aqua rosata mixto, si vero instet pervigilium, embroca somnum conciliabis, ex foliis lactucæ, capitibus papaveris, foliis hyoschiami, facta decoctione, pari lactis capræ addita portione: longa enim mæstitia si incalescit cerebrum, importuna vigilia, solet esse phrenitidis, aut maniæ præludium.

Quod si persistat cordis, ventriculi, & cerebri ymptomatum series alternata, omnibus mature & attente consideratis, corpus universum vacuare oportet, non elleboro, ut consulit Hippocrates: sed syrupo regio persico, aut filiculæ cum decocto pugini; ac postea per epicrasim oportet repurgare, ac denique aperire obstructa; quod consequitur securius, rhabarbari diluto, ubi cruditas prævalet: sed ubi magis ustio, Fernelii apocimate, si nulla vexat febris: quod si lenta febricula, jure pulli, radicibus prædictis alterato, ubi nodulus foliorum senæ infundatur in ipsa coctione: & hoc illud vicibus repetitis; prout prudenti videbitur solertiæ.

Quod si his exactis placet attemperare, (nam tunc erit occasio, si corporis macies ad continuam mæstitiam sequatur;) in hoc statu mire juvat Hippocratis consilium; scilicet, ut evacuationibus exactis, *Lac asininum bibat*: est enim singulare auxilium ad contemperandam humoris feritatem, ut obtundatur siccitas, & ut, quod deperditum est de humido primigenio, reficiatur: sin minus, erit sero lactis utendum; melancholicis passionibus aptissimo auxilio, ut auctor est Galenus; quorum terminus erit; illorum accidentium remissio, aut deperditæ substantiæ instauratio; (si nondum venter solvitur:) seu qualitatis excedentis contemperatio, ad 20 aut 30 dies, si anteanon cedit: quod si venter solvatur, aut interpolate per duos aut tres dies propinetur, sive chalybeatum, alternatis diebus.

Hipp. idem. *Cibis utatur frigidis & paucis*, ut nos Hippocrates docet in præcitato loco: *Si debilis non fuerit, & alvum subducentibus.* Attendas hic velim quam magnæ molis sit, ventrem lubricum ducere, in omni melancholia: quod præceptum ita Galeno placuit, ut maxime ab illo commendatum fuerit, 3 de Locis 7.

Hipp. Illud etiam Hippocrates præcepit: *Vt fugiat acria, salsa, pinguia, & dulcia*: ne alia ignescant, alia calefaciant; *Neque vinum bibat, sed aquam*; nos autem remur, aquosum vinum, aut maxime dilutum, caloris acrimoniam temperare, & maxime reficere, quod indies deperditur; *Neque exercitiis utatur, neque deambulet*; *hæc si fecerit*, inquit, *temporis progressu, à morbo liberabitur*; *si neglexerit, commoritur*, ait Hippocrates, mærore, & tabida mæstitia confectus; nam similium morborum est semper macronoxia constitutio: & quia siccitas tardius superatur, & in habitum versa intemperies, aut non cedit, aut tardius.

Aqua sit radice scorzoneræ cocta, in communi & generali potu, vinum in assuetis, sit quatuor aquæ partibus, & maxime dilutum; victus ratio, ut in antecedenti, ad tempora mutata, prout hæc, aut illa prævalet intemperies: neque balnea aquæ dulcis egelidæ displicent; nam præterquam quod illa à Galeno commendantur 3 de Loc. 7. sunt, ad artis principia, ab humoris ustione & corporis siccitate indicata, & à morbi constitutione postulata; dummodo, copia cruditatum, in contraindicando non sit potioris urgentiæ; in his etiam fonticuli in cruribus, continua derivatione & evacuatione humoris, qui in ventris regione indies cumulatur, cedent, (meo judicio) in nobile auxilium, & maxime proficuum.

SECTIO VII.

De symptomatum paregorica correctione; & primo de ventris inflammatione.

Inter symptomata, quæ huic melancholiæ superveniunt; (adaucti morbi signa) non est infimæ notæ, phlogosis, quæ totam ventris occupat regionem; maxime mesenterium; quæ despecta solet in læthalem inflammationem devenire; aut totius ventriculi, hepatis aut lienis, & tam latenter causæ inveteratio operatur, ut cum venit in conspectum, jam omne illudat medicinæ auxilium, quo in statu fervidus & torrefactus sanguis, qui suam postulat ventilationem, ut temperetur, si vires adhuc suppetunt, mitti etiam expetit: sed virium & morbi longitudinis respectu; licet antea missus, neque veteres quidpiam salubrius, (dixit Fernelius) aut præstantius hoc subsidio ad curationem hujus affectus prætulerunt; & illud maxime in hoc affectu observavi, ut, præter omnem expectationem, ferant ægroti valentia auxilia: forte, quod magis spiritus melancholici, & indurata siccitas resolutioni resistant: quare si vires, licet moderatæ, supersunt, audacter sanguinem mitte ex talo, aut sanguisugis ab hæmorrhoïdalibus; non est enim credibile in hoc statu, tantam sanguinis abundantiam in partibus superioribus adesse, ut sit prius indicata revulsio à brachiorum venis; nam si adest, prius à brachio revellere oportet.

Et si pro necessitate satis de sanguine vacuatum videtur, & affectus inflammatorius persistit: si inculcatum vacuare intendis, aut sanguisugis, aut scarificatis cucurbitulis extrahere non dubites, ex quaque regione, ubi se talis affectus magis promit; clysteribus etiam humoris acrimoniam temperabis, seu attemperantibus Ætii, seu ex solo jure avis oleo violato, saccharo & vitellis ovorum; seu ex cremore hordei, aut solo jure pulli cum succo portulacæ aut plantaginis; aut ex lacte & sero, cum ovo integro, & saccharo: ad intus, nullo magis omnes intentiones adimplentur, quam hordeato, rite & ad artem parato: ex decem partibus aquæ, una hordei, ut ad duas perveniat, coctione exacta; hujus enim frigiditate calor attemperatur; humiditate siccitas: lubricitate solvitur, quod in ventre exustum retinetur: & viscidum humoris abstergitur; & si radicem petroselini addas, dum concoquitur, aperitur obstructum; ad hoc etiam conducunt attemperantes aquæ: & omnis seri caprini usus. in hoc symptomate nullus est purgans medicamenti usus; est enim importunus, dum persistit: superfluus, dum cedit.

Circa topica auxilia sit magis cauta consideratio;

tio; nam repellere, (quod inflammationis principio debetur) nec stomacho competit inflammato; nec ipsi mesenterio; & quia obstructio redditur contumacior: & quod nobilioribus visceribus repellitur, contra artis principia, & veterum decreta; quare decet attemperare, mollire, ac postea resolvere: & cave ne subeas Theaginis periculum; nam ventriculo & hepate laborante, roborantia miscere, petit hujus membri nobilitas, & illius officium commune.

Quare in principio, uteris oleo rosato, amygdalarum dulcium, & absinthii; addito, si placet, de succo rosarum cum pulvere rosarum & corali: ut cum cera fiat unguentum: vel cum succo absinthii & oleo rosato, sin minus, fiat decoctum ex absinthio, mentha, rosis, radice altheæ, & violarum floribus, cum modico aceto, & in aqua, consultore Foresto, & spongia foveatur pars tensa.

Gal. 10. & 9 Meth. 5. Trallian. Galen. 13 Meth. 8. & 12.

Galenus in illa Theaginis phlogosi, aut inflammatione: *Modice frigidis uti consulit*, ut 10 & 9 Meth. 5. *Laxantibus repellentibus mixtis*, Tralianus, Galenus 13 Meth. 8. & 12. *Revellere, derivare, venæ sectione, frictione cucurbitulis docuit, & quod factum est attemperare.*

Illud tamen petit partis affectæ & loci indicatio, ut, quod possibile, suppuratio prohibeatur; est enim ruptio apostematis fere semper læthalis, unde principio exacto, addatur camomilli oleum, addita, si placet, emulsione radicis altheæ, fœnugræci, pro hac item facit intensione pullus columborum, per medium dissectus, pulmones arietis, aut omentum oleo absinthii, spicæ & camomilli & calefacto & pulvere rosarum, & florum camomilli inspersis, aut unguentum rosatum, & de cucurbita, commixtis in principio.

Quod si devitari non possit suppuratio; hoc emplastro fœliciter juvari, tradidit Amatus Lusitanus; ℞. branchæ ursinæ, rosarum, radicum altheæ an. m. j. coquantur & pistentur, quibus adde farinæ hordei, cammomilli, seminis lini, fœnugræci, an. ℥ß. santalorum rubrorum & alborum ʒij. & cum oleo rosato cammomilli, & axungia gallinæ, fiat emplastrum, & applicetur tepidum; *Hoc enim tertia die*, inquit, *ruptum est apostema, & æger vomitu & egestione vacuavit pus: & postea aqua mellis usus cum manna thuris, melius habuit*: nos utimur sero lactis chalybeato, cum saccharo, ut abstergat & temperet: potus sit aqua hordei, cum vino granatorum.

Amat. Lusitanus.

De cordis palpitatione & dolore.

Haud minus negotium facessit, & cordis palpitatio & dolor; ex hoc enim melancholici solent in syncopem incidere fatali exolutione spirituum, ab ustione & veneno fuliginum: quæ ab obstructione fermentata expirant; quo in statu est maxime observandum illud Galeni præceptum 12 Meth. circa finem: *Ergo in omnibus hujusmodi curationibus*, inquit, *si jam deprehensus syncope, cubans est, omnis solicitudo medentis ad symptoma vertitur: si nondum ea premitur, utriusque curam habebit; & ut in symptoma non incidat, & ut morbus paulatim discutiatur.*

Galen. 12 Meth. circa fin.

Quare pro prima intensione conferunt frictiones frequentes in cruribus, aliquando in ventre, & ad dorsum, & tota pectoris regione, deorsum, idem cucurbitulis etiam adimpletur à natibus deorsum; & si vapores septum transversum impetunt irruenter: ampla cucurbitula, imo ventri imponatur, ut venefici vapores dissipentur; & quia ad originem fluxionis est melior revulsio; nisi pylori inflammatio contrarium suadeat; sanguisugæ aliquando hœmorrhoïdibus imponantur; quod si neque his cor à tyrannidis imperio liberetur, ex arte erit cucurbitulam supra cordis regionem imponere, & scarificare, ut pravi succi & vaporum crassorum oppressio expirent; ad hoc etiam clysteres modice irritantes conducunt, addito catholico aut diaphinicone; neque defuit, qui sanguisugas sub mammis imponere intentet; nec illud quidem est; (corpore exquisite vacuato) extra artis consilium.

Secunda artis intentio adimpletur, si vitales & animales spiritus instaurentur: ut vitreo pomo aquis odoriferis pleno, rosarum naphæ, melissæ, vino, aceto rosato, mixto ambare grisio, naribus adaptato: in senibus, & maxime divitibus, veluti generosis illud compertum habeo, maxime profuisse grana 4 ambaris grisii selecti, cum aqua cerasorum ore sumpta; nos dedimus in vino; aut etiam in electo chocolate, & mire conduxisse comperimus, potus aquarum cordialium, ad ℥vj. cum ʒj. confectionis iacynthorum est mirabilis; nam temperat & ipsam cordis substantiam, & spiritus roborat, ad extra, supra cor imponatur camusia, vino odoro cocta, cum pulvere diamargaritonis & diamusco; aut unguentum ex naphæ & rosati unguento an. ʒß. diamargaritonis frigidi ʒß. diamusci ℈j.

Ore sumat (Fernelii consilio) haustulum ex succo mali punici, saltem semel in die, vel parum de hoc condito; ℞. conditi buglossi, corticis citri, & scorzoneræ an. ℥j. rasuræ eboris, ossis de corde cervi, margaritarum, ligno aloes, an. ℈j. crystalli præparati ℈ß. facchari albi, satis ad conditum. de quo cochleare accipiat bis in die; & parum vini diluti superbibat; si non placet accipere grana 4 lapidis bezoar orientalis in haustulo aquæ scorzoneræ: illum etiam lapidem poteris admiscere in cibis: neque ad alia calidiora, & vehementia, citra grave discrimen, transire licet; dixit Fernelius: malignos & calidos flatus mire dissipat haustulus calentis satis aquæ.

Epithemata aquarum cordialium, cum pulvere ligni aloes, & diamargaritone æstate prosunt; in hyeme unguenta cordialia; sin minus, hic imponatur sacculus, per medium consutus, & vino irroratus, aqua rosata mixto; ℞. rosarum santalorum, corticis citri, masticis, macis, ligni aloes, grana seminis ocimi, spicæ lavendulæ, diamargaritonis frigidi, & diarrhodon an. ʒß. & sacculo serico imponatur.

DE PERVIGILIO.

Haud minus pervigilium pericula minatur, & virium jactura & accessione graviorum malorum; quare, ut radicitus & gentilitia indicatione curetur, causas illius præsenti affectu prius placet inquirere. Naturalis somnus est primi sensorii ligatio; hæc accidit, cum humida & gratiosa vaporum multitudo à cerebri frigiditate & humiditate condensatur; ita ut primi sensorii, hoc est cerebri, orificia, per quæ spiritus ascendunt

dunt & descendunt, veluti obturantur, ut spiritibus exitus denegetur, sive præpediatur; quo illis orbatæ otiantur animales potentiæ; unde somnus provenit.

Secunda causa, est nativa spirituum & sanguinis retractio: dum præ vigilia & labore deficiunt; tunc enim, ut instaurentur, cor & cerebrum, ex instinctu naturæ, attrahunt sibi consociale, ob generalem conservationis finem: & fit inde, ut delassatæ otientur potentiæ; spiritus defectu: quare somnus finitur naturalis, seu cum nativus calor, condensatum in cerebro eliquat,& dissolvit, ut penetrandi spiritibus comparetur libertas: seu cum illos regenerando in otio, copia illorum comparatur, ut potentiis operando sufficiant: & hæc quidem accidunt in somno naturali.

Contraria tamen vigilia inducit, seu cum primum sensorium, ita ex arida siccitate & calore afficitur; ut licet gratiosa ascendat vaporatio, illam tamen condensare non valeat, quod necessario ad somnum prærequirtur; seu quia spiritus quiescere non sinit; quare dupliciter somno impedimento est; & quod fumidos vapores densare non permittit; seu quod spiritus animales ad motum perpetuo inclinat. Non est mea, Galeni est sententia; quando dixit: *A frigore segnitia, à calore immodicus motus.*

Galen. 13 Meth. 12.

Hoc etiam alia ex causa comperimus accidere: nempe, cum à calida & pungenti exhalatione, cerebri substantia pungitur, & mordetur; ita ut quietem non admittat; quæ est ad somnum apprime necessaria; & hinc accidit, ut vere melancholici & mania & importuna torqueantur vigilia.

Quare in pervigilio melancholico prima est urgentiæ indicatio, nempe ne virium jactura,& accessione graviorum malorum, aut virtus animalis deficiat defectu spirituum: aut fiat transitus, ex causæ inveteratione ad maniam; instrumenta autem, quibus hæc præcaventur discrimina, indicantur contraria, & à cerebri calida & sicca intemperie, quatenus condensare nequit gratiosos vapores; seu quia spiritus in motu jugi conservat: alia etiam contraria indicantur auxilia à causa mordicanti & pungenti, quatenus adimit à cerebro quietem.

Utraque indicatio unica intentione adimpletur, refrigerando nempe & humectando: hac enim contraria alteratione cerebri, calida & sicca curatur intemperies; & causæ mordicatio oblenitur, & motus spirituum comprimitur. Hoc variis auxiliis perficitur intus & extra, sed iis maxime comparatur, ut non tantum gratiosa ascendat vaporatio, sed si in cerebro valeat condensari. utraque enim conditio ad somnum prærequiritur.

Ut ergo à levioribus incipiam, cibi sint facilis & nobilis substantiæ, herbis & leguminibus frigidioribus conditi, ut lactuca, cucurbita, & ad hoc conferunt omnes fructus hortarii, ut melones, pepones, acida & dulcia cerasa: Galenus enim libro de cibis boni & mali succi cap. ultimo, tantum prohibuit illorum immoderatum usum; ad hoc conducit amygdalatum ex seminibus frigidis cum amygdalis, frigida antea maceratis: & cum albi papaveris seminibus cum saccharo; ac postea una hora exacta ante somnum, super frustulum lactucæ aut cucurbitæ conditæ poculum aquæ nive refrigeratæ tribuatur; si id ferat ægri consuetudo & ventriculi robur: nullo enim auxilio plenius omnis indicationis intentio adimpletur; seu in ovo sorbili; accipiat ʒß. papaveris ad pulverem redacti; mire confert lactuca cruda, cum aceto & saccharo, aut aliquando cocta: cremor avellanarum & nucum, nec in omnibus placet,nec aliquibus displicet; quod à nostris vocatur hermogillo.

Leves ligaturæ, & blandæ frictiones, acres exhalationes hora somni à capite avellunt; & balnea humectant, crurum, pedum, & brachiorum, ex dulci & egelida aqua; temperat cerebri intemperiem, & motum spirituum compescit, embroca ex decocto frigidarum herbarum, addita tertia parte lactis; ut ex lactuca, malva, violis, hordeo,& floribus nenufaris, hyoschyamo, papaverum capitibus, &c.

Raso capiti imponantur pro hac intentione lintea madida oleo violarum & cucurbitæ, & cum lacte muliebri: temporibus adaptetur unguentum; ℞. unguenti populeonis ℥ß. olei papaveris ℥ij. de cucurbita ℥jß. opii gr. iiij. vel ex emulsione de semine papaveris, & cum lacte muliebri additis 4 granis opii; sed ad tempus permadeant siccata.

Concludimus cum Galeni sententia 2 de Loc. ultimo: *Quotidie vidimus*, inquit, *lactucas, potabilium aquarum balnea, & vinum modice dilutum, somnum inducere*; non disputo an de balneo universali suam ferat sententiam, an de sola capitis lotione; nam utrumque videtur consonum rationi.

Galen. 2 de Loc. ultimo.

Quod si istis non cedat pervigilium, transire ad narcotica, jam consulit urgentia: illud tamen ars docet, quanta cautione & meta sint maxime ad intus tribuenda; occasionem invenire, artis est; sed quantitas in uno quoque, hoc nec dici nec scribi potest: consulimus Galen. 12 Meth. 1. qui ob triplicem causam hæc narcotica consulit propinanda; seu dum instant vigiliæ; seu ut tenuium & acrium fluxio compescatur; seu tandem ut stupescat immanitas doloris. primum hæc verba sonant: *Sin ex vigiliis & viribus resolvendis ad mortis discrimen æger tendat, tunc tempestive hujusmodi medicamentis utare; non ignarus, corporis habitum nonnihil ex his lædendum, læsionem tamen potius quam mortem optamus*; & parum infra; *cum æger ex tenui & acri fluxione laborat, utare sopientibus: & in principio, cum vehementissimo cruciantur dolore*, &c.

Galen. 12 Meth.

Illud tamen nolui præterire, sed ex hac Galeni sententia adnotare; *Sin ex viribus resolvendis discrimen incidat*; quod antequam resolvantur, (si vigilia instat, acris fluxio aut dolor,) tunc erit narcotici occasio; nam vires exolutæ narcoticum excessum ferre nequeunt; quanto magis nativus calor, & vivificum nectar in hac pugna deficiunt; ideo Galenus hujus exolutionis timorem docuit præcavere, imperando, ut illa tribuantur narcotica, antequam exolvantur virtutes facultatum.

Quare ob fraudulenta narcotici discrimina, est à levioribus semper incipiendum in hac importuna & fallaci vigilia; ideo primo clysterem imperabis ex decocto lactucæ malvarum, hyoschyami, & capitum papaveris cum oleo violarum, & nenufaris, saccharo, vitello ovi & ʒß.

Filo-

Filonii: ad extra raso capiti imponere curabis pannos lacte muliebri permadidos, additis granis topii; quod si nec illis cedat, dabis ad horam somni ℥ß. de syrupo papaveris cum aqua lactucæ dissoluto, & ad ℥iij. seu illa superbibita; quod si adhuc persistat, in eadem aqua dissolvere curabis ℈j. aut ʒß. philonii Romani; seu de pilulis cynoglossæ accipere mandabis ab ℈ß. ad ℈j.

In hoc tamen opere hæc sit maxime cautio, ut die sequenti ad narcoticum nulla fiat sanguinis vacuatio, maxime per venæ sectionem; nam calor, & insitus & influens, narcotici oppressione exolutus, sanguinis missione extinguitur: ad hoc enim videtur prolata illa Coacarum Hippocratis sententia, 2 Coacarum cap. 13. text. 18. ex Dureto: *Detractio sanguinis in torpida refrigeratione malum*; quam postea cap. 26. text. ultimo, repetere artificio voluit; est enim omnem humanitatem fugientis, dixit Duretus, defraudare naturam, eo commodo, quo ejus retractio sperabatur, ex cujus paupertate ipsa torpescit & effœta languet.

Hipp. 2 Coac. c. 13. text. 18.

Duretus.

DE TRISTITIA.

Tristitia etiam corpus adeo contabescit, ut cor, in hoc concursu, suum petat auxilium: *Hujus visceris roborantia*, dicit Avicenna, libro de Viribus cordis cap. 9. *in triplici versantur differentia*; (adverte quod idem etiam consideratur, circa cerebrum, cum pendeat hujus ex illius spiritu;) *nam quædam roborando multiplicant spiritus, ut hyacinthus, alia occulta, & evidenti qualitate, uti moschus & ambra; alia qualitate & substantia; partis temperamentum tuentur, aut in nativum mutant, modum substantiæ comparant, fuligines removent, & dissipant, & per accidens substantiam augent; ut vinum & alimenta nobilis & facilis substantiæ*; at maxime per præsentaneam actionem potus ille, qui apud nostros dicitur chocolate; unde cum spiritus animales continuus sit, ex Avic. vitali spiritui; cerebri medulla necessario, cordis auxilium consequitur; quare exactis quæ superius diximus; cordis repetantur epithemata, & cordiales potus: balnea dulcis aquæ; & bis aut ter in die de hoc capiat condito, ℞. conditi borraginis buglossæ an. ℥ij. confect. Alchermes ℥ij. electuarii lætificantis ℥iij. theriacæ magnæ recentis ʒß. & cum saccharo fiat conditum, frigida etiam interdum admiscere suadent, calida & æstuantia hypochondria.

Avicenna lib. de Vir. Cord. cap. 9.

Falsa imaginatio, fallaci solertia, interdum ingeniose fallitur, rebus & occupationibus ad voluptatem ægroti comparatis: ac diversionibus quæ ipsam voluntatem alliciant; est enim illa ut humana fœlicitas, quam suopte ingenio quisque terminat.

De inveterata melancholia.

Quod si his non cedit melancholia ob succi rebellem contumaciam; seu ob peculiarem malignitatem succi, ustione contractam; tunc ad fortiora purgantia nos compellit necessitas; (qui à nobis nunquam in securis ducuntur) quare præmissis humectantibus lavacris, cibis & potionibus: eis uteris quæ in parva quantitate multum educant, maxime in robustis; ut de pilulis Arabicis ʒj. in sero lactis, ubi folia senæ, & flores cordiales infundantur: & si ad eleborismum coegerit necessitas, sub hac lege conficies; ℞. ramentorum elebori minoris efficaciæ; ʒj. infundatur in aquæ cerasorum ℥vj. coquatur lento igne ad tertias, & colaturæ adde syrupi violarum ℥ij. confectionis iacinthorum ℈j. misce & de hoc accipiat ℥j. & superbibat seri lactis ℥ij. vel ℞. ellebori nigri ʒiij. in taleolas rafani illum infigi facies, per diem, ac postea taleolas infunde (detracto elleboro) in oxymelitis ℥ij. aquæ scorzoneræ ℥iij. confectiones alchermes ℈j. ac illam infusionem accipere mandabis; vel ℞. stibii gr. iiij. infunde in aquæ cerasorum ℥ij. per diem, & postea aquam extrahes solam, relicto stibio in fundo, & hoc tantum accipiet; quod si per epicrasim, reliquias oportet expurgare; de hac sublimatione dabis ℥jß. ℞. ellebori, ʒiij. epithimi, cartami, polipodii, rhabarbari electi an. ℥ß. florum cordialium, p. ij. foliorum senæ ℥ij. electuarii lætificantis ʒiij. infundantur in vino albo, ad ℔ß. aquæ cerasorum ℥vj. per diem, ac postea optime macerata distillentur; & prima distillatio secundo sublimetur; ac de prima detur ℥ij. in jure aut sero lactis & de secunda ℥j. tertio quoque die; & hoc in omni melancholia, seu illa sit per se consensum; dummodo jam inveterata, levioribus auxiliis resistat: sed stibium in hoc pertinaci affectu primas tenet, & ad grana vj. in vino albo poterit propinari; aliqui Mercurium præparatum in pulvere, aut pilulis cum fructu propinari contendunt, ob suam singularem analogiam; quod quidem remedium non improbamus, sed nec ut tutum consulere, nobis facile sit.

DE VARIOLIS & MORBILLIS, LIBER VNICVS.

CAPUT I.

An veteribus ignotæ.

Variolas veteribus ignotas dixit Mercurialis; Ætius notissimas; cui Forestus facile assentitur, versatus in Græcorum doctrina; nec est mirum longo temporis spatio delituisse, usque ad nostra tempora, ut de Tiberii mintagra temporum monstravit cursus; & B de nostra febre puncticulari, de qua plura extant veterum monumenta, & delituit usque ad annum 1557. in Granatensi bello, quo sæviit ferociter, & veluti repullulans; de hac extat historia in Hippocrate de Soufranonis filio, & de fullone in Pherecida; cui malignas fuisse puncticulas dicit Valesius 5 Epid. 9. & 7 Epid. 7. de Variolis autem extat Hippocratis testimonium 1 Epid. Sect. 2. in secunda tempestate Thasso; ubi exanthemata enarrat, quæ fuisse Variolas Valesio placuit; quod idem sentit de exanthematibus Simonis 6 Epid. Sect. 2. t. 23. & Galenus idem recenset accidisse in quadam constitutione pestilenti, 5 Meth. 12. cujus exanthemata fuisse Variolas Manardus nobis fidem facit, 7 Epist. 2. & fidelis Galeni paraphrastes, Paulus lib. 1. cap. 6. de Arabiæ principe Avicenna, & aliis Arabibus, testimonia omnibus patent, quæ complent quingentos fere annos.

CAPUT II.

De variolarum essentia & occasione ebullitionis.

Variolæ & morbilli sunt rubentes quædam excretiones à bulliente sanguine cum quadam cutis eminentia; ex materia crassiori variolæ, ex tenuiori vero morbilli: aliquando cum febre, interdum sine illa, dum sanguinis effervescentia propelluntur; quæ sanguinem purificat, actione interdum perfectiva; interdum corruptiva.

Avicenna. *Febrem variolarum secundum semitam putredinis*, dixit Avicenna Fen. 1. 4. Tract. 4. cap. 2. & 2. 4. Tract. 1. cap. 8. ex peculiari conditione Mercatus; Fracastorius bullientem & contagiosam, secundum putredinem, aptam sanguinem purificare: Mercurialis impetuosam & conclusam ab ichoribus ebullientibus; Fernelius pestilentem ab aëris vitiati contagio; Avicennæ commentator Gentilis, à sanguine bulliente absque ulla putredine.

In hoc omnes conveniunt, quod per ebullitionem separetur materia, ut ad cutim pellatur; sed nullus fere novit qualis sit ebullitio; & quo- A modo materia excrementitia in illa tenuetur, ut ad cutim pellatur.

Pro cujus intelligentia adverte, quod ebullitio sit concussio partium aquosarum & terrestrium, mediis vaporibus, qui permeant universam substantiam, ab intensiori calore facta ad succi depurationem; per hanc liquantur succi, non tantum à calore, sed à motu & agitatione: exemplum posuit Avenzoar in lacte; hoc tamen patet in musto, antequam ad vini substantiam depuretur.

Per motum & calorem hanc separationem fieri Galenus docuit, 8 Meth. 6. 3 de Locis 7. & 3 Epid. Sect. 3. 57. & à calore putredinali intendi, & per liquationem 3 de Sympt. causis 2.

CAPUT III.

An semper ebullitio terminetur ad putredinem.

Facit *sanguinem ebullire*, dixit Avicenna, *multa aquositas sanguinis; & corpus quidem variolis aptum* C *est, calidum & humidum, conturbatæ humiditatis, & qui vescuntur lacte camelarum, ipsi quidem facile iis corripiuntur:* at non omnis sanguis, teste Avic. commentatore Gentili, est aptus ebullitioni rectificativæ, sed qui est multum aquosus & fluidus. sanguis enim in variolis per ebullitionem à parte excrementitia depuratur, quæ ad cutim propellitur; sed illud dupliciter accidere comperimus, vel actione perfectiva, vel corruptiva; & utraque à calore perficitur, sed prima ad perfectionem terminatur; ad corruptionem vero secun- D da: nam in prima calor, intra limites sanitatis & naturæ, humiditatem fervere facit, quæ in illis humoribus, qui effervescunt reperitur, dum ab alia causa intenditur ut ira, aut concitato motu, aut consortio calidi & facile inflammabilis alimenti: si non etiam repressis calidis fuliginibus, quarum occasio calor intenditur, sed interdum vires naturæ exuit, ad statum præter naturam versus: & tunc (velut in musto,) *Ebullitio partes crassas à tenuibus separat, ut ad invicem etiam separentur*, ut dixit Avicenna; quod & tempore æstatis *Avicenna.* E experimur, dum sanguis effervescit, quo mille excretiones ad cutim excrementitias & pruriginosas natura irritata pellit, & alias inutiles, quo purior redditur sanguis: & hæc ebullitio non terminatur ad putredinem, sed ad perfectionem; quod etiam in fructibus experimur maturescentibus: & de hac ebullitione Avicennæ sententiam intellige, quando dixit; *Et de hoc est cujus causa est, res quasi naturalis*; hoc est, dum calor parum à naturali recessit, ut placuit Gentili, Fen. 1. 4. Tract. *Idem.* 4. cap. 6. & Rasis 18. continentis, qui variolas absque febre germinari plerunque tradiderunt, quod ille in filio, & Forestus quadam in constitutione observavit. Nos ipsi etiam sæpe vidimus,

mus, non tantum absque febre, sed absque ulla A sensibili læsione actionum, variolas & morbillos erumpere, in statu perfecte naturali.

Est tamen alia ebullitio corruptiva, dum nempe fervor & ebullitio terminatur ad putredinem, ut in sanguine, aut aliis humoribus, dum à putredinali calore computrescunt; partes enim tunc humidæ separantur à sicco, ut placet Aristoteli 4 Metheoror. 2. aut pars putrida actione separativa, ab utili & sana separatur, dominante natura aliquando, interdum irritata, dum naturali impulsu noxia pellit; & istæ sunt variolæ aut morbilli, quæ ad synochum vel aliam febrem, de putridarum sorte, progerminant, ut interdum ad pestilentem & malignam; cum lividæ, cineritiæ, pallidæ, croceæ, depressæ, & latæ ac indistinctæ prorumpunt, quæ ut plurimum degenerant in ulcera maligna, depascentia, & putrida. B

CAPUT IV.

Qua occasione illa ebullitio concitetur.

Avicenna & Rasis, quos cæteri Arabes sequuntur, reliquias sanguinis menstrualis, quę in poris fœtus reservantur, fere causam postea dixerunt ebullitionis in sanguine, aptæ ut erumpant variolæ; supponentes fœtum in utero sanguine menstruali nutriri: qua labe partes infectæ, postea veluti ebullitione turgentes ad expulsionem insurgunt: nata fortasse occasione à cibis ebullitioni paratis: donec infectus sanguis, & partes ab illa fœculenta labe depurentur; illud dixit Izac: *Naturam has sanguinis infecti reliquias quibusdam locis clausisse, à principalibus membris remotis, cutiq; vicinis, ut possint labem illam ob debilitatem tolerare, quæ concitatur postea à cibis ac potibus,* &c.

Izac.

Illud tamen ex natura rei ediscere oportet; nam interdum illa ebullitio concitatur à causa naturali: & à præternaturali aliquando; sed adverte, quod variolarum apparatus debeat antea in venis præexistere; & in sanguine, & in illa per poros dispersa humiditate, labe uteri originali infectis; si interim advertas, quod hæc labes in aliis inclinat humores ad cutim, propellantur ad variolas aut morbillos; in aliis ad alias cutis fœditates, ut scabies, ulcera, aut abscessus; in aliis, ut epilepticis accessionibus corripiantur, si ex illa apparatus epilepticus producitur; nam hęc omnia absque nutricis vel nutriti occasione germinari experimur; non enim est fatale, ut in omnibus hæc labes disponat ad variolas, (si sanguis & partes porosæ illis excretionibus depuratur) cum plerisque universam transegerint sine illis.

Quare movendi præexistentem apparatum interdum est occasio, sola externa cutis constitutio, ut sanguis repressis fuliginibus accendatur; aliquando vehemens aliqua passio puerorum: frigida, aut excellenter calida constitutio temporis; & uno verbo, quidquid valet in sanguine, aut aliis ichoribus ebullitionem concitare; sed illud certe patet, cum absque febre variolæ progerminant, hanc esse ebullitionem perfectivam: &, licet à causa præter naturam, nihilominus esse talem: si est critica absolute excretio: noveris talem esse, si ad excretionem cessat omnino febris, & reliqua concidunt accidentia.

Sed peculiaris aliquando vagatur constitutio in aëre, ex influxu cœlesti, quæ peculiari analogia, valet illam ebullitionem concitare in sanguine & humiditatibus, per universam corporis compaginem dispersis; quæ certe causa non tantum solet movere, sed interdum apparatum producere, ut germinent variolæ: *Hæc enim est res occulta extrinsecus adveniens,* quam Avicenna dixit, *quæ facit permiscere humores cum sanguine, commixtione eunte in dispositionem ebullitionis,* &c.

Avicenna.

CAPUT V.

Qualis sit febris variolarum.

Febris ista non est peculiaris; sed quæcunque ex quatuor speciebus invenit apparatum præexistentem, à labe infectum sanguinis uterini, potest morbillos aut variolas secum ferre; nec aliud peculiare requirit, seu pestilens, seu alterius conditionis sit, quam ferre analogiam, ut apparatum moveat; cujus defectu vidimus plerasque febres & sanguinis & alterius sortis, neque secum ferre variolas in pueris nec morbillos.

C Illud tamen quadam constitutione pestilenti adverti, quod prava illius conditio similem produceret apparatum, qualem ab uterina labe, sanguis & partes contraxerint; non est enim possibile, in generali constitutione variolarum in omnibus similem præesse apparatum, licet in omnibus sit labes; nisi dicamus, quod maligna, pestilens, contagiosa qualitas, quæ viget in constitutione variolarum, habeat peculiarem analogiam cum labe sanguinis menstrualis, ut illum faciat effervescere, ebullitione corruptiva, qua D separat partem illam sanguinis excrementitiam à parte puriori, quam ad cutim, natura irritata impellit; quod profecto fieri observavimus quadam in epidemia.

Nec sit mirum, quod maligna constitutio, à peculiari cœli influxu determinata, hujus aut illius membri, aut humoris moveat apparatum; in aliis enim movet ad ventrem, & dysenteriam concitat generalem; in aliis ad inguina, & bubones producit; & si super cor dominatur, sub axillas: si vero super caput, lethargum & catapho- E ram, aliquando parotidas; si vero analogia est ad sanguinem, hunc maligne corrumpit & facit ebullire, aut adurit; & tunc anthraces, aut carbunculos ad cutim mittit, & plerisque maculas nigras & lividas, atri & bullientis sanguinis soboles; ac multis etiam puncticulas; nam pars cœli determinata, influit in hanc aut illam partem materiæ, & non totum cœlum: quare illam materiam disponit, ut talis forma introducatur, quali necessitat: ideo ille influxus specialis ex illa parte cœli, stellæ nempe aut planetæ in hac F parte Zodiaci, in hoc loco non sumitur pro alio, quam pro talem dispositionem influere, quæ ab alia parte cœli influi non est nata.

Sed illud non te lateat, in maligna constitutione posse qualitatem influxus non ad unum, sed ad plura habere analogiam, pro patibilis dispositione; id fere refert Montinus in hoc casu, lib. 7. de Feb. 2. de quadam regina, quæ præter variolarum omne genus, bubone etiam corrupta fuit.

Febris ergo variolarum poterit esse synochus ex sanguine, aut bile, aut ichoribus, aut ex illis permixtis; cujus ebullitio faciat variolas erum-

pere; hoc tamen de prima febre intellige, quæ solet, variolis benignioribus erumpentibus, cessare; nam postea, dum ad statum variolarum properat maturatio, alia febris succrescit, quæ est ut plurimum alterius naturæ: accidens nempe phlogosis corporis universi, quam puris generatio accendit; nisi etiam præsit adhuc venarum apparatus, qui foveat præexistentem febrem.

Possunt etiam erumpere morbilli & variolæ, & absque ulla febre, dum natura conatur sanguinem à labe expurgare; & quidem interdum per febres pestilentes; de hoc enim illud est Alberti Anglici judicium, lib. 7. de Variolis: *Sunt variolæ & morbilli, inquit, infectiones universales, quæ sæpißime sequuntur pestilentes febres ex mala crisi, & materia humida conclusa, & sanguine turbulento, aliquando ex multitudine materiæ corruptæ, ac potißimum ex repletione sanguinis.*

Albert. Angl. lib. 7. de Variolis.

CAPUT VI.

De causa variolarum & morbillorum.

Hæc est interna aut externa, proxima aut remota; interna, est labes infecti sanguinis, aut materiæ in poris conclusæ, aptæ ut effervescat: hæc enim labes hæreditaria apparatum disponit ad variolas: (neque moror in illa quæstione, an fœtus in utero alatur, infecto an puriori sanguine; nam adhuc sanguis matris purissimus illa labe inficitur, alterius vicinitate, & uteri consortio.) Externa est occasio ebullitionis in sanguine, aut infecta materia; hæc potest esse multiplex in cibo & potu, & aëre, in motu & quiete, excretis aut retentis: dicam quod observavi, nimirum ut plurimum & plurimis variolas & morbillos erumpere, in vere & autumno: (excepto, ubi ex peculiari cœli constitutione contingit epidemia;) Et vere quidem sanguinis ubertas est in causa, & materia humida ebullitioni parata: in autumno vero fructuum alimentum ex æstate, quod maxime sanguinis ebullitioni conducit; & pororum corporis universi constrictio, ex quo fuligines retentæ sanguinem, & materias putrescendo aptas faciunt ebullire: unde infectiones universales ad cutim propelluntur.

In constitutionibus vero est duplex; aut enim est certa temporis constitutio, quæ maximam habet ad ebullitionem analogiam, absque ulla maligna qualitate; alia vero est maligna, & contagiosa qualitas, quæ has infectiones peculiari analogia & movet & producit, ut ad cutim pellantur; sed sub hac differentia, ut in ebullitione perfectiva, sine febre prorumpant, si non forte diaria; in corruptiva vero, cum hac aut illa febre, prout præest; aut à maligna qualitate producitur in corpore apparatus; quod ex signis venaberis; ad quod cælestes influxus maxime dispofuisse vidimus: *Et in Cayro, civitate Ægypti bis in anno singulis pueris variolæ pestiferæ aguntur:* dixit Prosper Alpinus, lib. 1. cap. 13.

Prosp. Alp. lib. 1. cap. 13.

Quare non sufficit materia apta ut effervescat; hæc enim est tantum humoris dispositio in actu primo; sed est prorsus necesse quæ concitet occasio ebullitionem in humoribus aptis, in actu secundo, & non quemcunque humorem in venis reservatum, sed materiam illam in ambitu corporis conclusam, ex labe hæreditaria infectam & aptam ut ad cutim pellatur; & hæc est, *res illa, extrinsecus adveniens*, quam dixit Avicenna, *quæ permiscet humores cum sanguine, commixtione eunte in dispositionem ebullitionis, qui multiplicantur succeßione astrorum in corpore humido, conturbata humiditatis, & quibus in usu est lac camelarum*, &c. attende ad illa verba, (*qui multiplicantur, succeßione astrorum*) & invenies quod dicebamus antea; nempe generalem contagionem non tantum commovere, sed producere apparatum ad variolas & morbillos.

Avicenna.

CAPUT VII.

De signis variolarum.

Inter signa nullum pathognomonicum est, per se sumptum: plura simul fortasse variolarum pathognomonicum signum constituent; nam talia signa esse, rectissime dixerunt Medicinæ parentes, quæ ab actionibus læsis desumuntur; proximeque partis essentiam consequuntur; partim vero ab excrementis propriis, quæ loci affecti speciem cum materia morbum continente, deliniant.

Ponamus ergo in puero continentem febrem ex sanguine, aut ichoribus, cum quadam similitudine catharri, & raucedine, & motibus interpolate convulsivis, & corporis universi rubore, & oculorum cum capitis gravitate, & motibus interdum epilepticis, cum frequenti sternutatione, aut dentium etiam stridore, cum anhelitus difficultate & delirio, cum vomitu & nausea; si maxime ad ventris dolorem subita sequatur diarrhœa, cum terrore in somno, implacido alismo; nonne hæc omnia, aut pleraque saltem; (non est enim necesse, ut omnia in singulis adveniant) si subito compareant pressa leviter, & fugacia, proxime essentiam ebullitionis consequuntur, aptam purificare sanguinem, & sunt illius excrementi gentilitia apti, ut eructare faciant morbillos, & variolas; ergo simul poterunt esse signa pathognomonica; sub hac signorum syndrome.

Hæc enim peculiaris ebullitio, in materia humida conclusa, in tertia corporis regione labe menstruali infecta, cum illa quæ in sanguine aut ichoribus accidit, intra venas nescio qua energia, hæc communia accidentia facit sibi peculiaria; (veluti in pleuritide, & maligna ac pestilenti febre:) & dum ad cerebrum mittit acres & mordaces vapores, cephalalgica, & catharrica concitat accidentia; & si ad cor, cordiaca; si ad ventrem, diarrhœica; & interim ad corporis ambitum commota, ruborem in tertia regione, & in oculis concitat, & alias cutis excretiones: quod si tunc viget harum excretionum constitutio, tibi erunt certissima variolarum signa.

Sed adverte hanc ebullitionem fore interdum perfectivam, alias ad putredinem seu ad corruptionem; ac ideo hanc esse frequenter symptomaticam, licet interdum critica esse possit; illam vero semper perfectissime criticam; inde tamen nosces ebullitionem perfectivam, si absque ulla symptomatum turbatione adveniat: vel, si mox ut erumpunt variolæ, aut morbilli, cessant & ebullitionis symptomata & febris, perfectissima crisi, ut quæ judicantur & judicata sunt integre: si vero ad putredinem terminetur excretio, non exinde

inde symptomata mitescunt, neque febris; & lente & paulatim variolæ prorumpunt, sed imperfecta crisi, interdum symptomatice; si ad corruptionem terminetur ebullitio, graviora inde succrescunt accidentia, latæ, & depressæ variolæ, pravæ, duræ, & tardioris exitus, quas postea sequuntur ulcera depascentia; cum pulsu inæquali, celeri & invalido, anhelitus difficultate, & raucedine, & quæ prorumpunt variolæ, fiunt interdum lividæ, nigræ, aut pallidæ nimis, & admixtis puncticulis; redduntur que ægroti, omnis figuræ & loci impatientes; & plerisque aliis lethalis supervenit dysenteria, aut incompescibilis diarrhœa, ex eisdem variolis tunica interna intestinorum adnascentibus.

Id etiam attende, quo magis terrifica concitantur accidentia, & plus durant, eo majorem variolarum multitudinem expectare par fore; nam in ebullitione perfectiva, fere nulla adveniunt symptomata, & paucæ & dispersæ variolæ; & si multæ, rubentes & acuminatæ, atque benignæ variolæ prorumpunt; quod ad 4 usque diem expectandum erit; licet aliis ad 5 & ad 6. extendatur; raro ultra, quæ crisis ratio, est synochæ febris propria, neque præindicatur, nisi à singulari horum symptomatum energia. Illud tamen in ebullitione perfectiva notavimus; quod à prima die progerminant variolæ; quoniam cum sit solius naturæ opus, hæc non surgit, nisi cum ultimam dispositionem introduxit ebullitio.

CAPUT VIII.

De Prognosi variolarum.

Variolæ & morbilli, quæ ad ebullitionem perfectivam erumpunt, sunt absolute critica: ideo salutaria; nam in illis fit subita mutatio ad salutem, per excretionem manifestam ad cutim; quod ad perfectam crisim Galenus prærequirit, 3 de Crisib. 2. & 1 de Dieb. Decret. 1 & 2. nec est melior, quæ per evacuationem celebratur, si in hac quod in illa consequimur; nempe ut morbus perfecte judicetur, & absque recidivæ periculo: nec obstat quod ille salutaris abscessus, sit modus quidam crisis, ut dixit Avicenna; sed sanguinem & viscera, ab omni excrementitio, solo naturæ magisterio expurgat, coctione & discretione præcedente in materia tenui, natura triumphante; ideo alias veræ crisis conditiones non prærequirit, ut Galenus advertit 3 de Crisibus 10.

At vero in ebullitione quæ terminatur ad putredinem, nempe ad febrem putridam, sive ad materiæ corruptionem, interdum sunt omnino salutares variolę, aliquando ancipitis judicii; nam dum ad excretionem cessat omnino febris, & accidentia, crisim arguit salutarem & perfectam, ut quæ judicantur & judicata sunt integre; nil enim vereri oportet, de domita & mitigata materia, ad cutim expulsa, nisi error contingat: si maxime variolæ sint magnæ, rubræ, acuminatæ, & dispersæ, quas benigniores judicat Avicenna, quia naturæ robur arguunt.

Sunt vero ancipitis judicii tunc, cum symptomatice variolæ & morbilli apparent; nempe cum ad excretionem neque cedunt symptomata, neque febris mitescit; illud autem tripliciter contingit, vel ex parte materiæ, vel naturæ, vel supervenientium: materia enim multa, aut prava non obsequitur naturæ magisterio: aut in tam magna copia profunditur, & tanta intus manet, ut illam natura gubernare non valeat; quin imo in varios abscessus per corpus universum diffunditur: aut corruptionis & gangrænæ periculo laborat; illud enim indicat motum esse materiæ, non naturæ; & tunc illud instat periculum, ne ad pectus, ad oculos, ad guttur, ad cor, aut intestina, epigenesi aut prava metastasi, materia recurrat; ex parte naturæ fit illa excretio etiam symptomatica: dum impotens natura non valet, aut irritata pellit; quando etiam mitificare nequit; quo fataliter materia recurrit, aut impotens natura sub onere succumbit.

Ex supervenientibus etiam minuitur excretio, aut plus justo producitur, ut etiam ex contractis erroribus; dum nempe subita syncope supervenit, magna pulsus asphigia, aut etiam internus ardor, dum intus revocantur variolæ: *Non est impossibile imaginari*, inquit Gentilis, *quosdam mori ob variolas inchoantes in corde*: & Fernelius jecur, lienem, & pulmonem papulis manantibus in variolis se vidisse testatur; & Paræus, crustosis ulceribus interiora viscera defœdata; quoniam ut dixit Avicenna: *Quando variolæ accidunt in cute tantum, salubriores sunt, & bene exeuntes & sine symptomatibus cessante febre, si albæ, dispersæ, & cito superantes à 3 ad 4 diem exeant*; *si vero albæ, duræ*, inquit Gentilis, *difficile egredientes, aut tarde superantes, aut sunt malignæ adustionis soboles, aut duræ & crassæ materiæ, & cave ne te decipiant*; *quod inde accidit, si albæ, duræ, pravæ, nec ad invicem separatæ; nam fiunt à materia grossa, quæ expelli non valet; sed intus manens, corrumpitur & trahit ægrum ad perditionem*, (hoc etiam ipsum notavit Izac,) *si maxime à phlegmate salso producuntur.*

Rasis etiam damnavit violaceas, parvas, duras, & quæ non maturantur: & infit Avicenna: *Albæ, magnæ, plures absque continuatione, bonæ: continuatæ autem in frusto carnis, malæ*; *rotundæ & depressæ malæ*, dixit Izac, *& si à phlegmate salso, pruriunt & discoriantur*, inquit, *& fluit ex eis æruginosa putredo, quod mortem nuntiat, cum urina cruda*; Iterum Avicenna laudat ad colorem phlegmonis declinantia: *Veruntamen*, inquit, *sunt pravæ, quæ egrediuntur, secundum diversos colores, cineritiæ, & violaceæ, nigræ, albæ, citrinæ, rubræ, virides*; *sed*, addit Commentator Gentilis, *ut plurimum debulliente sanguine colorem contrahunt, at interdum ebullitio ad variam putredinis sortem terminatur, ac inde pullulant materiæ malæ venenosæ*; quod idem de morbillis intelligit; nam cap. 9. sequenti, sic inquit, de morbillis; *Si durus, viridis, violaceus, malus*; *& qui est tardæ maturitatis.*

Illud tamen nimine pœnitendum advertit Avicenna; *Etsi viriditas & nigredo*, inquit, *quibus postea succedit declinatio, non faciunt cadere virtutem, imo additur cum eis virtus, non sunt mortiferæ*; nam excreta, quantumvis prava, si loco & tempore exeant, sunt prorsus salutaria, velut pravi abscessus; & procedit Avicenna: *Et cum videris anhelitum patientis variolas se ipsum consequentem, aut in morbillis etiam, tunc existima casum virtutis, aut apostema diaphragmatis*: nota est causa in Galeno 4 de Locis 7. *à tertio die incipiunt apparere*, dixit Izac & Avicen-

Gentilis. Avicenna. Gentilis. Avicenna. Idem. Gentilis. Idem, cap. 9. de Morbill. Avicenna.

Avicenna; *ut in quarto finiatur, in synochis:* rationem allegat Galenus 3 de Crisib. 4.

Variolas cito evanescentes damnavit Avicenna, lege in Hippocrate causam, 6 Epid. Sect. 4. 17. & 6 Aph. 25. illud tamen advertit, quod proprie, quando sunt violaceæ, & tenaces, quarum operatio non cessat, à debilitate virtutis, & nigrificatione membri; per illam regulam, quod omnis metastasis est prava, sed humoris maligni læthalis, si maxime syncope accedat; patet ratio in Hipp. 2 Aph. 27. & Galen. 3 de Crisib. 2. sed non liquet quare intus variolæ recurrant; nam quæ intus recurrunt, aut sunt impulsa, aut attracta: impelluntur vi frigoris, aut adstringentis contacta; trahuntur à dolore, à colore aut ratione vacui; nos addimus & humoris turgentiam, & virtutis regentis impotentiam.

Id advertit Forestus, quod si raucitas & spirandi difficultas post sanitatem durat, quod est tabis periculum; ex ulcere pulmonis derelicto.

Avicenna. Hoc Avicenna dixit: *Et fluxus ventris viridis, lotivus, aut sanguineus, cum casu virtutis, ut mictus sanguinis, cum nigra urina, mortiferum est.*

Hæc sunt prorsus, non ancipitis, sed læthalis judicii, quorum ebullitio ad corruptionem terminatur, velut in constitutione pestilenti, quæ sunt virides, violaceæ, nigræ, cum pravis symptomatibus; de quibus dixit Gilbertus Anglicus, lib. 7. de Variolis: *Sunt enim infectiones universales,* inquit, *quæ sæpissime sequuntur pestilentes febres, ex mala crisi & materia humida conclusa,* &c. tales sunt pravi fœtoris soboles, & ad quæ sequuntur ulcera depascentia, &c.

Gilb. Angl. lib. 7. de Variolis.

CAPUT IX.

De Curatione.

Si variolæ & morbilli germinant à sola ebullitione perfectiva, (quod nosces, si absque febre prorumpant: aut si post apparitionem, mox demittat:) nullam curationem prærequirit; per Hippocratis regulam. Quæ judicantur & judicata sunt integre, nihil movere sed sinere oportet; hæc enim est naturæ perfectissima crisis, & sanguinis rectificatio: quæ si forte præpeditur auxiliis, natura ab opere laudabili distrahitur; quare est roboranda natura, fovenda & contegenda cutis, interdum adjuvanda, quando pigre procedit; solis alimentis optime & facilis substantiæ, & frictionibus moderatis, pannis suffumigatis, ligneis accensis cinnamomi; in potu, aqua scorzoneræ; & si lactatur infans, regimine & custodia nutricis, eisdem alimentis & similis aquæ potu.

In variolis vero, quorum ebullitio terminatur ad putredinem, aut ad corruptionem, quarum non est perfecta crisis, sed symptomate interdum gravioris affectus; curationem per capita illaque brevissima perstringemus. Sit prima indicatio in hoc casu, non ebullitionem coërcere, ut plerique intendunt; (per hanc enim purificatur sanguis) sed inhibere ne ad putredinem, vel ad corruptionem terminetur; hoc consequetur, si ad causam ebullitionis attendamus; hæc enim fit in materia humida, conclusa à calore extraneo; quæ si fervet in venis, bulliens humor indicat sui ablationem, si multitudinis prævalet indicatio & urgentia; si vero qualitatis attemperationem: & ut inhibeatur putredo, in fieri & facta vacuetur, aut etiam attemperetur calor; ut consulit Rasis 18 Continent. 8. & Avicenna: *Usque ad quartam diem*; per varias Gal. regulas 8. 9. & 11 Methodi; hoc autem non distincte facias, sed prudenti cum consilio; nam in pueris à primo anno completo carnosis, & bene educatis, sanguinem sine timore mittes; antequam variolæ compareant, quantum fieri possit; & prout vires ferunt, & variolarum germinatio permittit; aut aliud grave accidens in oculis aut gutture succrescit; sed prius roborato ventriculo, oleo omphacino, aut parum absinthii permixto, cum pulveribus corali & rosarum, præassumpto modico alimento, ex jure avis, aut hepate gallinæ, modico asso, ac postea sanguinem mitte; ac deinde fervoris etiam attemperatio, ac putredinis inhibitio consequitur, assumpto cochleari ex syrupo violarum, tertia parte mixto syrupo, de acido citri: tribues etiam aquæ scorzoneræ parum, cum granis lapidis bezoar orientalis; ac inde cibare aut lactare consules moderate, facili & moderato alimento, prout puero convenit; in potu aquam radice scorzoneræ decoctam imperabis; si vero febris instat de sinachorum forte, ad noctem iterum sanguinem mittere etiam ex arte erit, emensa indicatione ad urgentiam; sin minus, cucurbitulis siccis, aut scarificatis, revellere à membris præcipuis conaberis, fœmoribus deorsum appositis, quo etiam ad extra revocabis; non ad spatulas, nisi corpore jam bene vacuato.

Attende prius an ventre sit adstricto, an etiam præcesserit alimenti retentio, aut corruptio in ventriculo; (nam cautissime ventrem provocare oportet; est enim valde timorosum, juxta Avicennam) tunc enim glandula utere, aut clementi enemate, ex jure avis, oleo rosato, aut amygdalorum, saccharo rabio, & sale solo addito (in necessitate) cochleari catholici, sive ℥ij.

Ne te terreat à sanguine mittendo vomitus neque fluxus ventris, si profusus non est: neque catharrus aut ventris dolor, aut fugax etiam horripilatio; quoniam hæc solent variolarum expulsionem præcedere; & pleraque alia complicata, & varia accidentia, quæ post sanguinis missionem, aut scarificatis & siccis cucurbitulis sedabis.

Sin tibi videatur puerulum haud posse sanguinis missionem perferre, seu quia lactans, aut invalidus est, scarificationes rarissime consului, ut quæ in puerulis sint majoris periculi, & doloris, quam auxilii; neque probo Peramati consilium, quantumvis affectus sit cutaneus: quare horum loco elegi, aut cucurbitulas scarificare, aut hirudines fœmoribus, cruribus, aut hœmorrhoïdibus adaptare: quod si plus sanguinis extrahere necessitas petit; neque apparent venæ in brachio, illas sanguisugas adaptare curavi, in loco ubi sanguinem mittimus, aut in lacertis ipsis brachiorum; quod sane auxilium, longe scarificationes, (si securitatem ejus attendas) excellit, & pro necessitate operatur.

Sed etiam attende, quod si, postquam prorupérunt variolæ, aut certe maturari incipiunt, aliquod grave accidens ingruit, quod sanguinis extractionem postulat, nec potest excusari, ut gutturis,

turis, aut visceris interni inflammatio, aut oculorum; tunc nec erit humanum brachia ligatura comprimere, & minus certe scarificationes horribiles infigere; quo in statu, in hyrudinibus unica spes est: quæ possunt & absque dolore adaptari, sanguinemque & ad necessitatem, & ad affectus urgentiam extrahere: obiter etiam adverte, quod auxilia non curant, sed prudens curandi œconomia: hæc ita facies donec variolæ prorumpere incipiant.

Illud tamen nolui præterire, quod advertit Avenzoar de nocumento dulcium, lib. 2. Theizis, Tract. 7. cap. 3. *Qui dant*, inquit, *pueris, variolis obsessis mel, aut dulcia, mirabile est quod non moriantur: & si evadant, non erat terminus ejus; quoniam præ angustia, aut labore & fortitudine morbi perire debebant: & ego fui unus ex illis, qui cum mel acciperem, quorundam consilio, mirum fuit quod evasissem*, &c.

Avenzoar l. 2. Theiz. Tract. 7. c. 3.

An vero; erumpentibus variolis aut proruptis, sanguinem mittere conveniat? illud tantum attentionem petit, num natura impetuose pellat: & an supersint in corpore post eruptionem repletionis signa; nam impetum naturæ expellentis expectare Galenus docuit 9 Meth. 5. ad sex vel decem horas: quibus transactis, multitudinem in corpore adhuc superesse æstimabis; si adhuc variolis & morbillis germinantibus febris, & accidentia, non tantum non mitescant, quin imo intendantur, aut persistant: quod si ad hoc accedat, quod oculos & guttur phlogosis apprehendat, & tussis, & respirationis difficultas ægrotum urgeant, fortassis epilepsia in hoc statu erit, unde absque ullo timore sanguinem mitte, licet antea missus esset: quod mirabili exemplo nos docuit Galenus in Simonis historia, 6 Epid. Sect. 2. 30. quod certe indicat, illa quæ superest in venis multitudo, variolis expulsis, ex communi principio contrariorum; & ne illa multitudo alterius putrescat, impeditum per spiratum inducens; dum maxime natura ab onere oppressa, expellere nequit; exonerata enim postea, alacrius expellit: illud etiam indicat, imminens grave malum, quod membris principalibus minatur, ut consuluit lib. de Sang. miss. 7. & 12. & Avicenna c. de Variolis citato, patet & ex Galeno 14 Meth. 10. & ex Paulo lib. 4. cap. 2.

Neque ex hac sanguinis missione, variolarum timeas retrocessum, vacui ratione; hic enim timor tantum locum habet, ubi nullum in corpore restat supervacuum, & natura critice operatur, omni materia extra venas propulsa; (tunc enim est impetus excernendi expectandus;) non autem cum symptomatice natura irritata elicit: & restat adhuc in venis vacuantis auxilii oppositio, nempe multitudo: quod tibi æqua lance perpendendum fuerit.

Et si dicas, per eandem viam esse naturam adjuvandam, ut Hippocrates fecit in Methone, fluxum sanguinis lentum lotione calidæ provocando, licet esset symptomatica excretio: hoc etiam nos consulimus, si multitudo sit antea deposita attrahendo ad cutim, & motum naturæ lentum adjuvando, minutis cucurbitulis sparsis per universum corpus, siccis aut quibusdam etiam scarificatis; aut universa cute ad ruborem fricata pannis cinnamomi, igne calidis; sin autem non esset tota multitudo deposita, quin imo ipsa expellendo obstaret, hæc erit per venas detrahenda, ut patet ex Galeno 8 Meth. 4. & mille aliis in locis; quæ doctrina etiam ad erumpentes puncticulas extenditur; in maligna & pestilenti febre. Tu lege rationem per otium in Galeno, 11 Meth. 15.

Nec tibi curæ sit de Mercurialis sententia, quando in morbillis renuit sanguinis missionem, *quia serositas*, inquit, *distat à sanguinis natura: quoniam, aut illa multitudine urget, aut sola qualitate:* si hoc ultimo indicat attemperationem; si vero multitudine, sanguinis missio, ut vacuans auxilium, indicatur; ut nos late probavimus in nostra quæstione minorandi, titulo, An cacochymia sanguinis missionem excludat.

Mercurial.

Quod si ob cutis constipationem non erumpant variolæ aut morbilli; quid faciendum sit, nos Galenus docuit; tam in multitudine quam in frigiditate 8 Meth. 4. *Cernimus enim*, inquit, *quod multum est, cum simul totum confluit, obstruendo inhærere insigique; quo igitur his iter liberum, & iis quæ foris admoventur, attractio tuta sit, utilissimum est corpus inanisse: haudquaquam igitur est differendum, sanguinem mittere*; par est enim necessitas non erumpentibus liginibus ac variolis. quod si neque sanguine misso, variolæ erumpant, consultissimum erit, pannis (si sit ex frigore suspicio) lignis cinnamomi suffumigatis pluries in die corpus universum fricare, & usque ad ruborem: & parvis & multis cucurbitulis à centro ad circumferentiam attrahere incipiendo ab extremis; & tribuendo postea puerulis haustulum aquæ scorzoneræ, aut papaveris erratici, cum granis tribus aut quatuor lapidis bezoar orientalis, aut unicornii, cum semine citri; & iterum ad ruborem fricare, & pannis calidis corpus universum contegere.

Galen. 8 Meth. 4.

Quod etiam faciendum suadeo, dum absque causa manifesta retrocedunt variolæ, aut morbilli: si non etiam placet scarificare ad nates & ad dorsum cucurbitulis applicitis, quæ maxime tumere videantur, quod non semel, sed pluries facere necessitas suadet. Quod si in constitutione pestilenti illud accidat, deplorata res est; quare corde alexipharmacis roborato cordialibus aquis, & confectione iacynthorum, & lapide bezoar, sedulo his & aliis recurrentem humorem extorquere oportet; quod si cauma internum est causa retrocessus, interdum sola attemperatio indicatur; aliquando & vacuans auxilium; tu vero de sanguine mittendo delibera, prout tibi vires & materiæ multitudo suadebunt.

Est tamen cautio adhibenda, ne semper multitudinem arguas ex febre, quæ post variolas aut morbillos relinquitur; illa enim duplex est; nam quæ erumpentibus, & post eruptionem perseverat, est soboles venarum apparatus; & ex hac bene arguis venarum multitudinem; si vero ista cessat post eruptionem variolarum, & ad tempus remittit, sed post duos aut tres dies revertitur, cum variolæ rubore aut inflammatione tument, aut in illis incipit suppuratio; hæc febris est accidens, aut inflammationis, aut materiæ dispersæ purulentæ in variolis per universum corpus; & hæc venarum multitudinem non arguit, neque sanguinis missionem exposcit, nam pure jam confecto evanescit.

Illud etiam in quadam Moniali observavi, ut suppuratis variolis febris tertiano circuitu repeteret,

teret, licet non ex toto demitteret, ex venarum apparatu derelicto putrido intra venas, sed hirudinibus hœmorrhoïdibus applicitis & sanguine moderate extracto, cessavit. In alia vero intermittens tertiana comparuit, in suppurationis declinatione, cui sanguinem iterum ex brachio misimus moderate, unde convaluit.

Quod si erumpentibus variolis fluxus sanguinis narium superveniat; (quod ipsum & de morbillis intellige) idem considera ad sanguinem mittendum, aut aliter; sicut ante in expulsione critica aut symptomatica adnotavimus; dicam tamen quod Gainerius advertit in hoc casu: *Fluxum sanguinis narium*, inquit, *debemus adjuvare ad nares provocando, aut aqua tepida, aut setis venas narium aperiendo*: at vero Astarius Papiensis, *cum natura per se vacuat*, inquit, *per nares hœmorrhoidas, aut menses tutius est sanguisugis ad nates, aut ventosis ad spatulos scarificatis uti. hoc enim est securius phlebotomia*; *sed hæc omnia indigent epicheia.*

Gainerius.

Astarius Papiensis.

Quod si variolæ non sint de malignarum sorte, hæc sufficiunt. si vero timeas, ne ebullitio non tantum ad putredinem, sed ad corruptionem terminetur, ex depressis, corrodentibus, & minutis variolis & duris; tunc humoris acrimoniam attemperare, & putredinem coercere oportet, ut maligni apparatus postulat indicatio: quod si ante eruptionem timeas, vacuare oportet, non tantum prout affectus postulat, sed prout timetur depressis imminenti malo; nam post eruptionem cessat vacuandi indicatio, à contraindicanti enim superatur potiori urgentia; quod nos sæpe reddidit postea ancipitis consilii; nam in hoc casu, æqualitas auxilii non tantum debet esse in quantitate, sed in celeritate, ut in omnibus servetur contrarietas; pro qua intentione misce de syrupo rosato, & de acido citri, & superbibat æger parum de aqua scorzoneræ, cum pulvere de lapide bezoar orientali, unicornii, margaritarum, & de semine citri, in pulverem tenuissimum redactis; vel, si placet, cum aqua pimpinellæ, oxalidis, scordii: & si puer antea epilepticus extiterit, de aqua tiliæ calida moderate parum sumat, & per intervalla; & moderata febre, cum modico theriacæ smaragdorum, aut confectione iacynthorum haustulum bibat aquæ scorzoneræ & scordii.

Quod si lente variolæ prorumpant, aut occultentur subito; tu ad causam attende; nam grave onus vacuatione levatur; imbecillitas alimentis & jusculis: & cutis constipatio effractricis: sed adverte non oleis; sed pannis ligno cinnamomi calefactis, & ad cutis ruborem, aut cucurbitulis sparsis per universum corpus, ut Astarius Papiensis advertit.

In iis vero, quæ ad intus sumuntur, pro hac intentione, revocandi ad extra, id consulo, ne calidis utaris, ut communiter practici consulunt, ex decoctione apii, ficuum, passularum dictami, cum theriaca, &c. sed mihi magis probatur Astarii Papiensis consilium: *Nam provocantia & aperientia*, inquit, *non nisi post phlebotomiam, si expedit, aut lenitionem ventris approximentur, quæ sint, ut dixit Rasis, secundum intentionem, aut remissionem febris*; *ne fervorem intensiorem calida inducant*; *quare nos utimur calida aqua scorzoneræ, aut borraginis, cum lapide bezoar orientali usque ad grana sex.*

Astar. Papiensis.

Sed eo aliquando urgentia nos ducit supervenientium symptomatum, variolis aut morbillis ad intus recurrentibus, aut majora aggredi nos compellit necessitas; quare post scarificatas cucurbitulas, sanguinis missione præcedente, aut hyrudinibus (si id petit necessitas) applicitis, non displicet Lusitani consilium, & Foresti, ab Astar. Papiensi acceptum; nempe lavacro uti calido ex decoctione apii, fœniculi, verbenæ & petroselini, ut linteo madido puer involvatur; licet mihi tutius videatur involvi in vino floribus camomilli decocto, aut pannis siccis, lignis cinnamomi accensis, suffumigatis; nam aqua cito pristinam ad frigiditatem redit: & utere intus aqua papaveris erratici, & scorzoneræ, actu calidis; vel decoctione laccæ ablutæ (quæ roborat & abstergit viscera;) hordei, lentium, & ficuum, in libris aquæ ad medias, & bibat ad libitum ex calido decocto sacharo admixto.

Proruptis jam variolis, paulo post suppurari incipiunt; sed aliis difficulter, & cum pruritu tristi & importuno; id semper alta mente perpende, ut neque benignis neque malignis suppurantia admoveas; illis, quia non necessaria: istis, ne corrumpantur: in illis autem quæ difficulter suppurant, & cum pruritu, sat erit Astarii Papiensis consilium; *Nam maturatio*, inquit, *juvatur aqua calida, in qua cammomilla, per fotum multoties applicita*; *nam ultra juvamentum maturationis sedatur etiam dolor & pruritus.*

Astari Papiensis.

Si vero maligne corrumpantur variolæ, serpentibus ichoribus; utere decocto lupinorum & rosarum; & hordei torrefacti; & super impone parum de emplastro; quatuor farinarum cum oxysaccharo, aut arnoglossæ, in plumbeo mortario ad pollinem redacto.

A qua salsa variolas attingere mihi non probatur, nam crustam durissimam inducit, sub qua intus latet putredo; quare potius utor butyro vaccino, loto & sale; sed crusta jam inducta; utor decocto rumicis altheæ, malvarum, & violarum, cum oleo amygdalarum dulcium, ne solis oleosis intus serpat putredo.

Ad faciei maculas, utor ex aqua de floribus fabarum, vel ex solo melle virgine distillato; quæ si non prosint, ex lacte furfuris cum succo limonum: & postea cum adipe vituli recentis, aut unguento citrino.

CAPUT X.

De correctione accidentium.

Inter membra, quæ maxime periclitantur in variolis, sunt oculi: quare mihi semper placuit illa Avicennæ sententia: *Etsi phlebotomatur vena nasi*, inquit, *confert, quia partes superiores tuetur à mollitia variolarum, quæ est facilis super infantes* &c. quare oculi infestantur, aut variolis ad natis, tunicis oculorum, cornea aut ad nata; aut super solas palpebras; quod maxime decet attendere; cum omnes absque ulla differentia aut discrimine, aqua rosarum cum croco oculos tueri, consulant, quo facile humores intra has tunicas crassescunt.

Avicenna.

Ex arte erit, humores ab oculis repellere, antequam incidat, dum timetur decubitus, & adhuc in ipso fluxionis principio; sed semper puris repellen-

repellentibus aliquid resolventium est miscendum, ne humores in tunicis crassescant; ut ℞. aquę plantag. & rosar. an. ℥ß. sumachi in nodulo infusi, ʒß. croci, gr. vj. aquæ celedoniæ parum: vel olei de albumine ovi, (si maxime ulceratus est oculus) parum, cum aqua cerasorum acidorum, aut myrtilorum, & parum tucię præparatæ, & croci adpenetratione.

Quod si jam tunicis oculorum variolas adnasci contingat, tunc oportet coquentibus & digerentibus uti, & dolorem sedantibus; ut oleo de vitellis ovorum; aut sine oleo decocto fœnugræci & malvarum, addito croco; huic etiam intentioni facit, pomum assum cum lacte mulieris; ut etiam lac mulieris ex ubere in oculum instillare; aut sanguine columborum & pullorum fovere; & si attemperandi prævalet indicatio, in aqua malvarum aut rosarum infunde semina psyllii & cydoniorum, & tepidis oculum fove.

Quod si palpebræ tumidæ eleventur præ variolis, ut fere anchylosis consequatur; nempe palpebrarum agglutinatio; oculos fove decocto fœnugræci, malvarum, lentis & rumicis; & superimpone pomum assum lacte mulieris, vitello ovi, & parum croci, & postea illam partem penna illinies, hoc auxilio albuminis unius ovi mucilaginis tragacanthi ʒß. camphoræ ℈j. aloës hepaticæ ʒß. tutiæ præparatæ, aut trochis, alborum Rasis an. ʒß. & parum croci.

Ad nares in principio utor sola aqua rosar. & plantaginis lichniis imbutis, & postea sola hordei tepida.

Si os & guttur occupantur variolis, fuge ab adstringentibus, contentus frigidis & oblenientibus, nam Ætius, solo lacte & saccharo os colluere docuit: aut lacte amygdalarum cum saccharo; interdum uti decet aqua plantaginis, & hordei cum syrupi rosato; & mucilagine cydoniorum, aut granatorum syrupo.

Si vero alvi fluxus concitetur, quocunque morbi tempore, hunc non decet comprimere: sed tantum & membra roborare, & humoris feritatem frenare, seu variolis in ipsis intestinis adnatis, aut aliter: & adverte, quod ex omnibus accidentibus, fluxus ventris sit semper gravioris discriminis; eapropter uteris syrupo rosato cum aqua plantag. aut scorzonerę aut cichorii, & confectione iacynthorum: aut quod tutius est, aqua hordei cum syrupo rosato, aut portulacæ: at vero intestinorum ulcera frequentem abstersionem postulant; quo in statu sunt ex arte clysteria ex lacte chalybeato, ovo integro; & saccharo; aut ex decocto hordei torrefacti, cum saccharo, aut syrupo rosato; admixta aliquando mucilagine psyllii aut cydoniorum: & ultimo ex infusione ℥ij. sacchari rosat. in ℥viij. aquæ plantaginis.

Alimentis modeste adstringentibus & cibis in principio utor; quo in statu, mihi probatur consilium Johannis Cratonis, Epist. 4. ad Jordanum: *Sic fluor alvi in variolis*, inquit, *non quidem comprimendus: mitigandus autem, iis quæ malignitatem humorum contemperant, & ad superficiem corporis materiam pellant: hic natura cornu cervi, margaritis cum auro, nihil convenientius*, &c.

Iohan. Crato Epist. 4. ad Iordan.

DE
PRÆFOCATIONE MATRICIS.

CAPUT I.

Hystericæ suffocationis essentia.

Tota hujus affectus essentia, in consensu & partium syntimoria potius consistit, quam in ipsa affectus magnitudine; ergo morbi definitionem non absurde ingredi possit.

Ad intemperiem aliquando reducitur; ad depravatam compositionem frequentius: Moschio, *est retentio spiritus*, inquit, *cum omni silentio, quoties matrix ad pectus ascendens mulierem præfocat.*

Moschio l. 9. Ginesiorum. cap. 149.

Theodorus Priscianus, *accidentia matricis suffocatæ*, inquit, *sub constrictione & relaxatione contingunt.*

Theodor. Priscian.

Erota Juliæ Libertus, *est apnœa, dixit, ex utero*: Hippocrates signa pro affectu describit, & præfocationem cum uteri recursu confundit, 2 de Morb. mul. 78. *Cum uterus strangularit*, inquit, *spiritus autem sursum commotus fuerit, & gravitas incubuerit, & mens perculsa fuerit, & loqui non potuerit, perfrigeratio adest, ac spiritus offendens, & oculi obscurantur*, &c. Galenus 5 de Locis 6. Hippocratem sequitur, symptomatum notitia, & causarum efficientia contentus.

Erota.

Hipp. 2 de morb. mul. 78.

Symptomata etiam affectum insequuntur: & hæc sunt in qualitate tangibili mutata: aut actione læsa: excretis etiam, aut retentis.

Hæc tria accidentia hystericam affectionem insequuntur: patet; nam accidens mutatæ qualitatis in frigiditate corporis universi observatur; quæ sequitur aut intemperiem frigidę & venenosæ aurę, aut maligni vaporis, qui expirat ab utero: si non fortasse concretionem sanguinis, in uteri vasis intercepti, ut mox dicam.

In exeunte mutato accidens observatur, cum menstrua & semen retinentur ultra consuetudinem, & hoc sequitur uteri depravatam figuram.

Actio læsa in pulsu, in respiratione, sensibus imminutis, aut ablatis, & variis doloribus; quæ interdum sequitur intemperiem, eversam aliquando figuram: convulsis uteri vasis, ac sursum vitalibus retractis vicinia, consortio, aut sympathia.

Affectus ergo uteri innotescit, ex læsa uteri actione, qualitate & exeunte mutatis: hystericus ex suffocatione, ex utero: uterus enim per se patitur; reliqua vero membra per consensum, ob illa singularia instrumenta, quæ corpus habet cum utero communia.

Quare hysterica suffocatio est uteri convulsio non vera, ab repletione aut inanitione: aut accidit ab evaporatione convulsifica, frigida & maligna: ex qua vera & legitima uteri suffocatio.

CAPUT II.

Causæ.

Hystericæ affectionis sunt causæ, & menstrui sanguinis abundantia, seu unus aut alter prævaleat humorum copia, aut putredine: ut in putri pituita melancholico, aut biliosо succo; est & seminis copia aut corruptio, ut etiam flatus distendentis multitudo: uteri siccitas in vasis & substantia; est etiam hystericæ suffocationis causa: suaviter olentia sunt occasio & causæ remota; in vera & legitima præfocatione, menstrui & seminis putrescentis multitudo sunt causa proxima, uteri remota respective, & aura venenosa, & frigidi ac maligni vapores sunt proxima; non enim possibile judicamus, solis convulsis & retractis vasis corpus infrigidari, respirationem & cordis vigorem tolli, nisi aura venenosa accedat.

Mitto procatarticas causas, ut quæ sint commoventes internæ, interdum adjuvantes: quæ à cibo & potu desumuntur, & ordine præpostero, ab otio & exercitio: ab aëris subita mutatione, ac tandem animi passionibus.

Quo modo autem hæ causæ tam varia concitent accidentia, altius oportet expendere: quod non ex alio principio aptius consequemur, quam ex vasorum uteri, & partium consocialium notitia, ubi convulsifica suffocatio concitatur; ex uteri, & vasorum seminalium consensu, cum corde, septo, cerebro, hepate & liene, instrumentis vocalibus, & cæteris visceribus.

Vteri anatomia.

Cum ergo in vasis uteri, menstrui sanguinis multitudo, aut seminis corruptio, convulsionem concitet, & secum trahat vasa consocialia, quo hysterica concitantur accidentia; qualia ista sint attende.

Est uteri situs in epigastrio, in ampla illa capacitate inter vesicam & rectum intestinum, in parte nempe anteriori, cum figura oblonga: est substantia ejus membranosa, ex similaribus particulis composita, tunicis nempe, venis & arteriis, nervis, vinculis & villis; tunicarum exterior est à peritonæo, ut etiam interna, sed nec ita crassa, nec æqualis; est etiam triplicis villorum genere intertexta; habet enim villos rectos, quibus semen alliciat: obliquos, quibus fœtum retineat: & transversos, quibus quod noxium sentit, expellat: & per hos alligatur & recto intestino & vesicæ.

Vasa uteri (quibus menstruus sanguis continetur) quatuor sunt, duæ venæ, totidemque arteriæ; altera ab epigastrico ramo derivatur, altera ab spermatico, & excurrunt ambæ inter duas uteri tunicas; sed epigastrica non modo externam, sed internam tum uteri tum cervicis faciem irrigat; totidem arteriæ has venas comitantur, illæ ut deferant sanguinem à trunco descendente; istæ ut conducant spiritus, ab arteria magna descendente; per hæc vasa dum implentur, & hepatis & cordis fit consensus.

A Nervi à sexta conjugatione deferuntur, à lumbari sacraque medulla: inde mirabiles uteri, cum cerebro consensus, ad partem posteriorem maxime: uterum etiam propria continent ligamenta, & hæc quatuor sunt; duo superiora, inferiora duo: illa in uteri fundum prope cornua inseruntur, & ab uteri lateribus ad inguina ascendunt, & peritonæum perforantia, ad ossa pubis feruntur; superiora vero ad os sacrum: horum est mirabilis connexio & usus; ne uterus nempe à propria sede dimoveatur; neque sursum nec deorsum feratur; B dum vero hæc humore extraneo implentur, uterus sursum deorsum, aut ad latera contorquetur, tractus à plenitudine, aut à sola siccitate convulsus; seu dum ad odores gratos incumbit; per hæc ligamenta uterus, non tantum ossi pubis & sacro, sed ventriculo, septo transverso, & corpori universo connectitur, sed spinali medullæ & cerebro, per sextæ conjugationis nervos, per quos etiam oculis & instrumentis vocalibus consentit.

Dum ergo uterus siccitate convellitur, aut illius vasa repletione breviora redduntur, ejus figura C evertitur sursum; si vasa recto sursum æqualiter implentur, quo uterum incumbere faciunt, ad septum & stomachum aut hepar; quorum à motu impedito, pulmonis motus cessat, & quadam necessaria consequentia, motus arteriarum, & cordis dilatatio & compressio; vel ad latus imcumbit, si vasa collateralia implentur.

Inde etiam sanguinis & spirituum utrinque transitus denegatur, tum ab repletione vasorum, tum vitalibus compressis instrumentis; quo transpiratione intercepta, sanguis veluti concrescit D ad modum quo Hippocrates dixit, 4 Acut. 23. *A venarum interceptione accidere*, quo in statu gravi virtutem vitalem necesse est, sed maxime animalem influxu denegato, quo motus & sensus præpeditur pulsus & respiratio: ac nectaris vivifici extinguendi agitur periculum, externis partibus nimis infrigidatis: spiritu & sanguine præpeditis.

Si non accidit etiam ex hac transpiratione denegata, frigidam & venenosam auram pullulare, aut corrupti vapores quo illa accidentia conci- E tantur.

Et hinc accidit, ut hæc præfocatio non semper repente respirationem tollat, nec omnibus sit æqualis; nam plerisque uterus sola multitudine suspensus, vasa consocialia comprimit; sed aliis exiguum est quod ascendit; plerisque diaphragma non attingit; aliis venenosa qualitas miscetur, ex diuturna retentione aut putredine, aut menstrui aut seminis, quo graviora aut aliter sequuntur accidentia.

Hæc omnia si placet in Hippocrate legere; le- F ge in lib. de Nat. mul. text. 3. *Si uterus ad hepar recurrit*; & in 17. *si ad præcordia*, text. 32. *si ad cor* 42. *si ad latus pectoris* 51. *si ad caput ad crura & ad pedes*. 1 de Morb. mul. 7. *si ad stomachum & præcordia*, lib. 2. text. 16. & 17. *si ad caput ad cor & ad præcordia & hepar*, 18 & 19. 20. 21. 22 & 23. *de uteri recursu à partu*, vide 35 & 36. *ad crura & ad pedes* 42. *ac de vera strangulatione* 78 & 79. 80 & 82.

Pro harum sententiarum intelligentia, quas omnes in suo originali & legi & perpendi, illud advertendum duxi, quod in Hippocratis doctrina duplex sit hysterica suffocatio; alia legitima

ma & propria: & alia lato modo accepta; ut, dum uterus ad varias partes recurrit; propria est illa, in qua mulier subito cadit suffocata, alto somno sepulta, & ablatis pulsu & respiratione, cum frigore corporis universi; & hæc semper, (à quacunque causa concitetur) est malignæ qualitatis consectaria: lato modo accepta, est dum ad varias partes uterus recurrit, sed non ita gravibus accidentibus, difficili anhelitu, pulsu inordinato, delirio melancholico, variis doloribus & vertigine, &c. audiunt tamen in illa, & moventur.

II. Adverte propriam & legitimam incipere à semine, aut menstruis retentis, & putrefactis, ut à causa remota respectu membri consentientis; & ab aura venenosa & frigidis vaporibus, ut causa conjuncta, cujus veneni efficacia, & subito pervadit, & tum magna & importuna inducit accidentia; non videtur enim consonum rationi, illam multitudinem sola vasorum distentione & retractione, licet uterum convellendo incumbere faciant ad septum, ventriculum, & hepar, respirationem tollere, cordis motum auferre, & corpus universum infrigidare; hæc enim, tam subito inducta, sunt frigidi veneni consectaria: at vero suffocatio lato modo accepta, à sola multitudine distendente menstrui seminis aut flatus, ac tandem à siccitate fieri, ut à causa proxima, est secundum medicinæ principia, & Hippocrates ac Galeni decreta: quos leges per otium citatis locis: & sic caute legendum censeo in his locis Hippocratem & Galenum, ut noscas quando de legitima, & quando de spuria ac non vera suffocatione ipsis sermo sit.

Illud tradidit observatum Ætius lib. 17. c. 50. quod nos de spuria intelligimus: *Hystericam suffocationem non semper ab utero incipere; sed à ventriculo à jecore & liene, aliquando dum repletionem seipsis patiuntur*; nam cum illis vasa consocialia breviora reddita, & convulsa, & uterum convellunt & suspendunt, quo etiam sursum incumbit versus diaphragma, & ventriculum, & difficilem reddit respirationem, ac pulsum, si maxime hystericus apparatus commovetur.

Ætius lib. 17. cap. 50.

CAPUT III.

A flatu distendente.

Quod etiam à flatu distendente incidat suffocatio, monstrat ratio Philosophica; nam flatus distentione, uteri vasa breviora redduntur, ut etiam instrumenta consocialia, quæ versus originem retracta partes consociales ad se trahunt; sed sub hac differentia, ut si vasa uteri inferiora, aut collateralia distendantur, deorsum versus uterum trahant, aut ad latus; si vero vasa superiora, fit uteri coactus ascensus versus diaphragma: quo fit, ut pulmone arteriisque cordis compressis, & pulmonis; aëris meatus intercludatur, pulmoque debita & solita dilatatione prohibeatur: quo fit, ut animalis respiratio deficiat, aut offendatur, instrumenti inobedientia, & vox aëris defectu intercipiatur, vocalibus instrumentis retractis, & convulsis, idque aëris defectu flatuoso, quod utplurimum accidit, non à flatibus tantum, sed etiam refrigerato utero in abortu, & dum menstrua fluentia sistuntur.

CAPUT IV.

De causa, ab aura venenosa & frigidis vaporibus.

Quia semen aliis à vasis sanguine putrescit, ediscere oportet, quibus illud quoque deferatur, quibusve putrescat: & quem consensum cum aliis hæc vasa sortiantur.

Quatuor sunt seminis vasa, duæ venæ, totidemque arteriæ, & hæc præparantia dicuntur; venarum dextra à trunco cavæ descendentis: sinistra vero, ab emulgente ortum ducit: & utraque consentit cum parte cava hepatis, ac dextro cordis ventriculo; has venas duæ etiam arteriæ comitantur: & tam vena quam arteria bipartito finduntur; quorum portio major in epididyma & testes diffunditur: minor vero ad uteri fundum inseritur; in prioris anfractibus semen elaboratur, & conservatur; ab his tamen duo alia vasa oriuntur, quæ semen deferentia dicuntur; per quæ ejaculatur, magis flexuosa & in sinus divisa, sed circa testes fiunt lata & ampla; ubi maxime retentum semen putrescit & corrumpitur; per hæc vasa tam venæ quam arteriæ, per membranas, & nervos, & aura venenosa & frigidi & corrupti vapores ad cor, ad hepar, ad diaphragma, ad cerebrum, & ad viscera fit consensus mirabilis ad præfocationem.

Cum ergo in his vasis cumulatum semen corrumpitur, aura venenosa, quæ expirat, subito hæc membra consocialia pervadit, & alterat, ut hepar, per has venas; & cor, per arterias, per membranas, diaphragma, sed id est certe mirum, quam magna efficacia corrupti seminis venenum totum corpus alteret, velut in ictu oculi: quo fit, ut illud quam menstrui sæviora conciteт accidentia, in pulsu, in respiratione, & in frigore corporis universi, & cerebri etiam facultatibus: quod aliter, quam à veneno fieri non existimo, calore extincto ac pene suffocato.

Cordatissimi in medicina viri, semen corruptione frigidissimum reddi, & ab illo frigidam & venenosam auram expirare, in corpus universum tradiderunt; quibus corpus subito infrigidatur, & veneni frigidi accidentia concitantur: quod venenum expiret à semine corrupto, est Galeni sententia expressa, 5 de Locis 6. quod sit frigidum, præter Galeni sententiam, à posteriori colligitur, tam à semine, quam à corruptis menstruis: quoniam illud nunquam calida producit accidentia, nec in principio, medio, nec in fine; patet ex calido veneno, quoniam illud, licet à tota substantia operetur, calorem primo producit, in partes quas invadit, ac postea infrigidat, vivifico nectare, & influente dissipato; quod hystericis mulieribus non accidit; nam mox & à principio, velut à torpedinis veneno infrigidantur: & omnia symptomata sunt frigiditatis intensæ consectaria; nam alta oblivione & sopore detinentur: ac calore deficiente usus in corde deficit, ex quo etiam deficit motus in respiratione & in pulsu: nec caloris ullum restat in corpore vestigium, quinimo mulier veluti gelu frigida observatur; ac actiones non tantum imminutæ, sed abolitæ præ frigore redduntur; quæ omnia frigiditatem

non tantum privativam, sed positivam etiam attestantur.

Quo supposito, dicimus, quod ex putrido & corrupto semine, aura frigida semper expirat, non calida; illud enim mihi semper habui persuasum, veram & legitimam matricis præfocationem, seu à semine seu à menstruis fiat, non tantum pro causa sortiri multitudinem, sed malignam etiam qualitatem in aura aut vaporibus; nam quæ à sola humoris aut flatus multitudine, à siccitate, aut ab aliis causis, spuriam, non legitimam judico; quantumvis ad hepar, aut ventriculum uterus incumbat; longe enim diversa hæc ferunt accidentia, ut facile patebit observare volenti; in his si læditur respiratio, pulsus non deficit neque infrigidatur, nec sensus in totum aboletur, & cerebrum delirio aut convulsione consentit, non asphigia, ut in vera contingit & legitima.

CAPUT V.

Quomodo unaquæque peculiaris causa hysterica inducat accidentia.

Quomodo autem aura venenosa, tetri & maligni vapores seminis, menstrui sanguinis, aut alterius corrupti humoris, hystericam suffocationem inducant, & unde tam mira accidentium varietas, non parum difficultatis intulit; quoniam alia symptomata sequuntur focum & mineram putredinis: alia partis nobilis læsionem, alia affectus magnitudinem: & alia tandem malignitatem causæ.

Forte rei difficultas coëgit doctorem Ludovicum Mercatum, talia accidentia jam ad frigidum intemperamentum referre; jam ad solam venenosam qualitatem; dum venenosus halitus vias respirationis intercludit, compressis nimirum vel obstructis meatibus; & in hoc Mercatum sequitur Castro, in intercepta respiratione; qui potius tamen transcripsisse, quam scripsisse censendus est. Mitto primum, & ad hoc ultimum respondeo; non esse consonum rationi, tenuissimis vaporibus latissimas respirationis vias obturari; cum alioquin à crassissima humoris substantia non obturentur, nisi lenta admodum & viscida sit: quomodo autem utrumque fiat; ut rem maximi momenti, altius expendere oportet.

Pro intelligentia hujus difficultatis, illud est supponendũ instrumentale, subito has vias occupare: & subito dimittere; nam ut accidens subito incidit, sic subito levatur, causa continente excreta, vel expulsa; Secundo suppone vapores in tenui substantia elevari: est enim vapor attenuatus humor, sub aliena forma; & dato quod parietibus vasorum adhærescant, parum, aut nihil de cavitate occupare; patet in capitello lebetis, ubi aquæ vapores excipiuntur: suppone respirationis instrumenta esse latissima, patet in arteria aspera, canalibus pulmonis, levibus & asperis arteriis, & in ipsa pulmonis substantia; quæ est admodum laxa & porosa: & septum transversum est latum, & mira planitie obductum; quare consonum rationi non est, solos vapores propria corpulentia, hæc vasa obturare & comprimere, ut transitus denegetur spiritibus.

A Quare in vasorum anatome est perquirenda ratio, in quo partium sympathia & consensu: alia est enim ratio ablatæ respirationis & universalis frigiditatis (in quibus maxime hysterica consistit suffocatio:) in mensium suppressorum recurrente abundantia: alia in seminis copia: alia in putrido & venenoso semine: ut in corrupto sanguine: alia in suaveolentibus: alia, dum uterus à siccitate convellitur: & tandem alia à flatu distendente; quod nullo in auctore invenies expressum.

Hæ sunt hujus affectus causæ. Affectum ad B morbum in compositione Hippocrates reduxit, nempe ad figuram uteri eversam, quod ut plurimum accidit.

Fieri tamen aliquando patet, nullo uteri situ, nec figura mutata, quando nempe venenosi vapores vel aura venenosa, à semine, aut sanguine corrupto expirant à vasis; qui prava & doleteria activitate, in temporis momento omnia fere membra pervadunt; unde tam mira accidentium varietas: quæ certe qualitas producta, quantumvis indicibilis, ad morbum in intemperie reducere, est secundũ medicinæ principia, & aucto-C rum decreta; quæ ut peritis nota prætermitto.

Ut ergo ratio clarius innotescat, suppone uterum ad omnem motus dimensionem localiter moveri; sursum, deorsum, & ad utrumque latus, ad varias partes ventris, & ad hujus & illius collateralia; nam dum vasa uteri menstruo sanguine implentur; ut ad venam cavam, & arteriam magnam fiat recto recursus, hæc vasa sanguine recurrente breviora redduntur, ac distenta sursum uterum trahunt; & tractus uterus membra ad quæ incumbit, aliquantulum comprimit, quo D motus illius membri adimit libertatem: sicuti dum naturali indigentia illectus, versus hepar movetur, ut alliciat de gratioso succo, quo ejus indigentia satietur: ex quo recursu subito respirationem tolli, & pulsum deficere, est expressa Hippocratis sententia 1 de Morb. mul. citato; neque frigiditatis alia assignatur ratio ab hoc divino Sene: *Conversi uteri*, inquit, *impetunt hepar, & ad præcordia irruunt: sursum enim ad humiditatem feruntur*, &c. & 2 de Morb. mul. 78. & 79. & 80. *Hipp. 1 de Morb. mul.* E & à frigiditate solus recursus uteri ad hepar & ad cor, ab Hippocrate ratio assignatur; dum nempe frigiditate vasa implentur, aut frigiditatem fugiendo sursum feruntur.

Sed adverte, quod is uteri motus sit triplex, alius naturalis, alius symptomaticus, & mixtus alius: naturalis à facultate fit, quæ totum corpus regit, est naturalis etiam; dum contrahitur ad attrahendum semen in cervice projectum; aut dum cogitur ad fœtus & secundinarum expulsionem, per villos rectos & circulares: symptomaticus F fit à causa morbifica, nempe dum uterus convellitur, aut repletis substantia & vasis, quo certe breviora redduntur: seu dum nimis uterus in vasis & substantia resiccatus & contractus, partes superiores ad se trahit; & est uterque motus convulsivus, & non vera convulsio; mixtus motus fit à causa morbifica, & ab irritata facultate; ut dum uterus ad hepar recurrit, à facultate naturali appetitiva, sui conservatrice, & ab intemperie arida resiccante; pars enim sicca uteri naturaliter humectari postulat; & præ siccitate alia membra trahit: quare in suffocatione accidit

dit quædam convulsionis sors (ut in ventriculo) ex repletione aut inanitione.

Quomodo ex iis suffocatio, respiratione denegata, & frigiditate inducta, adveniat, adhuc non patet cum omnimoda pulsus asphigia.

Utrumque sic fieri arbitror: Primo quod aura venenosa & frigida, ut malignus & corruptus halitus, cor, hepar, & cerebrum, positive infrigidant; & sanguinem & spiritum corporis universi; quæ duo necessario sequuntur; & quod usus & attemperandi necessitas deficiat; & quod transitus spirituum denegetur; ex quo facultates otiari est omnino necesse: ex primo sequitur, quod pulsus & respiratio necessario deficiant: ex secundo, quod corpus universum infrigidetur;ex tertio, quod in altum soporem dilabantur.

In sanguine menstruo recurrente, (& est secunda causa) ad ramum epigastricum aut spermaticum: hic per latus dextrum recurrit ad truncum cavæ descendentis, per sinistrum ad venas emulgentes & hepar, & dextrum cordis ventriculum, & per easdem arterias ad sinistrum; quod à semine multo accidere, eadem monstrat ratio. Hoc autem semen à sanguinis, si nimia quantitate cumulentur, venæ intercipiuntur, ac inde sanguis concrescit, transitu & motu ventilationis denegato, ac confluxu spirituum præpedito, quo motu deficiente, spiritus & sanguis congelati crassescunt, ut oneri facultatibus sint, animali, vitali, & naturali: ac inde motu animali deficiente, (interceptis viis) respiratio, & vitali confluxu, pulsus, ut usu etiam deficiente, deficit: ut otio etiam cerebri facultates rectrices; ac eodem consensu corpus universum, spiritibus & sanguine huc illuc recurrentibus, deseritur: quo necessario frigidissimum redditur; nam pauci qui supersunt spiritus, ad cor, ut ad arcem confugiunt.

Si non dicimus, (& est tertia ratio) quod uterus, repletione convulsus, ad pulmonem & diaphragma allabitur & incumbit, ut nequeant moveri motu libero: retractis nempe nervis versus originem, à lumbari sacraque medulla: & ligamentis propriis latis & membranosis, quæ ad renes, ad musculos abdominis, ad inguina, ad peritonæum & diaphragma tenduntur; nam per hæc ligamenta uterus septo, ventriculo, & universo corpori alligatur, hujus rationis efficaciam invenies, si legeris per otium præcitata ex Hippocrate loca; scio enim viro cuidam docto non placere.

CAPUT VI.

De uteri siccitate.

Uterus à siccitate etiam convellitur, sed modo certe peculiari, si Hippocrati credimus; nam omni humiditate exhaustus, omnibus collectis viribus, naturali appetitu sursum inhiat, & ad hepar incumbit, ut ab ipso de ejus succo gratioso alliciat, quantum illa corrugata siccitas necessitat; nam postquam dilatatur, ad statum naturalem redit; dum ergo uterus versus hepar incumbit, partes ejus nerveæ & membranosæ versus originem convelluntur, & sursum trahunt totum uterum, & partes, quibus etiam alligatur, consociales: ac omnes simul impetunt diaphragma, & sursum impellunt, quo cessat ejus motus: & necessaria consequentia, motus etiam pulmonis intercipitur; quo motu dilatationis & contractionis præpedito, cessat necessario respiratio: pulsus in motu deficit: quia etiam cordis & arteriarum motus cessat; sed non tantum ut in plenitudine intercipiente; nec enim ita vitalia vasa comprimi posse videntur; nisi dum vasa inanita, humiditatem attrahant à partibus vicinis: & ab hepate, gratiosi humoris quantitatem, quo illam corrugationem & defectum impleant atque dilatent, ut ad statum redintegrationis naturalem perveniant; quo hystericam affectionem quiescere videmus: sed in hac audiunt, loqui tamen, ac respondere nequeunt.

Et hinc patet interpretatio ad illam Prisciani sententiam: hystericam nempe affectionem dilatatione & contractione comprehendi; scilicet cum vasa uteri, sanguinis aut alterius humoris, aut flatus copia dilatantur, ut breviora fiant: aut cum à siccitate comprimi, retrahi, & constringi contingit, partium humiditate, labore, aut alia ratione exhausta, ut Hippocrates dixit: *Cum uterus præ siccitate ad hepar allabitur*, &c. *Hipp.*

CAPUT VII.

De aura venenosa, & malignis vaporibus.

Quomodo frigida & venenosa aura, tetri & maligni vapores, seminis aut sanguinis corrupti hystericam affectionem inducant, seu à vasis deferentibus & præparantibus, seu ab uteri vasis aut cavitate eleventur, ubi maxime focus putridæ & venenosæ materiæ delitescit; suppone hanc veneni conditionem semper esse frigidam, sed tenuem & miræ activitatis; licet à semine corrupto elevetur, aut à putridis & corruptis menstruis; patet à posteriori, affectus & symptomatum natura, dum nempe solum infrigidatur corpus: & frigiditatem testantur accidentia.

Quo supposito, judicamus ab hoc foco maligno auram seu vapores ascendere malignos: ac irruenter præcordia ac diaphragma impetere, lacessitis etiam nervis & ligamentis, cerebro, corde, & hepate, per vias sibi consociales, ac diaphragmatis substantiæ adhærere, quæ stat ab uteri opposito: qui cum maligni, & pravæ conditionis sint, acrimonia & irritatione ac indebili qualitate, septum vellicant, feriunt, & mordicant: quas ut fugiat noxas, (naturaliter enim pars vivens veneni conditionem horret & aversatur;) sese comprimit naturali antipathia, & cum sursum convellatur, pulmonem, cor, leves & asperas arterias comprimit, & in arctum reducit, & forte idem in hepar & ventriculum efficit: & motus libertatem pulmoni, cordi, septo, & arteriis adimit; propria nempe adempta libertate, & hinc accidit, ut cesset omnino libera respiratio in membris animali facultati servientibus, adhuc transpiratione non integra manente; nam etiam motus arteriarum quodammodo comprimitur ex violentia; corpus infrigidatur, venenosa frigiditate in membra principalia inducta, ut dicebamus antea.

Si non dicimus, quod venenosa qualitas subito membra principalia pervadit, ac omnes principes facultates dejicit, ac cordis usu deficiente, & cere-

cerebri motu cessante, attritis aut suffocatis spiritibus, cessat omnino respiratio & pulsus motus cessat; corpus infrigidatur, quia pauci ad cor refugiunt spiritus; alii obruuntur, ut pene mortuæ suffocatæ mulieres reddantur, vocali harmonia destitutæ, aëris materia vocali deficiente: in hanc sententiam facile it Galenus 6 de Locis 5. veneni efficacia illectus, & veneni frigiditate persuasus: in illam vero nos fortes rationes alliciunt, cum videamus accidens & subito incipere, & pari celeritate demittere, quovis flatu aut levi humiditate excretis; & ex ipsa veneni efficacia activitate, & acrimonia, in vellicando & feriendo omnia vitalia principia; ideo forte Hippocrates dixit: *Hystericæ convulsiones faciles, velut Dorcadi.*

Hipp.

Illud tamen habet hæc maligna & indicibilis veneni conditio, ut varias & contrarias hostilitates in corpora inducat; nam in ventriculo singultum concitat: convulsionem in nervis: in cerebro phrenitidem & maniam, exolutionem in corde, & syncopem, & præ frigiditate lethargum soporosum, & inertem oblivionem, ac frigus in corpus universum; & varios ac fortes dolores in partes, quibus allabitur inducit; ut nos vidimus; etiamque inordinatos rigores, ut confusam tertianam æmulentur, ceu nuper in quadam moniali observavimus.

CAPUT VIII.

Quomodo grati odores hystericam præfocationem concitent; & eandem curent ingrati.

Quare autem gratis odoribus hystericum accidens concitetur, fœtidis curetur; nobilia torsit ingenia forte rei difficultas; aliis sympathia & antipathia placuit; mihi tamen videtur, odores fore hystericę prefocationis occasionem, non causam.

Pro cujus difficultatis intelligentia suppono, odorem esse solius odoratus objectum, veluti color est visus: & in naribus esse proprium odorandi instrumentum, & non alibi; secundo suppono uterum odores persentire, sub tactus organo, & non sub odoratus: & ab odoribus quadam veluti delectatione affici, ut cerebrum & cor: quod odoris materia cedat in reparationem spirituum; & pars vivens naturali instinctu, in sui conservationem feratur, & in res illas quæ huic fini conducunt.

Quare uterus ab odoribus afficitur, ratione vaporis aërei, qui est consocialis spiritibus: quod sit illis familiare & conveniens alimentum: idque quam celeriter, quia exquisitissimi uterus sensus est; hisque delectatur, quoniam odoris materia est exquisite cocta, æqualis & optime permixta; & acute certe penetrans; quare partes quas afficit, demulcet, paregorisat & reparat.

Quo proposito fine, uterus ad odores commovetur, sursum si adaptantur naribus, ac ideo sursum incumbit; veluti dum ad hepar pro explenda fertur necessitate; est enim in illa odoris gratitudine, certa trahendi vis, ad quam nos etiam allicimur naturaliter, cum odores sentimus.

Quare odor est occasio, non causa; nam commotus uterus non semper suffocationem inducit, sed cum in illo hystericus præest apparatus; & ideo in suffocationem incidere videbis ab odoribus, parturientes & menstruas mulieres, ubi supersunt menstrua, aut prava & corrupta menstruorum conditio; aliæ enim, aut non afficiuntur, aut non commoventur: quare duo necessario prærequiruntur, & odoris occasio, & hystericus maligni humoris apparatus; tunc enim vel aura venefica, vel maligni vapores in septum & præcordia irruunt, & omnia principalia membra, & suffocationem inducunt; vel etiam à seminis, vel menstrui sanguinis abundantia: si non etiam flatus multitudo distendens, causam præstet; nam uterus sursum naturaliter movetur, ad recipiendum quod gratum sentit: & in hoc ascensu movet sursum vapores, vel humores, qui in vasis aut cavitate uteri delitescebant; ad quem ascensum sequitur suffocatio. Hæc nobis magis congrua rationi videntur; nam in rebus difficilimis, sat est probabilia dicere.

Quare autem fœtidi & ingrati odores hystericæ suffocationi sint auxilio, majorem forte difficultatem infert; illud tamen oculari experientia patet: sed majori efficacia, ubi ab aura, seu venenatis vaporibus incidit suffocatio, quam dum humoris prævalet multitudo; quare licet suspicari, fœtida hos vapores à partibus superioribus repellere, sive, ut amuletum, & à tota substantia, certa antipathia, ut, arsenicum fugat malignam & pestilentem qualitatem, sive hos vapores dissolvere & dissipare, ut calidum auxilium.

Seu quia fœtida, ut cruda & male permixta, & organis cerebri applicita, cerebri meatus obstruunt, neque penetrant ut beneolentia, & inæquali mixtione sensibili naturæ adversantur; unde insurgit expellens cerebri irritata: & cum tetris vaporibus deorsum, in utero contentos excutit, extruditque sursum ascendentes; hoc enim stimulo natura, omnia alia sibi noxia pellit; à tali enim vapore, uterus quasi perterritus deorsum facilius fertur, & desinit septum sursum comprimere: & ad odorata illi supposita revertitur.

Nam illa fœtida spiritum animalem primo commovent, & quodammodo impellunt, qui tali ac tanto fœtore, quasi perterritus facultatem motivam cerebri simul pulsat, quæ pariter, ejusdem tetri odoris pravitate irritata, propriam arcem deserit, & cum spiritu animali, in cor, tanquam corporis universi centrum, se recipit, ubi vitalem spiritum compressum, & veluti suffocatum excitat & impellit; qua ratione expultrix facultas roborata, uteri ascensum omni conatu deorsum deponit; & expulsis ac superatis corruptis vaporibus, quibus uterus obsidetur, organa vitalium spirituum depurando, patentiora reddit, quo pristinum & consuetum motum, citra impedimentum, eisdem denuo tribuit, & à præfocatione mulierem liberat.

CAPUT IX.

Signa incipientis.

Signa incipientis omnibus communia sunt; respiratio inæqualis, & pulsus aliqualiter mutatus, ut timentis, cordis palpitatio; insolita rubedo

bedo faciei, & labiorum, apparet aliquibus in oculis rubedo, mœstitia & timor; & vertigo invadit; & quædam delirii perturbatio, & in plerisque nausea exthatica & stupida manet; & persentit ex imo ventre quid ascendere, cum murmure, & recenti ventriculi dolore: aliæ incurvatæ incidunt, manibus utero admotis; (convulsis internis nervis & ligamentis;) sitis insolita plerasque vexat; crura imbecilla persentiunt, & pigræ ad actiones redduntur: interdum decolor, aliquando saturato rubore faciei, omnium oblivio apprehendit, murmur in hypochondriis: hæc solent præcedere suffocationem.

CAPUT X.

Legitimæ præfocationis signa.

Cum incipit, deficit respiratio cum convulsivis motibus: & retractis cruribus fere semper; & pulsu ita debili, ut fere non percipiatur; & alto sopore detinentur mulieres: aliis omnino sensus, motus deficit: aliis motu impari languido manente, cum stridore dentium: pleræque refrigerantur, pulsu & respiratione ablatis; semper tamen quidam obscurus motus in medio pectoris latitat: cum aliquo calore; lege 2 de Morb. mul. text. 78. & 79. 80. & 81.

A semine multo & putrido, illud maxime evenire conspicies: quod edisces, si menses non deficiant, in juvencula & otio educata muliere, viri consortio assueta, ac illo intermisso; seminis tamen sunt multo graviora symptomata; nam à difficili incipit respiratione, & in ablatam desinit, quod repente fieri observabis, & in hujus accessione crura contrahit: jacet ut apoplectica, corpus infrigidatur cum omnimoda pulsus asphigia; & cum incipit accessio, remittit, ab utero excernit, cum labore & delectatione crassum, vel tenue semen: & aliquando tenuis & corrupta materia, quæ nullius humoris naturam sapit; quo accidens levatur.

A mensibus retentis, legitimam etiam præfocationem fieri observabis; hujus tamen causa immediata, non est copia, sed aura, vel corrupti vapores, cum ipsa copia retenti menstrui complicata; nam subito præfocari cum extremo languore, pulsu, & respiratione deficientibus, velut in ictu oculi, cum frigore corporis universi; non sunt solius copiæ consectaria, sed etiam veneni complicati; menses deficere relatione patet, sed venenosa menstrui conditio, ab immanitate accidentium, & subito accessu venatur: à mulieris prava complexione, & antiqua retentione mensium, mulieribus maxime quibus jam diu menses defecerunt, & in illis quæ (cum menstrua incipiunt,) gravia patiuntur accidentia: copiam tamen superesse, illud indicat, quod venæ omnes tument, cum rubore etiam faciei; & mammæ elevantur, sed non sunt ita gravia accidentia, ut in semine; illa tamen sequuntur conditionem succi prædominantis; nam à pituita alto sopore & inerti oblivione detinentur; profundius mœrent melancholicæ; delirant & convelluntur à bilioso succo; & si misceantur semen & menstrua retenta, in vasis aut cavitate uteri; his graviora & importuna magis sunt symptomata; & durat amplius suffocatio.

A

CAPUT XI.

Spuriæ præfocationis signa.

Notha & spuria præfocatio copiam sequitur, & vasorum distendentem multitudinem, si non etiam siccitatem convulsificam: absque ullo veneno, sed horum est levior accessio, brevi tempore transit & animi deliquio assimilatur; in hac etiam & ascendunt ab utero vapores, sed non ita venenosi & maligni, qui etiam cordis calorem obruunt, à quibus ingruit accessio: sed brevi

B

transit, & nova postea redit: causæ moderatæ argumentum est, si non etiam sola multitudine vasa consocialia & vitalia instrumenta comprimuntur, ut cordis motum, & respirationem intercipiant; ex iis quædam sentiunt & moventur: sed vocali harmonia privantur: aut vocalibus instrumentis retractis; aut spiritu & aëre deficiente, quod languor indicabit; aliis membra retracta manent, aliis convelluntur; levioris accessionis indicia sunt, quædam accidentia desinere, nova

C

repullulare, nec dentium stridor est ita timorosus, ut in febribus: hic enim accidit per consensum, musculis temporalibus convulsis; in illis exhausto reficcatis.

Multitudinem & siccitatem uteri figuram evertere antea diximus; hujus signa dixit Cleopatra: *Medicæ mulieres, quæ has exquisite tetigerunt, fatentur, quoniam circa uterum notas quasdam apparere, dixerunt; nam cervix ejus inclinata videtur; interdum quidem, velut sursum retractus sit totus uterus; interdum vero, ac si ad latus trahatur, non ut animal erra-*

Cleopatra.

D

bundum, sed à distentione retrahitur, quod ut plurimum accidit iis, quibus menses compressi sunt; iis addit Hippocrates: *Si ad hepar uteri accesserint, muta repente fit, & dentes conserit, & color niger fit; si ad latus, velut pila insidet, & latus dolet, tussis detinet,* &c.

Hipp.

Si à siccitate.

Si à siccitate uterus convellatur, privatio aliarum causarum est signorum potissimum; & assiduus labor, & à fœtus grandioris gestatione maxime; sed illud potissime compertum habeo,

E

hoc illis mulieribus accidere, quæ ut prægnantes fiant, importunis, assiduis, & calidissimis auxiliis intus & extra imprudenter utuntur; hac enim illusione, pleræque fœcundæ postea futuræ, steriles omnimodo redduntur.

Si à flatu.

Totus venter & hypochondria tument, lege 1 de Morb. mul. & dolet tota regio ventris, & frequens borborismus, & venter velut hydrope tumet; & à cibo facilime implentur, & diffi-

F

culter ferunt, & anhelitu angenti quasi suffocantur; & flatu excreto levantur, difficulter tamen excernitur, crura tument, & nulla sitis vexat.

Consensus signa.

Hæc ultimo libuit ut summe necessaria in medium adducere; nam in præfocatione cerebrum primo affici, illud est argumento quod functiones motrices & sensifices oblædantur, & postea principes & rectrices: illæ convulsione & depravatis motibus, cerebro & spinali medulla oblæsis: istæ vertiginosa caligine & aurium tinnitu:

nitu: rectrices desipientia & furore, sed maxime alta & inerti oblivione: & dum fastidio & contumacia efferantur, ut, sub hac hæresi mentis, pertinaci animo morem gerant.

Cordis consensum nosces ex saltu illius, & palpitatione, ex animi deliquio frequenti, quem excipit syncops cum cordis dolore, si maxime valde infrigidentur, cum omnimoda pulsus & respirationis asphigia; quod æque evenire comperimus ab aura venenosa, seu corruptis & malignis vaporibus, seu à pituita, aut bile putrescentibus, & corruptis in vasis aut cavitate uteri: ex quibus unctuosus halitus, pravus, & mira sorditie defœdatus affectum pertinacissimum reddit; & fastidiosum cerebris reversionibus, ut nos vidimus.

Hepatis consensus dignoscitur, ex signis resiccationis antecedentis, & ex uteri indigentia, ut ex nimia profusa evacuatione, aut sanguinis, seu seminis, aut si præcessit labor importunus, aut motus, seu à gravidatione aut abortu; an vero uterus ad hepar, aut lienem ab alia causa feratur, aut aliam partem visceris, præter signa Hippocratis, veluti globulus ad dextram vel sinistram, seu ad locum ventriculi incumbit, intercipiens respirationem & laterum mollitudinem tendens, ac si manu comprimeretur.

Si ad intestina aut ventriculum uterus inclinet, fluxum ventris concitat, cum importuna nausea, & torminibus ventris, maxime ex cibo corrupte defœdato.

Renum & dorsi consensum indicant dolores lumborum, & ossis sacri per venas emulgentes, & per ligamenta à lumbari sacraque medulla: quod pariter ad os pubis licet observare, dum ad illud allabitur.

Vesicæ & recti intestini consensus dignoscitur urinæ stillicidio, & tenesmo, cum uteri dolore.

Mammarum & œsophagi per strangulationem quæ velut manu comprimi videntur, non tantum per nervos, qui sequuntur ramulos epigastricæ venæ; sed per rivulos hujus venæ, quæ cum rivulis cavæ descendentis manifestam faciunt anastomosim.

CAPUT XII.

Prognosis.

Nullo in affectu est prognosis fallacior; & in hoc, quo in alio, melius est tacere, quam temere pronunciantem falli, ut Galenus consuluit; vidimus enim hystericas suffocatas, ultra secundam diem revixisse, absque ullo vitæ signo, ablatis absolute pulsu & respiratione, ac corpore toto refrigerato.

Bene tamen prædixeris morituram, (licet aliter contingat) cui spuma in ore apparet; & longa est accessio, validis & diuturnis symptomatibus: gravis est maxime frigida: & ubi nec in pulsu, nec respiratione ullum vestigium apparet; nec in pectore calor; si maxime à seminis aura venenosa, vel tetris & malignis vaporibus grave accidens foveatur; & tanto magis, quanto prolixius se extendat accessio: quæ est ad secundam diem læthalis.

Periculum etiam metiri dabitur ex ipsa consensus ratione: & aliquando potius quam ex ipsa affectus magnitudine; nam quo plures partes afficiuntur, eo deterius res se habet; deinde, si pars quæ consentit, est communi facultate insignis, & maxime afficitur, (quod ex signis debilitatis noveris) mox enim trahit in consensum reliquas principes facultates; ac subito & inopinato interficit.

Illud attamen solet valde decipere, quod affectus per consensum adhuc in ultima desperatione solet levari: si materia, quæ affectum primigenium fovet, expellatur; quod affectui essentiali non accidit, si ad tantam magnitudinem devenit, ut, seminis materia, venenosa excreta.

Quare si cor præcipue patitur ex consensu, læthalius est, ut in syncopem incidere corde affecto, quam in animi deliquium cerebro patiente, aut ventriculo; solent enim in hoc casu deliquia, ob vehementiam accessionum, aut ob nimiam refrigerationem, aut oris ventriculi exolutionem contingere, aut vivifico cordis nectare exoluto, aut plane suffocato à nimia congerie, aut ipsa veneni efficacia: quod certe nec est facile discere, nec docere; sed illud sola frequens docet in similibus exercitatio.

Levationis à suffocatione signa sunt, corpus firmari: malis rubere; aperire maxillas; oculos attolli; humiditatem ab utero effluere, crassum aut tenuem, in ventre borborismum audiri: uterum à tensione laxari, sentire, & movere corpus.

Gravis & magna suffocatio, nullo fere signo distinguitur à forti apoplexia, nisi ad signa antecedentia utriusque attendas; nam apoplexia à difficili respiratione incipit, cum sensus & motus privatione, ut etiam suffocatio; sed apoplexia per gradus ad stertorem, dum ad ablatam respirationem devenit: & hoc non ita subito veluti in hysterica suffocatione; neque apoplectici ita cito refrigerantur ut hystericæ, (excepto ex interceptione venarum) & pulsus in apoplecticis per gradus inæqualitatis, & deficientia ad asphigiam tendit; cum quadam vibratione, dum usus adaugetur: quia multus calor non ventilatur; sed hystericis mox & fere repente pulsus cadit, deficit respiratio: quia deficit usus, seu aura venenosa, calore exoluto, seu sanguinis concretione suffocato; nec in apoplexia delirant, quod plerisque accidit suffocatis; licet utraque à motibus convulsivis & dentium stridore incipiat; ab epilepsia caro lethargo, & catalepsi facile distinxeris, si ad invicem conferas accidentia & signa: nam hæc doctis scribo.

CAPUT XIII.

De indicationibus; Pro causæ & affectus ratione.

Diximus in principio, quod affectus in suffocatione hysterica alius est in compositione depravata, aut in intemperie: compositionem perturbant causæ variæ, quæ uteri figuram prævertunt; & unaquæque peculiarem indicat auxilii sortem; nam alias evertitur à sanguinis menstrui copia, alias à multo semine in vasis aut cavitate asservati; à quibus aura pullulat venenosa, aut maligni vapores, dum putrescunt; interdum à prava uteri siccitate, à flatuum multitudine, aut suaveolentibus; affectum in intemperie producit,

cit, & aura venenosa & maligni & corrupti halitus, aut seminis, aut sanguinis corrupti; illa tamen aura frigidi veneni naturam æmulatur; sed ista & venenosus halitus, absque ulla uteri præversione, in vitalia instrumenta & naturalia affectus producunt, qui sunt ad intemperiem reducendi, respectu uteri, licet depravatam figuram in membra vitalia inducant.

Quare nos oportet ex ordine causarum & affectuum indicationes elicere; & prima quidem causa, menstrui sanguinis multitudo, in vasis aut cavitate uteri, magnum affectum producens & conservans; nam onus virtutes opprimit, vitales animales & naturales, & cum vitæ periculo, & hoc aut multitudine replente vasa, quo se ipsis breviora redduntur; aut prava conditione potius quam copia, ex quo maligni vapores aut aura venenosa, ut causa proxima, hysterica concitant accidentia.

Ergo si in venis uteri aut cavitate prævalet copia, vacuandi & prævalebit indicatio: sed species causæ & locus determinant speciem auxilii, & regionem vacuandi; an copia sanguinis, aut seminis sit.

Hysterica suffocatio ex suppositione, non tantum est magnus affectus, sed brevissime vitæ periculum minatur; & illa multitudo, est sanguinis in vasis uteri cumulati, aut seminis in vasis præparantibus, aut deferentibus: ergo sanguinis vacuatio indicatur pari celeritate.

Attamen in excitatione illud prius perpende, an illa vacuandi indicatio à multitudine sumpta: an impedientis contraindicatio sit potior; quod nosces ex periculo, quod utraque minatur, majori aut minori celeritate: quod magnum & prudens certe judicium requirit.

Quo in statu est prima consultatio de sanguine mittendo, si illa multitudo in venis uteri, aut vasis deferentibus continetur; duo restant dubia; quo ex loco; & an in accessione facienda: etiam si sæpius esset celebranda; quo ad primum, semper ex talo dicimus; *Nam suppressiones à mensibus ortas omnino per crura vacuabis*, dixit Galenus; neque nobis placet Ætii sententia, quantumvis magna videatur repletio, superior. *Galen.*

Ad secundum, si ex hac copia nobis occurrat mulier suffocata, noster conatus erit, virtutem à materię copia occupatam & oppressam, excitare, & revocare, & à captivitate liberare, antequam sub onere succumbat; quod aliter certe consequi non valemus, nisi causa opprimente revulsa, derivata aut alio expulsa; quæ levioribus auxiliis non cedit; (excepto dum à solis vaporibus incidit suffocatio:) quare si in ipsa accessione ab onere virtus periclitatur, ex selectioribus medicinæ principiis, in ipsa accessione est sanguinis missio celebranda.

Hanc indicationis efficaciam sequitur Albertinus Botonus lib. de Morb. mul. cap. 39. *Tunc enim*, inquit, *vacuandi insistit indicatio non à copia tantum, sed etiam à præsenti periculo:* neque obstat contraindicatio vitalis, quæ sui petit custodiam nempe virtutis labentis, sub tam magno symptomate; quoniam hæc debilitas non est essentialis, quæ vacuationi opponitur: sed per oppressionem consequuta; & in hoc statu illud est naturæ privilegium, ut exonerata resipiscat, & reliquum facilius expellat, 11 Meth. 15. ergo sanguis est in ipsa accessione mittendus in robusta muliere, & recenti affectu. *Alb. Boton. l. de Morb. mul. c. 39.*

A

Pro cujus doctrinæ veritate adverte ex Galeni 11 Meth. 5. in tribus vires consistere, in spiritibus, in carnosa substantia, & in partibus solidis; & in suffocationis principio, aut cujuscunque alterius ægritudinis, (excepto in malignis) non essentialiter dejiciuntur vires, quæ in carnosa & solida substantia consistunt, sed illæ tantum, quæ ex spiritibus & halituosa substantia aluntur: robustis adhuc illis duabus substantiis manentibus.

B

Sed illa debilitas non prohibet quo minus sanguis emittatur: ergo in ipsa accessione suffocationis est vacuandus sanguis, qui in onus & oppressionem cessit facultatum.

Minor, in qua tota vis hujus argumenti consistit, patet ex maximo Medicorum, Hippocrate, & Medicinæ coryphæo Galeno, 12 Meth. 5. & 4 Acut. 23. 24. 25. ubi in pari casu sanguinem mitti consulunt: *Nempe in syncope & apoplexia ex venarum interceptione, ubi concretus sanguis ex multitudine opplente vasa illius commeatum & ventilationem intercipit*; & reddit rationem Galenus, *quia tunc ob copiam extinctionis, vivifici caloris agitur periculum; veluti à lignorum congerie*; neque defuit gravis medicinæ auctor, qui hanc sententiam, sub aphoniæ nomine, ad hystericam suffocationem extendat, ac de illa intelligendam putet, dum in illa sanguinis multitudo in venis uteri intercipitur. *Hipp. Gal. 12 Meth. 5.*

C

In cujus sententiæ Commentario illud maxime animadvertendum duxi, quod Galenus adjecit, nempe *sanguinis missionem imperandam, licet contingat aphonia, ob recentem quandam exolutionem & afflictionem virtutis*; recentem dixit exolutionem spirituum, & non ob inveteratam in aliis substantiis. in his dixit Hippocrates: *Venam brachii dextri, internam secare oportet, sanguinemque auferre, ad habitus aut ætatis rationem:* ergo illa exolutio spirituum non obstat, carnosa & solida substantia integra manente. *Hipp.*

D

Et dato, quod in suffocatione aliqua adesset exolutio, hæc non causatur ab resolutione caloris nec exolutione spirituum, sed ex sola multitudine opprimente, & commeatum intercipiente: cujus præsentia, ut hoc fovetur symptoma, ita ejus absentia & expulsione removetur: haud secus ac ignis, lignorum congerie deposita, & lucet, & in altum ascendit; sic pariter judicavit Hippocrates in suffocatis à nimia sanguinis multitudine, ea deposita restitui; licet corpus caloris extinctioni esset proximum; quod nos certe civitate Carmonensi experti sumus in nobili & satis noto D. Johanne de Barrientos, cui sanguinem misimus, in casu Hippocratis, ex interceptione venarum.

E

F

Sic pariter judicat Albertinus Botonus, hystericam affectionem, ob menstrui sanguinis multitudinem, sanguinis missione in ipsa accessione, præsentanea celeritate mederi; ex hac enim vacuatione, nihil vires oppressæ patiuntur, quinimo levantur: & solita ventilatione restitutæ, resipiscunt etiam facultates; quare indicatione à multitudine sumpta, & à discriminis celeritate, (ut Galenus etiam adnotavit in Commentario illius Aphorismi, 1 Aph. 3.) non tantum est sanguis

guis mittendus, sed quam primum pari celeritate.

Neque in hac multitudine, animi deliquium timuit à sanguinis missione, nam Aph. 27. urgentissimis febribus & inflammationibus tantum abest ut timeat, quin ad animi deliquium vacuationem perducere mandaret; ut servetur æqualitas; non tantum in magnitudine auxilii, sed in celeritate succurrendi.

Ex quibus præceptis clare patet, quod magis de illa multitudine succi, & de effectus urgentia timuit, quam de exolutione spirituum, ut nos doceret non esse hæsitandum in sanguine mittendo, in hoc casu; est enim illa à superioribus revulsio, ab utero derivatio, &c.

Fundamenta quibus vir iste doctus suam adstruit opinionem, sunt certe ex penitioribus medicinæ arcanis: hæc nobilior theoria invexit, hæc ratio suadet philosophica: & à nobilibus principiis, ac Hippocratis & Galeni decretis comprobata sic perinde suadent faciendum; sed illud hic & nunc, in praxi exercere, nec ego facere ausim, nec suadere; illud enim vir iste doctus non attendit ad contraindicantis repugnantiam, sola causæ & affectus indicatione contentus; quis enim sanguinem extrahere in egelida aut frigida muliere ausus erit? quis, ubi pulsus deficit, & respiratio? & cerebri facultates sunt sopitæ, si non forte ablatæ? princeps scopus deficit ad sanguinem mittendum, vires nempe, quæ sanguinis extractionem ferant: ex quo enim principio satis vigere ad sanguinis missionem noscemus? vires cordis deficere satis patet, si in pulsu & respiratione non sunt signa; cerebri vires, ex quo principio adesse deducemus? si sunt alto silentio consopitæ, nec supersunt rectrices, nec motivæ, nec etiam sensificæ? & si dicas, vires non deficere, sed sub onere illo superesse, & tantum restare, ut deponatur onus, ut ipsæ resipiscant; ad hoc tibi respondeo, quid proderit præsumptam vacuare multitudinem, si pauci qui supersunt spiritus vacuantur, & vita cum sanguine exhalat? quis nos securos reddet ab infami calumnia?

O gravissimi viri, quam facile scribimus, & docemus ea quæ nobis consona rationi videntur, & tradiderunt aliis, quæ in actu, in praxi, nec exequi valemus; & consulere animus exhorrescit; nec est paritas in exemplo à lignorum congerie, cum ignis suffocatur; nam ligna deponuntur absque ignis dispendio, aut periculo, ac ideo & reviviscit flamma, & in altum ascendit; sed sanguine extractæ, multum etiam de vitæ thesauro vacuatur, nempe de spiritibus, quibus vita consistit; nam cum causa vacuatur, potest vita deficere.

Nec Hippocratem judico in 4 Acut. sanguinis missionem, in venarum interceptione consuluisse, in omnimoda pulsus asphigia, & syncope; sed dum pulsus adhuc vigeret, & antequam vires laberentur, ut sibi semper consona loqueretur.

Nec in hoc casu valet, temerario auxilio periclitandum, in ingenti periculo, ut Celsus peritissime dixit; illud enim intelliges, ubi minus timetur de auxilio; quam de morbo: nam ubi magis timetur de auxilio, veluti in hoc casu, non est aggrediendum, ut plerique fecerunt in deploratis, qui salute adepti sunt infamiam.

Quare magis consonum rationi, & mihi consultissimum videtur: quantumvis ad sanguinem mittendum, validissimæ impellant rationes, à sanguinis missione in accessione supersedere, in legitima uteri præfocatione; & in illa, aut suras leviter scarificare, aut per cucurbitulas, haud fortiter extrahere, ut dolore potius sopitam excitent facultatem, quam vacuatione onus deponant; quoniam tota vacuandi occasio, mihi videtur perquirenda, exacta jam accessione, & cum vires in pulsu, in respiratione, in facultatibus, motiva, sensifica, & rectrice sese produnt; tunc enim id multitudinis amandat indicatio; & vires auxilium, aut robustæ, aut mediocres ferunt; neque tanto discrimini exponimus ægrotam.

Nec frigidi veneni sanguinis extractio est auxilium; (suppone causam antecedentem, esse multitudinem, & remotam; proximam vero auram venenosam aut vapores) hæc enim neque à causa, neque ab affectu indicatur; non ab affectu frigido, qui calidis curatur, ex communi principio; non à causa, quoniam id non petit conjuncta aura, nempe frigida, quæ alexipharmaca & calida expostulat; non ab antecedenti; quoniam licet illa multitudo postulet vacuari: illud potiori urgentia renuit contraindicans; nempe causæ conjunctæ, & corporis universi frigiditas, virium exolutio, cordis languor, & caloris vivifici omnimoda extinctio; ideo enim Galenus lib. de Sang. miss. 6. in refrigeratis renuit sanguinis missionem, ea sola ratione, quod sanguinis missio est refrigerans auxilium: quem sequitur Valesius 1 Controvers. 6. illud etiam alta mente Hippocrates perpendit 2 Coacarum, text. 18. quando dixit: *Detractio sanguinis in torpida refrigeratione mala*; & text. ultimo, *utcunque sanguis prorumpat*, inquit, *in torpida refrigeratione, seu sponte, seu medici artificio, cedit in ægroti pernitiem*; est enim omnem humanitatem fugientis, defraudare naturam eo commodo, à quo ejus recreatio sperabatur; ex cujus paupertate ipsa torpescit, & effœta languet.

Hipp. 2 Coacar. text. 18. & ult.

Et quando Præceptor vacuationem ad animi deliquium perducere mandavit, supponit vires ad evacuationem, & deliquium; patet in juvenis synocho laborantis exemplo, 9 Meth. 4. Acutorum 19.

Supposito ergo, quod in accessione sanguinem mittere non convenit, ad alia revocandi instrumenta nos oportet divertere; nempe ad surarum scarificationes, quod in albis mulieribus Galenus consuluit, ad scarificatas cucurbitulas in internis fœmoribus, ad fortes ligaturas, non continuas, sed ex intervallo repetitas: ad vellicationes; tandem ad frictiones validissimas, cum sale, nitro, synapi, & aceto permixtis, ut gravata sopitaque virtus excitetur, quas oportet brevibus intervallis repetere; pedes involvi pannis aqua ardenti madidis: & sternutatoriis utemur satis validis, ex tabaco acriori & valido, aceto acerrimo permixto; ac fœtidis interim ori aperto & naribus applicitis: & odoratis ori vulvæ admotis. Auxiliorum materiam satis latam Practici docuerunt.

Et si multitudini æqualis non tibi videatur revulsio, aut vacuatio, consultissimum mihi videtur, eadem bis aut sæpius repetere: & mihi in magna desperatione non displicet, 6 Acutor. 8. hyrudines venis hœmorrhoïdalibus adaptare, & virium

virium ratione de ſanguine extrahere, prout tibi perito videatur; in hoc enim auxilio elucet à parte multitudine obſeſſa derivatio, & à vicinitate vacuatio; & tractio ſanguinis concretionem vincit; præterquam quod externæ venæ ramus, à cava deſcendente ortum ducit; internæ vero hæmorrhoïdes à ramo ſplenetico, & uterque ramus venas ducit conſociales, etiam cum uteri venis.

Si vero ab aura venenoſa aut corruptis vaporibus incidat ſuffocatio; ſi veneni prævalet indicatio, & non multitudinis: eiſdem revellentibus uteris: nec tibi curæ ſit de extrahendo ſanguine; non eſt enim in hoc caſu ea de viribus ſecuritas, qualis in præcedenti; excepto, ſi aura & maligni vapores à multitudine poſtulante aut ſeminis aut ſanguinis foveatur; tunc enim maligna multitudo petit etiam ſanguinis aliqua extractione vacuari: ſi id fortius non renuit contraindicans; ex eiſdem medicinæ principiis.

CAPUT XIV.

Auxiliorum materia.

In admovendis utero, illud prius adverto: ſeu à ſemine ſeu à menſtruis incidat, illis ſemper utendum, quæ præterquam, quod odorata ſint, vim pariter ſortiantur craſſos extenuandi ſuccos; denſitatem, duritiamque harum partium laxandi, ut emollitione & reſolutione ſint auxilio; maxime dum concreti in ſuſpicionem veniant humores: ut ℞. olei ſpicæ, liliorum, jaſminorum, aut naphæ ℥j. moſchi ℈j. ſtiracis ligno aloës cinnamomi an. ℈ß. m. liniatur pubis locus uſque ad os pudendi, ilia & lumborum regio, ob varia uteri ligamenta & vaſa.

Interim obſtetrix digitos intromittat (excepto in virginibus) his oleis imbutos, lente, leniter & ſpatio longo, has partes tractet, ut virtutem provocet, licet titillationem inferat, ut aliquid corrupti ſeminis, aut materiæ venenoſæ expiret; quoniam in hoc ſtatu, venenum ſeminis prolicere tentamus, non verum & prolificum ſemen; hoc enim nefas eſſet; tunc enim jam formam ſeminis amiſit, & induit veneni formam: quod prolicere jus naturale conſulit & docet; & ſi quæ forte incidit delectatio, eſt per accidens, quod certe executionem neceſſarii auxilii non impedit; ut quando prægnantibus auxilia imperamus profligantia morbum, licet cum abortus periculo, (cum evidens non eſt) qui ſi ex eventu contingat, non ex intentione, caret crimine; ut omnis fatetur Theologia.

Illud tamen fœminis jam corruptis conſulimus, non tamen in virginibus, quibus ſat eſt, has partes illinere: ut in iis, neque uti peſſariis inprimis.

Deinde totus conatus erit, ſpiritus excitare, & à centro ad circumferentiam evocare, quod conſequemur, ſi fœtida naribus apponantur: & infra odorata; tunc enim ſuffumigium parabimus ex elychnio ſulfureo accenſo, vel ex aſſa fœtida & caſtoreo, cum cera eliquatis & parato elychnio, aut ex pennis perdicis aut gallinæ, & ex pilis humanis; aut ex ungula muli aut equi, igne crematis, & cum fumus aſcendit; ac ex eiſdem in aceto acerrimo tritis, nares poterunt illiniri; idem ruta præſtat, & allium.

Hæc enim ſpiritum animalem commovent, & impellunt, qui tanto fætore excitatus & impulſus, per nervos ad cerebrum primo aſcendit, & facultatem motivam pulſat, quæ à tali fœtore irritata, ad cerebrum cum ſpiritu animali, recipitur, ubi virtus omnis unita, magno conatu, in corruptos vapores agit, ac deorſum impellit.

Sed illud maxime ponderatum video, quod dicunt, quaſi momento præfocatas revocare; nempe ſi fiat evaporatio ad nares ex pulvere verrucarum, quæ tibiis equorum adnaſcuntur: quæ ſi in calenti furno exſiccentur, & in pulverem redigantur; & illis ad prunas excitetur ſuffumigium, quod naribus & ore excipiatur, hoc dicunt, tanquam præſentaneo auxilio, magna adſtantium admiratione, mulieres quaſi à mortuis revocari.

Sternutationes non ſunt prætermittendæ, pipere, ſinapi aut tabaco; ſuppoſitoria, maxime ubi alvus ſtetit, magnopere commendo, & acriora certe; nam alvus exonerata ſolet matricis regionem laxare; ut uterina peſſaria, fiant iſta ex pulvere cimini, agni caſti, rutæ, cum hiera, logodione, agarico, ſale gemeo & melle; aut ex ſola ciclaminis radice, aut altheæ iis imbuta, oleo ſpicæ, aut jaſminorum illinita, & filo appenſa.

In aura venenoſa à ſemine corrupto, jam diximus fore præſentaneum auxilium, ſi obſtetrix illas partes tractet; nec eſt minus conveniens, aliquod alexipharmacum per os ſuffocatæ infundere: licet os violentia aperiatur; ut ſi accipiatur de aqua meliſſæ, ſcorzoneræ, ceraſorum, artemiſiæ aut dictami decocti ℥iij. lapidis bezoar orientalis gr. vj. theriacæ, ſmaragdorum ℈j. neque mihi in hoc caſu metus, dare magnæ theriacæ ſcrupulum: quoniam calorem ſopitum excitat, cor roborat, ac malignos ſpiritus & venenoſos diſſipat: non vero probo confectiones iacynthorum, nec Alchermes, ob adſtringentia & ſimplicia ſuaviter olentia, ne ſurſum revocent uterum.

Poſtea ſuppoſitorium quod diximus imponatur, aut clyſterem accipiat ex herbis carminantibus, hiera, logodionis, melle, oleo rutæ, & ſale; additis agno caſto & artemiſia.

Corruptis mulieribus etiam apponantur uterina peſſaria, ut venenum expiret; ut ℞. ſucci betæ ℥j. agarici ʒß. agni caſti, aliptæ muſcatæ, ligni aloës cariophyll. an. ℈j. moſchi gr. 8. & cum cera aut melle f. peſſaria; aut intra pannum lini ad peſſarii formam in ſacculo excipiantur; quæ oleo ſpicæ, naphæ aut lauri illiniantur; & tota matricis regio his oleis foveatur; aut unguento naphæ cum ʒß. theriacæ magnæ.

Non probo in hoc caſu emplaſtra pro matrice, nec ex gummis ex India delatis; nam hæc emplaſtra poterunt has corruptas materias cum majori diſcrimine detinere, quas proficuum foret expurgare, per os uteri potius, quam per aliam regionem; nam cum carminantibus ſimplicibus pleraque roborantia miſcentur.

Illud tamen adverto, quod in ſemine multo aut corrupto, addantur minuentia ſemen; ut pulveres agni caſti, rutæ ſiccæ, coralli, & ſemina plantaginis, prout intemperies receſſerit; poſtea vero ſymptomate exacto, emplaſtris uti poteris ad matricem roborandam, & ſupervacuam ma-

teriam tenuandam & resolvendam; ut ℞. olei naphæ, & spicæ an. ʒß. theriacæ magnæ ʒj. pulv. agni casti & rosar. albarum, an. ʒß. moschi gr. 8. balsami ℥ij. diamusci ℈j. & cum cera f. emplastrum, vel iis sine oleo, cum galbano & labdano depuratis f. emplastrum; nam olea cum gumis non miscentur.

Postea vero revocata muliere, ad provocationem menstruorum te conferes, purgato prius corpore, ea auxiliorum materia, peccantem humorem vacuante; postea pessariis uterinis matricem oportet expurgare; & suffumigiis aptis depurare; ut ℞. trochis. de gallia muscata, aliptæ muscatæ an. ʒß. stiracis, calaminthæ, belsoini an. ʒij. ligni aloës, santali citrini, an. ʒj. granorum pæoniæ ʒß. moschi & ambræ an. gr. viij. & cum balsamo & ovi candido fiant trochis. ad ʒj. quorum unus carbonibus accensis imponatur & suffiatur mulier; ac ultimo matricis intemperiem maxime flatuosam corrigere oportet, quod maxime præstabit, per multos dies sumptum: ʒj. castorei cum ℥ij. decocti matricariæ, artemisiæ, aut dictami Cretensis; aut etiam in vino; hoc enim multis præsentaneum præstitit auxilium, in hieme, & temperie frigida; sed nil securius matricis corrigit intemperiem, ab balsamo electo illam suffumigare, & ad extra lenire.

CAPUT XV.

A flatu distendente.

Si à flatu uteri vasa distendente, & substantiam, mulier præfocetur, intus & extra laxare, emollire, & resolvere oportet, & concoquere; (est etiam sua flatibus coctio) si maxime præsit crudorum abundantia; ac ideo à prædicto clystere carminante incipere oportet, addita artemisia & matricaria, (quæ uterum respiciunt,) rhodomele, hiera, oleo rutæ, & cammomilli cum sale; deinde per os dabis panem de rhodomele cum haustulis aquæ borrhaginis, aut chinæ satis calidæ: nec displicet in hoc casu paulatim crudam materiam vacuare, à prima regione, quæ utero causam præstat, ut pilulis de hiera Galeni cum agarico; aut decocto pugini in chocolate ad unc. 4. aut apocimate Fernelii; postea symptomate exacto, pessaria uterina iis maxime conducunt, cum theriaca, balsamo, oleis odoratis, & ambare grisio; illud tamen maxime commendavit Galenus flatuosis affectibus 12 Meth. cucurbitulam magnam super partem flatu distentam adaptare; est enim auxilium incantamento simile, non semel, sed sæpius, si id affectus petit; sed attende, ne corpus universum pravis succis scateat, ne plus trahat quam degerat, in his etiam uteri regionem inungere oportet oleis supradictis & theriaca: aut vesica decocto carminante, & oleo rutæ & aneti semiplena, utero adaptata; iis etiam graveolentia naribus commendavit Hippocrates 1 de Nat. mul. utero odorata; vinum istis permisit, à flatibus & virium defectu indicatum; maxime assuetis aliter aqua cinnamomi, chinæ aut anisi, aut radicis angelicæ.

CAPUT XVI.

A siccitate.

Si uterus ad hepar incubuerit, tota erit intentio, uteri tensionem laxare, & interim siccitatem humectare; hanc enim intensionem natura ipsa docuit, cum uterus, præ siccitate aridus, ad hepar allabitur; ut attracto ab illo de gratioso succo, & inanitum reficiatur, & humectetur siccum; quare in hoc statu judicamus, (quod ab alio traditum non invenio,) ut primo clysterem accipiat de jure avis oleo amygdalarum dulc. vitello ovi & saccharo, ac postea uteri regio foveatur; solo tepido lacte, aut vesica lacte semiplena, cum modico calore uteri regioni adaptetur; ac poma odorata lacte cocta, cum pulvere seminis plantaginis, & coralli: sed super omnia mihi magis profuturum videtur, si assata caro, aqua rosarum irrorata, gallinæ, arietis aut vaccæ; frequenter uteri regioni apponatur; aut pulli columborum & gallinaceorum recenter mactati, visceribus extractis, ut tepido calore & humiditate recenti uteri siccitas laxetur, & corrugatio reficiatur: hic enim nec fœtida nec suaveolentia mihi profutura videntur; ni aliqua sit suspicio aut corrupti humoris, aut vaporis retenti, putridi, & maligni.

CAPUT XVII.

A suaveolentibus.

Si ultimo à suaveolentibus præfocatio concitetur; tu considera; an illa commoverint menstrui retenti multitudinem & apparatum aliorum humorum, in vasis aut cavitate uteri; an, seminis adservati quantitatem in vasis differentibus, aut præparantibus; an solos corruptos & malignos vapores, an auram venenosam; (nam siccitatem tam subito inducere non valent;) & prout jam diximus, curationem instituas: seu contra menstrui sanguinis commoti, seu seminis corrupti multitudinem; seu adversus auram & malignos vapores, ut nuper diximus, scarificationibus, cucurbitulis, sanguisugis, ligaturis odoratis ad uterum & fœtidis ad nares, pessariis uterinis, suffumigiis, &c. in omnibus tamen accurate perpendens, ut frigida extrema calefacias & foveas, pannis actu calentibus cinnamomo, & nuce muscata, suffumigatis; & si frigida extrema sudore madent, frigido panno suffumigentur, cum mastice, addito cinnamomo, & aqua ardenti actu calida, &c. quod si adhuc perdurent accidentia, fonticulos in cruribus aperire, ex artis præscripto fuerit: cui vero nec hæc arrident; per me, quisquis tandem ille sit, cujus palato nil sapere potest, si potis est, meliora præscribat consilia.

DE

DE SEPTI TRANSVERSI INFLAMMATIONE, ET CEREBRI CONSENSV.

Est septum transversum interjectus paries, ventrem medium ab inferiori, & vitalia organa à naturalibus dirimens; est præcipuum respirationis instrumentum: situm orbiculariter transverse; nam ab anteriori thoracis parte, ad posteriorem usque protenditur; totus est musculus latus, in figura rotunda, ossi pectoris alligatus, ac per notharum costarum extrema ad lumborum regionem extentus; in infima thoracis parte; diaphragmatis corpus duobus constat circulis, carnoso uno, altero membranoso, duabus venis alitur, duabus arteriis fovetur, & duobus nervis fulcitur; duabus tegitur tunicis, duobus foraminibus perviis; pro inspiratione & expiratione: circulorum prior nervosus est, in medio tanquam centro situs, à quo fibræ permultæ ad circumferentiam excurrunt; quo tota musculi compago constituitur: alter circulus est omnino carneus, priorem undique ambiens, & anteriori sui parte sterno, & nothis costis alligatur; posteriori supremis lumborum vertebris medio duorum tendinum annectitur; ex duabus membranis altera, superiori parte pleura, & inferiori peritonæo tegitur; venæ à trunco ascendentis cavæ, phreniticæ dicuntur; sub his duæ arteriæ præreptant, nervi à quarta quintaque vertebra ex spinali medulla, ad circulum feruntur; ex foraminibus alterum stomacho viam præbet; alterum venæ cavæ ascendenti; tres usus hujus musculi, nobiliores medici agnoverunt; primus ut liberæ serviat respirationi; nam tenditur in expiratione, laxatur in inspiratione: secundus est, ut hypochondria ventilet, & maxime hepar, secundum convexam sui partem, in qua caret arteriis; ideo forte Hippocrates, illud ventris inferioris respiratorium dixit: postremus usus est, ad fœces excernendas; hoc enim lato musculo totus venter veluti manu comprimitur: ad hanc hujus visceris anatomiam Matthæus de Gradi addidit nervum manifestum, terminatum ad panniculos cerebri, vel ad cerebrum dispersum, per substantiam ipsius panniculi, quod non est sic in aliis panniculis; hoc invenies in sua pleuritide in divisionibus pleuritidis.

Est ergo septi transversi inflammatio, apostema in inferiori thoracis parte in lato musculo dirimente vitalia organa à naturalibus, à sanguine aut bile, cum febre continua, pulsu duro, perpetuo delirio, cum dolore ad costas inferiores sub vacuo, ad intus retractis hypochondriis, crebra respiratione interdum intercepta. hæc definitio ex Galeno colligitur 5 de Loc. 4. ut in illius expositione palam fiet.

Duæ internæ inflammationes & accessione graviorum malorum, & membrorum principalium sympathia, adeo confusis turbantur accidentibus, ut ad sui brevem cognitionem, (ut necessitas petit) indigeant Delio natatore; membranarum nempe incipientium inflammatio, ut & septi transversi. De illa parum, & non pro dignitate disseruit Mercatus: de hac Salius, doctrina generali; ideo ad expositionem hujus definitionis properamus.

Est apostema; duplex à Galeno celebratur inflammatio, 2 ad Glauc. 1. & sicca, quæ phlogosis ab illo appellatur, & humida, quia ex humido confluxu replentur vasa majora, minora, & spacia inania, à sanguine aut bile; ab illo enim phlegmon, ab hac parum erisypelas concitatur, & mixta inflammatio ab utroque; quod utplurimum accidit; nam cum sanguis accenditur, fere tertiam diem non transcendit, quin pars tenuis convertatur in bilem, crassa in melancholiam: hæc autem inflammatio humida à nobis intelligitur, non sicca; nam accidentia, quæ illam consequuntur, non possunt cum phlogosi consistere; & si plura desideras, vide Galen. 2 ad Glauc. 1. 6 Aph. 33. 13 Meth. 1. & 3.

In inferiori thoracis parte; nempe *in lato musculo*, qui ossi pectoris alligatur, ac per extrema costarum notharum ad lumborum regionem extenditur.

Cum febre; ea certe continua & acuta, quantumvis symptomatica; cordi enim, situs ac viciniæ jure, non tantum alteratione continui communicatur calor: sed urentes fuligines sanguinem & spiritum continuo accendunt, ut cordis substantia non tantum incalescat, sed etiam humoribus exardescat; nec est major ratio in pleuritide, cui febris necessario continua copulatur, & acuta; nam in hoc & in illo cito & cum periculo properat ad statum; lege causam per otium in Galeno de Constit. artis 15. 2 de Loc. 9. 3 Epid. Sect. 3. 79. 5 de Loc. 3. 1 Aph. 12. 2 Aph. 23. nec ista inflammatio metas peracutæ ægritudinis transcendit; in 7 finitur. vide causam, si placet, in Galeno 2 de Crisib. 12. & 13. 2 de Differ. Feb. 9. sed expressius; 1 de Different. Feb. 5. *In inflammationibus enim internis*, inquit, *fuligo putrida in loco circunscripta non manet, sed viciniæ jure meatuum amplitudine cordi communicatur*; est etiam expressa Avicennæ sententia, 1. 4. Tract. 4. c. 13. quidquid in contrarium Valesius contendat.

Galen.

Illud etiam neminem latere arbitror, semper in principio febrem, ut symptoma, sequi inflammationis magnitudinem; postea vero sequi succorum apparatum, ac morbum per se ipsam constituere; raro enim contingit, quin ad 4 urinæ, succorum putredinem & ignem non ostentent; cum & ipsæ febres sint etiam de genere ardentium, quæ inflammationes internas insequuntur,

aut sanguinis, aut bilis ustionem, aut putredinem. hæc est senis sententia: hæc Galeni 4 Acut. 1. & 13. 4 Aph. 39. 1 Aph. 23.

Cum pulsu duro; nempe in diversis arteriæ partibus inæquali; quoniam inflammatio membranosæ & nervosæ substantiæ, partes arteriarum sibi consociales, convulsifica quadam repletione ad se trahit; unde partes arteriæ tenduntur, & illud inæqualiter, secundum partis inflammatione tensæ viciniam, aut distantiam: causam illam sat esse Galenus æstimavit, 4 de Caus. puls. 7. si in pectore maxime consistit inflammatio; septum enim parte superiori pleuræ tunicam induit, à cujus substantia membranosæ arteriæ etiam vestiuntur; si credimus Galeno 6 de Usu partium, cap. 3. mea tamen sententia, serrantis inæqualitatis in pulsu causa est, non tantum arteriæ tensio, sed etiam acuti usus necessitas, & virtus ob aggravationem & dolorem oppressa, & irritata: quoniam inde accidit, ut non valeat uniformiter arteriam distendere, sed inæquali motu, altius aut depressius: & cum hoc fiat in arteria tensa, à tensione illiditur facultatis conatus: ut digitis accidat quædam vibrata tensio, sed serræ modo feriat. Hujus doctrinæ energiam & si plura desideras, tu per otium leges in Galen. 2 de Caus. puls. cap. 6. 4. de Caus. puls. cap. 7.

Dolore ad costas inferiores subvacuo: intus retractis hypochondriis; hæc definitionis clausula constat ex anatomia; pars enim inflammata distensione violenta, & continui solutione dolet; dolor ad costas inferiores hic elucet, quia per notharum costarum extrema ad lumborum regionem extenditur, in infima thoracis regione, intus retractis hypochondriis; quoniam circulorum prior nervosus est, in medio tanquam centro locatus, à quo fibræ permultæ ad circumferentiam excurrunt: unde cum inflammatur septum, fibras omnes undique ad se trahit; & inde accidit, ut intus videantur retrahi hypochondria: patet clausula ex lib. 5 de Loc. cap. 4. in prima linea.

Celerrima respiratione; quia inter usus, quos nobiliores medici hujus septi transversi agnorunt, primus & potior est, liberæ servire respirationi; nam exspiratione & inspiratione tenditur & laxatur; cum ergo usus in inflammatione augeatur, & compressione & dolore libere dilatari non valeat, frequentia magnitudinem supplet, ac ideo frequentius cogitur respirare; nec est mirum, si in obedientia instrumenti respiratio aliquando deficiat, aut dolore facultate perterrita, aut alio distracta; hujus clausulæ est illa Galeni illustratio, citato loco; *Septum transversum succincturam Aristo. vocat, quippe quod sit spirationis instrumentum; igitur haud immerito cum afficitur, spirationem lædit.*

Gal. lib. 5 de Loc. cap. 4.

Perpetuo delirio; hæc clausula hujus inflammationis essentiam ad aliarum visceris alterius inflammationum differentiam nobilius exponit; est enim adeo fatalis illa consensus ratio, ut septi inflammatione posita, mox ponatur delirium, ablata auferatur; neque paucis Galenus hujus sympathiæ necessitatem quinto methodi docuit; plura dixit, sed pleraque supposuit, quæ posteritas addidit; simplicem sympathiam inter septum & cerebrum agnovit; phrenitidem à septo, à propria phrenitide, à cerebro, solita energia distinxit; pleraque tamen nobis inquirenda reliquit.

Adeo nos rei difficultas impulit, perquirere rationem consensus, ut concisam fallere brevitatem coëgerit; inde enim scintillat ratio dubitandi, quod deliria pariter melancholica atram bilem sequuntur, ac luridam nugacia: si septum aut ab hoc, aut illo succo obsidetur, ut in nostra melancholia palam fecimus, ut præter sympathiam aliquid humor conferat; deinde si ex familiaritate substantiæ nervosæ esset consensus ratio, multo major elucet in spinali medulla & in dorso, æqualis in ventriculo, dum inflammatione obsidentur: si ob solam vaporum multitudinem, multo major in synochis ardentibus. si ob perennem multum æque pulmo movetur: cor etiam continuo ventilandi necessitas, & comprimit & dilatat; neque minor est ratio in pleuritide: *In his*, inquit Galenus, *solo in vigore observatur delirium, nec apparet cum levis est affectio, & desinit cum mitigari incipit: at phrenitis à septo non quiescit, nec cum morbus inclinat, ab aliarum vero partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto septo transverso, cujus vitio excitatum delirium parum à continuo differt, à legitima nempe & propria phrenitide, ut veteres putarint hac parte inflammata homines phreneticos evadere.*

Galen.

Æque, in sympathia ac harmonia est in hominis fabrica mirabilis natura: multiplex enim in illa observatur consensus: primus est generalis, qua omnes partes corporis universi forma rationali informantur, ex cujus magisterio in unum finem tendunt, nempe in conservationem universi; de hoc est illa Hippocratis sententia libro de Alimento: *Confluxio una, conspiratio una, omnibus omnia consentiunt*; de hoc illa Galeni 1 de Caus. puls. 12.

Hipp. lib. de Alimento.

Secundus observatur, ob familiaritatem generis vel operis, in genere communicant, substantia consentiunt, nervosa cum nervosis, & venæ & arteriæ cum similibus, ut & fibræ cum fibris: in opere consentiunt, uterus cum venis mamillaribus, & cum thorace etiam generalia; vide causam 2 Acut. 47. 3 Epid. Sect. 2. text. 4.

Alius est consensus, cum partes continuantur ullo instrumento communi, tunc enim suas affectiones ad invicem communicant, veluti ventriculus & cerebrum: septum transversum cum cerebri substantia, & tunicis cerebrum vestientibus: est Galeni sententia 5 de Loc. 4. 3 de Loc. 7. Avicenna Fen. 2. libri primi.

Est alius consensus, cum una pars est ad alteram via: ideo pedes consentiunt inguinibus, & manus sub azelis, licet etiam ratione emunctorii hæc Galenus 13 Meth. 5.

Propter rectitudinem partium fit alius consensus; ideo dextra consentiunt cum dextris, sinistra cum sinistris, seu ob rectam positionem partium è directo; ideo cerebrum consentit ad pulmonis affectum.

Pars quæ habet principium operandi ab alia, cum illa necessario consentit; ideo consensus observatur inter septum transversum, & pulmonem; pulmo enim septo transverso alligatur; inter hepar, & venas, cor & arterias: inter nervos & cerebrum; nam hæ partes ad invicem operandi principia sortiuntur.

Est alius consensus indicibilis, cujus causa penitus ignoratur, & virtute ultimæ individuationis

nis contrahitur: ut in amicitia & inimicitia rerum observatur inter ovem & lupum, in Gallo & Leone, in magnete & ferro.

Mitto consensum privativum & agentem; nempe dum illustratio & facultas impeditur; nam inde pars consentit, quæ influxu necessitat, seu facultatis actione ad agendum; idem de materia necessaria intellige, dum illa est ad opus: ut dum aër vocalibus deficit instrumentis; actione consentit, quod lædit actione, ut in dolore capitis per consensum ventriculi: ex Galeni doctrina 3 de Locis 1.

Inter tot admirabiles consensus, Valesius, Petrus Garcia, & alii viri docti in simplicem analogiam ignotam sympathiam, inter septum & cerebrum consensum retulerunt.

Præceptor noster, Antonius Ruis de Ochoa, Salmanticæ primarius medicinæ professor, Regio postea medicus à cubiculo; præter peculiarem inter hæc duo membra analogiam, illud fore etiam referendum, inquit, in nervorum, vasorum, vaporum & viciniæ consensum, & in continuum, & perpetuum motum, hujus septi transversi, cum sit respirationis instrumentum; quo quidem motu magis suscitat, irritatque animalem facultatem ac majorem commotionem, ac agitationem in humores, & spiritus parit; quo ratio delirii consistit; ad hoc, inquit, accedit quod nervi, qui septo implantantur, à suo principio sunt appensi, nullibi alligati; quo fit ut majorem motum & titillationem, ex septi transversi motu continuo accipiant, quam si essent connexi, & colligati, ut constat ex anatome, (in qua certe præ omnibus hujus sæculi viris, est huic viro peritissimo, credendum,) quæ omnia in inflammationibus spinalis medullæ, ventriculi, pleuræ & pulmonis deficiunt, licet pleraque adsint.

Alii diaphragmate inflammato, cerebrum inflammari contendunt, forte motu & titillatione, à nervis inducta in cerebri membranas: seu quia respiratio præpeditur, respirandi instrumento inflammato, quo calor in thorace augetur, sanguis in corde & thorace tenuatus bilescit: quo fit ut facile in cerebrum conscendat; hæc irridet Laurentius: & causam delirii refert in miram societatem, & perpetuum diaphragmatis motum, per nervos nempe insignes, qui calorem, vaporosum spiritum, cerebro & membranis communicat, & continuo motu fumidos vapores impetu ad cerebrum impellit, ac velut manu flabelli instar transmittit.

Matthæus de Gradi, illo sæculo non contemnendæ auctoritatis vir, capite de pleuritide, in divisionibus illius, Arabum sententiam de pleuritide, à septo insequutus, celebrem hujus appensi nervi memoriam, quam nostri sequerentur, reliquit; hæc sunt illius verba: *Et dicebat Avicenna, & majus istis est, id quod est in ipso velamine distinguente, vel in diaphragmate, & est pravius eis:* ratio est clara ex dictis supra in anatomia propter nervorum manifestum terminatum ad panniculos cerebri, vel ad cerebrum dispersum per substantiam ipsius panniculi, quod non est sic in aliis panniculis cerebri; in quo causa delirii consistit.

Matth. de Gradi cap. de Pleurit.

Hæc de consensus causa inter septum & cerebrum peritissimi viri tradiderunt; sed quare ex illa sympathia phrenitis concitetur, continuo delirio, altiorem postulat Philosophiam. De consensu nobilem præceptoris amplectimur sententiam, ut quæ controversiæ pulvere agitata, consensus & affectus luculenter essentiam explanet; ibi enim omnes pene rationes consensus, quas antea notavimus, observantur, preter illam ignotam sympathiam.

Quare inde phrenitis concitetur; id suppone, quod noscitivæ potentiæ non immutantur, nisi à cognoscibili objecto; secundo, quod cognoscendi actus, nisi speciebus cognoscitivis informata potentia, non elicitur; tertio, quod motus à nervulis appensis, qui cerebro inducitur, est magis sensibile commune, quam potentiæ cognoscitivæ proprium: & calor qui producitur, & cerebrum intemperatum, est tangibilis potentiæ objectum, & non cognoscitivæ.

His tamen non obstantibus, phrenitis à septi inflammatione in cerebro producitur (ubi delirii summa sunt omnia) à motu & calore; quoniam æstimativa vel phantasia, sub debita temperie, unitate substantiæ, & recta positione partium operatur: est etiam præter ista, necessaria debita specierum idola repræsentantium applicatio, citra omnem turbationem per quietem.

Si ergo calor, qui recedit à medio, alteratione per continuum facta, seu exhalationibus cerebri temperiem evertit, ad caloris excessum, palam fit, ut facultatis essentia, quæ proportione temperata consistit, evertitur ad excessum quem inducit, immoderatus calor, ad depravatum nempe: *Nam à frigore segnities & imminutio: à calore immodicus motus & depravatio*, dixit Galenus 13 Meth. 21. quod si à motu nervorum, seu subita alteratione & titillatione caloris, substantiæ unitas & debita partium positio evertatur, neque debite, nec recte operatur potentia, sed errore & depravatione: quod si etiam motus & quietis defectu, indebite, & confuse oblatæ à memoria species phantasiæ, seu æstimativæ potentiæ offerantur, actus utriusque potentiæ, ad confusam depravationem, evertitur.

Galen.

Cum ergo calor ab inflammatione; motus à nervis, evaporatio à commoto humore, à principio inflammationis ad finem producatur in cerebro, plane convincitur, phrenitidem ex septi inflammatione concitari, perenni & continuo delirio; nonnihil etiam & humoris conditio, ad delirii speciem conducit; nam ustas fuligines, nigro etiam colore defœdatas, melancholicum concitare delirium, consensu diaphragmatis, in nostra melancholia hypochondriaca, antea ex Hippocrate vidimus: si vero calidæ, ustæ & splendentes, cum rixa potius & furore; si ex vapore sanguinis, in risum profuse efferuntur ægroti.

Hujus affectus causa.

Inflammationis causa, aut est sanguis, aut bilis, aut calida & usta recrementa serosa; quæ confluunt inter diaphragmatis panniculos per venas phrenitici rami; (ideo forte ita denominati) quæ totum diaphragmatis corpus irrigant; & circumferunt; calidi enim affectus, calidam esse causam, Galeni est sententia, 2 de Locis 9. idem patet 2 ad Glauc. 1. haud aliter enim in septo, aut in pleura

pleura accidit inflammatio; Arabum est sententia, & Galeni de Constitut. artis 15. 6 Aph. 33. nec ideo repugnat ab aliis etiam succis concitari, dummodo ustione aut putredine talem caloris sortem sortiantur, qualem sanguis & bilis, natura fervore aut putredine contrahunt: si vero à frigido humore concitetur, non semper secum affert delirium inflammatio, nisi humor postea in tempore putrescat.

Signa.

In inquirendis signis, Galeni placuit artificium; quomodo nempe differat, delirium à septo, à vera (cerebro inflammato) phrenitide; cum ergo incipit inflammatio, in præcipuo respirationis instrumento, difficilis incipit respiratio; & cum sit circa cor, à sanguine aut bile, est febris de genere ardentium; & cum fibræ & membranæ tendantur, est in pulsu manifesta durities; & ad costas inferiores dolor, cum ibi solutio continui, à distentione, tristem sensum inducat; ac ex cerebri consensu, perpetuo delirio: hæc nuda signa nobis pauci auctores offerunt, sed sunt omnibus pene pectoris inflammationibus communia: quare ex arte judico differentiam inter hæc & illa constituere; hujus enim considerationis inopia, morborum similium confunditur notitia.

Respirationis differentiam Galenus super omnes adduxit, lib. 5. de Locis: *Igitur*, inquit, *principio inflammationis antequam ægrotus deliret, frequentem ac exiguum; infestante vero jam delirio, multa varietate inæqualem spiritum reddit.* (Galen. de Loc. 5.)

Dolor incidit in inferioribus costarum: hunc situm etiam poterit occupare pleuritidis dolor; utriusque differentiam etiam Galenus palam fecit: *Ita rursus*, inquit, *sursum revelli hypochondrium septi transversi, ilico ab initio affecti, proprium indicium est; quod affecto cerebro posterius accidit*; nec in sola retractione hypochondriorum versus superiora ratio differentiæ consistit, sed in situ, & in ipsa doloris qualitate; nam dolor in pleuritide est punctorius; in septo autem tunc tantum, cum secundum partem superiorem membrana inflammmatur: non tamen ille dolor erit costis affixus ut pleuriticus: quia pars, quæ in septo afficitur, à costis longe distat: libro de Constitut. artis 15. ex Galeni doctrina. (Idem.)

Huic retractioni hypochondriorum vocem acutam etiam Hippocrates pro signo septi inflammati constituit; Comm. 1. ad 2 Coac. 14. sic legitur sententia; ex Olerio: *Quibus vox acuta hypochondrium intro retrahitur; pars enim inflammata contrahitur, contracta secum trahit annexa & colligata; ut septum inflammatum, aut febris incendio resiccatum, sese contrahit, colligatumque hypochondrium intro revellit sursum, inde secum trahit peritonæum colligatum membranis*: ac rursus: *superne membranam succingentem pulmonem & asperam arteriam secum trahit, & in angustiam reducit, ac inde vox acuta, maxime resiccatione accidente ejusdem membranæ & arteriæ.* (Hipp. Comm. 1. ad 2 Coac. 14.)

At non tantum septi inflammati est signum vox acuta; est enim etiam febris ardentis, & acutæ anginæ, & pleuritidis; vox enim aut laringis siccitate, aut angustia fit acuta: & facultatis animalis, aut vocalium instrumentorum vitio vox mutatur: in hoc tamen à septo inflammato distinguitur, quod in hoc magis intro, quam sursum trahatur hypochondrium, deliriumque continuo vexet; &, si inde fiat respiratio, celerrima cum inæqualitate.

Delirii continuitate differt ab affectu ventriculi, pleuritide, pulmonia, & causone; hæc sunt Galeni verba: *Atque delirare etiam solent nonnulli, ob vitium quod in ore ventriculi consistit, & febribus ardentibus, pleuritide, & pulmonia; sed quæ ob septi transversi accidunt deliria, non multum à phrenitide distant; quippe per cæterarum partium affectus, ac per febres ardentes delirium mitigari solet, quoties morbus inclinat; at à vera phrenitide haud paucis certe differt; sed in eo conveniunt in perenni delirio; at in vera, paulatim passio constituitur, nec subito, nec affatim delirant, interdum vigiliæ præcedunt, interdum somnus, manifestis imaginibus turbatus, ut clament, & exiliant, & præcedit oblivio, & inertia: à mansuetudine temeritas insequitur: neque torquentur siti, causa sitifera manente; est illis rara & magna respiratio, pulsus parvi & tensi, his occipitis dolor; jam vera confirmata phrenitide, oculi squalidi evadunt, aut ex altero oculorum acris lacrima funditur, ac in ipsis lippitudo innatat; venæ oculorum turgent sanguine; & sanguis à naribus stillat; hoc in statu delirii summa sunt omnia, ut sit in omnibus potentius delirium: floccos avellunt, festucas carpunt, aridiore febri, ac fatali mæstitia pertinaci animo morem gerunt*; ergo, inquit Galenus, *hoc modo per cerebri affectum paulatim phrenitis evenire solet.* (Galen.)

Delirium vero quod septi transversi vitio accidit, & subito contingit & à vera phrenitide, oculorum accidentibus distinguitur, stilla sanguinis, & respirationis differentia; quippe est magna & rara phreniticorum; at vero in diaphragmatis delirio, inæqualis, ut modo exigua sit & frequens, modo magna & angustiosa; & de cæteris accidentibus nullum fere apparet, neque calor, nec rubor circa faciem, ut in iis qui ob cerebri vitium delirant, &c.

Per febrem, nec per pulsus duritiem, ab aliis inflammationibus non distinguitur, nec vera phrenitide, nisi hæc signa cæteris copulata consideres.

Prognosis septi jam inflammati.

Septi transversi inflammatio est ipso jure & consensus ratione læthalis; ex se enim cito & cum periculo properat ad statum: & perenni motu auxiliis non cedit; nec facile, ex membranæ duritie, humor ille transpirat; nec est facilis illius expurgatio; nec expurgationi via patet; quoniam licet sit intra pectus: nullam nobis Galenus de tussi, ut purgaretur, memoriam reliquit: ideo non ex sputo est ulla sperabilis salus; quare inflammationis, aut urentis caloris violentia, septima die necem inferet, nisi ad marasmum retorridum perducat.

Consensus ratione, adaugetur periculum, cerebri sympathia aut pulmonis consensu; quoniam usu necessitate aucto, aut inflammatio pulmoni epigenesi serpit, aut respirandi difficultate necat, ex fatali & necessaria à pulmonis ad septum transversum colligantia: quod si non consequatur, phrenitis est ægroto fatalis, marasmo aut interitu, Galeni ex doctrina: febris de genere ardentium, aut necat, vivifico nectare dissipato, aut retorrido marasmo exoluto.

Duobus foraminibus, altero stomacho consentit, altero venæ cavæ ascendenti, illius consensu,

sensu, omnino appetitus evertitur: hujus tota sanguinis massa, aut malignam contrahit ustionem, aut omnino corrumpitur.

Ex delirio tamen, ceu alio principio, fatale periculum considero; dum circa necessaria versatur; hoc enim salutaribus auxiliis obsistit: prudentissimi senis est sententia, 1 Coacarum 103. quæ circa res necessarias versantur, deliria, pessima dicit; *Necessaria sunt*, dixit Duretus, *quibus vita hominum sustentatur, unde vis vivifica emanat*: cum ergo fastidio & contumacia ægroti efferuntur in cibos, & in medicos, versatur circa necessaria delirium, quæ sunt cibus, potus, & aër, & salutaria ad morbum profligandum auxilia; & addidit Hipp. in fine: *Indeque si ingravescant mortifera, quoniam accessione graviorũ malorum fanatici redduntur.*

Duretus.

Hipp.

Hepati ultimo læthali sympathia consentit, sua parte convexa: illud est argumentum, quod jecoris inflammatio illa læthalior censetur, quæ convexam illius partem obsidet; & solo titulo, quod inde diaphragma facile coafficitur; ergo potiori jure si inflammationem contrahit diaphragma, & convexam jecoris partem afficit erit semper læthalis.

CURATIO.

Curatio est cæteris internis inflammationibus communis: in hoc tamen consistit affectus indicatio, ut futurum inflammationis inhibeatur, & factum vacuetur; inhibetur, si humoris apparatus, antequam confluat, revellatur, & jam confluxus humor vacuetur: revellitur aliqua ex tribus contrarietatibus observata, saltem intus & extra: vacuatur, seu humore sensibiliter ducto, seu insensibili resolutione expulso; nam retrocessus nulla est rationalis indicatio: in pectoris enim morbis, nec inflammationibus nulla est repellentis occasio; hæc est prima ex parte affectus indicatio; alia ex læsa particula deducitur, ex illius nempe nobilitate & præstantia: ex hac enim urgentiæ dimanat indicatio; urgentia penes illud attenditur, quod brevius periculum minatur: quare, si magnus morbus magnum petit auxilium, ut illius magnitudini contrarium: duo petit urgentia; primo ut quantitate aut qualitate sit æquale; secundum ut in brevitate executionis cursus celeritatem æquet.

Cum ergo septi transversi inflammatio, sui & consensus ratione, non tantum sit magna ægritudo, sed ex partis præstantia urgentissima, petit ideo ut sanguinis missio (quæ fluxioni & inflammationi debetur) non tantum fiat ab inflammato latere, sed in tanta quantitate, ut æquale æstimetur auxilium: Galenus nobile nobis dedit exemplum, qui de seipso fatetur, quod clamosis doloribus & ingentissimis inflammationibus, nullum majus remedium adinvenerit, quam ad animi deliquium vacuare, per sanguinis missiodem, intellige: (catarticum enim sine præsentaneo periculo ad metas deliquii non consistit) non tantum ratione auxilii, sed quantitatis, non ut morbi magnitudini solum, sed ut celeritati etiam satisfaceret; illud enim petit periculi celeritas, ut celeriter etiam succurratur; quare, si non bis in die sanguinem mittere sat est, ter & quater mittatur, ut in angina suffocanti nobis sæpe contingit: raro enim tutum extitit, ad animi deliquium vacuare.

Clystere ergo molliente & attemperante, fæces & calida retrimenta educantur, ut ex decocto malvarum, prunorum, violarum, furfuris, cum oleo violarum dulcium amygdalarum, saccharo, sale, & catholico, si fæces induratæ resistant; deinde roboretur ventriculus oleo omphacino, & cucurbitæ cum guttulis absinthii, pulvere coralorum, & rosarum, postea hepate gallinæ, aut jure avis, cum succo limonum præassumpto: sanguis mittatur primo ex talo è directo; postea ex basilica & latere dolente; si dolor antea visceribus innotuit; hoc eodem die iteretur; & si corpus sit pletoricum, & jam vexat delirium, cum exurenti febre, ter fiat, aut saltem majori quantitate; viribus æque morbi quam naturæ librátis: sanguinis missio in subsequenti die repetatur, simili cautione ventriculi; & vespere, si placet, usque dum deposita plenitudo superior videatur; & revulsioni & derivationi satisfactum; ex talo, dum fluxio instare videatur.

Si vero jam par infert discrimen cerebri phrenitis, quam septi inflammatio, erit secundum artem, venas in carpo manus tundere; nam hæc evacuatio & à septo revellit, & à capite derivat: & hæc, si placet, in altero carpo iteretur.

Deposita superiori succorum multitudine, (aut inter ipsas revulsiones adhuc) cucurbitulis fæmoribus applicitis, mixta revulsione derivatur, ut scarificatis, si parti superiori natium applicentur.

Si vero illud in fæmina contigerit, cui menses suppressi, aut fluentes: aut etiam hæmorrhoïdibus retentis, quibus inflammationis causa adscribere mihi Galeni consilium semper placuit, lib. de Sang. miss. 11. 18. & 19. adversus Erasistratum cap. 3. lib. de Melancholia ad m. semper sanguinis missionem ex talo faciendam quantumvis urgeat inflammatio; sic enim tutius mali causa revellitur; & circa partem inflammatam contentum derivatur: *Sin provocare hæmorrhoides*, dixit Galenus, *est intentio qua in cruribus sunt, venas secare convenit; at in iis, quibus repressi sunt menses, semper in cruribus.*

Galen.

Meo tamen judicio opus mixtum, ex evacuatione & derivatione sanguisugis hęmorrhoïdibus applicitis consequimur; nam præterquam quod hæc evacuatio morbos pectoris & renum, & curat & præservat: jure vicinitatis, à septo inflammato, & vacuando derivat; & contrarietate & distantia à capite revellit. Quare munditia partis illius aquæ egelidæ lotione comparata, affigi hæmorrhoïdibus curentur, sex vel octo sanguisugæ, usque sanguine plenæ, vel decidant sponte, vel salis pulvere separentur; dein super vas semiplenum aquæ calidæ, æger sedeat, usque dum sanguinis illius altera pars instillet super aquam, ut ex utraque evacuatione ad sex uncias fluere permittatur; ac jure avis postea cum succo limonum reficiatur.

Quod si postea ex ipsamet parte vacuare ex arte videatur; etiam fiat, illud enim in simili casu Hippocrates consuluit, 6 Epid. Sect. 2. text. 8. ubi maxime urgentiæ periculum, morte præmatura, auxilii spem fallit: hæc est senis sententia: *Derivare cedentem retrahere, statim renitentem cedere*; sic Galenus in illo Commentario; *Neque enim semper in retrahentibus auxiliis permanendum, sed ali-* quod

Hipp. 6 Epid. Sect. 2 text. 8. Gal. Comm.

quod tempus interponere oportet, ut succum qui affecto membro inhæsit, exire permittamus, seu multitudine distendat, seu qualitate discruciet; nam si humores in particulam illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque revulsoriis aliquid proficies; non amplius membro proritante succos in se ipsum, juxta inclinationem, quam à principio non recte acceperat. Valesius sic ad illam sententiam, *ita enim sæpe*, inquit, *in eisdem inflammationibus internis, cum revulsioni non satis cederent, & timorem phlegmonis magnitudine anticiparent mori, alternatim utens missione sanguinis, secundum rectum & scarificatione ab admotis parti cucurbitulis plurimos mihi videor mirifice eripuisse.*

Valesius.

Ut ergo hæc indicatio impleatur, (ubi mors à difficili respiratione quam à phlegmonis magnitudine, anceps nutat) aut lumborum regioni, aut à natibus sursum apponantur scarificatæ cucurbitulæ, non semel, sed bis aut sæpius; aut dolentibus locis; ubi respondet septi inflammatio, affigi curentur sanguisugæ; & tantam sanguinis quantitatem exire permittamus, ut pars inflammatione & onere oppressa, deposito onere resipiscat; aut saltem exonerata, reliquum exolvat, concoquat, aut expellat, obstaculis depositis.

Rasum caput, ab inflammationis principio (si noscere illud datur perito) communi oxyrhodino muniatur; ex omphacino oleo, & aceto rosato, ac per noctem embroca herbarum frigidarum temperetur, addita tertia parte lactis, ut inducatur somnus; quod si nec illo importuna delirii vigilia moderatur, communi oxyrhodino, de aqua lactucæ, aut solani tertia pars addatur; aut unguento populione additis 4 granis opii: aut cum lacte muliebri, & opio, alta pars sincipitis foveatur illis linteo madido; & herbis dum coquuntur, somniferis superadditis, hyoscyamo nempe papaverum capitibus & solano.

Quod si ad narcotica venire necessitas compellat, tibi consulo quibus conditionibus & quam cauta solertia, illis semper utendum, in nostra hypochondriaca melancholia, ne illa repetere in tam brevi spatio videamur.

Ad intus major attemperandi nobis instat necessitas, quam cæteris affectibus thoracis, quia urget phrenitidis & phlogosis incendium, in thorace & febris exurentis; nec ulla urget sputi expurgandi cupiditas, seu quia inflammatio septem diebus, aut phlogosis incendio, aut urenti calore ad marasmum retorridum perducit; nam quod nativus calor septuaginta annis operatur; illud præter naturam septem diebus efficit; quare sedulo & omni artis diligentia inflammationis incendium, & febris, attemperare decet, ut caloris acuties temperetur, & causæ & fuliginum furiosa turgentia; potus ergo aquarum cordialium, vicibus repetitis, & longe à cibo imperetur, & largiori manu; syrupo violarum admixto.

Iam video instantiam ex Galeno 9 Meth. 5. ubi frigidæ potum internis inflammationibus interdixit, maxime nive refrigeratum; eo titulo quod interna inflammatio vi frigoris comprimitur: & tantopere necessaria difflatio præpeditur: jam legi & perlegi sententiam, & valet in pleuritide, pulmone inflammato, & aliis, ubi sputi instat expurgandi necessitas: seu ubi calor extinctionis periculo laborat: seu ubi cruditas, quam attemperatio deterior censetur; at in hoc casu, reor non tantum has aquas tribuendas, sed etiam nive refrigerandas, ut etiam communes quæ prandio & cœna propinantur, maxime assuetis, & tempore æstatis; & illud secundum artis principia, & auctorum decreta.

Attemperandi jam patet indicatio, & ex parte intensæ qualitatis & ex parte urgentiæ; nam ob hæc duo principia Galenus 9 Meth. 5. potum frigidæ consulit: nunc oportet contraindicantia, in casu proposito æqua lance perpendere; illud primo est supponendum, Galenum in hoc loco, dum interna vexat inflammatio, frigidæ potum ad satietatem denegasse, sed non attemperantem repetitum, minori quantitate, ut urgentiæ obsistamus periculis: patet eodem casu, 10 Meth. 6. ubi urgentiæ indicationem in eadem inflammatione, periculis frigidæ aquæ anteposuit; *Melius est enim*, inquit, *phlegmonas adaugere, quam ægrum ad hecticam incidere*; idem in narcoticis considerat 12 Meth. 1. in dolore clamoso; & tamen consulit illa propinare, quantumvis noxia videantur.

Galen. 9 Meth. 5.

Hæc inflammatio septem diebus necat, & cruditate ex illa frigida potione ad 30 protrahitur. Quid ergo eligere magis consonum rationi videtur? Valesius in hoc casu, licet signa coctionis non adsint, frigidam exhibendam existimavit, & licet phlegmon adesset; & ex Celsi sententia, & hoc in magna copia, 4 sui Meth. 2.

Nec omnis debilitas frigidæ potioni obstabit; debilibus enim ob febris vehementiam, (idem notat Valesius) nulla melius ratione occurritur, quam aqua gelida, 2 Acut. 19. hanc fulcit sententiam Ætius lib. 5. cap. 89. & 72. exemplo mulieris ad extremum debilitatis actæ, (ex erisypelate ventriculi) quam solo frigidæ potu persanavit; illa tamen cautio observetur; ut sicut in robustis ad satietatem imperatur, sic in debilibus artificiosa moderatione, tribuatur, aut instillatis aquis, in prandio & cœna.

In hoc statu, inquit Gariopontus, antiquissimus auctor, lib. de Febribus cap. 17. *tanta detur, ut sitis maxima febrientis leniatur, pura, licet in die critico, & licet sit in augmenti principio.*

Gariop. lib. de Febrib. cap. 17.

Averroës lib. 7. Collig. cap. 8. *Si æger vehementi siti crucietur*, inquit, *non est expectanda coctio, cum vires antea deficiant: quare satius est in principio exhibere aquam, cum materia febris non sit cruda ob crassum & viscidum humorem, sed ob acrem & urentem calorem; nam frigidæ potu acrimonia extinguitur, & satius curatur, licet phlegmon augeatur, aut in aliam febrem degeneret*; *hinc miserrimam*, inquit Duretus, *conditionem febricitantium licet pensitare, siti ardentium, qui ejus, ne dicam depellendi, causam, sed nec eluendæ quidem pauxillum quiddam impetrare possunt à quibusdam superstitiosis medicis*: profecto nefas est non explere sitim, quæ marasmum retorridum producit; præterquam quod Galenus, quando coctionem ad potum frigidæ prærequirit, noxios humores intendit vacuare: per otium lege verba Galeni; hanc sequuntur sententiam Salius, Mercurialis, Augenius: quare si ægri in hoc casu aquam delirio non expetant, sunt ad potum cogendi, & quidem aquæ nive refrigeratæ.

Averr. lib. 7 Collig. c. 8.

Duretus.

Clysteribus postea attemperantibus hora somni uti, & morbi conditio, & necessitas petit, ex hordei decocto ad ruptionem, additis postea foliis lactucæ, malvarum, violis, & floribus nenufaris,

faris, cum oleo violarum, saccharo & ℥ß. philonii Romani; seu in jure avis, cum oleo papaveris, imponatur philonium pro clystere.

Ad extra oleo violarum & rosarum tepidis tota diaphragmatis regio perfundatur; seu pannis tepido lacte madidis foveatur; aut decocto malvarum, rosarum, violarum, fænugræci, ut & florum camomilli recentium, in vesica recepto, cum oleo rosato.

Victus ratio ad frigidum & humidum inclinet, electæ & facilis substantiæ; potus sit ex aqua radice scorzoneræ cocta, aut fontana.

Quod si forte contingat; (quod rarissimo miraculo apponendum existimo) ut illa remittat inflammatio, & ex delirio cerebrum resipiscat, mente redintegrata, licet febris persistat; in duobus auxiliis salutis maximum relictum esse reor; nempe in longo lactis asinæ usu, & in balneo dulcis & egelidæ aquæ; ad 40 dies, si ita vires ferunt; quoniam qui evadunt ab atroci & jugulante morbo, ut plurimum ad marasmum retorridum deveniunt; cujus morbi præcautio, in his duobus auxiliis consistit; velut æque contrariis; eandem complet intentionem syrupus ex hordei cremore, cum seminum frigidorum emulsione, & saccharo confectus; sicut & hordeatum rite & ex arte apparatum, ut consulit Mercatus, capite de pleuritide; & pares supplet vices lactis serum, rite clarificatum.

De hoc tantum lectorem monitum velim, me solum indicationes curativas, ad artis principia expendere; at in executione, ex variis & multis, me unum aut alterum auxilium eligere, in exemplum potius quam tutius curationis complementum; peritus enim ex se ipso, indicationes & complet & absolvit.

OBSERVATIO.

De sæva epilepsia in prægnante septimo fœtus mense, & an liceat sanguinem ex talo mittere.

Domina Anna Maria Suares, civis Hispalensis uxor, septimo incipiente mense prægnans, & variis accidentibus toto gestationis tempore agitata: mulier jam 30 annorum non vividi, sed pallidi coloris, Septembris die 10. anno 1646. cæpit corpus delassatum sentire, cum graviori & importuno somno: mox in die sequenti febris erat de putridarum sorte, cum urina crassa, parum flava & cruda, cum submurmure ventris: erant circa umbilicum dolores non intensi, gravi dolore capitis ad partem posteriorem magis, cum fastidio & anxio alismo, ut solet qui mutationibus, ceu remediis utitur: cum siti non omnino intensa, sed linguæ siccitate; ventre neque adstricto neque lubrico, nativa & acquisita temperie melancholica: quoniam victus ratio erat voluptuosa & depravata; & quod gestationis tempore fœtus in sui alimentum, sanguinis purissimum alliceret, ut quod postea superesset inutile fere ad melancholicum declinaret; ut fœtis plerisque solet; ex hoc orta impura cacochymia causam dedit, in tertio, hujus febris continuæ, dum quibusdam motibus convulsivis premeretur, ad meridiem; & declinante sole gravissimum incœpit accidens epilepticum, cum vibrata omnium membrorum concussione, oris & oculorum contorsione, sensu valde obtuso, rectricibus potentiis oblæsis, ac fine spuma oris; hoc pertransivit accidens emissa tantum per os pauca humiditate; sed nondum noctis tribus horis exactis, secunda & gravior epilepsiæ accessio invasit, cum intensiori totius corporis vibratione, faciei & oculorum tremore: & hanc oris spuma excepit, ac per aliquod tempus sine sensu nec motu: hæc usque ad 3 diem visa sunt.

Nos accersit maritus secunda die hujus febris, ac ex febris ardore, siti, alismo & urina hanc febrem putridam & biliosam judicavimus, non absque malignitatis suspitione; qua in occasione illi clysterem imperavimus, ex decocto furfuris, malvarum, & prunorum, cum saccharo, oleo rosato, & catholici parum, quo melius quod de nocte restabat, & alacrius tulit; in qua pro cœna accepit parum assæ gallinæ, cum pomo dulci cocto, & cum bis cocto parum de aqua scorzoneræ superbibit; sequenti die, (ne ulla febris anticipatio adveniret, ut prudenti solertia erat certe verendum; nam recessio quæ huic respondebat in meridie cæpit) cibum in hora sexta mane offerre imperavimus de jusculo gallinæ, & ut ex illa cocta parum sumeret, cum prunis Damascenis, acidioribus, & super frustulum conditæ cucurbitæ, de aqua fere ad satietatem superbibit.

Incæpit accessio ad meridiem (& hoc erat in 3.) cum sævo epilepsiæ symptomate, ut nuper dicebamus: huic frictionibus & infernis ligaturis pressis, & ad tempus solutis, occurrere mandavimus, & ad nares fœtida applicare suffumigia, ex pennis perdicis, crinibus, & cremata papyro & sulfure accenso: sed secundo symptomate ingruente, affectus magnitudinem perpendimus, præceps vitæ periculum, ac omnia pendere ex illa impura & prava cacochymia, utero adservata, ut ex illo veluti ex foco & febris foveretur, & tetri & maligni vapores in cerebrum conscenderent, ut epilepticam, (suo jure læthalem) accessionem concitarent; ac serio judicio, & prudenti solertia indicationibus libratis, accersito chirurgo illa nocte, secunda accessione jam exacta, (ex prima repetentia) mox venam tali incidere imperavimus, mica panis tosti vino irrorata, cum pulvere rosarum & coralorum, prius roborato ventriculo: & ad umbilicum, carnis vaccinæ frustulo semi asso, cum pulvere cinnamomi, co-

rali, & caryophylorum adaptato, ac quatuor sanguinis unciis extractis, quiescere prægnantem consuluimus; accepto parum de aquis cordialibus cum confectione iacynthorum, ac fere hora exacta, ad cænandum accepit, de panatella, cum pectore gallinæ parum, insperso lapidis bezoar orientalis pulvere, & super scorzoneræ conditum, de aqua frigida superbibit, quantum cibo par erat; totam noctem in quiete transegit, mane tulit alacriter, ut in die quietis, licet non sine febre, & cum urina crassa ad flavam amplius declinante; (indicium accessionis certo venturæ:) ac inde capta occasione ex quietis die, ad secundam sanguinis missionem ex talo, ac febre actuali indicatam, & à timore futuræ epilepsiæ in die subsequenti devenimus, roboratis stomacho & fœtu; & jure avis præassumpto, ut in prima noctis antecedentis; dein de potu cordiali, parum refrigerato, ad sex uncias animo lætiori potavit; per tres horas quievit: ac inde roborato ventriculo, majori appetitu oblatum cibum videbatur accipere, alacriter potavit; melius tota die degere videbatur, cum febre non intensa, nec omnino remissa.

Quo in statu, adhuc revellendi necessitatem perpendimus, ne sursum ab utero, tetri vapores, acres, & maligni ascenderent; (licet antea à prima sanguinis missione esset præmunitum caput, communi oxyrhodino, ut vaporum illuviem extenderet,) ac ideo 8 aut 10 cucurbitulas à suris ad nates per externa affigere mandavimus, & duas per interna; quæ non parvam succi pravi illuviem deorsum retraxerunt; parum postea de potu cordiali accepit; ac hora dimidia exacta, de oblata cœna ad libitum accepit, & non multum, sed quantum viribus reficiendis par erat, & de frigido potu, quantum sitis & cœna exigebant; non enim in hoc casu potum valde coercere oportet, sed indulgere lautius, & febris & fœtus ratione: ne omni exhausta humiditate pereat; in die sequenti, quæ majori accessioni respondebat epilepsiam veritus, summo mane ligaturas nunc premere, nunc solvere mandavi, frictiones interdum, & leves cucurbitulas; (accepto solo jusculo, cum pulvere lapidis bezoar orientalis) & cum hora fere 10 aliquid tremuli & convulsivi motus persentiret, cucurbitulas fœmoribus & suris affigere imperavimus; quo motus illi protinus quieverunt: & licet febris accessio parum intenderetur, epilepticam accessionem, ut antea, in aliis non tulit: sed variis accidentibus, ut siti, alismo, nausea, & tribus egestionibus, totam illam accessionem egit: in cujus declinatione parum de aqua pura & frigida, cum saccharo congelato accepit, quo levamen persentit, ut postea alacrius cænaret, parum de assatæ avis frustulo, quo illam noctem egit non omnino implacide, nec in omni quiete.

In levaminis die subsequenti, urina parum remissa in colore, & non ita crassæ substantiæ, cum apparenti sedimento jam apparere cæpit, febre non demissa, sed remissa; quo in statu, ægrotæ bene consultum judicavimus, si hyrudines venis hæmorrhoïdalibus affigeremus; & quod parum illis tumoris esset, & quod maxime à succo melancholico, ex illis fieret vacuatio, veluti à ramo splenetico orientibus, & quod à capite fieret potentissima revulsio, & ab utero, certa derivatio; (nec ex vicinitate uteri, abortum timere ratum judicavimus, quod tantum superfluum, & pravum vacuaretur;) quo sex hyrudines chirurgus affigere curavit, & quatuor fere sanguinis uncias extraxit; nec ullus inde abortus metus erat, & quod valida mulier, nec dolores mulierem affligerent, & usque adeo inutile tantum & pravum non prorsus necessarium, vacuatum æstimabamus; & ita certe Dei benignitate cessit, ut nullus sequeretur abortus, neque matris periculum; imo exinde melius habere videbatur, febris & accidentium remissione, ut viribus alacri spe redintegratis, brevi postea pristinam sanitatem adepta sit. Hoc idem in alia prægnante observavimus; nam die 20 mensis Julii, anno salutis 1647. in suburbano Hispalensi divi Rochi, mulierem vidimus, neque noto neque publico genere; septimo mense gravidam, cum duplici tertiana de genere ardentium; sed ita clamoso capitis dolore in tempore sinistro conturbatam, ut etiam furiose desiperet, ac dies noctesque in clamore transigeret, ita ut nos ad summam pietatem commoveret; erat urina flava, intensa, crassa, croceam æmulante, omnis erat morbosus apparatus, circa uteri venas; (erat enim intemperata mulier, & de ventris regione quærebatur;) & sensim per tot menses adservatus: quo facile conjicimus & febrem, & gravissimum accidens ab illo nempe apparatu foveri, quem fœtus in sui alimentum convertere non valet: nihilominus tamen, quia robusta non ita erat mulier, & non mediocris erat in corpore universo apparatus, sanguinem prius ex brachio mitti jussimus: roboratis ventriculo & fœtu, ut nobis semper mos est, quo auxilio, in tantum sævit dolor, & mulieris clamor, ut parum abfuerit, quin in sævam phrenitidem incideret; quo mox sequenti declinatione accessionis sanguinem ex talo mitti jussimus de fœtus conservatione soliciti, sed de cura maxime tam sævientis mali; quo tota sequenti die conquievit: sed in accessione subsequenti, ita graviter tulit, ut dolor quieti nullas daret inducias: unde in illa declinatione, iterum sanguinem ex alio talo mittere, nobis fuit consilium: quo facto etiam degit alta quiete; sed ita insecura, ut velut à postliminio in sequenti accessione, & vita & timor, graviorum malorum verterentur in dubium, ut nos coegerint, scarificatas cucurbitulas in natibus affigere, quo aliquantum etiam conquievit; sed cum jam ex consensu, multum receptum esset, in tota capitis regione: quoniam dolor exacta accessione persistebat, ideo sanguinem ex carpo manus mittere, ratum duximus: è directo quo causa mali penitus derivata, cessit malum: & dolor conquievit, ac febre identidem cessante; ita ut divino beneficio, sine ullo abortus periculo, pristinam recuperarit sanitatem.

Illud in hoc casu fere demonstratione convincitur, in prægnantibus, partium superarum affectus, per se, aut per consensum, produci, aut foveri à locis ventris inferioris: & quia post fœtus alimoniam, ex purissimo sanguine supersunt, vasis uteri, cotyledonibus & membranis crassa & fœculenta, & prorsus alimento inutilia; & independenter ab his eisdem pravis alia supersunt fœcu-

fœculenta, aut cruda & adusta, sed semper prava & inutilia à purissimo sanguine secreta, post elaborationem sanguificationis in hepate: quæ peculiari fine, ab ipsa natura separantur, & ad vias, ab ipsa destinatas, expelluntur; seu ut per illas excernantur, seu ne pravo consortio purissimum & alimento utilem sanguinem coafficiant; & inde accidit, ut cum affectus incidit partium superarum, in prægnantibus illa commota moveatur sentina, ut ex illa sit necessarius & fatalis consensus; qui non tantum affectum præexistentem augeat, sed ducat ad discrimen, in ultimo periculo; nisi amoveatur illa consensus ratio; ut jam antea comprobatum reliquimus, propria quæstione, an à sanguinis missione ex talo semper sit incipiendum?

Duo fortasse in hoc casu videbuntur legenti difficilia; primo, an secundum medicinæ principia, & auctorum decreta, sit hæc febris continuæ curatio, (malignitate addita,) detracto nempe ex talo sanguine; seu febris, seu cataphorici accidentis ratione; dein an in prægnante aliquando fas sit, & maxime grandioribus mensibus, sanguinem ex talo mittere, absque abortus præsentaneo periculo? ratio dubitandi in primo casu oritur, quod duæ potissimæ indicationes, primariam attentionem postulant; prima est urgentia, quæ citissimum petit auxilium, non tantum in quantitate, sed in celeritate æquale: & venæ brachiorum superiores, utpote quæ vacuant celerius à fonte seu à febris continuæ minera, à venis nempe, quæ sunt inter alas & inguina, causam celerius evacuant, auxiliantur citius, quam illæ venæ inferiores, quæ longe magis distant à minera & foco; de hujus indicationis necessitate & præstantia, tu lege præceptorem per otium in epistola sua ad Cratebam, & in Galeno lege 9 Meth. 5. 10 Meth 6. 7 Meth. 12. 1 ad Glauc. 14. Altera indicatio & cum ista coincidit, quæ à causa desumitur, quæ ex proximo loco citius vacuatur, & per venas, quæ majorem communicationem sortiuntur cum loco, ubi causa incedit; tardius enim à remoto consequimur auxilium, ubi maxime venarum rectitudo non servatur; ideo enim sedula diligentia Hippocrates, & post illum Galenus, celebrem illam venarum, quæ secantur, partitionem docuerunt; in axillarem nempe, communem & cephalicam; quoniam prima magis, & celerius vacuat ex tota pectoris & ventris regione; communis ex utrisque superioribus, nempe & inferioribus, ut cephalica, & citius & melius à capite & jugulo: *Renes ambigunt*, dixit Hippocrates, *nam ubi revellendum, id celerius præstant venæ superiores; sed ubi derivandum, inferiores: & ideo partes, quæ situm sortiuntur infra renes, etiam communionem cum partibus infernis indipiscuntur in venarum rectitudine, situ & collocatione; ideo causa morbi, duæ illis in locis continetur, à tali & malleoli venis citius & promptius vacuatur*; hanc legimus doctrinam in 6 Epid. Sect. 2. 16. & aliis in locis.

Hipp. 6 Epid Sect. 2.16.

Secunda ratio dubitandi est urgentior, an nimirum aliquando in prægnanti fas sit venam tali incidere? nullo enim in casu fas esse, sunt qui quadam quasi religione, asseverent; nullibi enim, dicunt, sunt facienda bona, ut eveniant mala, & ex sanguinis missione moraliter est timendus abortus: hoc enim in jurejurando Hippocrates, ceu nefandum piaculum cavere docuit: tantum enim ex sanguinis missione timuit de abortu, ut illam proferret generalem sententiam: *Prægnans vena secta abortit*, quocunque loco fiat. Hoc ipsum etiam cautum invenimus, patrum & pontificum decretis, ne quis directe aut indirecte abortum provocet: quin imo Sixtus quintus, beatissimus pontifex, proprio motu, & gravissima pœna, abdicavit, ne quis abortum provocet: si ergo constat ex medicinæ patribus, sanguinis missionem ex talo, quinimo & ex brachio, abortum provocare, & hoc esse omnino detestandum, & invisum legibus & ecclesiæ patribus; quomodo unquam fas erit, venas tali incidere prægnantibus cum abortus periculo? hæc sunt præcipua dubitandi rationis fundamenta.

Hipp.

Ad primam dubitandi rationem respondeo, illud in prægnantibus fore indubitatum, quod per novem mensium spatium, fœtus alitur sanguine puriori; (quidquid aliquis contra communem sententiam reclamet) qui à fœtu, per venam umbilicalem, utero alligatam, allicitur, ut pars crassa fœculenta & inutilis in venis uteri adservetur, præter illam, quæ inter tunicas, quibus fœtus circundatur, usque ad pariendi tempus reservatur: illud secundo citra controversiam esse existimamus, illam partem excrementitii sanguinis, fœculentam, pravam & deleteriam conditionem in utero contrahere, seu mora, seu ventilationis defectu, corruptionem seu putredinem pravam nanciscatur, seu pravam ustionem aut deleteriam qualitatem consequatur; quod in menstruo sanguine, solo mensis spatio plerique tradiderunt: & si non in omnibus, illud tamen plerisque accidere observamus: & Plinius id ipsum observatum reliquit, ac Hippocrates atque Galenus testantur: & hæc est certe causa, quare in prægnantibus periculosi & gravissimi morbi, & rara & peregrina accidentia observentur quotidie: cæteris membris uteri consortio, in consensum protractis; in utero, malorum omnium foco & minera, delitescente; hoc est enim quod dixit Aretæus lib. 2. Diutur. pass. 11. *Vterus ad partum & conceptum magnopere confert; verum tamen est veluti quoddam asylum omnium malorum*; illud idem seriis & gravissimis verbis ipse Galenus dixit; de Ven. sect. adversus Erasistratum cap. 5. *Velim itaque*, inquit, *audias veritatem ipsam, me præcone tibi denuntiantem; quod mulier, si recte expurgatur, nec podagris, nec lateris inflammationibus, nec pulmoniis capitur, sed neque epilepsiæ, apoplexiæ, & asthmati obnoxia sit, rite purgata; num vero menstruis fluentibus phrenitide aut lethargis, convulsionibus, tremoribus, rigoribusve mulier, aliquando correpta est, num etiam melancholia, mania, & aliis multis: præfocatam aliquando conspexi: verum his retentis, eam cuilibet malo implicari facile est; est enim uterinus sanguis causa graviorum malorum: huicque rursum evacuationes medentur; sed si in his sanguinem ex brachio mittis, lethalem errorem facies; tunc enim motum naturæ impedies, sese ad uterum conversa, & contra naturam retrahes*; hæc Galenus. ultima verba obsecro, in posterum memoria retineas.

Aret. lib. 2. Diut. pass. 11.

Galen. de Ven. Sect. cap. 5. adv. Erasistrat.

His ergo præhabitis, primæ rationi dubitandi dicimus, quod bene verum est, quod urgentia indicantis petit à loco proximiori vacuare, ubi focus & minera consistit; hoc tamen est tantum ad scopum attendere, qui quomodo curandum præscribit,

scribit, non ad indicationem in specie; hæc enim contrarium auxilium in specie monstrat, sed indicantis individuum, individuale auxilium præscribit; locus autem & pars affecta locum monstrat, per quem debet fieri vacuatio; & si his addas indicantis urgentiam, non tantum auxilio contrario æquali contra morbum pugnabis in quantitate, sed in celeritate: quid enim proderit morituro in 4. si auxilium ad quintum differas? hæc omnia sub illo principio communi continentur, *contraria contrariis curantur*.

Plura tamen interdum inter se confusa complicantur, ubi non tantum est attendendum, ad unius urgentiam, qua citius periculum minatur, (seu sit morbus causa, aut symptoma) sed an sit causa aliorum malorum, seu occasio, an inde morbus vires acquirat eundo; ut in febre ex satietate ventriculi Galenus contemplatur; quoniam si nihil obstat, & omnia æque urgent, sed simul auferri nequeunt, ad ordinem causarum ut attendas oportet; nam ab illius ablatione debes incipere, quæ est aliorum malorum causa, aut occasio, seu morbus, symptoma, aut causa sit; hæc doctrina est à medicinæ principiis deducta, & à Galeno tradita, 11 Meth. 13. & hæc causa, quæ est aliorum causa, licet non æque urgeat, est prius auferenda; patet in cruditate ventriculi: in multitudine humorum obstruentium, respectu febris intensioris, &c.

Si ergo in proposito casu, febris continua & putrida, & gravissimum accidens epilepticum, ex impura & prava cacochymia, utero adservata per septem fere menses fovebatur, & horum malorum erat causa, & epilepticæ etiam accessionis occasio: secundum omnia artis medicæ principia, & auctorum decreta, nos fecisse, remur, dum sanguinem ex talo misimus in prægnante: & licet nobis semper magis placeat ratio quam auctoritas; hoc & ad Hippocratis & Galeni mentem fecisse patet, in lib. de Sang. miss. 11. 18. & 19. *Sin sanguinem*, inquit, *ab utero fluentem cohibere intentas, venas brachii seca: sin provocare, ut in iis quibus repressi sunt menses, semper in cruribus; nam quæ tunc* (dicit cap. 17.) *fiunt ex cubito evacuationes, aliud etiam habent adjunctum malum, nempe quod purgationes menstruas comprimant, sanguinemque ad supernas corporis partes retrahant*; huc etiam Galeni verba, adversus Erasistratum memoria reservare mandavi; quid multum? adhuc dabimus casum in prægnante, in quo ob timorem recursus sursum hujus sanguinis, Hippocrates sanguinem ex talo mittere non sit veritus: *Si vero prægnans*, inquit, *multo tempore cohibeatur, & parere non possit, sed diebus pluribus ex partus doloribus laborat, sit autem juvenis in vigore, & sanguine referta, secare oportet venas in malleolis*; & hoc non semel facere consuluisse nos remur; nam dixit in malleolis, non in malleolo, lib. 1. de Morbis mulierum, fol. 266.

Gal. lib. de Sang. miss. 11. 18. & 19.

Hipp. lib. 1. de Morb. mul. f. 266.

Quare, licet sanguinis missio esset ab illa plenitudine venarum indicata; locus & pars affecta, individualis aliquid peculiare addunt indicationi specificæ, nempe locum, per quem talis debet fieri vacuatio; pars affecta est uterus, & ista est pars mandans; recipiens est cerebrum: consensus causa, venosum & nervosum genus; epileptici symptomatis occasio acriorum & pravorum vaporum illuvies: ergo secundum selecta medicinæ principia, facta sanguinis missio ex talo, & sit à loco proximiori mandantis, & secundum vasorum rectitudinem, ut citius consequatur auxilium, & urgenti necessitati succurramus; & hoc multo celerius, quam si à brachio fieret, ut dubitandi ratio probare nitebatur; hujus decisionis rationem apertissime leges in Galeno lib. de Sang. miss. 11. & 15. & lib. 4. Meth. cap. 7. & 5 Meth. 11. & aliis in locis: & in nostra quæstione quam antea citavimus.

Ad secundam rationem dubitandi, an aliquando fas medico Christiano venam tali incidere, in prægnante, cum abortus periculo, hac unica conclusione respondemus; non tantum in proposito casu epilepsiæ, sed in omni alio, in quo matri vitæ periculum impendet, ut in asthmate, febre ardenti, phrenitide, angina legitima, pleuritide, & aliis acutis, suo jure læthalibus, si uteri consensu, aut à prava cacochymia, in ipso adservata, foventur, in prægnante non tantum licet venam tali incidere, secundum medicinæ principia, & auctorum decreta; sed est præcise necessarium: nec illud obstat, sanctorum patrum decretis, nec motui proprio Sixti Quinti, pontificis maximi: potissimum hujus conclusionis fundamentum in hoc consistit, quod mali causa non potest alio auxilio brevius, nec tutius educi, quam sanguinis missione ex talo ceu antea probavimus; ut mater & fœtus, ab imminenti discrimine, & periculo certo liberentur; quinimo, quæcunque alia superna vacuatio, non absque evidenti periculo, potest administrari; & in hoc casu, nos tantum intendimus morbum adæquato & proprio auxilio curare, ut est sanguinis missio ex talo; sed dato, quod inde abortus sequeretur, non ideo non bene consultum est; nam illud est per accidens, & ex eventu: neque directe illud à medico intenditur.

Mittamus ergo sanguinem ex talo, nonne erit fatale abortire? illud non tantum ratio redarguit, sed contrarium experientia convincit: nam abortus ex sanguinis missione, aut motu aut sanguinis penuria contingit, quo fœtus alimento defraudatur, aut rumpuntur agitatione acceptabula: plerisque tamen fœminis tam familiaris est sanguinis abundantia, ut, nisi singulis mensibus in aliqua portione vacuentur, non semel, sed sæpe, fœtus suffocare contingat; & pleræque prægnantes ab ipsa natura ab angenti & suffocante sarcina vacuantur; hujus experientiæ quotidie obviamus exemplis. Hoc etiam frequenti constat experimento, plerasque fœminas, data opera ut provocent abortus, sanguinem ex talo mittere, & profuisse interdum vacuare, non semel, non bis, sed ad quatuor & plus sanguinis missiones, servato nihilominus fœtu ad pariendi tempus; sed quid de motu dicam, & agitatione? quare saltatrices non abortiunt? quare, quæ à principio gestationis ad finem usque singulis diebus in plaustro deportatæ fœtus suos & saltu & vehementi motu non excutiunt? Nam Hippocrates in illa sententia, quam à principio adduximus, *mulier vena secta abortit*, de illis sanguinis missionibus venit intelligendus quæ celebres & familiares erant illo sæculo; quæ nam quantitas semel extrahebatur; Galenus in œconomo sex libras sanguinis prima sanguinis missione extrahit, quatuor

tuor in secunda, & tres in tertia: quid ergo mirum, quod apud nostros abortus ex sanguinis missione non sequatur, si major sanguinis missio sex fere uncias non transcendit?

Hippocrates ex variis observationibus & experientiis, generales sententias constituit, ut ex coacis constat, epidemiis, & etiam prorrithicorum libris; ex quibus non paucas ad Aphorismos translatas legimus; quare solo Hippocrati illud erit concessum; si ab illo ad nos etiam valet argumentum; nec pauciores, nec minus illustres observationes afferemus prægnantium, quę sanguinis missione ex talo absque ullo abortu à summo vitæ discrimine, ad lætam sanitatem fuere restitutæ: solus ego ad 8 fere casus vera possem afferre testimonia: & plures affert, privatis in consultationibus, doctor noster & socius Ludovicus Ramires in hac linea; & anno non exacto, dum inter ista moror, vidimus restitutam nobilissimam fœminam Hispalensem,& uxorem viri nobilis Joannis Guttierres Tello, cui prægnanti,& morbo acuto detentæ,sanguinis missio est bis à talo facta, & hyrudinibus venis hæmorrhoïdalibus applicitis, pristinæ sanitati; (fœtu ad tempus reservato) restituta est. Plures alias refert doctor eruditissimus, Thomas de Thamaio, in Apologia quam de hoc casu edidit, anno 1610. ubi varias refert, prægnantes fœminas ex acutis morbis sanguinis missione ex talo liberatas & absque ullo periculo abortus: varias etiam refert consultationes de hoc casu; (an sit licitum) aliam in Complutensi Academia quæsitam, in Salmanticensi aliam: & aliam apud medicos regios; & apud medicos Ulysipponenses Lusitaniæ aliam: & tandem ultimam apud doctissimos medicos Hispalenses; anno 1581. & 1569. & 1599. quæsitum enim erat, an prægnans mulier, bubone pestilenti, in inguine correpta, aut anthrace in fœmore, an licitum esset illi sanguinem ex talo mittere? & omnes Academiarum Theologi primarii & Medicinæ Doctores, majoris auctoritatis illo sæculo, in hac unica sententia non discrepant; non tantum licitum esse in hoc casu, sanguinem ex talo mittere, imo fore omnino necessarium; uno ore omnes judicamus: non enim aliud auxilium relinquitur, ex quo sit salus sperabilis in hoc casu; & Doctor Franciscus de Oropesa, quæsitus à Senatu Hispalensi, de hoc casu anno 1599. hoc placitum auctoritate propria, & urgenti ratione sancivit: in hac etiam constitutione pestilenti; eandem in sententiam Doctor Alfaro à Regio cubiculo, Medicus,& postea Philippi III. Hispaniarum Regis; cujus jussu, & imperio, compendium curationis hujus pestis in lucem edidit: ac tandem Doctor Ludovicus Mercatus, vir certe medica eruditione emeritus, in suo tractatu de Peste, suam profert materno idiomate sententiam, sub his verbis: *Y por que podia à centeser salir, los dichos bubones à carbuncos, alguna muger preñado en la ingle, y se podia dudar de adonde (con seguridad de la criatura y aprovechamiento de la madre) se devia sangrar; adverto que si las fuercas de la tal enferma fuessen debiles, con osadia puede y deve sajar las pantorrillas, pero si consta timor fuerça y firmesa mas cuerte, y tan seguro es sangrarle del tovillo; por ser este remedio que quitado, ninguno le quida a la talo enferma, tan cierto por sanar; aunque con el miedo de lo que sue le a conteser, en semejantes casos; por que el intento del medico es curar solo que provocan mal parto; y no es cierto el mal parir, aun que de alli se sangre; si el negocio se considera con attencion; por que a donde ai tan grande cantidad de humores infectos y corrompidos, mas segura queda la criatura evacuada el abundancia de tan ruines humores, que dexandola cargada dellos; y mas siendo la evacuacion poco a poco.*

Lud. Merc. tract. de Peste.

Hæc decisio patet in hujus exempli paritate: corrigit Prælatus subditum severiore fortasse correctione, subditus incidit in mortale peccatum, desperationis, impatientiæ, aut scandali; nonne ob id erit mala correctio? & ideo damnanda? correctionem nullus certe damnabit; nec fugiendam dicet: quoniam illud scandali peccatum ex eventu, & per accidens sequitur: cum sit præter intentionem corrigentis: sic pariter accidit curanti morbum, suo jure læthalem in prægnante; medicus enim curat morbum adæquato & proprio sanguinis missionis auxilio; à quo, & unde morbus postulat, ut prægnantem liberet à periculo; si inde abortus sequitur, hoc est præter intentionem medici, qui tantum intendit opem ferre prægnanti, & à discrimine fœtum, si potest, liberare, & læthalem mederi ægritudinem.

Quod ad nostram attinet medicinam, probavimus; nunc sacram Theologiam consulamus; inter præclaros viros hujus sæculi, Ausonius Noctinet, in summa Dianæ, verbo abortus. n. 1. sic in casu loquitur: *Si prægnans post fœtus animationem in periculosum morbum inciderit, nec aliud remedium esset; possent medici illi adhibere remedia, directe tendentia in curationem illius, ut sectio venæ, pharmaca purgantia, balnea, &c. licet per accidens sequatur abortus: quia mater habet jus ad servandam vitam talibus remediis: ita doctores communiter contra Poncium de matrimonio.*

Auson. Noctin. in summo Diana verbo abortus. n. 1.

Item si de vita matris & fœtus desperatum sit, licitum erit medico, imo & debitum, secundum Sanch. 2 de Matrimonio 3. lib. 9. disp. 19. & 20. applicare medicinas matri æque primo directas ad ipsius salutem, ac ad fœtus abortum, idque etiam procedere in dubio, an medicamenta vitam, an mortem sint allatura; quia melius est dubium auxilium experiri, quam omni remedio destitutam sinere perire, &c. hoc tandem Oeteus in propriis observationibus confirmat triplici historia; in gravida cujusdam lanii uxore, epileptica: alia in filia sua; & alia in propria uxore non epileptica, sed ex cordis & pectoris angustia vexata: & nulla, sang. ex talo misso, abortivit; imo omnes sanatæ sunt; lege per otium observationem apud Schenckium lib. 1. Obser. Med. titulo de Epilepsia, fol. 121.

Hæc omnia, ratione & auctoritate, placuit demonstrare, ut rusticus timor, qui apud majores nostros salutare auxilium suppressit, recenti cedat indagationi & solertiæ: *Plurima quoque inveniuntur hodie,* dixit Galenus, *quæ apud majores nostros non fuere inventa.*

Galen.

De epilepsia per consensus Pollicis manus sinistræ.

Historia.

Inter casus quos nobis obtulit vastissimæ hujus civitatis confusio, fuit quædam epilepsia per consen-

consensum ex pollicis radice sinistræ manus: in juvene quodam Indo, cujus nomen non facit ad historiam; ad illud vocatus die Augusti mensis ultimo, anno 1646. inveni juvenem convulsivis motibus contremiscentem, brachio sinistro toto fere convulso, & digitis contortis & rigentibus, cum levi totius brachii tremore, sensibus internis non abolitis, sed quodam levi mentis stupore detentis; aliquantulum sinister oculus movebatur, & post horæ quadrantem facile ad se rediit; & de hujus ægritudinis origine quæsitus, nullam dedit; sed ab paucis fere mensibus incæpisse dolores hujus brachii, digitorum rigorem, & contorsionem, & ab illis se sentire ascendere, nescio quem, vaporem, indeque ad cor subire, & ad cerebrum, dicebat: quo, animo dejecto, & præ tristi mœstitia sese non poterat erectum continere, & de proprio statu decidebat; atque prædictis accidentibus longe se afflictum fatebatur; sed magis ex dolore, à quo cæteri dolores oriebantur, ad radicem nempe pollicis sinistræ manus: mox enim ille digitus sibi convelli videbatur, & inde cætera movebantur; horum symptomatum vicissitudo non erat valde frequens, sed singulis hebdomadis, & per longiora interdum intervalla; in quibus communia vitæ officia obibat, nec laborare destitit, quoniam farcinator erat.

Ad curationem hujus sævi symptomatis, variæ sese mihi obtulerunt historiæ, aliæ insertæ in Galeni doctrina, & plures aliorum auctorum: attendi ad originem causæ, & ad illius peculiarem conditionem, indicibilem nempe & pravam qualitatem, ac inde ad affectum productum in corde, & in cerebro, & in nervoso genere, per consensum hujus sinistræ manus, ubi erat & focus & minera hujus mali: erat enim ista pars mandans, & venenum producens, & cerebrum recipiens; ex qua consideratione, indicationibus libratis, ventre exonerato, sanguinem mitti jussi, non ex brachio, non à talo, sed ex eadem manu, ex qua aura venenosa ascendebat; ac roborato ventriculo, & jure avis præassumpto, ad uncias quatuor sanguinis extrahere mandavi; ac postea de syrupo, de pæonia, & miva scorzoneræ, parum ut sumeret, curavi, cum hujus herbæ aqua; ac in die sequenti, ex eadem manu, venas iterum secari imperavi roborato ventriculo, ad intus & ad extra: dato eodem syrupo, cum aqua cerasorum; tertia vero die, ex vena, quæ præreptat; ad pollicis radicem scissa, non sum veritus plus sanguinis extrahere: qua tertia sanguinis missione exacta, prædicto syrupo antecedentem causam concoquere, ac præparare non destiti; (illam saltem portionem succorum, quibus hæc prava qualitas insedit, quæ etiam alexipharmacis retunditur;) usque ad sextam diem, aut 8. in qua illi tribuimus moderatam certe purgatiunculam, ex syrupo, persico, & de filicula an. ℥ij. cum duabus ex decocto pugini; quo optime egestis & continenter in die subsequenti, in molli curvatura inter pollicem & indicem, fonticulum aperire sedula diligentia curavi, & in eodem loco, ex quo illa aura venefica & prava ascendebat; & ut ignis virtute, prava hæc intemperies, ex qua aura venenosa producitur, corrigatur; & quod est jam productum de veneno, & potest in posterum

A produci, per fonticuli orificium vacuetur; sin aliter expiret; ac inde, quod erat pravi apparatus in corpore congestum, repurgavi, pilulis de rhabarbaro, & de nitro; tertia quoque die postremo ad capitis & nervorum corroborationem, & ad pravam qualitatem infringendam, de hoc syrupo dedi, ut si quid genitum restaret contereretur; ℞. stillatitiæ, elenii, ivæ, arteticæ, pæoniæ & cerasorum, ℥vj. succi rosar. ℥viij. mellis optimi nondum ignem experti, satis, ad rhodomel, & dum coquitur adde aquæ tyliæ ℥ij. mellis, squilitici, ℥jß. theriacæ, smaragdorum ʒiiij. & in fine

B miva cinnamomi aromatizetur; & de hoc summo mane sumebat ℥jß. cum aqua radice pæoniæ masculi decocta: adeoque nunc exacta tertia anni pars est; ex qua sævissimo illo accidenti non corripitur: mitto quod in cujusque accessionis principio, fortes & compressæ ligaturæ fiebant, infra brachii curvaturam, quæ parum ab affecta particula distabat, ne aura venenosa conscenderet, aut in medio ascensus interciperetur.

Hujus nostræ curationis volui causam reddere, quoniam est exemplar omnis epilepsiæ, quæ

C per consensum accidit, & maxime à partibus externis & remotis; hoc tamen faciam non prolixe, sed quadam styli moderatione observata, non phrasi, non metaphoris, non jocis; sed seriis nudisque verbis; licet paucis multa complecti, & summas rerum sententias apposite proferre, in re curatu difficili non sit facile; quanquam plures etiam ingentem scriptorum vocem admirentur, quam nudam veritatem.

In hoc forte, omnes qui hanc curationem legerint, hæsitabunt, ex eadem manu, omnia va-

D cuantia & trahentia auxilia peregisse: ut ergo clarius mens nostra teneatur; illud primo suppono, hanc fuisse epilepsiam per consensum auræ venenosæ à manu sinistra ad cerebrum ascendentis; suppono deinde venenum posse in corpore nostro produci, quod ex Galeno patet, 6 de Locis 5. seminis, & sanguinis, in utero & vasis spermaticis corrupti, exemplo; suppono tertio venenum posse in parte determinata produci, ex prava intemperie, quæ ustione, aut indicibili

E corruptione comparatur, aut alia qualitate indicibili, quæ partis temperiem evertit, ut ex proprio alimento, aut alio humore, ad productionem ignotæ qualitatis disponit; seu influxus cœlestis, qui super illam partem dominatur, ad hujus qualitatis productionem patibile disponat, ut illius determinet influxum, juxta astronomicum placitum; seu sola actio efficientis causæ sufficiat quæ est prava intemperies ad auram, aut humorem venenosum, producendum in determinato spatio & loco: seu illud accidat ex pravo & veneno-

F so corporis apparatu, antea ex pravis eduliis aut antiquatis obstructionibus contracto; quarto suppono, pravam illam & venenosam auram, tam vehementis activitatis esse, ut in parva mole, vehementissima concitet accidentia, potius intensione qualitatis, quam quantitatis mole; quod omnium venenorum est proprium, & maxime, dum tenuata substantia defertur, qua facile pervadit, per invias & occultas vias. Tandem suppono, in morbis per consensum, si aliquid ex consensu recipitur, esse partem mandantem, & recipientem; sed in hoc casu, esse recipientem

quidem

quidem nobilissimam, ignobilem vero mandantem.

His ergo suppositis, illud primo considera (quod Hippocrates maxime ponderatum reliquit, in actuali, aut in futuro morbo) nempe humorum motus; an bene, &, ut oportet, vergant; sin aliter, male in ægroti perniciem; si primum, quo natura vergit, per loca conferentia hos ducere oportet; sin male, hos decet à principio revellere: si non ut oportet vergant, ob illa quæ timentur damna ex humoris appulsu; & tanto magis, si ad membrum princeps repit; nam ex illius vehementi intemperie, aut corruptione, est mors inevitabilis. si placet de hoc præcepto legere Hippocratis, & Galeni sententias: vide 6 Epid. Sect. 1. text. 2. 1 Aph. 20. 2 Epid. Sect. 3. 13 Meth. 6. 2 ad Glauc. 2. de Sang. miss. 18. 13 Meth. 11. 5 Meth. 3. illud enim est in omni impetuosa fluxione summopere cavendum: & in prava metastasi; hoc est in humores maligni recursu ad interna; nam omnis est prava metastasis, sed humoris maligni omnino læthalis; non enim ita facile, posteaquam recipitur, extruditur nec attrahitur: quod idem de venenosis aut pravis halitibus & vaporibus intellectum velim.

In mala ergo fluxione, secundum hanc doctrinam, humorum fluxio aut vaporum in genere, revulsionem petit, sed peculiares fluxiones, peculiares revulsiones amant: ob id forte Galenus interdum ad partes distantes, revulsionem consulit; interdum ad contrarias, licet non æque distent; aliquando ad fluxionis originem, revellere mandavit: & hoc mihi videtur, prout affectus urgentia, particulæ nobilitas, citius aut tardius auxiliari postulat; nam si fluxio non est valde impetuosa, nec pars, ad quam decumbit, valde nobilis, sat est ad partes distantes revulsionem facere: si vero cito imminet fluxionis periculum, & ex parte humoris, aut multi aut maligni, & affectu particulæ, tunc ad contraria decet, & convenit revellere; licet non ita distet; quia succurrit citius, ut cum à dextris ad sinistra, aut intus à dextra celebratur; sin autem fluxionis urgentia, citum & securum petit auxilium, nota, fluxionis originem ad illam, est prorsus revellendum: sin minus, ad partem quæ magis cum origine consentit; illa enim revulsio est auxilio promptior, in qua plures revellendi conditiones adsunt; ut si fiat ad maxime distantia, & maxime contraria; sed illa est electior, cum fit ad partem ubi minera & principium fluxionis assistit; si duæ aliæ conditiones deficiunt: & hoc maximi usus est, si fiat ad partes externas & ignobiles; hac enim sola, inter medendum, vidimus rebelles & periculo plenas fluxiones constitisse; & hoc fortasse voluit Avicenna, quando dixit: *Et cum suppressio alicujus evacuationis morbi causa est, ejus reditio est morbi medela; quia ad originem fluxionis revellitur,*

Avicenna.

In hac etiam revulsionis forte, alia urgentiæ instat consideratio; nempe, an plus sit quod in partem influxit; an majus quod transmittendum restat, & fluendum minatur: quoniam in hoc casu potissima urgentiæ indicatio dirigitur à medico solerti, ad id quod citius & brevius periculum minatur, altero non in totum neglecto: hoc autem prudentem solertiam, & fœlicem electionem in medico exoptat: quomodo ergo hoc discernendum putas? suppone in caput ascendere ex peculiari membro aut ex toto, humoris multitudinem attractã aut expulsam; tu mandantem considera, recipientem nota, deinde non solam multitudinem attende, sed etiam qualitatis, (notæ aut indicibilis) in producendo activitatem: hoc enim bene considerato; perpende accidentia, an fixa, an tantum per accessiones venientia, in parte recipiente: & in parte mandante illius apparatum; quoniam si quod jam in capite receptum est, gravius & celerius periculum minatur, quam illud quod restat transmittendum; in hoc casu non soli revulsioni insistere oportet, ad partem longinquam & contrariam; sed derivationem, aut evacuationem ab eadem parte, aut certe proximiori interponere, ut periculo humoris jam recepti occurramus; si enim nos illam Hippocratis sententiam intelligimus, 6 Epid. Sect. 2. text. 8. *Derivare cedentem, retrahere statim, renitentem cadere*, &c. hanc enim fuisse præceptoris mentem Galenus adnotavit, *seu jam influxus humor, quantitate distendat, seu sola qualitate discruciet*; non enim majus periculum impendet ex quantitatis mole, quam qualitatis activitate; idemsequuntur Merc. Valesius, Jachinus, & Fontana.

Hipp. 6 Epid. Sect. 2. text. 8.

Nosces autem magis urgere quod fluxurum timetur, si partis mandantis accidentia, & graviora sint, & magis timenda quam recipientis, aut in intentione, aut in perennitate productionis; tunc enim magis urget retractio ad focum, & mineram mandantem, si illa nota est; quoniam non tantum pars recipiens periclitatur ab eo quod futurum timetur; ne perennitate recipiendi à tunc receptum est, sed ab eo quod mandante habitum contrahat, aut ita invalida reddatur, ut oneri succumbat, aut radicatam contrahat intemperiem, ut ex paraphrenitide in cerebro contingit: quo in statu, non tantum sumitur indicatio ab eo quod factum est, seu adhuc sit in fieri; sed ab eo quod in posterum læsionem minatur; maximam à parte mandante producendam: imminet enim tunc majus periculum transmittendum, quam transmissum: illud tamen melius assequeris: si consideres, quod in fluxionum principiis parum adhuc sit receptum, & quod producendum & recipiendum restet, id vero multum; tunc enim securior est revulsio, licet tardius operetur; nam in hoc casu est securitas celeritati anteponenda: sicut, ubi præceps periculum minatur celeritas; securitati est anteferenda: sic enim nos illam Hipp. sententiam intelligimus, lib. 1. de Morbis in principio: *Quasdam esse morborum occasiones, in quibus tutius quam celerius, & alias, in quibus celerius quam tutius sit agendum: & exinde quandoque securitatem celeritati anteponendam esse.*

Hipp. lib. 1. de Morb. in principio.

Ex hac doctrina elicimus nostram conclusionem, in proposito casu, in morbo gravissimo, qualis est epilepsia in cerebro producta, per consensum partis determinatæ, in qua aura venenosa producitur & cerebrum conscendit, ubi non tantum urget quod jam receptum est; (nam accessione exacta ad pristinum revertitur statum) quam quod fluendum timetur; (in parte altius radicata intemperie, dum venenum perenniter producit, & ad tempus transmittit) non potest alia ratione auxiliari tutius, nec celerius, quam revel-

revellendo quod paratum est fluere, & derivando à parte transmittente, jam productum; si utrumq; possumus consequi in eodem auxilio; quod nos fecisse constat, sanguinis missione ex eadem manu, & parte transmittente, &c. hoc enim auxilio, fluxionem ad cerebrum inhibemus, genitum venenum vacuamus, & in eadem parte, (quod ignobilius) coercemus, ne amplius ascendat; &, si fas est dicere, partis intemperiem corrigimus.

Hoc præceptum, in puncturis venenosi animalis commendatum ab Hippocrate & Galeno habemus; ut venenum ignobili in loco coerceatur, ne membra principalia invadat: & usque ad ignem devenire nos compellunt, urendo & secando, si compressæ ligaturæ non sufficiunt; quæ omnia ex antecedenti historia patet nos peregisse; dimitto alias generales sententias, ut cum nos occasiones, unde morbus incæpit, considerare mandat, 2 & 6 Epid. aliam item Galeni considerationem, maximi nempe esse momenti ad curandum; vacuationem semper per eas esse venas celebrandam, quæ cum affecta particula habent communionem; per alias enim nulla fere comparatur utilitas.

Sed hæc magis generalia demittamus, videamus quid sentiat Galenus in proposito casu; communis est classicorum medicorum sententia, in epilepsia per consensum ex partibus infernis, vacuationem ex illis esse inchoandam: quid multum? si ipse Galenus lib. de Sang. miss. 7. & 8. in comitiali consensum & pressentiam, dum præcavetur accidens, ex talo venam prius secandam consuluerit; in hoc enim est omnium concors sententia, in epilepsia nullatenus licere curationem aggredi, nisi ex parte quæ aut minera est, aut fluxus comes; hoc enim Galenus in ipso medendi actu ad practicam reduxit: *Dicit enim à se quendam puerum epilepticum sanitati restitutum, ex synopi & tapsia applicita, & ligatura forti supra crus facta*; eo quod ab illa aura venenosa conscendebat in causam epilepsiæ, ne in cerebrum forte reciperetur; historiam quisque per otium legat 3 de Loc. 7.

Galen. 3 de locis 7.

Trallianus, vir etiam qui in praxi serio vigilavit, lib. 1. cap. 15. *Comitiales, inquit, alii à superiori pedis parte incipiunt, alii à tibia, alii ex alia particula morbi accessionem sentire visi sunt, & si quidem tale conceptum fuerit, etiam illi potissimum parti prospicito, & totam ei curationem admoveto*; *ego etiam quendam vidi cui ex tibia veluti aura frigida ascendebat, & corpore purgato ex succo pituitoso, & melancholico, imposui parti affectæ etiam quæ exulcerare illum, extenuare & calfacere possunt, ut hinc humida non pauca emanaverint, quo adolescens sanus evasit*; idem nos ac Trallianus operandi dictamen observavimus; eandem prorsus curandi methodum observavit Ætius, & aliquibus ægrotis ad practicam reduxit, ut fiet manifestum legenti lib. 2. Serm. 2. c. 18. hoc idem consulit etiam Posidonius; hoc Paulus lib. 3. cap. 13. illud Maurus Rhasis 9. ad Almansorem cap. 8. cujus non est minus veneranda auctoritas: *Locus, à quo oritur paßio*, inquit, *ex synapi, pipere, euphorbio, melle anacardorum erit epithemandus, epithema demittendum usque dum ulceretur*; hæc tandem est electa & communis hujus epilepsiæ per consensum curatio, omnium illustrium virorum assensu & praxi comprobata.

Trall. lib. 1. cap. 15.

Maur. Rhasis 9. ad Almans. cap. 8.

Ideo mihi non placet, nec reor placebit viro longe exercitato, Mercati in hoc casu sententia; fonticulos nempe fore aperiendos, in medio inter affectam particulam & cerebrum, quo aura intercipiatur venenosa; ut dum à manu ascendit, in parte superiori brachii, dum à pede supra suram: in loco ubi ad alios affectus excavantur: mihi non placet, dico, duplici ratione; & quia, dum aura ascendit venenosa, potest per varias sursum brachii vias penetrare, aut cruris, si à pede ascendit; per venas, per arterias, per nervos, per membranas, per vacua aut carnosa spatia, & per occultas vias, vel alteratione per continuum facta; & fonticulus in medio poterit esse intercipiens, respectu hujus viæ, non respectu alterius, aut respectu viarum, cum quibus communionem habet; & per mille alias vias poterit ad cerebrum facile penetrare; & maxime in veneno tenuato, in aura aut vapore, tantæ activitatis; secundo quia ex sola ignis applicatione, aut caustici urentis duo speramus auxilia: pravæ nempe intemperiei correctionem per tenuationem, & calefactionem, ut Trallianus, Paulus & Ætius advertunt: & per apertum foramen, veneni exspiratum, & ut ignis efficacia in hoc ignobili loco coërceatur, aut dissipetur, ne plures infestet partes, aut aliis superioribus immittat virulentiam, &c. & ut forte corrigatur intemperies, ex qua aura producitur, sola ignis virtute.

THE-

THESEUS
CLIMACTERICUS
PEREGRINUS.

Ad Lares Principis Augusti, Excell. D.D. GASPARIS ALPHONSI PEREZ DE GUSMAM EL BUENO, Comitis Nebulensis, Methimnæ Ducis primogeniti, Oceani maris, ac Bethicæ Provinciæ Præfecti Generalis, ac potentissimi Hispaniarum Regis Cubicularii.

AUCTORE
DOCTORE CASPARE CALDERA DE HEREDIA,
Comitis Nebulensis olim Medico, nunc Carmonensi.

Excellentiſſimo Mæcenati meo

D.D. GASPARI PEREZ DE GUSMAN EL BUENO,

Comiti Nebulenſi, &c.

OMNIS dicatio in laudem fere ſemper cedit poſteritatis; aliis enim laus cedit in patriam, quando illa minus indiget patria; aliis in ſtirpem; officia, ſtemmata, & honores alii admirantur; ac omnes fere, fortunam. Hos accuſat moralis ſapientiæ Primogenitus[1]: *Nemo enim in noſtram gloriam vixit, neque quod ante nos fuit, noſtrum eſt:* quin imo laus ipſa fit orientis honoris antipoda; hoc autem tibi gliſcit, quando tibi debetur: nam in te oriens tendentem ad occaſum ſuperat ſapientiam. Numquam victus, nec unquam infractus animus antiquum ſplendorem, majeſtas ſuperat majeſtatem, ac fortuna ad pedes Excellentiæ tuæ proſtrata uſque ad ſervile obſequium meretur ſervitutem aliis, tu ſolus tibi æqualis, & ſuperior, tibi labores lito, & non poſteritati; (*Nam omnia ſicut mortales timemus, & ſicut immortales concupiſcimus.*) Quoniam quod aliis jure debetur, tibi natura, & jure, tibi volui, alteri non debui; dico quod tuum eſt, & offero quod meum, laborem ſcilicet, & ſapientiam; quoniam ſicut amorem ſequitur gratitudo, ſic majeſtas allicit obſervantiam; & beneficium etiam fere ſentiunt. Accipe ergo Primogenite Comitum, & Comes primogenite primitias fortunæ noſtræ, præludium fortaſſe aliquando fœlicioris, ne natus, vix adhuc nactus à lacrymis vitam auſpicari videatur, nomen impone clientuli filio Benjamin, & non Benoni, quoniam lacrymas ſi non fundit, ingemiſcit doloris filius.

[1] *Seneca Epiſt. 44.*

Seneca libro de Brevitate vitæ.

Seneca lib. 2. de Beneficiis.

Benjamin filius dextræ. Benoni autem filius doloris.

LECTO-

LECTORI.

E pluribus autoribus plurima, à veteribus selecta, & à recentioribus veriora, meo genio in commentarium redegi; non pauca, quæ indefessus labor potuit invenire, tanquam qui in mea arena, proprioque meæ professionis stadio mihi videbar versaturus; cum enim memoria etiam cum ætate consenescat, ideo in subsidium labentis, hæc velut in promptuario reservare decrevi; nam ætas sibi ipsi quotidie impotens redditur; paucis reduxi calculum, donandus rude, & hoc cursu contentus, alii, quicunque volet operis vices capessere, lampada tradidi; me quidem hujus operis non admodum adhuc pœnitet, ut alias dixit Erasmus, qui mihi puerilium studiorum jam obsolescentem memoriam aliqua ex parte renovavi, & aliquatenus vela colligegere non solum decens, sed necessarium duxi; nam in alieno negotio consenescere; magnamque vitæ partem insumere, id neque decorum mihi, neque calumnia cariturum existimabam; & utinam ita floridum sit hoc litterarum genus, ut labor iste noster tanquam supervacaneus merito contemnatur; sed nostræ nationis desidia, negotiorum multitudo, laborum aversio, præmiorum privatio, & ardelionum congeries ita homines reddit ignavos, & ad laborem desides, lucri cupidos, & amantes otii, ne dicam ignaviæ, ut potius scientiæ præcipitium quam frugi speremus: alius enim solo victu contentus incedit, fama alius, & aliter plaudente fortuna; ille principis aula, hic elatus, & depressus ille, & nullus indefesso labore doctrinam sequitur, suum cujusque genium, & non altius; quisquis enim sibi maxime placet, ita ut eo ventum sit miseriæ, ut dicat Erasmus ex Laërtio, cui non fidendum soli, ei nihilo magis fidendum in turba similium; nec enim refert quam multi sint, sed quam graves & veri; Nummus enim adulterinus etiam in quantumvis magno acervo, adulterinus est: quod ideo fere contingit, quia sicut oves eandem sequuntur semitam, non laboriosum, sed elaboratum seligentes, & qui alios sequuntur male iter ingressos, non habent excusationem si à publica erraverint via. Siquis aliam sectatur, calumnia non solum carpitur, sed conteritur. Laborem gratis damus, & utinam hæc laboris portio tantum utilitatis adferat, quantum mihi parum attulit voluptatis: hoc unum habet præclarum, ut siquis antevertat, nostraque castiget, huic multam gratiam habituri simus; tantum aberit, ut nobis injuriam esse factam putemus. Et utinam tali felicitate sint exarata, ut ne quid momis reliqui fiat, quod queant carpere; quod nobis polliceri non licet: bene hoc aliud ingenue discere, quod ignoramus. Et si quod furtum inveniatur, nemo dicat quod veteribus ollis novas affiximus ansas; fasciculus enim non ex flore, sed ex floribus conflatur, quæ didicimus, ingenue fatemur, non negavimus furtum; Nolle enim legere eos qui nobiscum tractant argumentum commune, turpis est arrogantiæ; dissimulare cum legeris, turpioris est ambitionis; inficiari beneficium, turpissimæ est ingratitudinis, sicut dixit Erasmus in proœmio ad chyliadas; è rebus arduis elegimus selectas, utpote, quas ob rei difficultatem, nec recentiorum importunus labor assequitur, nec veterum diligentia satis fuit, ac propterea illorum calculis nostrum adjecimus, ut liberalis cursor accensa lampade fælicior auspiciis metam attingat.

Hujus Dædalæ difficultatis inventor, nec primus, nec solus extiti, illius tamen auscultationis Theseus alter, utpote qui hujus climacæ ac fatalis necessitatis per annorum septena labirynthum aggredior, per occultas & peregrinas vias peregrinus in ore commendationem portans, & protectionem in fronte: Nam cum amicis, & cognatis careat, *ut ait Plato*, majorem apud Deos, & apud homines mereatur misericordiam, quare, qui magis ulcisci potest, ad ferendum auxilium est paratior. Diligenti igitur cautione cogitandum, cuique ut innocens ab injuria semper vivat, ad peregrinos enim sanctissima esse fœdera quisque cogitet; omnia enim contra illos peccata ultori Deo curæ sunt. Quare nullus in supplices sceleratus impunis abibit, quanto autem honore dignus sit, qui supplices tuetur: *sic prosequitur Plato*, honorandus certe est, qui nihil injuriatur, ac duplici honore, qui nec alios, id facere patitur; qui autem una cum magistratibus injuriam quoad fieri potest ulciscitur, is magnus perfectusque in civitate vir præconio prædicetur; *ad hoc enim omnis tenetur, sed multo magis sapiens: hoc Plato lege sanxit, hoc unum oro, ut quid profecerim, viderint incorruptioris censuræ ingenia, non ignara quam magno periculo in hac arena ludatur; nam licet abundet momis, scateatque fucis nostra ætas, & non desint, qui*

Dialogo 5. de lege.

Ingeminent tremulos naso crispante cachinnos, *ut canit ille vates: inter nobiles cogitent vitiligatores facillimum esse dentibus carpere; sed mellificare, & laborare, non ita; inertis enim, & vile videtur, quod quædam factitant animalia, ne possint inveniri;* quę vestigia circa cubile confundunt, alioquin non deerunt, qui persequantur; nam multi aperta transeunt, *ut lamentatur Seneca*, & abstrusa rimantur, fures signata solicitant. *Vile videretur quidquid patet, & aperta effractarius præterit; in cujus commentario notat Lipsius: hos mores habet populus, & imperitissimus quisque. hoc tamen nobis erit solatium, quod alta petit livor, perflant altissima venti, ut canit Poëta;* Nec est ulla sine labore virtus, *ut ait Seneca, hanc tamen vilis sectatur hostis, nam alit livorem infelix inertia, sed invido satis supplicii est invidia. Vetus est illud Pythagoræ symbolum,* Cor ne vores, *nam ut Jamblichus ait, invidus adhuc cordi suo non parcit: hunc Martialis summæ damnavit miseriæ,*

Epist. 68.

Lib de vita beata.

Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

THE-

THESEI CLIMACTERICI.

CAPUT I.

Numerorum origo, & energia.

Fluunt horæ, dies, menſes, & anni, & tempus præteritum nunquam revertitur, nec quod ſequatur ſciri poteſt, in quocumque momento periculum natura deputavit, ſed certis quibuſdam magis voluerunt veteres ſapientes. Per peccatum mortem indixit Altiſſimus, veruntamen, fatali, & indefeſſo curſui notas affixiſſe, antiqua voluit obſervatio; ab hinc enim duo annorum millia, vel per traditionem, ſeu in fide Parentum medicinæ concordi apud omnes ſuffragio recepta eſt fatalis, & climaca imparis numeri computatio in morbis per ſeptenos dies; in menſibus par periodus, partus quippe fœlix imparitate; ac in humano curſu pariter defluit ætas per annorum ſeptena, jactata undiq; felicitate in imperio per annorum hebdomadas.

Pythagoras, cujuſvis ſcientiæ gnarus, circa Geometriam plurimum inſudavit, quam ob ejus inundationes, quæ tumidus rigat arva Nilus, neceſſariam invenerunt habitatores: theoremata autem multa ab Ægyptiis accepit, alia à Chaldęis, à barbaris non pauca: licet alii dicant, quod ratiocinia, & numeros à Phœnicibus. Hinc imparis numeri talis emanavit commendatio, ut adhuc per illum in Dei cognitionem via pateat; teſtis eſt Jamblichus: hæc erat illius philoſophiæ ſumma: at ideo illis erat precioſa Medicina, & Muſica, quam apprime ante omnia ſanitati conducere prædicabant, quia erat utrique bella numerorum conſonantia; hac diſcebant prudentiam, hæc erat illis regni concordia, reipublicæ gubernatio, ac per illam privatam cujuſque vitam ad divinum exemplar referebant; hinc Deorum cultus: dicebat inde Pythagoras; *Quid juſtiſſimum? ſacrificare; quid ſapientiſſimum? numerus, & apud Deos, & apud homines medicina; quid pulcherrimum? harmonia; quid perfectiſſimum? ſcientia; quid fortiſſimum? ſententia; & quid optimum? fœlicitas.* Quia illis optima numerorum concinnitas hominum perturbationes diatonicis numeris ſedabat, & ad virtutem plectro, & lyra excitabat cœleſtium ſphærarum harmoniam imitatus; ac ideo Pythagoræ beneficio hominibus advenit, ut exclamavit antiquitas; idcirco ſub humana forma, ne novitate homines perturbarentur, ac doctrinam ejus refugerent, Theologiam, ac rerum ſacrarum leges per numeros docebat, ratus hanc puriorem exiſtere, ac diviniorem cognitionem, ac cœleſtibus Deorum numeris magis propriam, aptioremque Abadyris ingenio. Erat enim is Apollini ſacer Vates, & Magiæ peritiſſimus, qui cum Pythagoram adiret, illi arcum donavit, quo flumina, montes, maria, & cuncta invia facile trajiciebat; dicebat tandem, quod ſacra per certam numerorum proportionem efficacia ad operationes reddebantur: ac tantum numeris detulerunt Pythagoræ ſucceſſores, ut muſicæ conſonantiæ propter numeros tanta ineſſet virtus, quod animi, ac corporis inſanabiles ægritudines perſanare potuerit. Homerus etiam, Tartari poteſtates Orpheum muſica ſuſpendiſſe, enarrat, & in mari Thracio Delphinum Plinius, & Amphionem lyræ dulcedine lapides attraxiſſe, ac illuſtrem ædificaſſe Thebadem; ut Corinthii, & Lesbii teſtantur, ſicut pro in Delphinum gratitudine, celebre in Africa extat fanum in promontorio Tænaro ad Delphinis memoriam, qui Ariona ad mare projectum liberavit; ut inter mirabilia Solini invenitur, & inter Pythagoræos Poëtas, qui Orphei muſica, arbores, feras, & lapides allici tradiderunt, unus fuit Ovidius.

In vita Pythagoræ. — *Herodotus lib. 1. Clio.* — *Cap. 11.* — *10 Metamorphoſ.*

> *Qua poſtquam parte receſſit,*
> *Diis genitum vates, & fila ſonantia movit,*
> *Vmbra loco venit.*

Et Virgilius 4 Georg.

> *At cantu commota Erebi de ſedibus imis*
> *Vmbræ ibant tenues: ſimulacraque luce carentum.*

Et rurſus.

> *Cocyti, tardaque palus innabilis unda*
> *Alligat, & novies ſtyx interfuſa coërcet.*

Idem canit Horatius, idem Comicus Seneca, ac tandem Manilius. & lib. 1. Regum legitur, Davidem, Saulem furore concitum muſica tranquillaſſe: de Pythagora etiam refert Jamblichus ſpondæo quondam rythmo per tibicina extinxiſſe cujuſdam pueri furentis rabiem, nocte irruentis ad amicam, à rivali poſſeſſam, & fores domus incenſuri. Sic etiam Empedoclem enarrat paſſe muſica furorem adoleſcentis, qui ſtricto enſe Architum hoſpitem Empedoclis perſequebatur occiſurus: iram contemperare concordem muſicam, novit Plutarchus. Ac eadem ſane de cauſa Lacedæmonii, cum ad conflictum irruendum erat, conabantur milites muſica conſonantia demulcere, ne furia pericti temerario impetu ruerent. Et in hoc Empedocles inter omnes in movendis ſono, & concentu præcordiis, & quo voluit flectendis illuſtriſſimus extitit, Pythagoræus utpote: qui fertur excogitaſſe innumeras proportiones, & organa muſica non pauca, ut tetrachordum, pentachordum, & monachordum.

Cap. 16. — *Lib. de temperat. iræ.* — *Et Solinus de mirabili mundi. 56.*

Teſtatur Androcyda, in volumine de ſymbolis Pythagoricis, ab Orpheo Pythagoram omnem numerorum characterem accepiſſe (erat enim Orpheus inter Ægyptios ſapientiſſimus; & ipſi hujus ſapientię inventores, apud quos per numeros divinę ſapientię exemplar adinvenit) ac de illis inſtituiſſe ſermonem, quem Sacrum conſcripſit, numerique ſubſtantiam ſempiternam eſſe, principium item cœli, & terræ, ac mediæ naturæ proclamavit, (fabuloſum ſane ſomnium) ac tantum numeri imparis perfectionem Deorum placitis placuiſſe, ut ad ſacrificandum Apollini, quo daret vaticinia, ex numeris Trinitas foret ſeligenda, ex primo numero ut perfectiori; qui, teſte Pindaro, per terras, & plana perpetuo geome-

geometrizabatur, ac super cęlestia indefesse contemplabatur, symbolicumque & breviloquum affectans, ajebat in numero omnia lucere, ac cælestes sphæras rapido cursu, musicam edere & concentum efficere jucundissima harmonia, (fabrorum malleis indecens æmulatio) eum sequitur Plato in Timæo, & Tullius in libro de Somnio Scipionis.

CAPUT II.

Imparis numeri, virtus & dignitas.

Primum genus Theologicum, ad patefaciendam essentiam Deorum, per numeros mathematizabat, per illos scilicet, qui Diis magis cognati erant; ex quibus circulum intelligibilem secundum numerum Idearum fabricabat; talis certe est circulus; cum sit necesse omne optimum proportione, & concinnitate mensurari; optimum vero, ut tale necesse, fuit constitui ex perfectiori numero disposito ad hanc concinnitatem, atqui numerus impar, & continet unionem, & indivisibilitatem, & durationem, & æternitatem, ergo divinæ essentiæ symbolizat.

Fiat ergo secunda demonstratio: in vera philosophia omnium partium mundi certus est numerus; nam continet regionem mobilium & corruptibilium: vel mobilium & incorruptibilium; vel immobilium & incorruptibilium: primum invenitur per numerum quaternarium, quod minus continet perfectionis, cum includat divisionis principium, id quod est interitus causa, utpote quatuor elementa. Secundum autem per imparem invenitur, sed pari mixtum; continet enim septem orbes cælestes qui Planetas septem circumferunt. Tertium autem invenitur per numerum perfectissime unicum, & indivisibilem, nam continet cęlū Empyreum, perfectissimum impar.

Ab intrinseco hoc etiam demonstratur, nam in toto omnis perfectio à forma dimanat, ac ideo naturaliter materia appetit formam; sed numerus impar est forma, unitas, & principium; materia autem pluralitas, & principium divisionis, quod impari non contingit, ergo quid nobilius est impar.

Hoc patet inductione, nam ternarius continet unum, quod est principium, & forma, & duo, quod est principium divisionis, & materia; & hæc est ratio quare septimus tantam acquirat perfectionem, nam constat ex tribus, & quatuor, tanquam ex materia, & forma, qui ambo sunt totum in genere numeri, & perfectum unumquodque in suo genere; & ideo in sacris, & humanis litteris pro numero ponitur infinito, quia continet perfectionem omnium numerorum.

Cujus rei gnarus Homerus sapientissimus, ut interpretatur Cælius Rhodiginus, (id quod postea ad verbum Virgilius transcripsit) fælicitatem precatur summam in perpetuumque duraturam, dicens, *O terque quaterque beati*, quoniam ternarius & quaternarius facit septimum.

1 Æneid.

Hoc idem resonat in Musica: nam si Diatessaron per sesquitertiam multiplicetur, optima fit consonantia; & Diapente, per sesquialteram: sed Diapason per duplam proportionem ex sesquitertia, & sesquialtera, fit omnium perfectissima inclusa in diapente, & diatessaron, unaquæque ad diapason, nam continet tantundem, & duplum magis; quoniam vox humana dum ab uno sono progreditur, diversa semper sibi reperitur, quousque ad octavum ascendit, ubi sibi similis est, & iterum redit ad primas consonantias, ut ad Hermetis trutinam pensitat Arithmetica, & Augustinus dat probatum ad sensum.

CAPUT III.

Perfectio septenarii.

De hujus septimi perfectione solemne est illud Macrobii testimonium; *hic est numerus perfectionis, quod solus ex omnibus, qui denario sunt minores, nec ab alio gignatur, nec alium gignat.* Quare Peripatetici hunc numerum Virginem vocitarunt, & in voce Græca veneratio, & excellentia nomini correspondet; ac proinde summus ille Plato, autorem naturæ Deum, animam ex septem portionibus conflasse in Timeo scribit.

Antiquissima est Varronis septenarii numeri commendatio, in libro, qui inscribitur *Hebdomades*, vel, *de septenarii numeri imaginibus: Is namque numerus*, inquit, *Septentriones majores, minoresque facit in cœlo.* Item Virgilius quas Pleiadas vocant. Neque etiam Zodiacus septenario numero caret. Jacturas etiam, & pericula non solum vitæ, sed quoque fortunarum, gravissima fieri septenis, ex Varronis sententia, tenet Gellius.

3 Atticar. cap. 10.

Ex quo autem ejus perfectio? Pythagoras, speciose magis, quam decenter, ad consonantiæ harmoniam reduxit, cum ex hoc numero perfectissimo Diatessaron constituatur, quę secundum Platonem optimæ reipublicæ est imago; alii vero septemplici Lunæ motu seducti, illius perfectionis Lunam dederunt in autorem; septimo enim facies ejus apparet semiplena; bis septimo rotunda, vigesimo primo semidefecta, & vigesimo octavo defecta fere nascitur, ut in bis septem duplicatis cursum peragere videatur.

Philo autem, in libro de Opificio Mundi, in procemio, ex perfectione septenarii, Lunæ cursum perfectissimum edi platonizat; nam numerus 28. Lunaris cursus est methodus, quoniam in vera computatione 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. efficiunt 28. qui resultat ex septenario, qui est omnium perfectus, per singulas partes deductus, unde non numerum à Luna, sed à se ipso perfectionem accepisse tradidit, & aliis impartiri.

2 Epid. Sect. 6. text. 17.

Ternarium autem prima commendat unitas, indivisibilitas, causa, forma, & principium: ac ejus potestatis antiqua est Præceptoris nostri sententia, & Tullii in libro de Divinatione: de eodem Virgilius.

1 Georgico.

> *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam:*
> *Ter pater extructos disjecit fulmine montes.*

Et Horatius.

> *Ter si resurgat murus aheneus*
> *Autore Phœbo, ter pateat meis*
> *Excisus Argivis, ter uxor*
> *Capta virum puerosque ploret.*

3 Metamorphos.

1 Æneid.

Ter maximum dicimus, ter beatum, pro numero perfectionis infinito; & Ovidius, *O ego ter felix.* sicut & Virgilius, *O terque quaterque beati*: ac Trinitatem ut orientem totius perfectionis, rerum omnium mensuram fore Pythagoræ alumni voluerunt; Marsilius est auctor. *Ob eam igitur rationem,*

nem, inquiens, *Deus, ternario numero res gubernat; ac res ipsæ ternario numero terminantur*, hinc Maronis illud: *Numero Deus impare gaudet*: nempe summus ille author primo singula creat, secundo rapit, & tertio perficit; singula quoque ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur; deinde in eundem refluunt, dum repetunt originem, ac tandem in suo principio perficiuntur.

Hoc vaticinans Orpheus, Jovem principium, medium, & finem vocitavit more gentilicio, quod etiam Plato, (fortasse divina lege instructus) in summa, & unica divinitate, Trinitatem personarum distinxit, ut testis est Augustinus. Hinc Deum tribus nominibus appellavit, bonum, pulchrum, & justum; bonum, ut creat; pulchrum, ut allicit; justum, ut perficit. Pulchritudo igitur, cujus allicere proprium est, inter bonitatem, justitiamque locatur, à bonitate quidem effluit, & profluit ad justitiam.

7 Confess. cap. 9.

Binarius autem numerus est infaustus; unitas enim in eo incipit dividi, quod causa corruptionis est, ut non invenuste explicatur à Damasio Platonico; hoc non sine dolore experitur respublica. Omne enim regnum in se divisum desolabitur. Unitas vero contraria, ac pene divina virtus rebus insita, naturam maximé fovet, sanitatem corporibus tribuit, animo virtutem, domibus, & civibus pacem, & amicis conspiratum. Monarchia, quam Aristocratia, & Democratia est excellentior, quia imperium ab uno melius gubernatur, ac tandem universum dissipari non permittit; Dualitas vero jam omnino degenerans parit contraria, corporibus tribuit ægritudinem, civitatibus seditionem, animis malitiam, domibus diffidia, religioni perturbationem, ac tandem orbi dissipationem, quantum est ex se, quoniam omne malum ex dispari oritur voluntate.

Propterea Pythagoras parem numerum, indigum, imperfectumve esse demonstravit, imparem vero secundum, perfectum, & felicem, hunc marem, & illum fœminam, quia Impar validior cum sit, Pari mixtus vim suam, & virtutem perpetuo servat, & Pari impertitur; Par vero Imparem nunquam producit, quare philosophantes Pythagorici septimo, & nono mensi felix omen addixerunt, (abdicantes octavum) utpote qui constat ex mare, & fœmina, quinario scilicet, & quaternario fœcunditatis alumnis, cujus defectu octavus mensis infelix judicatur, quia fœmina cum sit, ob maris defectum nil producit, constat enim ex duobus quaternariis.

Denarius vero quia dat ultimum complementum omni numero, & omnis numeri perfectionem continet, ideo ex paribus nobilior censetur, non enim solum constat ex paribus; reddensque Aristoteles rationem, dixit: *Quia omnes nationes politicæ, & barbaræ usque ad decem numerant, exceptis Thracibus, qui more puerorum obliti quatuor solum attingunt.* Et solus decimus ex mare, & fœmina conflatur, nam continet. 1. 2. 3. & 4. qui sunt decem.

3 Physicor. & 5 probl. 3. Gellius 3. noct. attic. 10.

Hæc imparium perfectionem comprobant, cui legi in perenni vitæ cursu tantum detulerunt veteres Sapientes, ut ob hoc solum in morbis per impares dies crises accidere ratum putarent; in partu per menses, sicut & in hominis opificio per hebdomadas. In climacteribus per imparia annorum curricula, & Imperio per impares annorum quadragenas; quoniam quantum humana natura cætera animantia nobilitate, ac perfectione superat, ne supra modestiam superbiret; tantum altissimus infinitis propemodum mutationibus obnoxiam esse constituit ex æternitate.

CAPUT IV.

Morborum climaces, & gradus Ætatum.

In morbis esse quasdam ætates, à medicis lege sanctum est, de quo Galenus integrum scripsit librum. Sic etiam & hominis ætas quibusdam gradibus distinguitur; & sicut illæ per septendium, idest septenos dies designantur, sic isti per septennia, idest annos septenos, computantur; & quemadmodum illa ultima dies vocatur decretoria, sic ille annus ultimus crisimus, ac fatalis, quo utplurimum, (licet non necessario) hominum vita necis, aut morbi certamen experitur; quod quidam ad fortunæ jacturam extendi voluerunt; quod antiqui rerum naturalium scrutatores ratione, & experientia didicerunt, arrepta fortasse occasione à legibus, quas Deus stabilivit in Genesi: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius* 120 *annorum*, quod idem in Ecclesiastico, & Psalterio stabilivit.

Cap. 6. Cap. 18. & Psal. 36. & 89.

Annos Climactericos vocavit antiquitas scalares, cum sint hi anni velut gradus humanæ vitæ, & quasi fatales moriendi fines, diebus decretoriis non absimiles, ut Dialogo de natura dixit Plato, sed clarius Seneca: *Vna dies*, inquit, *gradus est vitæ, tota ætas partibus constat, & orbes habet circunductos, & aliquis, qui omnes ætates complectatur, & cingat à naturali ad diem extremum. Est alter qui annos adolescentiæ excludit, est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit, deinde ipse annus inter se omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur.* Ac ideo Poëta dixit:

Epist. 12.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Et Ovidius.

Stat sua cuique dies; breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Quos vere decretorios, climactericos, ac fatales adinvenit antiquitas, scansili lege occidua, septenario ascensu computavit, ut 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. 70. & 81. dicitur etiam climactericus scalaris, quia Græci hac dictione, climacteras, scalarum gradus designabant. Unde numerus climactericus dicitur, ad quem per climaces, id est scalas, seu gradus veluti ascendimus. (Descendere, melius diceremus si ad obitum terminatur ascensus) qualis est numerus, qui per septem, aut novem novenarios resultat, nam unitas ter sumpta conficit ternarium; ternarius autem in se ductus, hoc est, per tertium multiplicatus, novenarium, novenarius autem novies sumptus, 81. & septies multiplicatus 63. quos ultimos fatali calamitate primos, invenerunt auctores, quippe qui raro sine vitæ, aut fortunarum jactura soleant transigi. Notum est illud, quod Diogenes Cynicus, Dionysius Eracleotes, & Eratosthenes geometra anno 81. obiisse feruntur, quod ideo voluit Pythagorica autoritas, quia harmonia utriusque numeri per integram sui multiplicationem finiatur.

Colloquio 4 prædictionu physica.

Omni litterarum genere versatissimus Majolus hujus anni fatalis genera duo constituit, qui A quasi articuli quidam, seu flexus sint ætatum, in quibus ad sequentis temporis constitutionem ille sese vertat, & inflectat, quorum primi à septimo colliguntur, ut prædicti, & ii hebdomadici, & climacterici vocitantur; alii vero à nono accipiunt ascendentiam, quos vocavit antiquitas Enneaticos, & Intercalares, si bene Heroicos aliquando, quia heroum sint sepulchrum. Hæc est illorum series 9. 18. 27. 36. 45. 63. 72. 81. 90. 99. 108. 117. 126. ac inter omnes fatalis calami- B tatis insidiosum super omnes judicant, 63. quoniam septem & novem in se ductos complectitur, ac ideo omnem numericam harmoniam comprehendit.

2. Epidem. Sect. 6. text. 13. 15. & 16.

Hujus fatalis ascendentiæ climacas noster Præceptor etiam notas fecit, nam inter dies, ac menses, quos numerat legitimos, annos etiam vult adesse legitimos. Quos Vallesius climacos esse ratus, ideo dixit, quia insignes mutationes vitæ hominum solent afferre. Hoc etiam nos videtur natura docuisse per insignes, ac manifestas C mutationes, quas à prima hominis formatione ad vitæ ultimum colophonem solet concitare. Antiquissima est illa Varronis sententia, quod semen septem diebus comprehenditur; septem figuræ redditur capax; ter septimo spina, & caput informantur. Duplicatis bis septem totus absolvitur homo; septenis mensibus nascitur, septimo mense dentescit, septimo anno puerascit.

Vis septimi in cœlo etiam viget, ac lucet; septem sunt Pleiades, epicycli septem errantes planetas septem circumferentes, ut quorundam est D sententia, tametsi quidam abnuant neoterici: septem polos esse dixit Aristides Samius, qui in duos ultimos terminantur. Testis est Gellius, nec ipse Zodiacus septenario caret numero. Nam in septimo signo fit solstitium æstatis à bruma, in septimo brumæ ab æstate, in septimo æquinoctium veris, & in septimo autumni. Hoc numero Tibullus summam fœlicitatem precatus, dixit:

lib. 3 Attic. cap. 10.

O mihi fœlicem terque quaterque diem.

Et hæc est causa quare ab antiquis septem tan- E tum convivæ admittebantur, quia hic numerus plenus, ac justus credebatur; unde erat parœmia, septem convivium, novem convitium, ut auctor est Mendoça, Alciatum sequutus. Alcyones hyeme septem diebus in aqua nidificant; Lunæ curriculus septies capit septem: terminus adolescendi septem pedes amplectitur; discrimina periculorum in morbis per septem computantur; quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt; septem sunt orbis miracula; septem Sapientes celebravit Vetustas; F ac tandem vox humana, cum ab uno sono progreditur, diversa semper reperitur, usque ad septem; & cum ad 8. ascendit sibi similis est; ac ideo redit ad primas consonantias: ita ut septimo perfectissima resonet harmonia; ætates omnes septimo natura clausit numero. Sacerdos septem numeris loquebatur ad populum, ut Maro 6. Æneid. cecinit:

lib. 8. Saturnal. decad. 9. c. 4. lib. 11. Parergon. cap. 11.

Necnon Threjicius longa cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Septem ætates, septemplici numero hoc poëma describit.

7 *Infans septenos postquam compleverit annos;*
Producti dentes murus & oris erunt.
14 *Post si septem alios Deus hinc concesserit annos,*
Fit pubes, nato semine nomen habens.
21 *Est juvenis cum septem alios concesserit annos,*
Et lanugo genas, primaque barba tegit.
28 *His addas septem, virtute & nomine clarus*
Est vir, & hac ætas optima robur habet.
35 *Adjicias alios septem, volet esse maritus.*
Et memor arcanæ posteritatis erit.
42 *His alios jungas septem, prudentia pectus*
Ornabit, studium nec levitatis erit.
49 *Annumeres septem, gravitas erit inclyta linguæ:*
56 *Septem alios, linguæ congruit ingentum.*
63 *Adde novem rursus, cum septenarius ipse est.*
Perfectus, vires sed nimis interimit.
Scilicet his annis multi periere duobus.
Quoniam laus celebris marte, togaque fuit.
Hi quoque nunc variis fortunæ casibus anni
Subjiciunt multos, exitiumque ferunt.
Accedunt alii septem, mors dura vocabit
Ad tumulum fessos, decrepitosque senes.

Multi climacteras attingunt, sed cur fatalis desideratur unicus? fatalis interitus causam non attulit antiquitas, dixit Majolus. Attamen celeber ille Platonis commentator Dædalæus, hujus difficultatis astrologicam invexit rationem, *præest*, inquit, *primæ* humani ortus formationi Lucina, ac omnes Planetarum influxus in circulum usque ad Saturnum, cujus maleficam virtutem singulis septem annis suo exitio humana salus experitur, ac ideo per singulos septem annos veluti per scalas periculo ascendimus; cujus discriminis celebre attulit hieroglyphicum veneranda vetustas. Descripsit navem undique vomentem flammam, cujus gubernationi septem fratres deputavit, in medio leonem, in parte convexa Crocodilum, in medio tumidi, ac fluctuantis maris appetentem periculum virtute Planetarum, nam per fratres Planetas designavit, per ignem calorem se ipsum consumentem, per leonem, morbum, per crocodilum diei, ac noctis vicissitudinem rotæ, quibus humanus peragitur curriculus in medio fluctuationis malignantis influxus.

Neque his acquievit Majolus, sed ob aliam rationem hoc evenire voluit, quod scilicet Saturnus singulis septem annis ad quadratum, vel saltem ad contrarium naturæ signi, unde egressus est, appetat pervenire; & quemadmodum Luna, quæ in septem diebus ad contrarium signi ejus naturæ pervenit, & ideo criticum facit septimum, ita Saturnus septimum facit climacum, quod variis in locis confirmat Ptolemæus.

Plinii autem de fatali lege moriendi hæc est sententia; *Rursus Æsculapii secta, quæ stata vitæ spatia ab stellis accipi dicit, sed quantum plurimum tribuit incertum est, quandoque in momentis insignibus horarum lunæ dierumve septem, aut novem ingens turba nascatur scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant, non fere ita genitis quinquagesimum quartum annum excedentibus*, &c. Ex aliena sententia climacteras ab stellis appensas ratus est Plinius, quia sicut, qui momentis horarum Lunæ; hoc est quadraturæ motibus, qui, per septena fiunt, enascuntur, sic in momentis dierum (annorum intellige,

7 Naturalis hist. 49.

tellige, si de ætate loquitur) Septeni, & noveni fatale periculum experiuntur, & ideo concludit, *qui taliter nascuntur, per septena mutationes patiendo scansili lege occidua, per septena etiam fatalem alterationem pati appetunt.* Ac ideo quinquagesimum quartum annum non transcendunt, quia tot alterationes sine periculo vix patitur natura: nam scansilis annorum lex occidua illa dicitur, per quam ad ætates velut quibusdam annorum gradibus ascendimus, & in quolibet illorum periculum natura deputavit.

CAPUT V.

Aliorum diffidentium opiniones.

Ubi supra.

Dixerunt alii, testis est Plinius, quod hoc accidit, quia nemo potest metam transigere Orientalem ex nonaginta partibus, quæ vocatur Anaphoras, quod in malignos Planetarum, & solis incidat influxus, cum quartam Zodiaci partem pertranseat, ac postea in illos incidat, velut antipodes: ex quo videtur fatale, & necessarium, ut virtutis defectu, aut influxus malignitate pereat.

11 Natur. hist. 27. & Varro, ut refert Censorinus.

Attamen inter illos, quos magnopere veneratа est antiquitas, Magi Ægyptiorum non ultra centum annos hominem posse vivere, posteritati detulerunt, si nos non fallit Plinius. asylum autem suæ opinionis erat, quod humanum cor per integros quinquaginta annos stato naturæ ordine accresceret, quod pro termino mediæ vitæ consignabant: exinde tamen in posterum ad proportionem decrescebat paulatim, ut cum centum adiret, fataliter, ac necessario morti daret exuvias; quod esset ultimus decrementi terminus, ultra quem transire fas non erat.

In Comm. ad dialogum Epinonis.

Pythagoras, quam vere, speciose magis, aquam cribro haurit, cum musicas proportiones observat, suaves consonantias. Pythagorici enim, teste Phicino, per sesquialteram proportionem, & sesquitertiam, ex quibus dupla componitur, sphærarum spatia dimetiuntur; & tanquam spatia cœlorum ambularent, à terra ad solem spatium, sesquialteram facere proportionem invenerunt; à sole ad firmamentum sesquitertiam, quarum ex prima nascitur diapente consonantia, & ex secunda diatessaron, ac ex utrisque diapason omnium perfectissima. Hoc idem testantur actiones; nam ut hæc perfecta fiat in suo genere, oportet ut agens duplo potentius sit passo, cum intendat geminare se ipsum in agendo, & sicut dupla proportio conducit ad speciem generandam; ita sesquialtera ad familiarem speciei affectionem, & sesquitertia ad accidentia. Hoc idem observatur in humoribus, in auditu, in elementis, in simplicibus, ac in omni tandem actione, quo multiplici philosophiæ datur aditus.

Fit & altera non minoris harmoniæ, quando scilicet radices numerorum circularium in se ductæ multiplicantur in circulum, & ubi finitur circulus, finire dicunt consonantiam, quoniam ab eodem reditur ad idem; & est prorsus necesse ab alio incipere, & secundum istam regulam septimus, & nonus in se ducti efficaciores exigunt climacas, ut si dicamus, septimus septies multiplicatus facit 49. & novies, 63. & novenus septies multiplicatus, 63. & novies, 81. quia radicalem circulum finiere; & hæc est potissima rationum, quare 63. & 81. ultimæ insidiæ judicentur, quia primus in se ductus finit septimum, ac secundus nonum. Hanc in partu, & hominis generatione Laërtius observat. Bodinus impius in Monarchiæ duratione, ac tandem Plato: *Quoniam, inquit, ubi origini, & principio condendæ urbis præesset Diatessaron consonantia perfectissima Diapente, aut Diapason per ternarii multiplicationem. quod suæ originis juxta harmoniam conservat respublica unisona legum observantia, civium concordia, & plebis obedientia usque dum summum consonantiæ attingeret. Ex illis inde enim non producit retinentia suæ originis, sed dissonantiam.*

8 de Vita Philosoph. de vita Pythagoræ. Lib. 4 de Republ. 5.

Sit nobis hoc illius harmoniæ exemplum; unitas ter sumpta conficit ternarium, ternarius in se ductus novem, novenarius vero multiplicatus 81. ubi finitur harmonia secundum radicem hujus numeri, & sic tenet philosophia in morbis per dies, in ætatibus per annorum septena, & in Monarchiæ duratione per annorum hebdomadas, prout unaquæque istarum durationem appetit, per radices numerorum in se ductas, licet Cardanus ab extrema stella caudæ Ursæ majoris hoc ratus sit provenire, cum à vertice urbis quæ denuo conditur astiterit, aut recesserit; sic Imperium floruisse, aut declinare, ut Romano, & Saguntino Imperio eventus fecit notum, ex cujus deflexu verticalis facta Germano Imperio, illi transtulit felicitatem.

Huic etiam difficultati adjecerunt calculum, in jure peritissimi, partus in septimo, & nono perennitatem observantes; quare ætates etiam scansili quadam computatione fatalem pati alterationem tradiderunt. Testis est doctissimus Sfortia, Odus Perusinus testis, & Joannes Franciscus Farasardi in tractatu, *quis dicatur infans*, ac omni exceptione dignus Menochius de arbitrariis, & nemini secundus Garcia de Nobilitate in practicam Cordubensem, ubi enim finitur septimus in se ductus, inquit, ibi annus incipit climacus scansili lege occidua, quo peracto nihil aliud expectatur quam mors, & inde complementum ejus numeri vocatur mors à Virgilio: *Explebo numerum, reddarque tenebris.*

De Restit. part. 1. q. 2. art. 2. n. 11. Lib. 2. centur. 1 Casu 59. Glos. 48. §. 1. per totum.

Si autem homo hujus anni periculum subterfugiat, mutationem, ac varietatem noveni incipit experiri, ut Platoni contigisse refert Petrus Crinitus lib. de Honesta disciplina, qui anno migravit 81. à natali suo, & ipso natali obiit, ac ideo Magi, qui tunc Athenis erant, Platoni immolarunt, amplioris fuisse sortis, quam humanæ, rati: quoniam consummavit numerum perfectissimum, quem novies novem multiplicata, conficiunt. testis est Phicinus in ejus vita, testis & Seneca epistola 58.

Phicinus in vita Plato.

Et hæc est fortasse ratio, quare annum quinquagesimum, uti primum post quadragesimum nonum existimarent interitum afferre, ac vitæ finem, quasi expleta septenarii numeri perfectione, ac virum quinquagenarium, quasi defectum, emortuum, ac inhabilem reipublicæ ministerio; eo namque anno reversus homo ad prima infantiæ rudimenta, tacita quadam, ac latenti supputatione veluti denuo vivere incipiat; quasi omnes respectus, ac multiplicationes septimi vivendo jam expleverit. Hoc certe olim lamentabatur Plato: *Alii itaque multa senectute repuerascunt, animo-*

In Dialog. Aexioch. cap. 25. lib. 2. de vita Patrum lib. de Brevitate vita.

animoque bis pueri fiunt senes; notissimum est illud Levitici; *Quinquagesimum annum fore Iubilæo dicandum.* Quod si transierit, præteriret expiationis occasio, cum antea esset fatalis annus 59. ac Varro; *quinquagenarios fuisse à publicis negotiis liberos*, adnotavit, quoniam regressus quidam esse videtur ad prima rudimenta; & Seneca; *Lex à quinquagesimo anno*, inquit, *militem non cogit, & à sexagesimo Senatorem non citat.* Et hæc est ratio, quare lege cautum fuerit, ne senes quinquaginta annorum compellantur à judice in judicium testes adduci, extra propriam, nec in alienam civitatem in causa civili, utpote defecti viribus, ut habetur in lege manifesti juris, & in lege *liberta*.

Cap. qui ætate, vel morbo se excusat, & in lege liberta ff. de operis libertorum. Et in lege à muneribus cap. de decurionibus lib. 10. leg. 2. §. finali, ff. de eodem titulo.

Sexagenarios etiam; & potiori jure, alii putant excusandos, quoniam hæc ætas ultimum excessit climacum ex prioribus, & primum jam attingit ex posterioribus, cujus magna pars mortis est, ut notat Lucas de Penis in dicta lege manifesti juris. Unde apud antiquos erat adagium; *Sexagenarios de ponte dejicere.* Quo adagio illos ad omne vitæ munus inutiles, & otiosos rejiciebant. Juventus enim Romana olim sexagenarios, uti ineptos & imbecilles, & ad reipublicæ gubernacula inutiles è ponte præcipitasse fertur, ut soli ipsi juvenes, & magistratus gererent & suffragia ferrent, quod Afranius de ponte Tiberino ratus est, ut voluit Calvinus, & Garcia amplectitur, & constat his duobus versiculis:

Pars putat, ut juvenes ferrent suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Tales itaque sexagenarios Depontanos vocavit antiquitas, vel quod ita realiter accideret, cum in ponte suffragia ferrent ad creandos magistratus, senes de ponte dijcerent quasi deliros, & inutiles, inopes ingenii, & egenos consilii, vel ut per illud in ponte positos, & extra urbem, extra tempus gubernationis esse designarent.

Hujus tamen diræ consuetudinis mendacium redarguit Tullii de senectute libellus, parem enim illis Romani, ac diis observantiam detulerunt, testis est Seneca, & ocularis Gellius: *Ad Deum usque apud antiquissimos Romanorum colebantur senes; à convivio quoque seniores à minoribus domum reducebantur.* De vera tamen hujus consuetudinis ratione, Joannes Calvinus de verbis juris, (autoris damnati opus prohibitum, & cum expurgatione permissum) in libro de legibus Romanis luculentissimum affert testimonium ex diligentissimo antiquarum consuetudinū perscrutatore Festo. *§. suffragia quomodo ferrentur*, voce *Objicitur.* dicit enim Festus, quod Romanis mos erat in comitiis suffragia ferre, imponendo suffragii tabellas supra pontem, pontes autem tabellæ quædam erant satis angustæ ad mensæ modum extructæ, in pontis similitudinem, & maxime post legem Mariam, & in principio pontis tabellæ quædam erant, in extremis autem cistæ quædam, in quibus tabellas quisque suas deponeret; transibant igitur per eos pontes ad lationem suffragii, tabellis acceptis in prima pontis parte, quas in extrema redderent, quo tempore, inquit, primum per pontem cœperunt comitiis suffragia ferre, juniores conclamaverunt ut de ponte dejicerentur

Epist. 12. l. 2. noct. Attic. cap. 15.

A sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius, quam illi deligerent Imperatorem; ex quo senes Depontani appellabantur isti, quia dejiciebantur de ponte tabulæ, & non Tiberino, ut ratus est Afranius.

Hujus pontis, & consuetudinis etiam recordatur Manutius, quem sequitur doctissimus Mendoça, inclytus Jesu Societatis alumnus: celebre est hujus traditionis illud Tullii in epistola ad Atticum; *Opera Clodiana pontes occuparant, tabellæ ministrabantur, ita, ut nulla daretur uti rogas*, B & 3. lib. de legibus: *Pontes lex Maria fecit angustos.* & 1 Rhetoricæ ad Herennium: *Cæpio*, inquit, *cum viris bonis impetum fecit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo serius feratur lex.* Sic etiam alloquitur pro Roscio; *Habeo etiam dicere, in quem contra morem majorum minorem sexaginta annis in Tiberin dejecerint.* Quod etiam Macrobius lib. 1. Saturnalium non tacuit.

Lib. Saturnal. decade 3. cap. 1.

Hoc idem, & potiori jure de septuagenariis tenet lex illa manifesti juris, ubi sic ad litteram: *Cum igitur septuagenario majorem te esse profitearis*, &c. & lege *si ultra*, ff. *de decurionibus*, quod C etiam sancivit Plato lib. 6. de legibus, de magistratu Nomophylaco, sicut & in sacro Canonis decreto, ubi propter senectutem excusatur Episcopus, ne ad synodum personaliter accedat: & tantum apud veteres invaluit hæc climacum fatalis necessitas, ut Gellium compelleret in hæc verba prorumpere; *observatum in multa hominum memoria, expertumque est in senioribus plerisque omnibus, sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis, morbique gravioris,* D *aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis.* Ac altiores jecit radices in Augusti nobilissimi Imperatoris exemplo, è cujus manu hæc legitur Epistola; *Ave mi Cai, quem semper medius fidius desidero, cum à me abes, sed præcipue diebus talibus qualis est hodiernus, quem spero lætum celebrasse 64. natalem meum, nam ut vides climactericum communem seniorum omnium 63. evasimus*, &c. Hanc etiam fatalem ruinam videtur spectasse Hom. sapientissimus, quando dixit,

cap. placuit 2. dist. 18. lib. 15. Atticar. cap. 7.

Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, & justi metas non attigit ævi.

E Et alibi.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Hæc voluit antiquitas: *Vos autem si mihi assentimini*; dixit Plato, *Non Socrati cedite, sed veritati; sin vera loqui vobis videbor, concedite, diligenter caventes, ne dum annitor, meipsum simul, vosque decipiam, & velut apes aculeo in nobis relicto abeam: ut fertur in Proverbio.* Hoc unum oro, ne communem consuetudinem sequamini, hæc enim est humana conditio, ut occulta, ac laboriosa aggrediatur nemo, & in laborem irruat alienum: & ad hoc F omnes fere conspirant dicentes; hoc illud ibi jacebat, hoc erat per se notum, hoc omnes artifices experiuntur; facto enim opere, omnibus perfacile videtur, quod cum Iannellus in Toletano artificio etiam susurranter audiret, facite ergo, inquit, si tam facile est hoc, hoc facilius, ut hoc ovum recto teneatur in puncto, & hoc nullus assequitur, quibus ille: silere tutius, non est enim tutum carpere nescienti.

Dial. Phœdonis seu de anima.

CA-

CAPUT VI.

Climactericæ vicissitudinis genuina origo deducitur.

Noster ergo sensus in hac re est. Climaca, ac fatalis necessitas per annorum septena, (si fortasse contingit) ab ineffabili naturæ ordine provenit, à transmutatione hujus ad illam ætatem deperdita naturali symmetria: ratum ita putamus.

Sed pono prius, statutum esse hominibus semel mori, & moriendi tempus soli Deo esse servatum. Rursus quod vita, & longitudo dierum nostrorum à domino decernitur; & quod etiam Seneca naturaliter vidit; *Fixus est*, inquit, *cuique terminus, manebitque semper ubi positus est.* & Poëta; *tulitque suum, metasque dati pervenit ad ævum*; & Horatius:

Paulus ad Hebræos. Lucæ 2. Deut. 30. lib. de Consf. ad Martiam. Horat. 1. lib. carm. Od. 11. Ode 4. ad Sestium.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi Finem dii dederint.

Qui prius ita de morte cecinere.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turreis.
Adeo ut sola, victricibus armis
Elatos frænet animos, communia toti
Gentis sceptra tenens, æternaque fœdera servans;
Quæ parvos, magnosque terit, quæ fortibus æquat
Imbelles, populisque duces, seniumque juventæ.

Quin,

Nec vis herculea (heu) fatum evitavit acerbum.

Genuinam tamen hujus difficultatis causam Plato dixit, quem postea sequitur Aristoteles; nobiscum nascitur, qui nos interficit; quo ergo magis vivificum nectar à causis contrariis lacessitur, aut fovetur similibus, producitur, aut deperditur vita; quo purius est in substantia, abundantius in quantitate, & in qualitate temperatius, aut è contra; prima est dentati animalis commendatio, & ejus vitæ productio, ut placet Aristoteli: secunda hominis, quia temperatior, quod fortasse gliscit experientiæ, cum Cervus bis hominem viventem superet, & Corvus ter, ut Plinii nos docet Naturalis Historia: & hæc est brevitatis, aut longitudinis causa.

2 de histor. Animalium 3.

Lib. 8. c. 22. & lib. 7. c. 8.

Quare autem in hoc, aut illo anno finiatur, altius oportet repetere: supponendo prius, quod temperamentum non potest durare tota vita exacte tale; quoniam per ætates accipit mutationem secundum convenientiam hujus, aut illius temperamenti, ad quod unaquæque determinatur. Quod si ad hoc non sufficit experientia, quæ hoc nobis dat probatum ad sensum; sit satis Hippocratis autoritas, quando in Epilepticis ante vigesimum quintum annum ab ætatis mutatione remedium expectat: & de facto contingit Caligulæ Imperatori, ut notat Suetonius.

5 Aph. 7. & 1 Aph. 13. & 14. & 3 Aph. 30. & 3. Prognost. 28. & 2. de Temperamentis 2.

Hoc etiam Seneca videtur supra vires dixisse: *Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis: nemo mane, qui fuit pridie: corpora nostra rapiuntur fluminum more, quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ videmus, manet: ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum.* Celebre est illud Heracliti apud Platonem, quod jam adagii vicem subit, *in idem flumen bis non descendimus.* Hoc tamen claudit undique sacrosancta fides; *homo nunquam in eodem statu permanet.* ut legitur in libro Iob.

Epist. 58. In Dialog. Cratylus.

Est ergo necessaria transmutatio, prout ætas mutatur; salus enim, quæ huic temperamento est gentilitia, est alteri morbosa, si est plane contraria. Aliquibus tamen periculum in alteratione natura deputavit, aliis sensum effugiet; in hoc erit tuta minus, prout erit morbosus corporis apparatus; aut causæ vehementer alterantes conjungantur, vel aliquis duro facto morbus tunc inciderit, aut immoderatæ passiones; quando ad hoc sola sufficit aëris alteratio; & sic aliquibus dabitur pede sicco transire per medios climacteras; aliis vero periculum à longe videre, & aliis insignem alterationem, morbum, aut mortem pati, prout sors tulerit, & robusta, aut debilis natura.

Temperamenti transmutationem periculum insequitur; celebre est illud Galeni: *Cum in elementorum moderatione natura consistat, id, quod destruit hanc moderationem, dissolvit consistentiam.* Si ergo fit transitus ab una symmetria ad aliam temperiem, necessario prima destruitur, præterquam quod in philosophia hoc habet demonstrationem, cum contraria se mutuo expellant. Platonis, Galeni, & Aristotelis est doctrina; cum enim vita in nexu calidi in proprio humido, consistat sub debita temperie illæ connexioni, quidquid hanc insigniter mutat, ad dissolutionis periculum reducet annexum: quæ igitur major potest esse transmutatio, quam à sanguineo ad melancholicum, à puero ad senem, à Juvene ad consistentem? nonne saltem una deperditur qualitas hujus temperamenti, ut inducatur contraria? & tandem non deperduntur duæ, à potentiori agente introductæ denuo advenientes qualitates.

6 Epid. Sect. 3. 27. & 5 Aph. 51.

In Timæo. lib. de Brevitate vitæ. Lib. de Marc. 3 Aph. 27. & 6 de Sanit. tuend. 2.

Hoc etiam potest demonstrari; nam ut actio finem assequatur, & perfecta sit in suo genere, oportet ut agens duplo potentius sit passo, cum intendat geminare se ipsum in agendo. Evertitur ergo prima temperies ad introductionem formæ novi temperamenti; si verum est in philosophia, quod duæ formæ materiales non possunt idem simul occupare subjectum, & magis, cum verum sit, quod unius generatio, est alterius corruptio, ut probat Aristoteles. Sit nobis Præceptor in exemplum, *dolorificum*, inquit, *cordis malum ætati jam grandi subitam ostendit mortem.* Notavit in commentario Duretus: *Quæ in vetustatem incidunt mala, vix curationem recipiunt; est enim irreparabilis temperamenti, & complexionis mutatio, quam senectus invexit: est quoque desperata nectaris vivifici, exhaustæque vivacitatis reparatio, quando ipsa vetustas per se morbus est, per tot, tamque varias temperamentorum mutationes consequutus.* Notum est illud Averrois: *homo per ætates à generatione ad corruptionem tendit*; Sed non unica interitus differentia, quando hic uno è quatuor modis contingat, aut depasta nativa humiditate; quod sine dolore fieri dixit Plato, & ab hoc Aristoteles, 2. violenter mors infertur, 3. autem per morbos; ac 4. per causas nobis occultas, seu occurrente peste, seu nocente veneno, & aliis.

2 de Generatione in Prænotion.

In Comm. 2. de Generat. Anim.

Sicut periculum mutationem sequitur, sic pariter ætates mutatio: inter illas autem quibusdam nulla est opportunitas excipiendi, nec ulla vis morbos efficiendi, quibus illa ætas repugnat.

Scitum est illud Hippocratis; *Ii sane morbi ante pubertatem non enascuntur, Pulmonia, Pleuritis*, &c. Sicuti sunt alii morbi ita congeniti, & gentilitii his eisdem ætatibus, ut alias pene supergrediantur intactas, sicut patet in pueris, & inter has ætates connaturalis ægritudo, ita interdum naturam mutat, cum ætatis ipsius mutatione, ut, ac si non fuisset, penitus deleatur, ita ut ipsa ætas sit fortissimum hujus morbi præsidium: nemo non novit illud Hippocratis; *Qui ante pubertatem comitiales fiunt, in sequenti invenerunt præsidium, qui autem post vigesimum quintum, commoriuntur.* Rationem annectit Galenus in Commentario; Belle dixit Duretus; *Præsidia sunt in ætatibus, quarum conditio mutationem adfert complexionis temperamenti, atque compaginis, & humorum, sic Epilepsia puerilem calcat ætatem, hanc pubertas penitus abolevit propter splendorem, & lumen caloris nativi, qui antea sopitus erat.* Sit hoc exemplum pro multis, quorum perennitas cum senectute discedit; hujus discursus reddit rationem Galenus; *Calida, & humida temperies*, inquit, *puerilem adoptat ætatem, ac humida dissipat substantia, sicca, & calida consistentem, senectam vero terrestris atque sicca.*

3 Prænot. cap. 2 in append. — *1 Aph. 14.*

Et sicut hac in ætate virtus elucet propulsandi similes morbos, sic in sequenti excipiendi aptitudo à Præceptore elicitur, *à 14.* inquit, *natura jam morborum feracissima. rursus ab hac ætate ad vitæ annum 63.*

CAPUT VII.

Præcisa imparis supputatio necem non infert.

Hic fandi tempus nobis præstat occasio, non ideo climacum hunc validissimum ultimas fore insidias, quia ibi per septimum, & nonum multiplicatio finiatur; finitur quidem, sed non ideo vita; nec ob aliquem syderum aspectum fatalem. Furor est profecto, furor, omnipotentis Dei providentiam momentis temporum, & serie numerorum, atque complexu distringere; ac velle ipsam quibusdam notis, ac numeris, tum syderali scientia prævidere, cujus est illa prædictio ipsum furtive ad nos venturum, nec sui adventus ullam scientiam posse à nobis teneri, quandoquidem, si accidat, hoc Dei nutu, & sagacis naturæ providentia contingat; hoc tamen est perpetuum, quod major omnium transmutationum ibi contingit, fatalior profecto, ac naturæ inimicitior, in pepasmo difficili, ac corpore intranspirabili; ac ideo non est par omnibus climacibus periculum. Virilis enim ætas magis resistit, transmeabile est corpus, spiritu abundans robustæ facultatis temperamenti una sola immutatur qualitas, seu deperditur; ingrediente autem senectute à calida, & humida, aut à sicca saltem ad siccam, & frigidam fit transmutatio, fatalior profecto, ac magis naturæ contraria, quod evenire ad 63. non solum fidelis experientia testis est, sed ætatum partitio clare monstrabit. Notum est illud Galeni; *à prima genitura ad adolescentiam humidissima caro est; senili vero ætati impense sicca.*

Omnis ætas scansili computatione per septena suos etiam pati climaces decretorios adnotavit Præceptor; *Parvulis, ac nuper natis aptæ contingunt, in progressu vero cum dentire incipiunt, gingivarum prurigenes.* Quod fieri ad septimum mensem fatur experientia, cum vero magis adoleverit, hoc est in Galeni judicio, post 13 annum; *Grandioribus autem, qui ad pubertatem accedunt.* Hoc est à 14 sursum, ut notavit Gal. *ex naribus profluvia*, & procedit Hippocrates; *In his plurimæ passiones quadraginta diebus judicantur, nonnullis septem mensibus, & pubem accedentibus septem annis, aut fœminis, cum menstrua erumpunt.* Quod est, ad decimum quartum annum, cum harum passionum fit judicium, & omnes isti inter duas clauduntur septimanas, dicente Galeno: *Secunda septimana tempore completur annorum quatuordecim*, & progreditur Præceptor; *Iuvenibus autem sanguinis sputa tabes.* Ubi Galenus, cum primas ætates minutissime diviserit, adolescentiam non expressit (fortasse quia sub juventute comprehenditur, ut notat Mercurialis.) Quæ se extendit à 21. ad 28. & exinde procedit ultra hanc ætatem morbus lateralis: ubi Galenus; *Iuvenum ætas quinta septimana terminatur.* Scitum est illud prognosticum; *In hac ætate profluvia sanguinis expecta ad annos 35.* Quod est in quinta septimana, quæ, ut scribitur in margine extenditur ad 42. & ut habetur in codice græco Burgundo, ad 48 sextaque septimana claudit ætatem consistentiæ, ut notatur ab Hippocrate, *à 14.* inquit, *ad 42. natura morborum feracissima.* A sanguine, qui amplius incremento hominis non absumitur, est Dureti judicium, aut anno quadragesimo, quo incipit consistere, ut Hippocrates docet.

Septima ætas duabus clauditur septimanis, cum incipimus à consistenti declinare: prima extenditur ad 56. secunda ad 63 aut 60. celebre est illud Hippocratis, *à 42. ad 63. jam natura morborum feracissima.* Et Aphorismo citato apoplectici fiunt à 40 ad 60. quod melancholica apoplexia, Duretus intelligit; octava ætatis septimana est ultima senectus, quæ extenditur à 70 ad 81. in hac non accedit nova transmutatio, sed ampliatur in 63. ut tetigit Præceptor.

Ecce morborum harum ætatum congeries, & ii gentilitii, nunc restat mutationes observare, quibus fiunt fatales, hoc nolo prætermitti, non omnes æquali suffragio in ætatis partitionem conspirare. Nam Ægyptii, & Chaldæi in septem partes diviserunt ætates, septem Planetis respondentes, hoc omnes sequuntur astrologi, & Galenus 3 de Diebus decretoriis, & Hipp. 3 Aphorismorum citato; Seneca autem quinque agnovit ætates; Plato, & Aristoteles, Hippocratem sequuntur. Verum, de ætatibus major pars & potior scriptorum, eas in septem diviserunt, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilitatem, senectutem, atque decrepitam; infantia terminatur, 7 annis, pueritia 14 adolescentia, 21, Juventus 35, virilitas 49. senectus 63. cæteris autem decrepita. Hæc enim est, per septem annorum numeros ipsa partitio; quare ergo aliquibus solum, 4 numerantur? quia 4 istæ ætates inter alias maxime, in corporibus humanis insignes mutationes afferunt, ut est pueritia, adolescentia, virilitas & senectus, ut Mercurialis testatur.

3 Aph. 32. — *1 Aph. 13.*

CAPUT VIII.

Sensus Autoris enucleatur.

Mea saltem sententia his ætatibus ii accidunt morbi, quia ubi una finitur, & incipit altera, symmetria, & moderatio deperditur, quia temperamentum immutatur, nec illud etiam prætermisit Præceptor: *Quibus juvenibus alvus humida est, iis senescentibus exsiccatur. Aurium dolor juvenes perimit septima die, tardius seniores, quia frigidior temperies optimam temperiem tenet: adolescentia, & omnes aliæ ætates deteriores hac sunt.* Quod mille aliis in locis comprobavit.

2 Aph. 20. & 53. & 1 Aph. 23. & 6 de Sanit. tuend. 2. 6 Epid. Sect. 4. 27. 8 de Placitis 6. 1 de Temp. 3. 5 Aph. 7. 6 de Sanit. tuend. 3. & 5 ejusdem 9. lib. 6. de Salub. diet. 7.

Nota est illa Hippocratis sententia cum hircescit, &c. Quo in loco Galenus: *Cum puerilis ætas in adolescentiam transit, semen erumpit, pili in locis genitalibus, testes subito crescunt, puellis virginibus mammæ, menses erumpunt, voces mutantur, & mille aliæ alterationes sequuntur ætatis mutationem.* Cum ergo natura ex contrariis elementis in pugna cadmica fluctuare videatur, & succumbat ad vincentis fortunam, videtur fore omnino necessarium, ut perpetua fluctuet alteratione, quæ si est intra limites, salus durat, si vero extra metas, occurret ægritudo, ergo si ista obviat alterationi, quæ ætatis alterationem sequitur, fatalis erit, aut è contra prout affectioni, aut natura congruit apparatus, quoties enim ad præparationem suscipientis causæ accedit vis magna efficientis, tunc facilis morborum generatio est, difficilis vero discessio.

Nec tamen potest ut immutabile concipi, has transmutationes perpetuo in multiplicatis per septena distringi, imo aliis longius, & brevius aliquibus extenditur infantia, pubertas, & juventus; *Non una hominibus senectus est*, dixit Seneca; *Vt ne animalibus quidem: intra 14. quidam annos defatigantur, ætas illis longissima, quæ homini est prima; dispar quippe vivendi facultas data est; nec certo annorum numero clauditur.*

Lib. de Consolation. ad Martiam.

Notum est illud vulgare: *Fructus præcoces citius maturescunt*; fortasse quia in tenui, & lata substantia anticipat calor, quod in tenaci frigus perfici non permittit. Lex matrimonio duodecim annorum uxorem reddit aptam, ac duobus ultra virum. Celebre est illud Gal. *Nec tamen est, has ætates certo annorum numero circunscribere, nisi forte in latitudine quadam; quidam enim pubescere incipiunt ad 14 annum, quidam uno postea, aut amplius. Initium præterea remissionis nonnulli habent à 30. nonnulli post 35. aliquibus laudabilis salus in senectute conservatur, quibusdam verò ipsa senectus est morbus*; quod idem alibi repetit. Alterationes etiam fiunt, quas nec excipit climaca numeratio.

6 de Sanit. tuend. 2.

3 Aph. 27.

Notum est illud Hippocratis: *à 30 anno finitur per abscessum febris.* Nec omnibus etiam accidit has necessario experiri mutationes; scitum est illud Galeni; *Quorum optime habent corpora, iis calor similis quoddammodo usque ad summum incrementum manet.* Nota est illa Galeni sententia; *Apoplectici maxime fiunt à 40 ad 60 annum*: quorum neuter climacam attingit numerationem.

1 de Sanit. tuend. 12. 6 Aph. 56.

Decretorii etiam Diei in multiplicatione imparium vis elucet, & tamen in 4 contingit crisis in morbis, qui moventur per impares, ut Galenus semel, & bis Archigenes observavit. Tertiana etiam in 13. accepit decretorium, utpote in die validioris accessionis, & non in bis septem; quare hæc mutatio ad naturam potius morbi, quam diei, videtur referenda.

3 de Crisib. 4. & 3 Epid. Sect. 3. æg. 5.

Ex quibus optima ratione ducor, quod ille annus, quo temperies invertitur, aut mutatur, ille fatalis erit huic ætati; licet talis septenorum climacas non ascendat; sed quia hoc aliud frequenter experimur per ætatum septena, alteram temperamenti qualitatem, aut utramque perdi, ideo venerabilis antiquitas hos annos appellat Climactericos.

CAPUT IX.

Quæ accidentia singulis adveniant ætatibus?

Hæc ergo erit computatio, (ut omnibus clare pateat) omnium ætatum: prima ætas erit à prima seminis formatione, ad septimum, vel nonum mensem, quo editur in lucem infans, hoc est illud Hippocratis; *Parvulis, & nuper natis hæc est prima mutatio extra partus periculum*; Secunda ætas est infantiæ, & hæc ad septimum mensem extenditur, cum dentire incipiunt, magnæ agitationis, & periculi mutatio, huc alludit Hippocrates, *in progressu vero*, &c.

Ætas tertia claudit pueritiam; & hæc est duplex, prima ad septem annos extenditur, quo dentes mutantur, & humidissima temperies: Secunda extenditur ad decimum quartum, quo fœminis menses erumpunt, & pueris semen; hoc est illud Hippocratis; *cum hircescit*, &c.

Quarta ætas ad 21. extenditur; in hac corpus redditur solidum. Quinta ætas ad 35. extenditur, robusta sane, ac labori apta; Sexta virilem consistentem amplectitur, ad 42. extenditur, aut ad 49. hæc est matura ætas, consiliaria, quia spiritus, ac instrumenta puriora, ac aptiora ad nobiles operationes redduntur.

Septima ætas utramque amplectitur senectutem, quarum prima ad 56. quibusdam extenditur; aliis vero ad 63. prudentiæ ætas fortasse, quia melancholia ad ficciorem versa, quæ si moderata est cum lucidi sanguinis abundantia, illustrium actionum feracissima erit. Hinc orbis Heroes melancholici, Alexander in bello, & in pace; Socrates, & eorum, quos agitavit fama, nemo non melancholicus; *Nullum magnum ingenium*, dixit Seneca, *sine mixtura dementiæ fuit.* Religioni dedita dixit Aretæus, alieno idiomate posse loqui, ac futura prædicere: Melancholicos Foretus, & Racis Poëtas effici; ac litteratos idiotas Gainerius. Sed non intra limites sanitatis, quod se vidisse narrat Aristoteles, nam ut dixit Heraclitus; *Splendor aridus, animus sapientissimus*: quod est hujus ætatis mutatio.

3 de Tranquillitate vitæ 15. Lib. de Superstitione.

30 Problem. 1.

Ultima autem senectus: decrepita, quibusdam extenditur ad annos 70. paucioribus ad 81. hæc repetit primam ætatis primæ humiditatem.

De his omnibus sic lamentatur Plato, *quæ pars vitæ calamitatibus vacat? nonne statim à principio plorat, ut primum natus est, infans, vitamque à lacrymis auspicatur? quæ non premit eum molestia? semper enim vel penuria, vel frigore vel calore urgetur. Hinc jam fallens surrepit senectus, in quam confluit quidquid est infirmum, fragileque naturæ, & nisi quis vitam velut æs alienum*

In dialog. Axiochus.

alienum reddiderit, adstans supra caput natura, tanquam feneraria, reposcit usuram; ab alio quidem visum, auditum ab alio, persæpe utrumque; ac si quis diutius cunctetur, eum excruciat, membrisque destituit; alii itaque multa senectute repuerascunt, animoque bis pueri fiunt senes. Hoc cecinit Lucretius:

> *Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis*
> *Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni*
> *Vitali auxilio.*
> *Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,*
> *Cui tantum in vita restet transire malorum.*

Et Hesiodus:

> *Nocte, dieque homines miseros invadere numquam*
> *Exangues cessant morbi, mala multa ferentes,*
> *Et taciti adveniunt.*

Ita ut dicat Virgilius:

> *Optima quæque dies miseris mortalibus ævi,*
> *Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.*

CAPUT X.

Quarundam objectionum dilutio.

Dices fortasse, quod mutationes, quæ fiunt ab ætate ad ætatem, non sunt insignes: non subitæ, sed paulatinæ, & intra limites sanitatis, & quod periculo non sufficit sola qualitatum alteratio, nisi etiam substantiale temperamentum evertatur.

3 Aph. 1. & 1 ad Glauc. 14. 2 Meth. 5. 5 de Locis 1. Gal. supra 1. de hist. Animal. 53.

Primæ objectioni satisfacit Galenus exemplo mutationum, quæ à temporis mutatione contingunt, quibus in corpore accedunt mutationes, inversa naturali temperie ab humida ad siccam; hoc idem efficiunt internæ passiones ad mortis usque discrimen, ob similem perversionem; præ ira, gaudio, & mœrore aliquos periisse, adnotavit Galenus, & Plinius posteritati mandavit: quid ergo interest alibi quærere, quod domi invenitur? nonne per septem, & novem partus contingunt, mutationes non solum insignes, sed periculo plenæ? nonne puer septimo mense dentescit, cui accidunt febres, & convulsiones ex hac mutatione? rationabile ergo erit, quod dum universa elementorum concinnitas mutatur in transitu unius temperiei ad alteram, ex hac occasione morbus accidat, idemque ferat periculum, ac cum immoderatæ dominantur passiones, eadem enim noxa utrinque corpori invehitur. Nonne, sola sufficit imaginatio, ut temperamentum evertatur? ut dicat Avicenna p. 4. de anima, text. 4. quia calidum fit ex frigido, & è contrario.

Secunda objectio erat, quod hæc sit mutatio paulatina, ac ideo tuta: solas enim repentinas mutationes non tolerat natura. Imo (respondeo) & aliquando ægrius paulatinas, dicathectica febris, & senectutis hectica, melancholica cogitatio disponit ad maniam. Erit hoc satis? nolumus hoc uti privilegio; nam ætatis mutatio instantanea est; dispositiones autem paulatinæ: nova enim temperies subito introducitur, ut forma novi temperamenti ab eodem agente, à quo ultima dispositio.

Tertia: hoc est intra limites sanitatis, ergo absque periculo. Non valet consequentia, quoniam intra limites sanitatis homo nascitur, & gaudium fit intra limites sanitatis, ac sanus mœrorem patitur. Intra limites sanitatis generatur venenum, & tamen morimur intra hos limites; non quod aliquis moriatur sanus, sed intra limites sanitatis mors disponitur; est ne satis hoc? nolumus quod sit naturalis hæc ætatis mutatio, saltem non est ætati antecedenti; nam generatio unius est corruptio alterius, & nulla corruptio potest esse naturalis, licet posset sensum latere; nam sanitas, quæ in præexistenti commensuratione talis erat, in subsequenti definit esse talis, respectu antecedentis, licet talis postea fiat subsequenti; omnino enim inducitur ametria, saltem in transitu.

Quarta objectio: ad periculum non sat est qualitatum mutatio, ut in hoc casu. Respondeo: falsum videtur suppositum, nam sola caloris flamma vivificum nectar depascitur, & sola frigiditas extinguit; attamen hic utrumque mutatur, & qualitatum, & substantiæ temperies; & si hoc sufficit, non deerit periculum: quoniam calidus, & humidus, cum vertitur ad siccum, non sola mutatur qualitas, sed substantia. Sit nobis exemplum caro pueri, viri, & senis, illa fluida, & tenera; dura, & compacta ista: hic albus, & lenis; hirsutus, & durus ille.

Dices ultimo; Juvenis, & puer sanguineus, aut melancholicus, bene potest in eadem temperie permanere tota vita, licet mutet ætatem. Placet hoc? adhuc in hoc casu ipsum temperamentum habet latitudinem, & gradus alterationis, & mutationis; sed dico esse impossibile suppositum; nam prima ætas tali temperie est disposita, ut possint adolescere pueri, & ad hoc humiditas fuit omnino necessaria ad finem usque adolescentiæ, quam sequitur juventus; cui cum non sit necessarium adolescere, cessat humiditas, & necessario acrior redditur calor, hac ipsa temperatus. Unde symmetria illa temperamenti humidi à prædominio necessario deperditur, ut siccior introducatur, & sic in aliis ætatibus; & si contingat, quod puer tota vita appareat melancholicus, hoc non erit à generali temperie, sed particulari alicujus membri, sicut observamus in pueris, qui sapiunt præcocius, quod ab immatura cerebri siccitate consequuntur: & sic idem de aliis membris præcipuis venit intelligendum.

CAPUT XI.

Uberior doctrinæ traditæ confirmatio; atque numerorum energiæ, si præcise spectentur, refractio.

Figamus anchoras, ne forte periclitemur in portu; nam fraudulenta quies major tempestas est: hoc autem assequemur, si argumentis adductis à contrario satisfaciamus. Pythagoricis magno fuit in pretio, numerorum scientia; sed imparibus mirabilem detulerunt virtutem. Hanc autem necessario debet sortiri impar numerus, prout induit individuationem quantitatis discretæ, aut continuæ, & temporis induit rationem; aut prout finit numeri consonantiam in se ducti, aut harmoniæ rationem sortitur, seu à convenientia rerum; quibus copulantur tales numeri, aut tandem ab occulta, seu inexplicabili qualitate; non à virtute numerica, cum merum accidens

dens nihil possit operari, ut Aristoteles contra Pythagoricos disseruit; quem legere sat erit, si non velimus doctissimum Martinum Delrio refellentem videre illa omnia, quæ antea refellerunt, Hieronymus, Origenes, Tertullianus, & Cyprianus. Quare caute legenda consulit, quæ Petrus Gregorius, Fabius Paulinus, ex Platonis sententia speciose magis, quam vere congerunt; ut Catholicæ Theologiæ parum consentanea; utpote qui musicis numeris magicam vim inesse voluerunt.

12 Methaphysica ult.

Prout temporis rationem numerus induit, à Galeno, & Celso refellitur: *In his*, inquit, *antiquos tunc celebres Pythagorici numeri fefellerunt, cum medicus non dies, sed accessiones debeat numerare.* Prout terminat consonantiam numeri in se ducti, idem sortitur ultimus, ac primus, sed primus est merum accidens, ergo & ultimus. Si autem consideretur, ut musicam terminat consonantiam, suavem inde pariens harmoniam. Hæc est suavis concinnitas ex debita vocum modulatione resultans: tunc vero non movet per numeros, sed per voces, quæ naturali quadam sympathia movent phantasiam, ac ista cæteras consocias invitat, ac inde quandam agitationem in humoribus parit ministerio potentiarum: quapropter afficitur substantia, & sic mores componit, passiones demulcet, morbos curat, ac somni modulamine animum suaviter disponit, ita ut persæpe rapiat in extasin.

3 de Diebus decretor. 8. lib. 3. cap. 4.

Quippe ut Phicino Marsilio placuit, *Concentus per aëream substantiam in motu positam movet corpus, per purificatum aërem concitat spiritum aëreum, animi, corporisque nodum; per affectum afficit sensum simul, & animum; per significationem agit in mentem, denique per ipsum subtilis aëris motum penetrat vehementer, per contemperationem lambit suaviter, per conformem qualitatem mirabili quadam voluptate perfundit, per naturam tam spiritalem, quam materialem totum simul rapit, & sibi vendicat hominem.* Musica enim consonantia, ex gravibus, & acutis vocibus est talis contemperatio, ut una quædam forma fiat ex pluribus, quæ ultra vocalem virtutem, consequatur etiam aliam cælesti similem. Et hæc est causa, quare Democritus, Theophrastus, & Pythagoras, Empedocles, & Plato, judicent certis concentibus morbos quosdam, tam corporis, quam animi, mirabiliter curari.

In Comm. ad Thym. Platonis.

Et hinc fortasse ortum est, veteres aliquos sapientes in eundem numerum Apollineum, tam medicinæ, quam musicæ originem retulisse: utraque enim medicina est, sed altera quidem ex corpore animum; altera vero ex animo curat corpus. Celebre est illud Jamblichi; *Itaq; quod musica efficiat aliquid motivum, & passivum ex tibiis, aut medeatur perversis affectibus, & transformet corporis temperaturas, dispositiones, ut, quod etiam alios carminibus faciat debacchari, alios vero sistat debacchantes; omnia hæc non pertinent ad afflationem; nam hæc omnia naturalia sunt, & humana, & nostræ naturæ opera consequuntur, nec in his quidquam divinitatis elucet.* Id quod Delrius supra confirmat.

Segmento, 3 cap. 9.

Huic similis elementorum discors consonantia, qua omnia Empedocles conservari dicebat, ac horum discordia omnia aliquando dissolutum iri, Mercurius Trismegistus in Asclepio prædicabat. *Natura enim*, dicit Seneca, *regnum mutationibus temperat, nubilo serena succedunt, turbantur maria cum quieverunt, flant invicem venti, noctem dies sequitur, pars cœli consurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas constat.* Belle alibi dixit; *Tota hujus mundi concordia ex discordia constat.*

Epist. 105.

7 Natural. quæst. 27.

Serpentes autem incantare, lapides trahere, ac fluminum cursus detinere, hoc omnino judico fabulosum, & apocryphum forte, si non est excellentis ponderationis argumentum. Ingenue tamen fateor, animalia posse aliquantisper inebriari, ac rapi harmoniæ dulcedine, quod Delrius non improbat, & approbat Eusebius de laudibus Constantini; licet supra vires musicæ judicem, quæ Solinus, & Plinius de Arione referunt, fuisse scilicet à Delphine musicæ cantu captum, ad Megarenses usque devectum sola lyræ modulatione. Lapides tamen traxisse Thebadis ædificio, intellige dulcedine conditionis, & suavitate verborum allexisse homines barbaros, & incultos.

de Mirabi. lib. mundi. cap. 7. lib. 9. Nat. hist. 3.

Posse tamen harmoniam quosdam sanare morbos physica ratione colligitur; celebre est illud Mathioli, *à phalangio, aut tharantula morsi, cum tremere incipiunt, musica lyra veluti demulcentur, ac venenum obtunditur; mox enim tripudiare incipiunt demorsi, donec veneni vis dispareat, seu insensibiliter evanescat, exhalatus per sudorem.* Physice autem curat melancholiam, cum animum demulcet, imaginumque inæqualitate dulcorat; atque lætificat; & hilaratus animus calorem dilatat, roborat, ac per membra dispergit; hic adauctus melancholiam tenuat, dissipat, ac resolvit, ac impedit in posterum illius generationem. E contra, in mæstitia, quæ parit contraria, ut testantur Vallesius libro de sacra Philosophia, Petrus Garcia, & Martinus Delrio.

Non solum Musica, corporis & animi affectus, physica ratione, curat; sed à Dæmone etiam vexatos valet levare, ut de Saule legimus; & hoc virtute etiam naturali, quatenus melancholiam dulcificat, & facit per accidens dissipari; qua Dæmon ut instrumento utitur. Si hoc est certum, quod musica valet in homine diversas passiones concitare, ut Philosophus 8. Politicorũ dixit, & Jamblichus in vita Pythagoræ; Dæmonis etiam instrumentum valebit immutare, quod Boëtius, & auctor de ortu scientiarum, non negavit; & hoc fortasse stravit viam Spingerio parte 1. quæst. 6. ut etiam pro Dæmone propulsando remediis utatur naturalibus; nam licet hæc propria virtute eum non expellant; at contrariam Dæmonis, hominis dispositione, valebunt immutare, & cum Dæmonis virtus limitata sit, fortasse ultra hominem non valebit vexare. Corpus enim per harmoniæ suavitatem ad vexationem redditur ineptius; recedebat enim à Saule spiritus malus, dicitur in libro Regum, dum cytharizabat David, ob hoc fortasse. Credibilius tamen est, (quod etiam advertit glossa) hoc propter crucis virtutem accidisse, quæ jam tunc Dæmones effugabat; nam cythara Crucis jam effigiem ostentabat.

Cap. 6. disp. 13. cap. 9. citato loco.

Quod si accidat à virtute rerum, quibus ipsi numeri copulantur, rerum est beneficium, & non numerorum; quod libenter amplectimur; nam vita hominis, ut numeris non subsistit, ita nec sustentatur; subsistit enim in vitali princi-

pio partium solidarum, & in vivifico nectare, cujus perennitas est à corde; substentantur etiam à diæta, & spiritu, & respirationis providentia; ergo est vitæ custos natura, quæ sustentatur, & reficitur spiritu, & diæta; ac ideo vita hominum fato concedit, aut effluxus perennitate cohibita, aut nectaris consumptione; & quia æqualia non suppetunt ad resarcienda, quæ continenter effluunt. Unde semper aliquid deficit, & excrementi crescit; unde morborum proventus & infirmitas, ac ultimo illa accedunt, quæ extrinsecus violenter inferuntur; ergo non numeris conficit vitæ cursum, sicut in numeris fundamentum non habet; nec etiam à numeris semen utriusque parentis in generationem configitur, sed à Deo, ministrante natura. Erit ergo causa interitus, quæ antea fuit ortus, idem scilicet calor, qui nascitur nobiscum, quem Deus posuit in fundamento vitæ.

Restat ultimo, ut hoc fiat à virtute occulta; hæc autem aut erit naturalis potentia, aut magica operatio: prima non potest, quia sequitur substantiam, & non accidens; qualis est numerus, ut sympathiæ, & antipathiæ rerum; magica autem virtus naturalis assequitur effectum per Necromantiam, Pyromantiam, Aëromantiam, Hydromantiam, Geomantiam, & Chiromantiam; ex nulla autem potest consequi intentum; quoniam necromantia est divinatio per mortuorum corpora; per ignem pyromantia; aëromantia per aërem; per aquam hydromantia; & per telluris rimulas geomantia; ac tandem per manuum lineas chiromantia; & nulla per numerorum signa.

Deinde virtus sequitur essentiam rei, à qua dimanat, & diversitas, vel identitas virtutis diversitatem vel identitatem indicat essentialium principiorum; sed hæc virtus occulta non potest à forma numeri provenire, cum illa careat; cum omnis actio à forma, velut à principio proveniat: ergo nec magica virtus. Deinde, numerus secundum sui rationem abstrahit ab omni materia, cum sit quoddam mathematicum, nec activum, nec passivum; ergo, &c.

Quod nec à corporibus cælestibus talem virtutem possint accipere, probo ulterius; quia virtus, quæ sequitur mixtionem corporis naturalis à cœli influxu coagmentatam, sequitur mixti formam, à cœlo, ut causa universali, introductam, ut in magnete: sed artificialia, qualis est numerus, non procedunt, nec fiunt à corpore cælesti, nec ut causa universali, nec particulari, sed ab artificis conceptione, aut deliberatione, ergo à corpore cœlesti nullam virtutem possunt accipere. Si vero supra id, quod naturæ datum est, talis fieret operatio, damnatam redolet magicam, ac implicitum pactum; quod ultimum quidem damnat Ecclesia, & damnarunt etiam Concilia.

Iamblichum audiamus, dicentem: *Magia vanitas est: nam quid veri eluceat apud eos, qui affectibus, & morborum vitiis sunt concitati, & eorum veritas in temere labentibus, & fluctuantibus casu quodam describitur accidere, quocirca hujusmodi verum nihil habet proprium, nihil divinum, nihil melius natura communi; quapropter in eadem incidunt absurda, quicunque quosdam accipiunt apud nos numeros, ut puta in crocodilo* *sexagenarium tanquam soli aptum, & proprium, ajuntque hæc sacrorum efficaciæ causam esse: verumtamen non attingunt scopum, quia ex naturalibus ostendi non potest deorum causa supernaturalis.*

Segmento 3 cap. 27.

Quare & merito, ut refert Dion Cassius, anno ab urbe condita 720 Agrippa cum Ædilis esset, judiciarios Romæ exules fecit, quod postea iteravit Vitellius, ut refert Xiphilinus ex Dione, & multo ante Cornelius Hispalus, in Popilio, & Cajo Ennio Calphurnio Consulibus, publico edicto præstigiatores ejecit, ne mores corrumperentur. Sic attestante Maximo. In hos sic invehitur Isaias; *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum: si prosint tibi; stent, & salutent ter augures cœli, qui contemplantur sydera; ecce facti sunt quasi stipula, & ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ.*

Lib. 42. historiarum.

Lib. de Peregrina religione. cap. 27.

Restat Planetarum influxus, quibus Iamblichus plenissime satisfacit; *An ex Deorum collegio,* inquit, *nonnullos veneficos, malignos alios nominare fas sit? à mathematicis Iudiciariis opinio olim fuit, sortem syderis, quæ de cœlo veniat, augurantibus: sed tota errant via veritatis, longe enim habet & res, & natura rerum; quippe universa divinitas cœlorum, & dii omnes boni cum sint, itidem & bonorum auctores sunt; unde actio illorum constans & permanens est: nec carent culpa itidem, qui cælestibus corporibus malitiam vendicant: siquid igitur obest tabificum, & carens commensuratione, id totum accidit ex perversione receptaculorum variante, & materiali, & patibili.* Hoc etiam usque ad ultima fundamenta debellavit Cardanus, ac subtilissimus Picomirandulanus.

Fateor tamen, quod inter illustriora, ac mirabilia opera, ex quibus natura summa energia perfectionis, ac sapientiæ ostentationem æmulatur, in hoc existit mirabilior, quod in imparibus patrantur opera mirabilia, attamen si ad rationes numerorum attendimus, & rebus incumbimus, auctorem naturam invenimus; unitas enim prope est divina, inquit Plato, quia naturam fovet; dualitas autem infausta, quia naturam dividit; sic perinde est; attamen unitas, & colligantia rerum dat esse, & entitatem numero; & contra ratio separationis.

Sin minus dicant, quæso, quodnam sit prius? res ipsæ an numerus? respondent sine dubio, quod saltem prioritate naturæ res ipsæ anteeunt, cum numerus resultet post rerum entitatem, & existentiam, ut accidens, qui sequitur substantiam, ut nos docuerunt Conimbricenses: ratio autem perfectionis est rerum propria, ac maris, & fœminæ metaphoricam induit similitudinem, & non veram entitatem.

Faciet demum satis Christiana responsio illustrissimi Maximiliani II. Imperatoris Augusti ad gratulationem cujusdam nobilissimi Proceris inter Europæos, cum ei per litteras excellentissimus iste princeps gratularetur, de anno climacterico secundis rebus exacto; hoc ergo tulerit responsum; *Omnes vitæ annos semper sibi fuisse climacos; ac sui conservationem referre ad unicam Dei providentiam, quam celebrare solebat illo solenni dicto,* DOMINUS PROVIDEBIT.

Quam gratum, dicebat Plato, *longum post iter defesso requies,* tam mihi post longas disputationis ambages dulce silentium. Deum ergo obsecro, ut siquid decenter dictum est, fervet; sin autem inde-

Dialogo Atlanticus.

indecens quidquam in superioribus non sponte protulimus, meritas à nobis pœnas exigat. Debita vero ejus, qui per ignorantiam, negligentiamve aberravit, pœna est, ut sciens efficiatur ac diligens.

Epist.111. Venia debetur supplici, si minus attento; quod suo Lucidio dicebat Seneca; *Nimis anxium esse te circa verba, & compositionem esse nolo; habeo majora, quæ cures; quære quid scribas, non quemadmodum; & non ut scribas, sed ut sentias, cujus orationem videris solicitam, & politam, scito animum pusillis esse occupatum; nam magnus securius loquitur ea quæ plus habent fiduciæ, quam curæ; nam oratio vultus animi est.* Utinam cedant omnia in laudem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis; ac Beatissimæ Deiparæ Virginis Mariæ sine peccato originali conceptæ: quæ omnia sub correctione Ecclesiæ, & sapientium virorum prolata volumus.

FINIS.

ANTI-THESEUS EXPUGNATUS.

Sub Auspiciis Mœcenatis Augusti, Excell. D.D. GASPARIS ALPHONSI PEREZ DE GUSMAN EL BUENO: Comitis Nebulensis, Casazæ Marchionis, Metinæ Ducis primogeniti, Oceani maris, ac Bethicæ Provinciæ Præfecti Generalis, ac potentissimi Hispaniarum Regis Cubicularii.

AUCTORE

DOCTORE CASPARE CALDERA DE HEREDIA,

Comitis Nebulensis olim Medico, nunc Carmonensi.

Excellentissimo Mæcenati meo

D.D. GASPARI ALPHONSO PEREZ DE GUSMAN EL BUENO, Comiti Nebulensi, &c.

Olim Deorum delubra, quin & virgo Vestalis protectione crimina superabant, nunc vero nec ipsa Heroum simulacra, nec tutelares Dii. Laurum, quia Apollini sacra, fulmina venerantur, & fugiunt. Non laurus ego, sed nomini Augusto sacer clientulus; ne ergo interdici consecrandam æternitati memoriam patiaris: imo ferrea, & adamantina protectione clientulum defendi jubeas; quæ nec ævi quidem tacite se volventis edaci dente consumatur. Quoniam si virtuti faves, quare etiam & comiti virtutis gloriæ non faveas? ut immortalis gloriæ semper florenti curriculo promovearis, ne Augustum nomen, in vasto fragilitatis nostræ acervo delitescat: ut labores, qui virorum illustrium suffragiis caruerunt; & in hac gloria ad invicem certamus; tuum Augustum nomen, ne ad Vlyssis exclamet tumulum, & humilitas nostra, ne Macedonem Alexandrum desideret.

ANTI-THESEO.

Utinam omnes invidi cunctos universi sapientes agnoscerent, quo sic eorum animæ crudelius torquerentur! Obstrepentibus iterum in arenam descendo, si non opus zelantibus amoris odium, si non fatalis amor; puerum agnovisti, gigantem admiraris, fortasse non sum idem, nam:

Ovid. 2. de Arte amandi.

Quem Taurum metuis, vitulum mulcere solebas:
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, viresque acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.

Quam antiquum est (amicæ Pierides) musitantis undæ murmur stridentibus æmulari: nescio an consonet intentio, aliud enim delectat cum alius offendit. Castalidum chorus olim sub alto Parnasi vertice:

Fons ubi Castalius vitreo torrente superbit.
Vnde novem Dominas sæpe bibisse ferunt.

Ad infractæ cristalli descendentis murmur indicibili concinnebat harmonia, nunc Megæra furiis infrendet, & stridet implacabilis. Idem non tempus, sed eadem natura, quæ temporibus servit; hoc erit necessario, ut tempestas, ferendum.

Sed sicut tumultuose bellum indicere in litterarum campo temerarii, ac improvidi consilii fuisset; sic illatum collectis viribus non propulsare, inertis prorsus animi, ac dejecti, ac si millies deceret, pulverem superbibere; nam qui retro pellitur, non expugnat urbem, ut est in proverbio: licet dicat Hieronymus: *Quod operis contradictio, confirmatio ipsius est.*

Quid dicis, Antithesee, quod Dominum æqualem tam grave quærit opus? exitus acta probat, nec oraculo credas, ut Acrisius; nos enim fortasse bibimus Hippocrenem, & hæc tibi semper navalis erit palæstra, terrestris mihi naumachia. Phaetontis postulatio; in Aman Mardochei cessit laqueus; in Titanas Juppiter montes dejecit: ac Mydæ postulatio illius cecidit in interitum: & fastu propriam opinionem in aliena proditione vendicare, & turpe, & incivile est; nam stultum foret, ut est in proverbio, figulariam in ipso vase discere:

Horat. lib. 3. carm. Ode 20.

Non vides quanto moveas periclo
Pyrre Getulæ catulos leænæ.
Dura post paulo fugies inaudax
Prælia raptor.
Cum per obstantes juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen tibi præda cedat
Major an illi.
Interim dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos
Arbiter pugnæ posuisse nudo,
Sub pede parmam.
Fertur & leni recreare vento,
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis, aut Nyreus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

8 Metamorph.

Scinde quercum Erisithon; nec enim Methra tantas mutabit formas, quin te, ad finem tuis te vesci carnibus compellat: ædepol, nec Ulyssem decepere Sirenæ; & licet Apollinem aliquando haberes ascendentem, vide ne fiat sextilis; quoniam sapiens in sapientem, sicut alba linea, in lapide albo debet esse: *Velut erga honesta indole claros*, dixit Plato; sed æmulatione caligat sensus, potentiis imponit æmulatio, pro veris utitur falso; sunt enim virtutibus vitia confinia: tua sit nobis exemplum, nam eadem actione idem, quod vituperas, extollis; quod deprimis, exaltas, amicus tibi, & contrarius; ut operis magnum tibi debeam, à te enim accepit splendorem; tu illud fecisti celebre; Thesei nomen delere penitus cum affectas; cum Ephesis Erostratum acclamas; ac Theopompi facundiam imitaris. Quoniam si quispiam non adverteret, nec tanti faceret opus, à tua contentione lacessitus, attentior magis tuæ acclamationi, quam operis æstimationi; tecum acclamat æstimabile; nec tecum vituperat authorem: nam tecum habet æstimationem, sed voluntatem non tecum. Nescio, *An tibi malum, alteri bonum contigerit*, ut Dion dixit; vi persuadet exemplum, sed non necessario contingit persuasio; imo prava suspectum reddit authorem, & audientem arbitrum; est velut apes veritas, quæ à veneno mel conficit. Eloquentia opus extollis, authorem acclamas eloquentem, notum, & ignotum confiteris, ac eodem tempore hostis, & amicus; amicus, & hostis eloquens:

Dial. Carmides de temperantia.

Seneca Epist. 120.

Epodon Ode 6.

An si quis atro dente me petiverit,
Inultus, ut flebo puer?

Est æque naturalis hominibus, & brutis tutela; in illam invitus feror: quoniam,

Horat. lib. 1. Epist. 1.

Spectatum satis, & donatum jam rude quæris
Mecænas iterum, antiquo me includere ludo.
Non eadem est ætas, non mens. Vejanius armis
Herculis ad postem, fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Solve senescentem, mature sanus equum, ne
Pellat ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Ob hoc fortasse, me fortunæ arbitrio exponere voluisti, absque tergiversatione expositum considera; si non tuam (ut dici solet) umbram metuis, & si ista, mea esse illa, tibi persuadeant, utraque magna uti prius acclames ingenue, teneris: nam si te aliquis aliter proloquentem audiverit, te flere ad tumulum Novercæ judicabit, si non antea post cœnam, ut puer delicta cognoscis, ut fert parœmia: Vide ne in Hesiodi Poetæ opinionem incurras, qui dicebat: *Simile simili adversum esse, & boni bonis inimicissimi, ut figulum invidere figulo, cantorem quoque cantori, medicum medico. Asserebatque similia inter se, æmulatione, contentione ve abundare.* Contra hanc animi passionem Andromedantem porta.

Apud Platon. Dialog. Lysis.

Solin. c. 45.

Tertium Jovi liberatori tribuamus, dicebant veteres, nec semper convitiis, & maledictis certandum, honestum est, neque tutum; nam qui ea, quæ vult dicit, ea, quæ nolit invitus audit; nos tamen imitabimur Xerxem, qui in legatis interimendis, Lacedæmoniis noluit esse similis, ne quod illis exprobaverat, & ille factitaret: *Omnia enim sapientem prius, quam arma, decet experiri*, dixit Terentius; & senis exemplo docet fabula: nec quisquam tuto despicitur; quoniam nec altivolans Aquila formicas despicit, nec avium regina

gina à vilissimo scarabæo suos tuta fovet pullos: A & justitia, quæ naufragio Hectoris scutum pravo armorum judicio male dato, ad Ajacis sepulchrum per medium fluctuantis procellæ compulit pervenire; hæc injustas calumnias superavit: chrysolampum enim virtus imitatur, qui noctu igneis fulgore lucet, aurum claret ubique; *& magnus vir; si cadit, magnus jacet; & si contemnitur, etiam sacrarum ruina calcantur, quibus ante agrata extitit adoratio*; nec Ajacem domat ferrum, ut fert proverbium.

Solin. c. 42. Senec. de Consolat. ad Martiam.

Medicinæ avarissimus eruditionis zoilus Deum B artium liberalium illiberalem notas, ac si hæc omnia pro arbitrio elargiri non queat; non enim singulis omnia, sed omnibus singula, summa, & ineffabili providentia ad libitum dispensat, ut feliciter hoc emblemate adnotavit antiquitas, ex antiquissimo Aristia. Erant olim Athenis, inquit, viri duo insignes, uterque notus, dives alter, sed pauper ingenio; pauperrimus secundus, sed scientia dives; quod cum passim in rerum serie contemplarentur, nec perinde causam; hanc Athenienses sciscitantes, adierunt Delphos, & per Pytonissam Oraculi mentem assequuti. Hæc binas laminas ejusdem formæ, operis, & sculpturæ ad sapientes detulit, sed non ejusdem materiæ; erat enim altera auri, & ligni altera; ac primam diviti dedit, & pauperi secundam, & utrique exaratæ erant istæ literæ, S. T. L. I. A. ac utriusque fine monticulus, ubi erat insculptum, *Divina providentia*. Qui cum mentem oraculi tenere non valerent, multis adhuc consultis in universa Græcia, sapientissimum adiere Solo- D nem, cujus fama universum impleverat, qui divitis emblema sic aperuit, S. *Sufficit*, T. *tibi*, L. *lamina*, I. *ista*, A. *aurea*. *Dives, sufficit tibi lamina ista aurea*. Pauperis autem S. *substantia*, T. *tua*, L. *lumen*, I. *intellectus*, A. *Anima: pauper substantia tua lumen intellectus animæ*: Ac tandem addit in fine: hæc est divina providentia, ut non singulis omnia; sed omnibus singula tribuantur; ad libitum sapienter dispensantis, & non recipientis avari. Post confecta stipendia donandus rude, post emeritam, communi plausu, missionem, meus vexillaris Theseus, ad signa iterum, & aquilas E cogitur, quippe,

Vt refert Homer. lib. Rerum memorabil. 70 Interpretum.

> *Vnus (& hoc ipsum est injuria magna,) perennem*
> *Candoris titulum non sinit esse mei.*

Ovid. in Ibim.

Qui non vi, non ferro, sed infido ancipitis verbi gladio adortus, suppositititii nominis, & ementiti parentis, Theseum meum ausus est fugillare, eo dumtaxat argumento ductus, quod aërem, non certum feriret scopum, nec sponte, nec invitus, arbitrii fortunæ tractus in pulverem descendo, ac quincuplici antithesi adversus totidem ipsius apologias expugno; nam pro fama non aliter, F quam pro aris, & focis, dimicandum puto.

Antithesis prima in apologiam de pleuritide.

Lædit injustus, elicit fructum Justitia; ab ipsa enim injustitia sæpius coronam comparavit: rodentem pampinos hircum increpat vitis; & ille finem non facit, quantum potest, inquit, noceto mihi, quoniam ego vini tantum tulero, quantum te mactato, ad libandum diis satisfuerit.

§. I. Serrantis quæ causa pulsus.

Nec ratio, nec urbanitas ferent, viros doctissimos à te injuste carpi aliena sententia, quam à communi magistro sapientissimo Doctore Sorea accepisti Salmanticæ, & ille à Ferlivio. Quibus non solum, sed Galeno etiam est antithesis, in causa serrantis pulsus, hæc est tua sententia, ut talis abusus urgentia fiat, vitali facultate oppressa, impedita, & irritata, quo inæqualiter in uno occursu, diversas arteriæ partes movet. Accedamus ad tribunal Medicæ veritatis. Hoc in primis Galeno glisscit, & optimæ rationi refragatur, nam lib. de pulsibus ad tyrones sic alloquitur; *Inflammatio pulsum habet veluti serrantem, ut alia pars attolli, alia non videatur. Cum illa scilicet videatur durior, siquidem partes nervosiores duriores edunt pulsus, magisque serrantes, & minores.* Si C vero arterias prehendat inflammatio, in nervosve illidat, illarum pulsus parem siccitati inæqualitatem consequentur, quia partes sicciores motui magis obsistunt, ac pro tali arteriæ illisu sola siccitas sit sufficiens. Haud longe ab hac sententia, Galenus serrantem pulsum pro pleura inflammata signum constituit, ac pulsus pleuriticorum ideo in crebritate, & celeritate dixit excedere; ac se ipsum postea interpretatur. Scita est illa sententia: *Omni parti, quæ inflammata sit*, inquit, *hæc necessario duo accidunt, calor immodicus, & tensio. Ille pulsum alterabit dilucide, & illa durior reddetur pulsus, ac in nervosis magis; recte igitur, quos ex inflammatione febris corripuit, pulsum habet durum, & ob intemperiem arteriarum inæqualem, in uno occursu, quasi ambo conjuncta sint, existat illa pulsus species, quæ veluti serrat tactum.* Ac ubique constans hanc suam semper novit sententiam, & adhuc cum simplicis inflammationis describit pulsum, ut celebri illa Commodi Imperatoris adnotavit historia: qua in re potius Galeni judicio standum reor, diligentissimi scrutatoris, quam alio, quicunque sit; is enim, nec tantæ auctoritatis, nec tam acris fuerit judicii.

Super Avicenna, fin. 2. 1. doct. 3. Summa 1. cap. 6.

Cap. 11.

2 de Crisib. 10.

4 de Causa pul. 7. & 8.

de Constit. artis 15.

de Praeog. ad Postum. 12.

Auctoritatem etiam illustrat ratio, usus necessitas (ex supposito) facultatem ad sui attemperationem excitabit, pro usus indigentia, obedientia instrumenti, & facultatis robore; si tamen facultas nequit ad libitum huic necessitati servire, vel ipsius defectui, vel obstanti impedimento obediet: detur quod sit gravate debilis, si est æqualis oppressio; aut debilis inæqualis, si inæqualiter opprimitur; hoc ultimo facultas inæqualiter arteriam movebit, oppressa, & irritata, & in uno occursu diversas arteriæ partes feriet: detur etiam ad actus usus, nihilominus non feriet serrantis modo; nam ictus qualitas respondet ferientis naturæ, & hæc gravitans causa, & illa erit etiam, quod inæqualiter moveatur arteria, nec tamen erit causa serrantis vibrationis, nam gravans pondus, ex ratione talis, nec tensionem, nec siccitatem inducit, quinimo nec vibrationem ex se; sed pondere obruit, & motus libertatem adimit. Si enim adactus usus, gravis, & irritata facultas essent satis: hæc in principio cujuscumque causionis invenitur, & ille urget magis, nec tamen pulsus observatur serrinus, inæqualitas etiam collectiva, quam Galenus in putridis observat febribus, in diversis pulsationibus observatur;

2 de Causis pul. 1.

ſervatur; aut ex inæquali cordis intemperie, aut debili facultate, aut inſtrumenti duritie, hæc facultas inæqualiter ferit arteriam, nec perinde ſerrat tactum, & uſus pro caloris attemperatione conducit, aut reſtauratione ſpirituum, aut fuliginum expurgatione: hic etiam adeſt durities, ſed non illa, quæ ſufficit ad talem pulſum; quare nec ad actus uſus, nec irritata facultas, adhuc cum duritie ſerrantis erit cauſa pulſus.

Hoc etiam vel inde conſtat, quod pleuritidi, in principio, & fine inflammationis, cum cedit inflammatio pulſus, nec ſerrantes, nec duriores fiunt, ut notavit Galenus, quod non ſolum ſuppuratis, & pulmoniacis accidit, ſed quod undoſi, ac molliores, quinimo & dicreti, ſic teſtante Galeno, & hoc ideo, quia inflammationi defecit tenſio, ac calori aduſtio: quinimo, & dixit Valleſius, dicretus eſt etiam pulſus pleuriticorum, non unquam flatuoſum quid habens, & molle. Hinc Galenus phrenitidis pulſus duros, & convulſos pro ſigno conſtituit; dum alibi pulſus molles phrenitidi ineſſe voluerit, partis inflammatæ conditioni reſpiciens, nam in primo membranas, in 2. cerebrum inflammatum judicat, & ſerrinum pleuræ inflammatæ pro ſigno conſtituit: quod etiam adnotavit Saxonia. Si ergo ſola duritiei abſentia facit ſerranti contrarium, durities inæqualis ſerrrantem faciet; nam contrariorum effectus contrarii.

1 de Criſ. 5. 4 de Cauſ. pulſ. 9. & 12. 3 cont. 17. 4 de Cauſ. pul. 14. 4 de Præſ. expul. 8. & 9. 2 de Criſ. 10. 6 de Vſu partium 3. 2 Prog. 38.

A quo autem illi accedat durities inæqualis, Galenus dixit, nempe quod arteriæ omnes in pectore ſitæ de binis tunicis exteriorem accipiant à pleura; cum ergo membranam intendit inflammatio, rationi etiam videbatur arterias diſtentas iri, ac conſequenter durum, & inæqualem pulſum edere; Brabo ſic placuit, hoc etiam inſequuntur graviſſimi hujus ſæculi viri, Mercatus, Mercurialis, Capibaſius, Donatus, Saxonia, Petrus Garcia, &c. hoc tamen differunt, quod Garcia ab inæquali villorum tenſione, Mercurialis, & Saxonia, ratione materiæ inflammantis, partim coctæ, & crudæ partim, ac cæteri ab inæquali pleuræ inflammatæ tenſione.

Quomodo autem in hac æquali duritie, & tenſione ſerrinus reddatur pulſus, nobis aliter videtur Galenum interpretari: nam ob ſolam inæqualem tenſionem non tantum eſt imaginarium, ſed improbabile. Noſter ergo ſenſus in hac re eſt; hoc fieri ab arteria tenſa, ſed taliter diſpoſita cum tenſione, & renitentia, ut cum à facultate impellatur, ſerrantis modo feriat aliqualiter vibrantis. Hoc nihilo melius, quam exemplo monſtrabitur. Quoniam, ut dixit Plato: *Arduum eſt res magnas abſque exemplis ſufficienter oſtendere.* Ponamus lyræ chordam tenſam ex utraque parte, in medio aëris fiat impulſus in illa; non ſolum motus ille quid vibrationis habet in modo feriendi, ubi allidit, ſed poſtea illam conſervat, dum vis impulſus durat, & remittitur, aut intenditur, pro impulſus vehementia, & chordæ tenſione; & ſemper cum illa renitentia à tenſione, qua velut ictu allidit punctum cum aſperitate, & quo magis tenſa redditur, aſpere magis, & punctim ferit, dum ab impellente movetur. Hoc mihi videtur accidere in pleuritide, nam facultas uſu adaucta, arteriam movet tenſam ab inflammatione, veluti chordam, & ſic arteria mota cum digitis allidit, aſpere, & punctim ferit, ut ſerræ dentes æmuletur; ob renitentiam tenſionis, eo modo, quo in lyræ chorda. Et magis in hanc venio ſententiam, quod videam ſerrantem pulſum magis apparere talem, major dum viget inflammatio, quæ magis tendit arteriam, ut aſpere, & punctim magis feriat, & cum minuitur inflammatio, pulſus etiam à ſerrino cedit ad molliorem; quod etiam accidit in principio; & hoc non ſola ratio, ſed ſenſus judicare poteſt, veritatis æmulus. Hoc etiam habet hic modus feriendi, ut quid vibrationis ſecum ducat, quod etiam Galenus in ſerranti poſtulavit.

Dial. civilis vel de regno.

Unde recurrere ad inæqualem villorum tenſionem, hoc nec ſenſus, nec intellectus capit, & cum arteria cum villis ad longum æqualiter tendatur, ab inflammatione, cum ab ipſa æqualis fiat tractus. Quod lyræ chordæ exemplo, facile quis experitur, quæ villos etiam habet, ad hoc etiam facultas non conducit quomodolibet diſpoſita, quoniam adhuc libera, ſi arteriam ſic haberet diſpoſitam, illam ſerræ modo ferire faceret: ſed minus quam ſi vehementer impelleret; ut chorda tenſa à quocunque impellente mota: nec quia inflammatio partim cruda, & ſuppurata partim, talem valet edere pulſum: nam parvum arteriæ corpus non poterit recipere talem inæqualitatem, niſi in ſui principio; poſtea vero ab hoc principio tracta æqualiter cedet: præterquam quod ſecundæ qualitates duritiei & mollitiei per alterationem non producuntur extra proprium ſitum à ſe ipſis; non enim durities duritiem producit, ut calorem calor.

§. II. *An deſcendens pleuritis ſit legitima?*

Secundo dicis, *in deſcendenti pleuritide, quæ ſemper ſpuria eſt*, &c. Miror hominem ſtudioſum, & divina afflatum ſapientia, miror Galenum non vidiſſe, nec retorquendis verbis; palam & clariſſime contraria dicentem; hoc nobis, quod Græcis, in hac arena accidit: qui poſtquam Perſarum invadentium equitatum excepere, & exceptum repulere, multo ſunt audaciores effecti, ut abſque numero gentes devaſtarent; celebris extat de hac re in Galeno ſententia; *Verum exquiſita pleuritis*, inquit, *eſt, ubi cingens membrana primario effectu laborat, proinde dolor ad jugulum, vel ad præcordia pervenit*, &c. Hoc idem, vel clarius alibi recitavit ad Præceptoris ſententiam; cum venæ ſectionem anteponit, *ſeu dolor ad Hypochondria pertingat.* Ac in ipſo ſyllogiſtica, & pathognomonica adſunt ſigna; notiſſima eſt illa ab eo recognita ſententia, de dolore punctorio, qui talis, quin membrana patiatur, eſſe nequit; *Et hic etiam ad hypochondria deſcendit.* Hoc libro de conſtitutione artis, longe lateque confirmat. Nec obſtat frigidus humor, nam præterquam ob hoc legitimam produci pleuritidem; non dubitat Jacotius, ex Præceptoris, & Galeni ſententia: hæc ſi intra pectoris regionem ſuſcitetur; vera erit pleuritis, ſub œdematoſo eriſypelate, vel ſpurio phlegmone; ſi prius advertamus, quod duram, & compactam membranam, frigidiores, & craſſiores penetrant humores; bene tamen poteſt eſſe ſpuria inflammatio, & pleuritis legitima, ſi pleuram apprehendit: ſed in deſcendenti, à calidiſſimis humoribus fieri quid vetat? tantum abeſt à Salii

2 Acut. 11. — Herodotus lib. 8. Vraniæ. — 5 de Loc. 3. 2 Acut. 11. — 6 Aph. 5. — Cap. 15. — Lib. 5 Coac. Sect. 2. 1. 22.

Lib. 1. de Morb. text. 126. & 3 de Morb. 49.

à Salii sententia, quinimo dicat, quod ideo repit infra septum, quod tenuior, & calidior pleuræ occupat, turgentis more; aut ob magnitudinem passionis, aut succi peccantis motum; fremant licet alii, nam super veritatem antiquæ lites, quibus nec finem posuit veritatis splendor; nec ille academicus Carneades, Philosophicæ pacis insequutor, licet frustra, quod ideo fere contingit, dixit Tullius: *Quia à multitudine consiliorum obruitur veritas: quare est interdum adhibenda vis veritati, ut eruatur; nam viam ferro aperit, qui per contraria transit*: dixit Baldus: & veritas agitata magis splendescit in lucem. Bene etiam memini, quod aliquando diceres: *Febris vehementissima pleuritidem comitatur, etiamsi dolor ad inferiora finiatur*; & in superioribus: *Dolor descendens semper est à causa frigida*; & semper excludit omnia, licet raro contingentia.

Codice de impuberum, & aliis subst.

§. III. *An descendenti purgandum in p.*

Non bene ab hoc libri 3. allidimus scopulum: *Quare statim, dicis, in pleuritide descendenti, inter initia, ante quam crudi humores firmentur, cum moderata febre purgare oportet ad imitationem naturæ*, &c. *Quo natura vergit, dixit Præceptor*. Est enim triplex inclinatio, unde purgandi via tam jussa, quam injussa initur: una quidem naturæ, altera humoris, tertia partis obsessæ; nam juvenes hæmorrhagia, senes dysenteria morbo defunguntur; bilis sursum, pituita deorsum educitur; supra diaphragma vomitur, aut screatu, infra secessu vacuatur: nec perinde semper debet imitari natura; multoties enim illa coacta operatur, non imitanda, sed obsistenda; ut cum per oculos vacuat: & adhuc per loca communia, nec semper petit imitari, semper sinere; cum scilicet ante tempus vacuat, ut Mercurialis adnotavit: *Cogitent medici*, dicit Valesius, *quo versus impetum ceperint succi; deinde cogitent, an in convenientem regionem: atque ubi id agnoverint, eo ducere. Si vero secus inclinet, non oportet adjuvare.* Quod etiam Præceptor adnotavit. Regio conveniens potest esse simpliciter, vel ad morbum, sicut intestina, ut ventriculus simpliciter. Talis est morbo propria, quæ valet utiliter illos judicare morbos, & commoditas aut nascitur ex viæ vicinia, aut partis rectitudine, aut succi condicione; & bene potest regio esse commoda simpliciter, sed non huic morbo. Hoc scimus ex Galeno: *Quod sicut cava jecoris per intestina expurgatur: ita pectus per asperam arteriam, qua pulmo.* Scite fecit Galenus, cum perirream in asthmate prohibuit: & si in pulmonia fluxus alvi biliosus cauponem liberavit, Hermoptolemum æterno consecravit orco, in eadem: in primo triumphante natura, ut adnotavit Salius, à morbo triumphata in secundo, nam cruda cedunt improspere.

1 Aph. 21.

Aph. citato. 6 Epid.

13 Meth. 18. 3 Simpl. 15.

Non ergo intestina, sed trachiarteria morbis pectoris est regio conveniens, conferensve; quare non bene ducitur consequentia, quo natura vergit in morbis pectoris ad intestina: frigidi etiam pectoris, morbi sputo expurgantur, ut asthma, & catharrus; nec tantum valet sola regionis commoditas, quin illam pleraque non vincant; instantibus, & fluentibus mensibus, si gutturis, aut pulmonis infestet inflammacio, huic prius succurrendum dixit Salius; nam plus valet, prosequitur Vallesius, urgentia, ad indicandum, quam postulet se servari regionis commoditas, & humoris motus.

Detur, quod hic descendens dolor sit ab omni inflammatione alienus, sed hunc pariat frigidus, crassus, aut melancholicus humor, à toto, aut capite delapsus; aut in cavitate intra membranas, & tunicas inclusus. Nonne obstabit humorum cruditas, crassities, & lentor, viarum occlusio, naturæ reluctatio, humorum permixtio, inculcata putredo, febris soboles, aut aliqua inflammationis suspicio; humor viæ, & medicamentum in infælicem purgationem debent conspirare, hic paratus patentes ille, efficax medicamentum; corpora reddi fluida, non tantum ad humores, sed ad vias Galenus extendit: ubi non est urgentia; nonne obstabit febris? Dum ad te ipsum argumentum, cum in illa in principio purgari reclamasti; & elige utrum sit falsum? & licet adsint fluentes, febris firmatos indicat; & hos non oportet medicari, dixit Præceptor; intuere Andreæ historiam, infelicis purgationis exemplum.

1 Aph. 22. 4 Acut. 22. 1 Aph. 10. 2 Aph. 24. 11 Meth. 10. 8 Meth. 4. 7 Epid. 58. 4 Acut. 72.

Dices, quod Præceptor in dolore descendente fluentes purgare jussit; vide ne dum fluentem purgas, impactum deteriorem reddas; ad hoc, putrida febris, urget ne dolor magis, an illa? fateor, quod si est symptomatica, à fluxione, & dolore fovetur; & iis ablatis, auferetur. Si tamen infelici fortuna essentialis fuerit à morboso corporis apparatu. Hæc plus cæteris solicitum Galenum tulit; & cæteris paribus urgentia ex parte putridæ febris erit, & casus adhuc prudentiorem reddet in ancipiti, 3 lib. de Morbis. Præceptor revulsoriam purgationem commendat, in hoc casu: sed reor, quod sine febri, si prima, aut secunda ab invasione die, qua excrementa bilem non ostentant, clysterem exhibe; & si miscean-tur, iterum; si vero salivam expuat biliosam, bilem purgato; ante quam febris invadat, si non sat sunt clysteres; icor enim cum exudat, quo fucatur sputum, fuligines tunc expirant, quibus citatur febris. Est enim tunc inflammationis suspicio; ante quam ergo invadat, bilem purgato, &c. Nam absque febre serosis, & turgentibus; absque præparatione purgatio, omnibus placuit cum Mercuriali convenire; at in proposito casu, crassi & frigidi humores supponuntur, qui pondere deorsum repant; nec perinde valet lubrica illa evasio; quod in intestinis sunt tales humores; hoc enim est falsissimum, & contra Galeni mentem; hoc enim figmentum, eo tantum dirigitur, ut purgationis difficultatem superent; quod mihi est potissimum argumentum; ergo si esset intra pectoris regionem, nullo modo conveniret.

8 Meth. 9. 7 Meth. 12. 48.

2 Aph. 9.

In hoc omnes convenimus, quod hic descendens dolor, & cum, & sine sistrophica inflammatione producatur; sed quod intra pectoris capacitatem hoc ex antecedentibus, vel necessarió ductum supponimus; hoc etiam in Galeni doctrina antithesim non patitur, quod, quæ in hac regione continentur, tutius per anacatharsim expurgantur; at si hæc non sufficerent, & febris comitatur, non nisi post coctionem expurgandum remur: nam ubi similes præabundant succi in venis, superest cacochymia, quæ febrim foveat putridam. Et licet hisce morbis Galenus parum fidat,

Conclusio 4 Acut. 77. 3 Coacar. Sect. 3. 1 Prorit. Sect. 128.

dat urinæ, multum fidit Hippocrates, ut advertit Jacotius: nullum enim est morbi genus in superioribus, de quo non aliqua significatio, atque prætensio comparetur per ipsam urinam, saltem ex eventu; sic lethargicorum periculo multum adjicitur, si urinæ reddantur clam, ut jumentorum, & tales dolorem capitis indicant, fortasse ex ebullitione succorum comparatum; sic alvum liberatam vitio cruditatis, urina ostendit cocta; in tuto sunt pleuritici; libera anacatharsi, si accedat bella urinæ coloratio; & aliter accideret, si esset multa bile saturata parotides, parum prodest in empyema verti, ac fistulari; si urinæ reddantur pepasmo expertes, ut ancillæ fulonis. Unus Galeni locus catholicum erit theorema omnium, quæ dicta sunt de urinis: semper illud meminisse lubet. Inspiciendas esse in omnibus; etiam ventris, thoracis, pulmonis, nervorumque morbis; nam quibus laudabiles videbuntur, propensionem afferunt in salutem: at quibus male valeant, in pernitiem. De nervorum morbis solemne illud Hippocratis: *Convulsionem sanat exorta febris, quin etiam prodest urina fluere albuminiam.* De pectoris autem affectu, nec minus notum à Galeno proponitur; *Nos vero*, inquit, *pulmonis vomicam per urinam vidimus expurgari*; Et talis ac tanta est urinarum vis in acutis morbis, ut illæ soli magis credendum putet; & pleuritidi non est interdum tam certa levatio ex anacatharsi, quam gravis offensio ex prava urina; utpote ex foco, ex quo perennis anadrome. Celebris extat de hac re sententia apud Præceptorem.

1 Epidem. 3 Epid. Sect. 2. histor. 6.

2 Coac. c. 4. text. 13. 6 de Loc. 4.

4 Coac. c. 2. text. 21. & 22.

Et hoc vel maxime persuadet coctionem esse expectandam, quod dicat Duretus, ideo Hippocratem hæc validissima medicamenta elegisse: *Quia malum dolorificum firmius infixum, & inculcatum est, quod nisi præparatione educetur.* Hoc etiam indicat ratio, & Galenus indicat, in lenta, crassa, & viscida materia; ex qua hos fieri dolores supponis, ac ideo deorsum ferri, quam præparant, quæ abstergunt, tenuant, & incindunt; & hanc fortasse fuisse Galeni mentem, vel suamet præcepta monstrabunt, vel in simili exemplo; antiquissima est illa Præceptoris sententia; *Lateralis dolor, si liquidis, & biliosis profuse alvus feratur, mitescit*: in cujus Commentario Duretus, post signa coctionis, inquit, dominante natura, nam lateris dolor pleuriticus non est, sed materia intra pectus collecta; nam vera inflammatio liberali profluvio non exsolvitur, nec aliqua repletio, quæ malignam possidet cacochymiam; sed laterum dolor, quem humorum inveteratio invexit. Et si dicas, quod Præceptor in hoc dolore, 4. purgare jussit; audi Vallesium in Commentario: cur potius in 4 purgat: *Certe dicit*, inquit, *ut posis tribus primis diebus uti clysteribus, & eadem ratione serapiis; quia fortasse hæc erunt satis, ut corpus expurgetur, posi tque ita pharmacum devitare; sin minus, saltem corpus præparaverint, fecerintque fluidum; ut cita pepasinus consequatur.* Nec 4 obstabit dies; nam quibus 3. apparet coctio 7. solvitur, & paucæ febres 4. die solvuntur, quod etiam Jacotius amplectitur.

2 Coac. c. 15. text. 19.

4 Acut. 41.

Morbis pectoris etiam, qua talibus, nocet alvi fluxus, & liberalem anacatharsim detinendo lethaliter, & vires tantopere necessarias conterendo; utrumque fortasse comprehendit Præceptor; sed ultimum Galenus, pleuriticis, peripneumonicis, &c. Sed tunc maxime timendus est alvi fluxus, dixit Salius, cum à principio usque ad statum adveniat, aut arte concitetur; notissima est illa Præceptoris sententia; *A quinta die humor, si infra secedat, mortem inducit*; At si vel in sine status (commentatur Salius) & post vigorem alvi fluxus adveniat, poterit esse salutaris, ut in caupone, cui alvus 10. moderate fluxit, 14. in totum liberatus est ex pectoris affectu peracta coctione; solemnis est alia Præceptoris sententia: *Quod si ad dolores lateris etiam præcordia doleant, clysterem exhibere oportet, & in potu aristolochiam, hysopum, silsium, oximelli*, &c. En dolores sine pleuritide, nec inflammatione: in his clysteria ideo præcipit Hippocrates, quia purgantia timet, & revellunt securius; & addit postea medicamenta, quæ potius materiam anacatharsi ducant, tenuent, & incindant, præhabita præparatione, quam à principio expurgent: ac ideo dicit Salius: *Succedente ad lateris dolorem præcordiorum dolore ob materiam extra limites egressam, utriusque ratio est habenda, & illius, quæ in thorace residet, & ejus, quæ ad præcordia confluit; illa enim è thorace illiminanda; hæc autem discutienda, & ad executionis vias præparanda, & utraque tenuanda, quod oxymelli his mixto medicamentis acquiritur*; Ac reliquum curationis fomentis humidis, quieti, succo typsanæ, dulci vino Hippocrates committit: quæ omnia potius anacatharsi, quam purgationi conducunt; & adhuc inter illos, qui Præceptori plauserunt, in hac purgatione, ut pelagus difficultatis evaderent, unus Salius, *jure Hippocrates*, inquit, *in hoc casu commendat pharmacum; Quoniam materia tenuis, & calida, quæ petit hypochondria rationem habet turgentis, cum ea vagans, & non firma sit, & ante quam in aliquod principale viscus firmetur, illudque inflammet, purganda sub ratione turgentis materiæ venit*: Et non crassi ponderis, ut plerique voluerunt.

5 Coacar. Sect. 2. text. 24. 7 Aphor. 19. 3 de Morb. 33.

3 de Morb. 49.

In Comm.

2 Conclusio. 2 Coacar. in corolario phlebotom. 13 Meth. 6. 4 Meth. 6. 4 Acut. 76. 14 Meth. 8.

Si autem talis dolor absque febre constiterit, qui pleuritidis nomen non meretur, ut Dureto placuit, aut à fluenti humore oppetitur, aut per congestionem conducitur; fluenti debetur revulsio, quæ à principio potest exerceri, ceu Galeno, & Præceptori placuit, ut celeberrima historia illius, qui linguam tumentem habuit, comprobatur; congesto autem, nec revulsio, nec vacuatio ante coctionem convenit; non revulsio, quia hæc debetur fluenti; non vacuatio, quia humores, qui partem obsederunt, Galenus ante coctionem non purgat; & hoc ad literam amplectitur Jacotius; ad hoc enim multa desiderantur; in humore, & viis, quæ ante coctionem non assequuntur; ac propterea venerabilis antiquitas, summa cavit religione: *Ne quis cita curatione ægrum læderet*: unde medicis Ægyptiorum cautum erat, ne morbis ineuntibus validis uterentur remediis; *quinimo, ne quidquam in ægrotu ante 4. diem innovarent* (ut narrat Aristotel.) *alioquin suo periculo agebant.*

4 Acut. 22. 1 Aph. 22. 4 Acut. 77. 2 Coacar. text. 32. 2 in 1 Epid. 45. & 37.

3 Politic. 3.

Hoc ultimo contra te pugnat in purgatione doloris descendentis, quod in mea opinione solutionem non patitur; ut revulsoria, dicis, debet fieri secundum humoris inclinationem, quo natura vergit; quod, an sit possibile, videant Doctores: rheuma concitatum deorsum vergit, & versus hypochondria: & Galenus ad partes, quæ maxime

13 Meth. 6. 5 Meth. 3. 4 Meth. 6. 13 Meth. 11.

maxime longinquæ sunt, revulsionem consulit faciendam; ergo per vomitum potius hæc esset peragenda; nam ideo, cum è naribus sanguis erumpit, id retinent maximæ in præcordiis cucurbitulæ; & si cum fluxio valenter irruit, revellere ad contrariam studebimus; & si ad ventrem humores fluunt; erunt partes superiores contrariæ, & longinquæ, & non venter ipse, imo in colle, vesica, utero, aut pudendo affectus sit, ad partes, quæ maxime longinquæ sunt, revulsionem facies, dicit Galenus; & ideo phlegmonis oculorum purgatione per alium à concitato pneumate prima die sanavit; de hoc mille extant exempla, quæ hanc doctrinam clarissime redarguunt.

Fateor quod in hujus doloris descendentis interpretatione doctissimi viri à Galeno recedunt; sed reor, quod victi casus difficultate; & temeritate purgationis: nam Vallesius, de dolore ventriculi, & intestinorum, Hippocratem intelligit, quem sequitur Petrus Jacobus Steuc. in eadem sententia; Augenius de colico dolore, aut alio consimili flatuoso locum interpretatur; & Salius, quam dixi, tenet sententiam: cæteri fere omnes Galeni interpretationem insequuntur.

2 Acut. 11. 2 Epid. Sect. 4. tom. 2. li. 1 Epist. 1 de Morb. Sect. 3. text. 126.

§. IV. An pleuritis à sanguine ubique levis.

Dial. Eutidemus.

Velut *in labirynthum delapsi, dum prope finem esse sperabamus, retrogradi rursus ad principium reverti cogimur*; ut decantavit Plato 4. dicit: pleuriticus dolor à sanguine potest absque sanguinis missione curari; quia levissimus; humorem etiam ab sputo venaris, sanguineum à sanguine, flavum à bile, à melancholia nigrum; hæc certe est Præceptoris sententia; sed absque limitatione protulisti: vide ne te decipiat sputum sanguinis; quoniam ego tibi pleuritidem monstrabo cum sanguinis sputo omnium læthalissimam, quæ signum ab sputo omnino deludit; en Præceptoris verba: *Est autem & sanguinea pleuritis, in qua subcruenta rejicit; est quidem biliosa mitior, si non ruptiones æger habeat; sin minus, dolorosior quidem est, sed non læthalior; at sanguinea fortis, & dolorosa, & læthalis est.* Hanc sententiam sic commentatur Salius; fit etiam alia pleuritis, inquit, ex adusta bile, & sanguine tenui, quæ in loco inflammato conculcata maleficam acquirunt naturam, & corruptionem profundam, ex qua corrosionem in membrana faciendo, sanguinem faciunt, ut erumpat, ita ut non solum sputum cruentum exeat, sed purus sanguis: quæ ruptio non fit à bile, aut sanguine, nisi acrior, & mordatior extiterit; ut non sit mirum, si hæc pleuritis lethalior, biliosa extiterit fortis, & dolorosa; hoc etiam fortasse vidit Præceptor, quando dixit, cruentum sputum, si à principio apparet, bonum; inferius vero malum, cum tempore facta corrosione ultra 7. ut notat Mercurialis: indicat enim materiam inflammatione inculcatam, malignitatem assequi, & ex hac corrosionem consequi. Hoc etiam adnotavi, quod præcipuam rationem non attulisti, quare sanguis mitti non debeat: hanc attulit Duretus: *Ergo in tali pleuritide, inquit, perse sanabili à phlebotomia periculum est, ob impeditam anacatharsim, quæ libertate spuendi, & liberalitate votis naturæ respondebat; non taceam infirmitatem, quam infert repetita phlebotomia, quamdiu pleuriticus libera fruitur purgatione sputi.*

3 de Morb. 36.

2 Coacar. in appendice, in fol. & c. 26. text. 3.

Et in responsione ad primum argumentum historia Anaxionis; hæc tua sunt: *Nec mirum, legenti apud Galenum, principium pleuritidis perdurare usque ad pauca cocta ægrotans cæperit spuere*: Hæc non dixit Galenus. En Galeni verba citato loco: *Quod si ab eo, quod est nihil spuere, ad spuere verum liquida, & omnino cruda fiet transmutatio, liquet, quod debilis, & obscura est hujusmodi permutatio, & nondum est finitum primum ægritudinis tempus, quod principium diximus nominari; quando igitur cessabit, atque integre ad augmentum morbus convertetur, quando cæperit expuere pauca cocta*, &c. hoc est, principium erit totum illud tempus, quo vel nihil spuitur, vel liquidum omnino, atque crudum, cum vero ab hac cruditate permutatur, ad aliqualem coctionem, mox cum illa incipit augmentum; quod de urinis Galenus dixit in morbis venarum, tunc augmentum incipere, cum aliqua, licet obscura, apparet coctio, cum toto tempore principii cruda perseveret: hoc etiam clarissimis Gal. verbis ferruminatur: *Quod vero Hippocrates vocet principium, inquit, totum illud tempus morbi, in quo omnino crudus est, jam liquet, cum antea dixisset concocta medicari*: subjungit postea; *non cruda, nec in principiis, ac si principium existat, quando crudus, inco ctusque est morbus*; Quod idem sequitur libro de totius morbi temporibus, ac ipsum Avicenna; nulla ergo, nec levissima in principio potest apparere coctio. Præterquam quod, hoc solo signo principium fidelius ab augmento distinguitur.

1 de Crisib.

cap. 9. antecedenti.

cap. 4. Fen. 4. 7. tract. 1. Tom. 1. c. 3.

Pro cujus solutionis intelligentia, libuit adnotare, quod in inflammationibus, à tempore fluxionis desumitur principium, sicut & in catharris materia, dum fluit tenuis, crudaque, ac in ulceribus liquores, dum fluunt multi, atque prætenues; Galenus etiam febrium tempora ex pulsu se agnovisse gloriatur; ex multis aliis hæc ipsa posse agnosci, viri illustres tradidere; notabilis est illa Præceptoris sententia; *Vox blandior, atque mollior ex rauca, oculorum nitor ex caligine, respiratio libera ex frequenti, lingua madida, & subrubra ex hiulca, nigra, sicca, & aspera non secus, ac hypostasis alba, secundum notat judicium*: Non enim minora sunt argumenta, dixit Duretus, futurarum criseon, & morbi temporum in qualitatibus corporum, quam in pepasmo mitificati humoris, aut illius negatione.

9 Meth. 9.

2 Coac. c. 7. text. 2.

ANTI-THESIS II.

In Apologiam de purgandi ratione.

Lente festinat supplicium: haut transit impune malus: sese inopinato profert Nemesis Dea, male actorum, & improbe dictorum vindex.

Continet, & cubitum, duraque frena manu.

Nec dubito, quin Theseus obtineat justitiam, quæ omnes hominum calumnias superavit; nec enim aliena injuste possessa in pace possidentur, quinimo, & ipsa à livoris tyrannide ab ipsa justitia vindicantur. De hoc mirabile, si non magis horrendum, emblema refert Blondus, de Roma triumphante; & in Marci Aurelii vita enarratur.

Cum piratæ quidam navi Palermum appulissent, ut spolia ab inimicis capta, inter se sortirentur, ad maris margines (antiqua hujus civitatis consuetudo,) ac præda divisa, qua unusquisque potiretur, in antiquam Solini aulam se recipiunt; cum,

cum, en, ſubito in omnium conſpectum horribile, & crudele monſtrum ſeſe profert; Arimaſpum quinque cubitorum altitudine, calvo capite, undique evomens flammam, & ignem undique, quale à Virgilio depingitur:

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum:

Quem plauſtro conducebant leones, & hirſuti urſi, quos undique circundant flammæ, & cum lente circuiret civitatis plateas, in admirationem habitantium: en, conſtitit ad aulæ fores, quæ ſpolia male parta abſconderat; & ſubito petit ſaltu leonem, cujus ſcidit auriculam, ac ejus cruore has exaravit literas R. A. S. P. I. P. & protinus ſylvam ſtridenti murmure petit; in civitatibus conſpectum, ubi per triduum flammas, & fulmina iracunde projecit, ac aulam cum omni præda in cinerem convertit: quas literas pithoniſſa Apollinis afflatu ſic aperuit; R. reddite. A. aliena. S. ſi vultis. P. propria. I. in pace. P. poſſidere: *Reddite aliena, ſi vultis propria in pace poſſidere*: nam, *quod vult habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.*

§. I. *Varia refutantur.*

Fol. 6.

Requirit turgentia (dicis) aqueam caliditatem: loquere proprie in ſtadio, ſi in arena luctaris: nam verba modis annectere, modos nervis adſtringere, nervos cantibus animare, opus ſcribentis eſt, neſcio an uſitatius; ſicut Pegaſidum Præcentori, muſicis laureato citharœdo Apollini, ad ſacras Hippocrenes ripas, inflare calamos, pulſare citharam, ferire lyram, novem ſorores in choros partiri, & præſcriptis ad artis peritiam legibus, acutiores ſonos infimis copulare, utroſque mediis lenire, & aliter diſpares voces, pari concentu ad ſuavitatis delitias moderari, nam ut Poeta:

Auſonius apud Pont.

Mentis Apollineæ vis has movet undique muſas.
Et ſtans in medio citharam pulſabat Apollo.

Nam aquea urina, & aqueus humor frigiditatem atteſtantur; & tenues humores, quos comitatur turgentia, de calidioribus eligit, & non de frigidis petit.

§. II. *De cruditate acida, & nidoroſa.*

Fol. 12.

Hæc tua ſunt; *ſicut per oris amaritudinem bilioſa in ventriculo excrementa cognoſcimus, ita per aciditatem melancholia, & per inſipiditatem, & nidoreitatem pituitoſa*, &c. 4 librum de Cauſis ſymptomatum citas. Quod nec Megalis frigidius intellexit; nos enim ſolos 3. novimus; caput primum citaſti; ſed tuæ cum Galeni ſententia eſt antitheſis: præterquam quod confuſio doctrinæ adimit ſplendorem; en Galeni verba: *porro corruptelæ, quæ quidem nidoroſæ ſunt, ex calidioribus, magiſque bilioſis veniunt cibis; acidæ vero ex iis, qui frigidiores natura ſunt, magiſque pituitoſi, ſimiliter etiam, & in excrementis fit, acidas creant, pituitoſas, nidoroſas, quæ calida, & bilioſa*, &c. Duo non vidimus in Galeni verbis, & quod aciditas melancholiam atteſtetur, & nidoroſitas pituitoſa excrementa; imo contraria, calida ſcilicet, & bilioſa. Sed ut veritas pateat: hęc ex profeſſo differentem videamus Galenum: *Corruptionis ciborum generaliſſimas differentias agnovit, 1. à morbis ventriculi, 2. à vitioſis humoribus cumulatis in ipſo, 3. ab alimentorum qualitate inducitur*: Verti cibos ad nidorem, abſque morbo ventriculi, bene poſſunt, ſic dicente Galeno: *Cum cibi ipſi nidoroſi extiterint præparatione, aut natura: ſi vero tales non ſint ab igneo ventriculi calore, à confluente bile, ſi vero aceſcunt, à frigido aceſcunt*, &c. Hoc tamen ſic reor intelligendum; ut utraque corruptio dum fit ab intemperie, quod hæc ſemper à frigore, & ſemper à calore illa producatur; & ſic Galenum intelligo loco citato, & aliis in locis, ſicut & Ariſtotelem; & ſic cum Tralliano ſolvitur antitheſis; nam dicit, quod acida corruptio interdum eſt ſoboles caloris, & nidoroſa frigoris; & vera dicit; hoc tamen contingit, dum ab excrementis, aut ciborum natura, præparatione, aut erroribus accidit; ut ſunt ova, raphani, placentulæ, lacticinia, & fructus fugaces; quod nec etiam Galeno diſplicet, qui valde acidam corruptionem aduſtione fieri plane teſtatur uſtæ bilis exemplo; unde ſi acida corruptio notat melancholiam, aduſtam adnotabit; ſi ab excrementis, bene etiam poteſt, dum ab intemperie alia ſpecies, à frigore produci; flatus etiam à diminuto calore elevantur; nec perinde non ab intenſo: hoc enim in materia tenaci, quam parvus non emollitur, calor experitur; quod hypochondriaci in aduſtis humoribus dant probatum ad ſenſum, in pyloro, in arteriis dorſi, à quibus elevantur vapores flatulenti, & calidi à calida, & à frigida cauſa, ut advertit Jacotius.

1 de Loc. 3. & 4.

8 Meth. 5. 6 Aph. 10. 6 Epid. Sect. 4. 25. 2 de Facult. natur. 6. 4 Metheor. 2 lib. 12. c de Feb. ex cruditate. 3 de Loc. 7. lib. de Atra bile. 3 de Plenitudine 11. Lib. 1. Coac. Com. 1. text. 4. fol. 30. 1 Epid. Sect. 2. 6 Aph. 43. & 48. & 7 Aph. 5.

§. III. *An dyſenteria purgatio; & an critica?*

Hæc etiam tua ſunt; *In dyſenteria nulla convenit purgatio; & Augenium miror, quod criticam finxerit dyſenteriam*, &c. quoad primum inter dyſenterias, quæ ab acri, & mordaci capitis diſtillatione, aut à maligna cacochymia producitur, caſum maxime ponit in ancipiti; ſunt enim complures aliæ, nam ulcerifica, aut fit à liquatio ne peſtilenti, & nomas generet, quod Pręceptor adnotavit in thaſiis; aut eſt critica acutę febris ab excretione morbifici humoris, cujus editur criſis, & ſenibus maxime, ut Bioni apud Silenum; quod etiam accidit lienoſis, & maniacis, aut nudo, aut pravo ulcere, utrumque enim contingit; hæc prava, & illa non mortalis. De hoc extat Hippocratis ſententia, & iſtæ omnes aliorum morborum conſectariæ, aut primo venientis; propria aut accidentia temporis, complexionis, & habitus, inſita, aut per ætates accidunt, pro cauſa ducentes bilem, aut atram, & ſalſam aliquando pituitam; quod variis in locis adnotavit Galenus.

6 Epid. Sect. 5.

Quod aliquibus ſit maxime neceſſaria purgatio in choacis, ſit nobis principium Præceptoris ſententia: *Dyſentericis vomitio bilioſa grave malum.* Duretus in commentario, cum natura morbificis cauſis opprimitur, bilis flavæ meræ, & ſpumantis eſt indicium, ac nuntia pravæ affectionis, quæ intus latet; unde bilioſa vomitio circa initia dyſenteriæ erit amplificatio; ſi tamen alvus libere, & liberaliter flueret, proderit, ſi non, ut ſignum; erit tamen utilis, uti cauſa; hoc à natura factum, quædam monſtrant exempla; *Ab arte vero, Eretholai filius lactis, & ſine purgatione copioſa*; Multa enim præabundans materia, & lente ad inteſtina fluens, non ſolum inſuperabilem indicat multitudinem, ut advertit Valleſius; ſed ulcera continuo illiſu deteriora reddit: ipſum audiamus; appoſite enim ſatis loquitur: *Ellaterium*, inquit, *non ſolum bis, &* ter

4 Aph. 21. & 22. & 3 Aph. 11. 2 Coacar. c. 2. text. 3. 2 Epid. Sect. 3. 27.

ter in dysenteria dari jussit, & illud bis, & ter festinationem continet: quasi diceret, expurga cito, ac, si opus est, repete, nec timeas affectam partem; magis enim præservat expurgatio malignum ulcus, quam in transitu noxæ relinquat periculum; neque tamen hoc curationis genere in omni dysenteria utendum est; temeritatis enim aliquid habet, excrementa omnia eo vocari, quo cum magno hominis malo sponte fluunt, sed tunc solum, cum maligna dysenteria imminet, ut non alia curatio profutura videatur; pari currit periculo maligna capitis distillatio; ut par videatur postulare auxilium: quin imo Hippocrates lentas excretiones consulit promovere, ut necessitati promotione succurrat, vel Methonis exemplo, quod pravos vidimus humores ab orci faucibus liberare. Hoc! exclamat Vallesius. Præceptorem imitatur Ætius, Trallianus, & Galenus; & hoc maxime cum vacuatio temporis non exeuntis ratione est symptomatica; hæc enim imperfecta decet, ut promoveatur; si tamen vires resolvat, carnes colliquet, aut grandi febri æstuet, tunc potius attemperanda, aut sinenda, ut voluit Augenius, & Vallesius, qui alias lac ad purgandum consulit.

2 Meth. ult. serm. 9. c. 15. lib 8. c. 6. & 1 Epid. Sect. 3. 5. 1 Aph. 23. 10 Epist. tom. 1. epist. 3. 1 Coac. 74.

Quod ad secundum, nec mireris Augenium, non enim criticæ dysenteriæ fictio est, nec illius inventum; te potius admiramur, Præceptoris lectione versatum, criticæ dysenteriæ nomen usque adhuc non vidisse; Duretus ad illam sententiam: *Bilis atra febris initio lethalis*; hæc bilis, inquit, feritate indomabili cæteris antecellit, & omnia naturæ præsidia labefactat: è contra, lienosos curat dysenteria, à crassa, & frigida melancholia, hæc maniam curat, critice ducta secessu, translatione, & vacuatione infractorum humorum, & ne quis putaret hanc fuisse absque ulcere, ad aliam transit sententiam in eodem casu: dysenteria illa, inquit, symptoma est rheumatis consistentis, sæpe etiam, & concitati; sed hujus tamen per eam non raro fit crisis: rheumate quidem consistente, exulceratio est intestini, eaque, vel nuda, vel cum putredine; alia ab ulcere excretio critica, & febris acutæ, cujus editur crisis juvenibus, & ephæbis per hæmorrhagiam; senibus per dysenteriam, quod legimus contigisse Bioni seni, apud Silenum, decumbenti; & famulæ cuidam, cui ex mensium suppressione critica dysenteria supervenit, quæ illam perfecte liberavit. Varia exempla Hippocrates proponit variis in locis; nec mirum, cum soli vehementissimi casus optimas soleant crises edere, sine ductu materiæ: *Ut Alcypo, quem acuta febris ab insania prorsus liberavit, quæ etiam paralysi non infrequenter cedit in remedium; lepientem curat febris; quartana sanat epilepsiam: tertiana catharrum; ebrius repente moritur, mutus, nisi febris adveniat; convulsionem sanat febris, si acuta sit, nec prius extiterit; nam impar deteriorem reddit, sicut apoplexiam lenta febris.*

2 Coac. c. 20. text. 2.

4 Epidem. text. 92. 6 Aph. 43. & 48. & 7 Aph. 5. 4 Epidem. text. 132. 1 Coac. 163. 2 Coac. c. 6. text. 8. 2 Prorit. 5. 2 Coac. c. 6. text. 5.

Hoc ultimo confirmat alia Hippocratis sententia notissima: *Dysenteria lienosis, non longa utilis.* Cui Duretus, iis cruenta egestio, non quidem hepatica, sed albina, quam edit exulceratio intestini, nata ex glutinoso, & acri humore, extra fertur per sinuosa intestina, non longa, sed pressa leviter, & fugax à forti contentione naturæ humorem morbificum, jam ceptum metificari confertim, ac celeriter expurgantis per loca lege naturæ commoda: utilis, quia inde certissima est securitas lienosis, per se quidem, quoniam vacuando, redintegrationem effert lienis multum à natura egressi: est alia etiam dysenteria utilis, & critica gibberis, licet longa sit, & minime fugax, quæ quibusdam gibberorum lumborum libertatem attulit, cum sanguis phimatis, seu tuberculi coxam, & lumbos luxans mitificatus, & ad puris formam versus, confluit ad intestina, & à forti contentione naturæ in transitu, abradendo vacuata materia per accidens partes laxatas restituit, & propria ad loca reponit per sympathiam Mesocoli, nervos lumborum, ex quibus constat in crebra egerendi contentione attrahentis; cujus etiam fecit mentionem Præceptor in loco Coacarum citato; quod Momus ne quidem carpet.

ANTI-THESIS III.

In Apologiam de variolis, & morbillis.

Profundum certe pelagus evasisti, dicet aliquis; haud magnum certe dices, cum deinceps, quod sequitur videris: *Quæ non posuisti, ne tollas*, dixit Solon: sed est quædam nativa æmulatio, quæ homines reddit antipodes, de quibus dixit Cato: *Qui nec orientem, nec occidentem unquam viderunt solem*: hæc tamen honorem auget, nec ab illa majus potuit accipi beneficium, nam miles bellum optat in gloriam. Ne cœcutias ad lumen: *Nam qui se ipsum magis quam veritatem honorandum putat, quod justum, bonum, pulchrumque sit, male judicat; decet tamen eum, qui magnus vir futurus est, neque se ipsum, neque sua diligere, sed justa semper, seu à se ipso, seu ab alio quovis gerantur*; ut Platoni placuit. Nam,

Dial. 5. de legibus.

> *Si quemquam ad magnos sapientia vexit honores,*
> *Hunc citra invidiam vexit & ipsa virum.*

Plato Epist. 2.

An ex hoc ipso delicto accidit omnibus, ut ignorantiam suam esse sapientiam opinentur, aliorum labores ignorantiam, ac se omnia scire arbitrentur; & ideo: *Si nostra tibi placent, honorare nos quoque maxime debes; honoratus enim à te, te honorabo; non honoratus autem, conquiescam. Præterea si tu honorare me prius ceperis, philosophiam videberis honorare; idque tibi gloriam pariet, tanquam sapientiæ authori.* Memento igitur necessariam esse ad res gerendas hominum benevolentiam, nam austeritas amicorum solitudinem parit.

Epistola 4.

§. I. Morbillorum expulsio, an ut plurimum critica?

Expulsio morbillorum (dicis) *in pueris, est critica, & in illa nullo modo est sanguis mittendus*, &c. Hæc conclusio nec semper, nec ut plurimum est vera, nisi habita distinctione, & epicheia: fateor, quod morbillorum causa est sanguis biliosus, bilis, aut icor illorum; sed quo stimulo crisis concitetur, & quibus conditionibus oportet, videamus; an, ut jacet, sit vera conclusio: hic adest febris, & humoris excretio; illam sinochon dixit Avicenna, secundum semitam putredinis; ubi Mercatus legit febrem ex peculiari conditione, Fracastorius ebullientem contagiosam, secundum putredinem aptam sanguinem purificare, Mercurialis conclusam ab Icoribus, Fernelius pestilentem, Avicennæ

cennæ Commentator, à ſola ſanguinis ebullitione ſine putredine, &c.

In hoc omnes conveniunt, quod per ebullitionem ſanguis purificatur ab excrementitio, & infecto ſanguine; eſt ergo ebullitio, concutio partium aquoſarum, & terreſtrium mediis vaporibus, qui permeant univerſam ſubſtantiam, ab intenſiore calore facta, ad ſucci depurationem; per hanc liquantur ſucci, non ſolum à calore adaucto, ſed motu, & agitatione, quod lactis exemplo, Avenzoar explicuit, quod æque in variolis, ac morbillis contingit; à calore hanc fieri Galenus dixit; & per liquationem etiam partes adinvicem ſeparari alibi, & humoris expulſionem propriam inſequi conditionem, & naturæ delectum, quod exemplis monſtravit: eſt etiam duplex ebullitio, alia perfectiva, & alia corruptiva; quam per liquationem fieri Galenus dixit: *Illa enim humores facit tenuari, ac fundi ab intenſo calore, & ſæpe naturali, qui facit partes ad invicem abſcedere ebullitione perfectiva, ut contingit in muſto*: à quo partes ad invicem ebullitione ſeparantur, ad vini perfectionem, quod aliis etiam liquoribus experimur: quod in morbillis an fiat, expreſſe docuit Avicenna, & ejus Commentator Gentilis; & poſſe etiam ſine febre contingere, non obſcure Præceptor in ſecunda tempeſtate in thaſo, quod etiam amplectitur Valleſius; hæc ſeparatio abſque ullo putredinis veſtigio conſequitur, cum maxime videamus variolas, & morbillos interdum abſque ulla febre germinare, vel ſaltem diaria; notiſſima eſt illa Avicennæ ſententia, & *de hoc eſt, cujus cauſa eſt res quaſi naturalis*: hoc eſt, calor parum naturali adauctus, ut interpretatur Gentilis. Quod an poſſit intra limites ſanitatis evenire, aliquis dubitabit, & merito; cum actio perfectiva non poſſit à morbo provenire; ita ſane eſt per ſe, per accidens autem bene poteſt; cum hoc tamen poſſe hanc ebullitionem intra limites ſanitatis accidere, aut ſaltem neutri à ſimili, monſtrant pleraque; nam intra limites ſanitatis fervet bilis, & ſanguis in ira; hæc enim, ut placet Ariſtoteli, *eſt fervor ſanguinis circa cor*: quem poſtea ſequutus Galenus: *Fervorem caloris*, dixit, *circa cor*, & alibi; *iram eſſe quaſi ebullientem, & vehementem motum facultatis iraſcibilis, quæ ſanguinem, & ſpiritum, ut inſtrumenta movet, quæ reſident in corde*, ut de aliis dixerat, præ æſtus etiam effervеſcentia mille efflorеſcentiæ in cute germinant, & parvi tumores, quas vulgo vocamus *ronchas*, & *ſarpullido*: & puncticulas abſque febre obſervat Luſitanus, cum ſanguinis ebullientis excrementum cuti naturali pellit, & faciem, & oculos irati in ira ſolent præoccupari, quod ad literam amplectitur Gentilis, & Raſis, qui variolas, & morbillos benigniores ad cutim germinare, ſine aliqua febre tradiderunt: quos ſequitur Schenchius, hoc idem in filio ſuo obſervando; & Foreſtus narrat accidiſſe, in quadam ſui temporis conſtitutione.

8 Meth. 6. 3 de Loc. 7. 3 Epid. Sect. 3. 57. 3 de Sympt. cauſ. 2. adf. 1 Epid. Sect. 2. fol. 13. 1 de Hiſt. Animal. 16. lib. de Cauſ. Morb. 2. 1 de Diff. feb. 3. 2 de Sanit. tuend. 9. Fen. 1. 4. Tract. 4. c. 6. 8 Contin. lib. 6. obſervat. 49. Anno 1563.

In hac ergo ebullitione perfectiva, quod ut plurimum, & ſemper critica ſit excretio, non dubito, quinimo, nec in alia, quæ diariæ febris comes eſt, licet ex ferventi ſanguine, hæc enim licet ſit natura putrida, eſt tamen conſtitutione diaria, ut voluit Galenus, licet illam nulla comitetur putredo, quod humoralis ſit, ad differentiam hecticæ, & diariæ, ut Apollinis cultores tradidere; in hac enim, natura facile ſeparat infectum ſanguinem; nam ut plurimum incipit à materia cocta, ſaltem non putrida, & laudabili, viis non occluſis, & robore virtutis; non enim patitur à morbo magno, nec alio gravi accidente premitur; & hoc licet primo, 2 aut 3 die accidat, accidit in ſtatu, ſeu diariæ febris, ſeu ebullitionis: quoniam in his, & benignioribus morbis, qui incipiunt à materia cocta, bene poſſunt prima die ſtatum obtinere, quod belle Galenus dixit, cum *breviſſime, & inſenſibiliter tranſit principium, & augmentum*; *nec enim fieri poteſt*, inquit, *ut morbus proprium ſtatum recipiat, non præcedente principio, & aſcenſu; extreme breve utrumque ſæpius contingit fieri, adeo, ut prima die morbus ad ſtatum perveniat*: dicit ille.

8 Meth. 1 de Criſib. 16. & 17.

Eſt alia ebullitio, quæ corruptiva dicitur, & per hanc infecti, & excrementitii humores à laudabili ſucco ſeparantur etiam, ut placet Ariſtoteli, velut dum in putredine humidum ſeparatur à ſicco, ab extraneo, & putredinali calore, ebullientis ſucci, per hanc in febribus ſalutaribus depurantur humores, & ſimul pars corrupta ad incinerationem terminatur; cujus ſeparatione rectificatur laudabilis, niſi ebullitio ſuperflui proceſſiſſet; tunc enim bonum ſimul corrumperet; quod etiam Avicennæ Commentator advertit, muſti corruptionis exemplo. Hoc fieri dixit Avicenna: *Secundum ſemitam putredinis cujuſdam*; licet alii, ſecundum altiorem gradum contendant, ut Fernelius; hæc ebullitio ſemper habet cum ſanguine analogiam, licet alii dominentur humores: is enim primævam, & originalem contraxit labem; & ideo licet bilis tenuior, & icores cujuſque humoris effervеſcant, pars ſanguinis excrementitia infecta, & obducta contagio, hæc debet neceſſario per ebullitionem depurari; & cum hoc per putredinem fiat, rariſſime incipiet à materia cocta, & à crudo ſemper. An ergo ut plurimum ſit critica morbillorum expulſio, ut tua fert concluſio, in materia cruda, videant doctiores in hac ſecunda ebullitione corruptiva. *Putredo enim eſt corruptio proprii & naturalis caloris: pepaſmus autem alteratio, quæ facit ceſſare putredinem.* Dum ſcilicet, aut per attemperationem corrigitur putredinis principium; aut partes putridæ coctione, omnino ſeparantur expellendæ, ut Galenus deſiderat; poſſe ergo in principio tam cito corrumpi, & ceſſare putredinem, ſecundum eandem actionem, & partis ſubſtantiam; & hoc, ut plurimum videbant alii graviſſimi, & doctiſſimi medici Hiſpalenſes agitarunt olim, & hoc, pene omnes rati ſunt; ut ſi incipiat à materia putrida, non poterit eſſe ut plurimum perfecta criſis, nam in morbo acuto, irrito entiſmo, denegato pepaſmo, & viarum anguſtia, excurſus ſperatur ſymptomaticus, contra ac robore virtutis apparente pepaſmo, ac de obſtructis viis vera criſis, quod in cruditatis principio novit nemo; nam ſperata laudabilis, & per excurſum cathiſim facilis tolerantiæ, ſemper ſequatur oportet coctionem, & diſcretionem, à quacumque radice producatur; nam in mea ſententia ſemper criſis eſt à radice inferior, ut placuit Celſo, lib. 3. cap. 4. quæ omnia an ſiccine in morbillis contingant, dicat Gilbertus Anglicus: *Sunt variolæ, & morbilli*, inquit, *infectiones univerſales, quæ ſæpiſſime ſequuntur peſtilentes febres ex mala*

4 Metheor. Artis med. 48. 4 Aph. 22. 1 Aph. 20. 1 Aph. 20. Lib. 7 de Variolis.

crisi, & materia humida conclusa, & sanguine turbulento, & aliquando ex multitudine materiæ corruptæ, ac potissimum repletione sanguinis. In hanc etiam it Erastus, parte 4. fol. 62. sententiam. *Quod porro humores puerorum*, inquit, *mala qualitate venenosa præditi sint, luculenter, firmeque demonstrant morbilli, quibus laborant omnes, quorum causam nemo non intelligit occultæ malignitatis quidpiam obtinere*, &c.

Contra Paracelsum.

Illa conclusio, *& crisis laudabilis asylum hoc unum habet in materia, quia tenuis, & laudabilis*, antequam putresceret, talis erat, postea vero amisit fidejussorem, benignitatem, scilicet, & fortasse tenuitatem. Etsi dicas adhuc, quod quia tenuis, licet putrida, cito poterit assequi coctionem, ut laudabilem cito assequatur crisim? quod aliquando fiat, non inficior; quod ut plurimum, absolute nego: non poterit enim per acutos morbos in tenuitate superare, & ii in 4. extremos habent labores, & morbilli laudabiles in 2. & 3. & debiles, & parvæ febres, quæ 4. die finiuntur, incipere à materia cocta, judicavit Saxonia; cum ergo incipit à materia putrida, nec semper, nec ut plurimum laudabilem assequitur crisim; nam adhuc in materia benigna; quibus 4 die nubecula apparet 7. crisim expecta; omnia tamen debent conspirare in bonum, dixit Duretus, in qualitate corporis, in actionibus, & in excrementis, ne sint impeditio crisis feliciter ineundæ; nam quæ initio bona sunt epiphænomena, sæpe mutari in pejus, tum inconstantia bonitatis; nam quæ suo statu firmiter bona hærent, sæpe vincuntur à malis, quot ob causas solet illa symptomatica reddi: puerorum voracitas non incrassat adhuc humores tenuissimos? Acerrimus non ante tempus anticipat? Multus principalia, sine delectu non petit, ut turgens? Virium debilitas de liberali, & libera vacuatione non detrahit? Dicat epidrosis, & sanguinis stila dicat, cutis stinosis naturæ impetum non detinet? Ac pravæ metastasi occasionem præbet: diaphoresis non incidit cum necrosis periculo? Humoris feritas naturæ agnovit frenum? Dicat Præceptor bilis atræ exemplo; quod Galenus non tantum ad cæteras vacuationes, sed transmutationes pravi humoris extendit in morbi principio: nonne in pluribus perseverat febris pravæ crisis indicium, aut diminutæ saltem: nam quæ perfecte judicant, morbi, & accidentium levamen portaret?

1 Aph. 16. 3 Prog. 2. 4 Coacar. cap. 2. text. 4. 3 de Cris. 6. 4 Aph. 22. 23. 24.

Symptomaticæ crisis exempla in morbillis, non pauca attulit Avicenna, & ejus Commentator Gentilis, dum virtutis defectu in corde, & pulmone posuit germinare; in jecore, & liene Fernelius, in visceribus Pareus; & cum morbo impar, aut par extra, excretionem æque malignam judicat fortasse ex Galeno, qui in hoc assentit Præceptori. Colorum varietatem ut pravum symptoma in morbillis, & variolis damnavit Avicenna: ob ebullitionis inæqualem putredinem dixit Commentator, ut si virides, violacei, nigri, albi, citrini, rubri, semper pravi, sed praviores semper, si cito occultentur; quoniam maligna sit metastasis, quam & Hippocrates, ut pravum damnavit symptoma. *Quoniam licet omnis sit prava, humoris maligni est lethalis: substantia tenuis qualitate aëris temperamento calidi, quia materia, quæ corruptione propria substantiæ in vitio est, partium, in quas transfertur complexionem omnino labefactat*; nota est illa sententia: *Dolores circa lumbos, si ad diaphragma transeunt, pestiferi*: cujus sententiæ exempla *sunt philiscus, & python.* Ac ideo pravæ crisis suspicionem affert, ut notat Avicenna, & rustici historia Forestus; ac Duretus reddit rationem; cum inde syncopis, fluxus ventris, & mictus sanguinis ut plurimum lethalia superveniant; cum asphigia intercalari, & impotentia critica, quæ semper tendit ad malum, ut Critoni, qui ideo à delirio nequivit resipiscere, ex humore à crure ad caput recurrente, ut Calvo in larisa.

2 de Abdit. 12. lib. 10. cap. 1. 4 de Loc. 3. 3 Epid. Sect. 3. 36. & 6 Epid. Sect. 1. 17. & 6 Aph. 25. 2 Coac. cap. 15. text. 3. 4. & 5. 2 Prog. 68. 1 Coac. text. 14. 51. & 53.

Sed dato, quod optima, & vera sit crisis, adhuc in hac tibi casum monstrabo, quo conveniat sanguinem mittere, quod absolute negas: scilicet, ubi in vera, & critica expulsione, tantam expellat natura humoris multitudinem, ut extremorum necrosis timeatur, aut insignis ad principalia decubitus, & hoc venabimur symptomatum magnitudine, quod etiam Mercatus advertit, tussis, raucedinis, fluxus ventris, sed certius à morbillorum multitudine, & alismo ex succi conditione; & periculum non stat ex parte crisis, sed membri recipientis languidi, quo gangræna caloris suffocatione timetur. Quod an possit accidere, belle adnotavit Duretus ad illam Præcept. sententiam; *Cuilibet in febri livor proxima mors est.* Hoc tamen, inquit, de nigrore suspicari non licet, ut qui sæpe talis apparet in extremis, pro lapsu materiæ per abscissum, qui levationem si affert, superstes manet æger, & à morbo quo periclitabatur, sanus. Belle dixit Præceptor: *Critice potest materia abscedere ad articulos cum necrosis periculo, non necis, nigrescentibus digitis, aut pedibus*: dicit Jacotius, *si reliqua signa salutaria, & eo materia translata æger levius habeat, solvaturque aut remittat febris, abscessus erit salutaris.* Quod periculum ut morbillis vitetur, potest, & debet sanguinis missione præcaveri; nam magnum remedium, non solum indicatur à morbo magno præsenti, sed adhuc imminenti. Nemo non novit hoc Galenum dixisse, & phlegmone oculorum confirmasse; sed ad litteram princeps loquitur: *Et quando est necessaria phlebotomia*, inquit, *& non phlebotomatur iterum, licet antea missus esset, timetur super ipsum corruptio extremitatis; & similiter timetur quandoque extinctio, & ventris solutio, & quid simile; nam multo humore calor non diflatur, sed obruitur, & suffocatus perit.* In hoc casu expediret, dicit commentator, phlebotomare, & non solvere ventrem; nam idem periculum imminet intestinis, ac extremis: non aliter ac fieri Mercatus consulit in parotide, dum humor ruit, suffocanti periculo; nec erit ex hac sanguinis missione retrocessus periculum, nec naturæ motus impedietur, cum solum superfluum, & irregulabile dematur.

1 Coaca. 72. 2 Prog. 9. 1 Coacar. Comm. 1. text. 31. Olorius 2. Coacarum. Comm. 2. text. 28. & 32. Lib. de Sang. miss. 12. 13 Meth. 11. & de Sang. miss. 6. 9. 11. 12. & 17. 4 Acut. 22. 24. 25. 30. & 37.

§. II. *Prava in Crisi an certiora symptomata?*

Secundo dicis, optima crisis non habet illa symptomata gravia, molesta, & periculosa, quæ solent superbire quando non est tuta; ac si essent una signa critica moriendis terribilia, & alia victuris mitiora, & signorum catalogum, proponis. Oscitanter Galenum perlegisti; nam æque terribilia utrique statui Galenus proponit signa antecedentia, & critica salvandis, & moriendis; nec aliquod distinctionis signum: cum tempore solum distinguuntur; nam si præcedente

3 de Cris. 4.

te pepasmo, certantis naturæ sunt; si vero denegato, morbi vincentis, aut vehementer pugnantis: nec hujus rei veritas derogatur à Galeni sententia, nam triplex signorum genus cum proponat, omne retur infidum, & contraria signans in diversis temporibus. *Nam alio tempore eadem secundum aliam dispositionem critica sunt, & ob alia prava symptomata*, hoc est, ad necem, vel labori terminanda. Illa vero quæ præcedunt crisim, neque malum significant; (dixit Galenus) *quæ vero signa, & causæ necessario hanc comitantur crisim.* Sed hæc, illis fore terribiliora, non dixit, bene tamen bonum, aut malum significare, & hoc ideo, quia salvandis terribilia detrahunt de virtute minus, cum aliquando magis terreant; moriendis vero, quia irrita fiunt, ad illa omnia fere præsidia collabuntur; interdum namque, dixit Galenus: *In vehementissima febri adjuncta vigilia, fastidio, siti, alismo, asodes, & delirio, omnibus ægrotantibus domesticis præteritis, aestuentibus quempiam, licet, rigorem, & sudorem morbique solutionem, scienter prædicentem Æsculapium esse, videri; firmiora enim sunt, quæ diebus criticis accidunt*: quod etiam adnotavit Præceptor: interdum bona, jam mala, dixit Jacotius: *Si enim illa excretiones sequantur, in partes salutis defluunt, si vero absque illis, in necis spolia collabantur.* Quin imo, quod veram interdum crisim, vehementiora sequantur accidentia, grandiora symptomata, pro morbi vehementia, & acutie, quam parit fervidus, & calidus humor, qui vehementer naturam lacessit, & concitat ad pugnam, ubi maxime per excretionem est finienda crisis: quod ut jacet Galenus, vel huic soli sententiæ deputavit: *Cum vehementissima pugna*, inquit, *crises fiunt, usque ad* 14. quo acuti optima funguntur crisi: natura enim audacius it contra, quo periculum est majus, modo non sit effæta viribus, vel nimia prorsus morbi potentia occupata, ut symptomat. crisi. Ubi notetur obiter, quod ideo in moriendis, aut irritis accidentia, non ita vehementia concitantur (quod etiam adnotavit Jacotius) quia succumbit natura irrita, crisi frustra tentata, morbusque de natura triumphat, quod accidit, ut plurimum, à materiæ contumacia viarum angustia, & expultricis debilitate, è contra triumphante, & vehementius, & alacrius pugnat. Quod etiam factitant animalia, cum se affligi acerbius, & urgere cernuntur, ut contra pondus palma, nec alia ratione purgantia conducunt, quia naturam vellicando lacessere, & dormientem excitare, ad noxii expulsionem, quod absque conturbatione non fit. *In his vero*, inquit Galenus, *ne perterrearis, etiamsi delirare, ac subsilire videas.* Quod etiam ad litteram placuit Jacotio.

[Margin: 1 de Crisi. 17. — 3 de Cris. 4. — 2 de D. Decret. 8. & 9. — Lib. 1. Coac. t. 1. text. 37. — 3 de Cris. 1. de Dieb. decret. & 1 ad Glauc. — 3 Coac. com. 1. text. 2.]

§. III. *An phlebotomia in morbillorum crisi.*

Ergo *in morbillis*, dixisti 3. *dum natura judicat, & ad cutim trudit, sive perfecte, seu imperfecte judicet, sanguis mittendus non est, nisi peracta judicatione: nemo enim imperfectam judicabit crisim, dum fit.* Galenus fluentis impetum expectare mandavit. Sed an in symptomaticis æque, ac in criticis, non dixit; utraque ab impotentia, & pondere gravante poterit advenire, sed symptomatica, cum materiæ contumacia, & viarum angustia, & in hac nulla excretio, nec aliquis abscessus exolvendæ affectioni accommodatus erit, si malignæ cacochymiæ sit particeps, aut cum inflammatione conjuncta, ut Duretus adnotavit; nam in ipsis excretionibus adhuc malignitas interficit, ut acerbitas coxarii doloris, in suppurata parotide, profusa alvus in causone, aut in maligna febri; testimonia in choacis habentur; præstat enim naturam feriari, quam aliquid frustra moliri; quia omnis irrita proritatio morbum, alioqui sanabilem, ex eventu reddit insanabilem, aut certe pravi judicii, fractis fortasse viribus, à maligna cacochymia, abundantia, aut qualitate, ut variis in locis adnotavit Præceptor.

[Margin: 9 Meth. 5. — 1 Coac. 131. — 2 Coac. c. 11. text. 19. — 3 Coac. c 13. text. 1. — Lib. de Feb. 24. 7. — Meth. 8. & 10 Meth. 17. & lib. de Cucurb. — 11 Meth. 13. — 14 Meth. 10. — 3. 2 Loc. 2. — 2 in 6 Epid. 29.]

In hac ergo symptomatica excretione, aut alia quæcunq; sit, si naturam in pugna occumbere timeamus, ex onere gravante, aut gravioris alicujus accidentis accessione, quid faciemus: corpore adhuc pleno, urgentia graves compulit viros, stabilita transgredi. Gariopontus in *Accessione sanguinem mittit, si mediat grave accidens, vi phrenesis. Galenus cibum obtulit accessionis principio.* Hoc judicas cucurbitulis posse suppleri; vide ne tibi lis cum Galeno, & Oribasio sit, ubi maxime natura non expellit præ onere; in hoc casu Mercatus, qui Silvaticum autoritate superat à parentibus punctiCulis, sine impetus exspectatione neque exitus, si naturam ita onustam considerat, ut præ onere non valeat expellere, mox ad sanguinis missionem confugit, sine retrocessus timore, imo securiori provocationis spe. *Exonerata enim natura reliquum facilius expellit.* Cui validissimas annectit rationes. Sic sentit Salius, sic Thoreus, & omnes fere recentiores; hoc Galenus illustri confirmavit exemplo: *Apparente enim carbunculo in febre pestilenti, venam secat.* In medio febris impetu, dum natura ad cutim trudit, sed quia imperfecte onus, ut libere expellat, deponit, & alibi apparente parotide, cum signis plenitudinis ad sanguinis missionem confugit, sine retrocessus timore, excretione non obstante, sed fere ad litteram alio in loco apparentibus. *Pustulis ut in superioribus operatur.* Nam impetus illa expectatio, solum imperfectæ competit crisi, quam pepasmus insequitur, quia hic non obstat multitudo, sed virium defectus; ac ideo Galenus, ad illam sententiam, *quæ judicantur, & judicata sunt integre*; dixit, cui siquid desit, nos oportet supplere, non ad libitum, sed quo natura vergit; hæc enim ideo subsequitur sententia, utraque enim de vera intelligitur crisi, sed imperfecta, & non de symptomatica, ut placuit Galeno; & Salio.

[Margin: 1 Aph. 20. — Lib. de Feb. pestil. c. 24.]

§. IV. *In Methonis historiam.*

In fine in Methonis historia dicis, non eo tantum consilio Hippocratem caput lavisse, ut sanguinem provocaret fluentem, sed ut vigiliæ, & delirio mederetur; nonne delirium à detento sanguine citabatur, & vigilia? si ergo ob solam provocationem faceret, nonne plenissime, & à scientia fieret. sic suadet Herophontis historia. *Cujus causonem, cum urina nigra, vigiliam, & delirium dejectio sedavit biliosa*; à quo succo hæc omnia originem ducebant, ut advertit Vallesius. Catholicum est illud theorema: *Cum suppressio alicujus evacuationis est morbi causa, ejus reditio est morbi medela.* Sanguinis suppressionem in capite calidioris monstrabat, stila sanguinis delirium, & vigilia, sed monstravit apertius, quod cum libere fluxeret,

[Margin: 1 Epid. Sect. 3. ægrot. 3.]

flueret, liberatus est Methon; Nec est minoris authoritatis Galenus, qui ob sanguinis provocationem caput lavisse Hippocratem asseruit. Præterquam quod hoc uterque variis in locis confirmavit, ut reditio detenti humoris omnino mederetur symptomatis, quæ ex hac retentione fovebantur: dum in morbis à dispositione pendentibus hoc versetur; nam factis, & in habitu, ne si provocentur proderit, ut in hydrope, tabe, & fanatica dementia: sed hoc ad litteram confirmavit Jacotius: *Fluxionem Hippocrates*, inquit, *non satis copiosam lotione capitis juvit, quia quo natura repit, eo ducere oportet*, &c.

6 Epid. Sect. 4. text. 4. & Sect. 3. 57. & Sect. 5. 25. 4 Aph. 25. Lib. de Nat. hum. text. 5. Avicenna Fen. 4. 1. cap. 3. Lib. 3. Coac. Comm. 1. text. 2.

ANTI-THESIS IV.

In tres Consultationes.

§. I. *Gutturis ulceri carbunculoso an hyrudines.*

Hæc tuis medicinæ quas habui apologiis adnotavi; nec plura possem, licet plures haberem, deficit tempus, nec suppetit voluntas. Hanc tamen libuit consultationem adnotare, in domina Eufrasia de Mendoça: illustrem hanc juvenem 18 annorum gutturis ulcus tenuit carbunculosum, post quintam sanguinis missionem convenimus, & iteratam leonicarum sectionem urgebat suffocatio, & à parte vacuationis necessitas, nec aliam ferebant vires vacuationem insignem, quo in statu in hac fui sententia, ut hyrudines parti externæ ulceri respondenti aptaremus, & secundum Hippocratis, & Galeni præcepta, & optimam occasionis rationem, quoniam jam fluxio constiterat, urgebat suffocatio, quando necessitas omnem superabat celeritatem: nam instans aures non habet, ut inanem verborum audiat consolationem, ubique ipsa celeritas mora est; in hoc statu contrarius extitisti, uti semper. Hac sola ratione, quod indurata carbunculi crusta, non erat per hirudines evellenda, & cognitæ adhuc veritati obstitisti, est enim quaque in re unica, falsitates tamen eam stipant multæ, sed omnes ad illius splendorem, sicut nubes obscuræ ad solis lumen dissipantur, dispa-rentque. Nonne generale vacuationis præceptum, hoc velut digito monstrabat? *At si fluxio jam restitit, atque membro insit, derivare per vicina magis expedit.* Nonne Galenus carbunculum, post generales vacuationes scarificare jussit? Ut si non humor impactus possit evelli, saltem ut circunstans, & crustosum fovens evellatur, ut idemmet adnotavit. Nonne in extremis quod omnem superat temeritatem, *ad laringostomiam manus extendit*: cui, & aliis temerariis, subscribunt Celsus, & Galenus. Nonne remedium partis indicabat situs? dicat Galenus, & dicat Oribasius ex Antili sententia: *Illis partibus*, inquit, *hirudines adaptabimus, quibus cucurbitulæ non possunt.* His etiam subscribit Mercurialis, & Olerius, qui etiam ad partis scarificationem confugit, nonne hirudines ad hoc valent? dicat Galenus libro de hirudinibus, sanguinem carni adjunctum dixit trahere, crassum, & fæculentum dixit Castro, & plusquam cucurbitulas Avicenna, Doctor Ildefonsus Nunnes, doctissimus hujus seculi vir, si non dicimus virum multorum seculorum, hirudinibus utitur, in hoc casu? Idem tenet Mercatus, Saxonia, Fernelius, Salius. Hoc ex medicinæ principiis deductum reor; nam licet mihi sit in venerationem Doctor oppositus, non me cuiquam mancipavi; nullius nomen fero; multum magnorum virorum judicio credo aliquid: & meo judico; illi enim non domini nostri sunt, sed duces, qui non inventa, sed quærenda reliquerunt.

4 Meth. 6. 14 Meth. 10. 6 Aph. 45. lib. de Tum. præter n. c. 6. lib. 2. cap. 10. 10 Meth. 10. 13 Meth. 21. 22. lib. 4 de Morb. mul. cap. 1. lib. 1. de Morb. inter. 23. Fen. 4. 1. cap. 22. Consil. 24. de Præsid. ind. lib. de Ven. Sect. 19. Super 3 de Morb. 21. Seneca l. 7. de Benef.

Tuo autem argumento tibi ipsi satis facis, quare ex leoneis misisti sanguinem topicum, & peculiare remedium, pro partis ipsius vacuatione, & in hoc par, & æquale sanguisugis: aut fecisti, ut scaram evelleres, aut circumstantem sanguinem vacuares: non avulsisti scaram, palam est; ergo licet sanguisugæ illam non evellerent, non ideo essent repellendæ; alias possunt idem consequi, & intentioni satisfacere, sicut illa quæ vacuant à parte: alia ergo tibi quærenda ratio. Egregie enim dixit Demetrius: *Plus prodest, si pauca præcepta sapientiæ teneas, eaque ad manum, quam si multa didiceris, sed illa non habeas in promptu: luctatori enim non refert, quam multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est.*

§. 2. *An stomachus ante vacuationes roborandus.*

2 Consultatione casus extitit dominæ D. Catharinæ de Contreras; hic erat duplex tertiana declinans ad legitimas, ac cuique principio vomitus bilis anxia, jactabunda, cum alismo impatiens, fastidiosa, infestabat cordis, ac ventriculi dolor, per totam fere accessionem nauseabunda, in hoc statu sanguinis missioni convenimus; sed ante illam, sicut & ante pastum, in febris declinatione, illius mihi visum fuit stomachos, absinthii oleo roborare: cui rei obstitisti, hac sola ratione, ne ventriculo delapsus humor in carcere detineretur, ut postea deteriora concitaret accidentia. Modeste discessi victus, non ratione, sed vincentis fortuna tutius esse ratus opinionem pati, quam modestiam. *Ubi certe unusquisq; se ipso levior factus extollitur*, dicit Plato, *audaciaque repletur, nec audit proximum, sed tam sui ipsius quam cæterorum omnium, ducem esse sufficientem existimat.* Si fortasse terram, & aquam, ut Scythis mos erat, postulas; Crœsi, & Policratis finem intuere prius, & Xerxis infamem fugam, qui posuit compedes Hellesponto, verberando maria, & absorbendo flumina, ac ædepol accepto poculo, ut mos erat Pœnis, è terra cinerem linges; omnia enim (mihi crede) etiam felicibus dubia sunt. *Si igitur mihi parueris*, ut alibi dixit Socrates: *Haud hostiliter contentiose que, sed propitia, mitique sententia, nobis cedens, veritatem invenire conaberis; licet haud facile sit, sic abire, ut rem ipsam desinientes, se invicem solum doceant, atque discant.*

Dial. 2. de legibus. Erodotus, lib. 4. Melpom. Sen. Epist. 101. Dial. Theætetus, de Scientia.

Duo restant nobis discutienda. An stomachi roboratione oleo absinthii coerceatur humor. Secundo an hoc stomachi officium, & nobilitas postulent. Quo ad primum, Galenus retentionem in humoribus docet fieri, cum meatus clauditur, & contentum à continenti haud impellitur, sed per coarctionem comprehenditur, & retinetur; quare illa quæ sua adstrictione meatus claudunt, & humorem densant, & faciunt crassescere fluxus, retentioni erunt accommodata, nam ideo acerbum à Galeno laudatur, quoniam: *Quæ magnopere acerba, austeraque sunt*, inquit, *primo contactu densantia humorem ingredi, imbibique prohibent.*

6 de Loc. 6. 4 de Simpl. med. facul. 9. & 11. 6 de Simpl. med. facul. de absinth. 13 Meth. 16. 4 de Simpl. med. facul. 18. 1 ad Glauc. 14.

11 Meth. 15. de Præcog. ad post. 11. 1 ad Glauc. 9. lib. de Febrib. in proœmio. 1.2. Loc. 8. 6 Epid. Sect. 3. 40. 6 Meth. 19. Fen. 4. 1. Tract. 1. cap. 23. 2 Acut. 1. & 6 Epid. Sect. 6. text. 5. 7 Meth. 12. & 13. 1 de Morb. 14. 11 Meth. 11. 8 Meth. 5. Fen. 4. 1. tract. 2. c. 15. 13 Meth. 16. & 15. 7 Meth. 11. 7 Collig. 17. lib. de Feb. 14. in Opere aureo. 2 Epid Sect. 2. text. 1. 10 Meth. 4. 1 ad Glauc. 14. 1 de Sympt. causis 7. 1 Epid. Sect. 3. ægrot. 3. 1 ad Glauc. 9.

bent. An ergo, in absynthio meatus claudere, & humores densare reperiatur, in Galeno videbitur: *Adstrictoriam*, inquit, *amaram, & acrem simul qualitates possidet, calfacit, extergit, roborat, & desiccat, majori parte calidum, quam frigidum, calidum in primo, siccum in 3* dixit Mesues, *compositum ex calida, & tenui substantia, Galenus.* Calidum scilicet, cum adstrictione, quo fit, ut partis substantiam roborare queat, ac ejus laxitati obsistere, sed non constipare, nec humores densare; hoc enim acerbæ frigiditatis proprium est, in Galeni doctrina: ac proinde, nec posse humores in ventriculo coercere, nec detinere, ut deteriora concitet accidentia, quod exemplo confirmat Galenus, & Mercurialis subscribit.

Quod ad secundum, hoc peculiariter stomachi nobilitas postulabat, indita à partis essentia tecmarsi, quod Galenus, vel ad literam, dixit: *Age ergo, si quis febricitet*, &c. Roborantia enim, vel à principio duxit applicanda, & Commodo imperatori mandavit, & tertianæ principio consuluit. quod etiam Gariopontus antiquissimus, sic perinde præcepit; nec est hujus cum alia Galeni sententia antithesis; nam, *Tutum non esse cataplasmatis, & profusionibus uti ante vacuationes*: de digerentibus intellige, non de roborantibus: mille enim exceptiones patitur hæc sententia, in alopecia, in benigna pleuritide, in punctura, & quando vacuationi locus non datur, ut in colico, & nephritico, ut Avicenna dixit, & Galenus exposuit.

Hoc idem fieri postulabat, & affectus urgentia, ut etiam adnotavit Galenus in facultate, quæ totum corpus gubernat, quæ, si labitur, cæteras mox præcipitat, ut idem postea adnotavit; nec præterivit Salius, & Galenus, *in principio fecit accessionis, & diarrhϾ principio*; quod Avicenna, *influctuante humore, in ventriculo maxime duxit necessarium*; & Galenus, *vel cum minima debilitatis ventriculi suspicione, vel ab initio cum contra Thessalum, qui Theaginem laxantibus necavit, disputavit.* Hoc idem, ne prompte à jecore stomachus reciperet, etiam præcipit facere, & in picrocolis Averroës, & Nonius, medicus antiquissimus, & Præceptor, mulieris exemplo, *quam polenta, & succo granatorum persanavit*; quem in hoc etiam Galenus imitatur; offa panii succo granatorum imbuta. Quos omnes sequitur Paulus, Trallianus, Izac, Haliabas, Gariopontus, Gordonius, Mercatus, Trincavelius, Amatus, Franbesarius, Silvaticus, Saxonia, & omnes fere, dummodo advertatur, quod nobis nullibi, ac nunquam placuit, bilem detinere, sed prius semper, & omni ingenio provocare, aut sinere, ut flueret, seu vomitu, aut aliter, transacto vero impetu, & vacuo ventriculo, & declinatione accessionis, ut stomachus roboraretur consuluimus.

§. III. An nota tertiana purgare liceat augmento?

Tertia consultatio in Excellentissimo Comite Nebulensi. Nam dominum utriusque nostrum. Tetrathæi imago à principio corripuit. Semper lythoperica, apyretos non semper, quam reor induxit, stinosis, ob moram in littore cujusdam fluvii, quo sedens morabatur. Hæc typica post principium, notam æmulabatur tertianam, ac ideo macronoxiam, sed cum anesi semper, per arcyos, fere dies increscens fortius, ut philisco; quos minus sequebatur pypodexis, ac postea stimosim, emphraxis sequitur; ac illam febris productio, qua optima, plumbea redditur phtys, ac deinde febris jugis, cum falsa periclosi, nec jam ad epyrepteam veniebat; imo jam difficiliorem reddidit cathaschesim, quæ à principio facilis videbatur, ac indita thecmarsi, epanorthosim remediis intendimus, nec ideo disphoria sedabatur in accessione, ac omnibus ex arte factis. Ad 21 manifestius incepit pepasmus apparere, quo coctum medicari, secundum Galeni, Hippocratis, & Tralliani præcepta proposuimus; mox cœpit antithesis, an contra veritatem, argumentor ad hominem.

Hæc tua sunt, fol. 35. ex apologia de purgandi ratione; ergo cum principio includere etiam oportet augmentum, in quo aliquando expurgatio convenit, ut ex Galeno constat, etsi tibi monstrantur coctionis signa, inquit (monstrantur in augmento) jam cum fiducia absynthium, potest exhibere, maxime vero post diem 7. danda est igitur absynthii coma, cum oxymeli, & aliquid ex eis quæ ventrem subducunt: ex quibus duo adnotanda veniunt, & in augmento Galenum purgavisse, & hæc clementia medicamenta agnovisse; ac ideo hoc tempore purgare, ut natura redatur potentior supra residuum. Quod etiam Hippocratem constat factitasse, cum crassis, & nebulosis urinis, quæ solum apparent in augmento; & hoc maxime exequendum, si febris longa, pituitosave fuerit. Quod etiam Trallianum fecisse constat die febris: Excellentissimi notissima extitit tertiana, tempus augmenti coctio progressa, jam humoris conditio, qualis à Tralliano proponitur, & omnia eadem erant ac ista, quæ nunc approbas; aut hinc, aut illinc veritatem simulas.

§. 4. Doctoris epistola.

Quid te mutavit, sapiens? olim de me magnifice judicasti, nunc aliter; aut hic te compulit æmulatio, aut olim veritas. Utrumvis elige, nam epistola tua argumentor ad hominem, si non antea te fauni fabula coarguit, qua hospes frigidum, & calidum simul efflabat; &

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

Sed in hoc Tharandrum imitaris Æthiopicum, ac in mari Polypum, Camaleontem in Africa; proprium enim est ægri nihil diu pati, ac mutationibus, ceu remediis, uti, ut ait Lucretius. Originali transcriptio verissime respondet.

Solinus, cap. 42. Seneca, lib. de Brevit. vit.

Doctori Casparo Caldera de Hæredia medico præstantissimo, Doctor N. salutem, & felicitatem desiderat.

Gratissima mihi fuit epistola tua plena benevolentiæ, & humanitatis, jucundissimaque selecta disputatio, de partis indicatione, pro mea defensione, à te suscepta, in qua libenter ingenium tuum agnovi, argutum, & elegans, & tibi sum vehementer gratulatus, quod in meam gratiam, tam brevi tempore, tam cumulate scripseris, si te doctoris Ferdinandi de Valdes compulit æmulatio, quam contra me suscitavit, est, quod illi gratiam etiam atque etiam habeas, quod te tam utiliter ad certamen literarum provocaverit, quem si tuam disputatio-

nem elegantem, acutam, & ingeniosam perlegerit, suspicor, hac in parte desperata victoria ad silentium confugere, ut te, quem eloquentia æquare non potest, fulgurum, tonitruumque denuntiatione (hoc est tuorum argumentorum) non oppugnet; quin cæcus in terram cadat: tu vero, si bene te novi, ne pluviam quidem eximescas, ab eo, qui sæpe largos imbres minatus, vix potuit tenues, & infecundas nubes ostentare; quod ergo mihi per tuas literas de literarii certaminis victoria gratularis; agnosco tuam in me voluntatem, & propensum animum, qui de victoria sperata, quasi parta, gratularis; quanquam, si victoria est, meliorem partem in judicio tueri, vicimus; sed quid faciam turbulentis, & importunis, ac invidis hominibus, qui suam libidinem justitiæ, & veritati pertinaciter præferunt, & hoc demum laudem esse ducunt, alienis scriptis obstrepere. Hunc ingenii, & industriæ tuæ partum, una cum aliis lucubrationibus tuis, non parum utilitatis & fructus, cum nominis laude conjuncti, allaturum spero. Ob eam causam hoc ipsum opus, non ad bibliothecæ meæ limen, sed in penetralibus, & reconditiore ejus parte, & loco magis idoneo collocandum esse censeo.

Equidem ad eas causas, quas tui diligendi habeam plurimas, hanc quoq; accessisse lætor, quare me semper tuæ laudis fautorem, tuique amantissimum cognosces. Reliquum est igitur, ut hæc detur occasio, pro qua in publicum mittam hunc tui ingenii partum decorum, quo meus erga te animus, ut maxime cupio, illustrior appareat. Vale: ab oppido de Guelva, 17 Maji anno 1626.

Tui observantissimus, valdeque amicus
Doctor N.N.

ANTI-THESIS V.

In apologiam de animæ immortalitate.

Non injucunda hæc, sed longa, tot retro annorum serie repetita, non erubescimus, sed admiramur; omnia aliena, sed nostra omnia, non ingrata, sed totius Apollineæ, & Philosophicæ concertationis arenam ingressa, quam multum pulveris ebibere, jucundiora proinde pollicemur, noviora damus: nuper initiato Pieridum choro recentes fontium crystallos consecramur, recentes dicamus undas, quarum larga fluenta, tantum flaventis metalli volvant, tantum gommati ponderis rotent, ut

Non tartessiacis illas superaret arenas,
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli.

Claudianus.

Quin etiam novum antrum excidimus, quale apud Britannos repertum legas, quod ad cujusquam venti flatum, seu nubibus vacantis boreæ, fulmine pollentis austri, vel floribus vernantis zephyri, suavissimo concentu repleatur, eximios cantus edat, & multis sonorum intervallis distinctam harmoniam moduletur. Huc ergo vos vel antri novitas trahat, vel aurei torrentes latius allectent.

Clemens Alexand. lib. 9. Romato.

Lenta festinatio celerius interdum facit iter; negligentia enim, & intermissio studiorum est noverca sapientiæ; è contra vero assiduitas, & diligentia mater, & magistra, testudinis morositas Aquilæ vicit agilitatem, fortasse parvi facta, & ut dixit Laertius, deprehensus est olim ab impotenti celer, & tarda cepit testudo regem alitum; tutior est secura humilitas, quam alta vanitas. Abies despexit dumos, ac ideo, diis, & hominibus est invisa: præferens se formicæ musca, illam abjicere verbis, & se extollere inflata cepit: audi, inquit, quanta sit humilitas tua, magno cum labore tenuem victum quærens: at me alæ in sublime ferunt, & accipiunt mensæ regiæ auro, & argento; ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpuræ incubo; fastidiosæ, & inflatæ opinioni felicitatis, respondet formica, & hoc adde, improbitatem tuam invisam, ac odiosam esse omnibus, & modica anni parte durare; hanc beatam vitam tuam, dum sol fervet, hieme, & frigoribus statim occidere. inflato asino ferenti Isidem, dixit Agaso, non tibi sed Deo. Non est novum fortem ab impotenti vinci: à bonis enim animo, & virtute violentia vendicatur naturæ: Harpyias Fineum infestantes, *pueri dejecerunt, & festive sane Sybaritarum equites tybicen vicit* (non ego terræ filius, nec gignantis fraterculus) & ut Ovidius; *Pulvere qui ludit scribit, sed marmore læsus.* Sabini, potentia inflati, pauperibus adhuc Romanis, ob fœminarum furtum dixere diem, & inierunt bella, vicere victi, inierunt pacem, hac sola conditione, ut Sabini in flamulis has deportarent litteras S.P.Q.R. Sabinis populis quis resistet. Ac ipsis postea Romani utebantur. *Senatus, Populusque Romanus*: & virtus superavit superbiam.

Lib. 1. Tuscul.

Animæ immortalitatis demonstrationem, in limine promittis, & pro ipsa hominis encomia substituis; diserte sane diceres, si à Platone disceres, quando ad inefficacia manus extendis: quare Platonis aurum relinquis: qui expeditionem parat, expeditioni necessaria conducit: attende ergo, & nobiscum sedens, de animæ immortalitate disseremus, citra contentionem. Animam immortalem dixerunt primus Pherecides, ut refert Tullius, deinde Pythagoras, ejus auditor Trismegistus, Diogenes, Thucydides, Thales Milesius, Zoroastres, qui ridendo nascitur; Anaxagoras, Aratus, Democritus, Socrates, Plato: Prostinus Porfirius, Proclus, Aristoteles, Theophrastus, & Jamblichus; qui animam cum corpore commori, rati sunt omnes, Epicurei extitere; quos postea sequitur Plinius. Galenus, de animę immortalitate, tam varius extitit, quam de ipsamet animæ natura: nam libro, *quod animi mores*, hanc mortalem prædicat, contra Platonem: libro vero *de rigore, & tremore*, animam per se moveri contendit: immortalitatis argumento, in temperamento, & sanguine variis in locis animam constituisse constat: & libro *de Carnibus innatum calidum*, dixit immortalem: Aristoteles an animam dixerit immortalem, ex confusionis orco congruentias eruentes plerique negant; vere tamen animam immortalem confitetur, ac intellectum etiam immortalem, ac mentem solam divinam esse, ac extrinsecus advenire, aliter ac animæ animantium, sic semper locutum judicavit Themistius in paraphrasi, sed maxime dialogo ad Eudemum, ubi palam animam esse immortalem persuadet, ut etiam sentit Tullius, & Plutarchus: ita tamen confuse de re magna disseruit, ut veritas ipsa videatur ementita.

7 Natural. hist. & 6 Epid. Sect. 5. text. 5. Lib. de Anima cap. 4. text. 65. & 66. & 2 de Anima text. 1. c. 11. & cap. 2. text. 22. & lib. 3. cap. 5. text. 19. & lib. 12 Methaphys. c. 3. text. 17. 1 de Part. Anim. 1. & lib. 3. de Anim. c. 4. text. 4. 6. 10. & 15. Et 2 de Genes. Animal. 3. 3 de Anim. 37. lib. de Divina. in vita Dionys. lib. le Consol. ad Polipiun. De consoat. ad Maria. Cap. 14. In secta Pythagor lib. 2.

Hoc etiam Seneca belle dixit: *Animus quidem ipse sacer & æternus est, nec cum ipso corpore commoritur*: & inter Thraces, hoc illorum domavit feritatem,

tatem, quod animas iterum remeare haberent ratum, ac immortales esse, ac alios beatiores reddi post mortem; & sic illam læti accipiunt, & partus tristi funerantur luctu; ita ut vitæ aditu, videantur parentari: & è contra funera incredibili cantant lætitia, ut Solinus inter mirabilia adnotavit: *& animæ connexio, ad corpus*, dixit Jamblichus: *Tale quid recte videtur, quale in Thirenia memorant torqueri sæpe captos, devincientes viventibus mortuos, corpora corporibus, singula singulis, partes partibus componentes, ita affecta videtur anima immortalis, corporibus alligata membris: Nil ergo divinum*, inquit, *nil beatum inest homini, præter prudentiam, hoc est animam immortalem, quæ circa veritatem versatur: Hoc nempe solum rerum omnium nostrarum immortale videtur*, &c. Xenophanes, animam spiritum esse, dixit, ab omni corruptione immunem. Sed vel inde animam immortalem Ægyptii dixere, quod *de corpore in aliud subinde migraret, atque ubi per omnia se circumtulisset, terrestria, marina, & volucria, rursus in aliud genitum hominis corpus introire*, & hoc, intra circuitum annorum trium millium, ut dixit Erodotus, in Euterpe.

Animam tripartitam Plato dixit, prout in capite sita rationalis; in corde, irascibilis, ac concupiscibilis in jecore; Aristoteles corporis physici, & organici vitam habentis immaterialem formam: ac Zeno animam in octo partes divisam, in sensus, scilicet, vocis, & cogitationis organa: & Pythagoras, ut animam immortalem diceret, ætheris adamantini, avulsionem vocitavit; utpote purissimus, ac nitidissimus, ac ideo animam à corpore differre, quia id, à quo avulsa est, immortale est. Animam essentiam possidere immortalem, inconcussam, & solidam, dixit Jamblichus; ac ob id, Divinis similem, sed infirmam in Divinorum ordine; ipsa etenim naturam supergreditur, atque ob ingenitam vitam, impartibilis affectuum impatiens, qui veniunt à corpore, sed cum transcendit suos limites, pennigera proficit, promota in angelicam animam, vitamque purissimam.

Lecmento 1 cap. 10. & 2.

Venerandæ antiquitatis inter symbolica, hoc apud Ægyptios Sacerdotes animæ celebratur antiquius, *Bajeth*; quasi dicam, Accipiter avis pennigera, & velocissima; nam *Bai* per se *animam*, & *Eth* Cor, apud illos significat, ac si anima resideret in corde, ut ipsi rati sunt, quos postea stoici insequuti, animam in corde posuerunt, ac sensus omnes in ipsum confluere, sicut ad mare flumina: & ab illis accepit Aristoteles: at ideo Ægyptii Accipitrem, in animæ symbolum accepere, quod monstrat vel Zoroastris dictum, alatum quippe esse animum, à quo Plato hoc idem in Theętheto dixit: ac ideo ad superos evolare, cum per alas intelligentiam accipiat, & per accipitrem velocitatem, cum extra corpus, ut notavit Pierius.

Lib. 12. Tit. de accipit.

Vinculis ligatam animam, suo humano genere ostreorum similem, dixit Plato, ac nulla potuit nostræ imbecillitatis naturam significantius explicare, cum ostrea inditium esse dixerit animæ, in corporis carcere, & tenebris conjunctæ; ita enim Deus corpori animam agglutinavit, ut sit omnino necesse hominem affectibus tangi, vel invitum. In symbolum animarum, pisces alii voluerunt accipere, ut earum immortalitatem designarent, utpote qui ex puriori constant elemento, primique animatorum, quod creati essent, ut observat Philo; sic legitur apud Festum, genus pisciculorum pro animis humanis à Vulcano litari solitum; quotannisque piscatorios ludos trans Tyberim in area Vulcani, mense Junio celebratos. Apud Ægyptios etiam stella erat animæ symbolum, si non etiam immortalitatis, ut reor; quia scilicet, deficiente corpore, sicut stella, vim, atque vigorem suum efficaciter conservaret, & in corpus influxum, sicut stella in mundum, cui dominaretur; & ob motionis principium quod Platoni est immortalitatis argumentum; ac ex eo quod vim luminis manifestam anima videtur obtinere, quam scintillam massæ stellaris vocitavit Heraclitus; & ideo Thimæus, unamquamque animam, stellam aliquam collegam habere sibi, tradidit; haud absimilem Genio custodi, quo defenditur; ac ideo nefas erat, animam sponte exturbare. Quod ignis hieroglyphico Veteres designabant, quam extinguere licebat nemini: anima enim, dixit Plato, nobis traditur in custodia, quoad à Principe repetatur; serpens etiam olim animę immortalitatis fuit symbolum, Ægyptiis non solis, sed Romanis, utpote animal spiritus, & vitæ tenacissimum, quod & pellem exuat, ut corporis imbecillum, ac medicinæ, quia dilatat vitam, reddatur utilissimum; & ideo Romani, oraculo admoniti, Epidaurum miserunt ad Æsculapium, quem salutis Deum ęstimabant, accersendum, & illi serpentem Romæ detulerunt, tanquam salutis immortalis signum, & præsidium.

Sed inter omnia, hoc potissimum extitit animæ immortalitatis hieroglyphicum, Pyramis; hac enim forma Ægyptii animam adumbrare voluerunt; & hoc significare dicunt corpore soluto, & corrupto, animam superesse, quæ, post triginta sex millia annorum facto circulo, aliud humanum corpus acciperet; ac ideo Ægyptii magnifica Heroum, Regumque sepulchra, sub ingentibus pyramidibus fecerint; quoniam anima non secus ac Pyramis, ut Geometris notum est, vertice immoto manenti, circumacta basi, circulum describit, & toto corpore circum lineis, undique ductis ad pyramidis punctum; quo circulum annorum deductis lineis similem significarent. sic & ipsa immortali manenti, tot annorum secula percurrit, usque dum tandem perveniat ad punctum; secundum Ægyptiorum opinionem, à quibus accipit Plato, qui etiam animæ pyramidis formam tribuit in Thimæo: & sic philosophatur. Deus in animæ fabrica portionem ab universo accepit, quo unitas puncto illo, qui in pyramidis vertice est, significatur; secunda autem primæ partis duplam; tertiam secundæ sesqui alteram: & primæ triplam quartam, secundæ duplam quintam, tertiæ triplam sextam, primæ octuplam, postremo septimam, quæ sola partibus sex & viginti primam excederet; & post hæc dupla, & tripla intervalla replevisse, quibus multiplicatis numeris annorum circulum designavit pyramidis Geometria; ut per annorum longitudinem, immortalitatem designarent: quin etiam hoc indicat appetitus cœlestis, semper sursum, ut ad punctum pyramidis, qui semper ad unum terminatur, & unum, eo quod impar, unionem, indivisibilitatem, durationem, & æternita-

tem significat, eo magis quo divinæ essentiæ symbolizat; imago enim est exemplari simillima, & unum est principium, & forma; ergo anima per unum significata, perfectissima, & immortalis erit.

Sed Plato sicut in omnibus omnes, sic in hac theseos immortalitate seipsum immortaliter superavit.

Dial. Mænon. seu de virtute.

Pindarus, ait, *& quicunq; ex Poëtis divini sunt, animum immortalem esse dixerunt, eamque discedere, sed iterum redire, non mori; quicunque enim pœnas antiquæ miseræ Proserpinæ jam dederunt, iis illa, ad supernum solem, nono anno rursus anima redit, quo usque Reges in gloria, celeritate, sapientiaque præstantes evadant: cum ergo animus immortalis sit, ac si prius in hanc vitam redierit, nil utique restat quin ipse didicerit.*

Quin imo, & ulterius post finale judicium sub immortalitate ventura, admirande prosequitur:

Dial. phœd. seu de anim.

Ferunt, inquit, *quemlibet illuc migrantem ab eo dæmone, quem vivus sortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat omnes una collectos judicari, ac deinde ad inferos proficisci, eo duce cui mandatum erat, tempusque debitum commoratur; bonos per decem annorum millia; & malos per quadraginta millia; ab alio duce rursus reduci, post multum temporis, longosque circuitus. Attamen unaquæque animarum pristinos sequitur mores, cum secundo venit; nam rapacis rapacem avem informat, & voracis lupum: sola autem philosophi anima regem, & optimum gubernatorem induit:* & hæc mira alia sequuntur admiranda; *hæc vidit*, inquit, *Herus Harmenius apud inferos, quosecunque alios injurias intulisse constaret, pœnas sigillatim pro qualibet decies reddidisse; hoc vero pro quolibet, annorum centenarium esse, quasi hæc vitæ humanæ sit meta; qui vero multorum necis causa fuit, pro quolibet facinore pœnas decuplas; atque iterum, si qui beneficia fuerint elargiti, justaque, & pietatem coluerunt, eadem pensione præmia deportarent, ac animam, quæ Orphei fuerat, se vidisse cygni vitam odio muliebris generis eligentem; nolentem scilicet ex mulieribus, quibus occisus fuerat, nasci; ac Ajacis Thelemonii animam leonis vitam elegisse, dum armorum judicium olim datum, mente revolveret.*

Dial. de 2 Ep. seu de justa.

Hinc divinus Plato animæ immortalitatem ab intrinseco conatur demonstrare: omne igitur, inquit, cui motus extrinsecus incidit, inanime est; cui vero intus ex se ipso id inest animatum, tanquam hæc animæ natura sit: quod si ita est, ut non sit aliud quidquam; quo in se ipsum moveat, præter animam, necessario ingenita, & immortalis est anima; quod enim semper movetur, immortale est; quod vero aliud movet, ab alioque movetur, cum terminum habeat motus, terminum habet & vitæ; solum ergo quod se ipsum movet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moveri: imo vero est fons, & principium movendi. Demonstratio hæc, dicit Plato, contentiosis erit incredibilis; sapientibus vero è contra.

Dial. phœd. seu de pulchro.

Deinde, omne quod corrumpitur, à contrario patitur; sed hoc non habet spiritus, igitur neque pati, nec perinde corrumpi potest: est enim spiritus bellissima substantia; & talis, ut dicat Plato: *Ardentes enim concitaret amores, si quid tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret; at vero pulchritudo sola hanc habuit sortem, ut maxime omnium perspicua sit, & amabilis.* Contrarium autem in philosophia penes primas, aut secundas qualitates attenditur; in geometria penes quantitatem, & varias situs figuras, quæ omnia materiam, cujus substantiam spiritus quidem excludit, adnotare videntur.

Anima rationalis per se ipsa subsistit intus, & extra corpus, spiritum, intrinseca ratione sortitur, ab omni materia separatum; igitur immortalis est: à simili patet consequentia, quoniam Angeli non ex alio capite immortalitatem consequuntur; vel ex eo hoc etiam deducitur, quod in hac, & illis alia cognitio sit spiritualis à materia distincta; & sicut actus potentiam distinguit, sic actus cognitionis à materialis cognitionis actu distinguetur; quoniam à diverso principio procedit uterque actus; nam potentiæ distinguuntur per actus, & isti per objecta; & hæ, & actus, & objecta distinguentur; ergo cum diversi actus, sub formalitate diversa, non possint ab eadem potentia provenire, (nam oculus videt, & non audit) restat, ut si hic actus materialis cognitionis est; ille spiritualis sit oportet, ab immortali principio deductus, cum objectum, & immortale sit.

Deinde mens humana super animalia cognoscit, & futura considerat cum angelis, & actus liberos cognitionis extra materiam producit, cum æternitatem considerat, Deum appetit, & felicitatem non perituram præoptat: si ergo, extra limites materialis sensus est substantia, à qua fluit, & cujus virtute operatur, immaterialis, & immortalis erit. Enthymematis antecedens probat divus Thomas, & illustrat Plato: *Tota igitur anima undique saucia stimulo concitatur, & angitur, rursusque memor pulchritudinis, delectatur, & utrisque passionibus, vehementia, & novitate vexatur, & anxia furit, atque insanit: sic affecta præ furore, neque nocte dormire potest, neque die usquam consistere, sed passim discurrit desiderio pulchri perculsa; videns autem, & influxum cupidineum hauriens, abstrusa prius, & conclusa jam aperit, & resolvit: hac utique suavissima voluptate in præsenti usque adeo delinitur, ut numquam sponte ab ejus illecebris discedat, neque aliquem pluris faciat, quam amatum; non omnem colit, solummodo venerarur formosum: eum in pulchritudine illius simulachrum veneratur, & amat, ut immortale pulchrum, &c.*

2 contra Gent. c. 49. & 1. part. q. 75. art. 2. ex Arist. 2. de Anim. c. 10. t. 104. & lib 3. c. 4. & 5.

Dialog. Phedon. seu de pulchro.

Consequentia patet: actus debent potentiis proportionari: in homine est actus appetitus immortalitatis, ergo & potentia, quæ est principium talis actus, immortalis erit; major vel exinde probatur, quod materiales potentiæ non ultra materiæ cognitionem producuntur, & cum ipsa intereunt: minor autem deducitur à prodigiosis hominibus, qui immortalitatis desiderio mirabilia perpetrarunt facinora. *Socrates mortem in vase cicutæ bibit, de animæ immortalitate disserendo pro confessione Dei unius:* ut palam Plato dixit: Cleombrotus cum Platonis Phædonem legeret, de animæ immortalitate disserentem, ut hac citius potiretur, ex alta rupe se præcipitem dedit; testis est Augustinus, & Tullius. Deinde Demosthenes cum Antipatrum fugeret, Archiæ vitam pollicenti, dixit: *Absit, ut vivere turpiter malim, quam honeste mori, postquam Xenocratem, & Platonem de animæ immortalitate audivi.* ut testatur Ficinus: sub hac sorte Phœdium ponit Plinius, qui pro patria cum occubuisset, majorem postea felicitatem esset adeptus; licet futuram ille felicitatem denegasset. Hujus immortalitatis desiderio, *Erostratus celebre Dianæ templum, septimum orbis miraculum,*

1 de Civit. Dei 22.

1 Tuscul. quæstion.

In vita Platonis.

Lib. 14. lib. 18. & Tul. pro Areb.

Plin. lib. 27. cap. 30. Solin. cap. 7. Iuvenal. Satyr. 10.

De tranquillitate animi.

lum, cremavit Ephesi: ceu Strabo refert, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum diceretur orbem. Æternitatis desiderio flagravit Scipio, *qui cum ejus opera ab Ennio poëta æternitati videret consecrata, illius effigiem monumentis Corneliæ gentis voluit collocari*: ut Livius est author: quod fere fecit Brutus, cum Accii carminibus; ac ideo Pompeius Theophanem civitate donavit. Alexander plures esse mundos flevit, quando unus, qui deorum domicilio suffecit, suæ cupiditati gloriæ non sat fuit; ut refert Plutarchus. Hæc gloriæ cupiditas Pausaniam seduxit, ut Philippum necaret, ut gloria ejus in ipsum redundaret, ut refert Dion Cassius, & Plutarchus, & Epicurus, qui animas cum corpore mori ratus est, etiam Idomeneum ad stabilem gloriam hortatur: *Si gloria tangeris, notiorem te epistolæ meæ facient, quam omnia ista quæ colis, & propter quæ coleris.* Et Seneca, *nomen Attici perire, epistolæ Ciceronis non sinunt; nihil illi profuisset gener Agrippa, Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos, nisi Tullius illum applicuisset, quoniam inter tam magna nomina taceretur.* De hoc etiam Magnus queritur Alexander, Homerum non fuisse consequutum, cum ad Ulyssis tumulum incidisset, profunda super nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput erigent, & in idem silentium abitura oblivioni resistent, ac se diu vendicabunt, quod Epicurus amico suo dixit. Seneca hoc tibi promitto Lucili, Virgilius noster duobus memoriam æternam promisit, & præstat:

Alexand. vita Iustin. l.9. Epist. 21.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Bene ergo ducitur consequentia, ab immortalitatis desiderio, ad potentiam immortalem, & æterno coævam.

Deinde, rationalis anima, in ecstasi à sensibus abstracta, operatur suo alligata principio; & licet raro, sine miraculo potest; ergo, si corpore alligata valet per se subsistere, etiam valebit extra corpus: ergo immortalis valebit permanere; illud enim, quod ab altero in operando per se non dependet, ita etiam neque in essendo: ac ideo hæc operatio extra corpus transcendit, quia nihil humanum immortalem appetitum poterit satiare: si ergo extra ducitur, aliud à corpore, & mundo appetit alienum; quod immortale cum sit, & appetitus etiam, & potentia immortales sint oportet. De hoc in sacris literis mirabilia extant testimonia, apud Georgium, & Augustinum.

Virtus deinde moralis habitus extra omnem naturam animantis est; & extra omnem animalis habitum; hic autem est homini naturalis; ergo potentia, qua insidet, incorporea, & immortalis erit: minor, quæ argumenti portat difficultatem, à Seneca solo lumine naturali probatur. *Eo majori animo*, inquit, *ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel traditi boni perpetua possessio est, non dediscitur virtus, utpote quæ secundum naturam est: & sicut virtutes perceptæ exire non possunt, facilisque earum tutela est.* Contraria vero vitia in alieno hærent, &c. & Zeno, *finem*, dixit, *esse secundum naturam vivere, hoc est secundum virtutem, ut Laërtius; ad eam quippe nos natura ducit.* Hoc Cleanthes,

Homin. 26. in Euangelia initio confess. & Manualis 25. Epist. 50. lib. de Nat. hominis.

A hoc Possidonius, hoc Hecaton dixere; ac virtutem fore homini naturalem, ut testatur Laertius.

Ob præmia & supplicia deducitur etiam animæ immortalitas: in hoc homines omnium nationum conveniunt, ut utraque nos expectent æterna, & immortalia: ergo animus horum capax & immortalis erit; hæc enim, aut meretur præmium, aut supplicium. Hæc immortalia dixit Plato, Pythagoras, & Seneca; & inter alia, de Pythagora refert Laërtius dixisse: *Æque hujus*

In vita Zenonis.

B *vitæ, & æternæ habendam curam.* Memorat enim quendam Hieronymum ad inferos descendisse: *Ac animam Hesiodi columnæ æreæ conspexisse vinculis adstrictam, stridentemque vidisse. Homeri autem ex arbore pendentem, serpentesque illam circundantes, propter ea, quæ de diis finxerat.* Immortalis ergo erit animus, & istis coæqualis. Præterquam quod summa Dei justitia in hoc præcipue consistit; ac Deum norunt omnes barbaræ, & incultæ nationes; ejusque justitiam æqualiter verentur, & venerantur.

C Maxima quæque ambigua sunt, dum alii quodammodo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt: *Et gliscit utrumq; posteritati*; ut dixit Tacitus: nec perinde est omnibus possibile rationes æque valentes esse: hæ utique cum rebus, quas exprimunt, cognationem quandam habere debent; sed hoc habent infelicis fortunæ, quod validæ prætereuntur, & solum inefficaces convelluntur; hoc semper ratum habuimus, quod quæ necessaria sunt, turpe est nescire; sed exquisite cuncta perquirere, nec facile, nec semper

Lib. 3. Annalium. Plato Dial. 5. de legib. Lege 2 Cod. de vet. jur. enucleando.

D possibile: *Omnium enim habere memoriam, & innihilo errare, divinitatis potius, quam humanitatis est*; dixerunt juris periti.

ANTI-THESIS VI.

In apologiam de patrimatrio.

Non est illustrium animorum invidia; imo illustris vilescit; multoties præcellentiæ fallit imago, quoniam, ut Homerus dixit:

Non datur, ut rebus præcellat in omnibus unus.

E De hoc apud Jovem pavo queritur, quare formosum splendorem, & pennarum varietatem, vocis suavitate destituit, & abjectæ Lucinæ tam cumulate dedit; Cui Juno, recte, inquit: non enim omnia in unum bona conferri oportuit. Hoc etiam monstrant ingenia, quæ quanto plus uno imminuerunt opere, tantum in aliis defecere. *Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta relinquit: Ciceronem eloquentia sua in carminibus suis destituit: orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur: eloquentissimi viri Platonis oratio, quæ pro Socrate*

Seneca 3. Controv.

F *scripta est, nec patrono, nec reo digna est*: Sed quod mihi magis extitit admirandum, fuit, quod humilitas etiam petatur invidia, cui potius debetur miseratio; nec etiam hujus infelicitatis desunt exempla. Super omnem miseriam infelicior, ad scopulum ligata, stat Andromeda, cum formosæ Nereidæ citatiorem ejus solicitabant finem, ne aliquis Deorum ei fortasse obvians illam protinus cæco amore deperiret; talis est livor, ut adhuc summæ infelicitati non parcat invidia; sed adhuc ista est alia infelicitas major; quoniam sicut antiquitati, nemini invidere, fuit summa fe-

licitas; sic nostræ ætatis summa infelicitas est à nemine invideri; sed adhuc ista in natura solatium invenit; nam ut Ovidius:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

An corpus temperamentissimum & ad pondus crassiora vitet excrementa: incidimus in proverbium, in cæcos aliorum reprehensores, qui de furto alieno suspicatur, furti suspectus redditur, & incidit in ea, quæ vituperat, sed loquaces domi hostem habent, ut fert parœmia; Pocam sapientissimum defendis, necessariis deficiens prolixus in superfluis; ad Hermetis trutinam, tua & aliena pensitavi; & antiquum mox inveni proverbium, quod sine obsonio convivas fecisti: Plautica fuit sententia, quod *feliciter sapit is, qui periculo alieno sapit.* Quæ medicinæ & tibi curæ erant, vel penitus intacta reliquisti; quæ vero sacræ paginæ, ea ita diffuse recitas, ac si tuis illæ forent indignæ Theologiis. Hæc te potius ab alio accepisse, ratio, & doctrina persuadet: quando integram quæstionem à Peramato accepisse vidimus; cito te nudum considero, cum unaquæque avis proprias exigat plumas: hoc tamen certo scio, si in judicium venero, periclitans ab eis, quos affers, improbum fore, qui me accusaverit; nullus enim bonus hominem accusat insontem; idem tamen mihi eventurum puto, quod Medico dixit Plato, quem inter pueros coquus accusavit: *Vir iste, ô pueri,* dixit ille, *multa vobis intulit mala, & vos, & minores etiam vestros secando, urendoque contorquet, amarissimosque præbet potus; ad famem, sitimque urget: ego vero è contra, multa suavia vobis paro. Hæc si coquus afferat accusator, valebit fortasse medico; si dicat, hæc quidem, ô pueri sanitatis vestræ gratia feci, quam vehementer putas judices hujusmodi reclamaturos, in maxima igitur ambiguitate, inopiaque suæ defensionis medicus detinebitur; utpote qui nullas voluptates ad eorum libidinem commemorare possit, quas ipsi beneficii, voluptatisque loco existimant; ego vero nequaquam neque ministros quidem earum probo, neque eos ob id, quibus probentur feliciores existimo:* dixit Plato.

Dialog. Gorgias.

Cibus, & potus, quibus præcipue nititur educatio, ut plurimum, mutant mores, ut Plato Timæo monstravit, quando cœli clementia, aut temporum; & soli mutatio hæc valeant producere, & hoc ideo, quoniam pleraque edulia excrementi multum relinquentia, aut vehementer corpus alterantia, corpora reddant inepta ad cœlestes, & optimas operationes: ac ideo legis latores non pauca civibus prohibuerunt, ne mores illorum corrumperentur: *Nam Carthaginenses, ne domi mancipium, ne in civitate magistratus, ne in castris miles vinum gustui biberent, prohibuerunt:* quos imitatus Plato, hoc etiam lege mandavit: *Ne pueri vinum gustarint, neque servi, neque judices, ac nulli penitus interdiu, & nuptiis, neque noctu, quia ultra mediocritatem in furorem rapit:* ut adnotavit Jamblichus ex Pythagora; si bene senibus, ob diversam temperiem, permisisse constat moderatissimum. *Hinc Pythagoram fabas, & alia crassa edulia discipulis prohibuisse, refert Iamblichus.* Licet hoc alii, quia *faba olim Ægyptiis venerandi numinis instar fuerit, tantæque religionis, ut nec illas illis serere, nec comedere, nec calcare fas fuerit; quin etiam nec aspicere,* ut Theon grammaticus apud Plutarchum, & plerique alii tradiderunt: per eam enim velo coopertam, numen intelligi voluerunt: Erodotus tamen nostram confirmat sententiam. Et alii, quod inter funesta fuerint olim à Romanis reposita: *quando neque Diali fas illam tangere, neque adhuc nominare, ut mortuorum omen.* Nam parentalibus ferebantur sacrificiis. *Quoniam in ejus flore luctus quasdam inesse litteras judicabant.* Testis est Festus, Pompeius, & Plato, ita ut *olim mos fuerit fabas in funeralibus ducere, & comedere*, quod usque ad sua tempora durasse narrat Pierius. Hac eadem religione Pythagorici venerantur fabas, *quod mortuorum animas in fabis habitare, essent rati: ac ideo Pythagoras, cum percussores fugeret, & in arvum fabis consitum incidisset, qua tutus ei dabatur exitus, si se in eam segetem immisisset, ab inimicis potius trucidari, quam fabas, animarum conceptacula, conculcare maluit.* Hoc tamen fabæ super alia celebratur, ut castitatis sit symbolum: eo enim spectat Pythagoræ illud præceptum, *à fabis abstine*, hoc est à manibus, oculisque nostris omnes nequitiæ repellantur; quod Empedocles celebravit versiculo. *Ab miseræ fabulæ miseri seducite dextras.* Alii, ut dicit Gellius, fabas pro testiculis accipiunt, quas ita symbolice Pythagoras appellavit, cum illæ genituræ vim suggerant inclusis flatibus, & substantiæ mollitudinem; ac ideo Empedocles ab illis edendis dissuadet, ut ingenio expeditiori vacare liceat. A fabis etiam discipulos abstinere Pythagoram mandasse, dixit Laertius, quia ejus cibus inflat; quod ille maxime abhorrebat.

Dial. 2. de legibus.

In ejus vita.

In vita Pythag.

Si ergo nutritio usque ad finem vitæ producitur, qua novæ particulæ corpori adjiciuntur, hoc oportuit alteratione, & substantiæ commutatione fieri, dum ex sanguine os, caro, aut cartilago generatur, præhabitis antea ventriculo, & hepate coctionibus; assimilavit ergo simile, hoc est, commutabile; quid faciemus reliquum, nam in excrementis terreum, aëreum, & serosum superest: dissipabitur fortasse? Hoc scimus, crassa dissipationi resistere, ac ideo naturam providam omnibus, ne humores corrumperentur, propria receptacula destinasse: an ergo in temperatissimo corpore hæc essent instrumenta, & mirabilis fabrica; est plane necessarium, si naturale est; ab animali ergo facultas naturalis in hoc differt, quod hæc, undequaque libera, objectoque non impedito, nec aliter deluso, necessario in effectum prorumpat; quando capto consilio animalis. Hoc scimus naturaliter in naturæ ordine esse constitutum, ac non posse aliter evenire, & quidquid ab hoc egreditur, aut ordinem naturalem superat, aut naturale esse desinit.

Solum restat, an temperamentum perfectissimum, & secundum facultates robustum, à ratione talis hæc potuerit crassa excusare excrementa; divinum quidem excipiamus, dixit proverbium, & hoc si foret possibile, aut esset ex parte corporis, & facultatum, aut ex parte alimenti: corpus, jam diximus, secundum facultates non posse non operari; & nutriti alimentum, etiam simile, & contrarium semper extitit secundum partes, quæ nutritioni cedunt, aut resistunt; nam quo alimentum magis ab alenda natura distat, eo magis relinquit excrementi; suppetit ergo necessario excrementum, ex propria ratione alimenti, & corporis, in corpore licet temperatissimo, aut ergo facultas hujus temperamenti, ut hæc

hæc valeat diſſipare excrementa intra naturæ limites operatur, aut extra metas educitur: ſi primum, limitata ſit oportet. Detur ergo, quod operetur ad ſummum ſecundum facultates miniſtrantes; nonne unaquæque ſuum opus perficiet ſecundum naturæ finem expellens; expellat fortiter, non antequam retentrix demittet, expellet, & coctrix; non antequam attactrix, ſuum opus perficiet: ſi igitur robur non valet opus prævertere, nec immutare, ſed ad ſummum vigoroſius operari, neceſſe omnino erit, quod excrementa, & fiant, & expellantur: nam finem propriæ conſervationis non debent excedere: ſi ergo generando,& expellendo excrementa,poteſt in belliſſimo naturæ ſtatu conſervari; & ſtatus naturalis non dabitur ſuperior ſub ipſa lege naturæ, nec etiam erit alteri aſcenſus. Fateor tamen, temperatiſſimam temperiem robuſtiſſimas facultates omnes poſſidere, quibus mille ſuperflua,inæqualia, morboſa,ac plane rationi contraria, ſuper omnem naturam propulſabit; ſed non omnia, & hoc illi nec indecens, nec indecorum erit, quando antea ex ſanguine, & ſemine in utero corpus, animam, & vitam accepiſſe decens fuit. Si tamen diceres, quod, ubi ratio coërcet appetitus, omnes appetituum propenſiones vinceret,& coërceret,quas excrementa ducunt:hoc eſt plane veriſſimum, & in hoc erit admirabile privilegium (nam interdum dimidium eſt plus toto, ut dixit proverbium, ſi bonum eſt dimidium, ut placuit Eraſmo; eſt plus toto malo) hoc enim, ut tale ſit, in excellentioribus debet eſſe, nam in illis, quæ alicui dignitati non conducunt, nec privilegii rationem meretur.

Hæc ſi non placent, non mirabor; non eſt enim in rebus vitium, ſed in animo; nam nihil refert, an æger in lecto ligneo, an aureo collocetur, quoniam utrobique jactatur; ſed ad poſteros venit incorrupta fides, & ad præſentes ingenuos. Sed ego præclariſſime actum mecum ſemper putavi, ſi eruditorum hominum ſcripta intelligentia aſſequerer, utiliterque ab eis inventa recte uſurpare didiciſſem, tantum abeſt ut ſuperare eos me poſſe unquam vel ſomniaverim; quam ob rem, non debes à me expectare meliora illis, quæ vel à ſummis in arte noſtra viris excogitata; vel multorum ſeculorum uſu, periclitatione que artificioſa comprobata accepimus. Et ſub correctione Sanctiſſimæ Matris Eccleſiæ, & ſapientum virorum damus. Anno 1634.

Senec. Epiſt. 17.

FINIS.

Expugnati Antitheſei ſapientiorum judicia.

Sobria,& neceſſaria defenſio arrogantiam magno veluti paſſu gradientem, prorſuſque jam ferocientem compeſcuit: & æmulatio in utramque aurem dormientem opinionem excitavit: Plautica fuit ſententia, quod *feliciter ſapit is, qui periculo alieno ſapit*; cave ergo in fide illuſtrium virorum, ut fides tibi, libertaſque conſtet ingenua. Quis enim tibi faſcinato, potius quam viris perilluſtribus, & quibus veræ ſapientiæ generalis opinio felici plauſu ſubſcribit, fidem adhibebit? En, illorum elogia, quæ ſub fine ideo prodierunt in lucem, quod tantorum virorum negotia adhuc exitus deſiderium non poſſent retardare, cui adhuc ipſa celeritas mora fuit.

Genere illuſtris, ſapientia illuſtrioris, humanitate illuſtriſſimi, D. Doctoris, Franciſci de Figueroa, Sanctæ Inquiſitionis, & Hiſpalenſium Medici, judicium.

Ornate, docte, clare, ſubtiliter, apte, noſter Theſeus loquitur, & ita candidum, & ſine livore conatur ſe adſtruere, ut nomen adverſarii in totum ſileat (etiam ſi ab ipſo maxime provocatus fuerit) Naſonem ſequutus in Ibin.

Quiſquis eſt, & nomen utrumque tacebo.

Et quemadmodum quondam Theſæus Ægæi Regis Athenarum filius, qui æmulatione laudum Herculis magna, & ardua bella geſſit, ſcilicet contra Amazones, quibus debellatis Reginam ſuam Hyppolitam rapuit, Creontem Tyrannum Thebarum, qui mortuos in bello prohibebat ſepeliri, interfecit, oppreſſit, & terribilem Taurum in Africa, Minotaurum occidit in Labyrintho, debellavit Centauros, Thebas domuit: ſic hic noſter Theſeus à ſuo provocante commotus, & quaſi ſtimulo quodam devictus, ſui irritantis apologias, quaſi Amazones debellat, occidit, interficit, domat, & opprimit in ſuo Antitheſeo, ita diſerte, ut prælo, & luce dignum ſentiam.

D. Franciſcus de Figueroa.

Ornatiſſimi Viri, litteris, & virtute inſignis, politica facultate inſignioris, D. Doctoris Ioannis Baptiſtæ Monteſdoca, Medici Hiſpalenſis, judicium aliud.

Tuo devinctus imperio, Doctor amantiſſime, interponere judicium in Antitheſeo, quem typis mandaſti præſentibus diebus, hilari vultu concedere aliquibus de cauſis decrevi. Prima, quia mihi, trutina mentis acie contemplanti, ſeſe obtulit latiſſimus campus, ut impendentem calamum tuæ laudi dicatum, & elogium dignitati conſecratum, bonorum judicio, ſi ex voto cedat, bene meritum affirmem. Secundo, quia ab incunabulis veritatis cultor, ut arrogem (abſit animi elatio) ſententiam meam ſemper proferre non recuſavi: Ultimo tandem quia tui nominis tenebrarum caliginem depellere decebat; nec te animo frangi expediebat, conſulens famæ, erigens mentem, reſpiranſque novam auram eximia lucubratione, cum poſſis, morem geſſi. En æs alienum contrahere alicui videbor, oppignoratus judicabor; Quid ni? boni rectique judicii cenſorem agere pudebit? Libenter fateor, videri non abhoreſco: nonne poſſum virum hunc diligenter ſtudioſum, & noſtri pariter, ſic occupatum, ſimul amare, admirarique? Quiſquis es, diſcute laborem, perpende vigilias, pudebit ſine dubio, vel ſpargere, vel audire calumniam de illo. Utinam fides abducatur, ſive de illo, ſicut de altero perpolita oratione Fab. *Neque vero grande illud, & excellens ingenium, quod veriſſimo elogio Princeps omnis eruditionis, à Principe, & ipſo ejuſdem laudis audivit, una gloria materia contineri potuit, ſed per omnes diſciplinas verſatus, omne fere ſtudiorum pertractavit genus.*

In præf. ad lib. Sen.

genus. Si enim, lector amice, attente oculis lustremus laborem hunc, silvam rerum, & miscellanea argumenta comperiemus, in quibus desinere cum lubet, inserere, varietate, ut lubet, neque adstringi ad ordinem, aut certam materiam cohibemur. Hic series medicarum quæstionum, physicarum elucidatio, pondus rerum, sententiarum gravitas, humanarum literarum, & eruditionis perspicua cognitio, ita eleganti stylo exarata conspiciuntur, ut hominum memoriis sempiternis tradi dignissime affirmemus. Versute A maledicorum execratio contra te expergefiat, ô felix, fortunateque non tibi, quod alter deprecatur? *Dum exoro, ut quicunque non sustinent te diligere provectum, medullitus æstuantes, à semet ipsis livoris proprii exigant pœnas, cumq; nullas in se habuerint causas misericordiæ, habeant invidiæ.* Perge igitur, festina, vir sapientissime, ut in amicorum gratiam lucubrationem istam edere possis, feliciter elaboratam profecto, utilem lectoribus, & perhonorificam tibi. Vale.

P. scrib. in Politi.

D. Iohannes Baptista Montesdoca.

FERA-

FERALIA AD TUMULUM ANTI-THESEI.

Et eſt etiam Morbus aliquis per ſapientiam mori.

Plin. 7. Nat. hiſt. cap. 56.

AUCTORE

DOCTORE CASPARE CALDERA DE HEREDIA,

Excellentiſſimi Comitis Nebulenſis olim Medico, nunc Carmonenſi.

Sub fœlici auſpicio Nobiliſſimi D. Doctoris FRANCISCI DE FIGUEROA, Hiſpalenſis Archiatri, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis Medici.

Las muchas ocupaciones mias, y ſin ellas los achaques de mi corta ſalud, no han dado lugar a que mas preſto aya viſto eſte tratado que V. m. me ha remitido ſobre el lugar de Plinio en el lib. 7. cap. 50. Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori. *Acuerdome que aurá treynta años que eſte miſmo lugar diò que entender a muchos hombres doctos, y vi entonces varias interpretaciones, no ſolo de Sevillanos, ſino de Alcalà de Henares, y Salamanca. Veo aora el parecer de V. m. con tan ſolidos fundamentos, y de camino tanta erudicion, que ſin hazer agravio a los demas, me parece de lo mejor que he viſto, y ſolo me peſa que eſto no ſe logre en algun tratado grande, para que todos le gozen. Tal es mi parecer. V. m. podrá darlo a la eſtampa, (en el interin que no determina otra coſa;) muy ſeguro de que a los amadores de buenas letras parecerà muy bien. Guarde Dios a V. m. Sevilla, y Abril 11. de 1636. años.*

El L. Rodrigo Caro.

He leydo con grandiſſimo guſto, y attencion todo ſu papel de V. m. v. cierto que eſtà lleno de mucha erudicion, y bien trabajado, y el aſſumpto bien decidido, al fin ſeñor, como hijo de ſu ingenio de V. m. de quien eſpero ver coſas mucho mayores, que importen muy grandemente al provecho comun, que de un buen ingenio, y amigo de trabajar, razon es eſperar muy luzidos trabajos. Nueſtro Señor guarde a V. m. y le dé ſalud para que los haga, y a mi me dexe ſervir la merced que V. m. me ha hecho, que eſtimo la que en eſta ocaſion he recebido. Fecha en Sevilla, 16 de Abril, 1635 años.

El D. Luys Perez Ramirez.

Sub Fœlici Auſpicio D. Doctoris Franciſci de Figueroa Medici Hiſpalenſis.

An ductu meo, an tuis fœlicibus auſpiciis res geſta ſit adhuc dubito: ſed non quod ad te mea leni rivo ferantur, vel magnetis ritu illecta de illectione concertante cum humanitate ſapientia, hæc ſuperat, quando illa vincit: trahit hæc purpuram: illa gloriam; nec iſte ut indigna reſpuit, quando illa meretur, cum ſchine ad Socratis exemplum, vel Cæſaris cum Polluce, Auguſti cum Vitruvio, nec Antonius humilem Oppiani de piſcibus tractatum, nec Diophanis agriculturam Deiotarus Rex deſpexit: nam ſolem æmulatur auctoritas. Sed hæc magnæ majoribus fatis imples: quando enim te negotiis onerat civitas, tu retributione ſuperior honoras civitatem: ad cumulum laureas addidiſti: ut hic ergo veriſſime triumphus gloriæ, per poſteritatis ſeriem inoffenſos agat curſus, ineundum eſt cum literis fœdus, quo, & illis præſens faveas, & tibi illi aliquando abſenti, æternum paremque virtutibus tuis locum inter Heroës conſtituant. Et utinam parvulus iſte noſter Muſarum cantus, te reddat poſteritati fœlicem, neque enim aliam Alexander, nec Cæſar ſperaverunt triumphis ſuis ſortem, quam quæ ex eruditorum favore contigiſſet: prævenimus modeſtia certamen, ut qui virtutem non amabant, tuæ ſaltem fœlicitati fiant Heliotropium.

LECTORI.

Livoris Hydriam Ledæ filius ferro repullulantem, ſed igne funditus abſumptam labori litavit immortali: ſed talis eſt aliquando necroſis, ut neque in igne remedium adinveniat: hanc fere deſperatam ſummæ deſperationi relegavit Natura, & ſummæ temeritati Celſus. Tu autem benigne lector, cui nam inſulæ, videris? Hos enim commentarios, & Theſei labores ſcripſi, non exſcripſi, & meo remigio (ut dixit Lipſius) rem geſſi, veterum multa percurri, nova dedi, neutrum ambitioſe, ne faſcinato contagio videar laborare; tot enim homines peſtilens livor exhauſit, ut vix plura gladiatorum paria olim Romanorum arena conſpexerit; non affectatim, ſed ea quæ ſub manum venerunt admiſcui: ut flores, qui in ſegete vel ſponte naſcuntur: illuſtriſſimos viros ferentes, in hac ſegete fœlicitas videre non permiſit: in aliena aliquando facem prætuli; ſed non niſi cum opus: hæc candidis ſcripſi, nec de tortis variiſque judiciis, quibus veritas nec lucet ad meridiem. Si ſtyli ſuavitas pertinet ad decorem, quid faciam? Ita genium natura mea, & judicium eſt; ac ſi magis tibi protrita ſapiunt, & vulgata, abi, mi homo, non ego cymbalum ad aures tuas. Si hæc enim noſtra, aliena videntur, auctorem acclames ſaltem, ſin aliter, taceas: quoniam nos jam tertio certamen experimur; tertio in arenam deſcendimus: & tertio veritatem tot fatis lacerandam, exponimus, inaſſueti candoris in exemplum: tertio ſigna, & Aquilas circumferimus, nunc fortaſſe dulcius concinent Muſæ, altiſſima literarum in ſcena, ut videamur fortunam ſuperaſſe?

FERA-

FERALIA AD TUMULUM
ANTI-THESEI.

STATIO I.

Quos profana vicit ambitio, hos crudelis lacerat æmulatio.

Nondum sub Leone Phaëtontis sorores, fratris infœlicem, funebri luctu, sub pyra girantis, obitum fleverant præmaturum; cum nos livoris, si non liventis animi aggreditur tempestas: sed nedum Hyades sub scorpione, fratris obitum plorant, cum sub alieno gladio ultio livorem excipit: nec vincit, qui semper adornat machinas, sed quem adornat justitia: neu pietatem deseras, ne te fides incuset: sed proh dolor! Omnia transeunt in scenam; nam unusquisque suo concitatur œstro ob medicinæ mutuam contumeliam; nec pudet virtutes in clientelam vitiorum admittere: vitia enim non ideo in usum recipienda sunt, dixit moralis sapientiæ Præceptor, quia aliquando aliquid boni effecerint; *nam & febres quædam genera valetudinis levant, neque ideo non ex toto illis caruisse melius est; abominandum enim genus remedii est sanitatem debere morbo:* aliquando venenum, & naufragium, inopinato profuit; nec ideo rectum ab errore est imitandum: nec solum sermonis larvam decuit tenuisse, sed modestia sermonem commendare, tali fide, ut plausum concinne & leniter mereatur, ut in eosdem cum illo affectus secum trahat. Hoc maxime semper delectat cultissima amænitas ingenii: hoc tibi in hoc ludo, quod in poësi contingit, quippe tale esse poëseos genium soleat, ut ad aurium voluptatem exseret extra verum; eo quidem licentius, quod cum credat, sibi non credi, quidquid fingit innocentis potius ludi, quam inverecundi mendacii res est. Praterea videtur sæculum ita ferre, ut omnes fere hæc larva illuserit, an potius dicamus fatum? Quod ad tempora nascitur. O quanto minus est, suo quemque quam alieno judicio esse fœlicem! A te ipso tuo de nomine proscripto doleo, quo ipso famam proscripseris: virtus fuisset animum à scelere cohibere potius, quam fœliciter peccare; postea enim latronum est pœnitentia: sicut in bellicis tormentis irreparabilis, quibus postea inermis adhuc puer incedit. Si ergo me perdere invidiosissima delatione sustinuisti, quid dicam tibi? Laudo te, in hoc non laudo: quæ mora, quive dii ex nostris mentibus tantæ culpæ memoriam eripient? Sed faxum delineat supplicium, amentiæ ignoscimus; me enim hercles, furioso, non nisi furiosus respondet: è re tamen tua te facturum puto, si rursus scribere statuas, ut donec insanire desieris expectes: *prudentis quoniam (ut dixit Plato) duntaxat officium est, quæ à fatidico, furentique ingenio dormiendo, aut vigilando pronunciata sunt, intelligere, ut quæ bona, quæ mala explanet: illius tamen, qui mansit, manetque adhuc in furore non est officium, quæ viderit, aut protulerit judicare.* In te aliquando, filiisque collati beneficii, bene memini, & si beneficiorum bene dixerim: & candidæ liberalitatis est, pro tempore libratis, aut beneficiis uti, aut reminisci: sed ita natura comparatum est, dixit Seneca, *ut altius injuriæ, quam merita descendant:* & Tacitus: *proclivius est injuriæ, quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur:* & causam mirifice reddit Dio Cassius: *quia humilitatem redolet beneficium accipere; atque istud quidam, quod dedignantur videri beneficio affecti tanquam minores: in hoc enim consuetudo obtinuit, ut post multa beneficia, plus ponderet leve peccatum, quam omnia illa.* Quam belle dixit Plautus:

Si quid benefeceris, levior pluma est gratia:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.
Sed nec semper inultus cursum peragit, nam
Pulvere, qui lædit scribit, sed marmore læsus.

Nec omne, quod licet decet; unde ultimum consulit Tullius pro Balbo, & pro Rabirio: & Claudianus Poëta Honorio consuluit,

Nec tibi quod liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat; mentemque domiet respectus honesti.

Genium, quem aliquando laudasti, nunc vituperas, cothurno versatilior, & magis, ut dixit Plinius, chamæleonte versicolor: recte omnes sapientes, excepto Parmenide, dixerunt omnia semper transmutari, & à sapientibus aliud Pythaci dictum celebratur, bonum manere difficile est; sed proh dolor! Fœlix olim sub Mercurio nata, nunc retrograda sub scorpione nascitur medicina: forsan quia nunc infelix, sub scorpione nascitur æmulatio. Sed iterum proh dolor! Invidis morte vita prior; quoniam ut araneæ sese evisc erando moriuntur; & fame tabescunt invidi, in se hostiliter pugnantes; nullibi enim feriatur invidia, nec noctu perfuncta somno, nec subdiu quiescit: imo Servos ut venalia tractat mancipia; ut feris reddantur feriores; sat enim pœnæ tulit invidus, qui in invidiosi exaltatione pœnas luit. Invidia suorum carnifex, dixit Chrysologus, *semper extitit;* extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit; *hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem: unam tamen requiem mali spectat, si quando cui invideat, ruentem aspiciat, ac inde Poëta tragicus:*

Pelopis domus ruat, vel in me,
Dummodo in fratrem ruat.

Famam populo immolari cœpisti Tyriorum exemplo, incertum implorans æstimationis auxilium: puerum Tyrii immolare cœperunt (nefanda piaculi consuetudo) & à Tyriis orta crudelitate moris nefandi in Africa Carthaginensibus suis colonis tradiderunt: externamque & barbaram devotionem in Deos territi, nec minus terribiles pleriq; usurparunt, quia miseri, aut anxii mortales terribilia, & incognita remedia arcanam

Senec. lib. 1. de ira.

Dial. Thima. libr. de nat.

Lib. 4. Annalium.

Lib. 46. histor.

Lib. 28. c. 8. Dial. theatetus vel de scient.

Sermon. 172.

nam vim habere existimabant, fœdæ sævitiæ auxilium implorantes, & sævioris numinis, quod tam turpiter placari amat, cum deceptæ mortalitatis infamia. Crudele sacrificium in Taurica regione observatum, pro Diana placanda, ex cervi morte, quam fecit Agamemnon in Achaicis, refert Pausanias, quod sane crimen Iphigenia filia immolata expiavit: ab his prava consuetudo Romanis dimanavit in Aricia, quos postea crudelitas deterruit, ut Vincentius in Dianæ imaginibus refert, non enim pueri *sanguine, aut immolata fama, est à fatis comparanda victoria.* Diis sacrum hoc fero, si tam turpem hostiam forte accipiunt: non enim celaverint præteritæ vitæ probra, inter furentis voces: ira justa addit vires, quando horret memoria ad criminis flagitium: sed ipsa tua oratio dissuadet; parvo enim momento deflecti, aut intendi negotia possunt, & ex supercilio, aut remissione dicentis, subitam efformamus, & maxime efficacem, in mentibus imaginem rerum, quas primum audimus; oratio enim valde intendit, aut inflectit animos: cum apud fœliciter dicentes Rhetorica sit artis incantandi particula, ut dixit Plato: Non est sapientis, nec philosophi admiratio, rei præsertim illius, quam se mirator apprime callere gloriatur: profanum certe est illa, quæ nos nescimus, alium nec posse tenere, judicare: *Contemplare jam* [dixit Plato] *& diligenter cave, nequis profanus hæc audiat: profani vero sunt, qui nihil aliud esse putant, quàm quod pugno tenere possint, qui sunt à Musis admodum alieni: beatum profecto* [dixit alibi] *hominum genus esset, si quispiam posset omnia scire, saltem ut à contradictionibus sophistarum liber evaderet.* reliquit pater filiis duobus vineam. Thesaurum in ea invenietis, inquit; laudabili uterque concitatus avaritia, mutuo, nec invidioso certamine, ad ultima vineæ elementa terram evolvit, & in labore Thesaurum adinvenit, nam ipsa labori grata, Thesauro æquales rependit fructus. Scientia est vinea; in prosecutione Thesauri laboramus, laboret unusquisque & consideret, quod in stadio omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis (dixit Apostolus) nec aurea Athalantis poma vos detineant: orbem, qui mappa rimatur, brevem judicat; ambulas, & circumvolutos sinus, mariaque perlustra, & mehercule finem, nec post longos anfractus horrida pariet admiratio quæ rabies, quæ indignatio, quive ingratus furor te corripuit ut ad Theseum, seu ad Medusam aspiceres? Immotus astitisti, stupens, fremens, perculsus, & attonitus: errori ignosco, non gloriæ; dicas, ad libitum; nos enim super livorem pedem fiximus; velit nolit invidia. Multa aliena, sed nostra suo jure ambulant in cothurnis, ut Lipsius in Thebaida dixit: *ægrotanti omnia amara videntur, quæ gustat, bene valenti contraria sunt atque videntur,* dixit Plato: *animi parum liberi,* dixit Crinitus, *& insinceri esse invidiæ magis, quam doctrinæ concedere.* Potius obstinato silentio te multum tacere expediret, quam animum ingratæ immerentis contumeliæ, contra fidelitatis jura applicare; pleraque enim tempore mulcentur, & odia, quæ tempore foventur professa sæpissime expirant: quæ ergo contumelia est, quæ te lacessit? Vividus scribentium vigor non extra literarum certamen, salvo pudore progreditur; literæ enim non odio, non jurgiis, non simulationi, non infidelitati destinantur, nec in cæca, & ex transverso pericula: teque per deos Lares obtestor, ut quid à me mali acceperis, in medium producas, an sit sat odii, ambitiosa materies: nonne injuste lacessisti furias? Haud immerito objurgator accipiet? Si contra fas gentium, fas, rectumque mortalium, violatum duxit: cave igitur ne quod famæ furiis libaveris: infœliciter enim tecum actum puto, si genium alio, quam in veritatem avertas: nec aliud permittat fatorum fœlicitas; quoniam est super medicinam iste morbus. Odiis Penates Deos confundere, nec sanguinem, funesto ambitionis impetu miscere, pudor impedit, & pietas redarguit. Fœlicitatis cupiditas, non fastum, sed ingenii liberalitatem exoptat; aliis humilitatem, curas alteri, omnibus laborem, proscripsit alta vanitas; & ambitio per confragra ducit obnoxios, &

Sævit cura ferox, pulso non abditus ore,
Ipse sua insanus furit in præcordia livor.

Forsitan mei tua incauta æstimatio avaritiæ tuæ irritandæ insidias instruxit; sicut invidiosi metalli parum tuta servatio, quod multos suo pretio invitat ad opulenti facinoris audaciam: tu non es sicut cæteri homines, raptores, injusti, &c. Ego vermis & non homo: attende finem, peccatorem publicanum sua commendavit humilitas, & sua opinione fœlicem Pharisæum, sacrilega damnavit elatio. Non tuam superbiam aliorum ambitus accendit; quin potius tua ambitio: sicut contentionem ad opes cæterorum aviditas: nam plures exemplo, quam ingenio peccant, infœlici contagio. Ergo tristi discrimine lacerandam, sub insania fortunæ, quinimo infortunii arbitrio exposuisti famam, & forsan utriusque naufragio: quæ Scylla, quæ Charybdis, tam sibi, quam aliis fatalis extitit? Dura sicut infernus æmulatio: ferales, post odia, & omnibus ominosa gentibus, tot cruore funebres, tibi parasti tumulos: libertati habenas relaxasti; te decepit libertas: fatis cessit industria: ruat cum aggeribus ambitio.

Thesei, & Antithesei scripta, an vera, & an nostra, non est opus anxia eloquentia commendare; hæc enim percincto jure se commendant, & magnetis ritu, ingenua non fascinata alliciunt ingenia. Et nobis cessit fœlicissimæ temeritatis par consilium, par fama, nec impar fortuna tulit: licet tui ingenii parum fida designia ubique experiar, sed pene tristiora fuere apud nos pace, quam bello discrimina; cum supra humanæ cupiditatis morem, res plausu tumentes ambires, inferens vim fortunæ, quæ te majoribus deservit. Omittimus exempla, utpote, quæ istam veritatem acclamant rumore tacito, tunc spes dubia, ut Africana fides: inde meo, heu! Malo libenter tibi, an sat juste fiderem, par fama, impar fortuna tulit: & ut ex tempore discederem fœlicissimæ temeritatis consilium: quæ quantæ molis res fuerit, adhuc animis revolvo, cum me toties devolutum, per Principis confragra, si non opera (quia tibi non datum) animo affectasti. Etsi dicas, quis te Deus in mei animi secreta perduxit, adhuc fata experior, quando tu marcescentis auxilii victoriam ex insolenti jactantia captavisti.

Ego

Fol. 68.

Dial. Theaetetus. lib. de scientia.

Dial. Sophista, lib. de ente.

Dial. Theaetetus, lib. de scient.

Ego autem virtutis plurima semper amavi, sed præcipue fidem, & plerisque virorum ignotam modestiam. An hæc eloquar nescio; nam Deo sapientiæ litavit eloquentia; & accepto furore extra se loquebatur. Pugnavi non injustus spoliis animosus hostilibus circumferens jam clypeum, simul ferrum, semper omnia simul, gynæceis adornatus conatibus: queis invectiva tua cedit in fabulam; & apologia in scenam: & emendatio ista absurdior est, quam quod emendas: *nam ridiculi medici est*, dixit Plato, *quod cum curare intendit, morbum adauget.*

Dial. pro-thag. seu sophistæ.

STATIO II.

Sapientiæ suprema excipiunt altissima Poëseos, & afflationum vaticinia.

Senectus implacabiles juventutis ardores, ac effrænes animi passiones, vel sola experientia contemperat: lenitate demulcet, ac ultima lenit defervescentia: contraria etenim, ad animi perturbationem hominem ducunt, si sapientem excipias, dixit Plato; *nam voluptas esca maxima mali, dolor, fuga, impedimentumque bonorum, audacia, & metus, consultatores amentes, iracundia implacabilis, spes blanda, cum irrationali sensu*: hæc omnia sapientem vel timent, vel venerantur; productio enim rationalis judicii aucta est, utpote quæ trahit ad sacra; vitii autem, est dura, & ferrea; uniformis illa, & multiformis ista; verborum potius temperantia, actionum modestia, ac vitæ senescentis exemplo, nos adjuvare, ætas, & artis professio postulabat: quantum enim oporteat in rep. bonorum hominum consuetudo, vitæ probitas, & exemplum, fit nobis exemplar Socrates, qui Phædonem à lupanaris infamia liberavit, ab eaque calamitate redemit, fecitque sapientem: Platonem Poësi deditum coëgit tragœdias igni tradere, & studia pretiosiora capescere: Xenophontem à vulgari luxu, ad sapientiam, sobrietatemque traduxit: Æschinem, & Aristippum, ex pauperibus divites; Phædrum, ex oratore Philosophum; Alcibiadem, ex ignorante, doctissimum reddidit: Carmidem gravem fecit, ac verecundum: Theagem fortem justumque in rep. civem: Euthydemum, & Menomnem à Sophistarum captiunculis, ad veram transtulit sapientiam: quo factum est, ut non solum jucunda, quam utilis fuerit Socratis consuetudo.

Dial. 1. de legibus, & Dial. Thimæum.

Ficinus in convivio Plat. lib. de amore.

O quam plures notos fecit dementia, cum illos, quasi œstro perculsos à mente sua rapit: quod si in aliquem potissimum effectum isti homines cæperint inclinare, hunc assidue habebunt in animo, hunc præsentem mentis oculis dulci studio alent; seu ille superbia erit, seu livor alienæ fortunæ, aut quidquid aliud turbidæ cupiditates objiciunt: hæc si occurrant, implent tanquam turbine lacessita ingenia; & interdum sola illius rei contemplatio, quæ in animo fuit nimia, peccat; & sic humano more vivit: hos hæc jucunda mentis lacessit cogitatio: etsi quos non injucundæ mentis socios habet; ut plerisque mirum sit, quod aut insaniam reliqua prudentia; aut hanc illa non perdat: vixque ulli mortalium hoc genus insaniæ pepercisse videtur: cum sub hoc genere omnes pene delirent; nisi quod tectius, aut magis ad genium vulgi sunt: eo quoque lachrymis digniores, quod excutere dementiam nolunt, quando alter non potest; quem superbæ fabulæ contumacia illuserit.

Quid ergo Plinius per sapientiæ mortem intelligat, varia prius in Philosophia oportet delibare, ut agnoscamus. Quatuor animæ facultates in cerebro celebriores agnoverunt Philosophi; communem sensum, qui species ab externis accipiat, ut superioribus proponat; phantasiam, quæ agnoscat propositas, ac cæteris objiciat; cogitatricem, quæ circa propositas discurrat: quæ à Græcis vocatur Διάνοια, & est facultatis operatio, qua animus phantasmata vel componit, si divisa; vel dividit, si composita, vel eligit, si bona, vel refugit, si mala; affirmat si vera; negat si falsa; & omnia ut alia semper agnoscit: atque ideo judicatrix appellatur: & memoriam, quæ ab aliis accepta reservet, & retineat in thesaurum in præsens, secundum proprium memorandi actum: & in futurum in subsidium reminiscentiæ, quæ est actus recordationis rei præteritæ sub ratione talis. Sensum communem, tertio de anima agnovit Aristoteles. Tres reliquas facultates, ex delirii speciebus multiplici historia distinxit Galenus, imaginatricem, seu phantasiam læsam, vel Theophili medici exemplo, qui cum prudenter se gereret, & ad interrogata exacte responderet, præsentesque agnosceret, tibicines tamen, cubiculi angulos occupare, & perpetuo tibiam exercere, vociferatione ejiciendos, exclamabat: qui postea morbo functus, hæc omnia memoria retinuit, & ordine narravit. Errasse tamen, dum tibicines audire, & videre rebatur, phantasiam, vel omnino convincitur. Quod in se ipso experitur Galenus, dum per æstatem causone laboraret. Læsæ cogitatricis, seu discursus historiam, Romæ pueri lanifici exornat historia; qui, à cubili surgens, venit ad fenestram, per quam ipse videri, & alios videre potuit, & vitrea ostendens vasa, an ipsa dejiciat perquirit, ac illa confestim annuentibus projicit: & accepto puero, an & illum projiceret, interrogat; annuerunt etiam prætereuntes, ac ipsum projicit, quem postea lapidibus allisum exceperunt: puerum & vasa novit phrenicticus, propriisque nominibus appellavit, in projiciendo tamen ea, quæ deberent custodiri, omnino aberravit, ut discursus actio, vel penitus læsa compareat. Memoriæ vel omnino deletæ, superstite cogitatrice, & phantasia, exemplum tulit Thucidides, vel illorum exemplo, qui à sæva pestilentia evaserunt, qui postea neque se ipsos, neque suos noverunt: quod extreme senibus etiam accidisse, Galenus observat.

Locitis, l. 1. Coac. Com. 1. tex. 6.

Cap. 2. l. de Diff. Sympt. cap. 7. & 3. de Placitis Hippocr. & Platon.

4. de Locis Cid.

1. de Diff. Sympt. & 2. de Causis Sympt. ultimo.

Quatuor ex fontibus, dixit Duretus, signa supervenientium deliriorum capiuntur; primo in nugarum garrulitate, & verbis obscænis, & silentio; secundo, in dissimilitudine morum; tertio, in sensus quiete, aut irritatione sensuum irritatorum, actionumque quiescentium, in summa necessitate; quarto, in collocatione corporis indecora: omnium infra exempla dabimus, cum Plinii sententiam explicaturi sumus.

1. Coacar. tex. 50.

Cui autem ex istis facultatibus sapientiæ morbus paret insidias, vel ipsa rei natura dicit; est enim

enim sapientia superior cogitatricis actio, qua versatur discursus in observantissima vigilantia, tunc maxime, cum in cerebro moderata siccitas humiditate temperata, cerebri diaphana substantia, haud ullis imaginibus confusa, puritas spiritibus, nulla animæ ecstasis, vel distractio adfuerit, tunc enim ad sapientiam disponit cogitatio. Quare Ægyptii in sapientiæ solertiam, pro Mercurii simulacro, gallum substituunt, ut sapientum solertiam designarent, ceu Vincentius in suis imaginibus refert: *quibus turpe est*, inquit, *totam noctem stertere*; nam Mercurius cum pro ratione, ac divino illo lumine capiatur, quod nos ad rerum cognitionem ducit, non divinos, in somno sepultos, delitescere permittit, sed animi ac corporis viribus modico somno recreatis, nos ad divinæ sapientiæ opera excitabit; neq; tamen insomnes ducere noctes nos vellet; nam homines cum in perpetua corporis, ac mentis agitatione persistere nequeant, brevi quiete, quam somnus affert, indigent; ideo enim Pausanias in Corinthiacis scribit de quadam ara, ubi Musis, ac somno simul res sacra fiebat, tanquam si mutuo sibi manus darent: quin etiam altiora superipsum naturæ ordinem peculiari animæ illustratione assequitur, si divinum spiritus æmulentur splendorem, & cerebrum clariori siccitate condonetur, à symbolica & multiplici humoris melancholici actione; unde posse melancholicos alieno loqui idiomate, plerique retulerunt: neque ignobilis est Foresti historia de muliere, quæ hymnos canebat rythmo, quos non didicerat. Hoc naturæ miraculum physica illustrat ratio, quoniam humor hic æthereus est, ita ut ex eo scaturiens spiritus, cum supernis lationibus necessitudinem quandam trahat, ut ab illis aliquid cœlesti simile mutuetur, quo aliquid supra hominis captum inveniat, & assequatur. Ob hoc fortasse Phœnices Musas literas invenisse ferunt, ac inter has medium Apollinem versari, ab hisque artes liberales dimanasse, ut alia ex alia per seriem sequatur, earum inventrices Musas, mutuo inter se manibus junctas, in orbem choreas ducere effinxerunt, Apolline chorago existente, qui solis lumen adumbrat, quod hominis mentem collustrat, ut sapientiæ sacris initiari valeat. Apollinem etiam Ægyptii hieroglyphicis literis describere volentes, sceptrum effingebant, ejus in vertice oculos imponentes, hoc innuentes, se cuncta universi sapientiæ acumine perlustrare: nec etiam hoc Homerus non sensit; scribit enim solem, hoc est, intellectus acumen altius natura penetrare.

l. de Imag. deor. imag. Mercurii fol. 200.

10 Observ. 19. in scelio.

Vincen. l. de Imag. deor. imag. Mer. fol. 229.

Protheum ob hoc etiam varias mutare figuras, scribit Diodorus; & illum in regnum ab Ægyptiis adscitum, tanquam qui omnes sapientia antecelleret; nec tamen ob hoc solum, sed quod ex marinis deis ventura naturali lumine prædicebat, ut in Corinthiacis Pausanias scripsit. Herculem plus divina sapientia polluisse, quam viribus, credidit Lucianus; illius Gallica fidem facit imago: ac in Arcadia templum commune cum Mercurio, eloquentiæ deo, habuisse fertur: Athenienses etiam in Academia non solum Musis, Minervæ, & Mercurio, verum & Herculi imaginem dicarunt; quod putarent hujus quoque numen adesse iis, qui ibi exercerentur. Pausanias quoque scribit, Græcos, atque Barbaros credidisse, Mercurium, & Herculem gymnasiis præesse, ut, quod non eloquentia, sapientiæ lumine assequeretur. Et apud Lacedæmones etiam vetustum erat in Domo Herculis simulacrum: Claudianus etiam in Gigantomachia, aliique nonnulli Minervam bellatricem armatam expresserunt, cum galea inaurata: nam sapiens non solum obstat, sed totus operibus splendet, quæ assidue solertia molitur; aurea enim galea divinum innuit splendorem, qui humanam mentem suo fulgore supra naturam collustrat. Hinc etiam illud oritur, Minervam ex capite Jovis emersisse; cujus rei simulachrum in arce Athenarum visebatur, ut retulit in Achaïcis Pausanias; hoc etiam fortasse innuens, quod sapientiæ splendor divinum æmuletur splendorem. Ac inde Prometheus, Pegasi ope fretus, cœlum conscendisse fertur; indeque ignem in terras adsportasse, quo tot artes mortalibus ostenderet: quod etiam Minervæ tribuitur, quæ ignis ministerio varias artes exercuit; ac ideo Vulcani, & Minervæ effigies in eodem templo repositas in Atlantico, dixit Plato; ac ambos deos Athenarum urbi præesse; ubi non solum literarum studia, sed cæteræ etiam artes floruerunt. Minervam & Neptunum, Jovem Athenis præfecisse, fama erat. Constat etiam, quod Athenienses in numis ex una parte, Minervæ caput, & ex altera, tridentem Neptuni insignem imprimebant, huc alludentes, ut urbem in pace, & divina sapientia gubernarent; ac in urbium, & domorum portis Minervæ effigiem exprimere, consuetudo antiquitus extitit.

STATIO III.

Vires an excedat naturæ, vaticinium?

Inter antiquitatis emeritos Arethæus, Alexander, & Rasis, melancholicos futura prædixisse variis ferunt in locis, quæ postea evenerunt: ex illiteratis, alios litteratos evasisse, Foresti alia rustici pueri probat historia; altera Gainerii de alio, qui plenilunio carmina collimata componeret, non tamen illo transacto; quod etiam de alio refert Gentilis: alium refert Aristoteles ex melancholico Poëtam evasisse. hoc Heracliti nobile illustrat dictum, *splendor aridus, animus sapientissimus*. Quorum omnium cum redderet rationem clarissimum philosophiæ lumen, *clari homines ideo fuere melancholici*, dixit, *quia multiformes & varii affectus in hoc humore reperiuntur*. Quo encomio vino assimilatur, qui similes passiones concitat, sicut melancholia, in melancholico, in bilioso maniam, in sanguineo risum, & tripudium; ignaviam, & somnum, si fatui abundant succi: hinc ebrius repente moritur, si repente obtumescit, nisi febris adveniat. In melancholia dixit Olerius, qualitas quædam contrahitur ineffabilis, quæ miris spectris animum perturbat, sive ea in cerebri substantia imbibatur, seu in venas repat, seu fumos emittat, & vapores, qui, velut tenebris offusis, animum terreant. Sic pariter ex melancholicis, qui frigida abundant melancholia, stolidi, & ignavi redduntur, ut Attici seruus, quem fatuum reddidit melancholicus succus; qui multa, & calida perciti, & amasii, quod lucidi & puriores spiritus

Citato loco. 3 Probl. q. 1.

Arist. Sect. 30. Probl. quæst. 1.

Quinto Aph. 5. Comm. ad lib. 1. Coac text. 4. 4 Epidem. text. 17.

ritus nobiliores edant actiones, exinde dixit Aristoteles, *Sibyllæ, & Bacchi efficiuntur, & divino spiraculo, ne dicam furore, instigari creduntur.* Marcus etiam, civis Syracusanus, Poëta diviniora componebat carmina, dum mente alienaretur: quod fortasse accepit à Platone, qui taliter hoc sentire exornat: *Musa divino instinctu concitat, sicut Heraclea anulos, ita ut miram concatenationem faciat: & Poëtæ conciti alios furore corripiunt; omnes itaque carminum Poëtæ insignes, non arte, sed divino afflatu, omnia ista præclara poëmata canunt, ut Corybantes, non sana mente saltant. Res enim levis, volatilis, atque sacra, Poëta est* (dixit Plato) *neque poëtica prius canere potest, quam Dei plenus, & extra se positus, & à mente alienus. Vnde Poëtæ nihil aliud sunt, quam Deorum interpretes, dum sunt furore correpti, & sicut Protheus varius resultans, sursum, deorsumque vertuntur.*

Dial. 10. vel de furore poëtico.

Sed quibus ille calor remissam & æthеream reddit siccitatem, hi prorsus sunt melancholici; sed longe prudentiores, ut dixit Aristoteles. Ex quo interdum fieri divinatores, non dubito; quod etiam nec dubitavit Plato, Tullius, nec Paulus, & recepit Duretus: hoc tamen fit ab spiritibus antecedentibus in purissima, & diaphana cerebri substantia, ab omni humana perturbatione abstracta; & dum effectus in causa continetur: Unde prope mortem, & in somno, ut minus distracta, anima fortius operatur, & diviniora cognoscit: & licet Jamblichus omne vaticinium, & divinationem super omnem naturæ ordinem esse confiteatur; nihilominus tamen in somno, dormientibus adhuc, nec plene vigilantibus, futura præcognosci, animadvertit: hoc nempe ait accidere, aut à cogitationibus, quæ ab animo proficiscuntur, vel à nostris consiliis, & rationibus promoventur; vel à phantasiis, quæ quibusdam divinis curis excitantur: quæ interdum continent veritatem; ac falsa interdum deprehenduntur. Anima, dicit Jacotius, movetur per species antea reservatas, aut divinitus oblatas, aut à corporis affectionibus impressas: Unde tria somniorum genera oriuntur, divinum scilicet, aut à divino negotio; aut à propria corporis affectione proficiscitur; quæ humorem prædominantem notat: Unde & melancholiam vaticinia quædam movere, clare docet; quare divinationem fieri in somno, inquit, summis philosophis, nec temere asserendum, neque negandum temere videtur: constat enim multa divinitus inspirari, dixit Olerius. Quod etiam præceptor in lib. de Insomniis clare fatetur; & Gal. etiam se in somniis admonitum in templo Epidauri de sanguinis missione inter pollicem, & indicem, testatur. Ad hæc omnia; posse acui ingenium per melancholiam, omnem ponderationem, & communem credulitatem superat: licet mutatio interdum fiat ad morbosum statum, ut in hecticis, qui acutius audiunt; & senibus, qui maturius sapiunt; & phanaticis, qui interdum aliena loquuntur, quam illa, quæ didicerint: quid ergo mirum, posse carmina componere, & futura prædicere? Ac ex hoc eodem principio fiunt melancholici divinatores absque afflatu, aut divina inspiratione; perspicax enim illis redditur ingenium; puriores, lucidi, & ætherei spiritus, siccior temperies, cum persistant in collimando continui: & sicut jaculatores, qui ex multis attingunt

Dial. Thit. lib. de Nat. l. 1. de Divina. cap. de melancholia, lib. 2. Coac. c. 24. text. 1. Lib. de Myster. Ægypt. sec. 8. c. 1. & 3. Comm. 2. ad Coac. lib. 2. text. 4.

Comm. 1. lib. 3. text. 13. Comm. 2. ad lib. 3. Coac. text. 17.

A aliquando, propter continuas mutationes imaginum, unde firmant aliquam in specie, sed hoc non à potentia procedit divinatrice, (hæc enim universalis est ad omnia) sed velut effectus in causa continetur: & hinc gravissimi rati sunt viri, quod Sibyllæ, aut hoc modo, aut ex dæmone vates perstiterunt.

Nec proinde erit ingratum, quot modis hominum mentibus immittantur vaticinia, docere. In somniis immitti vaticinia, Porphyrius late docuit: *Abeunte somno,* (dixit Jamblichus,) *incipientibus nobis evigilare, jam audire est vocem quandam B pertenuem, nos admonentem de rebus gerendis, sed dum nec plane vigilamus, nec stertimus prorsus: quandoquidem spiritus non palpabilis, minimeq; corporeus, in orbem incumbit jacentibus circumfusus; spiritum nec cernimus, sed animadversione quadam percipimus adorientem nos; absque ullo contactu circumfusum, admiranda patrat opera, is animam abalienans, & corpus, ab affectibus aliquando etiam micanti lumine perlucido, & tranquillo.* Quorum somniorum interpretationem primum novit Amphictyon. Alii voces C aperte audiunt, & divina intuentur; quod etiam Plato, Themistius, & Averroes confirmant; quin etiam & antiquissima Ægyptiorum consuetudo; illi enim somnium deum venerabantur; cui etiam dicaverunt statuas: cum Homerus ac Hesiodus mortis fratrem appellarunt; cujus etiam quædam imago in Cypselli arca sculpta videbatur: erat enim mulier quæpiam, quæ in sinistro brachio puerum aliquem dormientem sustinebat; dextera autem nigrum, qui etiam dormiebat, distortosque habebat pedes; hic mortem, ille D somnum notabat; fœmina illa, noctem, amborum nutricem; quo in somno sepulti homines animam ecstaseos ab omni perturbatione abstractam, seu in vero Dei simulacro, mira accipere vaticinia veteres voluerunt; ac ideo alatum ad nos noctu venire, & leniter alloqui; ut leni suavitate Tibullus cecinit:

Lib. 1. Secment. cap. 3. 20.

Plin lib 7. hist. c. 56. in Thimæo, & Dialph. lib. de Natura.

> *Ludite, jam nox junxit equos, currumque sequuntur*
> *Matris lascivo sydera fulva choro.*
> *Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis*
> *Somnus, & incerto somnia nigra pede.*

11 Eleg. 1.

E Et Statius etiam insomnium alloquens ita dixit:

> *Nec totas infundere pennas,*
> *Luminibus compello meis; hoc turba precatur*
> *Lætior, extremo me tange cacumine virgæ.*

Lib. 5. Silvar.

Et ideo Silvius:

> *Quatit inde sopores.*
> *Devexo capite pennas, oculisque quietem*
> *Irrorat, tangens lethea tempora virga.*

Lib. 10.

Ac ideo placidissimum deorum vocat Statius; nam nihil mortalibus placidius potest accidere quiete post labores; eam autem somnus affert; F itaque de eo Seneca in Hercule furente dixit:

Cit. loco.

> *Tuque ô domitor somne malorum,*
> *Requies animi, pars humanæ melior vitæ,*
> *Veris miscens falsa, futuri*
> *Certus; & inde pessimus auctor,*
> *Pater ô rerum, portus vitæ,*
> *Lucis requies, noctisque comes,*
> *Qui par Regi, famuloque venis*
> *Placidus fessum lenisque foves,*
> *Pavidum, lethi, genus humanum,*
> *Cogis longam discere mortem.*

Philostratus in Amphiarai imagine, in cujus antro

antro portam somniorum esse dictitabant (nam si quis illic dormisset, quod scire optabat, in somnis discebat) ita somnum describit; facie, inquiens, resoluta videbatur, candidam vestem habebat supra nigram, quasi diem, & noctem indicaret, cornu manu habebat (quod & Poëtæ dicunt) è quo somnia super dormientem effundere videbatur; quod ideo effectum esse dicunt, quod cornu attenuatum pellucidum sit, resque prout se habent, ostendat; ac ideo somnia, quæ vera sunt, cornea dicuntur; cum vero somnus vana denunciat, ebur, & elephantis dentem gestat, nam ipsum vel ad tenuissimas laminas dissectum, nunquam pellucidum redditur; quare Virgilius geminas portas finxit, per quas ad nos somnia derivent; alteram corneam, & alteram eburneam; per hanc falsa, per illam vera in dormientes spectra immittuntur; de quo ex Homero Porphyrius diserte disserit: nec minus sane Macrobius: *Latet*, inquit, *omne verum: hæc tamen anima cum ab officiis corporis somno ejus paululum libera est, interdum adspicit: nonnumquam tendit aciem, nec tamen pervenit; & cum adspicit, tamen non libero, & perfecto lumine videt; sed interjecto velamine, quod nexus naturæ colligantis obducit: hoc velamen, cum in quiete ad veram usque aciem introspicientis admittit, de cornu creditur; cujus ista natura est, ut tenuatum visui pervium sit; cum vero à vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur; cujus corpus ita natura densatum est, ut ad quamvis extremitatem tenuitatis, crassum nullo visu ad interiora tendente, penetretur.* Hoc idem Virgilius de ulmo somniorum scribit:

Lib.6. Æneï.

Lib.1. de Somno Scipionis.

Lib.6. Æneï.

> *In medio ramos, annosaque brachia pandit,*
> *Vlmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgo*
> *Vana tenere ferunt; foliisque sub omnibus hærent.*

Ubi Servius, *qui de insomniis*, inquit, *scripserunt, dicunt*, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: alii dicunt ulmum arborem esse sterilem; ideoque somniorum vanitatem exprimere, quæ à veteribus cæca sunt appellata, ut refert Suidas; aut quod fallacia sint, aut quod cum eis loquantur, qui oculos habent clausos. Virgam somnus in manu habere dicitur, qua homines tangens, soporem inducit: hac se tangi orat Statius antecedente poëmate: & Ovidius somni sedes apud Cimmerios vult esse: Homerus in Zemno insula: Ariostus apud Arabes: ac tandem Ovidius regiam somni sedem sic describit:

Lib.11. Metamorph.

> *In medio thorus est, hebeno sublimis in antro,*
> *Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,*
> *Quo cubat ipse deus, membris languore solutis:*
> *Hunc circa passim, varias imitantia formas,*
> *Somnia vana jacent; totidem quot messis aristas,*
> *Sylva gerit frondes, ejectas littus arenas.*

Deinde geminam animus habet vitam, unam cum corpore communicantem; abstractam, & à corpore præcisam alteram. Primam, cum vigilamus, secundam, in somno exercemus; & cum puris rationibus abstracti in ecstasim rapimur. cum igitur mens ipsa, non nisi quæ sunt, spectet; anima vero contineat rationes in se omnium quæ fiunt, jure optimo futura præsentit, secundum causam continentem illa, ut ordinata sunt in antegredientibus rationibus, causis, & principiis: *Fit autem absolutius vaticinium*, dixit Jamblichus, *quando animus universalibus, unde est decisus contingit portiones vitæ intellectualis, actionis impletur; namque ab universalibus causis, tunc omni scientia, ita quod ut plurimum suis cogitationibus attingit, quæ circa mundum generantur. Altero, & superiori modo operatur, cum sese diis copulaverit per actionem abstractam, tunc anima verissimas vaticinii plenitudines excipit toto haustu syncerorumque præsagium*; Sed si animus sui partem intellectualem, quæ sacra, & divina assueverit, & inseverit melioribus, tunc phantasmata sua erunt puriora; ut si de Deo forma, quæ incorporea cogitet, & de illis, quæ solum ad veritatem pertinent. Quod si rationes rerum in generatione versantium referat ad Deum, vim inde animus assumit, atque scientiam colligendo, quæ fuerint olim, ut quæ futura imposterum sunt; contemplationemque facit totius temporis, & accidentium in tempore: considerat opera, & operum ordinem, & curam, & regulam continentem sortitur: tunc corpora ipsa ægrota curat, quia ægritudinis causam, & actiones agnoscit: ipsa etiam, quæ erronea sunt, se habentia incomposite, & sine ordine apud homines, optime disponit artium inventa, ut in Hippocrate principe medicinæ. Sæpenumero & justitiæ distributiones, legumque sanctiones tradit, ut in Solone legislatore. Sic in Æsculapii fano sedabantur morbi divinis insomniis, ut memorat Strabo, Solinus, Pausanias, & Vincentius. Nonne Alexandri exercitus servatur omnis nocte funditus periturus, viso per somnium Baccho; & docente, quomodo immedicabiles passiones solverentur. Deinde Aphutis dum Lysandro ab rege abscinderetur, missis ab Jove insomniis, liberatur, eo statim misso exercitu conflato, illinc quo repente obsidio solvitur: testis est Curtius. Setonem, Ægypti Regem, & Vulcani sacerdotem, narrat Herodotus, quod in somniis admonuit Vulcanus in expeditione contra Arabes, ne animum desponderet: ipse enim illi ire suppetias promisit, & murium copia omnia armorum, & frænorum coria contrivit, ut Arabes perterriti castra desererent; ex quo Vulcani templo Setonis effigies visebatur manu murem ostentans; cujus in fimbria hoc epigramma legitur, *à me pietas discatur, & religio.* Hinc Vulcani effigies, cum mure in sinistra manu dicata, visitur; expressit Vincentius.

Segmento 3. sequenti.

De mirabil. mundi, in Corinthia. De imag. Deorum, fol.57.

Alii à Dei spiritu ita possidentur, ut vates prorsus evadant, non suæ mentis amplius, sed totam habent animam, mentemque in deorum equitantium potestate: *Illud maximo sit argumento*, dixit Jamblichus, *quod admotis ignibus non uruntur, nec obeliscos perforantes persentiunt; imo, & ipse afflatus divinum haurit ignem, & ignis ut auriga regit afflatum, ac totum vaticinii opus per se ipsum Deus implet, absque eo quod anima moveatur, nec corpus.* Quod si anima, antequam incipiat afflatio, aut in principio afflationis, aut inter afflandum, moveatur, vel si corpus aliquid interponat, divinam turbat harmoniam; ac falsa tunc eduntur oracula, nec veritatem tunc attingit afflatio: imo, ut ajunt, oracula vaticiniorum ex ore furentium erumpunt, divini furoris impetu, sine aliqua corporea actione. Cujus vaticinii rationem Delphus primus invexit, ut memorat Plinius.

Lib. de imag. Deorum, imag. Min. fol.261.

Alios per harmoniam in vaticinium afflari, dixit Porphyrius, certum per melos, ut corybantes,

tes, & Sebaxio captos, cujus afflationis principium invexit Amphyon. Quomodo autem Musica sensus afficiat; perversis medeatur affectibus; temperaturas, dispositionesque transformet, nostro Theseo jam diximus; & hoc totum naturale est: quatenus vero soni, dicit Jamblichus, *& concentus consecrantur Diis, sua cuique propria, & quadantenus cognatio quædam iis ipsis redditur, apposite juxta proprios singularum ordines, & vires, ac motus in ipso universo, ac juxta voces harmonicas ex motu cum impetu resultantes, hujusmodi melodiarum proprietatibus diis convenientium: tunc adsunt numina, nec est quidquam, quod prohibeat, quin eorum particeps fiat: & tunc impletur animus meliori natura, & vi, quia Deorum inspiratio à divina harmonia non abest: imo animæ ab origine cognata familiaris est talis harmonia: utpote quæ ante quam corpus acciperet, divinam hausit harmoniam, ad propriam concinnitatem dispositam: ac illam mox osculatur, & amplectitur.* Hinc memor affectus veteris harmoniæ divinæ; unde ad eam ipsam fertur familiariter, & proprie, cupitque ejus fieri particeps, ut sic divinum accipiat vaticinium.

cap.11.f.14.

Quidam haustu aquæ afflantur, ut in Colophone sacerdos Blarii; plerique ad ora antri considentes, ut Sibyllæ Delphicæ. Hinc antri Tryphonii fama fuit, nec minus enim Tryphonio, quam Æsculapio angues consecratos Antiquitas voluit; eos fortasse putantes tanquam oraculi nuncios, quod ex caverna edebatur, quam antrum Tryphonii dixit; ibi enim Triphonius diu delituit, futura prædicens; cui consulendo tota confluxit regio, à quo varia, & mirabilia accepisse vaticinia, Pausanias in Corinthiacis scribit, ut refert Vincentius. Nonnulli aquarum vaporibus suffusi, ut Branchidica vates. Nonnulli etiam sunt, qui characterum insistunt notulis; & spiritum quendam putant illigare, quod opus obscuram trahit emphasim, ab ipsis diis idolicam, quæ quidem ob tenuitatem exilem potestatis, solet plerumque à malignis dæmoniorum præstigiis perturbari: & protervi isti tota delirant orbita, indigni qui censeantur in ullo vatum numero: alii in phantasia concitantur ad divinationem sui compotes; hi quidem adjuti tenebris; illi certis potionibus: plerique carminibus, ac rythmis: sunt qui per aquam phantasmata concipiunt: alii in pariete: complures sereno sub cœlo: quidam in sole, & planetarum aliquo: sicut & alii ab igne, ut Amphiraus; & omnes isti delirant, & impia obcæcantur caligine. Alii arte humana per conjecturas conantur eruere vaticinia ab extis animalium; quorum primus Orpheus: ab avibus, ut Car, & Amphiraus: ab astris, ut Atlas, & Anaximander: à Medicorum arte, ut Hippocrates. Totum hoc artificiosum genus utitur certis signis, per cognationem rerum cum signis ostensis, quibus nonnihil ars confert, conjectatque vaticinium, ut conjectura certum, aut ut ipsa mutabile. Iis & aliis Deus utitur prout naturæ organis summa architecturæ providentia, ut vaticinia proferant, & non ut in se æternum possideant afflationis, vaticiniique immotam rationem; nam, ut præsentio, quædam innata inest quibusdam animalibus, præsentientibus terræmotus, interdum tempestates & imbres, ut alcyones. Hæc etiam compatibilis aliter contingit, quoties animantia quædam concitantur portionibus quibusdam universi, ac viribus, vel quia elementi interiora penetrant, ut aves aërem, ac terræ latebras animalia: vel quoties præsentiunt ob quoddam sensuum acumen; præsentiunt autem res quidem, quæ jam circa aërem accidunt, & circa motionem; sed hoc solum vaticinii similitudinem affert: proinde si qua est ex artibus disciplina, ut Mathematica, Nautica, & Medicina, futura præsagiens, nihil tamen cum divino vaticinio convenit; ex conjecturis namque probabilibus ventura colligit; & signis quibusdam conjicit, hisque non semper fidis, sed ex simulacris oritur, quem divinæ actiones, & sensationes imprimunt, ut in phantasia: vel à vaporibus, & humoribus, varias, & diversas imaginationes animo repræsentantibus ducit principium, & hoc humoris dominantis est indicium: ex hisque ventura colligit, & conjectat, ut etiam Mercurialis adnotavit; illud autem æternum, & immutabile est, ut ad omnia commune illis, quibus à Deo divinandi potentia immittitur.

lib. de imag. fol. 61.

Plin. lib. 7. cap. 56.

STATIO IV.

Quod melancholiæ genus sapientiæ conducat?

Quando ergo Aristoteles melancholicos prudentiores vocitavit; hoc ab atra, flava, mixta, non fieri, aut pituita, vel inde conjicies; quod illa furorem, ista stoliditatem concitare nata est: sed à melancholia mediocriter calida, multa, & mediocri sanguine mixta, per mediocrem genita ustionem, declinante ad flavitiem, ex qua cerebrum ad mediocrem siccitatem vergit; nam per calorem, & frigus in varios mores mutat; illa autem permeat facile ad vasa; spiritus priores creat, plures & minime resolutioni paratos: hinc profundior cogitatio, & in collimando perennitas; & ii sunt qui illustriora in bello, & pace gesserunt, ut Homeri Ulysses, & Platones, Socrates, & Xenophontis Solon, Abderitæ Democritus; nam prompti ad actiones, cogitabundi, assidui, patientes, indefessi, soliciti, avidi sciendi, & perspicaces! Notissima est illa Præceptoris sententia, *quod colentes terram mollem, & aquosam, & frigidam, aut calidam excessu, hebetes, infirmi, & impatientes sunt: è contra colentes asperam, siccam & duram, & Boreæ expositam, patientes, subtiles, & prompti ad facinora.* Ista tamen melancholia non est crassa, nec valde nigra, nec dura, nec omnino adusta, sed declinans ad tenuem, fusca, fluida, mediocris in calore, frigore, & siccitate, ut mutationes, & impressiones à corde, hepate, & cerebro recipiat, quibus omnibus acumen ingenii perficitur: ad hoc enim optima requiritur memoria, ad actiones promptitudo, studii assiduitas, docilitas, solicitudo, & exiguus timor, ut sapientiores voluerunt. Et hæc est ratio, quare melancholici interdum balbutiant, exuperantem ob calorem in capite, de quibus est apud Aristotelem problema: *Cur adusti melancholici balbutiant, quoniam,* inquit, *præ velocitate imaginandi lingua concepta assequi nequeunt; quare præpediuntur in loquendo.* Celebris est illa Heracliti sententia: *splendor aridus, animus sapientissimus:* splendor enim, inquit Gale-

1 Proviti. in somnia phrenicis.

Lib. de aëre, aquis, & locis.

11 Probl. 38.

Lib. quod animi mores, cap. 5. Dial. 4. de Rep.

Galenus, *animi ſiccitatem, & acumen ingenii oſtendit*, ſicut ſydera, *ſplendentia juxta, atque ſicca, ſumma intelligentia eſſe prædita. Hæc omnia ſunt inſtrumenti propria, & homini communia*; nam mentem omni *carere alteratione*, dixit Plato, *& cujuſmodi ſunt meatus*, inquit, *& vaſa per quæ excurrit anima, & ut ſunt affecta, quibus accedunt, tum illa & quibus permiſcetur, & ſe inſinuat, ſic homines aliter aut aliter ſentiunt. Ob eam cauſam hujuſmodi pathemata poſſunt emendari atque tranſponi, ſed ipſam naturam in aſpectabilem transformare non potis eſt.* Neque etiam præciſe neceſſarium, omnem melancholiam mentem lædere, quinimo illam perficere, mille docent exempla: nec defuit ex veteribus, qui putaret ad melancholiam, ipſam religionem pertinere, ut Aretæus medicus antiquiſſimus; cui applaudit experientia; quoniam qui dediti ſunt religioni, vel fieri, vel eſſe melancholicos auguratur; hæc dicit cana veritas, Atticæ Philoſophiæ alumna; quod etiam Mercuriali placuit.

Lib. de Superſtitione.

Hinc veteres noctuæ hieroglyphico Sapientiam exornarunt, utpote quæ in Hyerionis, privati adhuc hominis, haſta conſediſſet primo bello, quod iniit; hinc eum Auſpices cautum conſilio futurum prædixere; id quod ſapientiſſimum totius vitæ regimen comprobavit, ut notavit Pierius. Noctuæ oculos ſymbolum Sapientiæ dixerunt alii; quoniam ſicut illi optime noctu cernunt, ſic ſapiens, res vel occultiſſimas facile deſpicit; iſque amoto ab animo mendaciorum velo, ad veritatem intuendam penetrat: hæc enim ut noctua deliteſcit, nec facile omnibus paſſim ſe videndam exhibet; ac ideo Democritus illam in puteo obrutam poſuit, quam niſi tempus aut ejus pater Saturnus eruit, ut enarrat Vincentius. Et hanc propter rationem fortaſſe, Afranius Poëta Sapientiam memoriæ, & uſus filiam vocitavit; *eo namque argumento*, dicit Gellius, *demonſtrat, qui ſapiens eſſe rerum humanarum velit, non libris ſolum, aut diſciplinis opus eſſe: ſed oportere eum verſari in rebus communius noſcendis, periclitandiſque, eaque omnia acta, & eventa, firmiter meminiſſe, & perinde ſapere, & conſulere ex his, quæ pericula ipſa docuerunt.* Hoc his duobus verſiculis amplectitur Afranius:

Lib. 20. de Sacris litteris Ægypt.

Libro de Imag. Deor. imag. de Minerv. f. 246. l 13. noct. At. c. 8. Pierius, lib. 33. de Sacris Ægypt. litt.

Vſus me genuit, mater me peperit memoria:
Sophiam me vocant Grai, vos ſapientiam.

Ac ideo Lacedæmonii Apollinis ſimulachrum, quatuor auribus, totidemque manibus præditum eſſe voluerunt: Vero nimirum hieroglyphico nihil aliud ſignificabant, niſi ſapientiam cujus Deus ille ſymbolum eſſet. Eam etenim & multarum rerum auſcultatione, & operibus identidem gerendis, comparari. Non enim digne ſapientem eum dixeris, qui ſe rerum cognitioni tantum emancipaverit, niſi facta, quæ probes, inſpicias, quæque is & diligenter, & probe examinarit, in utile aliquod, vel ſibi vel aliis, opus promulgarit, ſolidæ in ſapientiæ argumentum. Quod fortaſſe ſapientes Ægyptiorum inſtruxit, ut ſapientiam in quadrato ſtatuerent, quando fortunam in rotundo; ex hoc hieroglyphico, volubilem illam, hujus vero ſedem firmam & inconcuſſam, indicantes: quadrata ligna ad arcæ Noës fabricam parari, divinum juſſit Numen: ut magiſtros Eccleſiæ deſignaret, quorum ſapientia intus populi conſerventur, & ab hæreticorum

A procellis muniantur. Ex quadratis etiam lignis conſtruere debere nos Bibliothecam, admonet Adamantius; ubi vera continetur ſapientia. Mercurium coluerunt Ægyptii, quia Muſicam, Geometriam, ac palæſtram, reperta ab eo, acceperunt; hanc propter ſapientiam, quadratam in Gymnaſiis ſtatuam illi dedicaverunt; qualis erat ea, quam Pauſanias in quapiam Arcadiæ regione dicatam voluit; eo ſane habitu, ut pallium induere videretur in quadrangularem figuram deſinentem ſtatuam, neque pedum tenus expolitam, ut depicta in Vincentii imaginibus datur.

Lib. 39. Tit. de quad.

B Galenus in oratione ſuaſoria: Mercurium, inquit, ut orationis parentem, & artium omnium auctorem, in aliam effigiem, quam fortunæ, effinxerunt tum pictores tum ſtatuarii: effingunt enim juvenem formoſum, non tamen fucatum, aut comptum, ſed nativa quadam virtutis ſpecie, vultu hilari, acribus oculis, in baſi quadrata; quæ ſtabilitatis ac firmitatis figura eſt.

Imag. de Merc. fol. 218.

Suidas etiam narrat quadratam figuram Mercurio datam, ut verus ſermo inveniretur, qui ſemper
C conſiſtit: ſicut è contra mendacium ſubinde mutatur, nec uſquam poteſt conſiſtere. Alexander etiam Neapolitanus: Mercurii ſtatuam, inquit, apud Græcos haberi quadrato ſtatu, capite ſolum effcto, tali ſpecie pluribus figuratis, quas pro immortali ſapientia ſapientibus, & pro gloria immortali magnis ſæpe ducibus dicabant: quemadmodum Suidas memorat. Thucidides & ædepol, Plutarchus in Alcibiade prodiderunt, hujuſmodi ſtatuas, quarum plurimæ Athenis erant, una nocte dejectas: quæ res Alcibiadi ne-
D gotium non parvum factitavit, cum in affectati principatus ſuſpicionem veniſſet. Hujuſmodi ſtatuæ *hermæ* dicebantur, quod & Mercurius Græcis *Hermes* diceretur. ponebantur autem, ut diximus, in Gymnaſiis, & Academiis ut Sapientiæ præeſſent: quare Tullius in quadam epiſtola ad Atticum, Hermiam omnium Academiarum ornamentum vocat; & in alia ad eundem ſic ſcribit: *Hermiæ tui pentelici cum capitibus Æneis me admodum delectant.* Hortaturque eum, ut quamprimum ad ſe mittat, quo iis ſuam Bibliothecam adornare
E poſſit. Athenienſes primi harum ſtatuarum opifices leguntur; poſtea non ſolum Mercurii, ſed aliorum quoque Deorum ſtatuas, Græci quadratas non raro effinxerunt, præſertim Arcades, apud quos ara Jovi hujuſmodi ſimulachro erat dicata. Cyllenius etiam fuit Mercurius cognominatus, à quodam Arcadiæ monte, ſic dicto, ubi is eſt natus; ſed tamen Feſtus dicit, eum ita appellatum, quod rem omnem ſapientia ſine manibus conficiat; ideoque quadratum eum effingebant: quod is fortaſſe eſt à quapiam Græcorum
F fabula mutuatus; qua fertur Prometheum aliquando Jovem adiiſſe, oraſſeque ut homines rudi illa vita relicta, quam initio vivebant, ad politiorem ſe conferrent: tuncque Jupiter Mercurium una cum illo miſiſſe præcipiens, ut eos, quos maxime idoneos exiſtimaſſet, doceret ſapientiam, qua inſtructi, aliis perſuadere poſſint, ut vitam civilem ſocialemque degerent.

Lib. 4.

Lib. 4. hiſt.

Lib. 11.

Lib. 4.

Haſta in manu Palladis denotat eſſe ſapientia, quoniam parum arma proficiunt, niſi quæ per ſapientiam adminiſtrantur; ac ideo haſta, in manu Palladis, ingenii acumen, & promptitudinem ſapientia

pientia moderatam ostendit; ut voluit Pierius; quod fere Martianus hoc versiculo pinxit:

Lib 42. de Sac. Ægypt. litt.

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen. hoc etiam exornat Poëtarum fabula de Prometheo, qui cum hominem nudum conspiceret, & inermem, & cætera animalia omnia, accurate perquirere consilii inopia prehensus,&quamnam homini salutem reperiret, nesciens,Vulcani, & Minervæ artificiosam sapientiam una cum igne furatur, & sic illam homini largitur. Non invenustum etiam est ignis sapientiæ hieroglyphicum, utpote qui petat altissima, in pyramidis formam, in contemplationis rationem; & symbolico lumine clarissimam siccitatem æmulante. Hiacynthum ab Apolline in florem versum Poëtæ fabulantur, in prudentiæ, ac sapientię symbolum: puerum enim ad amatum finxerunt, quia formosus mentem ad sui contemplationem excitat; & sensu juvenili deposito, sapientiæ florem ex se gignit suavissimis virtutum odoribus flagrantem; ut humanarum litterarum peritiores voluerunt. Ægyptios tandem Mercurium coluisse, refert Jamblichus, ut omnium suarum artium inventorem; ac propterea omnia scripta sua ei dicasse, dixit Tullius: ac quod ab eo litteras accepissent, grati illi *Theut*, nomen dederunt, quod etiam apud Platonem legitur: *Thoit* enim aut *Theut* Ægyptiis Dei nomen erat (hoc sane mirum apud omnes gentes, & nationes, præcipuum Dei nomen per quatuor litteras efformatum) Persis *Sire*, Magis *Orsi*: Unde *Ormasis*, Hebræis *Adonai*, Græci Θεὸς vel ἔρως divinum amorem vocitarunt: Arabes *Alla Macomet*, Abgdi: nos accepimus ab Angelo Jesum, quod Ficinus,apud tam varias nationes,divinitus inspiratum probat.

Lib. 3. de Nat. Deor. Dial. Phil.

Comm. ad Dial. Crat.

STATIO V.

Sapientiæ acumen furor excepit.

Quantum unusquisque suismet captiunculis irretitur: non faciunt siquidem cani ad sapientiam, dixit eloquentiæ pater; & Augustinus, non dat sapientiam canities, sed candor vitæ, morumque gravitas; nam cani sunt sensus hominum, dixit divina Sapientia: ac ideo maledictus puer centum annorum, hoc est, quem talis divina sapientia deseruit. Nec minus animæ periculo adjicit livor, quam corpori phrenitis; ac ideo æque cito utrique succurrendum puto, crudelis enim inhumanitatis est, præsenti periculo non occurrere, saltem pretioso Andromedanti: *pudendum enim*, dixit Plinius, *omnia animalia, quæ sint salutaria ipsis, nosse, præter hominem; sua namque norunt in morbis animalia remedia.* Quibus pro avertendo periculo utuntur, hirundines apium, & chelidoniam ad cæcitatem; Ciconiæ platanum ad vespertilliones: columbæ lauri folia: accipitres Hieracium; corvus arum: Upupæ adiantum: cornices verbenam: turdi cicutam & myrtum: Perdices arundinem: Aquilæ galitricum: Galeritæ gramen: Cygni viticem, Hipopotamus arborum stipites, ut à sanguinis sarcina liberentur: Bufones condrilam: Cervus dictamum, pro veneno sagittæ: serpentes fæniculum ad cæcitatem: testudines saturegiam adversus viperarum venena: ursi mandragoram adversus formicas mandunt: astuta mustela verbascum

lib. 27. Nat. hist. cap. 3.

contra serpentes: nos etiam vero patientię æmuleto utimur contra livoris sagittas, quo neque abducimur, nec veneno inficimur, sed ut Pyralis, sub ignis ardore vivimus, & persecutionis aromate,accenso livoris igne, in nidulo meo moriar; &, sicut Phenix, multiplicabo dies; *non est quod tibi facile credas*, dixit Seneca, *excute, & varie scrutare, & observa: non est populare artificium, philosophia, nec ostentationi paratum, non in verbis, sed in rebus est. Alia rursus hæc refellendi species est*, dixit Plato, *cum quis aliquid dicat deridere, aut sine ratione negare. Cæterum, nisi meliorem arguendi viam habes, vicissim mihi concede, ac experire, qualem ego redargutionem esse arbitror oportere.* Illud enim turpe est, dixit Plato: *Turpiter & male loqui, & scribere verba rebus proba; nam facere docet Philosophia, non dicere:* dixit Seneca; nam, ut Tragicus ait Euripides, veritatis simplex oratio est; ideoque illam implicare nemo potest; nec enim quidquam minus convenit, quam subdola ista calliditas, animis conantibus magna; in hoc veritas solis æmulatur radios, quod obseratas fores penetrat, vel invitas.

Plin. lib. 11. cap. 36. epist. 16.

Altera lectio sicut palma.

Dial. Gorg. l. de Rethorica.

Dial. Phæd. Epist. 20.

Epist. 49.

Sub hac sapientia cerebrum mediocrem possidet siccitatem, meta vero transgressa ad furorem disponit; magna sane sapientia Præceptor, de hac sapientia philosophatur: *ignis & aqua*, inquit, *inter se temperata*, sapientissima sunt; *quia ignis quidem habet humiditatem ab aqua, & aqua siccitatem ab igne; ex his autem anima temperata sapientissima est, & memoria valentissima prædita* (de humoribus, qui elementis respondent, & sua temperie corpus immutant, ut animæ instrumenta, Præceptor loquitur) *si vero aliquo ascitamento utens, alterum horum augescat, aut contabescat, decipientissima redditur; si vero ignis & aquæ temperamentum anima sortiatur, sit autem ignis paulo inferior, defectuosior erit, propter ea quod ignis ab aqua temperatus, & tardiorem motum faciens, segnius sensibus allabitur, & tales stolidi appellantur; si vero è contra aqua superetur abigne, imperiosior anima celerius mandabit sensus, & pro ignis siccitate actiones depravatiores concitabit, quo fiunt tales phrenetici, nisi & furiosi fiant, & ultra sub varias species.* Progreditur Hippocrates; *si vero amplius ad hoc superetur ignis ab aqua, more carbonum, hos jam alii decipientes, alii attonitos, seu stupidos appellant: dum jam ustio melancholiæ deferbuit: & hæc insaniæ species tardior existit; si vero amplius aquæ vis ab igne superetur (quocumque in humore quatuor elementa considera) tali homini necesse est tanto acutiorem animam esse, quanto citius movetur, & ad sensus citius allabi: verum minus constantem priori: desipientia hæc erit valde ferina, ob nimiam cerebri siccitatem, humoris acutiem, & immanes morsuum punctiones. Si vero adhuc amplius superetur aqua ab igne, talis anima valde acuta est. Et talem necesse est somnia videre, hoc est proloqui ea, quæ velut per somnum repræsentantur, absque ullo ordine cohærentia: Vocant istos subfuriosos; nam res valde propinqua insaniæ est; etenim à brevi, & incommoda inflammatione insaniunt, quaque levi de causa: sapientis quidem igitur, ac desipientis animæ hoc temperamentum causa est, potestque ex diæta melior, aut deterior reddi.* Hæc Præceptor ad literam. Hinc Platonis obscurissimæ sententiæ interpretationi datur aditus, *cum sensus animam vehementer pulsaverint*, inquit, *& possederint ab initio, anima, cum mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur; at postquam nutritionis, & augmenti rivus lenius minusque* fluit,

Lib. 1. diæta, cap. 29. 30. 33. 34. 35. 36.

Dial. Thim. lib. de Nat.

fluit, animæque circuitus tranquilliori motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatiores fiunt, & in figuram naturæ suæ congruam restituuntur, tunc singulorum circulorum directæ conversiones, ejusdem & alterius naturam probe discernunt; hominemque sic institutum prudentem efficiunt, &c. Hoc est, cum corporis instrumenta, quibus insedit anima, cerebro autem sedet ut metropoli adhuc impolita, & immatura, illustratioribus animę actionibus non cedunt. Amens efficitur puerili ludibrio magistra sapientiæ: naturæ vero instrumenta si ignis vehementer pulsaverit, hoc est, humor, cui dominatur ignis, non amens, sed furiosa redditur; si vero naturæ rivus perficit instrumenta, nec illa interturbat inquietus effluxus, tunc ad prudentiam quietiores motus; ad sapientiam vero, temperatam quietem perficit anima.

Cum vero ad talem siccitatem cerebri devenerit temperies, ut justa alteretur harmonia, in calore, & siccitate cerebri, actiones depravantur in facultatum operatione; si vero dissolvatur, vita nequit consistere; ita fit, dicit Jacotius, ut motu, vigilia, clamore, æstu, & succi acrimonia, non solum hauriatur humidum cerebri, sed etiam naturalis partium concretio dissolvatur; quam malam colliquationem vocat Hippocrates; ob idque ex insania raucedo, quam excepit oregmon, quem mors excepit. *Hinc feroces desipientiæ, licet parum durabiles, pravæ*; non enim sequuntur febris conditionem, dicit Jacotius; paraphrenitis enim nunquam ferina, sed dum in cerebro phrenetica alitur affectio, per calorem scilicet, & siccitatem, quibus acrior accedit morsus, qua licet ad se redeant ferocientes, immaniores postea revertuntur; mora enim acrior redditur humor, cum calidior: *ac ideo aphonia convulsoria in extasim transeunt mortiferam*: cum præ siccitate, à calore superante inducta, nervi aruerunt reversivi, ut omnis cerebri substantia fucata furiosam extasim cum silentio inducat; quia ultima debilitate torpent sensus, ut levis tantum in manibus tremor appareat, ceu in Pythione; neque enim præcise vocem ad phrenitidem requiri, Galenus dixit: alia enim multa supersunt, ut familiares non agnoscere, dolorem, aut sitim non sentire, indecore moveri, &c. ac proinde Censorinus Cato ad filium de validis quoque observans, ut ex oraculo aliquo prodiderit: *senilem juventam, prœmaturæ mortis esse signum*, dixit: Et hoc est per sapientiam mori, id est, per errorem sapientiæ, facultatis scilicet, in qua versatur sapientia, seu dicas cogitationem, seu discursivam; hæc enim ad operationes cum moderata humiditate, moderatam postulat siccitatem; cum vero à moderato excedit, disponit ad maniam; hinc auctor libri de spermate horis nigræ bilis, conceptus, inquit, maniæ est expositus, quoniam sub siccitate cerebrum efformatur: & propter illam, quam calor inducit, maniæ signum fore Galenus confirmavit. Ad vomitum æruginis Præceptor maniam sequi, certo judicat: hanc enim à retorrida bile fieri, certius Galenus; quod si ad hanc tremores superveniant, vita nequit consistere; cum igitur, ut dicit Galenus, talem ob affectionem tremor fiat, vehementer exsiccatos nervos ostendit; ob idque hominem læthaliter habere: solo vero temperamento sicciori, & tenebroso insigniti, melancholici tenebriones, ac lucifugi, tristesque redduntur (dicat hoc servus Attici) suspiciosi, hominum consortium fugientes, amantes solitudinem, ut Nicanor, Democlis, & Parmeniscus; aut sicut Belerophontes olim ab Homero describitur:

Qui miser in campis mærens errabat Aleis:
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Aretæus melancholiam definit, *animi angorem in una cogitatione defixum, atque inhærentem, sine febre*: mirabile est enim, quam variæ rerum imagines animis eorum obversentur, quos bilis atra vexat: in hoc tamen differentiam constituit melancholia, quod verum erat in semel apprehensa, in reliquis fere constat judicium; quod in furore, ac mania non fit, ubi absolute dominatur insania; hinc & lycanthropiæ vitia, infra hominis naturam, animo, & corpore alienato: mirabile de hoc refert Solinus, quod Neuri apud Sithas Lycanthropia ad tempus in lupos convertuntur; & exacta insania ad hominis revertuntur figuram: & in aliis divina, nescio quæ apprehensio dominatur, quasi cum idem homo duorum extremorum sit subjectum, ad utrumque extremum ab uno eodemque humore immutetur; ut Timon apud Lucianum: harum imaginum causæ haud plerisque cognitæ; plerique ad humoris proprietatem eas retulerunt; alii in illius temperiem, substantiam, aut qualitatem: substantiæ soliditati, constantiam veteres tribuerunt. Unde Galenus, aciem animi, atque intelligentiam, bilioso humori tribuit; constantiam, & firmitatem melancholico, stoliditatem sanguineo, pituitam ad mores conformandos judicavit inutilem.

STATIO VI.

Mæsticia necat veneris lætus furor.

Quin etiam hic funestus humor, aliud furoris genus concitat, quod Venus inspirat; & politioris Litteraturæ viri vocitant amatorium; hoc etiam mortem inducit, dum cæco carpitur igne; sed medius fidius re amata potitus, remedium in furore invenit.

Antiochus, Seleuci Regis filius, novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis fascibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat; itaque diversi affectus iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat in lectulo moribundo similis, lamentabatur pater, sed hanc tristitiæ nubem Erasistrati medici diligentia discussit, cum Antiochum, ad introitum Stratonices, rubore perfundi conspiceret; eaque egrediente, pallere, admotaque manu pulsui, modo vegetiori, modo languidiori comperit; ac cujus morbi specie detentus æger esset, aperte cognovit; ego etiam, dicit Galenus, simili in historia, vocatus ad fœminam noctu vigilantem, & ex una jacendi figura in aliam crebro se transferentem, illamque sine febre extaseos apprehensam; ex actione delira, hanc aperte mæstitia laborare, cognovi, vel atræ bilis vitio; sed postea comperi, cum quidam è theatro venisset, narrassetque se Pyladem saltantem vidisse, ac statim mulieris vultus, & faciei color esset immutatus, subsiliretque

Comm. 1. ad lib. 2 Coac. Sect. 2. text. 10. & Sect. lib 3. text. 11. Comm. 1. lib. 2 Coac. Sect. 2. text. 19. text. 21. seq.

1 Proritic. Plin. lib. 7. Nat. hist. c. 51. l. de Anat. vivor. tit. de Anatom. cordis. 1 Prorrit. Comm 1. text. 9. & 14. in Com.

4 Epid. text. 17. 5 Epid. 77. 78. 80.

De Mir. 21.

Comm. in lib. de Hum.

Val. Maxi. l. 5. Rerum memor. c. 7.

De præcog. ad Post. c. 6.

que agitatus variis in modis pulsus, (quod animi perturbati est indicium:) mulierem Pyladis amore correptam: sicut & servum alterius cujusdam divitis deprehendi.

De Echo Nympha, Poëtæ fabulantur, Narcissi amore captam, cum illi re amata potiri non daretur, ob verecundiam, in antra obscura se misisse, ibique se fatis mærore datam confecisse: ita ut tanquam saxum obticesceret, neque aliquid sui reliquiarum dimisisse, præterquam vocem; quam Lucretius testatur se alicubi sexies, aut etiam septies repetitam audivisse. Pausanias quoque fidem facit, apud Ælios porticum quendam fuisse, ubi septies, & eo amplius vox replicata audiretur; ac ideo dea aëris & linguæ ferebatur; semper tamen ob mœrorem, hominum fugiebat conspectum. Cernens etiam Dido, quam improbis facibus arderet, ac videns Æneam ad mare devolutum, per urbem hinc inde furiosa vagatur; ut Poëta haud absimili furore correptus, belle cecinit:

Vincen. lib. de Imagin.

l.4. Ænei.

Heu! vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,
Quid delubra juvant.
Vritur infœlix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens.
Iliacos, iterum demens audire labores
Exposcit.
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis.

In amoris furore, uteri & cerebri mutuo conspirant vitia, ut voluit Ætius; illius ex calida, & fere habituali intemperie lacessiti; istius autem, à maligna, & exusta evaporatione irruente, quæ, dum caput ascendit, mentem vel ad furorem percellit, si bene in viris satyriacis similem concitat priapismum, ut Areteus & Moscio Grecus voluerunt; & taliter sævit inde furor, ut fœminæ in viros convertantur, ut in Abderis Phaëthusa uxor, & altera in Thaso Gorsipi, & in annalibus Romanis: Lucio Crasso, & Cajo Longino Consulibus, Casini puerum, è virgine sub parentibus effectum, in desertamque, Aruspicum jussu, insulam delatum, narrat Plinius; & alium Smyrnæ puerum; sicut & in Africa Lucium Cossicium, fæmellam in virum, die nuptiarum, versam, se vidisse affirmat. Phœnices etiam amatores, cum se re amata privatos cernerent, se ipsos privabant cibo, ut retulit Galenus; quemadmodum amantes palmis affici, nonnulli perhibent: Philostratus in iconibus auctor est, palmam fœminam, atque marem, ita se amare, ut nisi prope ferantur, atque se saltem prospiciant, emacientur exsiccenturque: idem Theophrastus, idem Plinius, idem narrat Basilius. Hinc etiam amoris furor, flammeus, igneus, & inde amoris currus, ut à Moschio Poëta Græco, quem eleganter Politianus transtulit, describitur:

Lib. 7. Nat. hist. cap. 4.

6 de Loc. 5.

3 de Auris plan. c 20. lib. 13. c. 4. Hom. 5. in exhameron.

Ira inflammantur, tum mens illi effera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.

Quem Petrarcha in amoris Triumpho imitatur.

Igneus ille currus, qui nudus, & infans
Apparet: plenam telis fert ille pharetram,
Ex humeris; arcumque manu idem in prælia gestat.

Quod amantium cupiditatis est argumentum; quæ spe obtinendi semper accenditur: sed elegantissime amoris, & omnium qui præ illo furibundi in urbe extiterunt, furores, descripsit Ausonius, ubi incipit:

Aëris in campis memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes, ubi lucus opacat amantes.

Huic etiam furori alludit quoddam Veneris simulachrum, quo Venerem barbatam effinxerunt Cyprii, ut Alexander Neapolitanus refert. Veneris simulachrum, dixit Suidas aliquando effingi solitum, cum pectine, & barba (sicut Vincentius in ultima imagine descripsit,) quod Romanis aliquando mulieribus pestilens irrepsit furor, quo morbo capilli deciderent omnes, cum pectinum non erat usus; quare mulieres tam invenusto morbo lacessitæ, Veneri vota facientes, pilos deæ miseratione recuperarunt; ac propterea hac peste liberatæ, Veneris simulachrum, cum barba, & pectine, posuerunt.

STATIO VII.

Funesti humoris effectus indicibiles, furoris triumphus indicat, & furore etiam physiognomia.

Aliud etiam furoris genus est, dixit Olerius, ex puro sanguine, ubi incaluit, aut nescio quid ineffabilis vitii, seu labem dicas, contraxerit; quod accidit quibusdam virginibus, mensibus diu suppressis; per siccitatis gradus, quos calor induxit: gradus etiam delirii à Galeno describitur, quem sequitur Jacotius. Ob hanc igitur causam, inquit, nonnumquam phrenitis mitior est: *Cum à pallida bile ortum traxerit, interdum vehementior, cum flava bilis eam peperit:* atque insuper alia nonnumquam ferina occurrit dementia, & melancholica flava bile præassata. Sed ad utramque siccitatem extenditur, seu frigori copuletur, seu calori, ut adnotat Galenus; nam, & in animantibus, inquit, quæ temperatura calidiora siccioraque sunt, in iis plus generari videtur atrę bilis; unde furor indomitus, qualem in Achille introducit Homerus: Thamyris insano furore cytharam lapidibus allisit: nec sana mente Pindarus dulcissimam modulatu fistulam litavit igni: Xerxes, naufragii dolore, infausta rabie mare verberibus multavit: ut narrat Plutarchus. Leonis hieroglyphicum hoc etiam comprobat, catulos suos decerpentis, ut veteres depinxerunt Ægyptii: & in hori exemplaribus invenitur; immensum itaque furorem, dixit Pierius, quo quis impensius exardescat, significare, si collibuisset, leonem effingebant catulos suos decerpentem, imo & exosfantem; quo quidem furore correptum olim Herculem auctores tradunt; eoque insania provectum, ut non hospitis tantum filios enecarit, verum & in suos ipsius filios, usque adeo sævire solitum, ut eos interfecerit. Divinæ literæ in serpente furorem implacabilem ponunt: incomportabilis est in angue furor, qui simul ac se læsum sentit, ita vel sane furit, ut non obsistat, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur; ut notavit Eutimius; nec absimilem furorem, per Crocodilum semetipsum verberantem adnotarunt Ægyptii: propterea quod is irrita prædæ spe frustratus, in semetipsum furit indignabundus; quare olim Alcitani gens Hispana, simulachrum Martis, ut Macrobius refert, radiis orna-

Comm. in lib. 1 Coac. Sect. 2. t. 9.

Libel de Temperat. ira.

Lib. 1. de Sacris myster. Ægyp. tit. furor indomitus.

Psalm. 58.

Pierius, lib. 29 de Sacris Ægypt. litt.

Lib. 1. Saturnal.

Vincen. lib. de Imagin. Deorum, fol. 263.

Lib. 7. Thebai.

ornatum, solis instar, maxima religione colebant: si nos non fallit apocrypha traditio: fervorem enim, quo animus excandescit notando, excitaturque alias ad iram, alias ad virtutes, interdum ad furorem, per quem bella nascuntur, quorum Deus nominatur. Homerus etiam, ejus currum à duobus furore tumentibus equis trahi, decantavit: quorum unus timor, alius terror, appellatur; quibus etiam impetum, violentiam, & furorem adjungit: quem Statius postea imitatur, cum Martem introducit ad dissidia inter duos fratres, Etheoclem, & Polynicem, inferenda proficiscentem; & postquam arma descripsit, igne furiis, & sanguine fucata, eum circunstare dicit furorem, & iram: equorum frena terrorem moderari; famam omnes præcedere, veri ac falsi nunciam: quod etiam Virgilius imitatur; ac ideo illum iram, & furorem comitari, quos veteres vultu terribili, ac sanguine conspersо effingebant, ut super arma furor fremeret revinctus post terga catenis, Virgilio ita canente: sed Statius, Martis domum poetico furore descripsit:

lib.4. Ænei. *lib.1. Ænei.*

Innumeris strepit aula minis, tristissima virtus
Stat medio: lætusque furor, vultuque cruento
Mors armata sedet, bellorum solus in aris
Sanguis & incensis, qui raptus ab urbibus ignis
Terrarum exuviæ, circum & fastigia templi
Captæ insignibant gentes.

Bacchi etiam effigiem, furorem adumbrare, veteres voluerunt; quoniam, ut dixit Aristoteles, varias in homine soleat passiones concitare, & immodice haustum furorem; ac ideo Baccho Pantheras, & Tigres, Antiquitas sacra fecit; ac Bacchi currum finxit deferre: quia percita & furibunda dixit Philostratus; in cujus veritatis exemplum, Bacchi currum eleganti poëmate sic describit Statius:

Effrena dextra lævaque sequuntur
Lynces, & uda mero lambunt retinacula Tygres:
Post exultantes spolia armentalia portant,
Seminecesque lupos, scissasque Mimalones ursas,
Nec comitatus iners, sunt illhic ira, furorque,
Et metus, & virtus, & nunquam sobrius ardor,
Succiduique gradus castraque simillima Regni.

3 Metam. Et Ovidius:

Pampineis agitat velatam frondibus hastam:
Quem circa Tygres, simulachraque inania lincum
Pictarumque jacent fera corpora Pantherarum;
Exilire viri, sive hoc insania fecit,
Sive timor:

Invidia inter monstra, quæ Bacchi currum insequuntur, Silius Italicus commemorat; & illam sic breviter describit:

Hinc angens utraque manu sua guttura livor.

1 Epistol. ad Colium. Et Horatius:

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum.

Hoc idem, vel symbolice colligitur in calidioribus simul, & siccioribus anni temporibus, locis cœli constitutionibus, studiis, lassitudines, curas, & vigilias exigentibus: eduliis quoque crassis, siccissimisque; insanientibus vero à varicibus aliud insaniæ genus est; quod frigidior peperit melancholia, non ille, qui fit ex bile furor. Galenus etiam, ad illam Heracliti sententiam: *Prudentiam sapientissimam, facit*, inquit, *moderata siccitas, immoderata dementiam.*

6 Aph. 21. Lib quod animi mores, cap. 5.

A Hoc tamen interpellat extremæ senectutis objectio, cui vel palam Galenus ipse satisfacit; medius enim fidius pauci extremam usque senectam attingentes, desipiunt, cum extremam attingant siccitatem; *Respondebimus*, inquit Galenus, *non furore, sed alio desipientiæ genere laborare, ob frigiditatem; nam haud dubie ipsa omnibus animi functionibus officit (animæ vero opera, perturbationesque corporis, temperamentis consentire, apertissime declarant) cum ad propinquam ignorationem deveniant; immoderata enim frigiditas senes facit repuerascere, si vero moderata, neutro modo delirat.* Ex hoc alia fortasse difficilior suscitatur objectio; frigiditatem scilicet ad actionum depravationem non conducere; cum semper facultates, & earum operationes imminuat: variis exemplis huic objectioni vel Galenus ipse satisfacit: nihil enim vetat à frigore, & debilitate etiam actiones depravari, nec solum imminui. Hoc enim monstrat cardiaca, quam Galenus implaciditatem vocat, qua loco stare nequit æger ex labore ventriculi: eclipsim, oris ventriculi vocat Aurelianus ex Sorano; Celsus imbecillitatem; & omnes in impotentiam conspirant: & licet hujus respectu actio diminuta sit, illius tamen est plane depravata, nam loco stare nequeunt: reddidit rationem Galenus, cardiacos, & anxios, dixit, propter imbecillitatem, omnem noxam moleste ferre; & Græca vox, alismus, venit à verbo ἀλύζω, quod est multarum rerum satagere, studiaque sua ad res novas convertere, eorumque fastidio, quæ prius placuerant: hinc nomen alismi translatum ad ægros, qui ad punctum temporis quæsitos fastidiunt, ad novos jacendi habitus inclinantes; ex causis una est stomachi proritatio; altera virtutis oppressio; quorum syllogistica signa Duretus exaravit; hoc etiam in palpitatione experimur, quæ itidem depravatus motus est, & à debili virtute fieri, Galenus docuit, & à profluvio sanguinis desipientia, Præceptor; in cujus Commentario Galenus, utilis Aphorismus, ad credendum, inquit, quod aliquando fiat desipientia ex defectu; hanc Mercurialis mire illustrat sententiam; ad sanguinis profluvium, inquit, sequitur spiritus resolutio; & ad hanc facultatis ratiocinatricis debilitas, cujus actiones non depraventur à calido, sed aut à privatione aut à frigore: actiones enim animæ, dixit Galenus, fiunt ab optima cerebri temperie; & à qualibet, quæ deviet, corrumpuntur; in calida tamen vehemens est aberratio, quia majorem recessum, impressionem, & actionem arguit: à mitiori calore, vel frigore, minor, quæ proprie desipientia, &, ut Celsus transtulit, dementia dicitur; quæ est diminutio operationum; quæque à Galeno dicitur fieri ex imbecillitate; quoniam vigor, & copia spirituum, quibus fiunt animi opera, desunt in senibus, & sanguinis profluvio; ac proinde redditur animus debilis in cogitando, & judicando; in hepatica dysenteria etiam depravari alteratricem à frigore, Galenus testis est.

Citato loco. *7 Aph. 56. 4 Acut. 46. 1 de Hum. 17. 2 Acut pass. c. 30. 33. l. 3. cap. 19. 1 de Motu muscul. ultimo inf. 2 Coac. c. 24. text. 13. 1 de Loc. 2. 7 Aph. 9.* *In Comm. hujus Aph.* *8 de Vsu part.*

Redeat ad punctum series; vel ex ante acta doctrina patet obscurioris illius sententiæ interpretatio; *Quorum autem sanguis*, inquit Galenus, *permultis crassisque fibris refertus est, hic terrestrioris naturæ sunt, iracundoque ingenio, & extra se ob furorem rapiuntur:* hoc est, anima, ob instrumentorum siccissimam temperiem, ab atro humore comparatam,

8 Secund. loco, cap. 6. Libro quod animi mores, cap. 7.

ratam, extra ſe rapitur in alienationem, cum cerebrum, aut totum corpus talem adepta ſint temperiem, ut ipſe alibi dixit: *Excandeſcentia namque*, procedit Galenus, *calorem ſuſcitat: ſolida vero caleſcentia pluſquam humida calefaciunt; fibræ autem ſolidæ, terreſtreſque ſunt; quare, veluti fomites in ſanguine fiunt, & fervorem in humoribus concitant, ideoque Tauri, & apri, furentes iracundique ſunt; humorum enim ſanguis fibrioſiſſimus eſt.* Pulſus in hypochondriis aut perturbationem, aut delirium notat, dixit Præceptor; & in epidemiis, vena, quæ in cubitu pulſat, furibundum oſtendit. Sed addit Præceptor, ſi oculi crebrius moveantur; potentiæ depravatio, morſus acris humor, & mentis turbatio, omnia calorem ſiccitate effrenem indicant, dicit Jacotius: morſus autem humorem, ſubſtantia tenuem, acrem & calidum: unde ſputi ſuppreſſio movet inſaniam, non à ſolis vaporibus, dicit Jacotius, niſi ex bilioſo humore fiat in caput tranſlatio per metaſtaſim. Et hæc alteram elucidat ſententiam; facies rubra, vehemens inſania; plenum enim caput calidis vapore, & materia oſtendit, dicit Olerius, quæ vel vitellinæ, bilis ſunt admodum rufæ, vel ſanguinis in bilis confinio, à quibus vehemens illa inſania metuenda. Ac ideo lupum Marti ſacrum veteres, *meo videri*, dixerunt: quia calidiſſima, & ſicciori temperie ſæpe furit. Unde Lycanthropia, hoc eſt, Lupinus furor, ab hac dictione λύκος Græce, hoc eſt, lupus; canis præterea fuit & Marti ſacer; quia, ut Pauſanias ſcribit, natura eſt omnium domeſticorum animalium marocissimus.

3 de Loc. 7. — Comm. 1. ad Coac. lib. 3. Sect. 2. text. 13. — Lib. 2. Epid. Sect. 2. — 6 Epid. Sect. 1. text. 3. — 2 Epi. poſt medium. Text. 29. & 51. — Comm. 1. ad lib. 6. Coac. Sect. 2. text. 12. — Lib. 3. Coac. Sect. 13. text. 45. — Vincen. de imag f. 280. — Libro quod animi mor. cap. 8. — Epiſt. 83.

Hoc etiam regionis ſitus confirmat, qui ſi ſiccus, & calidus eſt, tales producit homines, ut inter ſymbolica contineantur, producens & producta natura. *Vbi ſterilis regio eſt*, dicit Galenus, *ſitu altiori, munita hyeme nivibus, pulſa æſtate ſolis radiis exuſta, homines ibi duros, graciles, validos, hirſutoſque conſpicies; & ad agendum celeritas, & vigilantia in hac natura eſt: ſuperbi præterea mores, atque iracundia, & propriæ ſententiæ pertinax defenſio; iſtos etiam efferaciores, quam humaniores, acutiores, & perſpicaces, necnon ad res bellicas præſtantiores invenies, effæminat animos nimia amœnitas*, dixit Seneca, *quamlibet vitam jumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: fortior miles ex confragoſo venit: nullum laborem recuſant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur: in molli paſcuo ſaginata, cito conteruntur: in primo pulvere, deficit unctus & nitidus.* Ac ideo Cyrus Perſis in bello educatis commutare regionem aſperam, quam habitant, pro amæna, & fertili, prohibuit: dicens plantarum ſemina, & hominum mores ſolum æmulari; ut refert Plutarchus in apophthegmatis; & ideo Xerxes Babyloniis, à fide deficientibus ſibi, imperavit, ut poſt reductionem pſallerent, canerent, & lænocinia, & cauponas exercerent, & in luxu viverent; unde orta parœmia, equitandi peritus ne cantet; vel hanc propter rationem, Plato pueris, ante vigeſimum ſecundum annum, ut à vino caverent, lege mandavit; cauſamque annectit in hunc ſenſum, quod videlicet ignem ſuper ignem in corpus animamque, ante quam labores capeſcere incipiant, inducere non conveniat; atque ita juvenilis habitus in furorem rapiatur: poſtea vero ad trigeſimum annum mediocre concedit: à vinolentia tamen penitus abſtinere jubet: at quadraginta jam annos natos, in conviviis epulantes, ut deos invocent, & Bacchum præcipue, conſulit; ut ſeniorum ſacris luſibuſque interſit: *Vinum enim*, dicit, *animæ, tanquam tyrannus quidam, imperat; nam ſi ſemel iu corpus intraverit*, dixit Galenus, *gubernatorem impedit, quominus, ut decet, navis gubernacula dirigat: milites, ne modeſte in acie ſe gerant. Conturbat judices, cum juſtos eſſe oporteat, aberrare, & omnes Principes vitioſe dominari, nihilque ſani imperare cogit, multum enim pravi ſucci animi actionibus officiunt; boni vero, eas illæſas tuentur.* Bacchi ſenioris effigie hoc voluit antiquitas adumbrare, ideo ſenis, ac interdum juvenis effigiem, antiquitas dicavit, dixit Diodorus; quia prior ejus effigies, vinum, ſupra menſuram hauſtum, indicabat; homines terribiles, feroces, & iracundos reddere: Poſterior vero, mediocri vino delibato, homines hilares, & jucundos efficere. Cornua in fronte in quapam ejus imagine antiquitas impoſuit, ut refert Diodorus, Perſius, Catullus, & Muſonius, ac ultimo Marcianus Capella, quia per illa, ſolis radios voluerunt intelligi: alii tamen audaciam, & furorem, ut voluit Vincentius, quem largo vini potu homines contraxere, ut Feſtus adnotavit, Philoſtratus, & Porphyrius; ac hedera ideo in ſertis ejus effigiem adornari, quia ut ſcribit Plutarchus, herba iſta talem virtutem poſſidet, ut mentem de ſua ſede dejiciat, & furore quodam compleat; ut abſque vini potione homines reddat ebrios, ac mente devolutos occulta quadam virtute; quod vel inde conjicitur, quod libidinem furioſo concitet appetitu; & propterea qui Bacchanalia exercebant, ſertis ex hedera ornabantur; ut etiam Plutarchus refert; inde nata parœmia, *Sine Baccho, & Cerere, friget Venus.*

Fol. 173. — In Thimæo, & Dial. 2. de leg. — Lib. quod animi mores ex Plat. Sen. Plutarch. de temp. iræ. — Libro de imag. Deor. Bacchi. im. fol. 280.

Ad hoc etiam aſtra conducunt, nam facundi naſcuntur ſub Mercurio, ſub Sole ſapientes, furioſi ſub Marte, & ſub Saturno triſtes, ſub æſtate cauſones, & phrenitides, ſub Torrida Zona aduſti homines, licet illam inhabitabilem dicat Auguſtinus ſuper aſſato, & aduſto ſanguine, ac bilioſo ſucco furores & maniæ, ſeu in capite, ſeu in toto corpore generetur, ut expreſſit Galenus; macri, hirſuti, & nigri citius incidunt in furorem; ad hoc poſtea ſymbolicam inducunt naturam flavi, laboribus, vigiliis, & ſollicitudine, educati: victus, & omnia, quæ ad ſiccitatem conſpirant, primo natura reddunt homines ſapientes, ſi metam non excedant; hac vero ſupergreſſa, ad furorem diſponunt, aut maraſmum; ut citato loco Galenus adnotavit: *Et ideo prudentiæ nocere*, dixit, *vina calida, & ipſam acuere theriacam*; immoderata illa; hæc vero moderata ſiccitate, ſeu in cerebro aſſidua caliditate, ſanguis aut utraque bilis aduratur, ſeu præcordiis reddatur præaſſata; innumera eos vexant inſomnia, interdum importunæ vigiliæ, monſtroſæ, & inexplicabiles cogitationes, ut plerique ex melancholicis omnia liquida, ut venenum aufugiant, ut hydrophobi, quod etiam advertit Galenus, & alibi, atra bile ſapientes abundare.

3 de Loc. 7. — 1 Proritic. Comm. 1. text. 1. — 3 de Loc. cit. lib. de mel. ad med. — de theriaca ad Phyſ. 16. — Cit. de mel. de natural. facul. 9.

Hæc & plura ſapiens phyſiognomia architectatur; nam animi mores corporis temperaturam ſequuntur; quinimo, & inſtrumentariarum partium figuratio, animi moribus conveniens, ſecundum ipſum Ariſtotelem, efficitur: ſed ea

tandem,

tandem, quæ ab Aristotele primo de animalium historia scripta sunt, audiamus; *faciei autem sub syncipite pars, frons est, quibus vero hæc magna, segniores, quibus parva, mobiles, quibus lata facile mente alienantur, quibus rotunda, in iram propensi.* Haud paulo infra procedit, *supercilia sub fronte sunt, quæ si in rectum protenduntur, lenes mores significant: si juxta nasum incurvantur, austeros, & acerbos indicant: sed, si secundum tempora declinant, derisorem, dissimulatoremque significant; si vero in totum demissa, invidiam subesse notant. communis præterea superiori, inferiorique palpebræ locus, anguli sunt duo juxta nares, duo juxta tempora; quibus oblongiores adsunt, maleficos mores notant; quibus breves melioris animi signa sunt; quorum autem juxta nares anguli pectunculos veluti carneos habent, scelesti animi est indicium; supercilia detracta, invidiam notant; oculi candidum omnibus simile est; nigrum vero evariat, secundum quod mores possidet; quibus cæsium & fulvum, improbi, quibus caprinum, boni: deinde oculi aliqui parvi, mediocres & magni; parvi, audaces, mediocres, optimi, quibus extant exserti, & connivent nimis, imprudentes: aliis testantur inconstantiam,* (licet locus diminutus in antiqua versione, nunc restitutus sit) *reconditi acutissime cernunt, mediocrem situm obtinentes, optimum animum præ se ferunt; aures exiguæ, vitiosum animum notant: morum optimorum, sunt mediocres: magnæ vero, & immodicæ, arrectæ, stultitiæ, & garrulitatis indices. Hæc omnia in primo de animalium historia scripsit Aristoteles.*

STATIO VIII.

Per purissimam cerebri siccitatem, quam delirans acumen excipit intellectus, moritur; quem necat sapientia.

Vituperare rem insanabilem, & errore longe provectam, nullo modo jucundum, interdum vero necessarium est, dixit Plato; hæc prava ab orbe condito hominibus consuetudo emanavit, ut magna ab hominibus procedere, prorsus judicent impossibile; quod cum homines primitivi agnoscerent, illa summa vanitate, à diis accepta tradidere, ut fere à mundi principio, hoc exemplis suffultum inveniamus. Regem Minonem leges ab Jove petentem, & hominibus sub Hammone tradentem, Plato introducit: & Tullius Scipionem ab Jove Magistro ad rempub. accessisse, testatur: Numa Pompilius legibus ab Ægeria datis civitatem gubernavit. Moses legem à Deo accepit, ut ipsi crederetur. Aristoxenes Indorum mysteria absque divina regula, quidquam vel privatim vel publice, recte vel fideliter, unquam administrari posse, non judicat. Ninus, Chaldeæ Rex, à primo Idolorum patre Belo, legem accepisse perhibetur. Ulyssem à Centauro Semideo, quibus edocti Ægyptii solis Philosophis, hisque sacris, non solum civilis juris, sed voluntatis sceptrum tribuebant; nihilque absque divina quadam inspiratione intelligi posse, asserebant: testis est Jamblichus; ac ideo omnes apud illos philosophorum libri Mercurii Dei nomine sunt adscripti, ut antea dicebamus; ac Thimæus philosophiam divinum donum asseruit, ut crederetur Philosophiæ. Et ideo Xenophon Cambysen introducit, Cyrum prudentiam edocentem; & Philippum, ut Macedonem Alexandrum instrueret, quos filii divinis coluerunt honoribus; & ideo Agasicles Lacedæmonum Rex, ab excellentissimo Philippo noluit erudiri, ut ab Jove doctrinam accepisse videretur, & hanc propter rationem, Ulyssis animam cum præclare gesta contemni, & parvi pendi videret, fertur ultimam sortem elegisse, ac præteritorum laborum memoria, privati hominis non curiosi vitam induisse, eamque vix tandem alicubi jacentem, & neglectam, ab aliis reperisse, dicentem, non aliam se vitam electuram ob laborum despectum, etiam si sortem primam nacta esset.

(Dial. 2. de leg.)

(Pla Dia. 7. de Rep. lib. de Iust. Dial. 10. de Rep. sequent.)

Est ergo per sapientiam mori, mori per phrenitidem, maniam, aut furorem, quæ extrema siccitas induxit; *phrenitidem enim ideo*, dixit Galenus, *quia talis est affectio, in qua phrenas, id est mentem læsam esse videamus*; in qua perit præcipue cogitatricis actio, ut notavit Jacotius; licet per *phrenas* septum Plato intelligat: ideo fortasse, quia septi inflammatio mox *phrenas* adducit in consensum; quam affectionem, etiam *dianoian* vocant peritiores Græci; & Galenus in exegesi vocum Hippocratis, aut intellectum seu intelligentiam vox illa sonat; qua vero animæ parte fiat, ex ipsa læsa actione edisces; actio est in cerebro, & facultatis, qua residet discursus, cogitatio, aut memoria; & ideo *agnoia* & *lethe phrenitis* dicitur, ut notavit Jacotius; hoc est, non agnoscere familiares, & oblivisci, ut Apollonio in Abderis; est enim *agnoia* privatio vel interceptio vis animæ communis, quæ per reflexionem perpendit, atque cognoscit speciem rei præsentis, & objectæ: *lethe* vero est oblivio illius, quæ retinet rerum imagines, & notiones universales; ob idque illi non agnoscunt, nec distinguunt præsentia. Hi præteritorum non meminerunt; & ideo peritiores Græci *Letheum* oblivionis fluvium vocitarunt, utpote illius, cujus aquæ potantibus oblivionem induceret.

(1 Prorrit. Comm. 1. text. 4. Comm. 1. ad lib. 3. Coac. Sect. 2. text. 31.)

(Lib. 1. Coac. Comm. 1. text. 6. & 3 Epid. Sect. 3. ægrot. 13.)

Mori ergo per sapientiam, quod sit per phrenitidem mori, licet illa, quæ antea recitavimus, clare comprobent, clarissime tamen ipse, qui ænigma proponit vel ad lucernam Momi confirmat: nullus enim commentator clarius, auctoris mentem, quam ipse auctor, assequitur. Plinius enim, cum inter varias naturæ calamitates, varia morborum recenset exempla; *atque est etiam morbus aliquis*, dixit, *per sapientiam mori*, & subsequenti capite, suamet ipsa interpretatur verba: *jam signa latalia (incipit caput, quod immediate sequitur) in furoris morbo risum, sapientiæ vero ægritudine fimbriarum cura, & stragulæ vestis plicaturas, à somno moventium neglectum, præfandi humoris à corpore effluvium, in oculorum quidem, & narium aspectu indubitata maxime, atque etiam supino assidue decubitu: venarum inæquali, & formicanti percussu: quæque alia Hippocrati, Principi medicinæ, observata sunt: innumerabilia enim sunt mortis signa, salutis, securitatisque nulla.*

(Plin. lib. 7. cap. 51.)

Quam varia sint morborum genera, quam nova quotidie, quam ignota, quam indicibilis pene multitudo, quæ humanam misere lacessit naturam, dicat Pherecydes Sirius; qui, copia serpentum è corpore ejus erumpente, subito expiravit: Mœcenati perpetua febris adstitit. Quem Augusti felicitas fœlicem fecit, eidem triennio supremo, nullo horæ momento, contigit somnus. Anti-pater Sidonius Poeta, omnibus annis, uno die

(Plin. lib. 7. cap. 50.)

Cap. 53. sequenti.

die tantum natali corripiebatur febre, eaque consumptus est satis longa senecta. Publius Cornelius, dormiens, oculorum visum amisit: summa vitæ felicitas momento cecidit. Subito Chilo expiravit gaudio. Sophocles & Dionysius, Siciliæ Tyrannus, uterque accepto tragicæ victoriæ nuntio, mater pugna illa Canensi filio incolumi viso, contra falsum nuntium. Pudore cecidit Diodorus, sapientiæ Dialecticæ professor. Absque ulla causa, duo Cæsares, prætor, & pretura perfunctus, dictatoris Cæsaris pater, hic Pisis, ille Romæ. Quintus Æmilius excusso pollice limine cubiculi. Aufidius offenso pede, in comitio legatus Rhodiorum post legationem expiravit. Durius Valla, medicus, ex mulsi potione; ut Aponius Saufecius ex ovo sorbili. Homerus, non solutæ quæstionis dolore, ut retulit Plutarchus, licet aliter Herodotus. Philemonem in morte excepit risus; sicut & Anacreonti, quamvis statum humanæ vitæ supergresso, quem uvæ passæ, succo tenues, & exiles, virium reliquias foventem, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit, antiquam exercuit ætatem mentagra, vel Tiberii exemplo: nostram, scorbutus, & plica, ut late refert Saxonia & Langius. Quæ felicitas has supergreditur miserias, & maxime, si nostram ætatem videas. *Nulla perpetua, nec solida*, dixit Plinius, *si varias rerum cadentias consideras, videbis: quod alius de alio judicat dies; & supremus de omnibus; & ideo nullis credendum; bona malis paria non sunt, nec lætitia ullo minimo mærore pensanda! heu vana diligentia numerus dierum comparatur, ubi quæritur pondus, externa omnia felicitatem comparant, non faciunt, quinimo nec interna, quod nemo mortalium omnibus horis sapit. Psylla felicis nomen quærit, sed civili sanguine, & patriæ oppugnatione adoptatus ascendit, ô prava interpretatio*, dicit Plinius, *suo, & futuro tempore infelix, cum Psyllam nemo non oderit, cum ab invidia gloriam victam proscribat. Lucium Metellum bis Consulem clarissimo triumpho civitas exornavit felicitatis exemplo; hanc intercepit orba luminibus senectus, memorabili causa, sed eventu misero.*

Val. Max.

In Homeri vita.

Simonides, epig. 3. Lucian. in Macrobiis.

Plin. lib. 7. c. 6. & lib. 7. cap. 40.

6 Aph. 53. In Comm.

3 Epid. Sect. 3. Ægrot. 2. Comm. 2. ad lib. 3. Coac. text. 25.

1 Coac. n. 1. Prorit. Comm. 1. text. 33.

1 Coac. lib. 3. text. 251. Prognost. 23.

3 Epid. Sect. 3. 45. comm. 2. ad lib. 3. Coac. text. 1.

Proponit ego Plinius in sapientiæ ægritudine signa læthalia; in furoris morbo, risum: *desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores*, dixit Præceptor, hoc est non æque cito lethales, ac cum studio; *Nulla siquidem desipientia secura est*, dixit Galenus, *Minus tamen periculosæ, quæ cum risu fiunt: periculosissimæ temerariæ; mediæ cum studio, ut in Sileno. Desipientiæ vero ægritudine fimbriarum cura contremiscere, & stulte palpare, phreneticum*, dixit Præceptor in Coacis: sed in proriticis, *tales desipientiæ*, valde phreneticæ, ut notat Mercurialis, & in epidemiis, *nullus phreneticorum vehementer insanivit, sed capite gravati peribant; hoc igitur arguit*, dixit Galenus, *virtutem languere, atque hecticam quandam esse affectionem phrenitidis, quæ prorsus mortalis est.* Nam à privatione ad habitum non datur regressus, ut placuit Dureto. Vnde desipientiæ palpantes, aut, ut vertunt peritiores Græci, *pasmodes*, quia motus in convulsionem transit, ut notat Olerius; palpantes hoc est *telephodes*, quia absurde manum dimovent, tanquam aliquid venentur, ut Diamereo in Coo. Et ideo melius esse dixit Præceptor: *Delirium tremori supervenire, quam tremorem delirio*; nam hoc ultimum extremam necrosin arguit. Hæc omnia aliam Præceptoris sententiam interpretantur, *qui cum immanitate fanatici contremiscunt, proximi sunt morti*, à delirio transeunt ad maniam, dixit Duretus, ob causæ inveterationem, ut Dealcis uxor; & hinc alia elicitur, *Deliria paulisper ferocia, mox erunt immania*: à bilis transitu ad atram, ut in Erasino, hoc etiam Dureto placuit; unde, *Deliria, cum fixa virium exolutione, funesta; qui cum silentio delirant aphoni, mortiferum*, dixit Præceptor; à levi manuum motione elicimus delirium in omnimoda vocis privatione, dixit Duretus. *Hinc aphonia, cum exolutione, mortifera*; in qua summa sunt omnia mentis alienatæ impotentiæ, & indelebilis fucationis; unde sequitur pro clamore silentium, pro jactatione, quies, pro artuum vibratione, levis tremor, & stulta palpatio, pro vigilia, coma, & cataphora veternosa: morosa Dealcis uxor sub hac hæresi mentis laboravit; & Eurianiatis filia: quare insania cum silentio aut veternosa, aut melancholica, cum aphonia, ab instrumentis convulsis; unde exstasis delira fit: cum cerebrum alteratione mutatum, & mens à se est egressa, & internis imaginibus rapitur, quas putat esse foris: terror, vel inde, quod spiritus ad intima cordis se recipiunt; unde triplex silentium, unum à depravata mente, cum pertinaci animo, morem gerit; secundum, cum in veternosum affectum transit. 3. cum aphonia, animali facultate oppressa, vel morienti; nam ideo Præceptor *tremulæ, obscuræ, blande contrectabiles desipientiæ, valde phreneticæ*: qui silenter interdum, & inopinato moriuntur; sic sentit Jacotius, sic Olerius; quod fortasse ansam dedit Jacotio, ut tres phrenitidis species adumbraret; primam ab inchoata, aut pallidæ, aut flavæ bilis alteratione: qua mente moti festucas carpunt, & nugantur; secundam, cum majori periculo, cum flava in atram transit, & ferocire incipiunt acriori feriente morsu; tertiam, pro exstasi constituit cum silentio & cataphora, cum pulsu pene languenti, qua vix voces audiuntur; quibus ergo cerebrum bilis acrioris siccitate laborat, ab exhausta, & inde labefactata, substantia, quod facultas in officio fatiscat, est necesse. Unde tremor alienati cerebri, & fortiter alterati symptoma, & potentiæ ultima alienatio, mortis signū.

3 Epid. Sect. 3. Ægrot. 8.

1 Coac. text. 90. & 195.

1 Prorit. 8.

1 Prognost. Sect. 3. text. 4. 10 Meth. 5.

1 Coac. text. 71. 89. 99. 102.

1 Prorit. 33. Comm. 1. ad lib. 2. Coac. text 30. Comm. 1. ad 3 Coac. t. 1.

3 Epid. cit.

A somno moventium neglectum, hoc tertium mortis sapientiæ signum Plinius proponit, de valde phreneticis dixit Præceptor; sed alia quadam cataphora segni graviter peribant, manente phrenitide, dixit Galenus, mentis si quidem utraque noxa est, sed à vigilandi impotentia ad ultimum animali facultate languenti, ut in uxore Dromedæ, quæ delirio soporata moritur; & in Hermocrate; *qui à somno delirant*, dixit alibi, *gravissimum habent malum, etsi adsit ephidiosis spumante urina*: nihil æque naturæ consociale, dixit Duretus, quam illa quies, quæ dono divum, gratissima serpit. Ita nihil est æque pestiferum, quam molesta; somnus enim recreat, instaurat, reficit, & papasmo mansuescit, inde à somno cessat phrenitis; sic etiam est mirabile, quantum illa principiis trium facultatum labem inferat, quantum naturæ præsidia labefactet: de hoc celebres extant in Præcept. sent. *qui ergo à somno ferociunt, modesti pravū*: propagationem arguit causæ phreneticæ, in cerebro, dixit Duretus, si negligentes, lethargicæ, ut Hypiæ sororis, aut Typhomanicæ; & velut in habitu,

3 Epid. Sect. 22. ægrot. 11. c. Coac. text. 88. In Comm.

7 Epid. 52.

bitu, cum altas jam gesserit radices, ut in muliere quæ apud frigidam in Thaso ægrotabat, quæ comatosa iterum deliravit, ac postea brevi post obiit: hinc tremor delirio subsequitur, & delirium cum sopore, ut subsequenti sententia dixit Præceptor: *Turbulentæ & feroces excitationes à somno delirium afferunt*, dixit Hippocrates: pravo signo, Jacotius: in sopore delirium, dixit alibi, convulsionem affert; lethargus coma, & typhomania, dixit Jacotius, à sanguine, aut pituita, in principio minus periculi indicat: in fine, si coma succedit phrenitidi, mortale est. Unde concludimus, quod phrenetici, aut fiunt comatosi per inveterationem phrenitidis, aut per cerebri exolutionem læthaliter; aut per soporiferæ causæ mixtionem, grandi periculo, ut Galenus advertit.

3 Epid. Sect. 3. ægrot. 2. text. 89. Comm. 1. ad lib. 3. Coac. text. 7. & 9. sequenti. 3 Epid. Sect. 3. constit. 1. 1 Coac. text. 131.

Quarto præfandi humoris à corpore effluvium; in causone (dixit Præceptor) si alvus profuse feratur, mortale: par est utrobique distemperies; hoc habet phrenitis amplius, quod ad partis nobilissimæ oppressionem, vehemens sequatur resolutio; quotiescumque enim, dicit Duretus, ad partis billissimæ oppressionem, & cretissimum, accedit perennis morbificæ causæ generatio, & excursus symptomaticus, male est ægro in desperationem salutis, ut in Sileno, & Apollonio, & maxime, si accedat maligna vis: unde si delirio gravissimo ratione partis essentiæ, & cacoetiæ accedat jecoris cacopragia, aut morticinium, ut in Pario, mortiferum sane est: si ergo sub hac debilitate fluxus ventris adveniat, hoc erit ad perniciem: est enim, ut signum & causa malum, signum invalescentis morbi, conspirantis ad exitium, causa conflagrante ex ardore visceris, quæ prius non extinguitur perenni bilis generatione, quam vivacitatem, & vicinum nectar extinxerit: hoc enim fere semper accidit ex hepatis atonia, ut in Apolonio, cum ipsum proprii tædet officii, aut, liquante calore corporis, carnem, & adipem; quod fere respiciens Hippocrates, belle dixit: *Ventris valde rubens profluvies mala quidem omnibus, phreneticis vero peior*; ob eandem sane causam, *comati ventris profluvium, malum*, dixit Præceptor; quoties enim dicit Jacotius, ad grave malum principii visceris aliud accedit deterius, & simul, & seorsim, malum est; hoc enim hepar exolutum, cerebrum illud ostendit: & Duretus, ad illam Præceptoris sententiam, *quæ in memoribus fluunt urinæ, pestiferæ, imo mortem in propinquo esse denunciant*, dicit, sicut lethargicis, & phreneticis dejectiones injussæ, & liquidæ, sunt magis terrificæ, ac desperatæ salutis; sic etiam profluvies alvi, prærubra, periculosum coma, reddit funestum; nam vitio animalitatis accedit effœta vis, œconomiæ naturalis; quo autem plures principatus in vitio sunt, eo res ægri peius se habent. *Lethargici, contremiscentes*, dixit Hippocrates, *si alvus profuse feratur, non evadunt*: sub hac ultimo phrenitidis sententia, omnia fere signa lethalia comprehendit, *qui cum exstasi excessus inquieti oculos circumagentes, ac spiritum sublime ducentes, mortiferi, quin etiam furiosi evadunt: quibus autem alvo turbata exacerbatio est, iis fere sub crisim nigra ducuntur*, &c. Excessus sunt phrenetici, dixit Duretus; & silentium illud non culpa linguæ accidit, sed impotentia voluntatis, quæ pertinaci animo morem gerit, ut in muliere Cyzici; extaseos furiosa, ut in Dealcis uxore; oculos circumagere, erroris opinione accidit in mente, visis mendacibus atræ bilis illusa; quæ etiam stulte palpare cogit vel incusso motu, pene inviti aut sponte sua aut indecore, dementiæ signo est; est enim quæcumque actio insueta in dementiam, ut in Didone in Æneam furibunda, Poëta memorat:

3 Epid. Sect. 3. ægrot. 11.

1 Prorrit. Sect. 1. text. 2. Comm. 2. ad lib. 5. Coac. text. 39. Tit. de Excrem. ad Coac. cap. 1. text. 52.

1 Coac text. 145. 1 Coac. cap 24. text. 4. 3 Epid. Sect. 3. ægrot. 14. Hist. 15. sequenti. 6 Epid. & 6. Coac cap. 6. text. 13.

1 Coac text. 107. 2 Coac. c. 20. text. 14. 4 Aph 22. 23. 24. 2 Coac. c. 7. text. 1. 6 Epid.

Huc illhuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis.

Insaniæ enim signa primo lucent in oculis, utpote, qui proxime adsunt à cerebro; quibus autem ex his alvo prorupta ab effera bile excessus melancholici egressio fit ad insaniam; & inde graviori periculo dejectionibus nigris alvi feruntur, quod eo natura, & humor cursum inflectat: *sicut sputatores fanatici nigra vomunt*, & ideo sub crisim, id est, sub finem vitæ dixit Duretus, cum in propinquo mors est, talia accidunt; nunquam enim feruntur alvi nigris excrementis, quin pessime ægroto sit, morbi principio, aut ustione progressa; essent potius expetendæ varices, aut hæmorrhoïdes; nec est novum, crisim interdum pro exitio usurpari; testis est illa alia sententia præceptoris: *Lingua, quæ multum nigrescit, 14. die crisim fore ostendit, vel exitium ægri denuntiat*; addit Duretus.

In oculorum, & narium aspectu: & quintum erit mortis signum in sapientiæ morbo: recte omnes oculos primos omnium interire, & senescere, dixerunt veteres, cor ultimum; oculi enim ut valent, inquit Hippocrates, ita & totum corpus; quin etiam, & animi affectus primo indicant; cute nudatus est oculus, & ita mundus, & mollis, ut vitri instar contentum colorem latere non permittat; & à diaphanis spiritibus splendet; ob idque omnium, qui in corpore versantur humorum, tum cerebri, tum facultatum passiones, primo experiuntur; monstratque primo: deliquia, & facultatum robur, & debilitas in oculis leguntur; mæstitia, & furor in oculis apparet: iram oculus repræsentat: merito ergo dixit Plinius: *in oculorum, & narium aspectu, furoris signa indubitata maxime; quibus exerti oculi livent, apud se non sunt*; dixit Præceptor in coacis, & epidemiis, *oculi ferox splendor, delirii signum*; Jacotius: bilis incendio in cerebro lucent oculi certissimo delirii præsagio; oculi enim propter viciniam nervorum, & membranarum vasorumque communionem, primi cerebri injurias persentiscunt; splendorem vero humorum, vitia repræsentant conspicue; ac inde, ut cerebri inflammati vitia in illis sese prodant; feroces oculi non sanæ mentis sunt; atonos, & immoti exstasis furiosæ, aut catalepsis horridæ, quibus addit Galenus, certius ex ferocitate delirium præmonstratur; *in oculis prava sunt, lumen refugere, aut illachrimari, aut distorqueri, oculorum aciem huc illhuc vertere, alterum altero minorem fieri, atonos, & extaseos, æque pravum, nigrum diminui, & superiori sub palpebra occultari*: hæc omnia, dixit Duretus, aut extrema necrosi per resolutionem comparata, convulsione, aut colliquatione in acutis certissime contingit, si adventitiam, vel naturalem oculi conditionem excipias: attamen si virtus imbecillior nō mittatur ad oculos, quod alia ostendunt signa, hoc erit deploratum; illachrimari enim, aut tristi cogitatione, fit nullo

Comm 1. ad lib 4. Coac. Sect. 2. text. 26.

2 Coac. c. 6. text. 4. 7. 11. 12. 13. 1 Prog. 10. 11. 12. Com. 2. ad Coac. Sect. 2. text. 39. Comm. 1. l. 1. Sect. 2. text. 35. & 36. 3 Prorr. 44. Comm. 1. ad lib. 2. Coac. text. 38. lib. 2. Comm 1. 39. 4 Aph. 49. Comm. 2 ad 3 Coac. text. 28. & lib. 3. Comm. 1. 25. Comm. 2. l. 4. text. 20. & lib. 1 Comm. 1. Sect. 2. text. 29. 1 de Loc. 1 & 2 Prorr. cit.

nullo periculo, aut in delirio, ut in Dealcis uxore, cui modo lachrymæ, modo risus, ob nativam humiditatem illachrymant: alii extincta vi alterante, aut secernenti; alii quod plane funestum erit, vi retinendi angulis resoluta; incolumi cerebro minus malum, neque formidabiles lachrymæ, si inflammatione oculorum, distillatione, aut copia premente fiant, ut ebriis aut hæmorrhagiam sperantibus; hoc enim modo Hippocrates in Epidemiis prognosticis, & Aphorismis, lachrymas per voluntarias, & involuntarias distinguit in acutis, aut sponte naturæ; oculos etiam distorqueri in vehementi convulsione, pravum; nec ita à musculi resolutione, aut epilepsia; sub hac censura erit nigrum occultari, oculi foras vibratio, aut concretio, colliquationem legerunt alii oculorum cavitas, nec dilatari pupillam, variare colores, est enim rubor à sanguine, pallor à bile, ab emoriente calore, luteus color existit, à frigore pallet facies, iis omnibus consuetum, & naturale excipias; phreneticis caligant oculi obversis imaginibus, ac deluso objecto; ac pleraque videre credunt, vel obscure à quibus terrentur, vel exiliunt pravo signo, si hoc non distinguit hæmorrhagia, ut Præceptor advertit: observatumque est in hepatis, & pulmonis morbo exitiali, dextrum, aut sinistrum, oculum emarcescere, ut advertit Jacotius; livor autem in oculorum alvo semper caloris extinctionem notat, refrigerato sanguine, cum spiritu aut intercepto, nisi quando fit transitus à nigro in album; in cujus medio, absque ullo periculo, livor accidit; at vero in febribus, cum facultas per se ipsam laborat, & varia cerebrum symptomata invadunt, aut phrenitidis prænuntia sunt, aut confirmati jam in mortis signum: quando remisso jam certamine, natura expugnata, in morbi vincentis obsequio fatiscit: *oculorum atrophia aut vehemens foras evibratio, mala*, dixit Præceptor: hæc enim spiritus, & caloris marcescentis est indicium; & illa furiosi, seu iratorum exemplo, dixit Jacotius: est enim ira, ut Democritus ait, furor brevis, quod etiam Plutarcho placuit, cum tota vis sanguinis, & spiritus rapitur in caput; inde fervor in cerebro, quo vi in oculos pelluntur spiritus, ad quem impulsum oculorum sequitur evibratio; quibusdam non evibrant, sed extaseos in catho cum exerti furorem adornant melancholicum; quo enim it anima, & spiritus feruntur, quod & monstrat mæstitia, ubi concidunt oculi; quia simul cum anima spiritus ad sua principia revocantur, è contra, ac gestiente lætitia; in phreneticis vero incitata vis animæ spectris quibusdam foras mittitur, atque ita secum rapit spiritus in fortiorem evibrationem, ut quibusdam prognosticis codicibus clare legitur; ubi additur scintillans evibratio; spiritus enim in motu incalescit, tenuiorque redditur, ac propius ad igneam naturam; quique quo fervet magis, eo movet, & movetur celerius: multus ergo, & motus, & in conum actus, atque in angustias pupilæ irruens, vehementer illiditur, quo scintillas emittit; hoc causam dedit Platoni, ut oculos igneos appellaret, & æthereos eosdem dixerit.

Lib. 1. Coac. Sect. 2. text. 37. & 38. lib. de Temp. ira.

Atque in supino assidue decubitu. Hoc sexto proponit Plinius pro phrenitidis mortalis signo, & vere sane; nam, *supinum jacere, signum est resolutionis*, dixit Galenus; & ideo Præceptor utrumque damnat, & supine jacentem, & hiantem in somno: *supinum vero jacere, manibus, & cruribus extentis, minus bonum*, dixit Hippocrates; sed cum periculo, Galen. magis vero, si ad pedes dilabatur; extiosum autem, & hiantem dormire, quod fere eadem figura fit, & ideo subsequenti sententia, *& crura supine cubitantis admodum reducta, distinctaque esse*, supple exitiosum est; itaque soluta animæ potestate, dixit Olerius, grave corpus in dorsum jacet, projectis cruribus, & manibus, ad pedes devolvitur, vel extante mento, & gutture, caput in posteriorem partem recidit; vel quasi annuens claviculis incumbit; hæc autem omnia gravitas corporis invehit, aut exoluto spiritu, aut dissipata animæ potestate; quod cum accidit, desperatio vitæ est; quid enim aliud est vita, quam firma animæ, & corporis copulatio? Jacotius, cum illam sententiam exornaret; supinum jacere, inquit, plerasque commoditates habet, & fatigatis ex labore debilibus, & calculo vexatis: damnat cæteris decubitum, quia inter spirandum musculi thoracis plus laborant; cerebri morbis nocet. Unde epilepsiæ, & incubi frequens causa, & istis minus bonum, exhaustas vires atterit, nisi aut consuetudine, aut mærore, aut accessionis vehementia, aut insigni evacuatione, ita jacet vel minori periculo; si vero ex impotentia aliam non possit adipisci figuram, grave malum; sed istis projecta membra, & caput pronum delabitur, facultatibus vitali, & animali dejecta, integris reliquis, non ita metuendum; si vero à delirio, indecorum; quare Galenus sic distinguit, ut supinum jacere, minus bonum; declive, & ad pedes provolvi, grave malum: mortiferum vero, & hiantem dormire: quia hic motus fit cessante omni musculi actione, propter infirmitatem, & per electionem, aut mollitiem, aut consuetudinem ægri; in hac enim actione, membri motus elementaris ita invalescit, ut corpus totum plumbeum videatur; quod nec minus perniciosum erit in obscuro delirio, in quo videntur surgere, & corpus erigere, & nisi cohibeantur, mox excidere; ex quibus convaluisse, neminem vidit Olerius; & hiantem dormire, copulavit Celsus, quasi hiatu, & sopore moriantur tales: utrumque legit separatum Galenus in prognostico, tamquam primum sufficiat; nam hiare, summam debilitatem animalis facultatis demonstrat, vel ingens cordis incendium; vel, (quod minus malum;) peculiarem musculorum resolutionem, ut advertit Jacotius.

2 de Motu muss. cap. 4.
1 Prog 14. 15. 17. 18.
1 Pror. Sect. 2. 11.
Comm. ad lib. 5. Coac. text. 39.
Comm. 1. ad lib. 7. Coac. Sect 2. text. 28. 29. 30.
l. 1. de hum.

Insuetis, dicit Galenus, indicat delirium, quod ex se gravissimus affectus est, & lethalis; causam vero subesse ostendit, dixit Duretus, cur ita sit, portantis scilicet infirmitatem, & facultatis, & corporis exolutionem; hoc enim vox Græca sonat; si æger gravior admodum videatur, tum manibus atque pedibus, id multo periculosius ipsum habet, unde verbum illud indecorum, nec minus terret medicos quam idiotas; quia talis collocatio mali est hominis, vel invita vel injussa; ob eamque causam est indecora; tanquam decori negligens, quod est ipsius ægri coacti dementis, aut impotentis; hanc alia elucidat sententia in prognostico, oculorum caligo, albumve rubens, aut livens, aut nigris obsitum venulis, indecorum;

Text. 30. sequenti.
1 Prog. 18.
Lib. 3. Coac. tract. 1. text. 10. 11. 12.

In Comm. ubi illud indecorum, pro læthali à Galeno judicatur à Dureto; & Jacotio, ob insanabilem causam. Sed altera hanc claudit historiam sententia, qui dormiendo efflant, & arctus, aut projectos, aut retractos habent, conniventque oculis, male habent: quo quis naturalius decumbit, dicit Duretus, firmis naturæ præsidiis utitur; ita, si pronus jacet, aut supinus, opinionem facit gravioris morbi, effœtarumque virium, aut delirii; quod est per se unumquodque malum; quin etiam, & sola stomachi supinitas magnam judicat resolutionem, aut impotentiam graviori periculo. *1 Coac.52.*

Venarum inæquali ac formicanti percussu: hoc ultimo proponit Plinius pro sapientiæ mortalis signo; phreniticorum pulsus, ut Galenus observat, *parvus, durus, creber, & celer est*, inquit, *interimque subtremere tibi videtur, interim præcisus cum convulsione*; interdum arteriam, sua sede desertam, conspicies attolli, etiam cum vibratione ebullientem, pari modo delabi detractam potius; at vero immodica ejus crebritas, proximam denunciat syncopiam: quod subtremere facultatis sit signum imbecillimæ, ab imbecilla enim facultate ostendimus oriri crebritatem; nam, dixit alibi, qui permanent in extrema crebritate, neque omnino recipiunt sese, ut formicantes, languidiorem ostendunt in iis facultatem esse; si prorsus deficiunt, ad ultima ventum est: si in ultima senectute, depositos excipias: hoc addit ad tirones Galenus; invenies etiam inæqualitatis impositu genus insigniter aliquando in illo apparere: imo totam subinde arteriam à sua sede motam, conspicies, ctm vibratione; sed ultima crebritas, ultimam extinctionem indicat; & vivifici nectaris necrosim ultimam: undoso pulsui succedit vermicularis, dicit Galenus, vermiculari formicans, uterque inæqualis; & undosi una ex causis est imbecillitas vermicularis; hac adaucta, progignitur; unde cum ad ultima debilitatis ventum est, fit formicans: ab hoc enim non datur progredi, nisi ad deficientem; quem extrema fati excipit infelicitas; hoc enim Galenus de formicanti dixit; est mire parvus, quo haud est minor alius, justaque languidissimus plane, ac creberrimus, etsi respirationi pulsus respondet, ab eodem principio, causa deducta, delirium cum respiratione, minutula citam mortem ostendit, (ut Præceptor inquit,) cordis actione ad ultimum debilitatis deducta, sine instrumentorum læsione citam mortem ostendit; concidere autem in phrenitide, vel monstrat, quod dum valet, tarda est, & rara, ut idem Galenus dixit, cum vero satis cedit, fit minutula, quoniam crebritate necessitatem supplet; unde, quando vitium non prodit, antequam partes effœtæ langueant ex diutina morbi siccarum causarum impressione, si ex illis sint, quæ nostrum corpus gubernant, jam vitium in deploratis est, ut quotidie experimur: bene ergo deducitur à Plinio ex venarum inæquali, & formicanti percussu, in sapientiæ morbo mortale signum; & à nostra demonstratione universa Plinii sententiæ interpretatio, cætera phrenitidi mortalia omittimus; (si aliqua supersunt.) nostri enim instituti non est, omnia percurrere, sed Plinii sententiam explanare; quod si non adimplevimus, alii, quicumque velit, lampada tradidimus. *4 de Caus. pul. cap.14.* *2 de Causis pul. cap.3.* *Cap.11.* *lib. de Diff. pul.16. & 17.* *2 de Causis pul.8.* *1 Coac.94.*

A Vitia nostra excusamus, ætate aut obligatione: *Quid nos decipimus*, dicit Seneca, *non est extrinsecus malum, intra nos est, in visceribus nostris residet; & ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus, nec quærimus quidem medicum*; nullam habet spem salutis, quem virtutis fastidium ad intemperantiam hortatur; hunc varie jactat Alismus, *ac inde ab homine homini quotidianum periculum; nullum malum frequentius, nullum pertinacius*, nullum blandius, tempestas; *manatur antequam surgat*, hominum effigies habent animos ferarum, ut Har- B pyiæ, illas necessitas cogit, homini perdere hominem libet; humilem discamus philosophiam (unde, aut ex quo tanta vanitas?) licet sapere sine pompa, sine invidia, & scalas super alterius honorem instruere, est sibi climacteras parare, quando aliena detractio non addit sapientiam, imo, si qua est, minuitur prudentum arbitrio; contumelias etiam contemnere, docuit moralis sapientiæ Magister, velut à pueris jocos; dementia est enim, iisdem modo delectari, modo offendi. quis enim phrenitico medicus irascitur! Cla- C rus Cato, & hominum severissimus Portiæ familiæ Princeps, optime de rep. meritus, is quadraginta quatuor vicibus in judicium delatus est, sed totidem victor evasit. *Epist.50.* *Epist.103.* *lib. de Const. sapientis.* *Solinus de Mirac. mundi, c.6.*

Theseus Antitheseus, & feralia deferantur ad judicem, nonne ejusdem ordinis sunt? Lingua eadem, eadem eruditio, modestia haud absimilis, styli suavitas, par substantia, nec impar dispositio; quis ergo Author? Posteriorne induit prioris animam Pythagorice? Thesei Auctor unus, alter Antithesei feralia fortasse duxit alter? Si- D milis, an alterius ordinis, in omnes conspiravit spiritus? Facilius est, in omnia eundem conspirasse: hoc sane argumentum solutionem non patitur: solatium erit, ædepol gravissimos hujus, & præcedentis sæculi viros, pari temeritate, nec imparem passos fuisse calumniam; operibus respondet artifex non verbis, ut sub homine Epiaceos nomen mereatur: hastam, & caduceum ad te mitto, belli signa, & pacis; utrumvis elige: hæc accipe, dum è tempestate Argonautica Jasonis medicinæ emergit. *Epiaceos Græc. moderatis hominis genium est.*

E

Hujus argumenti, & expositionis hujus loci difficilis, conclusio.

Vitæ nostræ est unum generale principium, quod & in se vitam continet ab æterno, ut purissimus actus, & illam ut à fonte, cæteris impartitur viventibus; ab hoc secundum oritur, quod etiam continet essentialiter, essendi & vivendi rationes in actu, & hoc immortalitatis ratione sortitur; est enim proprium immortalis, à F se ipso moveri, si altissimæ Platonis credimus Philosophiæ; qui est vivendi actus, ab illius essentia productus; hoc habuit rationalis anima, à primo & æterno principio, à quo accepit esse: ex quo dimanat, ab intrinseco, vitalitas in actu; ideo illam corpori organico impartitur, quo vivit, illius ratione in eodem instanti, quo ab illa creata & immortali anima informatur; & huic vivendi actui, influxus cælestis non concurrit, nec illa talis est indigna influxus; is enim tantum corporea organa ad illius introductionem disponit, cum semine potentia viventi: illud enim cum ad actum redu-

reducitur, potentiam dirigit formatricem, ad organorũ fabricam, ut secundum parentis Idæam, & membra singularia delineat, & ad similitudinem parentum, & ut formæ introducendæ aptissima reddantur; & in hoc sensu verum est, quod sol & homo generant hominem; dum illius influxus ad opus organorum concurrit; quo in opere excellit hæc aut illa pars cœli, quæ super hanc aut illam seminis partem dominatur, aut super hæc aut illa membra; tertium vitæ principium, est in semine potentia viventi; & hoc reducitur ad actum, à forma à qua accipit esse, in cujus virtute operatur; quo in opere solis influxus vehementer conducit; nam & ipsa materialis forma, & corporea organa, ab illo ad actum vivendi aptiora redduntur, absumptis lutulentis: & hoc omni vitæ sensibili est commune, in omni animantium & insectilium genere; quartum vitæ principium, inest in vegetantibus, & hoc oritur etiam ab illo generalissimo principio, in ipso essendi actu, impertitum; hoc enim ex Genesi colligitur, & à divino Numine, quando dixit germinet terra herbam virentem; nam postea in Creatoris virtute germinavit, & plantæ vegetabilem vitam acceperunt, quæ etiam à forma, hujus & illius dimanavit, virtute naturali: ad quam etiam vitam cœlestis influxus, virtutem impartitur, quatenus, ut efficiens causa, cum vitali principio concurrit, ut causa partialis & æquivoca.

Hanc vitam, conservant postea, temperamenti harmonia, in viventi composito, & symmetria omnium qualitatum; & nectaris vivifici deperditi instauratio: quare hæc vita, in nexu calidi, cum humido consistit, vita enim est firma animæ & corporis copulatio; ideo quæcunque harmoniam confundunt, symmetriam evertunt, vitæ nexum dissolvunt, & instaurari prohibent, vitam finiunt; quod dupliciter accidit, seu cursu naturali, in longævis, dum calor in agendo repatitur, & finitur in pabuli defectu, quo mors etiam naturaliter accidit; aut secundo causarum violentia, quarum series vix numerari potest; & inter illas ut maxime mirabilis recensetur, à Plinio in præcitato loco, *Mori per sapientiam*; quando nempe cerebrum, ad talem siccitatem, & tam puram substantiam devenit, ex illa causarum violentia, ustæ bilis aut melancholiæ, ut ad purissimam siccitatem perducatur, quam acumen excipit intellectus; dum nempe capax redditur, supremæ sapientiæ, à lutulentis penitus defœcatus, & purus: quo in statu, vita novit consistere, quia vitę nexus harmonia & symmetria qualitatum, ad temperiem vitæ incompatibilem pervenerunt, dum vitalis calor exhalat, in pabuli defectu; & hoc est

A certe mori per sapientiam; & hic est ille splendor aridus, quem Democritus Abderita dixit sapientissimum, dum in sapientiæ extremo, & in vitæ confinio constituitur; non potest enim talis diu esse superstes; hujus inevitabilis periculi, extremæ sapientiæ, causam Aretæus nos docuit; nam libro 2. de Signis & Caus. Acut. cap. 3. de Syncopa ex cordis ardore: *Illi præterea*, inquit, *quibus cor laborat*, (ardore nempe quo humoris lutulentum absumitur) *sensus aciem exquisitiorem habent; cum videant, aut audiant, plusquam antea, menteque* B *sunt firmiore & animo puriori; proinde non tantum præsentia declarant, sed futura denuntiant; verissima divinatione: hæ potestates stomachi non sunt, sed cordis; ubi & anima, & ejus natura inhabitat; ad quod & virtutum ibi sitarum calamitas pertinet*, &c. & cap. 4. sequenti, de febre ustoria sic prosequitur, (dum etiam febrilis ardor purificat sensuum instrumenta;) *cum velut igne uruntur*, inquit, *ubi nexus dissoluti fuerint, ea syncopa est; in his animus stabilis, & constans est, sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primo se ipsos, de vita* C *migraturos persentiunt; deinde præsentibus futura denuntiant; alii præterea, cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse quidem ipsi soli, præ sensus acumine & puritate, eos adesse, cernentes: quippe antea, in lutulentis humoribus & caligine demersus erat, quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt, prædicant, exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur; sed quorum succi, & ingenium, adeo extenuati sunt, hi nondiu admodum solent esse superstites, cum eorum vitalis potentia jam in aërem cesserit, atque abierit*, &c. Aretæus illius extitit D Philosophiæ, animam in corde residere, non in cerebro præcipue, & in illo principales edere operationes intelligendi & vegetandi; ut clare ex illis verbis patet; his etiam facile assentitur Bonaciolus, in sua Eneade muliebri cap. 3. à litera A. ad D. subtile nempe reddi ingenium, exuto à sordibus animo, & lutulentis humoribus absumptis; quod siccissimo & purissimo splendore consequitur; ac ideo cum ad illum deveniat statum, vitæ nequit nexus persistere, quin pabuli defectu, ex nimia splendidaque siccitate, calori copulata, E omni lutulento & humido absumpto, omnino exarescat, penitus dissolvatur; & hic est certe morbus, de quo Plinius dixit: *& est etiam morbus aliquis, per sapientiam mori*; hoc est, per acumen supremum sapientiæ; per illam nempe affectionem, quæ, ad summum evecta, aut sensuum acumine, aut instrumenti extrema puritate, interficit, quia jam illo in statu vita nequit consistere; utpote in intemperie, & dispositione vitæ incompatibili, &c.

Cenotaphion, sepulchro Anti-thesei devotum.

Hic jacet livor, pedem ne absiste viator,
Lege, & luge non quem premit numen,
Sed quem torquet invidia.
O grave supplicium.
Nihilo facientem adspice rubore duplici mulctatum,
Iuste scelus immane, manibus pœnas luit.
Si te pia recepit humus,
Sit tibi terra levis.

Sub correctione Sanctissimæ Matris Ecclesiæ.

Aliqui Tractatus, qui de diversis materiis agunt, eodem D. Caspare Caldera de Hæredia, Auctore.

DE CORDIS PALPITATIONE CONSULTATIO.

Est cordis palpitatio motus cordis adauctus, super gentilitium ipsius cordis motum, à causa morbifica succrescens; nam dilatio seu ab adaucto usu, seu à materia quærenti exitum adaugetur: constrictio vero, ab ea quæ intus sentitur noxa; inæqualitas vero pulsationum, ab inæqualitate utriusque causæ compellentis ad motum; nam usus adauctus interdum crebritate & velocitate compensatur, & maxime dum cor robore pollet; & inde etiam accidit, ut pulsus inæqualis reddatur; utrunque accidit à materia quæ aut sola corpulentia, aut pungenti etiam qualitate adjuncta, aut alia similiter maligna, sensum tactus aut commovet, aut pungit; qui mox expultricem in subsidium suscitat expellendæ molestiæ; quo motus alternate reciprocantes, (ut etiam accidit in singultu) majores, aut minores, seu magis inæquales concitantur, dum magis constrictionis aut dilationis, necessitas augetur, usque dum perveniat ad saltum, & incredibilem interdum violentiam; nam in majori constrictione cor, sinubus compressis, partes ad internas se dilatat, ut mucro versus pectus diverberet, adeo ut pectoris partes etiam faciat dilatare cum dolore, & subito impulsu, ut cor adhuc extra corpus prosilire videatur; & inde accidit quædam ad extra veluti subsultatio, ut manum tangentis, aut vestes etiam videatur illidere.

Sub variis significationibus ab auctoribus legitur Palpitatio; nam palpitationem pulsum vocavit Ægimius Velliensis, veluti arteriarum motum, ut notavit Galenus, 4 de Diff. pulsf.c.11. ab Hippocrate etiam pro pulsu aliquando accipitur, dum maxime in ventre translationem, & metastasim in caput indicat; ut in Historia Soleni, & phrenitici leges: legitur & 2 Coacar. 30. umbilici dolores cum pulsu conjuncti, aliquid per se ferunt mentis emotæ; quod vere hypochondriacis haud infrequenter novimus accidisse; licet sub aliis conditionibus, & signis appendatur, ut in hujus libri sententia 20. ibi enim legitur: *Palpitatio, ventris aut insaniam, aut hæmorrhagiam significat*; hæc nempe, quando jam crisis instat in febre, in tempore & loco ubi hæc speratur; seu quando absque signis translationem in caput notare videatur: in corde autem, per antonomasiam dicitur palpitatio, ille subsultans motus, quæ an sit legitima, non moror; dummodo sit concutio & subsultus; quod accidit dum membrana cordis, multo prægnans humore, intumuit, dilataturve: seu pericardium similiter distentum, colluvie serosa (qua circumcirca corpus cordis obsidetur perpetuo) seu à pulmone ipso comprimatur, evidenti molestia; nam hæc illa, dum cordis pulsui naturali obsistunt, & libertatem adimunt sui motus, seu liberum spatium non permittunt, tunc cor ipsum quodam veluti angone in angustias acto, iis motibus violentis ab illis se liberare satagit, motu quantumvis violento, in tempore & loco: ut interdum duplicato conatu, geminet actionem, quia tunc insurgit ut contra pondus palma, & licet perturbate & ordine confuso, qua data porta ruit.

(2 Coac. sent. 20.)

Galenus duas causas diserte hujus gravis affectus, uti solet, explicuit; nam postquam 5 de Locis 2. simplices cordis intemperantias partium similarium, (quæ non interimunt, si exiguæ sunt) & instrumentales (quæ subito necare possunt, præcedentibus quibusdam signis, uti subita exolutio, de qua legitur Aph. 41. secundæ sectionis) exposuit: transit ad palpitationem cordis, hæc enim, inquit, aut est per se eveniens, aut quod in humore cor ipsum moveatur; neque enim mirum videri debet, ait, tantam humoris multitudinem interdum cumulari in ambiente cor tunica, (nempe in pericardio) ut ipsum, ne attollatur, impedire possit, quod simiæ dissectæ exemplo comprobavit; quæ autem sit illa quæ per se cordi accidit, sequenti lectione explicit, quando dixit, palpitatio autem visceris, pluribus integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subito sine alio manifesto accidente, evenire visa est, atque omnes eos sanguinis detractio juvit: quæ nam erit hæc causa quæ integra valetudine accidit? nobis certe videtur, sanguinis calidi & ferventis abundantia, quæ cordis ventriculos ventilari prohibuit; illud est argumentum, quod integra valetudine degentibus adveniat, tum adolescentibus, tum adultis, quibus maxime ferventis sanguinis copia, cumulari rationi videtur consentaneum: sed illud ultimo præsumptionem securiorem fecit, quod illis sanguinis detractio præsentaneum fuit auxilium; simul cum victus ratione attenuante: ac alium etiam similis auxilii præcautione juvisse, testatur; illud tamen advertit, quod ii fere senectutem non attingunt, quos maxime illud infestat accidens, licet amet vigentem & robustam ætatem obsidere, nempe infra annos quadraginta: est tamen hic affectus medicamentis & arte non superior. Paulus etiam lib. 3. cap. 24. pro causa sanguinem ferventem cum Galeno constituit; & in mulieribus suppressionem mensium; de quo nos etiam dubitare non licet, non tantum quia tales sanguinis missione medentur, sed quia prudentissimus senex de illa veri-

veritate nos certiores fecit; quando libro de Virginum morbis in textu 2. sic loquitur: *Si effluxus sanguinis ad uterum retinetur, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transversum: cum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit*; *sunt enim effectus resilientis sanguinis prout superat corpulentia aut ad alios affectus analogia*; quid multum? non tantum à sanguine fervent, sed à crassioribus etiam fuliginibus, palpitationem concitari, notat scholiographus, ad lib. 1. Olerii, cap. 29. cujusdam mulieris exemplo, cujus cor lacessitum resilienti motu palpitabat: quod etiam à pectoris & pulmonis tuberculo docuit advenire; quod neque nos etiam prætermisimus in nostra observatione de pulmonis tuberculo; à cujus titulo est petenda curatio. Fernelius à retorrida bile etiam concitari existimavit, dum cohibita & in arterias diffusa in cor ipsum ascenderet, in hujus mali causam, lib. 5. Patholog. cap. 12. neque experientiæ est deroganda fides, (nempe quod à flatibus fiat;) hoc enim probat & subita invasio, & subita solutio, maxime si calidi sint flatus: dicant illud in ventre turgentes meteorismi, & in hypochondriacis arteriarum pulsus, ad dorsum, in ventre & temporibus; imo sola palpitatio videtur huic certe melancholiæ gentilitia; à venenis intus genitis, aut extra propinatis palpitationem advenire, satis illud probat experientia.

Lib. de Virg. Morb. text. 2.

Si vero in cordis capsulam magna serosi humoris colluvies illabatur, seu per venas, seu à capite & per patentes vias (ut Carolus Piso non indocte, in hoc casu, & in plerisque aliis existimat) ex frequenti & importuna temulentia & otiosa vita, seu longo aquæ potu, ita ut cordis ventriculos opprimat nec libere valvulas dilatare permittat: hæc etiam causa crebrius observatur, ut quæ super alias angone, tædio, & contumacia violentius affligit; quod frequentia observatione probat experientia, & mille exemplis Anatomici-Viri: hujus tamen causæ sunt potissima signa febricula, quæ pene hecticam æmulatur; tabes corporis universi; & absque alia causa, quæ se probet ad sensum; ut etiam continua respirationis difficultas, à quoquo levi motu; & pulsus cum parvitate celer, omnino inæqualis: quod nos & his diebus vidimus memorabili casu, sed eventu misero.

Accidit etiam cordi quidam tremulus motus, qui palpitationem æmulatur, dum non tantum angustiis opprimitur, sed à mordenti causa vellicatur: dummodo, ab hac aut illa causa, ejus robur in pulsando languescat; quod etiam accidere jam vidimus, subito ad arcem retractis spiritibus per vehementes animi passiones, indeque facile dissipatis: spiritus enim vitalis ab ætherea substantia delibatus, infimæ sphæræ ignis, & supremæ aereæ correspondet, quo facile violentiæ cedit; ut constitutione pestilenti nuper Hispali adnotavimus: non tantum facultate languente præ nectaris vivifici atonia, sed cordis substantia malignissimo humore vellicata; hinc etiam accedit tremulus quidam motus, compositus ex tremore & motu convulsivo, ex tremore nempe, facultatis atonia gravatæ, aut essentia debilis, concitato; dum se ipsam elevare conatur, & non valens deprimitur, neque ullo concentu; ex motu convulsivo, dum ad morsum resilit, & subsultat, ob illum quem imprimit conatum ad fugiendam noxam; qui sane motus formicantem pulsum videtur æmulari; & is etiam ab aridis thoracis ardore febrili partibus concitari etiam, plerisque placuit; ut in hominibus intemperanti lectioni addictis, quibus plus solito cor & cerebrum serius desiccatur; nam edaces curæ sensim sine sensu, uti lima consumunt.

Curatio in duobus consistit, prout duplex causa consulere videtur; in sanguine fervent & maligno, seu mensibus suppressis, Galenus in præcitato loco, à sanguinis missione curationem auspicari consulit: in aliis porro auxiliis illud cumprimis docuit attendendum, ut auxilia cum corde singularem habeant analogiam, ut illi robur afferent, & externis injuriis obsistant: & si quo in alio affectu, in hoc illud est per se notum, & velut principium, vitalem indicationem esse omnium primam, quo admoneri videmur, evacuationes non ita plena manu exercendas, ut in cæteris morbis; ut ergo ad singulares species serius & securius accedamus, in illa colluvie serosorum humorum, de revulsione & derivatione prius est cogitandum, à præcordiis nempe, ne confluant in cor, debile recipere paratum, (nam dum minuitur copia, effervescentia etiam temperatur;) unde amabo securior & illa imperabitur? si nulla est febris, à medicamento lenienti incipere, consultissimum judico, (est enim indicium illa febris absentia, serum esse frigidius, & fortasse à primæ regionis cruditate secretum,) molle, nempe, persico, aut syrupo etiam de filicula, mixto (nam serum maxime à melancholia derivatum, feliciter educit.) ubi vero est aliqua febricula, quantumvis parvi momenti videatur, vel Galeni consilio, 13 Meth. 11. sanguinis missio est semper præferenda; nam ipsa multitudinem vacuat, quando fervorem sistit; unde sanguinis missio? si menses aut hæmorrhoides subsistant, nulla est dubitatio à tali venis esse incipiendum: si vero nulla suppressa vacuatio id suadeat, unde? nulli vel mediocriter exercitato viro displicebit, primo etiam à talo vacuare, si à corde revellere, (Græci *antipasticon* vocant) & à præcordiis derivare intendimus, seu lien, seu hepar, fontes illius serosæ multitudinis extiterint: hoc enim publica satis utilitate superius probavimus; illud tamen per epicrasim potius, quam confertim faciendum, vitalis indicatio consuluit prudentia librata, ne cordis vires subito exolverentur: quod etiam erit temperandum consilium, si affectu pericardii tabes, tam magnum auxilium dissuadeat, dum longius progressa; & si adhuc vires ulteriori vacuationi non obstent, ex utroque brachio & basilica vena, possumus etiam demere (licet parce) præsumptam multitudinem: & postea sanguisugis hæmorrhoidibus applicitis, si id petit necessitas: sunt enim illæ in morbis thoracis utilissimæ maxime melancholicis, ut & siccis & scarificatis cucurbitulis.

Purgare postea in hoc casu, vehementior adhuc necessitas nostrum sollicitabit animum; nam, sanguinis fræno detracto, irritans serosi humoris qualitas potius purgationem indicat, quam aliud ex vacuantibus auxiliis: præparatione non indigent tenues & serosi humores, si libro de medica-

dicamentis purgantibus Galeno assentiri velimus; excepto ubi attemperandi convenientia in se oculos vertit; ut syrupo rosato, aut decortice citri, aut alio consimili purgare poteris, aut rhodomelle persico, syrupo de filicula, aut decocto pugini, aut lacte de muhoac. in selectissimo chocolate: sin minus, ℞. rhabarbari electi, trociscati agarici an. ʒß. anisi & spicæ an. g. iiij. infundantur in ℥vj. aut endiviæ aquæ, aut florum cordialium decocto: & forti expressioni adde syrup. persici solut. ℥ij. & aromatisetur, cum pulvere aut aqua cinnamomi; & si pilulas amet, ℞. mass. pilul. de rhabarbaro, & de nitro an. ʒß. agarici concinati ℈j. diagridii g. iij. & cum rhodomelle f. 9. & aurentur; pilulæ de nitro in hoc casu alias excellentia superant, dum maxime cor à serosa humiditate obsidetur. hæc & illa repetere, ad necessitatis seu contumaciæ legem, prudens erit consilium.

Postea vero diureticorum incidit indicatio, quæ certe alias in humoris analogia longe lateque superat; nam serosi humores facilius cæteris ad urinę vias divertuntur, veluti ad sudorem, dum natura ad ambitum corporis universi inclinat; dummodo attendas, quod ephractica soleat feriorem amplius concitare; sed priusquam ad hæc aut illa auxilia accedamus, sit prudentior cautio, num ægroti temperies & natura inclinet, ad calidum & siccum, uti in biliosis, & per adustionem melancholicis; an ad frigidum & humidum, cui humiditas serosa symbolizat, ut de auxiliis electionem prudentiorem facias: ut in prima eligas temperata, in secunda autem calidiora; qualia sunt radicis apii, petroselini, rubiæ, scorsoneræ, scordii, cum betonica, & semine anisi & fœniculi, citri & ocimi: sunt magis temperata quatuor semina frigida, & radicis endiviæ, borraginis, scorsoneræ, & buglossæ; ex quibus apocima paratur, addito ligno aloës & cinnamomo; si amplius non placet ex illorum decocto syrupum magistralem conficere, & aromatisatum; nobis tamen magis in usu erat ad ℥iij. syrupi rosati, mivæ cinnamomi unciam unam addere, ut duo accipiantur cochlear. cum haustulis decocti chinæ, aut cinamomi calidis: ac post aliquot dies ad uncias 4. apocima Fernelii imperare, non semel, sed per vices, quatuor diebus interpositis, in quibus aliquid de syrupo acetoso accipiat; ad parandos humores, dum crassi tenuibus miscentur; quod fere semper accidere notavimus.

Si vero prævalet calida intemperies, poterit de jure diuretico accipere quod conficitur, ex pullo ventre saccharo rosato semipleno, radicibus endiviæ, scorzoneræ, & petrocelini, ciceribus nigris, cinnamomo, croco, & sale præparato, per novem aut duodecim dies; & in palpitatione periodica consultissimum judico, (si hæc & illa ex voto non succedant,) ut de ferri aut chalybis scoria moderato exercitio ʒj. per 20 dies tribuatur, veluti sub hac forma parata; ℞. scoriæ præparatæ in vino, ʒß. Rei ℈j. rubeæ radicis ℈ß. lapidis bezoar orientalis g. iiij. ut ex omnibus fiat ʒj. quæ accipiatur seu in vino, aut syrupo capillorum veneris; si non magis placet in potione selecti chocolatis accipere; quod omnes indicationes magis amplecti videtur: si attendimus quod per ventrem & urinam serositatem ducit, & cordis facultates corroborat, ac spiritus, (quo in statu nulla major necessitas) non tantum instaurat, sed etiam robustissimos creat; sed adverte, quod tertio quoque die clysterem accipiat, modice irritantem: & sexto quoque die, de lacte de mechoacan ʒj. in liquido & puro chocolate; noster Ludovicus Mercatus syrupum de scoria ferri magnopere commendat in hoc casu, uti experientia confirmatum: ut etiam hoc nobile auxilium, quod pariter consulit tribuendum; ℞. aquæ lupulorum ℔. iiij. in quibus chalybis præparati & igniti ℥vj. extinguantur, bis aut ter, & colaturæ adde, scoriæ chalybis præparatæ in aqua rosarum, ℥vj. passularum sine acinis ℥iiij. quæ omnia per tres dies in prædicta aqua macerentur, ac postea bulliant ad tertiæ partis consumptionem; ac iterum coletur, & colaturæ adde radicum rutæ rumicis an. ℥ij. cichorii & fœniculi an. ℥jß. agrimoniæ & capillorum veneris an. m. ij. quibus iterum bulliat, ac in fine ebullitionis adde foliorum senæ ℥ij. carthami conquassati ʒj. quarum forti expressioni adde, sacchari albi quod sat sit, ut syrupi consistentiam accipiat, cui syrupo adde syrupi de 2 rad. & de cichorio an. ℥ij. &, ut suavius reddatur, aromatisetur, cum miva cinamomi ʒj. ac de illo singulis diebus uncias duas accipiat, & per 20 dies aut amplius cum exercitio saltem moderato; & attende quod hoc utimur auxilio in palpitatione serosi humoris, qui frigidam naturam redolet, ubi maxime obstructio ab hac aut illa causa concitatur; adductis in consensum ventriculo & hepate.

Ad extra supra cordis regionem sacculis potius utor, quam unguentis, ex rebus cordialibus & ephractecis, ut quæ aptius cordis humiditatem ebibere nata sint apta; ut ex floribus cordialibus, semine citri, anthos, ligno aloës, cinamomo, aniso, aromatico rosato diarrhodon, diambra, an. ʒß. in sacculo inclusis, dummodo irroretur aut vino generoso aut aqua vitæ. sed si unguenta placent ℞. unguenti naphæ & rosati an. ʒj. olei spicæ nardi pretiosi ʒß. olei Mathioli ʒij. diamusci, diambræ & diamargarit. frigidi an. ʒß. & fiat unguentum; panno murice tincto, aut serico, vino generoso imbuto, superposito.

Neque displicet per intervalla etiam in causa maxime frigida, (solet enim hoc symptoma & ad tempus produci) ℈j. theriacæ magnæ in aqua cerasorum, aut melissæ, aut in vino accipere; aut tabellam diarrhodon aut aromatici rosati, aut conditum zinziberis asportatum ex India: neque chocolatis usus displicet in hoc casu; nam omnia illius ingredientia sunt huic intentioni maxime gentilitia.

Sudores chinæ aut sarsæ, (in causa prædicta ex hypothesi) qui poterunt alioquin prodesse, sunt magna cautione imperandi, maxime ubi multum difficilis urget respiratio: sed in robustis, nobis maxime proficua videntur, ut quæ possint colluviem serosam ad ambitum divertere, per illum vacuare; in hac linea etiam consideranda sunt & balnea sulfurea, quæ poterunt prodesse & potu & sudore; sunt enim maxime diuretica.

A Paracelso laudantur guttulæ duæ extracti croci, cum cochleari aquævitæ, & olei macis & cariophyllorum, ad guttulas duas cum vino aut

jure

Fonseca consult. 24. jure aut chocolate; vel olei de succino extracti, cum uncia aquæ naphæ, aut citriorum: *Laudo quoque spiritum vitrioli*, (dixit Fonseca consultatione 24.) *tanquam optimum, si illius guttæ tres cum aquæ acetosæ ℥ij. sumantur, & si morbus non cedat, ad usum pulveris mirabilis est veniendum*; quam sic describit in consultatione antecedenti; ℞. radicum aronis præparatæ ʒjß. pulv. rad. acori, pimpinellæ, an. ʒj. oculorum cancri lotorum, ʒß. cinamomi ℥ij. salis, absinthii, juniperi, an. ʒj. sacchari rof. quod sufficit ad pulverem; & quomodo præparetur radix aronis, docebit Guercetanus, & oculi cancrorum: illa tamen magis in serosa colluvie semper observabis proficua.

Felix Platerus lib. I. observationum de melancholia cum cordis palpitatione, fol. 67. ad cordis regionem hoc utitur unguento, succi cardiacæ, & succi citri an. ℥ß. olei nardini ℥j. olei cariophyllor. per distillationem eliciti ℈j. camphuræ ℈j. croci ℈ß. & cum therebinthina dissoluta in oleo nardino fiat unguentum: & in alia observatione ad hanc cordis palpitationem, hoc vinum parare docuit, ℞. foliorum melissæ, corticum citri an. ʒjß. florum buglossæ ℥ij. anthos, seminis ocimi, an. ʒß. cariophyllorum ʒij. macis ʒj. cinamomi ℥ß. sacchari quartam unam, & semis infundantur in vini mensura una, & bibat interdum haustulum. non tamen indiscrete hæc intelligas; sunt enim tantum in serosam & frigidam colluviem auxilia.

Hoc tamen sacculo, doctor Christophorus à Vega, nobilissimum virum se curasse, testatur, lib. 3. de Arte med. Sect. 6. cap. 8. (sit fides penes auctorem) ℞. pulv. aromatici rosati & diambræ an. ʒj. pulveris macis cariophyllorum folii an. ʒj. florum buglossæ naphæ an. ʒij. fiat sacculus, qui vino odoro irroretur, quo apposito, factum est, inquit, ut intra horam cessaret.

Hanc confectionem ut mirabilem, Schenckius commendat, quam dixit ex coagulis veram; ℞. coaguli vitulini, hœdini, cerv. an. ℥ij. vini malv. odorati ℥ij. testiculorum galli coctorum, in posea ex aceto & aqua buglossæ, ℥jß. specierum trium santalorum & diarrhodon an. ʒj. sacchari rosati ℥vj. pulveris unionum smaragdi an. ℈j. & cum syrupo rosato, aut citri fiat electuarium, optimum ad cordis tremorem & animi deliquia; tabula cornu Rhinocerotis aut camphura, super cor gestata, mirabiliter prodesse, ex Andernaco, & Petro Spherio, adnotavit Schenckius.

In causa calidissima epithemata cordialia, plerisque consulunt admoveri, ut cordis temperetur empyrheuma, quod calidis & siccis non displicet: at erumpentibus malignis maculis, & febre pestilenti, illa applicare non licet. In causa frigida hoc utitur Forestus, ℞. aquarum buglossæ, melissæ an. ℔.ß. vini malvatici ℥iij. pulveris specierum electuarii de gemmis, cariophyllorum an. ʒjß. pulveris diambræ ℈jß. citri behen albi & rubri, ossis de corde cervi, an. ℈j. croci ℈ß. & fiat epithema: in calida hoc utitur; ℞. aquarum buglossæ, borrhaginis, scorsoneræ, & melissæ an. ℥ij. naphæ ℥jß. & utriusque corali omnium santalorum diamargarit. frigidi an. ʒj. camphuræ g. ij. croci ℈ß. aceti vini optimi parum.

Confectionem Alchermes plerisque in hoc casu commendant, ut & plerisque aliis, de cujus periculosa exhibitione hoc periculum nolui præterire, de quo nos etiam admonuit Dodonæus, libro suarum observationum, cap. 54. in Scholio; ab importuno usus hujus confectionis, inquit, hujus viscera corrosa sunt, & corrupta; hæc enim si justa quantitate detur, melancholicos humores expurgat; infra autem exhibita, cum nullam expurgationem moliri queat, interiora viscera, si frequentius sumatur, urit; exulcerat, & putrefacit; sunt enim tales hujus cyanei lapidis, hoc est lazuli, (qui confectionis magna pars est) pravæ, ac nocentes facultates, præsertim si non lotus, vel male lotus fuerit; & utcunque etiam diligenter lavetur, omnem tamen suam pravitatem deponere non potest: sicut enim vis ejus expurgatur lotione, nō perit; nec pravam ac exulcerantem ejus facultatem lotione deleri posse, remur.

Amatus Lusitanus Centuria 3. Curat. 43. palpitationem cordis se curasse testatur, & aquoso humore pericardio contento, primo extracto sanguine & humore disposito, syrupo ex succo melissæ, & de pomis cum decocto senæ & ℈j. ligni aloës; & rhabarbari & agarici concinnati purgatione; & post duos dies à purgatione cucurbitulam magnam cum multa flamma, regioni cordis apposuisse; & cute per vulnuscula incisa sale inspersit, ex quibus humor multus per aliquot dies resudavit; & interim hoc epithemate utebatur, ℞. aquarum naphæ melissæ an. ℔. ß. specierum diamusci, diambræ, an. ℈ij. croci optimi g iij. vini malvatici ℥ij. galiæ muscatæ ℈j. cariophyllorum, corticum citri, an. ʒß. florum aurantiorum, pseudodictami an. ʒj. & omnia simul bulliant ad ignem, & iis panno coccineo imbuto, parum calido modice expresso admoveatur; conditis & conservis interim utebatur, ventriculum etiam roborantibus, & hoc sacculo etiam cordi admoto, quem semper deferebat; ℞. specierum diamusci dulcis ʒij. diambræ ʒj. florum aurantiorum, melissæ, buglossæ an. m. j. xylo aloës ʒß. cinamomi, cariophyllorum an. ℥iiij. corticum citri ʒij. omnia in pulverem redacta sacculo insuantur serico; quibus remediis, Dei assistente Gratia, intra mensem ex toto sanata est ægra, quam curandam suscepimus, &c.

Postremo in victus ratione sita est pars maxima hujus curationis: hæc enim debet ad deficcantem vergere, magis aut minus calida, prout ad hoc aut illud extremum declinat intemperies: attamen in quocunque statu, carnes sint semper magis assæ, laudabilis & multi alimenti: conversioni faciles; vinum sit semper generosum, odore & substantia; sit tamen illius virtus semper aqua refracta, & maxime diluta; communis vitæ potus, sit ex radice chinæ ex ʒj. in sex libris aquæ cocta ad tertias quantitate absumpta; sive ex saxafras, in serosa & humida colluvie; in calida vero sola radice scorzoneræ cocta: aut auro sæpius inaurata; claudatur tandem & prandium & cœna aliquo cordiali & roboranti condito, uti scorsoneræ, aut citri, aut citonei: aut zinziberis conditi, si calida non urget intemperies: si pulvis magis placet, cochleare accipiet de hoc nobili & generoso pulvere, ℞. lapidis bezoar orientalis, & herbæ quæ apud Indos dicitur *contrahierva*, (nempe *contravenenum*) an. ℈j. coriandri, & anisi præparati, seminis fœniculi, & acetosæ an. ʒj. ra-

ʒj. rasuræ cornucervi, eboris, ossis de corde cervi, pulveris margaritarum, corali, cinnamomi, an. ʒß. vaginulæ odoriferæ (quæ chocolati miscentur) ℥ij. sacchari albi duri, & sacchari rosati antiqui an. ℥ij. panis auri n. viij. & fiat pulvis. de quo cochleare accipiat supra cibum, ac postea superbibat; si non amplius harum rerum condito delectatur.

DE PULMONIS & PECTORIS TUBERCULO,

Secundum varias illius differentias, ad perfectam usque curationem.

CAPUT I.

Quid Tuberculum, quæ hujus differentiæ & species.

Tuberculum in Galeni doctrina, à tuberis similitudine nomen accipit, dum in latum, in longum, & profundum, extuberat: est enim germen vitiosæ multitudinis, ad exteriora & cutim repentis, seu interna seu externa occupet loca; hæc tubercula Græce *phimata* dicuntur; Galeni est doctrina, 3 Aph. 26. nam licet variæ excrescentiæ, sub hac specie tuberculi comprehendantur; quædam ex his, inquit Galenus, (eodem loco) præcipuo vocabulo, tubercula nominantur: quædam sponte nascentes, & celerrimæ inflammationis quæ celerrime in altum attolluntur acumen & celerrime etiam suppurantur; & 6 Epid. Sect. 1. text. 13. ad illam sententiam tubercula foras extumescentia: ab iis, inquit, quæ ex terra progerminant, Græci homines *phimata* vocarunt, hoc est tubercula, eos præter naturam tumores, qui prorsus sine causa externa proveniunt, sed potissime eos, hoc nomine vocant qui extra corporis superficiem extuberant; in hoc ergo ejus essentia consistit, ut foras extuberet; ubicunque enascitur, non ab externa, sed ab interna causa.

Hujus tuberculi differentias nos docuit Galenus, 6 Aph. 9. ad illam sententiam latæ pustulæ, quando dixit: *Sicut tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt, quædam ad majorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: sic & pustulæ,* &c. Sublimiores autem, atque tubercula, à calidiori humore generantur, humiliores autem à frigore; & 6 Epid. citato: *Verum*, inquit, *ob nominis alterius inopiam, interdum & latos, pauloque naturalibus partibus elatiores, hoc eodem nomine appellant*: quod etiam Hipp. hoc loco fecit, quando dixit: *Tubercula foras extumescentia, & acuminata, meliora; contraria vero, mala*; (hoc est depressa & difficulter maturantia;) *& si quam plurimum contraria pessima, nempe quæ introrsum augentur*: cujus doctrinæ testis fidelissimus est; alia Hippoc. sententia, 1 Prog. Comm. 1. text. 40. in hoc tamen est Gal. cautio attendenda, ut quæ exterius vergunt acuminata, melius est, ad exteriora rumpi, quæ vero externas partes minime attingunt, sed introrsum extuberant, salutarius esse, si introrsum rumpantur, in loca nempe interna, si ad cavitatem rumpuntur; nam rumpi ad venas, & arterias, & cartilagines semper, de pravitate arguit: alia differentia ex Galeno colligitur: nempe quod alia cito, alia tarde suppurant; quia hæc frigida, illa calida; illa incoctibilia, hæc coctioni cedentia: laudat præterea æquabiliter suppurantia; nam quę ex aliqua parte suppurant, ex alia insuppurata manent, difficilius curantur, & pejora censentur: ut solent esse circum dura, medio suppurantia: alia dixit dura, & alia mollia; durum quippe molli pejus est, & inter dura magis durum, durissimum vero pessimum est; ita sane mediocriter molle, mediocriter bonum est, & perfecte molle, perfecte bonum: has etiam differentias prosequitur 2 Prognost. 40. & 41.

Galen. 6 Aph. 9.

Id. 6 Epid. Sect. 1. text. 13.

CAPUT II.

De Pulmonis tuberculo.

Hac ergo supposita doctrina, transeamus ad illius species, nempe ad pulmonis & pectoris tubercula; &, quid de illis Hippocrates & Galenus senserit, explicemus, dum illorum mentem construimus: de hoc enim pauca Ludovicus Mercatus, ea plane insulsa; multa Salius in suo Commentario de morbis, sed rudis indigestaque moles. Non est certe humanæ miserationis dignum, affectum qui omnes alios, curationis difficultate & periculo longe lateque superat, alta oblivione demittere, tanto magis culpabili ignavia, quanto antiquior est illius memoria: non est enim inter affectus alius, cujus antiquior celebretur traditio: de hoc enim est celebris memoria in Hippocrate, seu illa sit alterius illius sæculi vetustissimi medici; hoc enim vetustati non derogat; nam sic legitur in 2 de Morbis, text. 128. de Pulmonis tuberculo; cum tuberculum in pulmone natum fuerit, & tussis tenet & erectæ cervicis respiratio, & dolor ad pectus acutus, & ad latera, & usque ad 14 diem, ita afficitur; nam plerisque per

per tot dies tuberculi affectio inflammatur; sed & caput dolet, & palpebræ, & videre non potest, & corpus subfulvum fit, ac venis impletur: hæc sunt signa tuberculi, ex inflammatione ad suppurationem tendente; nam tussis, ex eo quod resudat, concitatur difficilis spiritus ex asperæ arteriæ compressu: dolor, ab eo quod extuberat, & comprimit, caput dolet, & palpebræ à vaporum colluvie, quæ ascendit: & corpus fulvum, ab eo quod de sanguine corrumpitur, ex quo venis impletur; sed miror Hippocratem, de pulsuum varietate mentionem non facere nec de febre: sunt enim potissima hujus affectus signa: non potest enim pulsus non mutari, graviter pulmone affecto; nisi forte nondum extuberatio leves arterias non attigerit; nam ad spiritus mutationes solæ asperæ læsiones sufficiunt, ut videbimus infra: hæc est una species tuberculi.

De alia est celebris memoria in Galeno, 4 de Locis 7. nam dum varias respirandi difficultates expendit, de illa quam inducit tuberculum pulmonis, sic effatur: *Atque tuberculum*, inquit, (nempe in pulmone) *concoctu difficile aliquando in ipso natum fuerit thorax, maxime quidem dilatatur, sed non ita multum inspirabit aërem, ideoque continenter spirare cogitur, non tamen exsufflare solet; id enim aucti caloris proprium est*; (magna nempe exsufflatio) & dum in hac spirandi difficultate prosequitur, paucis infra lineis sic alloquitur: *Quibus vero vel tumor, vel angustia, sine flammeo calore, in spiritalibus est, in his thoracis quidem dilatatio maxima est; id vero quod inspiratur, non solum dilatationem proportione non assequitur, verum etiam minus, quam secundum naturam, inspirari solet attrahitur*; & in cap. 8. sequenti, de hac eadem tuberculi specie sic prosequitur: *Etenim vehementi dolore, nunquam cruciatur*, (*nempe pulmo*) *& aliquando extensionem quandam, vel ad os pectoris, vel ad spinam pervenientem, percipere potest, ibi enim membranæ ipsum ambientes suspenduntur: sæpenumero etiam angustia molestantur laborantes, atque ob hoc crebro, celeriterque spirant, ac thoracem vehementer attollunt; sed non ita multum aërem trahunt, hæc si citra febrem acciderint; aut crudum tuberculum, aut lentorum crassorumve, aut quorundam aliorum humorum, plenitudinem in eo existere, aut pus, aut alium quendam humorem, vel lentum vel crassum, vel multum circa ipsum, effusum fuisse, declarant; verum inter se, per præterita accidentia discernere licebit; nam si quis per bonam valetudinem, cum solitas actiones facere potest, sic difficulter inspirare incæperit, augeaturque accidens, neque inter inspirandum stertere videatur, crudi tuberculi ortum suspicari oportet; si vero stertendo strepitum fecerit, lentorum crassorumque humorum pertinaciter impactorum, multitudinem pulmonis bronchia molestare, inditium est; quod si illico ab angustiæ sensu, quis difficulter spiraverit, fluxionem vel à cerebro, vel à vicinis sedibus in pulmonem irruentem, ostendit*; dixerat antea in cap. 7. antecedenti: *Erecta cervice respirant quibus calor & angustia, in spiritalibus instrumentis est; ac similiter quoque respirare solent, ii quibus asperæ pulmonis arteriæ plurima defluxione oppletæ sunt*; forte quia non satis aëris pro attemperandi necessitate trahitur.

Galen. 4 de Loc. 7.

Idem, ibid.

Ibid. cap. 8.

Ibid. cap. 7.

Et dum Antipatri medici historiam enarrat, differentiam constituit inter hanc, & levium arteriarum obstructionem; nempe ex pulsus & respirationis differentia, quæ huic affectioni & tuberculo advenire solet; hæc sunt illius verba; in fine hujus capitis: ea vero quæ Antipatro medico acciderunt, nemo est qui nesciat; is correptus aliquando febre ephemora, pulsum tangere aggressus est; cum igitur omne inæqualitatis genus, in arteriarum motione sentiret, territus est, occurrensque mihi jussit pulsum tangere: igitur inter tangendum omnigenam in pulsu inveni inæqualitatem, non solum in multarum pulsationum cumulo, verum in unaquaque arteriæ distentione: & cum nullam respirationis difficultatem invenirem, magis miratus, assidue arteriam tangebam; namque ob magnarum arteriarum in pulmone angustiam, id evenire putavi; angustiæ vero causam esse dixit visceris inflammationem, quam non esse satis constabat, quia febre affectus non erat; relinquitur igitur, vel ex obstructione ex liquidis & crassis, & viscosis humoribus, vel crudi cujuspiam tuberculi ortum in hujusmodi te suspicionem induxisse: & licet Galenus de quo horum affectuum pateretur non se explicet, Ætius tamen, de tuberculo, majori evidentia suspicatur; ut revera est magis veri simile; finiatur ergo hic discursus, quod in illa tuberculi dispositione pulsuum inæqualitas etiam invenitur, ut Galenus est auctor, sed magis cum tuberculum leves comprimit arterias: nec sit mirum, quod in principio nulla respirationis observetur difficultas, si asperas non comprimit arterias; nam postea iis compressis accidit; attendite ad hæc Galeni verba quæ sequuntur; nam sex mensibus elapsis, inquit, levi quadam respirationis difficultate affectus est, accedente simul cordis palpitatione, & aucta simul spirandi difficultate, ad 15. usque dum post quam difficilima derepente oborta respiratione, exolutus statim obiit, nempe tuberculo, has & illas arterias comprimente; quod nobis magis secundum rationem videtur, quam ex sola levium arteriarum obstructione.

De modo autem generationis hujus tuberculi, Hippocrates scripsit lib. 1. de Morbis, text. 6 21 tuberculum enim, inquit, in pulmone fit, hoc modo, cum pituita aut bilis coacta putrescit, & quandiu adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, ac tussim siccam inducit, postquam autem maturum (crudi & suppurati signa;) factū fuerit, dolor ante & retro actus fit, & calores corripiunt ac tussis vehemens, &c. pulmonis tubercula dupliciter advenire comperimus, seu per defluxionem à capite, aut partibus vicinis, seu per congestionem; & hoc etiam dupliciter novimus accidisse, seu in folliculo materia inclusa, seu sparsa, per laxam & mollem substantiam pulmonis; à capite difluit seu per asperæ arteriæ cavitatem pituita, aut bilis, cruda aut salatrosa, ad pectus vel pulmonem: seu per venas, arterias, nervorum cavitates, aut per loca externa calvariæ inania, ut ratus est Fernelius; ad vasa & loca pectoris sibi consocialia: illud etiam in hoc rerum statu nolui præterire, quod sæpe observavi, quod est talis consensus inter uteri vasa, cum pulmone & pectore, ut sæpe (licet obscurissime) suas ad invicem affectiones impertiantur; & de hoc referam mirabile exemplum.

Domina Marchionissa de Ajamonte difficulter incœpit respirare, febricula vexari, cum leviori tussi, & paucis post diebus purulenta sputa

excreare, ut omnes medici illius curationi deputati, illam ut tipsicam damnarent, & pro deplorata omnino demiserunt; erat enim valde extenuata; cum en subito dominæ menses copiosi incœperunt, quo cœpit à febricula levari, à tussi omnino liberatur, & sputa purulenta cœperunt immutari ad alba, absque ulla puris suspicione; & ita tandem pristinæ sanitati restituta, Dei beneficio convaluit: qua demonstratione convincitur ex suppressis mensibus per vasa pectori consocialia, materiam ad pectus recurrisse, & illam tipsis speciem induxisse, non per ulcus pulmonis, (nec enim ita cito mederetur adhuc suppressa evacuatione provocata) sed per suppressam materiam pectoris cavitate stabulatam ibique putrescentem, quę pseudo-empyema induxit, & illam tipsis similitudinem: hoc nos debet reddere cautiores, maxime in mulieribus in pectoris & pulmonis affectibus, an ex utero consensum aliquem patiantur.

Diffluxio, aut irritationem, aut humoris multitudinem sequitur, seu partis unde labitur fluxio, seu humoris etiam delabentis, congestio vero partis sequitur intemperiem, cum imbecillitate copulatam, ut quidquid confluit, alimento, seu partis nutritioni depravatum congerat aut corruptum, quod si illud expellere non valet in tuberculo, ibi causam cedit quo fit, ut præ imbecillitate alibi illud extrudere non valeat: unde illa tubercula, quæ crassam materiam includunt, seu quodam in folliculo, seu per partis spatia diffusam.

Hac ergo supposita doctrina, in pulmone tuberculum adnascitur, ob fistulosam, laxam, & mollem illius visceris substantiam, non tantum fluxionibus aptam, sed congestioni promptissimam. fortuna esset, si calida esset materia quæ fluit, aut congeritur; illa enim æque extuberat, ac suppurat, è contra ac frigida & crassa, maxime visciditatis particeps; hæc enim sicut tarde extuberat, sic & tardius suppurat, quia actione invalida à nostro calore penetratur; mixta aut media materia medio etiam modo procedit; utrumque tamen ex spirandi difficultate & spiritus angustia innotescit: quando aut lente aut citissime properat, & ad summum ascendit; hoc enim brevitatis, aut tarditatis in operando metam indicat; quibus necessario aut febres, aut dolores, aut ambo simul intenduntur; in hoc etiam aliud adnotavimus, non nulla tubercula, quamvis lente festinent, inopinato rumpi, cum nec tale sperabatur, nec timetur; quia in his nec materiæ resistentia, nec agentis operatio, nec fortuiti casus ad nutum metiuntur; sed cum ruptio instat, & tusses siccæ, & respirationis difficultas augentur notabiliter, dolor & cordis palpitatio: sed in crudis tuberculis, ubi ob frigidam & tenacem materiam, hæc etiam accidentia intenduntur, solet ex alio principio difficultas spiritus pulsuum inæqualitas, & animi angor advenire; & non suppurationis ratione, sed dum materia intra tuberculi cavitatem tenuata, in ampliora diffunditur spatia, unde vasorum angustia dum tumore compressa, aëris & spirituum transitum intercipiunt, tunc enim angustia veluti suffocatos & dolentes perimunt, & asperis arteriis occlusis pene suffocant; & si forte levis arterias compressio

A attingit, talis pulsuum inæqualitas repente incidit, ut vix nec percipi, nec explicari queat; nam pulsus interdum formicantes apparent, alias recurrentes & in omni genere inæqualitatis inæquales, unde mortem jam imminere palam est.

Neque paria accidentia observabis, ubi in cavitate tuberculum adnascitur, seu versus cavitatem, ac dum membranas opprimit, & magnas comprimit & venas & arterias: hic enim major sensus acuties, graviora intendit accidentia, & vasorum ratione sæviora; si vero tuberculo cumulata materia in folliculo, aut membrana B continetur, seu arcte coërcetur, sæpius nec vapores quidem exire permittit, ut in cordis ventriculos ascendant; unde nec febris, nec dolor, nec alia comparent accidentia, præter quoddam respirationis offendiculum, sub levi quodam pondere; & ex his duos vidi, totum tuberculum folliculo inclusum, pure ad intra cavitatem retento, salubriter expellere, cum tussi vehementi; ubi nulla antea vidimus accidentia, quæ de tali tuberculo arguerent; forte in aliqua cavitate folliculo producto, ex illaque expulso, & absque ulla febre, C neque doloris sensu; si non forte quis suspicari velit, (quod nobis difficillimum videtur) intra ipsam substantiam pulmonum, tuberculum in ipso folliculo productum, absque dolore pulsum, quia pulmonis substantia caret sensu; illud tamen in hoc casu adverte, quod dum tuberculum folliculo includitur, quod hoc semper per congestionem accidit materia collecta, & genito folliculo, ex parte crassiori materiæ, quæ magis D circumcirca induratur, seu dum frigore concrescit, seu dum parte humidiori exoluta calore induratur, ut ovis quæ assantur ad ignes accidere videmus: maxime in materia viscida & tenaci: neque placet docti cujusdam viri sententia, qui folliculum à facultate formatrici effingi existimavit; illa enim sola in parte viventi operatur, cum sit tantum à natura ad hunc finem producta; nam in putrida materia & prorsus à regimine naturæ derelicta, operationis est aliud principium, nempe ab influxu cœlesti, ut à causa communi & E æquivoca, aut à calore naturali nostri corporis, ubi ad benignum reducitur: seu à præternaturali, dum ad corruptionem, seu ad similem actionem terminatur; & inde accidere videmus, ut intra hos folliculos, pili, ungues, lapides, carbones, imo & ipsa animalia etiam generentur.

Si vero inter illa vasa tuberculum congeritur quæ dicebamus antea, & ad illa circumcirca progerminat, semper in hoc gravissima comparent accidentia; & dirupto tuberculo, ac pure subito F erumpente, repente plerique perire, in cordis valvulas, aut pure, aut putrefacto sanguine subito irruente; quod nos & his diebus vidimus, in Francisco de Olaceran, nobili Cantabriæ viro; & Hispalensi cive, Don Joane de Avendaño: dum ille subito, pure fœtidissimo excreto, tussis periit vehementia; hic sanguine putrido & corrupto, infrigidatur subito: alii puris excretionem non expectant, sed suffocantur antea, respirationis instrumentis compressis.

In his etiam alia observatur differentia, ut quæ ex fluxione, tubercula causantur, fere repentinum habeant

habeant sui ortum, saltem cæteris brevius, febres intentiores, & dolores, & citam ad proportionem suppurationem; in iis vero quæ per congestionem lente fiunt, neque febres, neque dolores pro suppurationis ratione adveniunt: imo sæpe nulla observantur accidentia aut paucissima, maxime dum suppurata materia, folliculo aut membrana includitur; nam ex illa nec vapores expirant, ob tunicæ duritiam, nec materia inclusa sensibilia mordet; illud tamen multis novimus accidisse, ruptionem nempe prospera aut infausta fortuna; nam si dirupto tuberculo, (maxime dum ad vias excretioni destinatas extuberat) purulenta materia, vias patentes, & non occlusas adit, salubriter expellitur, seu per pulmonis canales ad œsophagum, seu per ventriculum, & fortasse per ventrem: illud est enim mirabile in naturæ arcanis, ut sibi quærat vias, per quas noxia, à quibus lacessitur, expellat; quod neque miri erit illi, qui tubercula, abscessus, & pus, in thoracis regione progenita, per ventris regionem feliciter, & sæpius jam vidit expurgata; quod nos sæpius vidimus, & Galenus edocet; dicamus prius, quo modo per tussim expurgetur, ac postea per ventrem & urinas: illud nos docuit Galenus 4 de Locis 3. per hæc verba: *Oportet igitur pus quod à costis in eam fertur venam, quæ spinæ adjacet, imprimis quidem pervenire ad cor, deinde ad venam quæ ab hoc orta, in pulmonem transit, postea ex hac in asperas arterias, quæ per ipsum dispersæ sunt, transsumi, postremo tussi indigere, quæ scilicet ipsum, usque ad cor efferre possit*: illud vero, 6 de Locis 4. quia postquam jecoris & lienis per ventrem expurgari affectus, docuit, hæc subjunxit; *præter has, aliæ quædam fiunt purgationes, sed raro; ut, cum thorax, & pulmo per alvum purgantur*: & paucis infra lineis, *nos vero pulmonis vomicam, per urinam, thoracis autem per intestina & alvum expurgari vidimus*; *nempe per leves arterias, & sinistrum cordis sinum ad emulgentes, & inde ad urinas: per asperas ad ventrem*; *ut per illam facile expurgetur.*

Galen. 4 de Loc. 3.

Idem, 6 de Loc. 4.

Aliquibus etiam fortuna rumpitur infelici, dum pus à rupto tuberculo intus repit, seu quod occlusæ viæ, seu ab ipsa naturæ impotentia, quibus subito accedit, suffocari, & fere repente mori, è vestigio ipsius ruptionis; nam dum pus subito ad interiora vergit, in cordis ventriculos sese ipsam insinuat, quo vitalibus spiritibus prava puris qualitate affectis, aut prorsus exolvuntur, aut prave alterantur; aut in cordis arcem fugientes, vitalitatem desinunt corpori impartiri; unde subita syncops, ad quam mors semper inevitabilis; quod satis eleganter Hippocrates expressit, 7 Aph. 8. quando dixit: *à tuberculi intus ruptione, exolutio vomitus, aut animi defectio fit*; illud consulto antea adnotavimus, à tuberculi intus ruptione pus interdum, per infernam ventris regionem expurgari, quantumvis in vitali stabuletur, & interdum per vomitum, quando nempe natura, proprii periculi gnara, abditas & occultas quærit vias, ut ab eo, quo urgetur, periculo evadat; quod si ad talem magnitudinem crevit, ut vias respirationis intercipiat, suppurato tuberculo, aut crudo, antea suffocare contingit quam rumpatur, de quo latius postea.

Hipp. 7 Aph. 8.

CAPUT III.

Causarum contemplatio ad Galeni & Hippocratis mentem.

Pro causa horum tuberculorum, Hippocrates solam bilem, & pituitam posuit, sed excocta; nempe reddita crassiora; ne à laxa & porosa pulmonis substantia difflueret: quod certe videtur cum alia Hippocratis sententia pugnare; nam libro de Internis affectionibus, dum hydropis species enarrat, fit etiam, inquit, si tubercula in pulmone fuerint enata, & aqua repleta, & in pectore rupta; est ne bile crassior aqua? minime quidem, & tamen tuberculum, in pulmone produxit; quare reor, quod tunica exterior pulmonis aliquando durescit, ex hac aut illa causa, ut materiam licet tenuem non permittat diffluere; quo non sit mirum, ut intra cavitatem collecta, cedat in abscessus materiam; quod in pulmone & hepate animalium nos aliquando vidimus; si non dicimus, quod bilem & pituitam posuit pro causa horum tuberculorum, in quibus suppuratio potius expectatur; cujus nobis majorem fidem facit casus, quem his diebus præ manibus habuimus, in cive Hispalensi, Don Joane de Avendaño: is enim interiit de pulmonis tuberculo, & sine causa rupto; ex qua ruptione excrevit sanguinem purulentum, & valide corruptum: erat tamen antea, veluti prava hydropis specie defœdatus, quam contraxit intra quindecim dies, ut os & oculorum palpebræ manifeste tumerent, manus, & pedes, cum febre, majori moderata, & ita difficili spiritu, ut inspirare erecta cervice cogeretur, & pulsus inæqualitas in pulsationū cumulo; & in una quaque pulsatione erat ita insignis, ut quemque facillime turbaret: quæ certe accidentia, tuberculi ruptionem instare plane contestabantur; nam erant in fine ad summum jam adaucta; quo in statu duo in hoc casu perpendimus, tuberculum à crassis & lentis humoribus originem traxisse, postea visceris frigida imbecillitate, aquam etiam pulmonem collegisse, quibus non tantum tuberculum, sed pulmonis hydropem contraxisse; ibi enim utriusque signa observabantur, hydropis, & tuberculi; sed prave suppurati; non enim est necesse, ut semper humor in illa collectione putrescat; cum sæpius fiat non tantum ex cruda materia, sed incocta, & sæpe incoctibilis, ut nullam suppurationem patiatur: ceu habetur in celebri Hippocratis memoria, 3 de Articulis 9. & in illa, quæ ex Galeni legimus Anti-patri historia, & 6 Aph. 45. quod certe non excludit, posse in tuberculo materiam putrescere, ut Hippocrates dixit in præcitato loco.

Quare tubercula, quæ tendunt ad suppurationem, fiunt utplurimum ex bile, & pituita, ut Hippocrates dixit, ex sanguine frequentius, & ex aliis generibus pituitæ; sive per defluxionem à capite dilabantur, ut accidit capite catharrosis, seu à locis pulmonibus vicinis; sive dum calida intemperie attrahunt; seu diuturna imbecillitate jam contracta recipiunt, quæ ab aliis expelluntur excrementa; seu tandem dum hydrope in pulmone contracta, seu crassa, seu tenuia, à se extrahere non valet, quo inde, collectione facta, tuberculum adnascitur.

Per congestionem est longe diversa horum generatio; nam ut lente illa tuberculorum excrementa congeruntur, ita lente extuberant; pars enim intemperata alimentum vitiat, ut quod erat alimento futurum, fiat in excrementum: hæc vero excrementa, vitii ratione, aut cruda & incocta redduntur, aut prava corruptione deterrima, aut suppurando apta: ex cujus causæ varietate tuberculi variatur conditio; inde etiam varietas oritur accidentium; nam pro illata noxa, partis nobilitate vicinarum consensu, hæc illa minuuntur, augentur, aut alia similia æmulantur; quorum uberior notitia ex signis comparatur.

CAPUT IV.

Signa incipientis tuberculi progressi, crudi, & suppurati.

In dignotione horum tuberculorum, major certe impendet difficultas, cum in principio nulla, vel certe obscurissima, signa innotescant: satis bene colligitur illud ex Hippocratis verbis, lib. I. de Morbis 63. nam quandiu, inquit, adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, ac tussim siccam inducit; quos enim adhuc sine tuberculo vidimus, dum capitis distillatio incipit, dolorem exilem in thoracis parte superiori persentire, siccam tussim inferre; sed transeat, ut hæc ipsa tuberculi initio eveniant; hæc sola non sufficiunt, nisi aliis plerisque additis, & partis affectæ ratione, ut & consocialium, quibus maxime consentire videtur; ideo forte Hippocrates, libro de Medico, *tubercula equidem*, inquit, *deprehendere & dissolvere posse, maxime artificiosum habetur, itemque collectiones ipsorum expedire*; ideo potius est ad experientiam recurrendum, illorum quæ in simili casu observavimus; interea quæ in hoc casu vidimus, non pigebit audire: in hujus crudi tuberculi principio, in Francisco de Olaceran, erat lenta quædam ad laborem desidia, ut potius decumbere, quam stare in lucro haberetur, & quoddam veluti pondus in pectore se sentire dicebat; & quædam caloris alternata mutatio inæqualis illi erat, ut jam calor, jam frigus, ægrotum immutaret, cum ita profunda melancholia, ut animum sublevare non sineret; & pallidus in facie color, qui antea non erat; & subinde quædam difficilis respiratio incœpit, quæ, maxime dum ascenderet, plus solito urgebat, & nulla erat tussis, sed pulsuum insignis inæqualitas, non in cumulo tantum, sed in unaquaque pulsatione; & in progressu, materia indies jam congesta, in malis quædam apparuit insolita rubedo, maxime post meridiem; angor, & cordis palpitatio, melancholia, ira, timor, & alia postea magis erant conspicua; hæc omnia indies augebantur, sed ad summum adaucta cernebantur, cum ruptio instaret: rumpitur tandem illi tuberculum infelici fortuna post dies sexaginta, & post excretionem sanguinis purulenti, intra duos dies animam inter amicorum lamenta exhalavit.

Hipp. de Medico.

Inter hæc signa, illud animadversione dignius judicavi, nempe horum signorum reddere rationem; nam si crudi tuberculi materia; dum extuberat, ad leves arterias inclinat, ut illas aliquantulum comprimat, pulsus incipit ad inæqualitatem immutari, & quadam celeritate & frequentia insigniri; sed semper cum duritie: hæc tamen inæqualitas semper est uniformis, nempe in inæqualitate, quia uniformis est causa, & persistens, & fixa; illa tamen quotidie augescit, apparetque manifestius, pro illius augmenti ratione: nos vidimus ad miurum & ad formicantem devenire, & ad intermittentem; sed tunc aut suffocationem in tuberculo crudo, aut ruptionem in suppurato, jam instare, sæpius observavimus; si vero in arterias asperas inclinat tumoris magnitudo, ita difficilis concitatur spiritus, ut erecta cervice inspirare cogatur, & decubitum fugiat, ac si in illo instaret suffocatio; & ad hoc & illud velut per gradus ascendere videtur; nam, sicut alii morbi, etiam tubercula, sua tempora sortiuntur; brevia aut protracta; est enim tuberculi principium, si per diffluxionem congeratur materia, levis dolor, & irritata tussis, cum quodam gutturis offendiculo, si per congestionem levis dolor, nulla tussis, & leve quoddam pondus, dum parum materia extuberat, & prominet tuberculum? & hæc eadem aucta, cum difficilis incipit respiratio, pulsuum inæqualitas, & à quovis motu delassatur: augmentum indicant, si incipit putredo, & inde suppuratio, jam febris manifeste sese prodit, & graviora incipiunt accidentia: illud etiam scitu dignum existimavi, quare in plerisque, inter tot accidentia, nulla tussis, quod contra situs & tuberculi rationem videtur; illud reor accidere, seu quia nihil à crudo tuberculo resudat; quod irritare valeat ad tussim concitandam; seu, quia quæ extuberat moles, potius substantiam pulmonis, quam vias comprimat respirationis; nam illæ compressæ tussim, saltem siccam, concitarent, tumoris molestia irritatæ; & ideo, cum tussis sicca concitatur, credendum est, aut à resudatione, aut tumore, induci; ac ideo, si videris tussim, & dolorem augeri, erit secundum rationem præsumere, tuberculum verti in suppurationem, aut putredinem, & interdum ruptionem instare.

Hæc eadem signa sub quadam indifferentia observabis; nam pariter ad tuberculum crudum, ac ad suppurabilem advenire conspicies: ideo forte Hippocrates, in citata sententia, sic prosequitur: *Postquam autem maturum factum fuerit, dolor ante & retro actus fit, & calores corripiunt, ac tussis vehemens*; miror Hippocratem, inter hæc signa, febris mentionem non fecisse; at desino mirari, quia hoc sæpe vidi in tuberculo crudo, & adhuc suppurato, si intra folliculum & cistim continetur; nam inde non expirant foligines, quæ cordis, ne dicam substantias, sed ne quidem spiritus calefaciant.

Quare si post prædicta signa, quæ sunt incipientis & progressi, suppuratio in tuberculo incipit, jam alia incipiunt symptomata, saltem præexistentia, intenduntur; nam dolor ante & retro pectus occupat, & inter inspirandum cor comprimi videtur; & calor in tota pectoris regione plus solito sentitur: dolores, & febres in suppuratione advenire & intendi, jam olim Hippocratis constans fuit sententia, 2 Aph. 47. sed quadam singularitate in his; nam illis est inæqualis calor, cum horripilatione confusus; & dum remittitur sine causa, è vestigio redit, à putridis vaporibus pectoris sensibilia vellicantibus, & denuo accensis:

ſis: ſed illa maxime, jam declinante ſole, obſervabis, cum manifeſto pondere in tota pectoris regione: & cum cordis palpitatione aliquando, ſed ſemper gravi noxa in reſpiratione, & pulſus inæqualitate fere ſemper; illud etiam habet illa tuſſis, quæ tuberculo ſuppurati accedit, ut jam humectari incipiat, cum excreatione, licet tenui, ab eo quod reſudat, & inde augetur excreatio, ad proportionem purulentæ materiæ reſudatæ.

CAPUT V.

Tuberculi Pulmonis variæ terminationes expenduntur, & eventus diverſi.

In prognoſi dubia ex dubiis naſcuntur, ut ne quid certum valeas præſagire, nam text. 95. jam præcitati libri: *Et ſi quidem*, inquit, *quam citiſſime maturuerit, & eruperit, & pus ſurſum vertatur, ac totum expuatur: & ventriculus, in quo pus fuerat, contrahatur, ac reſiccetur, penitus ſanus evadit*: & procedit, *& licet citiſſime maturatum ac expurgatum fuerit, verum penitus reſiccari non poterit; ſed ipſum tuberculum, a ſe ipſo pus produxerit, & à capite ſane, tum à reliquo corpore pituita ad tuberculum diffluens, putreſcit, & pus fit, ac expuitur, per quod homo perimitur*; & poſt hæc alia ſequuntur, ita certe prolixa, ut dubitare cogat, hæc Hippocratis eſſe gentilitia; nam uno pene verbo clauditur tota hujus prognoſtici hiſtoria; nempe ſi à rupto tuberculo, pus breviter & paucis diebus expurgatur, ut æger à tuſſi liber, & à febre evadat, in tuto erit illius ſalus; ſi vero poſt ruptionem febris & tuſſis manet, cum prava puris conditione, tandem tabes conſumptus obit, ab ulcere pulmonis, tædio & contumacia inediæ & tuſſis, ſi non febre conſumptus.

Ibid. text. 95.

Et inde major oritur periculi occaſio, quod opus ruptionis valentiorem exigat naturæ actionem, quam poſſit artis magiſterio adjuvari, (licet utroque opus perficiatur;) non eſt enim in noſtra poteſtate, ut rumpatur tuberculum, per illum loci ſitum, qui ad canales excretioni deſtinatas terminatur; imo ob cartilagineam & membranoſam duritiem, ſi forte illis tuberculum inclinat, videtur à contrario eventurum: quo ſemper erit incerta prognoſis; nec eſt ita facile ſperabile ut ventriculus, ubi pus continetur, ita prompte exſiccetur, ut ulceris veſtigium non relinquat: quo (meo ſaltem judicio) omnia ſunt fortuita, & non per cauſas, ſed à poſteriori ediſcuntur; ad hoc enim tendunt omnes cautiones, quas hujus libri auctor nos edocet, & in quibus nos cautiores deſiderat; nam poſtquam in ſervandis conditiones poſuit, nempe ut citiſſime ſuppuret tuberculum; 2. ut ſupra aut infra, per loca à natura deſtinata expurgetur; 3. ut ad ſuperiora pus vertatur; 4. ut celeri ducatur anacatharſi; 5 ut locus à quo pus expurgatur agglutinetur cito, ut neque ſanies neque jecur ſuperſit; hæc omnia fortaſſe ſemper ad nutum evenient, in praxi; poſſibile eſt: hoc nobis tamen in praxi verſatiſſimis difficile videtur; nam quæcunque ex illis conditionibus deficiat, ſalus eſt in ancipiti alea: attendite ad verba quæ citavimus. verum ſi penitus reſiccari non poſſit (nempe ulcus) perimitur homo aut tipſicus, aut tabidus; ſive superveniente alvi fluxu, ſeu toto pulmone penitus

A purulento: ſeu tandem venarum corroſione ſanguinis fluore concitato; quo aut tabidi redduntur, aut maraſmo conſumpti; præ extenuatione omnino conniventibus venis, & alimenti commeatu præpedito; ſi non extrema frigiditate reſiccatis, ubi non adeſt febris; nam in crudis & frigidis tuberculis, dum longe ægritudo protrahitur; frigidus pulmo in conſenſum allicit, ventriculum & hepar, quo aut illarum functiones minuuntur, aut fruſtrantur, ut, loco ſanguinis, aut aqua, aut flatus generentur, quo ſæpe ſolent cruda & frigida tubercula in hydropem tranſire.

B Quod ſi daretur, tuberculi incoctibilitatem ſuppurationi obſtare, ac nulli medicamento cedere, quid inde ſperandum? hoc etiam hujus libri auctor nos docuit, nempe ut æger, inedia & tuſſis contumacia & febribus deficiat: ſed unde hæc tuberculi cruditas? ob humoris lentorem & viſciditatem tuberculo incluſi; ſi non etiam ab humore propria natura incoctili: ut Giptia pituita aut vitrea, atra bilis, aut aqua; aut alio conſimili; nec non à tunicæ duritie, in qua humor includitur: ſeu ob puris inæqualitatem in craſſis C & tenuibus partibus: ſeu tandem utriſque frigore congelatis; inde etiam importuni dolores faſtidii contumacia, inceſſabilis tuſſis, & aliquando febris, ut & conſenſus aliorum membrorum perimunt ægrotantem: & nos vidimus tenuia interdum à tuberculis reſudari, & per tuſſim excerni, & nihilominus maraſmo conſumptos periiſſe; pariter enim pereunt, à tuberculis pellicula incluſis, ac male ſuppuratis, velut Ageſis filia, 6 Epid. Sect. 4. text. 4. quæ à dirupto tuberculo D inedia, tuſſi, ac febre ſuperveniente, defuncta eſt; forte quod illa ruptio, aut tardius quam par eſſet, advenit, aut ſuper cordis valvulas eruperit, ſeu ab ulcere, pulmone derelicto, ad quæ tabes conſequitur; nam quando ſera tuberculi eruptio magnam debilitatem aſſequitur, licet aliquod levamen afferre videatur, non periculum, ſed laborem effugit; nam ruptione tuberculi, à dolore difficili, ſpiritu & febre, puris eductione levatur, parte tenuiori anacatharſi ducta; ſed intus craſſiori manente, quæ dum pravius longa noxa puE treſcet, deteriori contracta qualitate aut partes circumſtantes male afficit, aut vicinas corrumpit: quo falſo credita levatio vertitur in deſperationem; ut illis etiam novimus accidiſſe, quibus valde extenuatis tuberculi ruptio ſupervenit, licet paulum levari viderentur.

His tamen non obſtantibus, bene poterit tarda ſuppuratio advenire, quam etiam tarda ſequatur ruptio: & non erit ideo ipſo jure læthalis; quando nempe cum virium conſtantia toleratur, ægro non decumbente: quod cernitur quando eſt F inepta coctioni materia, non prorſus incoctibilis; hoc enim quotidie videmus in externis tuberculis de ſpeciebus ateromatum, in quibus pus, licet tarde, concoquitur: nec ideo materia corrumpitur, nec aliam malignitatem contrahit; ſed, ob ineptitudinem materiæ, inducitur tardius ſuppuratio.

Idem auctor in text. 70. hujus libri eadem repetere videtur, de quibus nos antea admonuit, quando dixit: *At ſi eruperit quam celerrime & maturuerit, maturatum autem, multa ſui parte, ad ſeptum tranſverſum effundat: ſtatim quidem melius ſibi habere videtur*:

text. 70.

videtur: verum progressu temporis, si quidem totum sputum rejecerit, & ventriculus in quo pus inerat concidat, ac resiccetur, sanus evadit: si vero & tempus longius protrahatur, & debilior fiat, & pus per sputum non rejiciat, tempore procedente moritur: hanc eandem sententiam jam supra exposuimus; ideo ad alia utiliora transeo. Quænam ergo erit citissima suppuratio? quæ citissima ruptio? quæ media, & quæ omnino tarda? hoc non ex alio principio venari est, quam ex alio Hippocratis contextu, quando dixit 5 Aph. 15. *Qui à morbo laterali fiunt empii* (*in pleuritide suppurata*, legunt alii) *si in 40 diebus purgantur à die à qua ruptio fit, liberantur; si vero non, ad tabem transeunt*; Galenus in Commentario; nam his diebus exactis, si pus non expurgatur, necesse est pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente; morbo igitur laterali, diem 14 terminum posuit purgationis (nempe per sputum) suppurationis autem 40. ex his infero, quod citissima suppuratio erit intra 14 diem; intra quem terminum, abscessus, seu inflammatio à sanguine, & bile, & pituita mixta possunt, & valent suppurari; dummodo ab inflammato loco non resudet; quod suppurationis causam adimit; nam si illa materia in loco coërcetur, ut ex illa ne minimum quidem resudet, necesse est ut in pus convertatur; si, ex hypothesi, resolutio aut gangræna excluditur: hoc ad literam nos docuit Hippocrates & Galenus, 2 Prognost. 52. quando dixit: *Quicunque autem dolores ex his sedibus non desinunt*, (nempe pectoris aut pulmonis) *neque screationum purgationibus, neque ventris subductionibus, neque venæ incisionibus ac medicamentis & victus rationibus in suppurationem verti sciendum est*: in cujus Commentario Galenus; *hi namque quodammodo medii sunt inter eos qui solvuntur celeriter, & eos qui insanabiles existunt*.

Hipp. 5 Aph. 15.

Hipp. 2 Prog. 52.

Galen. in Comm.

Si vero alii à sanguine humores, à bile, aut pituita dulci, in tuberculi linea circumscripta coërcentur, longius erit ruptio illius expectanda; nam si illa terminum suppurationis expectat, cum suppuratio in frigidis humoribus longius protrahatur, longior etiam necessario expectabitur ruptio; quæ interdum poterit esse media inter citissimam & longius protractam: si vero sunt natura humores incoctibiles, & in pravos abscessus conversi, tuberculo inclusi, pari vice ad incoctibilitatem expectabitur ruptio in tempus longissimum protracta: quibus si addatur, tempus, & ægrot temperies, debilis, aut robusta virtus, & pleraque alia, quæ valent producta immutare, securius proferetur judicium: & nunquam nihilominus poterit punctum præfinitum attingere; quia nec passi resistentia, nec actio agentis potest ab humano intellectu prævideri; sed tantum, quadam fallibili conjectura metiri. De hoc incerto judicio, testem Hippocratem habeo, & Galenum 2 Prognost. 57. & 3 Prognost. 9. quo loco sic scripsit: *Aliæ vero suppurationes rumpuntur, plurimæ 20 die, aliæ 30. aliæ 40. aliæ ad 60 diem deveniunt*: de hoc etiam est Galeni judicium in hujus sententiæ Comm. *Raro rumpuntur suppurationes die septimo, quædam diutius immorantur, de quibus nunc agit: cæterum differentiæ omnium communes habentur, ob quas spatio temporis evariant, interse ex affecto sed & exuberante humore; sedes enim calidiores ac humidiores citius suppurant*, (ideo fortasse in pulmone citius advenit suppuratio) *frigidiores vero, ac duriores, tardius: & ideo, quæ fiunt in pectore, tardius rumpuntur*. Hæ quidem secundum rei substantiam differentiæ sunt, porro accidunt extrinsecus eæ quæ ab ætate ducuntur, natura, tempore, terra, conditione, ac viribus ægroti. hæc omni suppurationi sunt communia; sed nobis videtur nunc quoque docere de iis, quæ in thorace & pulmone adveniunt; de quibus sic Hippocrates in contextu 58. *Considerare autem oportet, suppurationis initium fore, colligentes à die quo primum homo febricitavit, aut quo rigor eum apprehendit, & si dixerit pro dolore, sibi inesse pondus in loco quo dolore afficiebatur*, (*hæc enim fiunt inter initia suppurationum*) *ex hoc igitur tempore expectare suppurationum fore eruptionem ad prædicta tempora oportet*.

Hipp. 2 Prog. 57. & 3 Prog. 9.

Hipp. in Context. 58.

Ad hujus sententiæ intelligentiam, illud nosse est maximi momenti, Hippocratem tantum loquutum de ea suppuratione, quæ sequitur dolorem, aut inflammationem; in quibus non est ferendum judicium, à prima die incipientis doloris, aut inflammationis, sed ab illa qua omnibus auxiliis peractis debebat præfiniri, veluti à septimo, aut à 14. nam si ab hoc die dolore, febre & inflammatione remissis, nova accidentia incipiunt, nempe febris, horripilationis, aut rigoris, & pro dolore pondus, tunc nulli dubium erit, suppurationem ab hoc die incipere, quod utplurimum solet esse ab aliquo die decretorio, quo natura novos assumit conatus ad suppurandum illud à quo urgetur, aut alias suppurare non valuit; & ab illa ruptionem expectare oportet, secundum humoris ideam & locum, ubi illa suppuratio celebratur; nam ideo dixit Hippocrates, in 14. 20. aut 30. &c. Secundum considerationes quas in Galeno legimus; in hujus sententiæ Commentario, ut quoties inflammationes, quæ sunt in partibus præcipuis, haudquaquam discutiantur, adhibitis subsidiis, sed suppurentur, rigor tunc fiat; ac post ipsum febris ex puris nempe acrimonia resudati, vicina dum corpora mordet; ac febrem prius dicens à die qua primo homo febricitavit; non illum declarans diem qui totius ægrotationis extitit primus, sed quo rigor una cum febre vehementiore, scilicet, admodum, quam anterior existente concidit; quin etiam ponderis evenit sensus, tunc ægrotis, cum humor in multas & exiguas partes dispersus in partibus inflammatione laborantibus, post mutationem in pus, colligatur ad aliquam sedem inanem, continuam omni parti, quæ inflammatione laboret; ex hoc igitur tempore, quo primo hæc extiterunt, expectare oportet & 20 die & 30. & 40. & 60. rumpi suppurationes; nempe secundum affectæ partis dignitatem, & humores, aut calidos, aut frigidos, ægroti naturam, ætatem, conditionem & temporis statum.

Transeat hæc doctrina, ut ex natura ducta, ratione & experientia confirmata; si tam suppuratio non sequatur dolorem nec inflammationem: sed tuberculum tantum per congestionem genitum aut confluxum, humoris coctibilis, quæ nobis signa erunt, & suppurationis, & quando ruptio in illo expectanda, 20. 30. &c. hujus problematis resolutio petenda est partim ex antedictis, & partim ex iis quæ sequuntur; diximus enim quod fortuna esset, si à calidis humoribus tuber-

tuberculum inciperet, sive per congestionem, seu confluxum ut suppuraret, & rumperetur citius: & à contrario, si à frigidis aut incoctibilibus; utrunque tamen spirandi difficultate, & recenter oborta spiritus angustia innotescit, quando citissime aut lente properat, pristino statu, & ad summum ascendit, quibus necessario dolores etiam & febres intenduntur; cum attentione legite quæ in hoc casu diximus: & attendite ad ea quæ Hippocrates, in text. 6. hujus libri, signa suppurationis jam fientis, jam factæ, expendenda proponit, & postea quæ in text. 61. sic prosequitur: quæcunque ergo suppurationes, inquit, diutius immorantur, hæc habent signa, quibus admodum credere convenit; quæcunque vero breviores sunt, aliquo ex his indicantur signis, qualia inter initia existunt: & item, si æger difficilius spiret; quæ nam sunt ista signa? prosequitur, principio si febris non dimittit, in noctu vehementior: si sudores multi, tussiendi cupiditas absq; excretione; oculi cavi redduntur, maxillæ ruborem contrahunt, digiti incalescunt, pedes tument & neque cibum appetunt; si ergo daretur, quod patiens tuberculum per hæc omnia sicco pede transiret, non tantum per dies, sed per hebdomadas, aut menses, sed tantum pondus in pectore sentiret, solo difficili spiritu, & quodam pectoris offendiculo, & suppurationem & ruptionem, ad longum tempus expectare, par erit? & prudentis judicii, principium attendere, quo alia accidentia ab his longe diversa incipiunt, nempe suppurationis ante dicta; & ab illis reflexionem facere ad ruptionis tempus, nam si à suspicione tuberculi, ad illa signa parum intersit temporis, breviter etiam ruptionem expectare, erit secundum rationem; si vero longius à suspicione, seu ab evidentia tuberculi, suppurandi indicia incipiunt, longius etiam ruptio protrahetur: & secundum hanc regulam, & quæ antea legimus conjectura veritati proxima, in 20. 30. 40. aut 60. illam ruptionem expectabimus: & si forte tuberculi vera adsit præsumptio, sed nulla suppurationis signa innotescant, quid inde sperandum? unum duorum, aut suffocationem, si adeo extuberat ut vias respirationis intercipiat; aut læthalem omnino ruptionem tuberculi, humoris corrumpentis longa mora putridi aut corrupti: & hoc ad longum tempus: arguit enim illa summa tuberculi obstinatio, summam incoctibilitatem in humore incluso.

Hipp. text. 62.

Hæc omnia Hippocrates text. 62. nos per hæc verba docuit; *Quæ vero citius, aut tardius rumpuntur, talibus cognoscantur signis oportet: si dolor inter initia fiat, & item difficultas spirandi, nec non tussedo, atque etiam sputatio habens perseveret, vigesimo expectari, aut etiam antea ruptionem oportet: si vero sedatior fuerit dolor, & alia omnia fuerint ex ratione, his posterius expectari oportet eruptionem: sed accidere necesse est, & dolorem & spirandi difficultatem, & sputationem, antequam pus excernatur*; sic in Commentario Galenus: *Ex his ipsis indiciis, ut celerius id accidat, cognoscas licebit, ea sunt dolor, difficultas spirandi, tussedo & sputatio*; attende ad ea quæ sequuntur: *si igitur continenter, & vehementer infestent, celerem fere significat eruptionem: si vero nec continenter affligant, nec vehementer, diuturniorem: cæterum necesse est, cum corpus obvolvens pus, derodatur, ab ejus acrimonia dolorem fieri, ob id ipsum: tussedinem, vero & sputationem, quia ichor jam quidam tenuis, obductum penetret corpus: spirant difficulter, ob universam morbi conditionem, sed maxime propter accedentem dolorem*: ad hæc sequuntur signa ex illa ruptione evasuri, aut morituri, quæ tu leges per otium in textu 63. hujus etiam lib. Prognosticorum, quæ prosequitur lib. 1. de Morbis, text. 71. pure in pectoris cavitatem & supra septum transversum dilabente; licet inde sectus, aut ustus fiat; & in hoc cum præcedentibus coincidit: sed quædam addit, huic argumento utilissima: *Si vero*, inquit, *& tempus longius protrahatur*, (nempe à ruptione) *& ipse debilior fiat, & per sputum rejicere nequeat, sed ustus aut sectus, & pus exeat, statim quidem, & sic melius habere videntur, verum tempore procedente perimuntur*; *ab eisdem quæ relata sunt.*

Galen. in Comm.

Libenter ideo hanc sententiam exponendam suscepi, ob frequentes inter nos conferentias, an & quo tempore empyrici, urendi aut secandi? plerosque enim, & ustos & dissectos adhuc pure extracto vidimus periisse, ob illam solam causam, quam Hippocrates refert in hoc loco: seu quia dum ruptio tuberculi longius protrahitur, partes continentes jam corruptæ evadunt; & illud est indicium, quod debilior fiat, & nequeat per sputum rejicere; necessaria imbecillitatis consequentia, ad similem statum jam perductus: quare licet ustus, aut sectus pus exeat, tandem tamen à malignitate & putredine, ulcere derelicto tabidi perimuntur: quod si non ex illo principio, aliud gravius inde periculum emergit; nempe ex pravi & corrupti puris vicinitate; nam dum in collectione longius continetur, deterius corrumpitur, quare licet postea exeat, exitu puri dato, ex illo quod superest in septi cavitate, pulmo facilime afficitur, & partes continentes, ad quas pus illud jam corruptum dilabitur; ex quo certe periculo edocti, aut debemus consulere, quod quibus longius hæc protrahitur ruptio, & ideo debilibus, neque ustio, nec sectio inducatur; quando frustra suscipi speratur: sed in illis tantum, quibus intra 14 dies, saltem intra 20. hæc rumpitur collectio, maxime dum adhuc constant vires, quæ puris eductionem, ut & anacatharsim ferre possint; nam pure supra septum transversum dilabente, non adhuc longa mora, solet affectus penitus incurabiles inducere, seu inibi mora deterius putrescens, seu partes læthaliter afficiens; quo in statu, neque sectio, nec ustio proderit; illa enim tantum saluti erit, dum labem indelebilem partes puris vicinitate non contraxerint; nam tunc nulla alia salutis spes restat, nisi adaucto pure, antequam deterius & graviori periculo putrescat; quod belle Hippocrates nos docuit, 1 de Morbis 30. quando dixit: *Hic si uratur, aut secetur, priusquam diuturnum fiat pus, sanus plerunque evadit*; & attende, quod non *semper*, sed *plerunque*, dixerit.

CAPUT VI.

De lateris & Pectoris tuberculo, ad differentiam Tuberculi Pulmonis.

Variis in locis de hac tuberculi specie nos Hippocrates monet; nam libro 1 de Morbis,

bis, text. 72. hujus tuberculi memoriam reliquit; *Porro*, inquit, *in latere fiunt tubercula, à pituita & bile eadem ratione qua in pulmone*: jam superius vidimus quomodo in pulmone generentur tubercula; nempe per congestionem intra quandam pelliculam, seu in parvo spacio materia collecta, seu per defluxum congregata materia, seu suppuret, aut aliter; seu à causa interna, aut externa: ab interna enim solet ex bile & pituita causari, mixtis aut separatis: ab externa, quomodo etiam generetur ab Hippocrate, serio etiam judicio adnotatur in textu subsequenti, quando nempe à casu labore vehementi intra pectoris cavitatem vena rumpitur: hæc sunt senis prudentis verba: *Fiunt etiam à laboribus, cum vena aliqua tracta, rupta fuerit, non tamen penitus rupta, sed ita, ut acutus tractus in ipsa factus sit: siquidem igitur rupta fuerit, statim sanguis è vena effusus putrescet & suppuratur*; mos Hippocrati fuit suppurationem appellare *tuberculum*, nobis tamen illam collectionem alio nomine insignire magis placuit, nomine ab illius principio deducto, nempe illam ad *aneurismatis* species reducere: hoc enim dupliciter solet accidere, seu dum ex duabus tunicis venæ, una tantum dirupta, altera dilatatur, sed sine ruptione, in qua apparet manifesta pulsatio; seu ambabus tunicis similiter disruptis, ut circumcirca partibus circunstantibus coerceatur sanguis in collectionis aut in tumoris fabricam, ubi necessario putrescit extravenatus sanguis, ut Hippocrates dixit: & si in hoc casu tuberculi rationem meretur, erit sanguinis, & non alterius humoris; cujus essentia in solutione unitatis consistit, & in sanguinis collectione tumorosa; si non forte percussione, aut casu, in interna pectoris regione echymosis inducitur, parte intus contusa, si non dilacerata, qua sanguis extra venas profusus, & ab ineffabili naturę magisterio derelictus putrescit, quo aut partem corrumpit, aut tuberculum suppurando disponit: de hac etiam specie variæ sunt venarum avulsionis sortes; de quo etiam variæ leguntur Hippocratis sententiæ, lib. 1. de Morbis, text. 72. ad 100.

De hujus tuberculi signis ex Hippocrate.

Quod si in harum venarum avulsione acutus tractus fiat, (jam ad signa Hippocrates procedit) principio quidem, inquit, dolorem exhibet, & pulsat, progressu vero temporis distribuit vena sanguinem in carnem, atque hic in carne putrescens pus fit; hæc aneurismatis species in eo tuberculi formam æmulatur, quia avulsæ venæ in altum in loco avulsionis attolluntur, & proprio è loco avulsæ tunicæ in aciem acuminatam aut latam extuberant, unde tuberculi forma, sed vera tubercula non sunt, nisi quando expulsus foras sanguis in puris formam suppurat; sed hoc qualecunque tuberculum, à principio dolorem parit & à sanguine prosilire cupiente pulsationem; sed temporis progressu, unum duorum sequitur, aut suppurationem, aut gangrænam; nam si ille, qui extuberat, sanguis pravæ conditionis est, potius in putredinem quam in pus degenerat; unde corruptio fatalis partis in quam decubuit: si vero sanguis partis avulsæ degenerat in inflammationem, (ut ex Hippocrate hic colligere licet) illa suppurat, & tuberculum inducit suppurabile: illa tamen nobis semper de mente Hippocratis extitit dubitatio; nam si de inflammatione illi levis esset suspicio, de febre necessario faceret mentionem, & loci affecti, & proprii affectus ratione: non potest enim intra thoracis regionem induci inflammatio absque febre; aliter enim signum pathognomonicum non esset in pleuritide, ut Galenus nos docuit; neque nobis arridet in hoc casu cujusdam neoterici nota, nempe pulsationem esse præcipuum inflammationis indicium: non inficior, esse inflammationis suppurabilis signum, sed in hoc casu potest esse indifferens, ad aneurisma & suppurationem, ut adhuc paululum in medicina versatis sępissime innotuit, adhuc ubi omnis inflammationis suspicio excluditur.

Hæc est una tuberculi thoracis species à præceptore tradita; de alia legitur 2 de Morbis, text. 136. per hæc verba; *Cum in latere tuberculum fit, tussis emergit dura, & dolor, & febris, & gravitas in latere incumbit, & dolor acutus, semper in eodem loco urget, & sitis vehemens, & calidum potum aversatur, & in dolens latus decumbere non potest, sed in sanum: at ubi decumbit, velut lapis pondere ipsi videtur, & intumescit, & rubescit, & pedes tument*; hic Hippocrates tantum de inflammatorio tuberculo nos edocuit; non de crudo, & longe à suppuratione alieno: in hoc enim nec est dolor, nec febris, nec res alia, de quibus in hoc loco Hippocrates advertit; attamen hoc & illud dupliciter advenire ex ipsa Hippocratis doctrina colligitur; seu à bile, aut pituita, à capitis distillatione confluente, seu per ipsas asperæ arteriæ canales, ut exinde ad lateris parietes accidat, seu per ipsas capitis venas ad thoracis venas sibi consociales: sed sub hac differentia, ut interdum ad cavitatis superficiem materia extuberet, & tuberculum faciat: seu ad pectoris interna, ut musculos etiam intercostales coafficiat, & partes alias, ex quibus illa thoracis regio componitur: & in hoc casu dicitur ad interna turgere, respectu externæ thoracis tunicæ, in illa ad externa: & interdum, licet raro musculos & tunicas penetrat, ut ad externa potius turgere videatur; quod etiam colligitur ex Hippocrate in sequenti sententia 137. quando dixit: *Hunc secato aut urito, postea pus emittito, atque ad decimam diem linamentum ex crudo lino indito, dum nempe rumpitur ad externam corporis superficiem.*

Hipp. 2 de Morb. text. 136.

Ibid. text. 137.

Hujus etiam tuberculi signa, crudi & suppurati, sunt valde similia signis tuberculi pulmonis; nempe pondus, tussis, difficilis spiritus, & tandem sanguinis & puris excreatio: sed in pulsu illa tantum differentia adnotatur, ut in hoc cum manifesta duritie, celeritas, aut tarditas adveniat, pro tuberculi tempore: & in loco tuberculi dolor magis excruciet; nam in pulmone, aut nullus est, aut fere perexiguus, quia caret sensatione pulmo, excepto in membranis: quo hujus tuberculi historia finitur, quia jam nos vocat utriusque curatio.

CA-

CAPUT VII.

Auxilia ad varios tuberculi status per indicationes adinventa: incipientis, progressi, confirmati, & tandem suppurati.

Hæc tubercula sub duplici differentia suscipies curanda, vel cruda, & incocta, quæ aggregata generantur materia, & per congestionem genita in parte ubi tuberculum adnascitur; vel etiam causata per defluxum, seu à capite, seu à vicinis sedibus, dum ad pulmonem diffluit, seu ad aliquam pectoris regionem; illa cruda tubercula vocantur, quia non suppurant, sed diuturno tempore permanentia, & indies aucta, alteram dispnœę & asthmatis speciem à crudo tuberculo causatum inducunt, & tandem nisi medicamentis validioribus discutiatur, suffocant.

In tuberculo crudo, seu suppuret, aut aliter, si in illa cruditate perseveret, potest verti in dubium, an in illo sanguinem mitti conveniat; nam Hippocrates 4 Acut. 21. in orthopnœa ex collecto pure sanguinis missionem condemnat; in cujus Commentario Galenus, hic status, inquit, non sanguinis, sed puris eductione indiget: Ætius sentit contrarium; nam lib. 8. c. 65. præcedente inflammatione in suppuratis venam cubiti secare audet, si nihil prohibet; sed in moderata quantitate: & duplici nititur ratione, & ut leventur accidentia, & ne à venis ad partem confluat suppuratam, quadam revulsionis sorte, quod nos certe probamus antequam rumpatur suppuratio, si febris & difficilis suppuratio urget; si vero tuberculi ruptio jam præcessit, seu per congestionem seu per defluxum, licet antea præcessit inflammatio, jam nulla sanguinis missionis est occasio; quia ut belle Galenus dixit, tunc puris eductio est prima indicatio, & cum hoc jam extra venas stabuletur, non potest per illas vacuari; quo prima mittendi sanguinis deficit indicatio: & secundo, quod jam vires deficiant, spiritibus omnino exolutis puris malignitate, si non jam copia suffocatis. quibus etiam rationibus nec à nobis probatur medicamentum purgans, quia pus anacatharsi per loca sibi consocialia securius educitur, utpote per loca conferentia: & non ita facile ad ventrem derivatur, ab illa pectoris regione, ab arte, uti fit à natura; suæ conservationis certo gnara; præterquam quod pus & materia in pectore contenta, semper ad ventrem ducitur graviori periculo; ut Hippocrates adnotatum reliquit, lib. 1. de Morbis, text. 43. quando dixit, & sputi sursum purgatio, non æqualis contingit, alvo nimium calefacta & omnia deorsum trahente, in se ipsam, & à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à ventre vero fluente, debilitatur, & plerunque moritur; forte quia pus, per cordis ventriculos, ad cavam descendentem, & ad ventrem ducitur; nisi Alexandri Tralliani consilium quis sequi velit, quando in hoc casu lac consulit Asininum, bubulum, aut caprinum; seu leniendi gratia, seu laxandi, sive detergendi & instaurandi.

His tamen non obstantibus, in crudo tuberculo & non suppurato, si cœpit per defluxum, nobis videtur à sanguinis missione incipere, sed moderatissima quantitate; nam prima incipientis tuberculi indicatio, est humoris motum compescere, dum fluit, aut alio avertere fluentem; quoniam non datur augmentum, ubi non datur motus, & hic sanguinis missione intercipitur: neque parum coadjuvat ipsa membri nobilissimi indicatio, & affectus, qui si inveteratur, auxiliis non cedit; & si videatur, à talo tutiorem revulsionem facere, non abnuam, licet hæc non probentur ab illis, quibus ultro aliena despicere, vitium est; postea vero derivare ex brachio possumus, aut à capite, ex carpo manus; & eam propter rationem in crudo etiam tuberculo per congestionem genitum non displicet; illa sanguinis missio, ad partem intemperatam fluat ex sedibus vicinis, quod paratum est fluere: & ne forte attrahatur ab ipsa partis caliditate; nisi absolute contraindicans superet potiori urgentia.

Sed quod (in mea sententia) magis videtur, necessarium est, crassam & viscidam humoris supervacui multitudinem, (ne ulterius in mali causam cedat) medicamento purganti vacuare: hoc enim auxilio præcavetur augmentum, antequam in summam desperationem cedat malum: & non quovis leviori auxilio, sed adhuc violento cathartico, aliter enim, non cedet grave malum; sed prius abstersione, coctione, & incisione procuratis; quod nos facimus rhodomelle ex saccharo, de miva cinnamomi, tertia parte addita, cum syrupo de hyssopo, & liquiritia, addita de oxymeli aliqua portiuncula; quo peracto, primam regionem expurgamus syrupo de filicula & persico, cum decocto pugini; ac postea, pilulis de agarico & aggregativis, seu de nitro an. ʒß. cum g. tribus diagridii: quæ si ex voto non cedant, non dubito, grana 4. stibii vino albo infusa, ex sola infusione propinare, stibii fœce foras pulsa; nam talis est violentia hujus atrocis morbi, ut nos ad violentissima auxilia compellat, non semel tantum sed & per intervalla, antequam confirmetur; quod si pedes tumescere incipiant, cum aliqua suspicione hydropis, hoc accipiat, ℞. succi ebuli, & sambuci, an. ℥j. rhodomellis ℥jß. chocolatis selecti ℥iij. accipiat: vel in aqua scorsoneræ aut borrhaginis calida, neque vomere timeat; aut ℞. turbit. Soldanellæ, senæ, & rhabarbari an. ℈j. anisi & spicæ an. ʒß. infundantur in aquæ cichorii ℥vj. & coletur & detur ad ℥ij. cum guttulis olei de aniso, aut cinamomo.

Quod si in his supra cruditatem prævalet inflammatio, & febris, mitioribus est agendum auxiliis, in sanguine mittendo audaciores, seu in pulmone, seu in pectore incipiat tuberculum: at de medicamento purganti non ita libere cogitandum, nisi sub aliqua remissione febris & inflammationis.

Quod si his omnibus non cedat, cruda & incocta tuberculi materia ad discutiendā imbibitam, & impactam oportet devenire; (nam illa sunt incipientis & progressi auxilia, hæc confirmati) quod si non consequamur, nulli dubium sit, quod ægrum suffocabit; & inter illa, nostro judicio, primas tenet in tuberculo crudo, quod nulli cedit auxilio, vinum illud, quod Soranus, medicus antiquitate celebris, proponit in Isagoge ad Artem Medicam, cap. 20. quod recipit metis salviæ,

viæ, (hoc est domesticæ cultu mitificatæ) ℥j. piperis, cinnamomi, ℥j. cariophyllorum ʒijß. piperis longi, zinziberis, ʒij. spicæ ℥j. mellis despumati phialas 33. vini veteris generosi phialas 30. confice, ut mos est, ut præclara & suavis potio sit ad bibendum, & singulis diebus jejunus bibat, ante & post cibum; & multa salus operatur in corpore: Joannes Heurnius aliam vini hipocras condituram proponit longe validiorem, non in communem usum, sed ut de illo guttulæ misceantur, cum vino generoso, & sub eadem intentione consulit propinandum, ut ℞. aquæ ardentis ℔. ß. cinnamomi elect. ℥j. zinziberis ʒv. cariophyllorum ʒiij. nucis muscatæ n. v. granorum paradisi, & piperis, an. ℈j. & in vase vitreo misceantur, bene obturato, per sex dies quotidie bis aut ter agitato, ac postea de hoc vino guttulæ vino odoro misceantur; ad hoc etiam poterit inservire vinum communiter dictum hippocras; excepto in vere hypochondriacis per ustionem genitis, quoniam in his omnia excellenter calida graviora concitant accidentia; concedi tamen potest, ventriculo frigidis & flatuosis.

Sub hac etiam intentione militant theriacæ veteris, & mithridati usus, ut si quotidie singulo mane accipiatur ʒj. aut hujus aut illius in selectissimo chocolate, aut vino generoso; nam ad discutiendos crudos & rebelles humores, Galen. 8. Meth. 7. utitur ambrosia, theriaca, Athanasia; & 4 de Locis 7. in simili casu: *Atque dedi in potu*, inquit, *ambrosiam, Athanasiam, theriacam*; his etiam utitur 7 secundum Locos 3. uti potione riphali multis commoda, quæ vocatur menodorios & ambrosia: & 2 de Antidotis 8. ambrosia, inquit, quæ dicitur Philippi Macedonis ad venena & internos corporis morbos utitur; & in cap. 10. Antidotus Archivis, inquit, quæ ambrosia & sacra cognominatur, ad omnes internas affectiones, ex aromatibus & melle conficitur; hac etiam utebatur, Galenus 14. Meth. 12. ut etiam theriaca ad viscerum abscessus, (nempe ut tubercula) frigidos, utpote quorumvis collectum humorem, tum in halitum resolvat, tum digerat; qua doctrina edocti possumus theriacam, mithridatum, ambrosiam, elenii radicem & farfaram, hyssopum, & liquiritiam, distillare, ac de illa distillatione, ad ℥iij. quotidie calidam exhibere, cum sulphuris ℈j. ut ad discutiendum reddatur efficacior; seu ʒß. sulphuris in vino, aut chocolate miscere, aut in hydromele: his & aliis etiam possumus aceti schilitici, aut mellis ex schila confecti portiunculam addere, ut recondita penetret, digerat, & resolvat; hoc etiam mirabiliter præstat sulphuris ℈j. in aqua melissæ, sarsæ, aut elenii, seu illius decoctum; si bis in die sumatur, ante cibum & cænam.

Inter hæc tamen convenit exhibere catharticum aliquod ex prædictis sexto quoque die, aut septimo; seu, ut alio avertatur, quod fluit ad tuberculum; seu ne ad dolentem locum attrahatur, & ut aliquid de imbibito etiam educatur; classicos viros etiam video smilacis decoctum propinare; nam Salius, ego aliquando, inquit, ad decoctum sarsæ parriliæ, tanquam ad medicamentum valde discutiens, deveni; & eo morbum lenivi; quod idem tamen in antiquato exhibui, & nihil profeci; hæc & alia actu calida exhibere, semper consulo, sunt enim frigida pectori inimica; quod si necessitas consulat, ad hoc auxilium devenire consultissimum judico, quod paretur hoc modo; ℞. sarsæ parriliæ ℥iij. hermodactylorum ʒij. radicum elenii ℥jß. decoquantur in lib. 4. aquæ & una vini, ad medias, ac de hoc decocto uncias 4. quotidie accipiat, cum sacharo; & si ad sudorem inclinet, paretur cum radice scorsoneræ, & elenii; non enim displicet iis sudorem provocare, ad 12. seu ad 20. dies additis ligni sancti ℥jß. radicis chinæ ℥j. & sine hermodactylis; si sudare intendis; de hoc syrupo potest uncias duas quotidie accipere; ℞. rad. elenii, polypodii, an. ℥j. macerentur in vino per 12 horas, passularum corinthiacarum ℥ij. sebesten n. 12. farfaræ, pulmonariæ, calaminthæ, saturgiæ, an. m. j. foliorum tabaci & liquiritiæ an. ʒij. seminis urticæ, bombacis, an. ʒjß. hæc coquantur in mulsa dilutissima in libris 4. ad medias, & colaturæ adde sacchari albi, ℔. j. cand. ℥iij. & ferveant ad syrupi consistentiam; sin minus, in apocimatis forma propinetur.

Syrupus de Prasio Mesue, (dixit Heurnius) crassa attenuat in asthmaticis; hyssopum & ejus syrupus, leniter abstergit, & calefacit, enula & pulegium, crassam pituitam abstergit; ut syrupus ex Nicociana & tussilaginis; nam hæc herba suffitu vomicas rumpit; quibus addere convenit oxymel schiliticum; ex illis etiam apocimata erunt valde utilia; ut decoctum Guiaci in melicrato; ellegmata, ut & loch de pulmone vulpis, & de succo aut decocto schilæ, cum melle; est omnium auxiliorum valentissimum; ad incoctam & viscidam pituitam; quibus omnibus addere poteris guttulas olei anisi, cinnamomi, & vitrioli; hæc enim potentissime digerunt, cum aliqua corroboratione; loch ex saccharo, butyro & therebinthina lota; est mirabile, ut & solius therebinthinæ usus, in jure calido dissolutæ. pulveres dianisi, diacimini, diairios, possunt in jure aut chocolate propinari, sed securius in hydromelle calido; illa tamen sit semper cautio adhibenda, ut hæc omnia propinentur, ubi nulla est febris; nam febrientibus sunt alia mitiora auxilia eligenda; nam illa calidissima auxilia siccitate expectoratum supprimunt, & parte tenuiori resoluta, lenta materia induit contumaciam; quare, ubi tantum lenta, frigida, & incoctibilis pituita tuberculum producit, & conservat, illa sunt propinanda.

Ad extra haud minus necessaria censentur, quæ fortiter discutiunt; nam levia, nec prosunt, nec ullius sunt usus, maxime in tuberculo crudo à suppuratione alieno; ad hoc inter alia hoc habet mirabilem virtutem, ℞. rutæ viridis ℥ij. butyri recentis ℥ij. therebinthinæ, æsipi, an. ʒj. bdellii, opoponacis, aceto dissolutorum, an. ʒß. euphorbii ℈ß. olei aneti & scorp. quod sat sit, ut fiat emplast. & pectori applicetur, in illa maxime regione ad quam tuberculum inclinat; de hoc etiam fidem non mediocrem habeo, ℞. ranas viventes, n. xij. olei scorpionum, de terebinthina, & butyri vaccini & porcini, an. ℥j. pulv. radicis iridis ʒjß. & de hoc mixto per os impleantur ranæ vivæ, usque dum amplius recipere non possint, & acu suantur ora earum, & ponantur in olla

nova inferius foraminibus pervia, & bene obturata, & interea alia olla supponatur, in loco ignis capace, supra quam imponatur pruna, & circumcirca imponatur ignis, ut ab una in alteram distillet, donec ranæ aridæ præ siccitate reddantur: quas aridas postea triturabis & in pulverem per citaceum mittes: ac ultimo hos pulveres miscebis cum illa distillata pinguedine, quibus addes pulveris marchesitarum ʒjß. Isopi ʒij. sulfuris vivi ʒjß. ceræ Africanæ ʒj. ut fiat unguentum; quo pectoris regionem bis in die inunges, & lana carminata & sulfurata conteges: & est certe mirabile auxilium; vel ℞. cucumeris asinini & ebuli an. ℥ij. coquantur in aceto chalybeato, & lixivio sarmentorum, æqualibus: & malaxatis addes stercoris capræ ℥j cimini ℥jß. hermodact. ℥ij. sulfuris vivi ʒj. olei veteris, ℔.j. in quo ferveant omnia, & facta expressione colletur oleum, cui adde olei therebinthinæ, & euphorbii an. ℥ij. ceræ polidæ quod sat sit, ut fiat unguentum; & si, ut præcedat fomentatio, necessitas consulit, fiat ex decocto ligni sancti, calami aromatici, lavendulæ, salviæ, spicænardi, & farfaræ, & radicis iridis; in vino & aqua sub partibus æqualibus: mire hoc ultimum certe proficuum est unguentum. ℞. olei laurini, camomilli, & olei veteris an. ℔. ß. ferveant in illo flores sambuci ad ℥iiij. & expressioni adde pulveris de ossibus humanis ℥ß. radicis iridis, ʒij. pulv. pulegii ʒijß. ceræ quod sat sit, ut fiat unguentum.

In hoc est pondus hujus curationis, ut suppuratio omnino excusetur, in crudo tuberculo & longius progresso; nam utcunque rumpatur, est vitæ inevitabile periculum, seu repente dum rumpitur, seu postea dum pulmo, puris vicinitate coafficitur.

Si vero excusari non possit suppuratio, tuberculis maxime calidioribus, quæ proxime accedunt ad inflammationes, seu ex bile & pituita, ut Hippocrates dixit, tunc prudens erit consilium, suppurationis opus adjuvare, ne pus partes interius corrumpat, graviori discrimine; quo in statu hoc fotu adjuvetur; ex decocto rad. altheæ, farfaræ, pulmonariæ, matricariæ, fœnugræci, seminis lini, & similibus; deinde ad hoc opus hoc utamur unguento; ℞. olei irini, camomilli, seminis lini, axungiæ gallinæ, anguis, anatis, & medullæ cruris vituli, & dialtheæ compositæ an. ℥ß. muscilaginis, altheæ, fœnugræci, psyllii, malvarum, an. ℥ß. galbani, opoponacis, dissolutis aceto sambucino an. ʒiij. pulveris iridis, marchesitarum, an. ʒß. aceti sambucini & croci, an. ʒß. & cum cera fiat unguentum: his, & similibus aliis, pro hac intentione, uti poteris.

Quod si tandem rumpatur, & ab illa ruptione evadat, (quod non frequenter evenit) est protinus de puris eductione cogitandum, antequam aliud grave malum auxiliis non cedat, sive per screatum, per lotium, aut secessum, quas vias nos natura edocuit, dum per illas interdum ab angenti onere se etiam sublevare conatur, ut Galenus est auctor, dum has vias curiosa anatome monstravit, 4 de Locis in fine; betonica, scabiosa, dixit Heurnius, vomicas in pectore conceptas rumpit, uti & ejus syrupus; quare in hoc casu est ante alia auxilia expectorantibus utendum, ut anacatharsi pus, jam ad pectus prolapsum, educatur; de hoc in practicis est satis longa silva; nos unicum tantum auxilium monstrabimus, quod adhuc in probabili suspicione typsios mirabilia vidimus operari; idque recipit santalorum rubrorum ℥j. hordei mundi, & non excorticati ℥iij, pimpinellæ ℥ß. coquantur in ℔. 4. aquæ ad medias, & in collatura imponatur sacchari albi duri & candidi an. ℥iiij. ut ad punctum syrup. reducatur, lento igne; de quo accipiat singulo quoque mane ad ℥jß. cum aqua scorsoneræ calida, aut borraginis; de pimpinella Heurnius testatur, quod ulcera detergit, siccat, & sanguinem sistit, quo tabidis est utilis; ut & conserva florum hyssopi; de santalis citrinis ulcera pulmonis Salius enarrat mirabilia; & hæc nos in praxi experti sumus.

Quod si nec per anacatharsim, nec per lotium, nec ventrem, puris exitum consequi valeamus, valentioribus auxiliis intus & extra datis; tunc ad Hippocratis auxilia est cito recurrendum, antequam pus partes corrodat, & ulceret pulmonem; & antequam ægrotum ita debilem reddat, ut illa auxilia tolerare non valeat; nempe ad sectionem, aut ustionem pectoris, ubi pus stabulari constiterit; de cujus opere, nos accurate diximus in titulo, an desperatis morbis temerariis uti conveniat auxiliis, &c. & utinam hæc cedant in divini Nominis Gloriam & Reip. commodum, quæ semper in nostris operibus intendimus.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum ſequentem hic immediate Tractatum, ab Auctore, D. Caspare Caldera de Heredia, ex Hiſpaniis æquo ſerius acceperimus, aliis Tractatibus ſuo jam loco impreſſis, non potuimus aliter, quin Eundem huc apponi curaremus: quod, ſi minus deſtinato loco præſtitum ſit, æquo animo Author ipſe, (cujus maxime intereſt) uti ſperamus, feret; & Lector candidus facile nobis condonabit, ea refectus ſpe, quod tam neceſſaria & utili hujus Tractatus parte fruſtrari eum noluerimus.

IVDICIVM
DE
MINORANDI RATIONE,
In vera Philoſophia & praxi Hiſpalenſi.

CONSIDERATIO I.
Hujus judicii.

An in maſſa ſanguinaria humores, dum intra venas perſiſtunt, ſupernatantes, ſeparentur à ſanguine?

Sanguis, prout dicit maſſam ſanguinariam, intra venas eſt, cæteris humoribus permixtus, & per minimas partes conjunctus quadam neceſſaria & naturali unione, in conſervationem univerſi, & eos continet, & coërcet, ut cedant omnes ſimul in corporis alimentum: &, ut partes noſtri corporis, ex illa mixtione, ſibi unaquæque alliciat partem ſibi conſocialem, ſecundum elementi dominatum, quod unaquæque, in principio mixtionis ſortita eſt, (ſeu elementa maneant formaliter in mixto, ſeu tantum virtualiter, ſecundum qualitates) & ne illi humores intra venas ſeparati, redderentur inutiles prædicto alimento, à naturæ regimine deſerti; ſeu ne temperamentum à nativa temperie dejicerent, & à debita ſalute deturbarent, ſi verum eſt, quod temperamentum in unione contemperatarum qualitatum in juſtitia conſiſtit; ergo ſemper ſanguis cum illis debet intra venas commixtus permanere, quantumvis hic aut ille exceedat in ſui productione ſecundũ *partes illius elementi*, quod in illa productione præſtat: eſt alia cauſa illius mixtionis, nempe, ut cæteros humores quibus aſſociatur, contemperet; quod forte compulit Avicennam, ut in humorum ſinceritate, caute exiſtimet, eſſe ſanguinem à corpore detrahendum, quando dixit, & cave ne ad unum duorum perducas, ſeu ad cholericorum ebullitionem, ſeu ad frigidorum cruditatem: tam neceſſaria eſt ſanguinis commixtio; quo fit, ut illos vehementer coërceat, & habeat commixtos toto tempore, quo intra maſſam ſanguinariam commiſcentur; nam toto illo tempore partes maſſæ ſanguinariæ ſunt; dum vinculo naturalis unionis conſociantur.

Eſt & aliud tempus quo aliquando ex illa mixtione ſeparari contingat; quando, nempe, alii à ſanguine humores, bilis aut melancholia, ita ſuperabundant, aut tam magnam contrahunt acrimoniam, ut vinculum unionis abrumpant; & tunc naturam ad ſui expulſionem, ita crudeliter irritando impellunt, ut illos ſeparet à ſanguinis conſortio & extra venas expellat; & tunc proprie cacochymi redduntur, quo in tempore hos irritantes ſuccos natura concitata venenoſo genere ad alias cavitates expellit, interdum ad ventriculum, & vomitum concitat bilioſum, aliquando ad ventrem, bilem, aut melancholiam, cum nigras dejectiones parit; abſque ulla ſanguinis mixtione; tunc enim natura, ſuæ conſervationis gnara, non tantum illos ſeparat à ſanguinis conſortio, ſed ad alias cavitates, & turbat, ut à furentis periculo laboretur; ſunt enim tales maxime turgentiæ expoſiti: illud etiam accidit, pravos & ſinceros humores extra venas produci, & ab aliqua lapſa intemperie, ut accidit in æruginoſa, & porracea bile, in ventriculo, & atra, & aduſta melancholia in venis meſaraicis: ſed de hoc non eſt quæſtio; ſeu quando à folliculo fellis attrahitur, ubi tantum permanet impermixta, ſi credimus Galeno, libro de Uſu partium.

Sed in priori caſu, natura ſemper conatur ſanguinem retinere toto tempore, quo ſuam ſervat formam, etiamſi in via corruptionis ſit, quia, dum illam retinet, utcunque alteratus, ſuum commiſcendi & coërcendi reliquos humores ſecum

cum proprium munus observat; & ideo, dum intra venas sanguis persistit, massæ sanguinariæ retinet rationem.

Ex quo plane convincitur, quod, utcunque humores supernatent intra venas, seu per additionem multitudinis, seu per distantiam à sanguinis natura & temperie, (dum manent intra venas) quod illis sanguinis missio debeatur, non purgatio, nisi forte peracta coctione; nam sanguinis missio indicatur à solo sanguinis vitio, (omittit alias indicandi rationes) utcunque vitietur; & hic tripliciter vitiari contingit; in propria substantia, sive ustione, aut putredine, seu pravorum succorum consortio, seu dum movetur motu inordinato: quare, utcunque sanguis aliorum consortio, aut proprio vitio vitiatur, dum manet intra venas, sanguinis missione demitur aut corrigitur, saltem per accidens, humore vitiante simul cum sanguine detracto; patet, nam detracta causa morbi, quæ alioquin ex his vitiis morbum fovet, morbus ipse curatur; & potest dari casus, quod adhuc supernatans & separatus humor, extra venas expulsus, indicet sanguinis missionem, & non purgationem; nam licet acrimonia sit solius purgationis indicans, alias petit conditiones ut veniat in usum actualem; nam licet unum indicet unum secundū varias indicandi rationes, potest diversa etiam indicare; sit casus ex hypothesi, ut natura, à pravo humore irritata, illum ad principale membrum compellat, cum corruptionis, aut vehementis alterationis periculo; seu ad ventrem, cum febre majori moderata: in hoc casu sanguinis missio à morbi magnitudine indicatur, quantumvis ab irritatione indicetur purgatio; nam ista indicatio locum habet, in quantum à fortiori contraindicante non superatur; & ex hypothesi, indicante & contraindicante æqua lance libratis, in urgentia citius periculum minatur, membri principalis vehemens alteratio, quam sola humoris irritatio; sit etiam exemplum vomitus meræ bilis, aut secessus atræ & adustæ melancholiæ, quæ à venis ad has vias à natura lacessita propellantur; seu à lapsa hepatis intemperie, seu tandem ab humoribus venis effervescentibus; quid in hac indicationum complicatione, eligendum existimas? nonne, illa venarum plenitudo erit prius demenda, ex qua conservatur & fovetur affectus jam productus? numquid illa morbi magnitudo sub illa multitudine potiori urgentia sang. miss. indicabit, quam sola præcisa irritatio? mitto quod vomitus meræ bilis singultum immedicabilem minetur, aut inflammationem; & atræ bilis secessus incurabilem forte dysenteriam; & interdum urgentia non tantum attenditur penes morbum productum, sed penes illum qui potest advenire; Galeni est doctrina in lib. de Sang. miss. &c. patet etiam in causone spurio & legitimo, quantumvis pituita salsa, aut bilis supernatet; hic sanguinis missio à sanguinis vitio indicatur, & ab irritatione purgatio: quam ergo indicationem, tu præferendam putas? illud semper in auxiliorum electione desideravi, ut prudentia superet præceptorum imperia; nam hic & nunc, non bene, solis nudis præceptis moderatur; & dirigit prudentia præcepta.

Et si quæras, quare, & unde humores intra venas supernatent adhuc commixti in massa sanguinaria, sive sit naturali statu, seu præternaturali, manente sanguine sub propria forma: & illam humorum mixtionem conservante? respondeo, quod quatuor humores producuntur in hepate, in statu naturæ aut præternaturali, & secundum illam elementi portionem, quæ prævalet in mixto à quo determinatur potentia producens, talis producitur: nam si calida prævalet, calidi humores producuntur ab intrinseca hepatis forma, & reliquarum partium, in quibus temperamentum substantificum est præversum versus majorem copiam partium calidarum elementorum; aut contra, hoc accidit statui naturali; si vero in statu præternaturali, hi quatuor humores sint in venis commixti, seu in hepate, seu aliter producti, ille præternaturalis calor pullulat à forma humoris, aut spiritus, seu putridi, aut usti, sive quomodolibet alterati: & idem intellige de aliis intemperiebus, in quovis statu producantur; nam in humore, aut spiritu à forma illius humoris producitur determinata à temperamento substantifico & reliquarum partium præversa versus majorem copiam illius elementi, quod talem intemperantiam inducit; aliter accidit in partibus viventibus; nam ille præternaturalis calor à forma cordis viventi, velut à principio intrinseco, producitur etiam determinata à temperamento substantifico secundum portionem illius quod prævalet elementi. Illa tamen præversio nec in statu naturali, nec præternaturali (dum sanguis in massa sanguinaria manet sub propria forma) humores intra venas non separat: nam illi in illa mixtione coërcentur, inquantum sanguinis massa non corrumpitur, nec cogitur natura, ut ob sui conservationem illos separet; ob rationes antea prælibatas: sunt enim sub protectione naturæ gubernantis, nec ab illius regimine derelicti. probatur ultimo ex Hippocrate 1. Epid. Sect. 2. text. 63. ubi de febre ardente eloquitur: *Febribus autem ardentibus hæc accidebant, quibus rite & largiter sanguis per nares erupit, ea de causa maxime servabantur*, &c. Ergo, quia bilis (licet supernatans) quæ erat causa talis febris, simul cum sanguine vacuatur: nam perfecta crisis non datur, nisi morbi causa ablata; quod idem accidere videmus in debita sanguinis missione, quæ, suo loco, & tempore oblata, morbum solvit; veluti in causone, & tertiana: & sunt certe quædam veritates, quas ita sensus probat, ut alia non indigeant ratione; nam idem accidere cernimus hæmorrhoïdibus, aut mensibus fluentibus, si in bona quantitate suo tempore fluant; quod non accideret, nisi bilis, quantumvis supernatans, cum sanguine in venis deferatur sub illa mixtione, quam dicebamus antea.

Hipp. 1. Epid. Sect. 2. text. 63.

Probatur ultimo, quia dupliciter possunt dici permisceri bilis, pituita, & melancholia cum sanguine uno modo, per veram mixtionem, quæ est miscibilium alteratorum unio, formis corruptis, & substantifica alia forma superveniente illis, per quam aliud mixtum resultat; (ideo non miraberis, si febris quæ per impares antea movebatur, nunc ad pares vertatur, dum forma massæ sanguinariæ mutatur, nam ea mutata, mutatur & periodus:) seu secundo, per commixtionem, ratione cujus non corruptis miscibilium formis super-

supervenit quid aliud ex illis, quod accidentaliter commixtis miscibilibus supervenit;& sic manent permixti, sed sub propria forma quisquis humor, licet omnes permixti: quæ ideo sanguis dicitur, tanquam reliquorum forma, quia in illa humorum mixtione dominatur; & sic vere dicitur massa sanguinaria ex quatuor humoribus constare, prædominante tamen sanguine in illa mixtione; quatenus à natura omnes simul vinculo naturali gubernantur: patet, quia licet omnes humores sanguine commixti simul putrescant, licet unicuique competat, propria repetitio, fit tamen febris servans eundem tenorem, quia sanguis, cum quo commiscentur, cæteros in quantitate superat; & ideo se habet ut reliquorum forma.

CONSIDERATIO II. in praxi Hispalensi.

Ad quæstionem de Minorandi ratione, ubi fundamenta, D. Doctoris Antonii Ponce de Sancta Cruce impugnavimus: nunc alia expendimus, D. Doctoris Ioannis Bravi de Sobre-Monte in Medicis Resolutionibus.

Pleraque oportet, antequam ad quæstionem veniamus prælibare; primo, quod Cacochymia, (uti ab antiquis & recentioribus definitur) est corruptela, pravitas, seu vitium, alterius à sanguine humoris: in quo autem pravitas illa, seu vitium consistat, non æqualiter ab omnibus expenditur. Sennertus cacochymiam dixit, quando humores alendo idonei non sunt, sive intra sanguinis massam, sive aliter quantitate & qualitate, fiant alimento inutiles;& his addidit Ponce, sive etiam supernatantes fiant. Sic Carrerius, Massarias, Mercatus, Mercurialis, &c. Doctor tamen Bravius de Sobre-Monte vitium esse existimat cujusvis alterius à sanguine humoris; sed si intra sanguinis massam continetur, non esse cacochymiam, imo sanguinis vitium, donec à sanguinis consortio separetur: ex quo judicat, solam illam dici debere cacochymiam, cum humor à sanguine redundat, vel ab ejus consortio separatur; vel in ejus consortio supernatat; tunc enim existimat, quod supernatans humor à commixtione sanguinis & reliquorum humorum separatur; & jam tunc non esse partem sanguinis, neque illius vitium, sed solius humoris qui supernatat; & ideo, ubi talis humor prævalet, est vera cacochymia? seu ubi ratione quantitatis aut qualitatis, taliter superat sanguinis quantitatem, ut sub illius consortio stare nequeat: nam hoc, aut illo modo, dicitur cacochymia: & procedit ulterius, tunc esse in secunda regione cacochymiam, hoc est, in genere venoso, quando bilis, melancholia, aut pituita, aut serosa substantia supernatant, seu à sanguinis consortio separantur; uti in tertia accedit regione.

Inde ad purgationem descendit, quam definit, quod sit evacuatio humorum qualitate peccantium, in morbo pendente à sola cacochymia; quo in statu judicat, quod selectiva purgatio, ubi febris non adest, potest à principio morbi exerceri: in febre autem, ubi non est urgentia, nec turgentia, non convenit à principio purgare; nisi cocta materia, quia cruda non cedit imperio naturæ, neque illam habet adminiculantem medicamentum: attamen in hac eadem febre, ratione urgentiæ à multitudine insuperabili desumpta, potest in principio augmento, aut statu imperari purgatio; & hoc in omnimoda humoris cruditate, sive incoctibilitate, quando alia via securior non datur, quia in principio, sicut cogit naturam, sic etiam & artem, ut coacte etiam operetur; secundo quia sanguinis missio auxilio esse non potest cacochymis humoribus: & licet essent cum sanguine commixti, peracta sanguinis missione, quam vires tolerant, adhuc persistunt in eadem urgentia; & tertio quia ubi unica salutis spes est, licet cum periculo, in hoc est persistendum auxilio, & aliud nisi minorativa purgatio non datur.

Et in maligno & pestilenti, lenitiva purgatio probatur, inquit, sed non eradicativa, & cum electione; quia sanguinis missio est illius auxilium, & quia hujus est incoctibilis materia, & non turget, & quia in principio nondum est cacochymia; & quia talis febris pendet ab incoctibili humore, ubi ex Hippocrate 1. aph. 22. semper est necessario coctio expectanda; & concludit, quod ubi simul coincidunt, in venis, sanguinis vitium & cacochymia, in quantitate, qualitate aut motu, quod potest fieri sanguinis missio, aut purgatio, prout hæc, aut illa prævalet indicatio: hæc sunt præcipua hujus docti viri fundamenta; cujus etiam sunt verba quæ sequuntur; ante signa coctionis non possunt humores reddi cacochymi, quia non antea ab aliorum consortio separantur, & deinde vitium in quali superveniens cuique humori separato, à sanguinis commixtione est cacochymia: & non omne vitium in quali, indicat purgationem, sed vitium in quali, quod humores reddit à sanguine separatos: & ideo in turgentibus Hippocrates purgare consulit, quia à sanguinis consortio hos separat natura; nam tunc fiunt facultatis expellentis objectum ob irritationem: qui cum sanguine commixti, erant facultatis retinentis objectum.

Hæc omnia fere discursu metaphysico comprobantur, de rebus possibilibus; sed non iis, quæ frequenter usus & experientia nos docuit: nam vere practica, potius pendent ex solo rerum usu & observatione; de qua dixit Galenus, quod est suggerens memoriæ signum, quod ex antegressa observatione innotescit, utilis rei quæ cognoscitur, ad memoriam revocandæ.

Nec facile, nec possibile judico quod intra brevem venæ capacitatem alii à sanguine humores, à sanguinis consortio separentur, (nunc de illis non loquimur, quos extra venas natura irritata expellit, seu turgeant, aut aliter) sive qualitate, seu quantitate, ustione aut putredine, sive supernatantia, à sanguinis natura distare videantur: nos enim sub duplici sorte humorum mixtionem intra venas expendimus; seu dum à forma sanguinis cæteri humores naturali vinculo coërcentur, dum justiciali temperie debita proportione moderantur, quod in statu accidit naturali: secundo modo, dum à naturali vinculo separantur; & alia sequitur miscibilium unio, ab alio principio, seu ab alia forma; nam corruptio unius, est generatio alterius: illud tamen à diverso

verso principio oriri comperimus; seu dum à forma illius elementi, quod prævalet in illa subsequenti mixtione, nova adveniens mixtio conservatur: sive ab influxu cœlesti, qui ultimam dispositionem ad illam mixtionem induxit, uti accidit dum alia substantia corrumpitur, & ex præexistentibus ex illa elementis nova, sed diversa mixtio producitur in ente, in quod degeneravit; ab illa tamen elementi prævalentia, seu à forma illius, illud dupliciter accidere comperimus; seu, dum non potest illa prima mixtio conservari, omni temperie eversa, nempe ad contrarium præexistentis, sive frigiditatis, seu caloris excessu; seu tandem, dum à forma extraneati caloris ab aliquo veneno pestilenti, prima unione corrupta, nova pullulat mixtio: ut etiam accidere notavimus non tantum in sanguine sed massa sanguinaria, fibris & substantia corruptis: unde loco præexistentis unionis, alia elementorum mixtio accedit rebus in illis, qui primam unionem amiserunt; non potest enim materia prima esse absque aliqua forma substantiali.

His ergo suppositis in vera Philosophia; illud certo elicitur, quod in prima mixtione perfecta sanitas conservatur; in cæteris autem aut oritur pletora, aut vera cacochymia; si enim forma sanguinis prævalet in illa mixtione, quæ correspondet aëris elemento, & quantitate, & qualitate, super humores sibi consociales dominatur, oritur pletoria, vera, aut secundum quid, quæ per se aut partes, nondum prorsus eversas, cedit in alimentum: quod potest sub statu naturali aut præternaturali evenire; dum nempe mixtio sub naturali vinculo coërcetur; seu dum à nimia quantitate, ustione, aut putredine, pœnitus mixtio præexistens dissolvitur: & tunc si à sola nimia quantitate bene potest persistere pletora; & licet mixtio dissolvatur, ab illa ustione & putredine, dummodo sit in tota massa sanguinis, quæ per partes putrescit, per alias resistit; excepto ubi tota sanguinis massa degenerat in aliam à sanguine naturam; quoniam tunc loco pletoræ, succedit cacochymia; humoribus adhuc intra venas permixtis, licet sub alia sorte mixtionis.

Cum vero ab excessu aliorum à sanguine humorum, illa sanguinis mixtio corrumpitur, ut degeneret in aliam naturam, sive ex quantitate, seu sola qualitate mixtio naturalis dissolvatur; tunc huic, alia succedit mixtio, ex præexistenti corruptela, & hæc aut sequitur excessum qualitatum putredine, aut ustione comparatum, seu extraneationem caloris dissolventis, dum viribus ignis operatur, aut naturam humoris in quem degeneravit, ita ut illa mixtio à forma producatur, seu illius humoris qui excellit in nova adveniente mixtione; sive à prævalenti, novo humoris geniti intemperie, per hanc corruptionem; seu à caloris extraneati forma; illa tamen mixtio quæ resultat, producit cacochymiam; nam humores qui ex illa mixtione resultant, sunt à natura sanguinis alieni, nec tantum alimento inutiles; alii irritantes, qui caliditate, acrimonia & tenuitate excellunt, & alii in crassa substantia urentes, & qui terram fermentant; & absque ulla irritatione plerique, ut in pituitosa cacochymia, seu simili serosa, ut acida & insipida, licet in putrida, aut salsa aliquam adquirat acrimoniam, illa tamen non est de pituitosæ cacochymiæ essentia.

Quare potest produci cacochymia, iis omnibus modis, & aliis à sanguine humoribus, ut in serositatibus, quæ ab illis resultant; nam licet ichoribus sint excrementa tertiæ coctionis, ut dixit Actuarius, est ideo quod in simis hepatis perficiatur, & tunc sanguini jam confecto misceatur, & per venas & arterias diffunditur, ne meracitus sanguinis sibi ipsi commeatum præpediat, & ut deductionem adjuvet, & tandem ut partium temperatione serviat, ne cor proprio calore inflammetur: nec cum serositate ichores tu confundas; nam serum est ciborum pars humida post coctionem derelicta: serum vero, est pars tenuior humorum, magis attenuata, quæ vi alterius causæ separatur, sive calida sit, seu aliam violentiam inducat, veluti quæ colliquata: illi tamen miscent intra venas, dum maxime præpeditur difflatio corporis universi, seu à renum atonia non attrahitur, quo pleonoxia utriusque facile cumulatur, quæ etiam facilime accenditur, facilius putrescit, non difflata.

Hac ergo producta cacochymia intra venas, ideo talis dicitur, non quod ad invicem humores separentur à sanguinis consortio; nam sub quavis mixtione mixti manent, sed quod distent à sanguinis natura, aut in illius consortio supernatent, si credimus Galeno lib. de Nat. hum. 23. & lib. de Hum. 8. eo modo quo ibi supernatare dixit, seu prout supernatant, aut cæteris permixti; sed iis omnibus non video, nec alibi legi, quæ nos convinceret rationem, quare in aliqua istarum mixtionum utcunque producatur, nec in hac aut illa supernatantia, cujuscunque humoris, ut illi intra venas separentur ad invicem: & quando nos alia ratio non convinceret, sat, erit, ipsum mixtionis nomen, (seu in statu naturali, aut præternaturali) quod semper conservatur & in præexistenti, & illa quæ subsequitur: semper enim humores intra venas quantumvis alterati, aut corrupti, suam mixtionem conservant, sub hac aut illa sorte essendi intra venas: nam quando hæc mixtio dissolvitur, alia sequitur necessario, ad proportionem elementorum, in quæ degeneravit; non possunt enim in mixto esse elementa separata: dico elementa, humores, qui illis correspondent, neque in partibus illius elementi quod prævalet in mixto; nec capit intellectus, quomodo in angusta venæ capacitate possint dissociati humores invenire: nec erit contra societatis rationem, ut quisque suam naturam appetat, quam à mixtionis principio sortitus est, juxta proportionem elementi, & inclinationem, nempe ut crassus, & terrestris pondere fundum petat levis, aëreus, & igneus, sursum feratur; istæ tamen nativæ propensiones, cum vera mixtione compatiuntur, ut patet in omnibus lichoribus; nempe melle, lacte, vino & aqua.

Si ergo possunt permixti, intra venas manere, humores naturales, & quavis quantitate excedentes, qualitate distantes, putridi & omnino corrupti; minorantium præcipuum corruit fundamentum; ideo nempe electivam purgationem in principio morbi febrilis convenire, quod humores in hac humorum sorte separati, intra venas persistunt, nec tantum supernatent; & licet ratio naturalis non convinceret, experientia

& obſervatio, (quæ interdum ipſam rationem coarguit, ſi credimus Galeno) hoc ob oculos poſuit; quis non vidit, interdum in aliquo ægroto, ſanguinem per venæ ſectionem extractum, fibris omnino corruptis & ſubſtantia, quæ in alium à ſanguine, humorem degeneravit? quis non vidit, in ſanguine extracto, bilem alios humores ſibi conſociales, evidenti exceſſu ſuperare? de melancholia, & pituita quis hæc ipſa non vidit? in dolore pleuritico Galenus, & morbis melancholicis hæc experiri docet; & ſi ita extrahitur à venis, palam eſt, intra illas ſub illa mixtione contineri; ergo neque ratione ſupernatantiæ, nec exceſſus pravæ uſtionis, aut putredinis, neque degenerationis in alios humores, illi intra venas ſeparantur ad invicem, diſtantia & loco, ut ſe ſaltem mixta contiguitate, non attingant.

Dices, per coctionem ſaltem ſeparari ab utilibus, inutiles ſub illo naturæ magiſterio: nam hæc eſt unica ratio, quare Hipp. præcepit concocta medicari, atque movere, non cruda, &c. tunc enim, dixit Galenus, naturam habemus adminiculantem; conſpicitur, ſi quidem & ipſa poſt coctiones & humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere, quo in tempore fiunt & judicationes, &c. neſcio an ſit bene intellecta hæc doctrina utriuſque magiſtri: nam coctio præciſe & in ſui vera conſideratione, tantum indicat, naturam ſuperaſſe illas morbi inſidias, quas in illam paravit morbus, cauſa & accidens, ſive qualitatis, aut humoris exceſſu, ſive uſtione, aut putredine, ſive malignitate impie fraudulenta; nam his debellatis omnibus, facile imbellem validus ſuperavit; ſeu utiles ab inutilibus humores ſeparando, ſive ſuperfluitates expellendo: ſed hoc intellige, ut accidit in criſibus, non quod ſint inter ſe ſeparati vacuandi humores ab illa mixtione, quam intra ipſas venas ſortiuntur, ſed quod ſint obedientes (dum jam cocti,) imperio naturæ, ſive tractioni medicamenti, quando ad purgandum propinatur, ſub illa determinata analogia, quam habet cum humore trahendo, quæ dicitur electio; ſeu naturæ impulſui, quando criſim intendit; & hoc eſt naturam habere adminiculantem, non ſeparantem; nam quod hic accidit ſuperiori magiſterio, interdum contingit in evacuatione ſymptomatica, (nondum ſeparatis, ſed permixtis humoribus tempore cruditatis) quando hæc eadem natura, valde laceſſita & irritata, unum ſeparat, aut alium, à cæteris humoribus, & ſincerum expellit; tunc enim mixtionem abrumpit, ſed magna violentia; quod ſatis manifeſte oſtenditur in ipſa turgentia; ſeu quando ad ventriculum, aut inteſtina pellit ſincerum bilioſum humorem; ſed illud non convincit, hos eſſe intra venas, ſub illa mixtione ſeparatos, ſed ut extrapellatur, illa peculiari ratione ſeparari, ſive crudi ſeu cocti: Idem etiam accidit in cathartico; eſt enim illa medicamenti tractio, & naturæ expulſio, veluti quædam criſis, quæ in humore cocto celebratur; nam vis medicamenti ſingulari analogia hunc attrahit humorem & ab aliis ſeparat, ut facilius cedat tractioni, & ut non reluctetur expulſioni; nam, ut Galenus expoſuit 1 Aph. 22. ſingula vero medicamenta proprium ſibi humorem trahunt; quod non accideret ita placide, niſi cocti humores eſſent, ſub ſingulari naturæ dominatu, & imperioſo magiſterio; quod per illam coctionem conſequitur; non qua ſeparet, ſed qua ſuperiores vires ſuper illum exercet; nam ipſa humoris diſpoſitio, terminat naturæ, aut medicamenti, actionem, ut criſis interdum fiat per ſudorem, per urinam, aut ventrem; & hæc eſt ratio, quare medicamenti etiam attractio humores ad ventrem deferat, interdum ad urinam, nonnunquam per ſudorem, non vi medicamenti, ſed diſpoſitionis, quæ actionem medicamenti terminat; nam illa obedientes ſeparat humores à ſua nativa mixtione, ut foras illos natura expellat; tractio enim medicamenti neceſſaria eſt, expulſioni naturæ.

Nunc pro diſcurſus concluſione reſtat, quomodo cacochymia ſit purgationis objectum, & pletora ſanguinis miſſionis, nempe, qua illa irritat, & qua iſta gravat: irritatio enim eſt facultatis expellentis objectum, & ſi gravat, ac benignum retinentis; in hoc etiam video graviſſimo periculo errari; nam indicationem generalem irritationis pro particulari quotidie accipiunt multi, & abſque ulla limitatione proferunt, neque contraindicantia expendunt: eſt humor irritans (dicunt) à natura ſanguinis ſeparatur, ergo & purganti medicamento vacuandus eſt, certe valde ſuſpecta hæc concluſio, adhuc magna ſuppoſita urgentia; detur minorantibus doctoribus, quod irritatio ſit facultatis expellentis objectum, detur etiam, in vera cacochymia prævalere: hujus fractionis facilitatem in duobus ſupponunt, in eo nempe, quod ſint cacochymi humores intra venas ſeparati, & ideo naturam habere adminiculantem: & ſecundo, hæc omnia ſuperare urgentiam: ſi ergo daretur, quod intra venas nunquam ad invicem ſeparentur humores, quantumvis irritantes; ſi illos medicamentum non valet ſeparare, quod crudi & permixti, non habere naturam adminiculantem, clare patet, quia adminiculatur tantum, cum ſuper humorem dominatur; tunc enim tantum actio eſt ſuperior, cum diſpoſitio in paſſo invenitur; ergo ſi nec ex parte agentis, neque paſſi, actio neceſſaria elicitur, effectus ſemper erit incertus, & inſecura minorandi purgatio: & ſi huic rationi accedat, contraindicans, quod potiori urgentia, graviori periculo, uſum minorandi prohibeat, nonne illam opinionem ſuſpicioſam reddet? pletoræ indicationem ſæpe vincit aut ventriculi cruditas excrementorum retentio, crudorum in venis cumulatio, humoris bilioſi meracioris furioſa conditio, ſenilis, & puerilis ætas, & tandem extrema frigoris & caloris intemperies; quare ergo ſi auxiliorum ſecuriſſimum ſuperat contraindicans, tot expoſitam periculis cacochymiam non ſuperabit aliud ex prædictis? hæc contraindicantia, (adhuc irritatione in vera cacochymia ſuppoſita) latiſſime invenies in noſtro Medico Tribunali, in propria quæſtione minorandi.

Nec inficior, periclitandum eſſe in periculis; & coactam urgentiam nos interdum ad extremam temeritatem ducere, quæ reſpectu urgentiæ rationalis erit: ſed hoc erit, quando nulla alia via ſe ſalutis oſtendit: perpendamus ergo, an ſit alia via; quo in tempore, & in qua febris ſorte, nos compellat urgentia? in omni febre putrida poſſe ſanguinis miſſione urgentię ſuccurrere ſuppoſuit

Galenus,

Galenus; & alibi, sanguinis missionem, & potum aquæ frigidæ, summæ urgentiæ auxilium esse, scripsit: & sanguinis missione exoneratur natura ab eo, quo veluti sarcina premitur, ut concoquat postea quod concoqui est habile, aut reliquum facilius expellat; quo certe ab urgentia liberatur: nec existimes, hoc in sola sanguinis missione ex brachio consistere: nam sanguine ex talo misso corpus universum vacuatur, & fortasse periculo celerius occurritur, dum ad causam, & ad causæ originem attendimus, & fomitem causæ vacuamus: idem etiam per hyrudines consequi, venis hæmorrhoïdalibus apertis, docet experientia; & interdum miraculo, incantamento simili, & iis non tantum fæculenta colluvies vacuatur, sed corpus universum, interdum sectione ad id quod vacuatur: & si cucurbitulæ sunt etiam vicariæ sanguinis missionis, ut etiam scarificationes, ubi vires desunt, ad tam magnum auxilium, aut minorem auxiliandi rationem sortientur; nec clisteres purgantes temnantur hac curatione: nec serius auxilium erit ab his auxiliis spectandum, si illis insuperabili malignitati succurritur, nec phlogosis, nec inflammatio, est omni sanguinis missionis auxilio superior. non est enim gravius aliunde periculum; ergo non sola purgatione urgentiæ succurrimus.

Dices, peculiares febres esse, quibus sanguinis missione occurritur urgentiæ, & alias quæ ex hypothesi purgationem amant, & non phlebotomiam; & maxime ubi omni sanguinis missione exacta tum vel adhuc persistit urgentia: ad hoc etiam facile respondetur, omnes febres ad quatuor species reduci, ad sanguinem, ad bilem sive ad melancholiam, aut pituitam, &, præter febrem sanguinis, alias esse aut intermittentes, aut continuas: de prima febre sanguinis non est quæstio: in febre intermittenti palam est non ita magnam posse esse urgentiam, ut ad minorativam purgationem nos compellat, maxime in principio, quando superior natura humoris portionem à venis ad ambitum expellit, sive ad ignobilem locum, & maxime, quando nos Hipppcrates de harum periculo securiores fecit; & minorantes supponunt, illam tantum urgentiam, nos compellare, cum febris ad statum, ægrotantem vita superstite pervenire non sinat, quin multitudine perimat supra vires; solum restat tertiana continua febris ardens, si non forte maligna, aut ex melancholia, aut pituita; in his omnibus, seu tales ustione reddantur, seu fermentata, aut maligna putredine, in principio, augmento, & statu, aut cum sanguinis vitio complicantur, aut ab illius mixtione non discedunt, quantumvis supernatent, ut antea probavimus; nam putridus, aut corruptus humor intra venas sub hac aut illa mixtione persistit, quantumvis degeneret in aliam naturam; ergo hujus febris urgentia pendet ex illa ustione aut putredine humoris intra venas permixti, & nunquam separati, (non loquimur de febre symptomatica:) in hoc omnes convenimus, quod utcunque sanguinis vitium consideretur, quod sanguinis missione medetur, utcunque detrahatur; & quod hoc auxilio illi urgentiæ occurritur: non est enim aliunde urgentiæ periculum, quantumvis sit supra omnes vires multitudo; solum restat, cum urgentia ab alia insuperabili multitudine dependet, extra sanguinis vitium; an sit cathartico expellenda; in hac enim, inquiunt, non obstat, naturam non habere adminiculantem, nec esse humores cum sanguine commixtos, aut aliter; nam omnia illa hæc invertit urgentia, si omnia præcepta convellere videtur, utcunque methodus prævertatur; quoniam in casu ex hypothesi, prima & ultima indicatio est urgentiæ, & non febris: est ne satis ponderatus Achilles hujus opinionis?

Modeste & magna animi tranquillitate respondebimus; nolumus auctoritate, (quia ad cujusque mentem versatur) decertare; sed sola auctoritate rationis, experientiæ & observationis, quæ interdum ipsam rationem coarguit: si humores, qui secundum omnes partes sunt inutiles, non tantum alimento, sed putridi, aut omnino corrupti, possunt sanguinis missione vacuari, quia, sub quacunque mixtione, sunt in venis permixti, quis dubitat posse etiam urgentiæ succurrere, si illa necessario sequitur, aut causæ multitudinem sive ustionem, aut putredinem, sive supernatantiam; nam ablata causa, tollitur & effectus: in hoc standum est, intra venas non posse humores ab invicem separari, sed juxta cujusque inclinationem, suam mixtionem conservare, saltem contiguitate mixtionis; si ergo possunt, prout sunt in venis vacuari sanguinis missione, quis dubitat, posse etiam urgentiæ succurrere? & si non cessat febris, nulla convincit ratio, purgationem majori conturbatione, & incendio, & gravioris putredinis periculo, auxilio futuram: estne salus in purgatione vinculata? ægroti fortasse, uti moriuntur sanguinis missione, non etiam in purgatione periclitantur? si possent eventus ad calculum reduci, non cederet fortasse nostri sanguinis missio vestræ purgationi; estne febris status dabilis, (ex istis ex hypothesi) ubi sanguis aliquod ex tribus vitiis non contrahat in quantitate, qualitate, aut motu? in hoc virum, amabo, invenire desidero, qui doceat, saluti publicæ securiora docere cupientem.

Et si daretur casus, in quo humor non tantum natura, sed loco & situ, sit à sanguine omnino separatus, & cum omni possibili urgentia, & in hoc non purgatio, sed sanguinis missio foret præsentaneum auxilium; fortasse contra illam opinionem non erit validum argumentum? detur ergo, quod à materia biliosa, purissime sincera, & à sanguine omnino separata (quod extra venas propulsa) fiat inflammatio in pleura, mediastino, gutture, aut pulmone: in hoc casu, nec est excusatio ex parte urgentiæ, nec ex parte humoris, neque permixtionis: & tamen non est in universa medecina, qui consulat à principio purgandum: & omnes conveniunt in sanguine mittendo, non tantum Galeni auctoritate docti, 3 de Præsag. ex puls. 6. Lib. de Sang. miss. 9. 1 Aph. 22. sed sola rationis auctoritate persuasi, quia medicamentum purgans, non tantum à parte inflammata nihil adimit, sed partem sanam colliquat, & impium empyrheuma medicamentum absorbet, & commotum humorem ad partem læsam ducit; ergo aliqua est urgentia in pura & vera cacochymia, ubi irritatio est purgantis medicamenti objectum, quæ sanguinis missione, & non purgatione, mederi oportet: supponatur

etiam ex hypothesi ardentissima febris, ex sincero, bilioso humore, pestilens & maligna, ex corrupto, aut syncopalis minuta, aut humorosa ex impia putredine, & valde fermentata; cujus quantitas omnes superet vires, & putredo spem salutis adimat; quis audebit in hac impia febre, in principio purgans medicamentum imperare, maxime selectivum secundæ regionis: audacior & ille certe erit Galeno & Hippocrate: & in illo omnem prudentiam superabit temeritas; nam Hippocrates in libro de Medicamentis purgantibus, hæc serio, uti solet, scripsit; *Carnes ipsorum, & ventres, cum calidi sunt, medicamentum absumunt, & nihil depurgantur, & febris major fit, & calor evertitur, & morbi speciem ferunt; commota enim bile, & non purgata, non sorbere vult æger, nec bibere, sed omnia abominatur, & plerunque perit; quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgantia exhibere non oportet*, &c. & lib. de Locis in homine: *Febricitanti*, inquit, *caput ne purgato, ne furiosus fiat; calefaciunt enim pharmaca caliditatem febrilem; dum accendunt, faciunt maniam; nempe dum febris empyreuma non cedit; nam domito aut cocto bilioso humore, erit ad artis legem expurgare*; Galenus etiam timuit, ut, cum febrilis calor medicamentum absorbet, ne illud in humorem attractum convertatur, ut deterior reddatur cacochymia, & ita in venenum convertatur auxilium. nec quis intelligat hæc de cura regulari protulisse, & de antiquis venenosis catharticis: sed serio judicio ponderasse, quantum contraindicantia ad prohibendum valeant, indicantis & contraindicantis periculis æqua lance libratis? nam si æque periclitatur urgentia in auxilio indicato, ac contraindicanti, quodcunque eligatur, erit potius fortunæ auxilium, quam artis: &, si, ubi gravius se ostendit periculum, eligatur, imprudentiæ erit & crudelis medici, non artis, nec fortunæ; & si fas esset, in morbis febrilibus cruda, & non turgenti materia, (adhuc in quantumvis ponderata urgentia) nomen medicamenti purgantis delere, nec illud recusarem; quoniam in periculo securitatem quærimus.

Hipp. lib. de Medicam. purgantib.

Idem, de Loc. in Hominib.

Et si hæc non placent, argumentor ad hominem; ideo supponunt minorantes Doctores, in febre continua minorandum; quando natura, humoris quantitate superata, vel omnino succumbit, seu postea superare non valet: qua in urgentia magis rationi videtur consentaneum, purgando periclitari, quam ægrum certæ desperationi tradere; si ita est, in nulla alia febre hæc illa pericula illucent, & ad oculum patent, quam in febre syncopali humorosa; & in illa febre de maligna rum sorte, ubi magis prævalet putredo, quam malignitas in insuperabili humoris quantitate, & in illa quam parit atra bilis; in maligna Salius palmarius, Valeriola, Cardanus, Mercatus, omnem purgationem damnant in principio, & sanguinis missionem amplectuntur; in syncopali, Galenus neutrum ex magnis auxiliis admittit, frictione contentus: Doctor Gaspar Braves de Sobre-Monte, & Doctor Sancta-Crus, doctissimi minorandi assertores, hanc opinionem securiorem judicant; ergo nec in febre simpliciter putrida, quantumvis materia vires superare videatur, patet consequentia; nam in hac, aut illa febre, est æqualis urgentia, & æqualiter supra vires humoris multitudo dominatur; & tandem est æquale periculum, in quo periclitandum esse illi Docti Viri existimant; & magis hanc ponderationem extollit, quod citati auctores sanguinis missioni totam curationem detulerint, per venas, per hyrudines, per scarificationis, per cucurbitulas, & quavis sanguinis detractione alia: & Galenus, in frictionibus, oxymeli & laxantibus unctionibus auxilia libravit; & addit Bravus de Sobre-Monte, non est in pestilenti & maligna purgandum, quia febrilis causa est incoctilis, & secundo, quia in principio febris nondum est cacochymia; ergo pariter nec in principio febrium aliarum, quantumvis urgeant, illa incipiet cacochymia; ergo si illa deficit, non ab illa indicatur purgatio.

Et si dicas pro doctissimis viris, in omnibus propositis exemplis non esse paritatem; nam inflammationibus, ratione inculcati humoris non esse ex usu, nec ex arte purgationem; in causone, ob insuperabile incendium; in malignis & pestilentibus, ne à laudabili opere, (si forte crisim intendit,) divertatur natura, & ne putredo amplius diffundatur, & ne venenum ad cor, motus occasione, deferatur; & tandem in syncopali, quia vires deficiunt; quando est omnium prima vitalis indicatio: nec est difficilis hujus objectionis satisfactio; nam in exemplis non paritas omnimoda requiritur, sed tantum rebus in illis, quibus æquiparantur: nobis enim sat erit, si paritas observetur in istis, nempe, in pura cacochymia, humoris à sanguine omnino separati, & distantis; secundo, in urgentia quæ nos compellat in periculo; & tertio, si tam magna quantitas humoris ægrum opprimat, ut ad statum absque manifesto periculo pervenire non sinat: attendant ergo judices, an in his tribus sit æque librata paritas, & proferant sententiam, qui in verba parentum non jurarunt.

APPEN-

APPENDIX,
Ad nostram quæstionem,
DE
SANGUINIS MISSIONE
EX TALO.

Pretiosas divitias scientiarum, (quæ tunc natura tulerat, usus & observatio adinvenerat,) pristina illa ætas nobis dedit; non tamen illas omnes quas in sinu natura, & rerum imperiosa necessitas, posteris reservavit ætatibus: sunt enim Medicorum auxilia, sicut leges, in corpore Reip. (nam utrunque corpus, suo proprio ac singulari auxilio medetur) quæ pro Reip. necessitate, rerum vicissitudine, & morum versatione, ad tempora mutantur: nam quæ olim sanctissimæ leges videbantur, sunt hodie abolitæ, &, quod deterius est, despectæ; quando novas induxit recens rerum, aut hominum necessitas: nam homines, & mores inducti cunctis centum annis mutantur: nunquid, ob hoc dicemus, has novas pernitiosas leges? principem & magistratus impie novatores? nullus certe sanæ mentis hoc judicat; sed prudens leges laudat, & conditores legum; ut qui novit, hominum & Reip. corpus, haud aliter posse salutari œconomia conservari.

Sed quid moror & admiror vetera illa, (quia nondum lux alia his sæculis eluxerat,) sola Antiquitatis veneratione, absque ullo veritatis præjudicio propugnari, atque defendi, si omnia quæ recenter invenit, studiosa observatio, & acrior solertia, acriori forte judicio collimata, ac recenti temporum observatione comprobata, politiori stylo ad practicam reducta, per hæc ipsa & graviora pericula, quin imo, per ignem, & aquam transierunt: & naturali forte rerum necessitate, ut sic veritas, (quæ sæpius in arcanis Naturæ delitescit) eruatur; si verum est, *quod*, (ut est in proverbio,) *veritatem in puteo abstrusam dies aperit*; neque novas cum veteribus conferas, ob solam longi ævi distantiam; nam vetera jam dederunt fructum suum, & nunc abundantiori pluvia recentia fructificant: attende, non quam nova, sed quam vera sint; *Nam* (quod Tacitus dicebat) *quæ nunc vetera sunt, nova fuerunt, & quæ exemplis tuemur, & in exempla erunt.*

De hoc etiam in hac nostra ætate conqueritur Joannes Faber Lyncæus; hæc sunt illius verba: *Cui quisque fere studio devinctus adhæret, hoc laudat, hoc imitatur, præ hoc omnia aliorum dogmata, ipsi frigent, sordentque, & sic semper itur in antiquam silvam: quolibet denique sequitur priores male iter ingressos, & excusationem mereri videtur, quod publica via erraverit*; ut enim Seneca ait, *multum dare solemus præsumptioni omnium hominum; apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri*: sed & idem Seneca, tritissima quoque via, & celeberrima, maxime decipit; *Nihil est magis præstandum, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur*; at revera, nunquam tam bene cum rebus humanis actum est, ut optima plurimis placuerint, &c.

In rebus novæ Hispaniæ de natura & proprietatibus Lupi; fol. 486.

Seneca.

Sed quod deplorandum magis, res eo jam redacta est, ut temerarium æstimetur velle aliquem, in naturalibus præsertim, studiis profiteri, scireque quæ alii hactenus ignorarunt: odiosum vero etiam, ea immutare conari, quæ longa jam consuetudine recepta, & seu legibus quibusdam sancita, & optima judicata videntur: hinc consumimus plerunque totum vitæ tempus in aliorum sensibus, (nunquam etiam fortasse ab iis auctoribus pensitatis) eruendis, & dilucidandis; natura & rerum magistra experientia, longe interim valere jussa; non certe Platonem Aristoteles interpretandum, aut hunc Theophrastus explicandum, solum susceperunt; sed uterque suo modulo philosophando, vetera impugnare, & nova, quæ ipsis veriora videbantur, substituere voluerunt; atqui rationem, convincere, inclamant omnes, quam & ego, si vera sit admiror, & exosculor.

Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.

Verum & hoc ex communi præceptore Aristotele, 3 de Gener. Animal. 10. didici, rationi fides est adhibenda, inquit, si, quæ demonstrantur, conveniunt cum iis rebus, quæ sensu percipiuntur; cujus si rationes ejusmodi deessent, proh Deum immortalem, quam tædiosis nos laboribus in rerum naturalium præscrutatione liberaret? in qua & opes, & sæpe vitam, conterimus, antequam veritatem, in puteo latentem, expiscemur: sed audendum & nobis erit, ut adagio enim fertur, & *Græci non nisi tentando ad Trojam pervenerunt*; sequamur hic Senecæ, si libet, consilium: *faciamus*, ait, *bonum patrem familiæ, faciamus ampliora quæ accepimus, major ista hereditas à nobis transeat ad posteros; multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli natum mille sæcula præcludetur occasio aliquid adjiciendi*: nec enim sapienti decens est, ut semper sequatur illos qui, ut dicebat Lucretius:

— Sapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditu potius, quam sensibus ipsis.

Non omnia enim antiqua nos docuit ætas, sed, ut idem canit Poeta,

Sic unum quoque paulatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit auras.

Doctissimis placeat, obsecro, quod *non omnia novimus omnes*, & quod multa aliis patent, quæ nos latent: illud tamen rogatum obnixe volo, ut experiendo nitamur superare majores: difficile enim, dixit Quintilianus, quin imo impossibile, imitando, alterius similem fieri: studendum potius esse arbitror, ut superemus, sic enim fortassis æquaturos nos esse, quos imitari conamur: experientia etenim fecit artem, ut dixit Aristoteles in Metaphysica, in experientia casum; *Vtcunque sit*, dixit quidam doctus, *diligens Anatomices inspectio, controversiam dirimit*; *hoc est, ocularis experientia.*

Credo equidem, nec vana fides, Clementem Alexandrinum, nostri sæculi philosophorum mores dudum prævidisse, quando dixit; *Aliqui philosophia Græcorum, non aliter ac Vlyßis socii à syrenibus detinentur, ut nunquam poßint reverti*: nec mirum est: nam nascimur, alimur vivimus, & senescimus in hac veteri Galeni philosophia; & ut dixit Poëta:

Adeo in teneris senescere malum est.

Sed illis est pene impossibilis regressus, quibus non aliter, atque Pythagoricis olim, illa magistri auctoritas pro veritate est, & sufficit illud, αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*: rationem semper laudo & probo; sed hoc simul desidero, quod Marsilius Ficinus se semper optare dixit, rationibus nullis absque longa examinatione credendum esse: Galenus in Comm. ad librum de Natura humana solebat dicere, controversias duobus criteriis judicandas esse, sensu, nempe, ac demonstratione; ubi de rebus agitur naturalibus; quia ibi judicat intellectus, rationes locum habere, ubi de rebus quæ experientiæ & sensibus subjiciuntur, sensum ipsum prævalere: *Igitur*, inquit, *cum scriptis cogimur his contendere, qui de aliquo dissectorio theoremate, quod sensum imprimis judicem habet, imprudentißime pariter, ac imperitißime pronuntiarunt*; *fieri nequit ut ignari eorum, quæ in dissectionibus videri solita sunt, poßint mendaces à veridicis discernere.*

Non est in animo doctrinas antiquorum despicere, sed expendere, ad lineam & ad limam redigere; non male dicere, sed bene semper consulere: maledicum enim semper odi: *Quoniam*, ut dixit Quintilianus, *maledicus à malefico non distat, nisi occasione*; sed illud monitum volo, quod nos multas ad discendum commoditates habemus præ antiquis: illis enim, sua invenienda fuerunt, nobis cognoscenda, & judicanda; tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit Antiquitas, ut possit videri, nulla sorte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ videntur tantum nati priores: sed, non satis dicitur, quod bene dicitur: neque id statim legenti persuasum sit, (citatus auctor dixit) omnia quæ magni auctores dixerunt, utique esse perfecta; nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati; nec semper intendunt animum; nonnunquam fatigantur; nec tradunt semper propria observatione comprobata, sed quæ sub genio, (quod etiam potest decipi) veriora videntur: omnes adhuc, in summa senectute tyrones sumus, nec extra humanam conditionem positi; nec à nobis errare est alienum: nam, ut dixit Poëta,

Scribimus indocti, doctique poëmata paßim.

Sed proh dolor! hæc vota sunt solummodo, & vereor ne verissima sint, quæ Marcus Antonius Ulmus, Philosophus & Medicus satis doctus, quando sua physiologia conquestus est: *Næ fuit*, inquit, *mortalium sapientum Aristoteles, homo fœlicissimus, qui universam posteritatem, catenatum habuit mancipium: unusquisque satagit, & miscet, mare cœlo, ut saltem verbulum ipsius exponat, quovis machinarum genere adhibito: jam sapiunt omnes fere illius cerebro; adeo suavis est dissidia: nunquid Galenus ex genere mortalium non fuit? quid ergo mirum, ut interdum decipiatur etiam*: ô quam insuavis est desidia? si ut excussimus laborem, aliquid ex nostro non addimus!

APOLOGETICON.

In defensionem Sanguinis Missionis ex talo, in omni febre putrida, & affectibus partium superarum: & recenter editæ rationes cujusdam viri docti, expenduntur nostra etiam quæstione prælo data.

Logice sophisticare perennis docet usus; at perfecte mederi, & tam multa quæ hic & nunc proponit, perfecte comprehendere, solum genium medicum, & continua ægrorum meditatio: ideo theorica & praxis æque distant velut polis contrariis, & se mutuo impediunt, non juvant; nam pugnant vota cum votis, consilia cum consiliis: illa præsumptione, hæc veritate nixa, & observatione, si tamen theorica & praxis, viro in uno ad invicem refracta, amica dissonantia, se mutuo docerent, (quod raro, sed aliquando tamen accidit) vir ille esset divinis honoribus colendus, ut Hippocrates olim.

Sed nulla unquam opinionum fuit secura veritas; *y, como dice el Señor, Don Antonio de Mendoca*:

No ay verdad segura de opiniones,
Y tiene su defensor, cada delicto.

Sed veritas, seria & gravi observatione præmunita, levibus & logicis argutiis vellicatur, non convellitur, nisi robusta etiam ratione: nos nostram opinionem de sanguinis missione ex talo, in febribus putridis, ratione, auctoritate, & observatione præmunivimus: nunc video levibus argumentis vellicari à classico Doctore & nobilis Medicinæ professore; *Sed defensio*, (ut de Platone dixit Quintilianus, in oratione pro Socratis defensione suscepta) *nec reo, nec patrono digna est*; nec dubito, quin auctores gravissimos consuluerit; nobis tamen semper est potior rationis

tionis auctoritas: auctores enim, possunt & fallere, & falli: ratio vero ex ipsa rei natura ducta, nec fallitur, nec fallit: illi etenim non omnia æquali judicio expendunt, nec illi semper à nobis æquali solertia expenduntur: est enim adhuc minimis rerum, *judicium difficile*, ut Hippocrates dixit; de qua fatali lege, nullus mortalium excipitur; nos summa veneratione Galeni auctoritatem colimus; sed in verba parentum non juravimus.

Postquam Galen. contrariarum indicationum pugnam æqua lance expendit, inter febrem & temperamenta contraria, & similia, ut victus rationem morbo accommodatum eliciat, in hæc verba prorumpit: *Nisi enim quis indicationum potestates examinet, nequeat sane mensuram victus invenire; nam ubi concors indicatio est, nullum exhibetur negotium; ubi vero discors, pro pluribus ac potentioribus formari, victus ratio debet*, (hoc enim est exemplum ad omnia, ubi contrariæ pugnant indicationes) *ac siquidem pares videantur, media victus eligenda est, quæ non declinet ad aliud extremum: sin altera indicatio exuperet, tantum recessisse à temperamento & medio victu par est, quantum ea quæ pollent sua contraria superant; ergo tum exercitatum in his omnibus, tum natura prudentem esse medicum conveniet, quo cujusque indicationis potestate diligenter considerata, omnibusque inter se collatis, unam idonei victus summam, quæ laboranti sit commoda, comparet*; hæc doctrina, quæ victus rationis exemplo, à Galeno proponitur, est communis ad omnia, ubi contrariæ indicationes inter se adversantur: & curationem, & medici judicium inter ancipitia fluctuare compellit: *In his*, dicit Galenus, *exercitatum medicum & natura prudentem*, (genio non cavillatione) *desidero; nam affectus simplices, sicut becticas febres, posse facilius curari, ratio, & experientia confirmat: in complicatis vero, neque ratio, nec experientia sufficit; nam licet probe noscantur, indicationes curativæ nos ponunt in ancipiti, cui primum sit succurrendum: nec sufficit experimentum, quia quod satis facit in simplicibus, in complicatis non concludit.*

[Margin: 8 Meth.9.]
[Margin: 10 Meth.10.]

Non fidit enim aliter Galenus posse inter ancipitia securius eligere, nisi æqua lance libratis indicationis excessu, & prævalentia, ut pro meritorum justitia, indicationis & indicantis recessus melius agnoscatur: accedamus ergo ad casum ex hypothesi; febris putrida & causa materialis hujus (quæ est putridus humor intra venas) petit sanguinis missionem ex brachio, ut causa celerius vacuetur, & ne vicinitate putredinis inculpatos humores coafficiat; pravi & inquinati succi, in mesaræi venis alterati, infecti, & prava fortasse ustione, ex situ & locatione contrarium suadent, nempe locum vacuationis ex talo, ne ad venas majores retrocedat, loco sanguinis ad brachium attracti; in hac contraindicandi ratione, situs nempe, per quem debet fieri vacuatio, ut arbiter, medici prudentis & exercitati judicium accedit, & considerat, an gravius periculum immineat, si præsenti urgentiæ non succurrat, an ex infecti sanguinis retrocessu, si ad venas majores deferatur: nos in hac lite ancipiti, judicamus, longa experientia edocti, in principio febris qualiscunque putredinis, non ita nos coërcere urgentiam, maxime in principio, ad septimam fere diem, quin periculum superet retrocessus; nam postea sanguinis missioni ex brachio datur locus in urgentiæ gratiam: alii & gravissimi viri contrariam tenuere sententiam, ea sola ratione permoti, quod sit posteritati commendata, ab Hippocrate, Galeno, & si qui sunt alii, Medicinæ parentes: in hac ergo opinandi ratione dicemus, (præter illa quæ in nostro Medico Tribunali sunt scripta) quod nostrum judicium, (qualecunque) assequitur, utriusque opinionis rationes expendimus, ut cujusque docti judicium propria libertate (nulla à nobis illata violentia) hanc amplectatur, aut illam sententiam: nos enim dubiam anxie fortunam, (utcunque vertatur alea) in scriptis non quærimus; nam impensus litteris labor, si non lucro, meriti privilegio addulcatur.

De fœlici eventu contrariæ sententiæ, non ita antiquitas firmavit, ut sit salus in illa vinculata; nam ita sanguinis missione ex brachio moriuntur, & sanantur ac ex talo; neque temporum series opinionis veritatem confirmat; nam *veritatem* etiam *dies aperit*, ut est in proverbio, per longa fæculorum spatia, absconditam, ut quotidie monstrat experientia: & pleraque antiqua olim fœliciter suscepta, nunc clariori judicio collimata, improbantur: sit hujus veritatis asylum, viri docti contrariam sententiam profitentis sententia, quam in sui defensionem attulit, contra auxilia quæ, tempore Hippocratis & Galeni, erant maximi usus: *Tempore Hippocratis & Galeni*, inquit, *naturæ hominum robustiores erant, & aptæ ferre plura remedia, quæ nostri ævi homines ferre non possent, ut patet in pharmacis fortioribus, & nimia quantitate exhibitis, quæ ferebant homines illius sæculi, cum quibus nostri temporis ægri succumberent*: & parum infra; *quod in illa Medicinæ infantia plura remedia tentabantur, quæ quia periculosa erant, & alia securiora sunt inventa, ab usu recesserunt, ut in pharmacorum usu apparet: & plura alia ab antiquis medicinæ parentibus timebantur, quæ usus docuit, esse secura & utilia, ut mittere sanguinem in prægnantibus, & in pueris ante 14 annum, imo post quintum aut sextum mensem, &c. sed in hoc justitiæ assimilatur veritas, ut omnes velint justitiam aliena non in propria domo: omnes certe adorant veritatem, sed ex illa asylum sibi solis constituunt, ne sit alienis asylum*: & sit argumentum ad hominem hoc primum argumentum.

[Margin: Resolut. Med. part. 3. disput. 5. de Feb. humoral. curat. Sect. 2. Resolut. 1.]

Nec aliud ita urget, ut probet, nullo nempe ex capite constare in mesaræi venis semper fœculentam materiam adservari; nam contrarium à priori constat & à posteriori: ita enim natura comparatum est, post quatuor humorum fabricam, (hoc enim & apud omnes receptum) in jecore bilem ab ipsa natura ad cistim fellis propelli, ne sanguis alimento inutilis reddatur, & ob alias causas; ad mesaraicas humores fœculentos, velut ad corporis sentinam, ne inquinetur sanguis: quod etiam hæmorrhoïdarum expurgatione convincitur: pituitam ad ventrem, &c. nec ex alio principio Galenus ex Dioclis sententia, melancholiam hypochondriacam constituisse constat, quam ex melancholicis humoribus in pylori effervescentibus, ex quibus vapores singulari consensu in cerebrum conscendunt: illud enim nemo inficiatur, tales succos ad illam regionem deponi, sive ad lienis etiam regionem, seu pondere nativo, seu quia illud membrum alitur

[Margin: 3 de Locis. 7.]

tur melancholicis; ex cujus certe ramo spleneti-co dicto, ad hæmorrhoïdales devenire, ex puriori constat anatomia; ut nos in nostro Medico Tribunali latissime probavimus: attamen quod tales succi reddantur magis, aut minus pravi, seu, quod difficulter, aut aliter putrescant, hoc pendet ex alio principio.

Neque contra nostram sententiam illud urget: quod si febris talibus accenderetur succis, (obiter adverte, jam fateri tales succos in illa repone cumulari,) impossibile esset, quin in quacunque febre, quartana complicata observaretur: debebat attendere gravis Doctor, qui impugnare nititur quod febris semper typum, & conditionem sequitur illius humoris, qui in massa prævalet sanguinaria, aut illius, qui seorsim putrescit, supernatans, aut calorem putredinalem concipit; nempe tota sanguinis massa, pituita, bile, aut melancholia; ideo tertiana synochus, quartana sive amphimerina; quare licet in mesenterio succi, ita pravæ ustionis cumulentur, non est prorsus necesse ut accensi, seu putridi quartanam secum ferant, si alii prævaluere succi.

Hoc tertio confirmat; si verum est quod in hypochondriacis tales succi cumulantur, etiam videtur impossibile, quin & illi putrescant, ac febrem semper producant, maxime inculcati, & ventilatione denegata: illud etiam nobilissimus doctor accurata solertia non expendit: nam debebat attendere, in hypochondriacis ut plurimũ ustionem in simili humore prævalere, (quo febris lenta etiam complicatur plerisque) aliquando solam insuperabilem cruditatem, ex qua ructus, flatus, & coctionis tarditas consequitur; si Dioclis sententiæ assentimur: quo fere accidit, ut ad varios status permutentur, jam caloris, jam frigoris, jam ad sitim, seu ad sitis carentiam: quo certe nulla cogit necessitas, ut semper febris putrida talem melancholiam sequatur, quantumvis cumuletur ex ipsa conditione morbi, nisi forte ex alio principio.

Quo etiam quarta solutio reputatur invalida: quia nempe cacochymi humores non petant sanguinis missione vacuari: quod ut plurimum nos etiam fatemur; dummodo ex hac obstructione non regurgitent pravi & exusti humores: quoniam tunc sanguinis missio etiam indicatur, non ex obstructione, sed à sarcina humorum refluentium: hac enim præcavetur, ne cor, aut hepar impetant, cum discrimine gravioris periculi; quando vero timetur ne frænum detrahatur, frigidiori sanguini, seu alio frigidiori succo, nos etiam sanguinis missionem, cum principe Avicenna damnamus: & caute semper consulimus, in melancholicis sanguinem detrahendum, ob sanguinis laudabilis inopiam: & ne ad lassam intemperiem melancholici habitum perducamus: quam distinctionem etiam prætermisit.

In quinta solutione magis periclitatur, quando judicat, quod sanguinis vitium, quod venis mesaraicis contrahitur, non indicat sanguinis missionem, quia febris ab illo non dependet, sed ab alio in venis superioribus contracto; nos etiam & illud gratis damus, quod febris incipiat à venis inter alas & inguina; illud tamen nemo inficiabitur, quod febris occasione alterentur humores, in mesaræi venis adservati; si vera est illa principis Avicennæ, febris definitio, est calor præternaturam accensus in corde, & in corpus universum diffusus: quo totum venosum genus alteratur, per communicationem, aut per se, sive adustionem, seu ad solam putredinem alterentur: quo in statu, non est dubium, hanc & illam putredinem, in ægroti pernitiem mutuo conspirare; & hanc & illam sanguinis missionem indicare, secundum leges, quas postea dicemus.

Neque illud etiam prætereundum duxi, quod in praxi sæpius observavi, (in casu ex hypothesi) ex contraposita hepatis habituali & lapsa intemperie calida; non tantum furari ventriculi calorem, nativum defraudari, sed ita coctionem ventriculi depravari, ut inde (in plerisque) maligna qualitas oriatur, penitus indicibilis; (nulla enim ex primis qualitatibus corrigitur) est enim de illarum sorte, quæ ex veneno ad tempus dato producitur, seu putredine, sive ustione comparetur; quo tandem ægroti contabescunt, contrariis vexantur accidentibus; hęc ergo in chylo jam prave defœdato defertur, & per venas mesaraicas cum illo ab hepate exsugitur, cujus vicinitate, prava mesaræi colluvies etiam inquinatur, quo illa prava sentina, & deterior redditur, & apta, ut si inde ascendant tales succi, aut alia occasione retrocedant, in his venis inculcati humores, reliquam sanguinis massam deterius inficiant: & licet hoc discrimen non sit nec omnibus commune, nec fatale; in illis tamen illud vereri licet, ubi simili qualitate pravæ conditionis & chylus depravatur, & sentina inficitur, ad ustionem potius quam ad frigidam succorum cruditatem; ergo saltem in illa febre putrida (quantumvis à venis majoribus incipiat) ubi tale vitium complicatur, debet sanguinis missio incipere ex talo, usque dum sentina videatur deposita ob rationale retrocessus periculum: ac postea de sanguinis missione ex brachio consultare: in hoc tamen stat decernentis prudentia, perfecte comprehendere naturam & conditionem ægrotantis, & an talem mesaraicis venis congerat pravitatem; an ab illa immunis videatur: cui ergo prudenti viro gliscet, prius imminens prævenire periculum, dum pravam sarcinam demit sanguine ex talo misso bis, aut ter, antequam ad cerebrum ascendat, cor opprimat, aut hepar labefactet, & febrem fortasse maligniorem reddat: ac postea hoc periculo de medio sublato, ad venas superiores ascendere, si illud vires tolerant, & hoc petit urgentia.

Neque sexto satisfacit historia anatomica venarum; nam satis se ostendit, aut illam non vidisse, aut certe oscitanter perlegisse: nos vero, qui illam Salmanticæ & vidimus, & legimus, verum & attulimus de illa testimonium in nostro Medico Tribunali, dum hoc assumptum satis manifesta demonstratione comprobavimus; quæ, (ne iterum illa sine necessitate repetere cogamur) tantum dicemus, nos ibi demonstrasse, ramos venarum à cava descendenti, quæ alunt totam regionem mesenterii, ac tandem implantari in ultima podicis regione, à quibus hæmorrhoïdes externæ originem traxere; ac postea spleneticum ramum descripsisse, quo internæ mariscæ finiuntur: & ex quo ramus descendit ad femur, & ad talum internum & externum: nec non etiam illarum venarum amplitudinem monstravi-

ſtravimus, & poſſe æqualiter corpus univerſum vacuare per venas ſibi conſociales; ac tandem æque diſtare à cava jecoris regione, ac ipſæ venæ brachii à convexa; quare nulli dubium erit, ad crura & ad pedes tales venas deſcendere, & poſſe ideo non tantum, totam hepatis, & meſenterii regionem vacuare, ſed quod magis eſt, ſuperiorem ramum venæ cavæ, ſaltem ſucceſſione ad id quod vacuatur: quo probavimus non tantum poſſe per illas venas totam, quam venæ portæ circundant, regionem vacuare, ſed etiam, à cava deſcendenti, ſi non in prima, ſaltem in ſecunda aut tertia ſanguinis miſſione: & dato, quod æque diſtet baſilica in brachio, ac ſaphena in pede, haud pari ſecuritate illa phlebotomatur, ac ſaphena; quoniam hæc vacuat & revellit ex meſaræi venis ſanguinem inibi maligne putreſcentem, & ne aſcendat prohibet, in propria ſubſtantia, aut vaporibus: quo ex accidenti membra principalia tuetur, & ab illis revellit: & baſilica, quo majori impetu contentum vacuat à cava aſcendenti, eo ipſo majori violentia trahit ad illam regionem, proprium & ſanguinem infectum, per utriuſque rami anaſtomoſes, & compellit aſcendere; ut nobis non ſit dubium, majorem quantitatem aſcendiſſe, quam fuiſſe illa ſanguinis miſſione vacuatum: nos enim non infrequenter vidimus, & fideli experientia obſervavimus, pleroſque à ſanguinis miſſione ex brachio (maxime pletoricos) in delirium, & cataphoram, aut exſtaſim incidiſſe, ab illa ſanguinis tractione, quæ non valuit tantum per ipſam ſciſſuram vacuare, quin magis aſcendiſſet; ut, dum hæc ipſa ſcribimus, notavimus, in ſatis honeſta uxore D. Raphaëlis Cataño; (adhuc antea bis ſanguine ex talo miſſo) dum urgentia nos ad brachia aſcendere compulerat; nec ideo ſanguinis miſſionem ex talo aliquo privilegio ſanatificatam vidimus; nam ſenes & debiles illa etiam occubuiſſe obſervavimus; utroque enim auxilio uti plures ſanantur, aliqui moriuntur, fatali lege occidua. nos vero quod magis conſonum rationi videtur, commendamus; quod optimum neſcimus; humana enim omni ratione inculpatum auxilium prudentia non aſſequitur.

Et tanto major erit hujus argumenti efficacia, ſi illud argumentum æqua lance expendimus, quod contra opinionem ſanguinis miſſionis ex talo, contraria opinantes adducunt; & hoc eſt argumentum: ſi in febris putridæ principio ſanguinem ex talo mittimus, ſanguis febris occaſione putridus, qui in meſaræi venis ſtabulatur, ſanguinis miſſione attractus, maſſam ſanguinariam inficit, trunco inferiori: quo febris neceſſario, & malignior redditur, & deterior, &c. ergo pari juſtitia judicamus, (ſi daretur quod meſaræi venis putridus & inquinatus humor ſtabulatur) quod ſanguinis miſſione ex brachio attractus ſuperiorem ſanguinis maſſam inquinabit, & febrem deteriorem reddet; nam ſi eſt par ratio in utroque periculo, magis eſt certe verendum, & putrido & fœculento ſanguine in meſaræi venis adſervato, ſi ad ſuperiorem regionem regurgitet ex hypotheſi, quam ex putredinali inter alas & inguina, ſi ad cavam deſcendentem deſcendat; nam in primo caſu, à membris nobilibus ad ignobilia transfertur, in ſecundo è contra; nec illud ſilentio volui præterire, in noſtra & illius doctrina, poſſe utranque regionem, per ipſas venarum anaſtomoſes exquiſite ſanguinem vacuare; & hæc virum omni commendatione dignum, rerum electione & judicio, prius expendiſſe, par erat.

Et procedit ulterius; ex noſtra ſequi neceſſario ſententia, in hepatis & lienis inflammatione fore ſemper operæ pretium, ſanguinem ex talo mittendum, &c. hoc certe ſequeretur, ſi nos oſcitanter Hippocratis & Galeni doctrinas tractaremus; ſed vere & realiter, uti decet tractamus: non enim niſi ſuo loco & tempore ſanguinis miſſionem imperamus; nam ſi eſſet revellendum ex brachio, ſi derivandum aut vacuandum, ex talo mitti ſanguinem conſultiſſimum ducimus, ut ex ipſis decretis Hippocratis & Galeni ſuadetur.

Et dum tertiam rationem impugnat, illud probare nititur, quod humores ad putredinem apti, deterius putreſcunt circa cor, quam dum à corde diſtant, quia ab intenſiori putredinali calore ſuperantur; qui eſt intentior in corde & partibus vicinis; antequam vir doctus hanc proferret ſententiam, deberet prius illam ad limam & lineam redigere; ſed protulit ut theorica doctus, in praxi non verſatus: non eſt enim dubium, quin humores putreſcant, dum à putredinali calore humidum, interminatum à ſicco, ſeparatur; ſed interdum à calore extraneato, minore naturali, illud accidit, non ſemper, nec magis ab intenſo, ſemper tamen in patibili ab ipſo naturæ regimine derelicto: evidenti demonſtratione patet; nam deterior putredo in necroſi & gangrena obſervatur, in corporis extremis quam in ſuperioribus: quare ita? quia magis à cordis fonte diſtant, ideo magis à naturæ regimine deſerta. & forte illud accidit ab intenſiori calore putredinali? illud fateri, non erit ſanæ mentis; ſed quia talis humor eſt magis à naturæ regimine derelictus, quo nec illum tueatur, nec de illius conſervatione curat; quid multum? putredinalis calor extremorum, erit ita intenſus, uti eſt cordis calor? illud nulla ſuadet ratio; ergo non putreſcunt humores à calore putredinali intenſiori, ſed ab illo qui non valet illam mixtionem conſervare, utcunque viribus ignis operetur, ut Hippocrates dixit.

Quarto, quartam rationem convellere conatur, nempe cum ait venis venæ cavæ, amplas brachii venas eſſe magis conſociales & ſemper magis vicinas, uti illarum rami: quibus ſectis citius occurretur periculo: nam uti cava aſcendens inquit, celerius per ramos ſuperiores vacuatur, ita per ramos cavæ deſcendentis ex talo; qua comparatione venarum ſuadere videtur, ſanguinis miſſione ex brachio citius ſuccurrendum iri urgentiæ: & addit, ſanguinis miſſione ex talo tantum vacuari qui continetur ſanguis in cava deſcendenti, & relinquitur, qui putreſcit, in cavæ ſuperiori trunco.

Hic etiam non attendit, niſi ad illam urgentiæ rationem, communem quam judicat ex ſola febris intentione, abſque ullo contraindicantis reſpectu; quare illud ſaltem habemus ex contraria ſententia comparatum, quod ſicut per venas brachii ſuperior venæ cavæ truncus citius vacuatur, quo brevius periculo occurritur, ſic & per venas tali, truncus venæ deſcendentis citius inanitur;

tur; quo etiam celerius periculo obsistimus, in affectu aut inibi producto, aut saltem ex consensu: ergo saltem in hoc casu, si daretur quod affectus in cava ascendenti productus, ab alio foveretur cavæ inferioris, saltem in hoc casu, sanguinis missione ex talo citius periculo occurrimus; patet ex contrariæ sententiæ doctrina: liquet etiam ex Galeni decreto, lib. adversus Erasistratum cap. 5. in commentario historiæ, &c. Stimargi famula Idumæa; hæc sunt Galeni verba: *Atqui nunc ad occasionem ipsam, ejusque fomitem transeundum est: Hippocrates siquidem te, & occasionem morbi, & generationem occasionis perpendere jubet: ergo præfatæ mulieri, licet jam tremore correpta esset, illi secare venam non destulit, (nempe ex talo.) Hippocrates enim sanguinis multitudinem cumulatam consideravit: fomes autem seu nutrimentum occasionis, hoc est, generatio primaque causa, ob quam non sit purgata, est ipsa contorsio uteri; proinde cum retentio, evacuationem, situs vero, uteri locum, per quem vacuatio instituenda est, illi indicaret, venam talo proximam incidit, talemque Hippocrates se in cunctis præstitit, &c.* Ergo pariter, si mesaræi venis sanguinis multitudo cumulatur, qui causam præstet alterius affectus, sic pariter erit per venas inferiores auferenda.

In hoc etiam urgentiæ vocabulo, omnes video attendere ad solam periculi rationem communem; sed, unde tale adveniat periculum, non attendunt, multi periclitantur ex raptu humoris ad aliquod membrum princeps; multi ex consensu, ab hoc aut illo loco: plerique ex morbi magnitudine, sive malignitate; sed unde hoc aut illud adveniat, non expendunt: si ergo daretur, quod hoc, & illud, per consensum incideret, à termino à quo, ad terminum ad quem, nonne prudens erit consilium, (quod Galenus nos docuit) *Causam periculi attendere, mali occasionem & originem causæ?* Hoc patet manifesto exemplo; detur, quod in puerpera suppressis, aut fluentibus lochiis incipiat pleuritis, angina, aut febris ardentissima, aut aura venenosa ad cerebrum ascendat, ex pede, ut gravis epilepsia concitetur; quid in hoc casu selectior imperat indicatio; quid consulit Galenus; ad fluxionis originem attendere, à loco sibi consociali, an ad urgentiam solius affectus jam producti? dices illam regulam generalem docere, semper esse urgentiori succurrendum, & ideo parte proximiori vacuandum: & sic illam exercuisse in casu ex hypothesi Riberius & Salius: sub hac hæresi mentis unde adveniat urgentia, non attendis: attende prius illius urgentiæ occasionem; & procul dubio citius urgentiæ occurres, dum fluxionis originem respicias: non enim ad tantam urgentiam affectus jam productus deveniret, si inhiberetur urgentiæ occasio; (excepto ubi jam est ultima desperatio) nam in proposito casu animum medentis acrioribus stimulis explorant, humores utero adservati & affectum superiorem foventes flogosis & incendium, & maligna putredo in ipsis vasis uteri contracta: confluxus humorum ex ordine naturæ, aut suppressio, partis affectæ attrahendi occasio, & naturæ irritatæ, ab illa succi pravitate desperatio, uti solet ab utero, & ab aura venenosa à pede ascendente. Quid consulit Galenus in hoc casu, sanguinem ex brachio mittere, an ex pede? quid prudentia consulit? placeat hoc inferius legere, non longe ab hoc loco; nam temeritatem reor, sanguinis missionem imperare ex brachio; prudentiam ex talo. Si Galenus, in quantum magna urgentia, epilepsiæ per consensum, caustica aut cauteria ad pedem imperavit; non ad caput, neque dudum ad brachia, ut prius urgentiæ quam ex consensu attendit, succurratur; & non potest alius affectus majorem inferre vim naturæ; præterquam quod citius locum, per quem debet fieri vacuatio, præscribit; urgentia vero solam celeritatem & æqualitatem in auxilio: & tantum abest, ut sanguinis missione ex brachio citius succurratur urgentiæ, quin inde comparetur extrema desperatio, affectus ipso jure læthalis: & crede mihi quod ita est vere sententia intellecta, & non adulterata; ut ex Galeno vidimus.

Si ergo sub hac lege febris simpliciter putrida inciperet, & sola febrilis caloris alteratione, sentinam putredini aut ustioni aptam concitaret, ut ex consensu foveretur urgentia, ex utroque principio, quid poterit nocere, sanguinem prius extrahere ex talo, aut sanguisugis venis hæmorrhoïdalibus applicitis; nam hic, (ut superius propositis exemplis,) & ad originem fluxionis attendimus, fomitem mali demimus, à loco sibi consociali, quo veræ urgentiæ succurrimus: & si postea ex parte febris, aut urgentis affectus, alia urgentia affectus jam producti perseverat, (ablata prius occasione) sanguinem ex brachio mittere, erit secundum rationem.

Dices, nego suppositum, & paritatem nego; nam potest dari casus (ut communiter accidit) ut non adservetur in mesaræi venis illa fœculenta sanguinis multitudo, quæ alterata contraindicantis vicem gerat; & dato, quod ita esset, non est paritas inter febrientem mulierem, suppressis, aut fluentibus mensibus, (vacuatio à natura consueta) ac febrientem virum, ubi tale non datur inconveniens; breviter, & facile respondeo; nos etiam manum ferulæ dedimus: potest dari casus, concedo; est enim possibilitas res ampla in pueris maxime & eucratis, & bene temperatis: sed, utplurimum datur! nego minorem. & in fæculo maxime, ubi morum corruptio & vita hominum, curis & laboribus dedita, ac inexplicabilis varietas ciborum, cruditas supra cruditatem, ex præpostera vivendi ratione; dum dierum noctes vicem gerunt; qua ex causa est uberior humoris melancholici proventus, pravi & fœculenti sanguinis cumulatio, ad putredinem, seu ustionem apti: qui, si adservetur, ut par est, in mesaræi venis in ramo splenetico & toto mesenterio, (ubi à natura secernitur) cui dubium erit, quin quavis febris forte, ut causæ principalis, saltem coadjuvantis, vicem gerat? ergo saltem in hoc rerum statu, tutius & prudentius erit, in quavis febre putrida, (ubi talis cumulatio præsumitur) sanguinis missione ex talo, hujus pravi humoris retrocessum prævenire, data occasione, à sanguinis missione ex brachio: nec illud vir prudens judicet impossibile, si verum est, (& hoc etiam alia paritate probatur) quod si sanguis mittatur cibo, in prima regione jam corrupto, ille pravus, loco sanguinis vacuati, ad venas inanitas retrocedit, gravioris mali occasione, & malignæ putredinis (contagio fere inevitabili) periculo; quis mirabitur,

bitur, quin etiam ad venas majores retrocedat, pravus & inquinatus sanguis, in prima regione A adservatus, si sanguis ex brachio mittatur, antequam per venas inferiores illa prava colluvies vacuetur: & tanto magis hanc considerationem extollit, si consideres corruptum cibum, qui ad venas regreditur, loco sanguinis vacuati, in cavitate intestinorum contineri, saltem mesaraicarum orificiis quæ ibi implantantur (ut tenet communis consensus Medicorum) & corrupta aut depravata melancholici succi cumulatio, intra venas mesaræi ex ramo splenetico, aut cavæ B descendentis quo non est plane impossibilis retrocessus.

Quo etiam paritas comprobatur in modo vacuandi, dum ad morbi occasionem, ejusque fomitem attendimus, nutrimentumque occasionis abscindimus; & causam *sine qua non*: cum retentio evacuationem, nempe per venas sibi consociales, situs vero locum per quem vacuatio instituenda sit, aperte indicet; regio nempe inferioris ventris, & cavæ descendentis ramificatio: ergo sicut in mulieribus, sic in viris servata pari- C tate, illa sanguinis missio ex talo indicatur, pari rerum concursu, pari indicatione, pari necessitate.

Illa tamen erit prudentis Viri cautio, si illa prava humorum colluvies, quæ in portæ aut cavæ descendentis ramis colligitur, ad frigidam crudi-tatem vergit quod illa non sanguinis missione, sed clisteribus, aut solis lenientibus & si opus fuerit iteratis, (præsente febre putrida) non catharticis electivis, in nostra Betica regione, ubi minorandi studium in febribus jam olim abole- D vit, ob infelicitatem hujus medicamenti; quod in nostra quæstione minorandi latius comprobatum reliquimus.

Quinto etiam suadere conatur, quod per venas brachii non tantum ad membra principalia, non attrahitur, quin imo, & magis, & velocius revellitur; & quod ex talo nullum, pro urgentia, esset levamen; tum quia ratione fluxus, & fluentis, potius indicatur derivatio, quam revulsio: & tandem si post principium, admittimus sanguinis missionem ex brachio, multo magis timenda es- E set in statu, ubi major vaporum & humorum, esset verendus raptus: ob ebullitionis occasionem.

Abstrahamus nunc ab Hippocratis & Galeni doctrina, & nudam veritatem expendamus; in putridis & malignis febribus, cor patitur per se aut per consensum, cerebrum, hepar, ventriculus & lien, seu per vapores à putrida minera ascendentes, seu in illis veluti in foco putrescentes, quantumvis intra majores venas talis putrescat humor, contraria opinio inquadam æquivocatione versatur, existimantes illius opinionis viri, F promptius, & celerius, & membra principalia, & magnarum venarum putredinem, citius per venas brachii vacuari, quam ex talo, & hoc sine aliqua limitatione proferunt: & ut sic est absolute verum; nos enim nunquam dubitavimus, per proximiora cavitatem celerius proximam cavitatem vacuari; hoc enim est Hippocratis, & Galeni, & omni rationi consentaneum; sed præter hoc, duo alia attendere illis non est possibile, rationi aditum præcludentes, nempe in quavis febre putrida, pravos humores, in venæ portæ ramis & cavæ descendentis collectos posse febris occasione agitari, ebullire, putrescere, & sursum conscendere, seu ad venas majores retrocedere, aut sanguinis missione ex brachio attracti, seu calore & incendio membrorum principalium, seu ebullitione elevati: secundum etiam possibile non judicant; nempe sanguinis missione ex brachio eadem actione, qua attrahitur, sanguis ad scissuram, posse attrahi eodem impetu, aliam sanguinis quantitatem, quæ non vacuatur per scissuram, & commota & non evacuata, posse ascendere, ut de facto ascendit, ad membra principalia, non tantum ex sanguine inferioris ventris, sed nec ex trunco superiori venæ cavæ; quod periculum, in Athletis, & robustis hominibus, calidioris temperaturæ & sanguineis, est magis præsentaneum, pletoricis vero commune: homini enim sedentariæ vitæ mancipato, non potest non adesse pletora: detur rationi locus, & prius capias quam carpas: sunt enim plerique Mercurio potius quam Apollini dediti; verum sua cuique esto Helena; nobis tamen nostra in hac re esto.

Redeamus ad viam: dato, quod prius & celerius ex brachio à trunco superiori vacuetur, non inde sequitur, quod promptius & celerius à membris præcipuis revellatur; neque in proposito casu ex hypothesi, quod inde celeriter succurratur urgentiæ, aut febris, aut affectus alterius urgentis; expendantur æquali lance nostræ, & contrariæ rationes, & perpendatur morbi occasio, occasionis fomes, & unde morbi urgentia fovetur: prima & potior indicatio, ubi humorum confluxio timetur, est humorem avertere in timore recursus; & quare avertere? ne cito ad partem læsam fluat, aliter recipiendo aptam; seu ad aliquam principem cum magnæ læsiones periculo: quæ ergo tutior erit vacuatio, quæ longius humorem trahit, à loco periclitari apto, aut quæ cominus? hoc dicat ipsa veritas, dicat ipse Galenus, dicant Arabes & plerique Latini: Avicenna non tantum à læso loco avertere conatur, sed prorsus ad longinquum; & quod majus est, quod omni rectitudine venarum, & fibrarum neglecta, (quod nunquam Galenus nec fecit, nec consuluit) à contrario latere docuit revulsionem facere: & quare ad hanc temeritatem nos perducit? nulla potest alia ratio assignari, nisi, ne cito avertendus humor, ad partem læsam refluat: ideo nec rectitudinem partium, nec fibrarum attendit; magna est certe ponderatio, ne incaute nostra sanguinis missio damnetur; in febris putridæ principio, ubi in mesaræi venis est fœculenti humoris collectio, necessaria possibilis attractio, & præcisa revulsio, & tandem prompta evacuatio, & tanto magis, si ad focum aliquis humor fluat, quod fit per æque amplas venas, & ex pari distantia: & quod magis est, quod hac etiam sanguinis missione ex talo, à trunca inferiori derivatur, à superiori revellitur promptius & securius, quam à sola vena brachii. quo cessat præsumptus ille timor, refluxus humorum, in principio, augmento, & statu, inferius collectus humor, antea fuerit vacuatus; postea enim nihil vetat, si sanguis ex brachio mittatur; cessat inquam ille præsumptus timor, si in principio prava illa colluvies ex talo vacuetur, sanguinis missione, hyrudinibus aut alio vacuanti ingenio: hac enim

vacuatione celebrata, nec augmenti, nec status ratione, (ubi humores funduntur & liquantur) nec ex sanguinis missione ex brachio ullum erit retrocessus periculum, neque læsionis membrorum principalium; quia cessante causa, effectus non timetur.

Neque obstat, quod revulsio interdum à parte proximiori celebretur in Galeni doctrina, ut citius urgentiæ succurratur, quando sanguinem ex brachio mitti consulit, si ad jecur sanguis confluat: nam in hac etiam revulsionum doctrina latet æquivocatio, quam prætermittunt, qui contrariam sententiam tuentur: nam ibi Galenus ad unam urgentiam attendit; nos ad aliam, ortam à diverso principio: & secundum principia diversa, auxilia mutantur; non enim unico auxilio diversis urgentiis succurritur; sed secundum illam indicationem quam præscribit urgentia quæ interdum desumitur à loco, interdum ab affectu, à causa & symptomate, ut plurimum; ad quæ omnia unicum non sufficit exemplum: sunt enim revulsionum dimensiones quatuor, nec omnes sunt ex casu, ex hypothesi, nec ab omnibus possumus à brachio revellere; possumus tamen frequentius ex talo: sed an pari securitate fiat ex brachio, non secundum generales doctrinas discernendum putamus: quare his nebulis ablatis, & æquivocationibus intellectis, secundum propriam & legitimam indicationem, indicantibus & contraindicantibus æqua lance libratis (abstrahendo ab illa generali doctrina) non dubito, quin sanguinis missio ex talo sit securior: nec ideo absolute condemno, quæ à viris doctis celebratur ex brachio: interim tamen opto, ut has singulares considerationes expendat qui in praxi versatur, serio veritatis examine; nam hujus considerationis defectu, omnes fere sequuntur oves prius iter ingressas, quod fere semper accidit, iis in rebus, ex quibus summa rerum dependet: quoniam plures gentes opinionem sine labore traditam & inventam, & obiter oblatam, quam labore quæsitam veritatem amplectuntur; ideo omnia fere opinione potius quam veritate gubernantur; illud etiam plerisque accidere videmus, ut, licet veritatem intelligant, illam tamen auersus animus amplecti dissuadet; quod si fecit, illud certe devitare non potuit, pertinaciam cum virtutis injuria coluisse.

Etsi tandem quis objiciat, illam opinionem sanguinis missionis ex brachio fuisse à longinquo ævo celebratam, à doctissimis Medicinæ parentibus; nostram vero, à nobis, & in hoc nostro sæculo, cujus semper erit impar auctoritas; & illam communem opinionem futuris intulisse; huic etiam objectioni neque rubori erit respondere, nobis communem illam opinionem valde curæ non esse; nam illa sæpius à primis ad posteriores sine examine derivata in communem opinionem cunctos deduxit. Ideo forte à vetustate tradita graviori deceptionis periculo laborat, ob solam venerationem vetustatis, quam piaculum judicant nec labiis attingere, quæ in illa Medicinæ infantia, pro illius sæculi captu, proferebantur, velut ex oraculo prolata videbantur; sed postea graviori veritatis examine, & magis exculta observatione ad limam & lineam redacta, non ita sana & tuta æstimabantur, ut quæ postea per ignem & aquam transierunt.

Inter alia tamen argumenta, nec est illud inferius, nec quod minus hanc doctrinam confirmat, quod ex Hippocratis deducitur doctrina; ducta nempe indicatione ab ipsa humoris conditione, quo humor & natura inclinat: non minus enim illa sibi vendicat indicatio ad recte & ex usu medendum, quam cæteræ indicationes in hoc casu; *Melancholicos autem*, (inquit Hippocrates 4 aph. 9.) *plenius per inferiora, nempe vacuabis, eadem ratione contraria opponentes.* Hæc ultima clausula, (nostro judicio) refertur ad duos antecedentes aphorismos, ubi in primo dixit: *Medicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores*; *recte enim æstate* (dixit Galenus) *superius purgat, quia tum humor superabundat, qui flava bilis est*; *hyeme vero per inferiora, quod pituitosus humor hoc tempore abundare videtur*, (licet aliter aliquando contingat,) & rationem addit; *Qualibet autem superfluitas*, (inquit) *eo quo vergit, ducenda est, per loca convenientia:* Quemadmodum ipse in libro de humoribus scripsit, & utrumque confirmat libro quos purgare oporteat, & de salubri diæta, text. 15. & aph. 6. subsequenti, quando dixit; *Graciles, & facile vomentes purgare superius, caventes hyemem: eadem plane ratione qua antea dictum est*; *sunt enim faciles ad vomendum purgandi, per superiora, nisi obstet hyems:* Quia nempe sunt humorum, & naturæ inclinationes imitandæ: primam autem clausulam citati aphorismi sic Galenus exponit; (&, licet Galeni auctoritas deficeret, sat esset rationis auctoritas) *Ventres inferiores, videlicet melancholicorum, oportet eadem ratione plenius medicari, hoc est fortius; quia vero ad inferiora declinat humor, non sine ratione, ipsum jubet per ventrem inferiorem vacuari, sicuti flavam bilem per superiorem*; *commune igitur ambobus est, ut ducantur quo vergunt, per loca conferentia*; *proprium autem alteri quidem humori, per superiora loca vacuari, quoniam ad hæc vergit: alteri vero per inferiora, quoniam & ista inclinat*; *contraria itaque est per superiora evacuatio illi, quæ fit per inferiora: quorum utrumque fit secundum unam communem rationem: quare recte dixit, Hippocrates, eadem ratione contraria opponentes*; Quod alia ipsiusmet Galeni doctrina confirmatur: nam dum exponeret illam Hippocratis sententiam; *Quæ ducere oportet per loca conferentia*, &c. *Quæ nam sunt, illa*, (inquit) *quæ ducere oportet, quæ nec judicantur, ore judicata sunt integre: hæc igitur per quam partem sint evacuanda, docet, duplicem nobis dans intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris inclinationem, ad quem enim locum, ex conferentibus vergit, eo ducere convenit*, &c.

Hipp. 4 Aph. 9.

lib. 1. text. 4. Comm. 11.

1 Aph. 21.

Dices, his in locis Hippocratem, & Galenum, proloqui de evacuatione per ventrem, aut per urinam; nempe per purgationem, & non per sanguinis missionem; quia non est utrorumque par ratio: nam ad purgationem sunt viæ communes destinatæ, & convenientia loca, per quæ tales humores vacuantur: venæ autem, quæ sanguinis missioni destinantur, nec sunt viæ communes, neque natura per illas unquam vacuationem tentare visa est, uti per vias destinatas, ut per illa patentia & destinata loca.

Huic objectioni facile respondetur, Hipp. in hoc loco tantum ad humoris inclinationem attendere, ut indicationem vacuandi à sola humoris inclinatione eliciat: cui Galen. addit, *per loca conferentia*, ut facilius illa met indicatio impleatur:

tur: quo ex utroque constet, ab humore & loco, per quam regionem debeat fieri vacuatio: nam in plerisque locis hanc doctrinam confirmat; maxime 1 Aph. 21. ubi præter illas vias communes, nares ad profluvium sanguinis deputavit: dum, à situ, locum, per quem debet fieri vacuatio, præscribit, seu revellendi, seu indicatione vacuandi: nam renum & uteri situs, jecoris aut ventriculi, si revellendum, à superioribus venis vacuationem præscribit: si vacuandum, ab inferioribus; ut constat ex immensa doctrina Galeni & Hippocratis; & non per illa patentia loca, sed per venas; & ne cui videatur, venas non esse loca æque vacuandi rationi destinata, ut ventriculus ipse, & intestina, servata paritate in sorte humoris vacuandi, pro sua cujusque vice; & in situ per quem debeat fieri vacuatio: sic Galenus loquitur; *Si retentæ hæmorrhoides, mittendi sanguinem occasio sint, si quidem cohibere eas voles, quæ in brachio sunt: sin provocare, quæ in cruribus sunt, venas secare convenit: at iis, quibus repressi sunt menses, semper in cruribus:* Ex situ ergo sumitur indicatio loci per quem debeat fieri vacuatio: quod clarius idem auctor expressit, adversus Erasistratum cap. 5. ubi, non tantum ex situ, sed ex morbi occasione, & occasionis origine, desumendam esse indicationem contendit, in Stimargi Famula, cui sanguinem mittendum ex talo existimavit, hac sola ratione; ut etiam lib. de Sang. Miss. 17. quod etiam confirmat 3 de Crisibus 3. 13 Meth. 15. exemplo hepatis concavæ & convexæ partis, cujus ratione, diversa ratio vacuandi præscribitur, nempe per ventrem, urinam, & sudorem; &c. Ergo non sola intestina & ventriculus sunt viæ communes, & loca vacuationi destinata; sed venæ etiam utrorumque sua servata paritate, & pro cujusque vice.

13 Meth. 6. & 11. 2 ad Glauc. 2. 1 ad Glauc. 14. lib. de Sang. miss. 18. 5 Meth. 3. 13 Meth. 11. 4 Meth. 6. de Sang. miss. 11. 18. & 19.

Prædicta confirmatur doctrina paritate indicationis & indicantis.

An in singulari urgentia morbi particularis, à suppressione mensium, aut à partu, seu mensibus & lochiis fluentibus sanguis à brachio mittendus, ut voluit Riberius, lib. 9. cap. 2. & cap. 24.

Quando per confraga & aspera fit iter, ac per profunda & alta præcipitia, ad quodcunque extremum declinemus, non leve, sed extremum nos excipit periculum, neque levis jactura, sed ultima salutis & vitæ desperatio: sic pariter sunt quædam in medicina viæ, quædam opiniones, quæ per tam ancipitia & dubia nos perducunt, & quadam fatali nos trahunt violentia, ut non leve, sed extremum excipiat periculum: & in hoc certe non est leve peccatum quod committitur, sed prorsus capitale, cum sit læthalis error, quia in hoc casu non impune erratur; ideo nullo est labori parcendum, in re gravi, ancipitis periculi, ne judicium difficile, (quod Hippocrates dixit) in electione melioris consilii, rei apprime ad vitam necessariæ periclitetur: ubi non divitiarum & honoris commoditate agitur, sed de vitæ pretiosæ periculo, aut conservatione.

Dixit Riberius lib. 9. suæ praxis cap. 2. de mensium suppressione: sanguinis copia, in hoc affectu, ita distenduntur uteri vasa, ut comprimi minime possint, (nempe ad juvandam illius expulsionem) illius ideo quantitas, imminuenda est, phlebotomia in brachio larga manu celebrata: si enim venæ inferiores prius aperirentur, traheretur magis sanguis versus uterum, ubi majorem obstructionem, & vasorum distentionem efficerent, cum ruptionis eorundem, aut etiam uteri inflammationis periculo, &c.

Non miror deceptum virum doctum, qui tantum sequitur aliorum sententias, absque exacto veritatis examine, neque ullo proprio in rebus præjudicio: sequitur enim in hac opinandi ratione, Ætium Amidenum, Matheum de Gradi, & post illos Ludovicum Mercatum, Medicum vere Regium, sed aggregatorem potius, quam de propria sententia discurrentem: & hoc, & illa, quæ sequuntur, translata sunt ex Petro Salio ad literam.

Et cap. 24. de Morbis acutis puerperarum: *Si in medio purgationis tempore,* inquit, *morbus acutus superveniat, veluti pleuritis, pulmonia, angina, &c. in principio fluxionis, tunc venæ inferiores aperiendæ sunt; si vero jam bona ex parte fluxio facta sit, & inflammatio genita atque urgeat, seu mulier sufficienter purgetur, sive non, statim venæ superiores aperiendæ sunt, è directo partis affectæ; quia talis vacuatio à parte affecta sanguinem educit: & si venæ inferiores aperiantur, antequam levamen experiatur, virtus ab evacuatione labefactatur, & materia in loco particulari inculcata, non minuitur, dum æger in discrimine versatur,* &c. & prosequitur, *idem faciendum est in febribus ardentibus & vehementibus, quia licet materia sit sparsa, attamen incendium tantum est circa cor, & viscera, ut minoris & longinquæ venæ apertione non ita extingui possit, sicut proximæ & majoris, qualis est basilica,* &c.

Periculosæ certæ sunt hæ opiniones, & tyronibus maxime, qui ab speciosis, quam solidis & veris decipiuntur levius, & publicæ salutis graviori cum discrimine; quas licet severius in nostro Medico Tribunali, refutatas invenies, nunc alia singulari doctrina, illas ad limam & lineam redigere consultissimum duximus; non tantum in Riberium, sed contra Petrum Salium, cujus ille sententiam transcripsit.

Ut primæ ergo difficultati satisfiat, debemus ostendere, sanguine ex talo misso, non tantum, non obesse sanguinem ad uterum trahendo, sed esse omnino utilissimam, illam phlebotomiam, illas venas uteri laxando, ut vasorum distentio moderetur, & viis laxioribus factis, ut cum naturæ ipsius appetitu conspirent, ut finis expulsionis tantopere desideratus consequatur, quo securius & brevius periculoso affectui medeatur: videamus ergo, quæ sit prima intentio in illa mensium suppressione; hæc erit procul dubio, menses ciere, & impeditam naturam adjuvare, ut exonerata sarcina reliquum facilius & pellat, & tandem vias ab illa obstructione distendente liberare; ablato omni impediente: quo modo ergo hoc opus consequetur sanguinem ad superiora retrahendo, & naturam ab opere laudabili distrahendo, aut versus loca ab ipsa natura destinata, & convenientia, convocando? dices esse tollendum prius impedimentum, ut hoc ipsum ex hypothesi consequatur; & illud esse si prius superior

ſarcina deponatur, ut poſtea recreata natura, ab eo quo veluti ſarcina premitur, faciliorem expulſionem conſequatur, ſuperiori plenitudine depoſita; hic eſt Achilles hujus opinionis.

Duo tibi reſpondeo, copioſam ſanguinis miſſionem ex talo ſucceſſione ad id quod vacuatur, æque ſuperiorem plenitudinem deponere, ac illam quæ reſtagnat in ſolis uteri venis: patet; nam hæc eſt ita generalis vacuatio, ut omnes humores evacuet ex æquo, (quæ eſt ſanguinis miſſionis definitio) pariter ac illa, quæ à venis ſuperioribus exercetur: ſi ergo ex ſolo privilegio evacuationis generalis poteſt corpus univerſum inanire, quare ſolas uteri venas ab illa multitudine diſtendente liberare non poterit? &, ſi liberat, ut patet ex hypotheſi, quare ex illa fructum non conſequemur, quem intendimus, ut ex alia ſanguinis miſſione ex brachio.

Secundo ſupponimus cum contrariæ opinionis fautoribus (quod nullus ſanæ mentis inficiabitur) fluxionis originem & mandantem locum, eſſe in venis uteri, (ſemper enim ex illa ſuppreſſione gravis affectus oritur) fiat ergo ex talo phlebotomia: ex hac timet Riberius & Salius, ne multitudinem ſuperiorem, ad ipſam obſtructionem trahat: conſideremus item, quantum hæc ſuppoſitio habeat veritatis: tractio fit à dolore, à calore, aut vacui ratione: quod ſanguinis miſſio à dolore, ſeu calore non trahat, luce clarius patet: ergo neceſſario trahet vacui ratione; nam loco ſanguinis vacuati, alius neceſſario ſuccedit: mittatur ergo ſanguis ex talo, & tantum illa ſanguinis miſſione vacuetur, ut ad partem obſtructam accedamus, ſi venæ quæ ſubſunt ante uteri venas, inaniuntur, neceſſario ſuccedet inculcatus in ipſis venis uteri, obſtructis ex ſuppoſitione, ſi vacuum inter has & illas non permittit natura: & ipſis obſtructis venis vacuatis, à ſuperioribus trahitur, ut etiam & illæ impleantur, & ſic deinceps, ad ultimam cavitatem venarum; non ergo ſequitur neceſſario, ſectis venis inferioribus, attractum ſanguinem in venis uteri ſubſiſtere, & obſtructionem adaugere; quin imo ſequatur neceſſario, illas ab obſtructione liberari; ſi nos non fallit hæc vera Philoſophia: nempe ab illo humore, antea inculcato, cui ſuccedit alius, & non ita forte pravæ conditionis, ut has venas diſtendat, ut comprimi non valeant: quo certe videtur illud dictum abſque ullo veritatis examine prolatum; ſic enim plures vulgantur opiniones infœlices.

Deinde in harum venarum ſuppreſſione, quæ erit citiſſima & prima indicatio? ſecundum ſelectiora medicinę principia, eſt ad imitationem naturæ humorem ducere, quo humor & natura inclinat, ablato tamen prius omni impediente: impediens eſt humor ſupervacuus, qui ante aperire non ſinit, quam ipſe vacuetur; ſi ergo unico auxilio, & ſupervacuus humor vacuatur, & humoris & naturæ inclinatio attenditur, nonne omnis prudentia hoc auxilium cæteris anteferendum putat? audite ergo quæ Galenus nos docet in hoc caſu: *In locis muliebribus, inquit, in contrarium trahes, ſi venas quæ in cubito ſunt, ſecueris, cucurbitulas mammis appoſueris, manus calefeceris, aut fricaveris: derivabis autem, ſi eas quæ ſunt in poplitibus venas ſecueris, aut cucurbitulas coxis applicueris, crura calefeceris, aut ligaveris*: non placent adhuc iſta? attendite ergo ad ea quæ ſequuntur, ex eodem Galeno: *Cæterum ſi retentæ hæmorrhoides mittendi ſanguinis occaſio ſint, ſiquidem cohibere eas voles, quæ in brachio ſunt, ſin provocare, quæ in cruribus ſunt, venas ſecare convenit: at in iis, quibus repreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus*: & capite 19. *Nam ſuppreſſiones à menſibus ortas omnino per crura vacuabis*: attendite illam dictionem *omnino*; nam idem valet, ac *ſemper*, ut nos remur.

2 ad Glauc. 2. de Sang. miſſ. 18. 13 Meth. 11. — *de Sang. miſſ. 18. & 19.*

His omnibus in locis hæc ſemper ſibi conſtans eſt Galeni doctrina, & quod magis mirari eſt, quod idem Galenus tantum ad naturæ & humoris inclinationem attendat, ut videatur in ſuamet præcepta quandam veluti violentiam inferre; nam in uteri inflammatione, quæ, jure revulſionis, poſtulabat ſanguinis miſſionem ex brachio, adhuc in iſta cautius & prudentius eſſe judicat, ſi ſanguis ex venis inferioribus detrahatur, hæc ſunt Galeni verba: *Porro uteri inflammationes magis etiam quam renum, à venis in crure ſectis juvantur: nam quæ ex cubito fiunt evacuationes, aliud etiam habent adjunctum malum, nempe, quod purgationes menſtruas comprimant, ſanguinemque ad ſuperiores corporis partes retrahant, quæ vero fiunt in cruribus, tantum abeſt, ut retrahant, ut etiam menſes moveant*; attentione legite totam verborum ſeriem, nequis judicet Galenum de inflammatione declinante loquutum, non de incipiente, & progreſſa; nam hic tantum attendit ad naturæ inclinationem, & ad humoris motum; nam potioris juris judicat hanc naturæ neceſſitatem, quam ſurſum humorem revellere, licet utilis revulſio ex illa ſequeretur; neque eſt Galeni doctrinæ conſentaneum, inflammatione declinante, tam magnum auxilium imperare; niſi incipiente, aut progreſſa inflammatione, nec tantum declinante, quando ſuperior natura tali adminiculo non indiget.

l. de Sang. miſſ. 17.

Dixit ulterius Riberius, (verbis ad literam ex Salio tranſlatis) quod ſi à quarto die partus, ſeu actu confluentibus menſibus, talis ſuperveniat affectus, ut urgentiæ jure naturæ motum ſuperet, & expurgationis neceſſitatem, licet pravi humoris, quod ſanguinis miſſio celebretur ex brachio, non ex talo, ut citius imminenti periculo ſuccurratur: hæc ſemper, ut Hippocratis & Galeni doctrina celebratur, & cæteris in affectibus ab omnibus amplectitur, ſemper nempe eſſe urgentiori ſuccurrendum; ſed cum in hoc caſu quicunque levis error ſit læthalis, eſt magna circunſpectione cogitandum, quo in tempore, quo loco & quo morbi ſtatu, in hac rerum & indicationum confuſa complicatione illud Hippocratis præceptum locum habeat; nam in communi & generali curationum lege dixit Gariopontus; licet in omnibus paſſionibus generaliter temporibus ſervire debeamus, attamen magna vi & periculo interpoſito, dum ſudoris emerſerit iniquitas cum virium defectu; & ex eo eſt prorſus vitæ periculum, ſi tunc confuſis prætermiſſiſque temporibus, rationalibus adjutoriis circumvallantibus immineamus, &c. hæc in communi diæta ab omnibus auctoribus accepimus: ſed in caſu propoſito ex hypotheſi, alia nos vocat conſideratio à nemine (quod ſciam) ad limam & lineam redacta: quod hæc nempe urgentia, pleuritidis, anginæ, pulmoniæ, ſive ardentis febris, pendet

Lib. Aurea de febrib. cap. 24.

pendet in fieri & conservari, seu à putridis & venenosis lochiis, partus occasione commotis, seu à fluentibus mensibus, ipso naturæ jure concitatis, aut irritatione compulsis, seu tandem ab uteri affectu peculiari, nempe inflammatione, aut inibi humore, maligne putrescente, unde maligni elevantur vapores, exhalationes, febrem, vel peculiarem affectum conservantes: & si talis urgentia non tantum in principio, sed medio, & fine, pendet ab illa prava conditione lochiorum, & mensium, ideo non est absolute judicandum, tardum fore auxilium quod venis inferioribus sectis comparatur, (judicio tam singulari sententiæ adacto, & omni libertate denegata, ut contrarias rationes expendere non valeat; nec minus acre judicium expostulat alia hujus rei meditatio; an, nempe, gravius periculum immineat, ex mensibus & lochiis superius sanguinis missione ex brachio attractis, (nec enim Galeno in hoc est deneganda fides, ut paucis antea lineis perlegistis) an ex tarditate auxilii, dum sanguinem ex talo mittimus? quæ non est semper talis existimanda, si ex copiosa sanguinis missione ex talo, cerebrum pectus & omne venosum genus, sicut & ipsum hepar, potest, (& de facto contingit) ad animi deliquium vacuari.

Quare non est ita facilis hujus implicati dubii resolutio, ut Riberio & Salio videtur: nec aspernanda hæc erroris occasio; nam talem errorem læthalem Galenus judicavit, qui postquam cap. 4. libri adversus Erasistratum, enixe suadere conatur, naturam esse suis in operibus imitandam, quod probat ex Hippocrate 5 Aph. 32. & 6 Aph. 21. hoc etiam confirmat in cap. 5. sequenti, in historia de Margeii famula, de qua dixit Hippocrates: *Vt filiolam peperit, illico os uteri ad vertebras coxarum distortum est; porro dolor, ex vena prope talum secta, cessavit, quamvis tremores corporis jam occupassent*; atqui nunc, inquit Galenus, *ad occasionem ipsam, ejusque fomitem transeundum est: Hippocrates siquidem te, & occasionem morbi, & generationem occasionis perpendere jubet: ergo præfatæ mulieri, licet jam tremore correpta esset, ille secare venam non distulit*, (*ex talo, non ex brachio, licet acutus morbus esset*) *Hippocrates enim, sanguinis multitudinem cumulatam consideravit: muliercula enim à purgamentis non fuerat expurgata: fomes autem, seu nutrimentum occasionis, hoc est generatio primaque causa, ob quam non sit expurgata, est ipsa contorsio uteri; proinde cum retentio evacuationem, situs vero uteri locum, per quem vacuatio instituenda est, illi indicaret, venam talo proximam incidit: talemque Hippocrates se in cunctis præstitit*, &c. non immerito sane: illud enim, ab ipsa natura edoctus, faciebat; nam inter Hipp. historias si quam liberatam legimus, seu puerperã, sive abortientem, seu alterius sortis mulierem, nonnisi mensibus profluentibus legimus accidisse; non profecto narium hæmorrhagia, seu alterius partis superioris; nam sub finem historiæ mulieris morosæ dixit: *Sub judicium menses copiosi profluxerunt, & liberata est ex febre ardente & acuta*: quod etiam tu leges accidisse virgini in Larissa; *cui primo menses proruperunt*: quid multum? si virginem in Abderis à causone, solo pedum dolore critico legimus liberatam: non ergo nuda & simplex urgentiæ præsumptio debet grave & serium judicium seducere ad lethalem errorem; ubi proximi vita pœnas luit.

A Et si daretur, quod æque urgentibus affectibus, ubi nulla instat lochiorũ aut mensium suppressio, aut fluxio, idem ipse Gal. sanguinem ex talo mittere consuluerit, pari rerum urgentia, nonne contra Riberium, & Salium ac illorum fautores non concluderet? ita sane, & erit securior hujus argumenti demonstratio; nam ex illa convincitur, non esse ita tardum auxilium, ut graviori urgentiæ non succurrat: alias enim aut nos fallit Galenus, aut illius doctrina; probatione non indiget vertiginem & epilepsiam esse in accessionibus singularibus acutissimos; audite ergo quæ B dixerit Galenus, (à lochiis & mensibus abstrahendo) comparans enim commodiora loca ad vacuandum & revellendum, secundum alibi sibi traditas leges, lib. de Sang. miss. 19. sic loquitur: *Quam ob rem podagricos ex cubito vacuato, comitialibus vero morbis, vertiginibusque obnoxios, potius ex cruribus; ac si isti magis illa sanguinis missione juvarentur*; nec credas illud tantum in prophylaxi dixisse, sed inter unam & alteram accessionem, si non forte accessio protracta illud petat auxilium; quod neque nos etiam fieri recusabimus; docti C experientia, quæ nos hujus auxilii felicitate fecit audaciores. Et nulla potest major dari urgentia, quam quæ in pestilentia observatur, non ipsa febre tantum, sed in iis quæ ipsam circundant accidentibus, & in hac & illis præsentaneo auxilio succurrit, sive sanguinis missio ex talo fiat, seu scarificatio: audite quæ dixit Oribasius lib. 7. cap. 20. sui operis: *Et sane dum pestilentia vehemens Asiam apprehendisset, multosque perdidisset, meque etiam morbus attigisset, secunda morbi remissione febris facta, crus* D *scarificavi, duasque fere libras sanguinis detraxi, hacque de causa periculum vitavi*: hoc enim remedii genus, à Galeno, Apollonio, Antylo, & Oribasio laudatur; & aliud etiam hanc considerationem extollit, quod si scarificationes (vicariæ cum sint sanguinis missionis) hoc efficiunt, & laudabilem effectum operantur, illud & potiori jure, sanguinis missiones efficient, ex majoribus venis, sectis inferioribus.

Hæmoptoica passio, & vomitus sanguinis, sunt acutissimæ etiam passiones, dum illis subito ma- E ctari homines videantur, ruptis maxime venis, aut erosis: & illæ si mulieribus mensibus suppressis adveniant præsentaneo auxilio venis in crure sectis auxiliantur: ut non solum docet experientia, sed Hippocrates probat, & Galenus confirmat; nam 5 Aph. 32. *Mulieri sanguinem evomenti*, inquit, *mensibus erumpentibus, solutio*: nec absque ratione dixit Galenus; *Erit enim retractio simul atque vacuatio sanguinis ad superiora tendentis*: hoc enim probat experientia, & nos ab ipsa excitati, illam in opere laudis capace imitabimur: F ideo mulieres, hac suppressione laborantes, misso sanguine è venis vacuabimus; quod multis aliis in locis confirmare videtur, uti libro adversus Erasist. citato loco, 5 Meth. & contra Julianum: & postquam lib. de Sanguinis Miss. 11. dixit in mulieribus repressis mensibus venam in poplite secandam; *Cæterum*, inquit, *non contemnenda illa venæ sectio est*, (nempe ex talo) *tanquam non sit auxilium, revulsorium in valida sanguinis è naribus eruptione, eo usum repente fluxionem sedasse*. Acuta passio est etiam hæmorrhagia, & illa, (si credimus Galeno) sectis venis inferioribus

ribus sedatur; & pariter urgentiæ succurritur.

Prosper Alpinus, de Medicina Ægyptiorum lib. 3. cap. 9. de hoc inferiori auxilio, seu scarificatione, seu sanguinis missione celebrato, sic loquitur. *Hoc enim auxilium, parum vires labefactando, maximam ægrotis affert utilitatem; quoniam simul vacuando plenitudinem à nobilibus partibus ad ignobiles noxios humores avellit, caputque ex hac scarificatione maxime juvatur.* Et parum infra: *Quid quæris? noxium humorem à nobilibus partibus ad ignobiles protrudere:* Motus est, similis ei, quem sæpe naturam critice facere, observamus, dum à visceribus detrudit humores ad partes ignobiles, vel etiam per vias communes, sibi notas expurgat.

Et si hæc omnia ipsius Riberii autoritate confirmarentur; (contrariæ opinionis assertor) nonne hoc erit argumentum ad hominem; audite ergo quæ ipse dixit, capite de morbis prægnantium acutis: *In prægnante*, inquit, *quidam recentiores ausi sunt venas inferiores aperire, in gravidis mulieribus, in epilepsia ex utero, bubonis venerei, & pestilentis, imo & ad abortus præcautionem, ut videre est apud Zacutum Lusitanum*, lib. 1. Observ. 23. & 130. & lib. 2. 181. Et eo solo titulo adhuc in prægnante, cum abortus periculo, hanc sanguinis missionem imperant, quod sit epilepsia ex utero, tanquam eo solo auxilio medeatur, & non in brachio sectis venis, ob recursus timorem ad caput, vel ad cor; quod de angina, pleuritide, & cæteris acutis intellige.

Quanto ergo potiores rationes considerare licet, in puerperis, seu male, seu bene procedentibus, lochiis, in retentis, aut fluentibus mensibus, licet acutissimus affectus jam in progressu sit, nec tantum in principio: quantumvis pars affecta jam receperit, & quantumvis urgentiæ possideat, si gravius periculum timetur, à Galeno & aliis, ex recursu periculo, versus partem affectam, quam ex tardo auxilio partis inferioris: tarditas enim vicibus repetitis suppletur; & ex recursu præexistens adaugetur discrimen, & forte desperatum; nam omnis suppressio cujusvis humoris est, suo jure prava, humoris autem maligni, lethalis.

Nec ideo manibus & pedibus ibimus contra Hippocratis & Galeni præcepta, semper nempe esse urgentiori succurrendum; sed volumus, prudentia & solertia, moderari præcepta, non convellere, si prudentius in praxi operemur; prius nempe sanguinis missiones ex talo, non bis tantum, sed ter & quater, imperando: & hæmorrhoïdibus hyrudinis quæ divertant à loco valde proximo: seu scarificationes & cucurbitulas femoribus scarificando: si tamen adhuc renititur affectus, & augetur urgentia, tunc tanquam in summa desperatione ad venas superiores ascendere, nos compellit urgentia; & consulit, recta curandi ratio per indicationes adinventa, quæ ad temeraria, & inversa interdum nos perducit; ne tantum ad brachii venas, sed ad Leonicas etiam in angina, forte ad venam frontis in phrenitide, ad cucurbitulam scarificatam in occipite, in sopore, & tandem in pleuritide ad scarificatam cucurbitulam super affectum latus, post septimum, aut antea, ut compellit urgentia, ceu Tralianus docet, &c.

Hæc sunt quæ nobis sub calamum venêre subitaria, quæ genium qualecunque invenit, non furatis, sed propriis divitiis: sed in communi miseria nihil infelicius reor, quam quod virtutis labores immortales præmio caruerunt, & fortunæ liberalitas fide; nihil enim in arte invidiosum magis, ne dicam odiosum experimur, quam acclamationum digniora male ab æmulis audiri, ut & occultarum & magnarum rerum manifestatores; ab artis nempe perfectione longoque rerum usu; quippe qui fucata auræ popularis fama tumidi, vanissime decepti, inglorium sibi esse existimant, aliorum gloria, meritique plausus acclamatio, quo pallido livore, (dum viscus intus uritur) Harpocrati magis, quam Hippocrati, famæ potius, quam conscientiæ sacrificando, iras studioso silentio, in ultionem condunt, dum illa invidiose supprimere conantur; nec enim dubito, quin ablato livore, (est inter viros ingenuos, obligatione & honore, claros, indecens æmulatio, sed inter viventes fere inseparabilis) omnium artium foret Medicina perfectior, ut erat olim inter artes divinior; ideo olim suas Tempori Tragœdias dicavit Schilo, ut quod melius honorem & gloriam pro meritis tribueret, quia finem æmulationibus viventium imponebat, ut præmio & gloria posterorum viventium compensaret injuriam.

Tractatus,

Tractatus, utilis & jucundus,

DE

POTIONUM VARIETATE.

AUCTORE

DOCTORE CASPARE CALDERA DE HEREDIA.

DISCURSUS PRIMUS.

Celebris potionum memoria, in Parnassi Concilio celebrata, quas vitæ & temporum necessitas, voluptatis illecebra, apud varias nationes celebriores fecit.

LEGENTIBUS S.

Ut animum altius attritum curis sublevarem, inter curarum seria, inter senatoriam necessitatem, & animi blandimenta pacem inii, ne arcus supra fidem pertensus rumperetur; ideo potionibus, jam voluptati gratis, jam vitæ necessariis, jam valitudinibus auxilio futuris, politioris literaturæ sitim, oblinire decrevi: sed adhuc ista quæ minus videntur seria, prudentiæ gravitate, lance severissimi judicii, & fideli antiquitatis testimonio comprobata desidero, nedum sola opinionis communis levitate: quia illud rerum humanarum studio certius comparavi, ipsarum rerum veriorem notitiam illam esse quæ à sensibus externis comparatur: & à posteriori, ut Philosophi dicunt; nam effectus videmus, & causas ignoramus, ut Pyrrhon Philosophus dicebat, in hoc cæteris paradoxus, sua tamen certior Philosophia; nam, si quærimus quare nix alba? respondemus, quia in illa pars aërea prævalet frigido & humido copulata; quæ albedinis est ratio formalis, in qua hujus accidentis essentia consistit; quæ ergo erit ratio albedinis in calce? siccæ & urentis qualitatis & naturæ, qua ustio producitur, & ex illa nigredo; hujus ergo effectus qualem causam dicemus? & lactis albedo eadem Philosophia demonstratur, nempe quod frigida & humida, & quia in mammarum substantia talis color consequitur, ex ultima individuatione hujus temperamenti, in illa singulari adenosa substantia; & lac nerii sive oleandri, & ficus & tetimali, quare album? in venenosa caustica & urenti substantia; & illi fructus, qui tomates *Hispano idiomate dicuntur, quare rubentes in frigida & humida substantia? & qui dicuntur* chiles *apud Indos, & apud nostros Indorum piper rubens, unde rubedinem intensam nanciscuntur, calidi & urentes? ob ista certe nobis prorsus ignota, mihi semper habui persuasum, quod humani intellectus discursus, quando magis elati superba vanitate, sunt sicut maris undæ, qui ad margines sensuum externorum collabuntur.*

Et ideo, cum inter fallibilia, varia, & incerta humana judicia fluctuare viderem vanas præsumptiones, ambitiosæ vanitatis esse maximum argumentum existimavi, posse fieri demonstrationem, in omnibus præsumere; qua cætera judicia se vinciri putentur, de infallibilitate persuasus: (vanitatis antiquæ, securæ ignoran-

tiæ conditio, quia fit magna ex desperatione securitas, ut dixit Aristoteles,) ut plerisque vanissimis videtur, res facile suaderi; sed vinci impossibile; quia judicia sunt sicut hominum facies, diversa, & cum non sint in orbe duæ similes, sic nec duo judicia, in munere judicandi similia: quoniam aut hoc superat aliud, aut in judicii solertia superatur, si superat, clarius de rebus judicabit, & erit omni exceptione major illius comprobatio: dum vero à rebus judicandis superatur, illius erunt ridicula judicia, quia ut cæcus judicat de coloribus quos non vidit, & de rebus quas assequitur nunquam; semper sycophantæ, & litium avidi, ut de Argivis antiquitas notavit, de quibus est parœmia, initio confidens, in facto timidus, & ut apud Epicharmum legitur, in Græca lectione, ignavus statim, admodum de se confidit, post autem fugit; ubi res virum postulat: ideo semper rerum magnarum auctor, in altero horum duorum extremorum periclitatur, aut in utroque simul; sed nobis illud erit solatium, (si aliquod conceditur) quod ad hunc scopulum alliserunt illustriores viri, & de communi plausu jam emeriti, qui adhuc sub hujus tempestatis periculo, hoc pelagus immensum transfretarunt: nos circulum absolvere conabimur, ut erat in parœmia, forte, non ut res ipsa postulat, sed ut valebit genium; desidero hæc dare melius intellecta, seu ut rerum utilitate proficiamus, seu ne periculis nobilia inliciantur genia.

TRA-

TRACTATUS DE POTIONUM VARIETATE.

SECTIO I.

Prima, & omnium potionum antiquior, est Aqua, quod Deus illam creavit, quando Orbis in principio, maria, flumina, & fontes fecit scaturire.

CAPUT I.

De aquæ naturalis potione, ejus electione, utilibus, & damnis.

Prima & nobilior omnium potionum, quam natura, in solatium, & vitæ conservationem, nobis tribuit, fuit Aqua; hæc, si credimus Galeno, libro de Renum affectione, tam sanis quam ægrotis, commune solatium est; & maximopere necessaria, non hominibus tantum, sed omni sensibili & omni vegetabili: & Athenæus, lib. 2. folio 40. at nemini nostrum, inquit, in mentem venit de aquis disserere, (dum nempe vites rigat) ex quibus vinum nascitur, quamvis Pindarus ille, præ cæteris grandiloquus, aquam omnium esse optimam dixerit; Homerus quoque maxime divinus, illam plurimum alere novit; comperta quoque Homero fuit aquæ tepidæ natura, & facultas; ad vulnera itaque faucium, Eurypilus ea fovet, ac perfundit.

Hujus naturæ Auctor illam hominis fabricam tam mirabili artificio disposuit, ut perenniter illo aquæ solatio indigeret, & ut perennis ignis, qui in cordis fornace exardescit, continuo, à justa & debita mensura non excederet, ideo enim pericardio, circum cordis substantiam aqua fere plenum constituit. Et secundo nobis aquam produxit, in subsidium sitis, quæ est frigidi & humidi appetitus, ne corpus aquæ indigentia marcesceret. Et tertio, ut ciborum & sanguinis penetrationem adjuvaret per venarum anfractus, ne partes quæ alimento indigent, propria alimonia fraudarentur: nec defuit aliquis antiquorum, qui aquam per se alere contendat, ut Pindarus qui in celebritate cum Homero certavit; fortasse quod, inter vitæ humanæ necessaria, hæc omnem necessitatem superet; cujus certe necessitatis ipsa vetustas gnara, severa in suppliciis, in præmiis æqualis, quos punire gravissime decrevit, *aqua & igne interdicebat*, ut Tacitus est auctor, lib. 4. Annal. *Nec immeritò*, inquit, *Tiberius Cæsar, relegato Quinto Vibio Sereno, Gyarum, & Denusiam intercessit, quod utraque insula aquarum esset egens, dandos vitæ usus dictitans cui vita concederetur; quia absque aquæ beneficio, nemo vitam potest producere.*

CAPUT II.

Electio aquarum in communem vitæ necessitatem.

Ante diluvium aquarum de alia potione non constat, imo sola simplicis aquæ potione hæc sæcula primitiva transiisse:

Ac sedare sitim fluvii fontesque vocabant,
Vt nunc fontibus è magnis decursus aquaï
Clare citat, ad se sitientia sæcula.

Sub hac moderatione, ad legem naturæ temperata, infantiam transigebat prima ætas, usque dum ambitiosa vanitas morum corruptione lacessita, vitiorum intemperie provocata, ebrietatem non solum introduxit, sed variis ingeniis edocuit, non tantum vini, sed aquæ, ut jam mentitæ illarum qualitates viderentur, non in excessu tantum, sed in præparationis artificio, ut potius voluptatis illecebris, quam communis vitæ necessitati inserviret; quoniam illa, simplex vitæ necessitas sat sibi esse putabat, fontis aut fluvialis aqua, non alio artificio mentita.

Exinde (nec dubito quin ex necessitate ortum traxerit) homines, non quibusvis aquis vitam agere voluisse, sed ad electionem selectarum aquarum transiisse, voluptati potius consulentes, quam communi vitæ necessitati; sedentaria & opulenta vivendi ratione seducti, aquam pluvialem conferentes cum fontana & fluviali aqua, & cum puteali lacunarum, ac tandem cum illa quæ ex nive ex montibus instillat: qua in electione severissime reor nostra judicia periclitari, potius voluptate & gustu, quam vera ratione, quia plerique aquas delectatione & sapore metiuntur, tenuitate alii: ex quo aliis placuit pluviosa, multis fluvialis, & non paucis fontana, putealis aliquibus; nec defuit qui à montibus nivis destillatam præferret: Homerus dixit (Athen. lib. 2. fol. 41.) insalubres aquas vocari quæ è saxis scaturiunt, salubres, quæ à fontibus: de hac Pindarus dixit:

Iucunda membris ambrosiæ par,
Delapsa rivis perpetuis aqua
Quæ prosilit Tylphosæ fonte,

Est autem Boëtiæ fons Tylphosa, cujus potu Aristophanes Theiresiam scripsit, interiisse, cum ob senectutem, ejus frigiditatem tolerare non potuisset; Theophrastus libro de aquis tradit Nili fæcundissimam & dulcissimam aquam esse, ac ventrem solvere ob admixtam vim nitri; libro autem de Plantis inquit, Thelephis procreandis liberis, genitalem aquam esse: contra in Pyrra sterilitatem afferre: & de dulcibus aquis, nonnullos augere fæcunditatem, alias prohibere, ut quæ in Octa & Tarra scaturiunt; Eusebius inquit, eos qui solam aquam bibunt, inveniendis

rebus sagaces ac ingeniosos esse; vinum autem, nostram obumbrare prudentiam; quod confirmat Erasmus; nosque idem propria experientia edocti, possumus contestari. Philosophica ratione comprobata est, quod visus aciem conservat, in longum tempus postea duraturam; quod adhuc in me ipso experior, cui sola aquæ potione inter studiorum labores indefessos visus in me in omni puritate conservatur, in ætate annorum sexaginta.

Hippocrates, qui ob judicii sublimitatem *divini* nomen promeruit, libro de Aquis, Aëre, & Locis, text.25. *Pluvia*, inquit, *ex omnibus citissime putrescit, uti ex pluribus congregata & permixta; & omnes aquæ ex nive & glacie productæ, omnes malæ.* Plinius lib. 31. Nat. hist. cap.3. in aquarum electione; divinum virum sequitur; alii pondere & mensura aquarum bonitatem metiuntur, levitate & pondere libratis, & semper leviorem præferentes periculoso & fallaci judicio: si Cornelio Celso credere par est, lib.2. cap.20. in aquarum judicio, quando dixit: *Ex aquis illa censetur optima, quæ facile refrigeratur & calescit, non quæ levior aut gravior*; & Erasistratus, inconsideratos esse, inquit, fallique, qui statera aquarum bonitatem expendunt; quoniam si aqua ex Amphiarato, saluberrima, cum aqua Erithrea vitiosa comparatur, nullum ponderis discrimen est.

Quo ergo erit melioris aquę securior electio? illa quæ magis conducet necessitatis fini, cui illam produxit ipse naturæ auctor; in duplicem finem potest considerari, seu ad perfectionem & conservationem universi; seu ad humanam naturam conservandam, sub illa perfectione & symmetria, qua individuatio consistit hujus temperamenti: seu insitis subsidium, seu in alimentorum coctionem & vehiculum, in membra corporis universi, nutritionis opere jam confecto: seu tandem, ut caloris immoderatio temperetur, quæ facultates, in pondere & justitia sui temperamenti, operari non permittit, saltem impedimento est; quo in opere aquæ est principalis actio, temperamentum quod à justo recedit ad justitię temperiem reducere; sitis passio est, & calida & sicca, ex qua necessario appetitus concitatur, & frigidi & humidi, (natura enim similibus & contrariis ad invicem refractis conservatur) & is aqua frigida & humida satiatur, sub generali ratione contrarii; eia ergo quidquid harum qualitatum usum & actionem impedit aut dissolvit, attemperationem, nempe aut vehiculum, aquam reddit proprio fini minus convenientem, si non fortasse noxiam; veluti dum ex terra per quam hæc scaturit, aquæ aliquid extraneum miscetur, sive sit qualitatis, seu substantiæ, quæ proprio & adæquato fini sunt contraria; nam inde accidit, ut cum crassior justo, aut tenuior, amara, salsa, acida, aut cænosa, sive extranei aut fœtidi odoris, sit discolor insito & naturali fini; & sic erit electior substantia mediocris, & quæ facile alteratur, à temporum constitutionibus & ventis, veluti vere frigida, hyeme temperata, & quæ nec in colore, in gustu, aut olfactu, à naturali differt, nec remoratur ciborum coctionem, neque ventris inflammationem affert, sed facilime penetrat & coctionem adjuvat; huic enim judicio est communis assensus illustrium virorum; nam Plinius in libro superius citato aquam salubrem dicit, aëri quam simillimam esse oportere; nam ut sincerus aër, nec visui, nec olfactui, nec gustui ullam manifestam qualitatem refert, ita neque aqua, quæ visui quidem pellucida, & limpidissima, gustuque nullum referat saporem: similiter neque ullum externum edat odorem oportet; Celsi judicium superius vidimus: suum Hippocrates laconica gravitate expressit, 5 Aph. 26. quando dixit: *Aqua, quæ cito calescit, & cito refrigeratur, levissima est*, per illam dictionem (*levissima*) nos selectiorem intelligimus: sic etiam & à Galeno constat intellectam in hujus sententiæ Commentario: *Non pondere*, inquit, *talem esse levissimam dicendum est; sed nunc leviorem dixit aquam, quæ ventrem non gravat, & quæ cito permeat, si neque turbida, neque cænosa, neque in gustu, nec odoratu aliquam absurdam qualitatem præ se ferat*; illud enim est quod Hippocrates dixit: *si cito refrigeratur aut calescit*; & illud Hippocratis judicium Galenus detulit sensuum externorum judicio, ut omnium semper fideliori, ne in deceptione male informati intellectus periclitetur; ac ideo lib. 1. de Simpl. med. facult. cap.5. cujus titulus est: *Quomodo judicemus aquam puram*, sic alloquitur, *judicantur autem hæ tribus sensibus, nempe visu, gustu, & odoratu: gustu pura est, si nullam afferat qualitatem, sed ad unguem qualitatis expers appareat; visu, cum sincera fuerit, ac plane perlucida; sic nec odoratu ullam præ se ferre qualitatem debet: ut sunt quædam extremæ pravitatis, quæ, aut aciditatem, aut acrimoniam, aut salsedinem, aut putredinem, aut aliud indicibile vitium præ se ferunt; igitur aqua quæ his omnibus caret, sed ut ad sensum, & usum sincera est, hæc est magis selecta: talis ergo est quæ est secundum naturam suam frigida; omnia igitur quæ examinanda medicamenta veniunt, omnis extraneæ valentisq; tum caliditatis tum frigiditatis sunto, ne dum aqua; nempe in natura sua examinanda & non in aliena.* Hoc ultimo sequitur Athenæus judicium, ex Dioclis sententia, l.2.f.42. ubi sic legitur: *Diocles memoriæ prodit, aquam utilem esse coctioni minime flatuosam modice refrigerare, visum acuere, nihil caput onerare, animi corporisque motum facilem ac promptum reddere:* & in capitis calce; *Protagoras*, inquit, *præ reliquis laudat pluviam, Hippocrates fontanam, quæ orientem vergit, Evenor cisterninam colatam*; ac tandem aquam citra controversiam alere, inde manifestum est, quod ea sola alantur animalia, quædam, veluti cicadæ, de quibus Delecampius, solo rore victitantes, & Virgilius,

Dumque thymo pascentur apes, & rore cicadæ.

Ex liquidis autem multa corpori alimentum præbere, nemo dubitat, ut lac vaccinum, tipsana; hominum & animalium fœtus lacte nutriuntur, multæ gentes lactis potu vitam tolerant; Democritus senectute confectus vitam solo melle produxit; hæc Atheneus lib.2. fol. 46.

Attamen, si aquæ puritatem expendimus in propria natura, propriaque simplicitate, in quantum in illa prævalet elementum, sola frigida & humida qualitate, in hac consideratione minime posse alere, apertissime liquet, quoniam illis partibus caret, quæ in alimenti substantiam valeant transmutari, quod puro elemento non conceditur: quod si aliquando alere videatur, illud habet ex parte elementata, quæ illi permiscetur, quod in rore accidit, & in lacte, & in omni liquido & potabili, ubi pars prævalet alimenti; & ob hoc Hippo-

Hippocrates, solo hydromele, ægrotos usque ad 4 diem sub hac inedia sustinere mandavit, quoniam pars elementata, in liquido potabili alimentum præbebat; sic rorem, lac, tipsana, & alia potabilia, alere, nemo dubitat.

CAPUT III.

De aqua, arte & ingenio frigida, artis antiquitate & usu nivis.

Sagax & provida natura, vegetabili omni & viventi, insitum suæ conservationis indidit appetitum; & ne proprio fine fraudarentur media, quibus hoc assequatur, in executionem hujus necessitatis illis tribuit; plantæ hoc insito naturæ desiderio, trahunt aquam; sive humiditatem, qua propria alitur vegetatio: sitientia animalia, perennes fontes, & flumina decurrentia quærunt, ne calore intus alito arido & urenti marcescant aridi: hominibus est etiam insita frigidæ potionis appetentia, sed sub hac differentia, ut hic appetitus rerum cognitione moderetur, dum imperat necessitas, aut voluptas seducit; & inde accidit, ut humiditatum & crudorum congerie oppressi calidas naturaliter appetant potiones, ab ipsa necessitate persuasi, ne sub frigiditate vita periclitetur; impense vero calidi, aut sani, aut ægroti, natura, aut accidenti, exercitio in solatione aut aëris ambientis intemperie, frigidam appetunt potionem, & illa delectantur, ut caloris excessus temperetur, qui vitam provocat ad duellum; sive ut muniatur, seu ne exarmatus pereat; ideo natura indidit appetitum, quo concitatur ad quærendum auxilium, in frigiditate potionis, ut excessus contrarium, in quo periclitatur; & si forte appetitus contrarium suadeat, semper movetur sub ratione boni certi, aut apparentis adhuc, quando graviori periculo illuditur: & hæc est fortasse tacita solutio illius quæstionis, *an sit calida potio salubrior, an frigida?* quoniam in ratione convenientis distant, æquali parallelo, dum hæc calida juvat, illa frigida, cum ad invicem certant in stadio, & dum in auxiliandi ratione, nec hæc superat, nec illa superatur, sapientibus indicationibus æqua lance libratis, demonstratione à natura deducta, ne Sophisticis argumentis veritas obscuretur; hoc enim ipsa natura docuit; quod vero hominum præpostera voluptas, gula insatiabilis, rerum ordinem naturalem invertat, non concludit contra salubritatem hujus aut illius potionis; sed contra voluptatis illecebras, hujus aut illius appetitus, ipsæ potioni accidentalis: sic enim rerum humanarum cursus tulit, cum appetitus superat rationem; quod contra rerum essentias non arguit, sed contra hominum pravas opiniones, ubi magis in traditionibus temporum potest periclitari intellectus; & raro in hujus rei notitia, quæ tendit in conservationem: totus discursus patet, & totus comprobatur à divino Plat. lib. I. de Rep. quando dixit: *Si siti est adjuncta caliditas, frigidi potus est desiderium; si frigiditas, calidi:* Nam sitis prorsus est appetitus natura insitus potionis, ut fames cibi; de calida potione postea differemus, ejusque frequenti usu an sit voluptati, an auxilio, & an in tabernis publice venderetur; nunc dicam de frigida.

Post melioris aquæ electionem, aquæ nive refrigeratæ apud antiquos est celebris memoria, seu in vitam communem, seu in conviviorum pocula destinaretur: sic in Atheneo legitur, lib. 2. fol. 46. Dioclem Peparethium, scribit Demetrius Sceptius ad extremum usque vitæ diem, gelidam aquam bibisse: & de pluribus aliis sola aqua contentos fuisse: & lib. 3. fol. 124. *Veteribus etiam,* (inquit) *amicissimi viri, non ignotus fuit aquæ valde gelidæ potus.* Alexis in parasito ait:

Etenim volo,
Aquam gustare: cum puteo mihi res est:
Qui frigidam introrsus penitius abstrusit.

Eutycles in prodigis, seu epistola,

Primus, is rescivit, venalis an esset nix.

Eleganti quoque Xenophonti nata fuit, in suis commentariis, nivis potio; Chares Mitylenæus, in suis de Alexandro Historiis, qua industria nix conservari debeat, exposuit: quo loco Petræ, urbis Indorum, obsidionem enarrat; scribit Alexandri jussu, fossas triginta parum inter se distantes excavatas fuisse, easque nive repletas, superinjectis quercus ramis, ac nivem longo sic tempore perdurasse. Vinum autem ut gelidius biberent, veteres olim refrigerasse, Stratis docet, in Psicasthis; de hoc etiam est Lipsii memoria.

Ex quo certe colligimus, & satis quidem manifesta traditione, non in Græcia primo (ut plerique existimant) sed in Persarum Monarchia, adhucque in illius principio, aquæ nive frigidæ usum invaluisse, nec tantum in foveis & puteis; ut quidam vir doctus suadere conatur, parum emeritus de temporum æquivocis: quo etiam principio Mercurialis periclitatur fides, dum inventionem aquæ coctæ nive refrigeratæ Neroni tribuit; quoniam multo antea Græci nobis coctam lebetibus proponunt; ut postea videbimus: & si attendamus, quod jam illis temporibus nivis invaluerat usus, rationi contrarium non erit, existimare, lebetibus calidam nive refrigerasse, ut quæ esset ad manum, & in commoditate antecelleret, nec tantum in puteis; ut dicebamus antea.

Ex sacra Salomonis Historia, etiam manifeste colligitur nivis commoditas & usus; licet per allegoriam dictum putes, & inde defectum arguas evidentiæ: sic enim legitur Proverb. 29. *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit illum, animam ipsius requiescere faciet:* Bene potuit Salomon sententiam sub allusione proferre, ut qui omnes scribendi sensus recte norit: attamen usum non excludit allusio, licet de illo major evidentia non constet, ut quidam hujus loci commentator existimat; nam proprium allusionis est, rem similem exprimere, quæ antea fuit in actu talis, non quæ potuit esse, quod vel exinde manifesto convincitur, ante Salomonem, in Græcorum & Persarum Monarchia, nivis usum ita validum esse.

In Romano Imperio circa hujus Reip. principium, nivis usus incœpit à necessitate hominibus edoctis: omitto Plinii minoris traditionem in Epistolis, quia recentior videtur quam argumentum postulat. Thomas Demsterus in additionibus Rosianis, de antiquitatibus Romanorum, lib. 3. cap. 30. ut ex notitia laboris immortalis in eruditione, sicut ex illa, quæ ex vetustissi-

mis Poëtis potuit comprehendere, aquæ nive refrigeratæ usum, ab urbis principio refert; quod longius progressam arguit vetustatem. Plutarchus etiam celebrem sui temporis memoriam reliquit, & majorum suorum, lib. 6. Symph. 5. & 6. capite, quod confirmat etiam Martialis illa sententia, toties repetita ab hydrophobis,

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem,
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Et propter notissima, ac frequenter observata pericula, ex glaciei & aquæ mixtione, (inexpertis deceptoria captio, licet voluptuosa) dicam quod observavi, & observatum veteres tradiderunt: Gravius hujus mixtionis discrimen ventriculi calori fatalem extinctionem ominatur: quoniam noster calor nivis, aut glaciei frigiditatem in materia crassa superare non valet, antequam superetur; non est enim proportio inter frigiditatem ut octo, in densa & compacta materia & calorem ut quatuor, in corpore viventi, qua interficit, ut frigidum venenum: qua Gellius edoctus Philosophia, illam nivis & aquæ mixtionem, ut venenum condemnat, lib. 19. noct. Atticarum 15. ut princeps Avicenna, Fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 16. quo certe est gravissimo discrimini apponendum, nivem aut glaciem rodere, licet adhuc cum vino misceatur, quia vini penetratione celerius interficit; temeritas quæ prius invenit pœnitentiam quam auxilium; quam ut maxime notam, Ludovicus Nonius, lib. de re cibaria, cap. 4. non præteriit; Seneca longe gravius, lib. 4. Nat. quæst. cap. ultimo: super utrunque melius Plinius, lib. 19. Nat. hist. cap. 4. per hæc verba: *Aquæ quoque separantur, & ipsa naturæ elementa, vi pecuniæ, discreta sunt, hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem vertunt; servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat; & nequid desit ad usum potionis gelidæ, Græcorum & Romanorum ætas conservare nivem docuit, ad æstatem usque in subterraneis cavernis frondibus, aut palea coopertum*; in m. 5. codice apposite magis legitur, *servatur Ligur æstibus, quod nivem hanc ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transferunt; nostra ætate, jam etiam artificium imitatum videmus, excavatis etiam subterraneis in alta Carpentania, & Vandalia, qua Occidentem vergit; si bene ab usu quantitatis temperato, in nivis temeraria mixtione, cui inter alias hæc non est ausa temeritas; ne voluptas montium pœnas lueret.* Hoc etiam non contemnenda ponderatione idem Plinius lib. 31. cap. 3. prosequitur, quando dixit: *Nivem quidem glaciemque subtilissimum elementi ejus videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum, esse convenit; nec vero, pauci inter ipsos è contrario ex gelu, ac nivibus insaluberrimos potus prædicant; quoniam exactum sit inde quod tenuissimum fuerat*: in alio codice melius legitur, *exsuctum sit inde.* Plinius etiam, prioris nepos, lib. 1. epist. 15. *Inter varia quæ erant ad cœnam amicorum parata, alica cum mulso & nive, habemus,* inquit: & Macrobius 7 Saturnal. 12. *Nosse aveo, cur aqua quæ obsita globulis nubium, perducitur ad nivalem rigorem, non minus in potu noxia est, quam ex ipsa nive aqua resoluta; scimus enim quot quantæque noxiæ, epoto nivis humore nascantur*: his etiam Disarius subjunxit, *aqua ex nive resoluta, etiam si igne calefiat, æque noxia est, ac si pota sit frigida*: ergo non solo rigore nivalis aqua perniciosa est, sed ob aliam causam; ego dixerim, ob terræ mixtionem, ex vaporibus è terra elevatis & humore concretis: licet plures alii scriptores meminerint hanc aquam in summis delitiis fuisse, quamvis maxima sanitatis cum jactura; (illis tantum, ut nobis licet conjicere, quibus extreme prodiga & profusa voluptas est,) nam Aulus Gellius lib. 19. citato, ex auctoritate Aristotelis dixit: *Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coërcebat, severiusque increpabat*; de hac etiam consuetudine, bibendi nivem dilutam, auctor est Seneca epist. 78. & 96. & libro de Providentia cap. 3. & 2 de Ira cap. 25.

CAPUT IV.

Graduum infrigidandi meta, & librata proportio, in sanis & ægrotis moderationis utilitas, & excessus pericula, in regulari usu, aquæ nive refrigeratæ.

Veniamus ad hujus potionis singularia, ad usum nempe, prout fini conducit; seu, ut excessus in statu salutis pro illius conservatione temperetur; seu, ut morbosa intentio ad mediocrem temperiem reducatur, ut salus physi redintegrata comparetur; aqua (si judicio credimus Aristotelis, quem per tam longa sæcula sequitur virorum illustrium continuata series) est in excessu frigida; *In illa enim*, inquit, *illa qualitas prævalet, respectu aliorum elementorum cum remissa humiditate: sicut aër in humiditate excellit, in frigiditate remissus*; Auctor hujus sententiæ fuit, 3. de ortu & interitu cap. 3. & Galenus 1 de Nat. humana cap. 14. & 1. de Simpl. med. facult. cap. 6. & 7. Et in hoc conveniunt Peripatetica, & Galeni schola; hoc enim necesse fuit in rerum generatione, ut refracta unius elementi qualitas, cum excedenti alterius compateretur, in illa mixtione, contrariis ad invicem refractis qualitatibus: quoniam terra in gradu intenso prævalet siccitate frigida in remisso: ignis in utraque qualitate intenso nempe in calida & sicca, sed fortius calore operatur, ut indiscordi harmonia conserventur, absque alterius victoriæ periculo: nam aëris humiditas intensa, & frigiditas aquæ calorem & siccitatem ignis intensa moderantur, ut mixtio prolifica resultet.

Patet ideo auctorem naturæ Deum, divino consilio, aquæ frigiditatem tribuisse, contemperationem caloris excedentis, elementi aut mixti, pugnant enim hæc duo elementa qualitatibus, quia substantiæ nihil est contrarium, licet nostro judicio in ratione formali sint opposita; quemadmodum ergo, aqua in mixtione, ignis elementum, contemperat, ut mixti harmonia conservetur, pari fine, frigidæ aquæ potus, in caloris excessum ordinatur; seu, ut attemperatione, corpus ad perditam harmoniam, à caloris excessu reducatur, (nam illo harmoniæ contractum rescindere videtur) seu, ne talis excessus aut brevi vitam finiat, aut lento conficiat marasmo.

In hac ergo consideratione, agimus de hoc frigidæ potu, aut sanis aut ægrotis, quoniam caloris utriusque excessus, sub eadem ratione indicat, ut contrarium, aquæ frigidam qualitatem & substantiam; quia pari solatio cedit, aut in sitis subsidium, aut excessus auxilium; calida enim & sicca

ſicca eſt paſſio utriuſque; quo eſt occaſio graviorum malorum; attamen cum ab eodem principio ſit indicata frigiditas & humiditas aquæ, hoc eſt ſub determinata differentia, nempe ut in ſanis exceſſus caloris naturalis moderetur, in quantum excedit intra naturæ limites æſtus occaſione, aut ex nativa & calida temperie, uti in bilioſis valde lapſis, quorum ſors tulit, in membris principalibus, ut, corde, hepate, & ventriculo ſimiles intemperies, quia in his quacunque levi occaſione alterantur ad calorem intenſum; ſed cum hæc intemperies per gradus, veluti per ſcalas, aſcendat in ſtatus naturalis latitudine, aquæ frigiditas arte & prudentia debet ad proportionem intendi aut remitti, ad illam præfatam latitudinem, in ſola ratione exceſſus, veluti ſi excedit in gradibus, ut duo, frigiditas hos gradus non excedat, ſed ad metam prudentiæ conſiſtat, ſemper ſub illa ratione & reſpectu, ut tantum exceſſus caloris naturalis moderetur, ut ad illum moderationis gradum reducatur, quo ſalus conſervatur.

Unde Philoſophica demonſtratione concluſio elicitur, quod aquæ frigiditas in ſanis non debet ultimum attingere frigiditatis gradum; quoniam nunquam poteſt in ſtatu ſalutis, exceſſus caloris gradum ad extremum aſcendere; præterquam quod ſanitas conſervatur ſimilibus, valetudo contrariis; quoniam illa frigiditas ultra exceſſus gradum, in debilibus aut extremam & ſubitam extinctionem, caloris naturalis inducit, aut inſuperabiles obſtructiones venarum hepatis & meſaræi occluſis illarum oſculis; aut tandem ad lapſum contrarium membra principalia perducet, cum mali habitus, aut hydropis periculo; quo in ſtatu, in Avicennæ ſententiam ſeverius non irem, Fen. 2. lib. 1. quando aquam frigidiſſimam non tantum commendat, ſed ex nive delapſam: ſi non paucis infra lineis iſta verba ſubjungeret; *Aqua præterea temperate frigida ſanis melior eſt:* Ipſa enim appetitum excitat, ſtomachum fortem efficit, naturalem calorem, & actiones omnes roborat, & ciborum aſſationem impedit; quæ omnia eo ſolo titulo operatur frigiditas moderata, quod corporis intemperiem lapſam, ad juſtitiam, quæ operationibus debetur, convertat; ulterius progreditur Galen. 7 Meth. 4. non tantum frigidam tribuens, ut caloris exceſſus moderetur, à Syrio ardore concitatus, ſed ad fructus etiam infrigidandos, recentem caſeum; lac & lactis butyrum, & hordeatum; & eo ſolo fine nullum attemperandi inſtrumentum, in ſanis prætermiſit: tanquam eſſet ab omni ratione alienum, tempori & rationi contrarium, aquam calidam eo tempore bibere; quod attentione & prudentia Raſis 9. ad Almanſorem, etiam commendavit; nam dum viget Syrius ardor, *Aqua calida,* inquit, *ventrem inflat, ſitim non minuit, appetitum deſtruit, corpus diſſolvit:* Quod Celſus etiam innuit, lib. 1. cap. 2. & 3. quo in loco hæc legitur exceptio; *Frigidæ potionis illud quoque noſſe oportet,* inquit, *quod ex labore ſudanti, frigida potio pernitioſiſſima eſt, atque eſt etiam (cum ſudor ſe remittit) itinere fatigatis inutilis: à balneo quoque Aſclepiades inutilem eam judicavit; perpetuum tamen hoc in omnibus non eſt, cum potius naturale ſit, potione æſtuantem ſtomachum refrigerari, frigentem calefieri, ſi aſſidua fatigatio urget, in vicem modo aqua, modo vinum bibendum;* *hæc Celſus.*

Fateor, profecto fateor, quod ſumma fatigatio & delaſſatum corpus labore aut ſudore, (dum puſillus intus relictus calor, ad extra expanſus tam magna violentia exſolvitur) extinctionis periculo laborat, magna affatim ſumpta frigidæ potionis quantitate; ſed nec illud eſt omnibus commune, nec poteſt unica ſententia præfiniri, nam nec eſt par omnibus reſiſtentia, neque par exolutio: debilibus enim & rara contextura reſolubili facile calor exſolvitur; robuſtis autem, deditis exercitio, Reipubl. laboribus & frigidæ potioni aſſuctis, frigidæ potus non tantum facile toleratur, ſed ab exceſſu æſtuanti caloris, & à neceſſitate lapſi temperamenti expetitur; nam præarido corpori & æſtuanti ventriculo non video quo alio ingenio, promptius & ſecurius occurrendum; & ita nos illam ſententiæ particulam intelligimus, (perpetuum tamen hoc omnibus non eſt, cum naturale ſit potione æſtuantem ſtomachum refrigerari.) Illud etiam nos de propria experientia teſtari poſſumus, pleroſque viros bilioſa præditos contextura, & alios per aduſtionem melancholicos, maxime ex pylori conſenſu, dum affectus urgeret, ſiti & ardore æſtuante ventriculo, frigida potione neglecta, in febrem ardentem incidiſſe; & alios illa accepta, incipientem febrem præcaviſſe, & hoc etiam novimus, Hiſpali, & omni Vandalia, qua occidentem vergit, ſolo nivis uſu longe minus hodie à calidis morbis, huic regioni gentilitiis, homines vexari.

Attamen, ſi hujus aquæ frigiditas attemperationis neceſſitatem ſuperat, nativi caloris extinctioni occaſionem præſtat, in corde aut ventriculo, ſeu ſanguinis tranſitu in vaſis præpedito, ſeu congelato ſanguine, quo inſuperata frigiditas in venenum converteret auxilium; inde enim vidimus familias, quæ mane antiquo ſplendore illuxerunt, veſpere triſti orbitate defleviſſe, potu graviſſimo, ſed eventu miſero; inopinata morte illorum, qui ſplendoris vanitatem, in aquæ ſumma frigiditate poſuerunt; quibus nulla placet frigiditas; nec non & aliorum, qui ſudores in medio per corporis poros exoluti & diaphoreſi nectare diſſipato, ſeu immoderato exercitio, ſeu alio ex venere longe periculoſo antequam conquieſcant, affatim aquam frigidiſſimam hauriunt, tanto periculoſius, quanto magis crapula & venere, & voluptuoſa mollitie enervati, aut ingluvie, & præpoſtera ciborum conditura obſtructi; & tanto magis, quanto albo & pallido colore veſtiuntur; ſeu dum prodiga luxuria dies vertunt in noctes, & noctes compellunt diebus inſervire; unde non innoxia mala, quoniam inveterata & in habitum verſa conſuetudo, ſi ſubito invertitur, totam corporis harmoniam periculo diſſolvit.

Et licet conſultiſſimum ſit, aquam frigidam bibere, ſub illa moderata temperie, quæ ſub illam latitudinem cadit, poterit nihilominus frigiditas remitti, vel intendi, ſecundum habitus & conſuetudinis tolerantiam, & robuſtam aut debilem naturam, ſeu ad exceſſum calidæ intemperiei compartiri, contraindicantibus æqua lance libratis: & ſi tempus attendimus, quo majori ſecuritate ſit frigida potio tribuenda, conſulite Galenum, & in illo ſimul rationem perpendite, 12 Meth. *Vbi,* inquit, *potiones ſint frigidæ æſtate, & ſint*

sint calidæ hyeme, quia appetitus naturali quadam propensione, seu ad temporis excessum, seu ad necessitatem, nos ad frigidum, vel calidum compellit: ut alibi nos docuit Galenus, 1 de Simpl. med. facultat. & 5 Aph. 27. ubi illos condemnat, qui, temporis gentilitia frigiditate non contenti, ad illam, quæ ex glacie & nive comparatur inhiant imprudenter, potius in libidinis, quam in salutis gratiam. Et hæc sunt in statu salutis documenta.

CAPUT V.

Quo frigiditatis gradu, & quibus conditionibus sit potio frigida ægrotis tribuenda.

In ægrotis alia nos vocat consideratio, & in ipsa gradus intentione, & tribuendi modo; hæc enim potio in ægrotis, aut in prandio & cæna propinatur, in excessus auxilium, febris illius quæ in illo periculũ minatur, graviorisve alterius accidentis, quod illam comitatur, ut fastidii, sitis, aut pervigilii; seu, ut semel & affatim imperetur, in magna quantitate, in occasione, ut magnum & æquale auxilium in causone, aut sanguinea febre, aut maligna, quando ex ardore febrili, aut vitæ, aut marasmi præceps ominatur discrimen; seu ne in hecticam aut marasmum pertranseat, cujus sit postea regressus impossibilis.

Potus, qui inter cibaria sumitur, singularia, illius tantum frigiditatis sit particeps oportet, ut febris, empyreumatis contemperet excessum, sed cum iste semper superet caloris naturalis (quantumvis magni) excessum, ad proportionem debet adaugeri frigiditas, quam in sanis conceditur, in eo gradu, quo præternaturalis naturalem excedit, ut cedat in attemperationem naturalis adaucti, & in auxilium æquale, caloris præter naturam redditi; licet unus idemque calor, ab externo principio ad igneam naturam convertatur, ut Hippocrates dixit: in hoc tamen attendere debemus ad ætatem, consuetudinem, vivendi rationem, conferentiam, & tolerantiam febrientis, indicante & contraindicante prudenter libratis: præterquam quod hoc gratissimo & salubri auxilio, duo gravissima præcaventur symptomata, fastidium nempe, (dum maxime contumacia ægroti in cibos efferantur.) Huic enim, dum à calido succo laxatio in tunicis ventriculi inducitur, potu nive refrigerato auxiliatur, dum frigiditatis corrugatione, & caloris attemperatione contrarium inducimus, quia dum immoderatio compescitur, aquæ frigiditate, ad justitiam temperamenti harmonia comparata, appetitus etiam restituitur. Et secundo, quia intensa & continua sitis, & fortasse despecta, clam & inopinato, inæqualem siccitatem stomacho inducens, tunicis & villis arefactis, solet transire in singultũ, seu exinanitione, seu ab acri & mordaci humore in tunicis impacto; & utraque aqua nive refrigerata in cibo & potu præcaventur, oppositione excessus æqualiter contraria, & interim cedit, & in febris auxilium, & delirii, quod pervigilii & febris occasione grande malum minatur: quid multum, si adhuc in hac febre fraudulentæ malignitatis ulla latet suspicio, alexipharmacum nullum erit æquale, ad conterenda maligna seminaria, quam aqua nive refrigerata; quoniam cum illa sint aut putredinis, aut adustionis consectaria, in calidis & urentibus succis, nullum in auxiliandi ratione energia, & contrarietate, superat efficacius, quam frigiditas aquæ, qua prompte aut conteruntur prava, aut temperantur calida: quæ certe ratio senem Rasim coëgit, ut potum nive refrigeratum, ut potissimum pestis amulætum, & præsentaneum alexipharmacum, mire efferat; ut dicemus in peste Hispalensi: illud etiam commoditatis, & utilitatis adjicitur, ut dum massam sanguineam attemperat in origine, putredini & ustioni obstat, dum defervuit attemperatus; & humor vetat, ne vapores maligni in cerebrum exhalent: quo duo graviora præcaventur symptomata, phrenesis & lethargi; illa tamen est adhibenda cautio, ne difficili respirantibus ex asthmate, aut inflammatione, aut inveteratis obstructionibus oppressis, incaute largiatur; quia nec omnis inflammatio, nec simpliciter cruditas obstat generoso auxilio, ut postea videbimus.

Si frigidam potionem expendimus, prout semel & affatim, in febre ardente ut æquale auxilium, in tempore & loco propinatur, hanc Galenus 9 Meth. 5. æqualem judicat sanguinis missioni, copiosæ, pro sua cujusque vice, dum hæc sanguinis apparatum aut bilis, qui in mali causam cedit, majori parte vacuat, illa temperat, longe à se recedens empyreuma, & non cuicunque sanguinis missioni, sed illæ quæ ad animi deliquium ægrotum producit; aliter enim, æquare non posse judicat in auxiliandi ratione magnitudinem febris; sic pariter neque frigida potio, nisi frigida valde, & valde copiosa: *Et in hac consideratione*, inquit, *si magnus est caloris adaucti recessus, sit semper æqualis potio in copia & in frigiditate; nam sic vacuat ex eventu, & temperat pro se*; hæc sunt Galeni verba: maxima igitur continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida; verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant, hæc cum & in pulsu & in urina, coctionis evidentes cernuntur notæ; febris autem est maxima; ergo si ubi extrema dominatur plenitudo, extrema indicatur vacuatio, in vera ratione contrarii, ubi extrema & lapsa intemperies ad calorem, etiam gradus frigiditatis major, & quantitas potionis æqualis indicabitur; ut auxilium in sanguinis missione, & frigida potione sit æquale: hoc ex parte affectus & causæ indicatur; sed ex parte urgentiæ, indicatur celeritas in executione; nam postea prudentia, indicantia & contraindicantia, ad limam & lineam redigit, auferendo ab uno quod supra mensuram petit, & addendo in alio quod necessitas imperat: dum unicuique tribuit, quod justitia consulit, medendi ratione librata: & in hac consideratione, frigiditas, & quantitas potionis additur, aut minuitur ex arte aut prudentia, media quæ in consultatione raro justitia librantur, quia raro judicia sunt æqualia.

Damna frigiditatis nobis prius Galenus ob oculos proponit, quia prohibet aquam frigidam dare, antequam coctio in humore præcedat, & satis necessarias cautiones edocet: *Nam si curare*, inquit, *aliquando infirmum coëgeris, cui non solum antea secundæ venæ remedium, prætermissum est, sed & nunc quoque mittere sanguinem prohiberis, ad frigidam* exhi-

exhibendam accedes, diligenter discernens, quantum ex ea nocumentum contingere possit: nam si exiguum, aut nullum sit, offerenda potui est quæ prorsus sit gelida, quantum bibere ægro libet; quin imo magis id audebis, si frigidæ potioni insueverit; sin magnum timetur incommodum, ab hac quidem abstinendum: porro incommoda quæ frigidam potionem intempestive immodiceque exhibitam sequuntur, in his consistunt, quod lentos crassosque humores, sive hi obstructiones, sive putredinem, sive phlegmonem, sive qualis erisypelas, aut scirrhus, aut ædema est, affectum creaverint, attenuari, digerique prohibent; ad præsens enim non parvum affert levamen, quod jam accensam febrem extinguit: verum, cum causa ejus adhuc perstet, aliam denuo accendi necesse est, & difficiliorem ea quæ præcessit: hæc una noxæ species minime est contemnenda: altera talis est; multæ laborantes imbecillæ particulæ, sive ita ex se naturali intemperie habeant, sive ex vitio ascititio, à frigida læduntur: aliis enim gula, aliis ventriculus est affectus, ut vix concoqueret, aliis os ventriculi, jecur, colon, pulmo, septum, & renes, aut vesica, aut tale aliud à frigida percussum, ut ad proprium opus infirmum sit redditum. Et concludit, nonnulli autem ex intempestiva immodicaque ejus potione non multo interposito tempore, nec postmodum, sed illico difficultate spirandi, & convulsione, & tremore corripiuntur: ac toto, ut semel dicam, nervoso genere læduntur.

Hæ certe cautiones sunt Galeno dignissimæ: nemo tamen illud inficiabitur, maximam timidis occasionem dare, cum sit fere impossibile, in eodem & diversis ægrotis aliquod ex impedientibus non adesse; quo in statu, illud semper consultissimum judicabo, indicantia & contra indicantia æqua lance expendere, ponderibus & meritis librata suis, & eligere, si non optimum datur, minus malum; nam si attemperandi est maxima necessitas, & citissimum urget vitæ periculum, si non forte marasmi: adhuc postpositis quæ minus urgent, impedientibus, non dubito frigidam esse offerendam potionem: nam si adhuc ipsa impedientia ad limam & lineam redigimus, inveniemus hæc eadem persæpe cum præcipua necessitate coindicare: nec in tanta rerum confusione Galenus, in iis, quæ solo metimur judicio, se valet explicare; quoniam, si contraindicantia sunt absolute potioris urgentiæ, ideo gravioris discriminis: nulla est hæsitatio in doctrina: si vero æque urgent, fere patet, neque ipsum Galenum expendisse merita singularia utrorunque, neque ad gravius discrimen attendisse, dum judicat cruditatem semper fore potioris urgentiæ, si vere & realiter, antequam coctio consequatur, caloris violentia sit periturus æger; aut periculum sit ne in marasmum transeat; quinimo Hippocraticæ prudentiæ dignius judicabitur, & mentis inconcussæ, mortem certo venturam, auxilii festinatione prævenire, frigidam potionem, adhuc sub dubio offerendo, excedenti calori coæqualem: quoniam periculo urentis caloris superato, gravius effugimus discrimen: licet postea de cruditate certus esset eventus in omnibus humoribus; scopulus multo ante præventus ab eodem Galeno, quando in eodem casu sic loquitur: *Malo enim phlegmonas in præsens adaugere, quam ægrum in hecticam incidere; quia ex illa, spes, licet dubia, relinquitur, ex hac valetudinis ultima desperatio.*

Nec dubito, quin Galenus nos illa cautione in timore justissimo coërceat, ut cautiores reddat, ut etiam aquæ frigidæ ebrios, (cautio in vino utilior fortasse) quoniam tacite de se ipso fatetur, in hac frigida potione, quam timidum, audaciorem fuisse; ductum experientia & observatione: patet ex verbis quæ sequuntur; *Non ignoro*, inquit, *quod formidolosum te, ad frigidam offerendam, ex iis quæ memoravi, redderem, nisi ea me usum, subinde vidisses semperque cum successu, nec ægrum in illo manifeste læsissem:* Ac ideo reor, quod unico in casu contraindicantis timor superare potuerit indicantis audaciam; si febris aut aliud grave accidens in corpore inciperet, frigidis, crudis, & crassis, scatente, debili aut obstructo, & ventriculi omnino debilissimi, seu asthma, aut aliud grave pectoris affectum patiente; seu tandem levioribus arteriis obstructis: quoniam in his debilissimus calor, aut repente obruitur, aut subito frigiditatis accessu suffocatur; at cæteris affectibus calidis, ubi febris ratione ustionis aut caloris excessus, cruditas quæ obstare videbatur producitur, seu forte conservatur, tantum abest, ut contraindicantis induat rationem, quin illa, per se sola, sit verum & principale indicans, frigidæ potionis: neque displicuit hæc nostra Philosophia doctissimo Valesio; qui lib. 4. suæ Meth. cap. 2. sic effatur: *Debilibus, ob febris vehementiam, nulla ratione occurritur melius, quam aqua gelida:* quod idem in marasmi periculo judicat faciendum, licet pars interna inflammata videatur obstare: *Nam ad Galeni imitationem*, inquit, *est illa frigida potio propinanda, ut urgentiori succurratur, & hoc in magna quantitate, non in parva, quia ista distemperiem magnam non absolvit, seu quia inæqualis, dum ab intemperie absorbetur, in bilem versa, in febris causam cedit, ut postea intensior reddatur.* Hanc olim fuisse Ætii sententiam, clare patet, lib. 5. sui operis cap. 89. mulieris valde extenuatæ exemplo, quam, dum causone laboraret, solo frigido potu instauravit: hanc etiam Galenum practicasse, constat ex 1 de Different. Feb. 9. 11 Meth. inf. 9 Meth. 8. 3 Acut. 12. & 13. & illud quidem si vires non deficiant.

Quantum semel bibere libeat, ab iis auctoribus conceditur: legite Gariopontum in libro suo aureo de febribus cap. 17. ubi frigidam potionem, suo loco & tempore concedere non renuit, Galeno audacior: *Neque consuetudo*, inquit, *tantum facit, ut omnino prohibeat, ubi vocat urgentia, quoniam semper hæc illam superat:* Sed prudenti judicio, & clara distinctione, indicationibus libratis, in hoc casu loquitur Averroës, lib. 7. Collig. cap. 8. *Si æger*, inquit, *vehementi siti crucietur, non est spectanda coctio, cum vires antea deficiant: quare satius est in principio cum materia febris non sit cruda, ob crassum & viscidum humorem, sed ob aërem & adurentem calorem; quare frigidæ potu, acrimonia extinguitur, & satius curabitur: licet in aliam degeneret febrem.* Quod nec virium imbecillitas frigidæ potioni omnino reluctetur, Galeni est expressa sententia; nam 12 Meth. 4. de Syncope ex flava bile sic infit: *At quibus ex flava bile quæ os ventriculi infestat, Syncope incidit, iis frigida exhibenda potio est, ut nempe caloris acrimonia temperetur; non tamen in illa quantitate qua febribus tribuitur.*

Semper hunc rusticum timorem complanare consultissimum duxi, quantum casus & ratio suadet: ideo eruditionem supra seipsam efferendam existi-

existimavi: quoniam est admiratione certe dignum, quando tam evidenti demonstratione, & vera Philosophia demonstratur necessitas; & hoc unicum ægroti sitientis levamen, quo haud minus quam de vita agitur, esse superstitiosos quosdam medicos, qui ob rusticum timorem, aut apparentia importunæ prudentiæ, ægrotos mori sinant, à siti inexhausta præaridi & calore combusti.

Illud ultimo discutiendum restat, an potus ille, nive refrigeratus, in bona quantitate, magni auxilii, & æqualis curandæ valetudini, induat rationem, uti sanguinis missio ducta ad animi deliquium: in hoc enim ratio dubitandi consistit, quod in hac morbi causa magna ex parte ducitur, & in illa ne minimum quidem interdum vacuatur, nisi ex accidenti, dum tam temperat affectum, & præcavetur symptoma, ut sanguis missio efficit & purgatio: huic dubio brevissime respondeo, potum nive refrigeratum, quantum bibere ægro libet, seu in proportionata quantitate, magni & generosi auxilii rationem subire, uti sanguinis missio & purgatio, ex hypothesi in proposito casu: pro cujus decisionis clariori notitia, illud est supponendum, quod morbus magnus, aut est talis relative ad vires, aut propria essentia, dum lapsa, aut magna intemperie magnus redditur, solutione continui, aut compositione depravata, aut partis affectæ ratione, si nobilis aut nobilibus servit, sive cacoethia, dum cæteris adjicitur malignitas: dicitur magnus, etiam qui accidentium magnitudine, sive confusione complicata, gravius periculum minatur: symptomata etiam dicuntur magna, quæ virtutem dissolvere apta sunt; & similiter causa magna dicitur, quæ ob sui vehementiam morbos nata est vehementer augere: in hac etiam consideratione præsidia dicuntur magna, quæ subitam & magnam alterationem, aut motum valent in corpus nostrum inducere; aut quæ morbi materiam educunt.

Qua supposita doctrina, conclusio probatur, potum frigidæ aquæ non in quacunque magnitudine morbi, auxilii magni rationem sortiri, sed in illa tantum, ubi morbi magnitudo per vehementer calidam intemperiem constituitur; tunc enim tantum habet rationem contrarii in gradu æquali frigiditatis, & multitudinis, quæ valeat causæ magnitudinem æquare, & calorem extinguere; nam illa vehemens, & subita alteratio auxilio magnitudinem tribuit, uti sanguinis missioni, & purgationi morbificæ causæ, vacuatio; pariter enim in utroque auxilio, & causa & affectus medetur, ubi maxime attemperationis indicatio multitudinem superat; nam utroque auxilio cessat febris.

Sunt etiam pleraque accidentia, quæ pari magnitudine amant hoc juvari auxilio; quoniam par in illis attemperandi observatur necessitas, & pariter ab illarum intrinseca ratione indicatur, ne dicam magnitudine, veluti legitima phrenitide, & delirio, aut in dysenteria, à calido & mordaci humore, bilioso, seu usta melancholia, ut in aliis etiam accidentibus, quorum magnitudo in excessu calidæ intemperiei sita est; nam sicut in febre ardente, interna inflammatione, calida intemperie hepatis & ventriculi, est æquale auxilium, in magni ratione & contrarii, sic etiam in istis, quia valet affectum & causam superare: hoc ultimo probatur, si definitionis magni auxilii essentiam expendimus, clarius ex Galeno, 9 Meth. 5. quando dixit: *Maxima hujus febris remedia hæc duo sunt, & sanguinis missio, & potio frigida:* attendite ad illam dictionem (*maxima*) est enim illud in ratione magnitudinis extremum.

Adhuc nobis amplius discutiendum restat, an illa magnitudinis ratio in potu, in frigiditate sit, an in magna potionis quantitate? si in hoc casu rationem consulimus, in ipsa Galeni mente, & omnis vetustatis auctorum, inveniemus magnitudinem in frigiditate potius sitam esse, quam in aquæ illius quantitate: quoniam caloris excessu debellato, brevius periculo occurrimus, quando in caloris excessu vita periclitatur: attamen nobis videtur aliter sentiendum, magnitudinis rationem in utraque consistere, simul & semel, in potu nempe frigido, & magna quantitate exhibito: quia parum sola frigiditas interesset, ni in tanta quantitate exhibita, ut causam & affectum superasset, quia potus in parva quantitate, à causa absorbetur, nempe à bilis multitudine, & ab ipsa partium siccitate, quo etiam necessario demolitur frigiditas, & humor convertitur in bilem, ut in fornace accidere videmus, aqua in ignem versa, dum pauca irroratur, valde accensus ignis; at ubi sunt æqualia, quantitas & frigiditas, contrarietas pariter observatur, in formali ratione contrarii, in qualitate nempe, quæ superat excessum, & in quantitate, quæ non ita facile superatur: quo ad mediocritatem utriusque reducitur excessus, & causæ & affectus; præterquam quod in sola propositione observatur æqualitas in auxilio, sed in majoris inæqualitatis proportione; non enim ad invicem operatur æqualitas, ut Aristotelis & Galeni confitetur schola; sed hoc ultimo convincitur illis Galeni verbis, *quantum bibere ægro libet:* Nam sitienti & arido ægroto, non quævis placet aqua, sed quæ ad sitis rationem metitur.

Ultimo finiatur discursus, in ipsa infrigidandi arte: nam omnibus numeris utilior infrigidandi ratio, semperque securior est illa, quæ à nive admota comparatur: ut apud nostros hodie, in argenteis aut vitreis ampullis mos est infrigidare: quoniam neque aëre, nitro, neque in subterraneis, aut puteis ille frigiditatis gradus inditur, neque pari securitate ut à nive: & parum illud, quod de nivis siccitate aquæ communicatur, est præcipuum salutis conservandæ auxilium: & putrefactionis inhibendæ in ægrotis: & inter alia visus aciem mirifice conservat, laboris lassitudines dissolvit, & ab æstatis affectibus æstuosis præservat; ex quibus ultima elicitur conclusio, quod potus nive frigidus in salutis statu debet concedi, biliosis, sanguineis, militibus, & gravioribus Reipubl. ministeriis occupatis, nativo temperamento ad calorem prolapsis; prægnantibus etiam in æstate, licet non ita gelidus; purpuratorum, & nobilium filiis, ut innoxie ferant assueti, necessitatis tempore; debilibus etiam cautione prudenti permittendus: omnino vitiosis denegandus, in quibus in membrorum nutritioni dicatorum imbecillitatem, crudorum congeries cumulatur: obstructis etiam asthmaticis, ac tandem stomacho debilibus, ut & voluptuosis in

in vita sedentaria, præpostere viventibus; & in tempore morbi, indicationibus & contra indicantibus prudentia libratis, sub his conditionibus quarum antea fecimus mentionem.

CAPUT VI.

De potu aquæ calidæ, ejus antiquitate, salubri aut insalubri usu.

Calidæ aquæ potu olim veteres utebantur, sive ut coctionis tenuitate penetrabili, conciperet altiorem frigiditatis gradum, (Neronis Romæ depravati appetitus, & prodigæ luxuriæ inventio, ut Plinius est auctor 31. Natur. hist. cap. 3.) sive appetitus illecebra, seu salutis deperditæ auxilio. In Seneca hujus calidæ potionis est celebris memoria, lib. 2. de Ira cap. 25. à Juvenale & illa celebratur, quando dixit:

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister.

Hoc etiam in Martiali legimus,

Poscis aquam calidam; cum nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Dion Cassius de Caligula Imperatore refert, quod cauponem capite damnavit, quia in die sororis Drusillæ feralium, aquam calidam venderet: quod de antiqua consuetudine manifeste convincit, ut tabernis cauponariis publice veniret: in Valerio Martiali epigrammate 12. est etiam hujus consuetudinis memoria; nam dum bibacem Sextilianum notat, hæc subjunxit:

Iam defecissent potantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Et dum Tacitus, quæ in suspicione dati veneni, Britannico præcessere, refert 13 Annal. cap. 49. sic enarrat: *Innoxia adhuc, ac præcalida, & libata gustu, potio traderetur Britannico, deinde postquam fervore aspernebatur frigida, in aquam affunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter ac spiritus ejus raperentur.* Quam certe potionem in delitiis habitam, existimavit Lipsius in electis, lib. 1. cap. 4. *Et velim,* inquit, *ei capiti addi Arriani locum,* lib. 1. cap. 13. (quem Græcis verbis citat:) *& Seneca in libro de Ira; ex qua etiam potione gustasse Titus credebatur: Suetonius, ait, Titi cap. 11. quod solita eruditione citat doctus Laurentius Ramires de Prado, quando dixit, inficiari non possumus in delitiis fuisse, confirmantibus id multis veterum testimoniis;* Quæ adducuntur à Lipsio, dicto loco; & Clemens Alexandrinus, 2 Pædag. cap. 3. neque illam inficiatur consuetudinem; Mercurialis etiam hanc potionem apud veteres fuisse, non abnuit, sed lassitudinibus, & variis salutis necessitatibus; non delitiis affirmat: sed non obstat utrique muneri profuisse: quantumvis aliter sentiat Andreas Bacius lib. 4. divinarum historiar. & Josephus Caustalius ex Plinio levi capta occasione lib. 24. Nat. hist. cap. 4. ubi ait: *Nullum animal præter hominem, calidos sequi potus, ideo non naturales esse: faciunt enim homines naturalia, & quæ videntur, præter ipsam naturam illecebris & gustui inservire:* Nobis enim illud miri non erit, debilibus stomachi frigidisque passionibus etiam in usu fuisse; illud tamen non obstat, etiam haberi in delitiis; hoc tamen majorem fidem facit, & fere manifeste convincit, quod celebrioribus conviviis calida offerretur: ibi enim non saluti, at voluptati pro-

A spicitur, ut prudentes & cordati viri facile dabunt: legite Athenæum lib. 3. fol. 123. ubi ista leguntur: *Porro aquæ perquam frigidæ usum, in propinationibus veteres non ignorarunt:* verum ea de re tacere constitui, nisi me docueris in epulis an veteres calidam aquam biberint? nam si crateres ex eo quod facere solent, casu vocati sunt, & ii vino commixto pleni adstabant, ferventem potum illi convivis mox exhibuerunt, lebetum more, igni subjecto ebullientem: in usu fuisse calidam aquam priscis, liquet etiam ex Eupolide in B epulis:

Ahenum calfac nobis aliquem, & aquam
Iube coquere; visceribus ut auxiliemur:

Promiscue veteres videbantur aqua calida uti, gustui, aut auxilio; nam Antiphanes in Omphale hanc consuetudinem suis versibus refert, Græciæ in regione viguisse: Horatius suo tempore Romæ, ut dixit lib. 3. Oda 19. hoc versiculo,

—— quis aquam temperet ignibus?

Ut etiam Plautus in Milite:

Neque ille calidam hic bibit, in prandio:

C Et Pollux lib. 9. *Hoc idem* (inquit Athenæus) *in Alexidis fabula recitatur, & procedit; Plato in 1. de Rep. meminit hujus consuetudinis: dicit enim, si siti est adjuncta caliditas, frigidi potus est desiderium, si frigiditas, calidi, ut docuit natura, & omnibus mos est.* Mapheus etiam lib. 6. enarrat, inter Cynarum mirabilia, memoria digniora, quod præter calidam aquam, qua omnes in communi utuntur, hos uti quodam potu, ex succo cujusdam herbæ quæ *Chia* dicitur, apud illos, in præcalida aqua, agitato, non tantum voluptati sed saluti, & apud noD stros hodie *Chocolate,* quanto magis calidum, tanto magis habetur in delitiis, & ita in communi sumitur, & conviviis.

Et si fas est veteribus nova miscere, dicam quod nobis consentaneum magis rationi videtur, & humana conditio mille docet exemplis, gustum nempe nulla nisi appetitus lege moderari; & cum hic humanam conditionem insequatur, hæc solet ad tempora mutari, regionum & hominum consuetudine, & observatione juvantis & nocentis, si non forte voluptatis illecebra: E ac ita qui aquæ calidæ fructum experiuntur, & propria temperie commodis delectantur, illi ea utuntur, non ut certe frigidæ præferenda, ut patet in Cynarum gentibus & Japonum, licet incolant calidas regiones; solet etiam à principe aliquo imitata consuetudo introduci, ab illo nempe qui ob contractam antea valetudinem, illa aut delectatur, aut compellitur uti, pura necessitate; cui plaudit postea adulatio, aut æmulandi amor, semper validior in principem: unde non mirabor, si Romæ aliquis inter alia morum corruptioF ne depravata, hæc invexerit, ut alia majora, quem postea communis plausus sequitur; & neque hoc nec illud facit ad præferendam calidam potionem, ut salubrior æstimetur, aut utilior; quoniam in calida damna non contemnenda experimur; & quam in frigida sæpius graviora, qualia Hippocrates expressit, 5 Aph. 16. quando dixit: *Calidum, ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert, carnium effæminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectiones, ad quæ mors:* His omnibus assentitur Galenus, quorum etiam in commentario reddidit rationem;

5 Aph. 16.

attamen advertit, si continua & magna quantitate sumatur; nam pitissare sub illa non comprehenditur sententia: illud tamen nolui præterire, quod in quadam conferentia diserte adnotavit in Græca lectione versatissimus, & omni opinione major, D. Franciscus de Ryoja, Galenum nempe non solita attentione legisse, loco hujus verbi, (*affert*) verbum illud (βλάπτει) quod est idem quod *lædit*. Hoc enim lectionis legitur dissonantia; nec consonat orationis sensui: ac ideo existimo, similitudinem alterius Græci verbi occasionem fallaciæ attulisse, in quo unica sola litera permutatur, quod legitur (βλάστει) & significat *generat, producit*; ut constat hujus dictionis etymologia in omnibus Græcis exemplaribus; quæ Hippocratis mentem lucidius exponit, non illa quam Galenus convertit: ulterius progreditur Hippocrates sequenti Aphorismo 17. à contrario damnans frigiditatis usum, quæ sententia sub eadem conditione venit intelligenda, dum frigiditas, quæ supra temperiem intenditur, continuate sumitur; *Frigidum autem*, inquit, *convulsiones, distentiones, livores, nigrores, febriles*, &c. ubi dictio antecedentis Aphorismi est supplenda, βλάστει, hoc est *producit*: aliter enim orationi verus non esset sensus; utraque enim cautio à Galeno asterisco notatur in hujus Aphorismi Commentario.

Talis erat olim aquæ calidæ usus; hodie non habetur in delitiis, neque publice venditur, ut apud Græcos & Romanos legimus in antiquis: est tamen plerisque passionibus utilissima, & magni in medicina usus; nam in hypochondriacis, dum flatibus distenduntur hypochondria, aut cor à calidioribus flatibus lacessitur, illos haustulus aquæ calidæ mire discutit, & maxime à borraginis aqua; illa enim & concoquit, & dissipat: est enim etiam sua flatibus coctio, dum tenuati aut cocti, expellendo redduntur; prodest enim, dum in prima regione & ventriculo cruditates abundant, frequenter cumulantur; maxime dum præcedit parum rhodomellis ex saccharo, miva cinamomi aromatisato; & dum magna ex flatibus incidit suffocatio: haustulus enim aquæ calidæ vias flatibus aperit, & partem subtiliorem conterit, & resolvit; illis etiam est mirabilis, qui doloribus nephriticis vexantur, quibus scatent cruda, aut lapis est in via; & in pectoris morbis chronicis, aut acutis, ut in asthmate, pulmonia, pleuritide, tussi inveterata: hæc omnia comprehendit Ætius, Tetrabl. 1. Serm. 2. & cap. 165. in hac brevi sententia; *At vero aqua calida convenit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, aut liquare, aut mollire, aut eluere, aut concoquere, aut discutere volumus: in universum igitur calida pota hæc est: particulatim vero mucum ducit, & screatum adjuvat, & dolorem omnem mitigat, præsertim in præcordiis, ac intestinis, ructum movet, & flatum provocat, urinam ac secessum ducit*; similia fere commoda Tralianus de aqua calida refert, lib. 12. cap. 1. & Jacobus de Partibus quemdam citat Aristotelis librum, de Regimine principum, cap. 4. de quo refert hæc verba: *Sane Græcus judicavit, & dixit, quod sumere quolibet mane aquam calidam pleno ore bis, ita sanum reddebat hominem, quod non indigebat alia medicina*, Fen. 2. lib. 1. Sum. 1. Doct. 2. cap. 16.

Hæc omnia intellige, si tantum adsumatur, cum necessitas instat; nam utcunque & frequenter in vita communi aquam calidam bibere, est occasio graviorum malorum, ut Hippocrates dixit; & Galenus confirmat, sub illa dictione, *ubi quis sæpius ea utatur*; nempe ultra temporis & affectus convenientiam; quod non prætermisit etiam Avicenna, Fen. 2. 1. Sum. 1. cap. 16. quando dixit: *Eam tamen frequenter bibere, est malum, quia stomachi debilitat virtutem.*

SECTIO II.

De Vinorum historia.

CAPUT I.

De Vini potione, hujus plantæ principio: vinorum electione, usu, & qualitatibus, ac de farri initio.

Secunda potionum, in ordine temporum chronologico, Vini fuit, & farri; quoniam cum Noa, quem vetustas Janum & Deorum patrem appellavit, in prima Orbis instauratione, post universalem terræ inundationem, jam jam arca cum filiis egressus incœpit: illustrior hujus potionis memoria, & quæ legitur in temporum annalibus, est in hoc Viro justo, ab illius principio: propter quod beneficium, in hac mundi infantia, illi homines aras dedicaverunt, ut postea non paucis, sola animi gratitudine, ob alia accepta beneficia; hæc legitur 9 capite Genesis per hæc verba: *Cœpitque Noë, vir agricola, exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo: quod cum vidisset Can, pater Canaan, verenda scilicet patris nudata, nuntiavit fratribus suis:* & parum infra; *vigilans autem Noë ex vino, cum didicisset quod fecerat filius suus minor, ait, maledictus Canaan*, &c.

Armenia. Iam constat quod prima vitis planta, & liquoris initium incœpit, ubi diluvio exacto, & aquis recurrentibus, arca portum invenit, ubi Noë & vineam plantavit & exercuit terram, in hac mundi infantia, Orbis prima ætate, quæ Aurea hujus sæculi dicitur; quo certe manifeste convincitur traditionis error, quam Gyraldus Ferrariensis refert, Syntagmate 8. quando dixit: *Bacchum eodem loco ferunt, vitis & vini usum & plantandi rationem docuisse; si non dicimus hoc in Græcia à Baccho incœpisse. Continuata serie hæc potio diffunditur: quo etiam tempore farri potionem ipse Noa edocuit; hæc ætas Aurea, quæ ab illo incœpit, tercentos fere annos perduravit, ut tradiderunt veteres; & in computo legitur Fabii Pictoris, lib. 1. de Aureo sæculo, & de Origine Vrbis Romæ; utriusque ab hinc incœpit usus, non tantum vitæ communis usui, sed in veri Numinis sacrificia; Deo enim primævi homines dicaverunt altaria, cultu traditioneque Noæ; quia illa Orbis Infantia magis de beneficiorum gratitudine agebatur quam de vitæ delitiis.* sic legitur Fabio Pictore in præcitato loco; *Ea ætate, nulla erat Monarchia, quia mortalibus pectoribus nondum hæc fera ulla regnandi cupiditas, principes, quia justi erant, & religionibus dediti, jure habiti dii & dicti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à jure innato discedebant: nullo tunc vindice aut metu, sed sua sponte retinebant fidem, & rectum: pudor ipse regebat populos*

populos & principes : domus illis non extructæ vel ornatæ, luxuriaqe insignes erant, & splendidæ; sed vel criptæ, vel viminum tuguria, & cava arborum ligna erant : victum sponte nascentia præbebant, aut in diem victus quærebatur venatu : vinum & far, primus illis docuit Ianus, ad sacrificia & religionem magis quam ad esum, & potum ; primus enim, aras & pomeria & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum, primo prælibatur.

Ex hinc continuata serie, hæc diffunditur potio, si Fabio Pictori fides est : Quomodo in torculari extorqueatur liquor, satis patet; & quomodo deferbeat, & ebullitione depuretur, in necessitatem aliis adservatur; aliis habetur in delitiis naturæ, jam collapsæ, quæ ab appetitu superata, moderationem originalis justitiæ jam amisit; olim, ut vidimus, erat in sacrificia, veluti in figuram novæ legis venturæ, per veram conversionem, in Christi Domini nostri sanguinem, in sacrificio Missæ ineffabili : cujus fruimur fructu, in Romana Catholica Ecclesia : offertur & in oblationem, ex veteri consuetudine Ecclesiæ, pro defunctis.

Far etiam est potionis quoddam genus, quod in antiquitate est vino coæquale : non unica ratione conficitur; nam aliis ex hordeo confracto parabatur, per coctionem aliis, à multis ex farina, ut in pultes reddatur : de hoc etiam est celebris memoria in Lilio Gyraldo Ferrariensi, Syntagm. 8. fol. 231. titulo de Baccho : *Potionem præterea*, inquit, *ex hordeo decocto confectum, quam Zython Græci, nostri cervisiam, aliisque nominibus appellant.* Solet etiam vinum hordei in magna quantitate parari, veluti in Germania, ad parandam cerevisiam : far, proprie ex cremore paratum, est inventum in salutem potius quam delitias, quod à Noa in sacrificio oblatum, insulsum plane videtur; quantumvis in primitias; imo consonum potius rationi videtur, hordei vinum sacrificio potius obtulisse confectum, ut postea dicemus; de farre, ac illius usu, varias significationes invenio : nam Cæsar Bulengerius auctor est l. 2. de conviviis, cap. 57. quod far significet frumentum, adoreum, & farinam ex eo factam & pultem : & temporibus postea decurrentibus in varios usus celebratur; nam Lylius Giraldus Syntagm. 17. fol. 428. *Fuit & farreatio*, inquit, *seu confarreatio, genus sacrificii quod inter virum, & uxorem fiebat in signum conjunctionis inter eos, dictum à farreo, libi genere, quod ex farre fieri solebat, ut ait Festus, vel à verbo ut quidam putant, confarreo, quod non est in usu, unde quoque diffarreatio in signum dissolutionis conubii.* Plinius etiam lib. 10. cap. 3. *Quin*, inquit, *& in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant :* Et Cornelius Tacitus lib. 4. Annal. *Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari, ex quibus unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, amissa confarreandi consuetudine, ut inter paucos retenta.*

Mitto quod far olim etiam dicebatur, aut cremor, aut hordei infusio. Hordei qualitates sunt frigida & humida, in cremore, calida & abstergens in cortice; substantia alimentosa, jucunda, lubrica, ut Hippocrates dixit : *Sanguinem producit frigidum, calidum contemperat, & puriorem reddit : & membra ad calidam intemperiem lapsa, & roborat, & temperat, dum intemperiei excessum* (debilitatis causa) moderatur; ac ideo ejus usus utilis, & laudabilis ab illo antiquissimo sæculo, ad nostra usque tempora invaluit, plerisque in auxilium, aliis in delitias; nam & vitam producit, dum temperat biliosum excessum; initium illius constat ex sacra lectione, & Fabio Pictore, ejus denique usus ad Salomonis tempora, quibus floruit ille magnus Hippocrates; qui librum de victus ratione in acutis conscripsit, ubi longa serie singulari energia hordeati conficiendi modum, usum, & utilia docuit : & tandem quibus temperamentis cum fructu & ad artis principia propinetur; quem Galenus hujus libri commentario sequitur; ut etiam suo libro de tipsana, quorum traditione in omnes nationes illius celebrata notitia diffunditur; nec ejus usus erit unquam abolitus ab hominum memoria.

Hæc obiter de farre ob illius initium; revertamur ad vinum : Vini per expressionem racemorum expressi, primæ qualitates sunt, calida & sicca : substantia cordialis, facilis alimento : pars aërea in spiritus facilime convertitur, & crassior in sanguinem : hæc & illa in robore & imbecillitate, ad agri & provinciarum fertilitatem mittitur, & astrorum influxu gubernatur, & climatis imperio : hoc enim & ab effectu patet : Nam Hispania valorem vinis & hominibus tribuit, non ex agri fertilitate tantum, sed à peculiari stellarum influxu; & adhuc in eadem provincia aliqua observatur ratio differentiæ, veluti in Vandalia vini generosi fæcunda, non ita in alta Carpentani, Valentia, Arragonia : in Gallia, Italia, & Græcia haud impar observatur varietas, ubi vina haud ita generosa quam Hispania, & minus cordialia : nam vina Falerni & Surrenti frigidiora sunt, respectu nostrorum, minusque generosa : in Hispania vinum unius anni satis validum est; rancidum & vetustum parum ab igne differt.

Celebriores viros, & classicos auctores, de vini potione differentes consului; nullum Gal. pulchrius, neque potiori energia scribentem perlegi, neque ita necessaria distinctione, de qualitatibus vinorum, & natura, ac tandem de aptis & ineptis ad illam potionem : celebris est Hippocratis sententia, & de vinorum natura, 2 de Diæta 22. ubi Laconice, uti solet, scribit : *Aqua frigefacit, vinum calidum est & siccum :* Galenus autem 12 Meth. 4. de natura vinorum, sic scribit; *Vinum autem quod calidum natura fit, & deductionem in corpus promoveat, omnibus quos Syncope male habeat, offerre convenit; distribui namque per corpus nutrimentum quod sumptum est, non in ventre manere, volumus : constat enim ex vinis ea deligenda esse, quæ & flava sint colore, & substantia tenui, & ætate vetera : quinetiam ipse, si paululum ubi mixta sint, gustes, senties calorem per totum corpus transmitti :* Clare his verbis constat, natura vinum calidum esse, facile penetrare, cordi consociale esse, & amicum, si affectibus auxiliatur cordis; electius est flavum, sive coloris aurei, tenue puritate, substantia non crassum; ideo enim quo propius musto accedit, à Galeno damnatur : quia nondum ad substantiæ puritatem pervenit, quod fæcibus permixtum; nam mediæ ætatis, nec recens, nec vetustum præcipit eligendum : quia in talibus calor, substantia, & odor, naturæ magis consocialia; constat hoc

etiam ex sequentibus verbis. *Cæterum amara*, ait, *præ vetustate non sunto, talia namque jam laudabile nutrimentum amiserunt, & injucunda cum sint, stomachum offendunt*: Commodissima igitur sunt, abstera naturaliter, quia evidentem calorem non habent, & coctionem, & distributionem in corpus promovent, corporis habitum calefaciunt, & stomachum firmant; ac exinde dulcia, crassa, ut noxia condemnat, tenuia seu parum efficacia: *Nec invenies*, inquit, *ex albo vinorum genere calidum ullum*. Vinum Aracenæ Galenus non gustavit, quod decipit albedine, & rubore in minori quantitate inebriat; & incautos illudit; est enim calidius & flavis & tenuibus.

Athenæus etiam, solita energia, vinorum utilia per hæc verba descripsit, lib. 1. Dymnosoph. fol. 26. *Vinum vetus non ad voluptatem solum, sed ad bonam valetudinem conducibilius; quoniam cibum magis concoquit, & ob partium tenuitatem, facile digeritur; vires corporis auget, sanguinem rubrum, & commode fluentem gignit*, (non biliosum) *placidum somnum conciliat*. Commendatur ab Homero præcipue aqua temperamentum, quantum sat est: ut Maroneum in Thraciæ maritima parte, circa Maroneam Urbem genitum; fugientis ad mare Bacchi fabula, quidam vini conditaram, significari putant, jam olim cognitam: quoniam affusa maris aqua, vinum suavius est, & lib. 10. fol. 429. *Aristoteles*, inquit, *libro de Ebrietate scribit vinum modice coctum, minus inebriare, quod ejus vis coctura fiat imbecillior*; idem & Plutarchus ait, seniores citissime inebriari, ob paucitatem & debilitatem sui caloris, eo qui accidit à vino facile devicti; nescio quo auspicio Varro dicat vinum *Bacha* in Hispania dici; nisi à festo Bacchanalium deducatur.

Bulengerus etiam, de Conviviis lib. 3. in prolusione: *Vt inter metalla*, inquit, *nullum auro nobilius, inter liquores hominis vitæ utiles, nullus vino commodior, inter frutices nullus recte opportunior*: & Plato lib. 2. de legibus, *vinum medicamentum pudoris datum esse, quo animus contineatur, & salus corporis & robur*: Homerus, vinum homines valentes & bonos efficere, dicit Odyss. 4. & Iliados lib. 19. *Vir autem qui vino ciboque satur, cum hostibus toto die pugnat, cor ei est audax in pectore, neque membra ante laborant quam prælio excedant*: Aristophanes etiam in Equitibus, *Audes tu vinum incusare in consilium? an repereris aliquid vino efficacius? vides homines cum biberint divites esse, res conficere, lites obtinere, fœlices esse, juvare amicos*: & Horatius lib. 3. Ode 21.

Narratur prisci Catonis
Sæpe mero incaluisse virtus.

Et Socrates apud Xenophontem in Symposio, *Vinum irrigans animos, ægritudines sopit, ut mandragoræ succus homines; hilaritatem vero excitat, ut oleum flammam; tamen, ut terra, modice rigata, germinat, erigit, nimium imbuta emaciatur, & sterilescit, ita & nimio vino animi offenduntur*; vinum passiones moderari, dixit Plato; ac illo animum tranquilliorem fieri, & bona spe ac virtute impleri, metumque exuere: quare & Lacedæmonii, cum merum biberint, armantur: & Persæ inter vina consultant: Plato etiam alibi, *Ebrius gubernator evertit omnia, navim, currum, exercitum, urbem*. Sed Panyasis super omnes vini moderati usum extollit: *Non enim mihi homo vivere videtur, hominis vitam mala tolerans, qui stolidus vino abstinens, alia utitur potione; vinum enim non minus mortalibus utile est, quam ignis mala depellens, cantus comes: vinum est Deorum gratissima quies, si moderate sumitur, supra modum omnium deterius est.*

Cum ergo illius prisci sæculi homines Noæ imperio & nutu, ab Armenia (ut postea videbimus) sub diversis coloniis in varias & diversas Orbis provincias mitterentur, illi ab agricola Noa consuetudine imitata, secum illam vitis plantam detulerunt, quam in usum postea coluerunt agricolæ; *Et inde Theopompus, scriptor antiquissimus*, (inquit Atheneus, lib. 1. fol. 26.) *auctor est, vinum nigrum apud Chios primum extitisse, vitemque omnium primos secuisse, & coluisse ab Oeneopione edoctos: quod de illa provincia intelligendum reor; nam antea in Armenia sata traditur vitis*: inde procedit Athenæus; *idem Theopompus Chius tradit, vitem ad Alpheum flumen, in Olympia repertam esse, in quodam loco ab Elia stadiis octo distante; per festos Bacchanalium dies, incolas vacuos tres lebetes, coram advenis obsignatos postridie, cum aperuerint, vino plenos offendere*. Elanicus etiam scribit, in Plinitide oppido Ægypti, primo inventam fuisse vitem; qua de causa Dion Academicus, vinosos ac bibaces Ægyptios esse, inquit; quo fere plane convincitur, vitis plantam, in varias provincias diffusam, illo Orbis initio, & eodem fere tempore in Hispania, Latio, & Gallia incœpisse, quippe quod eodem tempore Noæ filii & nepotes has easdem provincias coluerint; unde secundum rationem erit existimare, hanc vini potionem, cum eisdem nostrarum provinciarum incolis incœpisse, & tanto magis, quanto sunt fœcundiores aliis, feraciores fructuum.

Hanc veritatem clariori notitia illustrare, nec operosum erit, nec difficile, si temporum chronicon cum attentione legimus, & classicos vetustatis auctores, in annalibus temporum; nam aurea, si Fabio Pictori datur fides, per annos trecentos homines in delitiis habuit, licet in Xenoph. computo, lib. de Æquivocis, non ita protracta duratione numeretur; quoniam ab universali inundatione ad Saturnum Beli patrem, anni 131. transierunt, & à Saturno usque Belum filium, anni 56. & à Belo ad Ninum 62. ut ab inundatione, ad Ninum primum primæ Monarchiæ conditorem, anni 249. numerentur; quibus ætas aurea finem habuit, & incœpit argentea: & Trogus, & Justinus in 1 Epithomatum, hanc auream ætatem usque ad Jovem protractam tradiderunt, qui armato milite ab imperio Saturnum deturbavit; quem etiam plerique ipsum dixêre Ninum; nam ipse Ninus per interpretationem Jupiter dicitur, ut probatur in Commentariis super Xenophontem; sed hæc parum diversa videtur computatio.

Cum ergo prima Monarchia Babylone, sub Saturni, Beli patris, Imperio incœpisset, ab inundatione anno 131. cum homines postea in majori numero quam caperet Armenia, adaucti viderentur, Jano patri prudens fuit consilium, ut omnis ejus posteritas, filii, & nepotes, novas colerent regiones, ut ab illa discederent, ubi prima Orbis incœpit habitatio; ac primo Comero Gallo præcepit, ut quas illi tradidit colonias, in Latium dirigeret, provinciam, quæ postea ab Italo nuncupatur Italia, ubi has gentes in lege & justitia continere curavit; & à decimo anno Imperii

Nimbrot in Babylonia, misit Jubalem (Tubal legerunt alii) ut gentibus suis coleret Celtiberiam, quæ est omnium populorum Hispaniæ antiquior provincia; Hispaniæ tamen Cosmographia, Strabonius, & Pomponius Mela, (quæ est communis doctiorum traditio) scriptis tradiderunt, quod Tubal per hæc eadem tempora descenderit in Hispaniam, & primam habitationem posuerit in Betica, ubi ejus nominis condidit civitatem, quam corrupte vocant *Dubal*, quam paucis additis literis postea vocaverunt *Setubal*, hoc est *Situs Tubalis*: traditio, quæ per tam longa sæcula ad nostra usque tempora conservatur: neque enim gliscit veræ traditioni, si venit in Hispaniam; varias colonias in diversas provincias dimisisse, & ab hoc primævo principe, hæc & illa originem traxisse; non multis ab hinc annis; & à decimo Nini, Janus pater, venit in Africam, ut nepotes instrueret, & homines in Politica societate conservaret, & inde ad Celtiberos Hispaniæ, ubi sui nominis colonias erexit, quas dixêre Noclas, quod ansam plerisque dedit ut existimarent, primam Hispaniæ coloniam erectam in Celtiberia.

Pari Noa imperio alios remisit in Gangem, & in Indiam, orientem versus, ut omnes terræ tractus habitarent, & in communem societatem instruerent provincias, in tribus orbis partibus, Africa, Asia, & Europa: quo videtur omni rationi consentaneum, harum provinciarum incolas vitis plantam secum detulisse, uti vitæ maxime necessariam; & inde fere colligitur, pari vetustate apud omnes, vinum in usu fuisse: nec majori probatione indiget, quod ipsa rei natura, & ratio convincit; jam ex illo brevi hominum fatu, qui ex diluvio ex arca emerserunt, brevis hominum propagatio, immensam multitudinem non capiebat terra: quo ipsa necessitas illos impulit, novas quærere regiones, quas colerent, & ut in latitudine ambularent, seu gentilitio hominum appetitu, super proprias & alienas gentes imperandi.

Non edocuit Noa filios & nepotes, neque vanas delitias, nec lubricas illecebras, sed vitæ sobrietatem, & verum veri Numinis cultum: unde credi fas non est, in hoc sæculo, illam salutarem potionem, delitiis & voluptati docuisse, sed in solam vitæ necessitatem, seu in sacrificiorum oblationem, grati animi nutu. Hoc colligitur non tantum ex iis quæ citavimus, sed ex illo Anii commentario ad Berosum fol. 34. ubi inquit; *Ergo Ianus pater, docuit humiles urbes ad cœtum & communionem politicam, non ad pompam & dominationis libidinem.*

Quam alienum in hoc sæculo erat, nostris generosis Hispanis in delitiis vivere, quippe illis hoc tempore, auri & argenti cupiditas erat prorsus ignota, si non plane despecta; de nostrorum temperantia & egestate, Diodorus Siculus scribens sic loquitur; *Priscis temporibus Iberia Perinea versus arcticum Oceanum, pastores & armenta pro divitiis, non argentum existimabat, ac propterea Nomadæ, quasi Numadæ appellati sunt, ab Homero, Hispani, ad septentrionem Oceanum versi*: Unde primo scribens Strabo de Hispania: *Poëta*, inquit, *à vivendi ritu, septentrionales populos Nomadas appellat, in pascendo pecore assuetos; hinc divitiæ Gerionis quas Hercules abstulit, armenta fuere; non illic in honore suppellex curiosa erat, non gemmæ, non imperium, non opes, nec ea omnia, quibus impotens libido pretium fecit. Quid ergo ò nobiles & generosi viri, indigesto per acervos auro, quid avaris fertilium annorum curis confunditis; nunc virtutis aspiratu, non incendimur, imo in amentia & scelere filii & nepotes progrediuntur, saltem paternis vitiis contenti; date veniam, ò depravati orbis incolæ, si justis querelis detonat animus, incitatus atrocibus injuriis; nam equis vestris, peritum & solertem equisonem quæritis, & filiis, ne quidem pædagogum.*

Inde tamen in Hispania, delitias incepisse apud veteres constat, hominum mores corrumpi, & naturæ necessitatem in voluptatem verti, quando Betus in illa imperare cœpit, tempore Armatritis Babyloniæ, noni Assyriorum Regis; ab illo enim traxit Betica nomen, & fortasse mollitiem: quia *Betus* in Armenica lingua, dicitur *locus vitæ fælicis*; est enim Hispania, ut quidam dixit antiquissimus auctor, delitiarum hortus, & ab Homero campus Elysius, usque ad angustias Oceani Gadium dictus; cujus traditionis non incelebris memoria relinquitur in illo quod adhuc servat nomine, Lethes fluvius, qui nostro idiomate dicitur *Guadalete*, ex Arabica recenti, & antiqua dictione compositum; nam illa dictio, *Guada*, est Arabice fluvius, & *Lethes* in Græca lectione est oblivio, ac si oblivionis fluvius diceretur; qui Oceanum ingreditur inter Gadium & celebrem Sanctæ Mariæ portum: campus Elysius ea sola ratione dicebatur, quod cœli benignitate, stellarum influxu, soli fertilitate, ita amæna, fæcunda, & læta, illa pars provinciæ videbatur, ut in amænitate cæteras superaret, quod adhuc hodie experimur, fructuum ubertate & alimenti robore, & vini generosi abundantia, arborum altitudine, loci amænitate, quo homines producit generosos, religione pios, societate politicos, humanitate gratos, animi altitudine sublimes, laborum patientes, præsumptione nobiles; ac tandem nobili libertate temperata ingenia.

Ad primam vini traditionem revertamur, ut illius sit mentio continuata serie: Hujus est celebris memoria in libro 3. de antiquitatibus Jani patris, quem exposuit Anius, in cujus folio 26. sic ad literam legimus. *De Noa dicit, quod fuit illi tributum cognomen Ianus à Iain, quod apud Arameos & Hebræos sonat vinum, à quo Ianus, id est vinifer, & vinosus; quia primus vinum invenit, & inebriatus est, ut dicit sacra pagina*, Genesis 9. Cato etiam in fragmentis originum, & Fabius Pictor de origine urbis Romæ: *Ianum dictum priscum, Oenotrium, quia invenit vinum, & far, ad religionem magis quam ad usum*: Et cum eis in primo de Fastis consentit Ovidius. Cui argumento est, quod usque ad Messentium Larthem, Thuscia vix nisi in sacris usa est vino: quia primus omnium ex Regibus Thuscis vinum induxit Messentius, qui, ut Marcus Varro auctor est, ut Plinius refert, 14. Nat. hist. 16. cum Etruriæ Rex esset, tulit auxilium Rutulis contra Latinos, vini mercede, quod tum in Latio agro fuisset; itaque simplicem vini à Jano Oenotrio usum, ad religionem magis, quam ad potulentiam, usque ad Messentium Larthem, fuisse apud Hetruscos, constat: nam postea in vineis colendis prætulerunt Hetrusci.

Nos remur, naturæ necessitatem temperatam, in abusum conversam, in vini potione, convivio-

viviorum occasione incæpisse, ubi festivi apologii ratione mulierum & virorum concursu, in quibus non æqualis observatur temperantia, ob conviviorum libertatem, etiam profusior libertas hominum temperantiam corrupisset: & cum prava facilius imitentur exempla, inde invaluit prava consuetudo in lege poculorum reciproca, & vitiorum, quæ ab illa cœperunt, simulata injuria temperantiæ lege inviolabili, & consuetudine conviviis antiquissima; sicut illa quæ in die natali principum olim celebris erat.

CAPUT II.

De consuetudine, aquam in poculis miscendi, vetustate & usu.

Haud minori certe varietate olim in conviviis apponebantur pocula; laudabilem morem, veterem ætatem docuit temperantia: *Vinum*, nempe, *multa aqua lymphatum, convivis in communi objicere:* Cujus antiqui moris celebris memoria in Athenæo legitur, lib. 4. fol. 143. *Nam singulis mensis*, inquit, *in convivio vini poculum apponitur, valde jam diluti in communi, id omnes bibunt, quibus mensa communis est; post cænam aliud, (nempe, minus dilutum*, ut legit Delecampius) *affertur; pueris idem poculum temperatur; senioribus permittunt, si velint bibere largius.* Apud alios erat in usu, pocula vino plena, in mensa exponere convivis; apud alios, per ministros pocula dispensare: *Adstant à tergo cænantibus* (inquit lib. 4. fol. 152.) *qui pendentes clypeos pro armis gestant, qui sunt à poculis, potum ferunt in vasis, ollæ similibus, aut fictilibus, aut argenteis:* Ut hodie apud nostros sunt in usu, Cynnæ vasa oblonga, aut etiam argentea, quæ dicuntur, *aqua maniles*, quibus ministri mensas vino circumdant: hujus etiam consuetudinis meminit Athenæus citato loco, quando dixit: *Idem Plinius tradit Ænopas tres fuisse, quæ cænantibus lucernas elychniaque suppeditarent, hos quidem oculos vocarunt, (tanquam inspectatores & observatores eorum quæ inter epulas gererentur,) apud Ephesios, qui adolescentes festo Neptuni die potum ministrabant, tauri nuncupabantur, ut inquit Amerias: Helespontii vero pocillatorem, & viscerationem, ut Demetrius Septius lib. 26. Irocani apparatus:* Cælestibus harmoniam à poculis esse quidam tradunt, ut refert Capiton Alexandrinus versuum scriptor lib. 2. amatoriorum; unde Aleæ Mercurium deorum esse pocillatorem fingit, quando ait:

> *Mixtum jam erat ambrosiæ poculum,*
> *Mercurius autem spem conceperat, Diis se illud ministraturum;*

In conviviorum apparatu, ad curiosam voluptatem, alia conviviis observata notavit Athenæus; nempe quando merum, quando aqua lymphatum libaretur, & quot partibus aquæ, in salutem aut gustum; legite lib. 4. fol. 426. *Locupletes*, inquit, *vinum bibunt, ex Italia petitum, & id merum interdum: sorbillant autem paulatim ex eodem poculo, non plus cyatho, frequentius pitissantes:* quod est idem, quod apud nostros dicitur; *(hacer la salva à la bebida)* & lib. 1. fol. 426. in aquæ mixtione varios refert provinciarum mores; *Cum igitur*, inquit, *vini plus quidam poscerent, aliis contra petentibus, ut pari par misceretur; (nempe aquæ) & recitasset quidam Archipum, in secundo Amphitryone dixisse:*

> *Et quis vestrum infortunatus, par pari miscuit?*

De hac etiam vini mixtione, Archivis usitata, *tum ex convivis aliquis*, Menander inquit, *in heroë scripsit:*

> *Ac multo suavius futurum est, nunquam enim,*
> *Tres aquæ partes bibi, unam autem vini.*

Et Alexis in Thetide, adhuc temperantius miscendum, præcipit:

> *Ecce dum vinum adest, funde igitur & misce,*
> *Longe melius erit unum, ac quatuor,*
> *Aquosum dicis, tamen sic dilutum bibe.*

Et procedit:

> *Iam loquitur nonnihil, ut inter bibendum confabulemur:*

Diocles in *Apibus*,

> *Vinum quomodo bibere: dilutum me convincit, an quatuor & duo.*

Quæ nostro sæculo sit mentio, inquit Athenæus in hoc loco, *priscis inconsueta, memoriam retulit jactati proverbii; Bibenda quinque vel tria, sed minime quatuor, jubet adagium:* ut cum quinque partibus aquæ, vini duas bibas, aut cum aquæ tribus vini unam: hujus temperationis Ion Poëta meminit libro de Chio, his verbis:

> *Fæliciter navigaturos ex Græcis illos, qui tres,*
> *Aquæ cyathos cum vini una bibissent.*

Sic Plutarchus in symposio, lib. 3. q. 9. Plautus in Stycho, Erasmus in Proverbiis: sic Ausonius:

> *Ter bibe, vel toties ternos, sic mixtica lex est.*

Numerum quaternarium, de omni operandi principio, veteres dejecerunt; quia pares numeri, uti divisionis principium, sunt à Pythagora, ut infœlices traditi, de hoc in nostro Theseo legis clariori cum notitia: nec dubito, quin magna circumspectione & judicio, veteres vini violentiam aqua voluerint temperatam, si meracioris effectus, cum solertia attendimus, & deceptoriæ captionis illecebras sub necessitatis specie fucatas; quoniam à nostri ventriculi calore superari non sinit: imo nostrum nectar vivificum ab illius excessu superatur; meraci & validi vapores, siccitatis & caloris excessu, ut pungenti etiam acrimonia, & conturbant potentias, & mentis aciem hebetiorem reddunt, & ad corporis apparatus, mensuram effectus in corpora producunt; nam in biliosis crudeles provocat injurias, & ex receptaculorum præversione, aut intemperie furiosam maniam, in pituitosis amentiam, & ignavam inertiam, & soporem, & in vita communi, & neutrali statu; & crudorum proventu, sensus & potentias corporeas perenni somno premit, & torporem inducit in corpus & in mentem, donec vini & crudorum vapores dissipentur; neque infrequenter ad graviora transit, ut in maxima vitæ pericula hominem præcipitet, qualia Hippocrates tradidit observata, 5 Aph. 5. per hæc verba: *Si ebrius quispiam repente obmutescit, convulsus, moritur*; sic enim sententiam legendam censeo, non sicut recentiores Interpretes legerunt; nempe, *si obmutescit convulsus, moritur:* & non simpliciter, si repente obmutescit convulsus, moritur; quoniam separatæ, non sunt æternæ veritatis; quia non necessario ad illam dictionem *obmutescit*, sequitur *convulsio*; & si ad *obmutescit convulsio* sequatur, est mors necessario consectaria; quia morbi vehementia, (ut Galenus advertit 2 Aph. 26.) morbi

morbi tempus, non expectat, (nempe quo sanari exoptat) sed cito, aut vires dissolvit, aut exitium affert in utraque convulsionis forte; nisi forte his febris superveniat, 4 Aph. 57. quod idem ipsa vini qualitas efficit, quod si facere nequit, mortem affert, ut Galenus est auctor, 5 Aph. citato; nec ab hac sententia alienus Ludovicus Duretus illam legit sententiam, 2 Coacarum cap. 23. sententia 5. repleto nempe nervorum principio, ut ex convulsione in apoplexiam vertatur, à semi-obstructis cerebri ventriculis, nisi antea febris illam demoliatur; aut (quod nos sæpius vidimus) ipse naturæ vigor, & conatus, dum se urgere sentit.

Vini vero violentia, aquæ mixtione temperata, suavem mixtionem, benignam, salutarem producit; quoniam excessum temperat quo lædit, neque aqua moderatum, quo vivificat, tollit: vivifico spiritu facultates instaurat, robur addit, & aquæ mixtione curiosa voluptate delectat, ac temperamento suavem harmoniam producit. Hanc veritatem, singulari judicio munitam, Hippocrates reliquit, sub illa aphorismi sententia, 2 Aph. 11. *Facilius est impleri potu, quam cibo:* Quia liquidum solido facilius in alimentum vertitur, quando in ratione potabilis superat ratio alimenti; & illud, quanto minus resistit: quod in aquæ mixtione probat experientia, & ratio convincit: non ita enim merum facile superatur. Hanc mixtionis necessitatem Plato, in vitæ conservationem & salutem, enixe commendavit, lib. 6. de legibus, his verbis: *Civitatem instar populi temperari, in quo fusum vinum effervescens, si ab altero sobrio Deo cohibeatur, pulcra quadam societate mitescit, & utilem moderatumque potum efficit, ebrietas certe parit insaniam.* Hoc idem etiam Aristophanes in Arcadia dixit: quot autem partes aquæ debeant vini partibus respondere, non potest præfiniri: hoc enim ad temperamenti, & ægroti necessitatem præfinitur, & simul ad prudentiæ ac Medicinæ leges.

Hinc reor, apud veteres tam latam varietatem poculorum inventam, non tantum voluptati & genio, sed ut detur capacitati locus, miscendi & lymphandi, meracitatem vini, seu ad communem usum, vitæ necessitatem, sed ad cujusque genium; seu tandem ut liquoris violentia temperetur: neque ab hoc sensu alienus loquitur Athenæus, lib. 11. fol. 463. quando dixit: *Dicendum hic est, bibendi modos quosdam peculiares esse civitatibus, majoribus aut minoribus poculis: Chius, ac Thasius, vinum majoribus poculis bibit ad dextram: Athenienses minoribus ad eandem: Thessalus majoribus cuicunque libuerit: Lacedæmonius appositum sibi poculum bibit, puer autem rursus affundit quantum fuit epotum:* Sed in salutis usum, hoc argumentum Hippocrates præmunitum reliquit, in libro de veteri medicina fol. 19. litera B. in quo loco sic legitur: *Cum aliqui essent, qui neque medicos cibos superare possent, imbecilliori copiam (nempe vino) sane tales indigere, illis visi sunt, sorbitioneque invenerunt pauca ex fortibus multa aqua permiscentes, ac robur ipsum, temperatura, ac coctura detrahentes:* Ac si diceret, quod robusta & generosa vina debent aqua lymphari ad excessus mensuram: quoniam imbecilla, propria moderatione aliena non egent. Hanc moderationis necessitatem singulari energia Athenæus ponderatam reliquit, lib. 10. fol. 423. litera B. quando dixit: *Deos igitur precati, quod ait Plato in Philæbo, vinum misceamus, nobis quidem vinum temperaturis duo fontes adsunt, alter voluptatis, quem non injuria cum melle tu comparaveris: alter prudentiæ, qui sobrietatem suadet, ac vinum prohibet (merum nempe) quam apte conferas cum aqua salubri, sed austera,* (hoc est moderata) *hos optime ut misceamus, prompto animo magnoque studio est adnitendum, bibendi nunc tempus est: puerorum aliquis poculum nobis afferat, ex horum vasorum conditorio, elegantia, namque & varia pocula intueor, multa: dato igitur ampliori poculo, meracius, ô puer,* inquit, *in meum calicem affunde, & eum imple cyatha,* (nempe ut pluris aquæ mixtionis sit capax, ut Casaubonus notat.) *Ideo fontes ac nimphas* (dicit lib. 10. fol. 465.) *Bacchi nutrices credimus vetustatem dixisse; quoniam aqua permixta, vinum augetur, & suavitate temperatur.*

Hæc in sanis; an vero ægrotis salubrius lymphatum, perpendamus quid senserit Antiquitas: Galenus, qui in re Medica invigilavit serius 1. ad Glauc. 14. post med. sic loquitur in singulari casu (est enim regula ad similia;) *Hoc enim non valet regula generali præfiniri; vinum etiam,* inquit, *aqua frigida temperatum, curat eas quæ ex magnis fiunt evacuationibus dissolutiones: & tum præsertim, quando ad ventriculum fluunt humores calidi.* Sed advertendum est an aliquid sit quod illius exhibitionem prohibeat, veluti si aliquod unum ex visceribus inflammationem patitur, aut caput vehementius doluerit, aut passio aliqua, quæ delirare cogat, affuerit; aut febris incendens in morbo crudo; magna enim, & quasi insanabilia, ex potu vini in hujusmodi affectibus nocumenta proveniunt: quod si nihil prohibeat, viri naturam, ætatem, consuetudinem, & ambientem aërem distinguere oportet: ad hæc enim respiciens, frigidum, aut calidum potum exhibebis; nam qui assueti non sunt potare frigidum, aut ab illo læduntur, aut natura frigidiores, aut extrema in senectute positi, aut loco natura frigidiori degunt; & tempore hyberno, cavere frigidum oportet; at qui contrario modo se habent, hisce frigidum intrepide offerendum. Serio Galenus indicantis & contra indicantis merita, lance justissima expendit; sed generales regulas non transcendit; nam omnia urgentia invertit, & limitationes hujus regulæ: ne quis tamen existimet, quod ubi Galenus vinum absolute prohibuit, de mero & generoso fore intelligendum, advertat quod ab illius mente manifeste convincitur ab affectus empyreumate & parte laborante, de omni vinorum genere, illam sententiam protulisse, ex hypothesi in singulari casu, quia in illis quolibet vino intenditur affectus, non medetur; nullus est enim in vino frigiditatis gradus, qui intensam affectus remittat intemperiem.

CAPUT III.

De lege poculorum reciproca, in conviviis: libationis usu, quæ dicitur apud Germanos Brindis, ejusque antiquitate & origine.

Olim Diis aut hominibus libare, erat consuetudo; nunc bibere, libare, vasa retro collidere, mos est; neque eodem datur, uno bis pocu-

lo libare, fuisse antiqui moris, ex Plauto manifeste convincitur: sic enim legitur in Sticho:

Propino tibi salutem plenis faucibus.

Casaubonus, in commentario ad lib. 11. Athenæi, cap. 1. *Veteres*, inquit, *in conviviis suis vino utebantur ad hæc tria, Necessitatem, Voluptatem, & Pietatis officium:* Quod necessitati dabatur, promiscue inter edendum sumebant, ut quemque sitis admoneret, & bibendi appetitum in quoque lex naturæ excitaret; at, bibere voluptatis causa, & Diis libationes facere, finitis demum epulis, aut saltem primis mensis comesis, incipiebant poscere illi, tum majoribus, & pocula diversi generis expedire, & simul in hilaritatem modis omnibus se effundere: servavit hunc ordinem Athen. longæ antiquitatis libandi consuetudinis meminit idem author: nam lib. 1. fol. 17. Jonico idiomate, sic loquitur verso: *Libabant antiqui Mercurio, non ut posteritas Iovi Theleo, quoniam Mercurius somno præest, & à cæna discessuri, ob linguæ commercium: Mercurio namque sacræ linguæ sunt:* Et alio in loco: *Coronantur vino pateræ dum labra vinum eruperant, mos erat principio convivii, nempe dum aliis libabant:* Hæc enim major celebritas libationis erat; hoc libandi principium: in omnibus sacris libari etiam mos erat, præter quam in nuptiis Cereris, quod & advertit Gyraldus Ferrariensis, fol. 435. sed rationem tamen non dixit.

Hæc olim læta consuetudo à Diis & hominibus descendit; hæc una causa extitit; alia in venerationem & symbolum amoris illius quem maxime cupiebant, in delitiis: in principis salutem frequenter libabatur; aut magni & generosi viri, qui facinus suscepit in communem salutem; seu dum ad invicem convivæ in hilaritatem se diffundunt; hæc hodie in omnibus provinciis Europæ est apud omnes celebrata contentio; nuptiali convivio, etiam inter epulas perennitati libatur, ac utrique conjugum, sponsi & sponsæ felicitati; est etiam illa, veluti fœlicitatis deprecatio, aut nestoreæ vitæ; sed illa meo judicio est potior causarum, dum pretioso liquore in hilaritatem se diffundunt convivæ, naturali vini & insita virtute, benevolentiam conciliandi inter illos, qui mutuo congregantur in unum.

Nescio an bene memini, sic Athenæus loquitur in hoc casu, lib. 5. fol. 485. in principio, dum hæc protulit verba: *Videtur autem vinum, ad conciliandam alliciendamque amicitiam, vim quandam habere, ut quod animum diffundat & calefaciat; (ut hodie tabaco) quam ob rem non antea, qui essent rogabant quam bibissent, sed gustato jam vino, hospitii jus & fidem honorantes, potius quam privatim, hospitum singulos, ac ita amicitia inter illos contracta, libationes frequentes erant.*

Gravius tamen, si non forte antiquius hujus antiqui moris fundamentum est illud quod in Platone legimus; nam tria millia annorum antiquitatis habet: in Athenæo postea: *Deos igitur precati*, inquit Athenæus, *quod ait Plato in Philæbo vinum misceamus, seu Bacchus, seu Vulcanus, seu quivis alius Deorum hunc sortitus est honorem cum vinum miscetur; nempe ut ejus nomen invocetur, & libatione colatur; ut notat Delecampius.*

Celebre fuit olim Deorum Numinibus libare: Tacitis tamen postea continuata suffragiis, illa libandi consuetudo legitur, inter veteres, dum dies celebratur natalis principis, aut generosi viri, cui etiam splendida dicabantur convivia, quorum celebris memoria in Athenæo legitur lib. 4. fol. 143. quam refert Herodoti temporibus jam olim celebratam; nam Herodotus inquit, in Clio lib. 1. Græcorum convivia dum comparat cum Persarum epulis: *Persæ*, inquam, infit ille, *cum maxime diem colunt, quo quis natus est, ac eo ipso fas esse putant ciborum plus adhibere ac vinum libare:* & alio in loco, *Herodotus etiam*, inquit, libro 9. historiarum, *tradit Regem Persarum, semel quotannis eo die quo in lucem prodiit, regiam cœnam præbere, ac instrui jubere, vocarique illam Persica lingua Ticta, quæ vox Græcis perfectam & absolutam sonat.*

In benevolentiæ obsequium convivas se ipsos ad invicem libare, etiam antiqui moris fuisse, auctor est Athenæus, lib. 10. fol. 426. *Hanc ego plenam pateram*, inquit, *amicis meis, quos nominatim appellavi, totam prælibo, benevolentiæ certum pignus:* & folio 427. *Memor hujus consuetudinis dicit; quod nunc Magistris & doctoribus auditores discipulique libant, prisci moris non fuisse, scribit Theophrastus libro de Temulentia:* verum omni memoria velut per manus traditam, ut Diis libaretur; deinde ut cotabo luderent, in eorum gratiam quos amabant: *Erat cotabus, ludus à Siculis inventus, ancillis per convivas distributus*, ut Anacreon dixit.

Hoc quod naturæ favor, erat fortasse beneficium; hoc quod à pietatis officio incœpit, in amicorum gratiam, hoc ô homines vitæ intemperantes in injuriam vertitis modestiæ, temperantiæ, & salutis! & morales virtutes in vitia convertitis ebrietatis temulentæ, ut in voluptatem prodigam vertitur, necessitas politica; date veniam ô viri vitiorum contagio lacessiti, nostris justis querelis; provocet jam vos ad originis ingenuæ decora, luto demersus animus: ego enim homo cum sim, in hoc orbis veteri famulatu, non vino aqua contentus vixi, nec à diabolico tabaci usu superatus, honesta libertate vitam egi.

CAPUT IV.

De temperantia & sobrietate, qua veterum permulti, vinorum poculis utebantur, & ciborum delitiis.

Satis veteres hanc naturæ necessitatem prænoverunt, & horum poculorum pericula; quando Paulus Apostolus, hujus necessitatis gnarus, & discipuli etiam Timothei, illum ad Temperantiam hortatur, sobrietatem consulit, dum vitę necessitati prospicit: *Vtere vino modico*, dixit, *propter stomachum*; nam in vino auxiliandi efficaciam probat: & in illa dictione, *modico*, sobrietatem, qua debet uti, notat; nec dubito quin si loco & tempore sumatur, Deorum assimiletur nectari: Athenæus de necessaria sobrietate ad vitam conservandam, sic loquitur lib. 1. Damnosophist. fol. 9. apud Homerum, (hominum nulla, major invidia, nec in politicis est necessitas major,) in signis est heroum vita; nam cum frugalitatem juvenibus, virtutem esse primariam, convenientissimamque perspiceret, & quæ maxime illam ætatem deceat, eandem præterea quę honesta & bona sunt, omnia suppeditare, victum ideo paucis contentum, & paratu facilem fuisse, monstrat; qui vero frugalitate nunquam discedunt, eos moderatos, & in reliquis officiis vitæ continentes futuros: eundem-

eundemque Regibus pariter esse ac privatis juvenibus; nempe carnes assas, bubulas, ut plurimum diebus festis, & in nuptiis, & omni alio heroum convictu, non autem candylen; (candyle enim fiebat ex lacte & melle, ut notat Servius, lib. 1. Ænead. & trion ex adipe suillo lacte & vitellis ovorum: & apud Homerum etiam legimus in Agamemnonis mensa, quieti & modesti cœnant optimates; rubori certe esset lascivienti ætati, si hæc, & alia serio perpendisset.

Sed de singulari poculorum sobrietate hæc Athenæus ex Platone enarrat, lib. 10. fol. 430. Plato lib. 5. de Legibus: *Ad ebrietatem usque bibere indecorum esse*, ait, *præterquam ejus dei festo, qui vinum largitus est, alioquin non tutum: ita neque ei congruere, qui uxorem ducere sibi proposuit, cum in nuptiis temperantes sponsum & sponsam esse maxime conveniat, vitæ haud parva mentione facta; simul ut liberi à temperatissimis parentibus procreentur*: idem libro 11. hujus operis, ait, *inebriantur vero Lydi, Persæ, Carthaginenses, Galli, Hispani, Thraces, vos autem, Lacedæmonii, prorsus abstinete à temulentia*: Scythæ quidem, & Thraces, meri potioni omnino dediti, eorumque fæminæ & universi promiscue, in vestes, affuso etiam vino, honestum ac fortunatum vitæ genus sibi delectum putant: his profecto moderatius bibebant multi, polentamque injiciebant potioni, ut inquit Hegisander.

Xenophon, in Regis Agesilai vita, dum principis frugalitatem notat, commendat temperantiam ut hujus virtutis clarior videatur æstimatio, illam Persarum Regum effeminatam vitam juxta ponit, vitæ Agesilai; de quibus hæc verba in Athenæo legimus, lib. 4. fol. 244. de *luxu Regum Persiæ, scribit Xenophon, in Agesilao, Persarum Rege: universum terrarum orbem circuneunt, perquirentes quid illi potu jucundum sit, innumeri solerter excogitant, quid libenter edat, utique quiete dormiat; Agesilaus vero laboriosus, & industrius, quod ad manum esset, bibebat suaviter, quidquid sibi occurrisset fortuito, sumebat; nec gravate, quivis locus ad dormiendum & gratus & idoneus erat*; (nempe propter somni necessitatem.) In hac rerum humanarum serie, attendite, quod Regno & Regi nulla major calamitas, quam principis ignavia, nec fælicitas major, quam exemplaris & generosa vita: & dum idem actor prosequitur lib. 6. fol. 453. in fragilitatis laudabili exemplo, illustrium virorum, qui illustriorem fecerunt temperantiam: *Estiæus vero Ponticus*, inquit, *honeste gloriabatur se nec ortum solis, nec occasum unquam aspexisse, quod literis operam jugiter navaret*; ut refert Nisias Nicanensis, in Successionibus; quid igitur, Scipioni aut Cæsari mancipia fuerunt; minime quidem, sed patrias leges violandas ii ipsi sibi cum non putarent, publici moris observatores curiosi, aridiorem vitam castigatioremque vixere: prudentis siquidem ac circunspecti, antiquos imitari, nec ab eorum exemplis discedere; itaque hostes illi adversus quos in expeditionem exierunt, profligarunt, & si quid apud illos honestum ac pulcrum fuit, imitationi dignum, ut priscis temporibus Romani facere consueverant, simul cum captivis ad suos retulere; nam integris patriis legibus, ab iis quos subegerant, si quas exercitationis honestæ reliquias invenirent, Romam illi reportabant, inutilia supervacuaque relinquentes: ne aliquando sperarent ea se recuperare posse, quæ Romani ademerant: à Græcis igitur cum machinarum obsidionalium instrumentorum fabricam, didicissent, illis ipsos prælio superarunt; Thirreni eos docuerunt, acie per phalangum turmas instructa pugnare: Samnites scuto se protegere, Hispani gesis dimicare (hoc est brevibus ensibus.) alii alia, quæ ipsi melius absolverunt, quam qui erudivissent; ii ipsi cum Lacedæmoniorum disciplinam sibi tenendam esse decrevissent, constantius in ea vel ipsis Lacedæmoniis permansere, nunc vero quamvis adhuc eorum, quæ utilia sunt delectum habent, ab adversariis etiam vitiorum, imitanda revehunt.

Et dum de sui temporis moribus, & patriæ alloquitur, sic procedit, lib. 6. fol. 274. *Certis enim quibusdam viis, nos incedimus, ac præfinitis præstituta quædam, gestamus, precibus loquimur, & in sacrificiis cum parsimonia & frugalitate nos agimus: nihil enim amplius quam quod natura poscit, nobis vestium est, nec proxime corpus, nec indumentum externum, exigui pretii amictus calceatusque: pileo caput opertum, ex ovium pelle villosa, vasa quibus ministrant, vel fictilia sunt, vel ex ære; in iis cibus potusque minime exquisitus, quæ nobis impenduntur, ea nos, utendi necessitate metimur: Romæ igitur Fannia*, (hoc est sumptuosa cibaria, ut Delecampius) *lege Mucius Scævola, Tertius Mautius, Cæcilius, Tuberoque Rufus, qui patriam historiam scripsit, adstringi se voluerunt, qua scitum erat, ne præter domesticos convivæ plures tribus exciperentur, & ad summum quinque, & id singulis mensibus tantummodo fieret, ne dum plures quam duabus drachmis & dimidia obsonarent, è foro; ex tot igitur hominum myriadibus ii soli religiose, tanquam obligati, jure jurando hanc legem servaverunt: stoicorum placita amplectebantur: at sumptuosæ hujus magnificentiæ, quæ nunc viget, dux & auctor fuit Lucullus, debellatus (ut inquit Nicolaus Peripateticus)* Mithridatem: *Romam enim reversus, ille post Mithridatis cladem, ac Tigranis Harmenii acto triumpho, & redditis eorum rationibus quæ bello gesserunt, ex antiqua temperantia delapsus est, in sumptuosam vitam: primusque Romanis delitias invexit, quia Regum duorum quos antea diximus opibus frueretur!* O utinam in Hispania Indiarum fortuna (quia talis apud cæteras nationes habetur) nobis non esset nota! exinde enim ab antiqua temperantia delapsi, vitiorum & opulentiæ ruinam experimur; grata est opulentia, sed navium mercibus, & opulenta ostentatione, in fatalem ruinam, in hoc orbis veteri famulatu, nos jam delapsos cernimus; nam cum opulentia crescit etiam principum avaritia, & finem, ubi consistat, ambitio non habet, insita mortalium cupiditate, & pariter subditorum ignavia: nos deprædare cæteræ nationes concupiscunt, noster elatus animus, thesaurus Indiarum, dominandi cupiditate amplius irritatur, ut in pugna Cadmica delassati, nec prorsus inulti, moriamur, nec omnino victores, sed tessaræ jactabundæ videamur fortunæ in hoc orbis Theatro.

Tantum vitæ moderationi veteres detulerunt, tantum frugalitati, ut adhuc in publicis conviviis, à moderato non discedere, religiosum esset, quippe qui ad hoc etiam constituerunt præsides, ne conventus libertate hilaritatis occasione, excederent à justo: *Ad poculorum sobrietatem* (inquit Athenæus libro 10. fol. 423.) *erant etiam præsides*

in convivio, qui vocabantur œnoptæ; in cænis porro œnoptæ hi, id est cænarum præsides, & moderatores, animadvertebant, an ex æquo biberent convivæ, (*parva hujus magistratus dignitate,* ut Orator Plinius ait, *in Iudicio & causa Crocanidarum, de publicorum munerum functione;*) & inde forte proverbium Erasmi emanavit, *aut bibant, aut abeant*: idem Plinius tradit, œnoptas tres fuisse, qui cænantibus lucernas elychniaque suppeditarent: aut adolescentes qui festo Neptuni die, potum ministrabant, & *Tauri* vocabantur: aut præsides & observatores eorum, quæ inter epulas gererentur.

Sit igitur hujus argumenti conclusio in allusione admirabili Athenæi, quam Casaubonus prudenti judicio sequitur in hoc casu: *Tantum vini bibere licet,* dixit, *quantum te non impediat domum redire sine puero qui prælucea, aut sine itineris duce: est enim utrumque mediocris potionis inditium;* sic disciplina Laconum, ut Spartanos sobrietati assuefaceret, jubebat eos à convivio domum redire sine puero, ut Xenophon & Plutarchus scribunt: exceptio tamen erat, (dicit Casaubonus) qua permittit senibus Xenophanes, ut propter ætatem domum à cœna redeant, non soli; sive, (ut nos remur) ob venerationem senectutis, ut etiam Tullius auctor est, sive ob illius ætatis imbecillitatem, ut Casaubonus existimavit, in Athenæum lib. 13. cap. 3. *Ideo forte,* inquit libro 5. fol. 187. *Homerus & Plato, convivas introducit, ætate institutoque diversos, sed omnes citra exceptionem virtuti deditissimos; & apud Xenophontem & Platonem venustæ eorum scriptorum gratiæ; Plato quidem Erasimachum Medicum, & Aristophanem Poëtam, hujus instituti inter convivas recenset;* neque frugalitatem antiquam nostrorum Hispanorum siluit Athenæus lib. 2. fol. 44. quando dixit, *Plutarchus scribit Hispanos, quamvis hominum ditissimos* (semper enim Hispania opum floruit ubertate) *aquam bibere solitos, cibum capere ob parsimoniam, indui tamen veste sumptuosissima:* quo certe Platonis sententia redarguitur, quod paulo ante legimus, cum Hispanos inter bibaces numerat, (vini nempe) inter Carthaginenses & Thracios.

CAPUT V.

Insanæ ebrietatis pericula, & immoderationis supplicia expenduntur.

Nulla cœpit Monarchia, nec Resp. viguit, quam propriæ conservationis necessitas cives in severa disciplina non coërceat, vivendi sobrietatem imperet; hoc omnes pene nationes suo periculo didicerunt, fore præsentaneum publicæ salutis auxilium, durationis æternitas ac pestis publicæ unicum amuletum, quo fæliciter initia tuentur, conservantur progressa: ex hoc principio alterum emanavit, ut cum per sobrietatem sit ad valorem transitus, ac per virtutis excellentiam ad honorem, (ideo Romæ Marius duo dicavit templa, deæ *Virtuti* unum, *Honori* deo alterum, cum noverit, non nisi per Virtutem, progredi ad Honorem) cum viderent præmia inter illos sortiri, qui moderationem & valorem tuëntur, à moderata sobrietate non discedunt: & hæc est ratio, quare Romæ ex triplici gubernatione Democratia, Aristocratiam & Monarchiam superavit, illo fœlici sæculo; quoniam hujus sæculi illustres & generosi viri, alter viritim, temperantia & frugalitate, alterum superare nitebatur, quo suammet sibi fabricabat fortunam, quæ non cæca, sed sapiens, media dirigebat, ut præmia frugalitati & valori æqualia, consequerentur: & hoc illis facile erat, prudenter mediis & fortuna libratis; nam in præmio alieno sortiebantur suum; nec illos illa politica fefellit, quoniam in hos polos, durabilis magis & secura Monarchia versatur: & à contrario, nulla fuit tam fœlici imperio delata, quæ cum ad summum fœlicitatis jam pervenit, aut ponderis magnitudine, aliena ambitione sive corruptione morum, ad extremum contrarium, immoderationis prolapsa, (quæ reddit ingratam servitutem, libertatem optabilem) sibi fatalem non adsciscat ruinam: est tot experientiis hæc veritas fulcita, ac virtutis effectus ita noti, ut alia probatione non indigeat.

Ideo venerabilis & sapiens Vetustas, inter alia, severissime ebrietatis excessus puniebat, & commessationum, severe in privatis conviviis, severius in locis publicis civitatis: ubi gravius pravo periclitatur in exemplo, quam peccatur ingenio: & prius illis in ruborem objiciunt, generosæ virtutis dissonantiam, qua vera radicatur nobilitas, vitii turpitudinem, qua ignobilis contrahitur infamia: jam etiam supplicia, quæ legislatores civitatum similibus delictis puniendis decernunt: jam honoris pericula, modestiæ jacturam, in quæ veniunt, qui à simili superantur excessu; ut prava odio fiant detestabilia: seu ut moderationis exemplo, ad nobiliora excitentur: qua Reip. conservatio, & unica defensio libratur, & virtus politica tuetur: sed ignari non estis, adolescentes mutata hominum mente, plerunque velut tacitis abrogata suffragiis, quæ majores nostri tanquam mansuris legibus commendabant, publico errore violasse; sed meliora obliterata tempora abierunt, dum noviora sibi locum fecerunt; & in omni ætate, optimum eligere semper liceret, nisi haberet triste mortalitas privilegium, ut liceat aliquando peccare; ô Viri, quos intra virtus limites continet moderatio, si sapere decrevistis, Vobis scribo; si furere perseveratis, quærite qui aures vestras pruriendo insonet!

De hac lascivienti petulantia, & periculosa immoderatione, Athenæus lib. 4. fol. 156. ex Platonis sententia sic alloquitur: *Accurate de conviviis sapiens ille Plato disputavit, lib.* 1. *de legibus, leges profecto Spartanæ, inter homines potissimum, in petulantiam, omnemque insaniam, & maximas voluptates incidunt; ab universa lex nostra regione id exterminavit; neque enim compotationes aut in agris unquam videas, aut in oppidis quæ in Lacedæmoniorum fide, aut ditione sunt; nec ea quæ ad compotationes sequuntur, & ad omnes voluptates excitare possunt; atque adeo nullus est, qui commessabundo quidem, & ebrio factus obviam, gravissimas pœnas de illo nõ exigat: nec bacchanalia quidem, quorum prætextus maximus est, deprehensum, à supplicio liberaverint:* Et dum hoc genus hominum bestiis infæliciores judicaret, lib. 1. fol. 7. sic de hoc ipso argumento prosequitur. *Philoxenem, Erexidis filium, imitari non debemus,* inquit Theophilus, *is enim, accusans naturam, ut diutius ac magis frueretur, cibis, ac potionis voluptate, collum sibi gruis optabat;*

optabat; cum tamen multo magis petendum esset, ut bos fieret, Camelus, aut elephas; quoniam harum bestiarum major est voluptas, & appetentia, quandoquidem pro viribus corporis amplius cibis illæ fruerentur. Et prosequitur in folio 10. sequenti, *vinum vires exolvere, ac enervare, novit Homerus; ut & utilitatem vini & temperantiam; quandoquidem affatim absorbentibus nocere scripsit: & apud Cyrcem Vlyssis socios in leones ac lupos mutatos fuisse; quoniam essent voluptates sequuti: Vlyssem vero servatum, quia Mercurii consilio & mandatis paruisset: qua prudentia illæsus evasit:* & prosequitur adhuc; *jam Elpenor vino madens & luxu corruptus, præceps ruit:* & Agamemnonem de temulentia sic dicentem introducit; *judicio erravi, deceptus pernitioso, sequitur enim amentia temulentiam,*

Ebrius aut læsus cœlestis Numinis ira.

Et Antiphanes Poëta:

Heus tu quæso, vivere quid nam est?
Bibere, ipse aio.

Et licet versus ille à plerisque de sola vitæ necessitate, *bibere ad vivendum*, recitetur; nos illum de sola immoderantia intelligimus illorum, qui vitam in luxu & ebrietate posuerunt, ut quibus videbatur anima cum corpore mori, ut plerique illius sæculi Philosophi credebant; & hoc quod omnino à natura alienum videtur, & ab omni ratione morali, locum habet in plerisque nationibus, & plausu & veneratione celebratur: nec illud miri est; nam cum pleraque sola opinione gubernentur, & in nullo sit periculum majus, quam cum publicus factus est error, inde illud tam altas radices sumpsisse, dubitare non licet: nam quod hic religiosum est, alibi profanum esse, nihil prohibet; & quælibet regio non minus suo aëre, & terminis, quam suis moribus definitur.

De hac ebrietate detestanda, sic Plato Dial. 1. & legibus: *Ebrietas voluptates, dolores, iras, amores, vehementius concitat: sensus autem, memoriam, opinionem, intelligentiam similiter extinguit, hominemque ad pueri habitum reducit; non solum, igitur senex ut videtur, erit bis puer, sed temulentus; id est ebrius:* Et Dialogo 2. in principio: *Lege sanciemus, ut pueri ad vigesimum secundum ætatis annum, vini usum prorsus ignorent: non oportet enim ignem igni suggerere in corpus & animam: furiosum namque habitum, juventutem cavere oportet; vino autem moderato utantur, usque ad 30. annum, caventes ebrietatem: in 40. vero jam liberius uti vino possunt; in senectutis dimidium, ut reviviscere videantur, & mœstitiæ eos oblivio capiat:* Et prosequitur; *Carthaginensium legem probamus, ut nunquam in castris quis gustare vinum audeat: & in civitate, neque servo, nec servæ, neque magistratibus concederem, toto magistratus tempore, gubernatoribus, neque judicibus, suo etiam tempore; ac nulli penitus interdiu vinum concederem, neque noctu, quibus filiis & prolis una, operam dare volunt: ac tandem concludimus, quod vini usus omnibus fere sit moderatissimus, & parcissimus.*

In æque distanti parallelo, veluti in opposito, veteres valoris sobrietatem, ac luxum, & ebrietatem posuerunt, velut illa quæ se excludunt mutuo, nec simul se esse patiantur: ut illis videretur omnino impossibile, *posse simul adesse:* hoc singulari judicio in Athenæo video ponderatum, lib. 4. fol. 138. quod nos antea legimus in Græcorum Herodoti historia: *Herodotus*, inquit, lib. 9. historiarum, *de apparatu Mardonii locutus, injecta mentione Laconici convivii: Xerxem*, inquit, *ex Græcia fugientem, regiam omnem supellectilem, Mardonio reliquisse, Pausaniamque illam conspicatum, auro, argento, & tapetibus variis instructam, jussisse pistores ac coquos, eandem sibi parare cænam, quam Mardonio solebant: illisque obsequentibus Pausanias intuitus stratos aureos, argenteosque lectos, mensas ex argento, magnificumque ac superbum cœnæ totum apparatum, & omnia quæ in mensis prostabant, fercula, stupefactum, ministris suis per jocum mandasse, Laconicam ut cœnam pararent, morem illos gessisse: Pausaniam vero jam parata accitis Græcorum ducibus, ubi convenerunt, utriusque cœnæ apparatum ostendisse, dixisseque; Ego vos, ô Græci homines; ideo convocavi, Medorum imperatoris amentiam ut indicarem, qui vitam adeo lautam cum agat, nos invadit, tam duriter ac misere victitantes: ac si diceret, luxum non comitatur valor, ut qui in torpenti otio diffluit, & madescit.*

Parum securitatis, multum inconstantiæ veteres detulerunt judicio vini ebrietate occupato, & inter undas hujus æstuantis maris fluctuanti; ubi contractus de nullitate arguunt, qui ebrietatis tempore celebrantur, licet plerisque provinciis sit in usu, (ut illud apprime judicent necessarium) majora negotia tractare in conviviis, dum cerebrum jam vino incalescit: quoniam ut frigiditas torporem in sensus corporeos inducit, plane videbatur necessarium, (maxime in algidis provinciis) illos vini calore excitare, ut mentis & judicii libertas compararetur: legite Tacitum in Germania, de hac necessitate, & provinciæ more: *De pace denique*, inquit, *ac bello, plerunque in conviviis consultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat: ergo detecta ac nuda omnium mens, postera die retractatur, & salva utriusque temporis ratio est, deliberant cum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt:* Inter Persas eadem evenire Athenæus enarrat, lib. 4. fol. 244. *Ita hæc observantur*, inquit Potidesius, *de suis gravissimis rebus deliberant, quod tum consilium capientibus placuit, id postridie sobriis præponit, earum ædium domus, in quibus fuerunt cum consuluerunt, & hoc, si jejuni probant, exequuntur; sin minus, rejiciunt: quæ vero dum sobrii consultant, statuta sunt, ebrii tractant, & in disquisitionem revocant.*

O Numen cœlitesque, quam difficile est æstuanti & confuso judicio prudenter de rebus maximis statuere! & quando nulla alia ratio suaderet ebrietatem fugere, & se intra moderationem continere, quam discrimina, quibus exponit judicium & vitam, hæc sat esset. Hoc mirabiliter ponderatum in Athenæo vidimus, lib. 4. fol. 157. *Hoc enim vos ignoratis, ô miseri & pervicaces homines, his alimentis, (hoc est intemperate sumptis) obseri principem, ac reginam vim animi, eduliaque id genus obstare, quo minus sibi constet prudentia*; itaque Theopompus lib. 9. Philippicorum ait, *cibo multo, præsertim si caro manditur, rationis judicium eripi, tardioremque non solum animum hebetari, verum etiam iracundia, stoliditateque oppleri, ac vecordia*; quapropter admirandus ille Xenophon, inquit, cum urget fames in cibo placere, & massam & nasturcium, cum sic, aquam defluvio haustam, non sine voluptate bibi? Socratem multoties olim, præ ædibus inambulantem, ad seram usque vesperam offen-

offenderunt, respondere solitum, cum interrogaretur, quid nam ageret, in cœnam obsonium comparare, nimirum appetentiam, ut Delecampius in margine notavit.

Est hominis natura, ob sensuum immoderationem, imperii libertatem, ad malum ita prona, ut quando nativa propensio deficeret, ad peccandi licentiam, solo exemplo rueret; *plures exemplo, quam ingenio pellant*, dixit Tacitus: sed in hoc argumento de quo loquimur, Athenæus singulari energia, lib. 6. fol. 229. *Nam ad usque Macedonum tempora*, inquit, *fictili suppellectili in cœnis ministrarunt, ut auctor est meus Iuba; cum autem Romani mores ad sumptuosam vitam convertissent, eorum exemplo Cleopatra, quæ Ægypti Regnum evertit, ad luxum quoque instituta vita appellationem fictilis, quia mutari non posset; fictile aureum, & argenteum vocavit, fictiliaque convivis donavit asportanda, quod magnificentissimum & sumptus maximi fuit, eodem in fictili toxicum nitidissimum quinque libras impendebat quotidie*, (nempe potabat;) Ptolomæus Rex, 8. lib. commentariorum, quo loco de Masinissa Lybiæ Rege, verba facit, tradit eum Romano more, fictilibus cœnam instruxisse, ac omnibus convivis utenda dedisse argentea; secundas mensas (nempe familiarium) ad Italorum consuetudinem etiam adornasse canistris omnibus aureis, ad vitilium similitudinem, textis, quæ nectuntur è junco: musicos præterea epulis habuisse, idem nos Amphiaraus comicus edocuit; Philippides etiam in argenti disperditione, vasorum ejusmodi rarum esse usum, ac importunum & odiosum, numerat, quibusdam tamen expetitum, advenis ditatisque nuper: exinde Athenæus progreditur, & in eodem lib. fol. 74. & 263. *Ante actis ætatibus*, inquit, *serius moderati viri, non indulgebant, postea morum corruptione, laudabilis illa consuetudo abolevit, in tantum, ut tradat Cameleon Ponticus libro de voluptate (quod opus Theophrasti nomine circumfertur) quemdam divitem, annis 20. nec orientem solem se vidisse, nec occidentem, idque mirandum esse; & magni ad fœlicitatem monumentum, existimabat, vespere quidem ut credibile est, admodum sero expergefieri solitus, mane is dormiebat, utroque tempore miser:* Nec illud nostris hodie miri erit, cum dies in noctes vertantur, infœlicius à plerisque divitibus, apud quos luxuriæ, & immoderationis prodiga voluptas est.

Ad damna immoderationis revertamur, quæ vapulat ebrietas in vino, cum mentis & cum vitæ periculo; de cujus libertate in conviviis hæc dixit Athenæus, & folio 27. & lib. 10. 426. *Aliquantulum tamen progressi meri potum, gravioribus malis homines cumulare, non est dubium:* De his Cameleon Heracleotes libro de temulentia sic scribit: *Cleomenem Spartiatam, Lacedæmones tradunt, ad insaniam perductum, quod apud Scythas agens moralius potare vinum assuevisset:* Quod idem etiam Herodotus enarrat lib. 6. historiarum Græciæ; & paucis infra lineis fol. 428. *Veteres olim*, inquit, *non inebriabantur; & Pythacus, Periandrum Corinthium monet, ut ebriatatem fugiat, & commessationes, ne talis esse cognosceretur, qualis esset, non qualem esse simulabat.*

> *Exterioris namque formæ æs speculum est; vinum, mentis.*

Quamobrem verum adagium est, *clavo vinum carere*: beneque Stelenus Poëta dixit: *Sapientes vino etiam ad maniam impelli:* Hoc nunc apud quosdam Græcos etiam observatur: alii vero postquam indulgere genio, & luxu dissoluti lascivire cœperunt, è sellis in lectos devolvuntur, adjutique somno & inertia, torpentes ac inepti obruuntur temulentia, invitante ad eas voluptates apparatu; ideo Hesiodus in Eæis scripsit:

> *Sic Bacchus homini dat gaudia & mœrores:*
> *Etenim iis qui affatim bibunt, vinum amentia est:*
> *Pedes, manus, linguam, mentemque ligat, improvisis vinculis.*

Et illam propter rationem, bene ordinatæ Resp. ne concives publico dedecore cernerent adnotatos, in ebrietatem severissime supplicia decernenda curarunt: *Apud Locros Epizephyrios*, inquit Athenæus lib. 10. fol. 429. *Si quis injussu Medici, & non recuperandæ valetudinis causa merum bibisset, capite plectebatur:* Quod lege à Seleuco sancitum est: apud Massilienses lege cautum, abstemiæ ut sint mulieres: apud Milesios etiam nunc de hac re legem extare, scribit Theophrastus: apud Romanos, nec famuli, nec ingenuæ mulieres vinum bibunt; atque adeo nec adolescentes ingenui, ad trigesimum annum: ineptus quidem Anacreon est, qui totam suam Poësin ebrietatis laudibus & mentione contexuerit.

Et licet plerique alii ad generosa & heroïca vino incitarentur, nihilominus illi veluti asterisco notati permanserunt: & apud cives suos, justos & moderatos non pro dignitate reputati sunt: *Ex heroïcis*, inquit Athen. lib. 10. fol. 433. *largissime bibebat Nestor, ter senex, præ aliis omnibus aperte vino deditus; atque adeo præ Agamemnone, quem ut bibacem Achilles criminatur:* Nestor, instante sævissimo prælio, à potu non abstinuit, de quo Homerus sic canit:

> *Nestora non latuit conflictus, quamvis interea bibentem:*

Hujus ergo solius poculum, Homerus depingit, ut Achilles scutum, siquidem cum poculo is prælibatur, non aliter quam Achilles scuto; cujus ad cœlos usque gloriam fuisse, Hector ait: itaque non aberravit, qui Nestoris poculum, *Phialam Martis* esse dicit, quodque Antiphanes Cœnæus, celebrem esse, testatur.

Hoc unum Principes neque nominis celebritate, eluere, nec majestuoso imperio superare valuerunt; ne posteritas nempe illorum defectus venturis non proponat, quantumvis commendet heroïcas virtutes: satis nobile testimonium, in magno Alexandro nobis antiquitas reliquit, non potuisse hujus Principis heroïca facinora, neque valorem admirationi potius quam imitationi, labem unius vitii, ulla luce perstringere: de quo Athenæus in hunc modum scripsit, lib. 12. f. 434. *Bibacissimus Aloxander certe fuit, ut qui temulentus sæpius totos dies noctesque totidem, cubans crapulam edormiret: hujus tamen convivia, quidam, sui gnarus periculi, ut testatur Lyncæus, Aristobulus, & Chares, in historiis tradit, Alexandro conviviante, cum meri poculum quod ad eum pervenerat, aspelleret, rogante quodam, cur non biberet? respondit, nolle se, dum Alexandri poculum ebiberet, Æsculapio indigere.* Et post illud infinita pene memoravit exempla, illorum, qui inter lubricæ ebrietatis discrimina, graviora sui nominis pericula fecerunt; quorum esset longe prolixa mentio,

mentio, à folio 430. ad 444. & Theopompus lib. 16. historiarum sic ait de alio quodam Rhodo: *Hegesilochus vero, ad res gerendas inutilis ob ebrietatem, & aleæ studium, amissa prorsus dignitate apud Rhodios, ob vitæ luxuriam, & apud familiares, & apud reliquos cives infamis.* Quid de ebrietate amplius dici potest?

Quid multum de hominibus, si dii adhuc ab hominibus vitia abscondere non valuerunt, quin ab illis etiam sugillentur? hoc etiam & Athenæus dicat, lib. 12. fol. 511. *Homerus, inquit, probosam & fœdam esse voluptatem, nititur ostendere, voluptates ergo intemperantius prosequi, molestias & dolores venari est:* Maximis ait & potentissimis Deorum, nihil vires suas prodesse, sed gravissima damna pati, cum voluptatibus provehuntur. Jovi namque, voluptatibus interdiu cum succubuisset, curam illam quam noctu vigilans, habendam de Troianis duxerat, omnem excidisse: Mars fortissimus ac generosissimus, ab imbelli præcipue Vulcano, impeditur & alligatur, impudentiæ damnatus, & eo mulctatus dedecore, quod illicitis amoribus se tradidisset; itaque Deos qui ad vinculorum ejus spectaculum accesserunt, sic affatur:

> *Improba facta non succedunt fœliciter; velocem tardus assequitur.*
> *Vt nunc Vulcanus, quamvis incessu lentus, Martem cœpit, arte sua.*
> *Deorum celerrimus omnium qui Olympum tenent,*
> *Claudus ipse: quapropter cumulatius,*
> *Ei persolvendum est, redemtionis meæ pretium.*

Quapropter apud Alcyonum, Ulysses, delitias & libidinosam lasciviam, asserit esse finem vitæ; ideò Persæ omnium miserrimi extiterunt, quia, plus omnibus delitiis & potationibus dediti, pravi exempli satis longa vestigia, nobis ex illa antiquitate reliquerunt: hæc & similia fortasse nobis antiquitas proponit, ut caveat discatque posteritas.

CAPUT VI.

De ebrietate, inter vini pocula præcavenda, & ebrietatis auxiliis.

Sæpius dubitavi, an inter tempora ætatis nostræ seria, sit aliquod spatium, quo nostra mentis ratio super passiones dominetur superior; quoniam in omni ætate, illam in omnibus video superatam: quod certe solicitavit animum, ut cum fortunæ violentia, prudentia magis quam querelis & lamentis certaret; nam in parum moderata juventute in solutiora consilia fatali violentia rapitur: in senectute, ab illis passionibus jam longo tempore in habitu contractis, quibus ita facile cedit, ut neque longa ætas, neque rerum experientiæ, ad dolos & fraudes retegendas sufficiant, neque ad convenientius prosequendum, quod magis rationem nobilitat: & inquirens causam hujus confusionis, in quadam nobili conferentia illustrium virorum, relevantis judicii, vir certe magnus, *Don Franciscus de Ryoja*, omni rerum notitia ter maximus, respondit; hujus rei causam esse, quoniam ratio suadet exorando, sin minus deprecando, & passiones, sensuum violentia imperando; & si moderata non sufficit, nos ultima impellunt; & cum objecta sensibilia, sensus corporeos, ubi corporeæ resident passiones, magis sensibili moveant efficacia, inde accidit, animam violenter pulsare; ac ideo effectus notiores inducere, forte singulari violentia insignes.

Cum ergo veteres rerum observatores expenderent, ad excessus ebrietatis compescendos; non sat fuisse, abusus notionem, neque lubrica mentis & corporis pericula, neque severas leges & publica supplicia: alia media selegerunt, & alia auxilia, si non moderationi & exemplo, saltem ad ebrietatis infamiam celandam, seu ne palam omnibus reveletur; & unum inter alia fuit, ebrietatis principio, antequam adveniat obsistere, seu vini efficaciam, in ipsomet liquore, obtundendo, seu caput, ne ab illo superetur, roborando; (solet enim advenire tardius pœnitentia, quando potius in supplicium cedit, quam auxilium:) hoc inter alios Athenæus clementius proponit lib. 1. fol. 34. in semine brassicæ reperiri, quando dixit: *Multi sane, ut ab ebrietate vendicentur, præassumunt brassicæ semen, inde violentos Ægyptios fuisse, hoc ostendit, quod apud eos in cœnis tantum statutum est, (prudentius esset in prandio) ante omnem cibum, brassicam elixam comesse; & ad compotationes ita se præparare:* Quod etiam de rafano traditur, ab ebrietate vendicare: scio tamen, antiquos rafanum, brassicam vocare, ut monstrat Apollodorus Charistius; *Rafanum scio vocare nos, ut hospites vos brassicam, quid interesse hoc fœminis putas?* Eubulus etiam:

> *Vxor, mihi rafanum si tu afferas,*
> *Hanc crapulam è vestigio discusseris, ni fallor, omnem.*

Brassicam hanc facultatem habere, docuit Theophrastus, & hoc præterea, vitem etiam, dum vivit, odorem brassicæ aversari. Aliud satis mirabile auxilium, Gyraldus Ferrariensis affert, Syntagmate 8. folio 281. inf. *Et illud probatum est,* inquit, *si infantes noctuæ ova assumpserint, perpetuo vinum odisse; & id non bibere, sed & temulentos formidare:* Ut Philostratus auctor est.

Alterius auxilii, à magistra Natura imperati, contra ebrietatem, celebrem memoriam nobis Athenæus reliquit, lib. 15. fol. 678. à litera E. ad F. aquæ nempe, qua vigor insuperabilis & vini efficacia, temperatur, ne cerebri facultates infatuet, feriatve cerebri substantiam: *Philonides Medicus,* inquit libro de coronis & unguentis, *auctor est, translata è mari rubro vite in Græciam, à Baccho, multisque intemperanti voluptate delinitis, & merum bibentibus, cum alii furiis acti insanirent, alii obruti vino & crapula conciderent mortuis similes, quibusdam ad litus maris compotantibus ingruente pluvia dissolutum convivium: ac poculum, in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum esse: deinde cum factum rursus esset sudum ac serenum cœlum, convivas in eundem locum conversos, vinum dilutum gustantes, mitem ac minime molestam voluptatem sensisse; cum vero post cœnam, primum aqua temperatum poculum ministratur, Iovem servatorem exultantes acclamant, pluviæ largitorem, & moderatorem existimantes, jucundæque commixtionis & temperationis moderatorem.*

Et paucis infra lineis, in præcitato loco, haud minus singulare auxilium proponit, neque minus apud veteres celebre, ex coronis & herbarum virtutibus, ex quibus serta fiunt, ut vini efficacia moderetur, seu ne feriat, præcalidis vaporibus; sive ut cerebrum obsistat melius roboratum: hæc sunt

sunt illius verba: *Iis profecto, quorum caput meri potione tentaretur, opus remedio fuit; promptissimum id est, ex florum fasciculis ac sertis* (Hispano idiomate *ramilletes y coronas*) *præsertim natura duce ac magistra: nam ut inquit Andræas, cum aliquem fortis dolor capitis urget, ejus compressu levatus, vinculum intellexit esse, doloris præsens auxilium; hac igitur medicina opitulantes, eorum qui vinum bibissent, caput revinciebant, hederacea præcipue corona: quæ planta citra cultum, ubique copiose provenit, facie alioqui non invenusta, corymbis & foliis virentibus frontem opacat; adstrictionisque vehementiam patitur: & postremo refrigerat, citra odoris gravitatem: ob hanc rationem coronam illam antiquitas, Baccho dedicasse videtur, qui & potum invenerit, & malis inde nascentibus succurrat; ac jam inde voluptatibus illecti, homines præter eam vim, qua ebrietatis incommodis medetur, & confert ejusmodi corona, oculorum quoque & narium delectationem expetiverunt, ac tum mirteam coronam, quæ adstringit & vini exhalationes arcet: tum è rosis quæ & gravitatem capitis nonnihil sedat, & æstuantes potione refrigerat, usurparunt.* Eadem Apollonius scripsit in libro de unguentis & coronis. Et hinc reor originem traxisse, convivas se sertis & coronis ornari in festivis conviviis, dum in hilaritatem se diffundunt, ut plerisque provinciis mos est: & in aliis ob odoriferorum florum & herbarum suavitatem, ex quibus intexuntur coronæ; nec ob aliam rationem est antiqua traditio, Bacchum depingi vitis pampinea corona.

CAPUT VII.

De vinis arte & magisterio medicatis in voluptatis gratiam, aut salutis.

Diffuse satis de vini naturalis egimus commodis & periculis: sed quia jam necessitas profusæ voluptatis pœnas luit, liquore naturali non contenta, artis arcana quærit, quo extremæ delectationis sollicitetur gustus, jam vini animam abstractam eliciendo: (seu dum naturam fallere ars conatur) animam peregrinam; seu tandem, dum magisterium artis doctæ solicitat in ægrorum salutem: ideo intemperata gula, tot distillationes aquæ vitæ invenit, anisi, cinamomi, pretiosi corali, quorum anima sublimata cum vini anima permiscetur, extrahiturque: quid multum, si perlarum & auri corpore pretioso cupiditas avara non contenta, horum animam pro libidine satianda extraxit: quo ambitiosa videtur competentia, naturam potius superare, quam imitari velle: sed quia hæc non sunt, de iis quibus communiter utimur potionibus, serviant spagiricis, quibus maxime placuit vanissima deceptio, dum in fumum vertunt, divitias, judicium, & vitam.

Vinum, *Hipocras*, aromatibus conditum, inter artificialia primas tenet; sed ejus usus attentionem petit: quoniam si in solo vini naturalis abusu, tot vidimus discrimina, si vini calori gentilitio, additur aromatum excessus, alia fortasse emergent graviora: quia in hoc nimirum genere, vini naturalis est generosa virtus, cui accedit aromatum stimulus, quo utriusque robur mutuo se intendit, ut major efficacia ex utroque resultet; ac ideo in solam necessitatem est deligendus, hic sublimatus liquor; non incommuni usu: nempe in frigida & humida intemperie nativa forte, acquisititia, ventriculo invalidis, quibus scatent cruda, cumulantur perenniter, & ut nutritionis facultates roborentur, utique & nativi caloris & membrorum imbecillitas aromatum calore actuato, & vini generosa substantia instaurato, robustis spiritibus perinde generatis; in frigidis doloribus etiam flatuosis, dum humidum absorbet, & frigidum contemperat, illos prompte demulcet, dum lapsam intemperiem, ad nativam reducit; & partem ipsam roborat, ne facile suscipiat, contra humorum inclinationem, quam à principio non recte acceperat; nam si esset in frequenti & in communi usu, in furias ageret biliosum, nativum, aut talem per ustionem redditum, ut in hypochondriacis experimur; illud etiam illis accidit, ut novo contracto empyreumate, nativus calor & vivificum nectar absumatur; adhuc in ætate juvenili: quare erit ejus selectus usus, dum moderata quantitate, cum vino minus generoso permiscetur, tempore sanitatis, aut in necessitate ventriculo debilibus, ex hypothesi, ut dicebamus antea.

Hujus vini aromatibus conditi, est celebris memoria in antiquis: nam Soranus, Medicus antiquitate celebris, in Isagoge ad artem Medicam, cap. 20. de potationibus singulis mensibus dicatis, quandam vini condituram proponit, *vini* Hipocras *haud dissimilem, quod eisdem affectibus opitulari* dixit: *Quam Martio mensi dicat, quæ recipit, mitis salviæ (hoc est domestico cultu mitificatæ,) ℥j. piperis, cinamomi, ℥j. cariophylorum ʒijß. piperis longi ʒiij. Zinziberis ʒij. spicæ ℥j. mellis despumati phialas 33. vini fortissimi phialas 30. confice, ut mos est, ut præclara & suavis potio sit, ad bibendum, & singulis diebus jejunus bibe ante & post cibum: multa salus in corpore inde tibi emerget: hæc Soranus*: Joannes Heurnius, aliam vini *Hipocras* proponit condituram, longe validiorem, non in communem usum, sed ut de illo guttulæ misceantur, cum vino generoso, & sub eadem intentione consulit propinandum: *Vt ℞. aquæ ardentis ℔ß. cinamomi electi ℥j. Zinziberis ʒv. cariophyllorum ʒiij. nucis muscatæ n. v. granorum paradisi & piperis an. ℈j. & in vase vitreo misceantur, & bene obturato per sex dies, quotidie bis & ter agitato, ac postea de hoc vino guttulæ vino odoro misceantur*: Sed hujus vini frequentior conficiendi modus apud nostros est, de vino generoso & duorum annorum accipere libras 4. Cinamomi electi, piperis, cariophyllorum, an. ℥ß. nucis muscatæ n. ij. anisi ℥j. sachari albi duri lib. ß. & in vase vitreo bene obturato, per 4. dies in infusione contineantur, & postea coletur linteo spisso, & vase servetur vitreo: de hoc utimur aut solo, aut permixto, ut suadet necessitas, aut ab stomacho etiam toleratur, fere semper in hyeme flatuoso & frigido ventriculo: sed singulari cautione adverto, hypochondriacos apparenti levamine decipere, dum in illis conterit flatuosum, & ventriculi frigiditatem; vel ex contactu juvat, ex accidenti roborat, quo sumitur cumulatius, vel libatur frequentius; nam postea adustum, quod varicosis obstructionibus fervens stabulatur, maxime efferatur, & graviora concitat accidentia, malignis elevatis vaporibus quam flatuum exolutione apparenti proficiat: nam affectum tædio & contumacia deteriorem reddit; &, quod gravius est, lentam concitat

concitat febrem, & sitim movet incompescibilem.

Ultimò sit discursus conclusio, quod gradus, in vino generoso, debent certa quadã proportione librari, in quantitate, & assumendi modo, ad assumentis gradus, ut petit nativa temperies, aut prolapsa, & longa suadet, aut recens intemperies, ne illa intendatur, aut ista reddatur incurabilis: ideoque apud nostros jam olim traditur, observatum semper fuisse securius inter duo extrema, vinum aqua lymphare, quam merum & generosum bibere, in nativa Hispanorum temperie: & magis aut minus de aqua miscere, aut detrahere, prout consulit hæc aut illa necessitas, attemperandi nempe aut roborandi: nec obstabit huic decisioni, singularis aliqua limitatio, ut antea notavimus; neque erit contra istam doctrinam, in prima mensa parum meri assumere, ac postea lymphatum; sive merum assumere & aquam superbibere, ubi maxime illud ventriculi consulit imbecillitas, intemperie maxime biliosa.

De vino mirrhato, seu mirrhino, non mediocris apud Veteres legitur differentia, cum ab aliis, ut purus & simplex liquor æstimetur: aromatibus ab aliis compositus, à plerisque ab ipsis mirrhæ vasis pretiosam qualitatem accipere, ab uno dulce traditur, & amarum ab alio: intensum frigiditatis gradum superare plerique tradiderunt: nam torturæ damnatis mirrhatum vinum propinare, erat olim religio, ut narcotica virtute sopirentur, & insensibilitate tormenta superarent, calidissimum tamen prædicatur ab aliis. Si hæc omnia veritatis calculo, severissimo examine dicarentur, volumen vel integrum vixdum ei sufficeret, (inutilis temporis pretiosi disperditio, gravioribus utilis:) tantum de hoc assumptu referam, quod sentit dominus Cardinalis Baronius, antiquitatum fidelis inquisitor, tomo 1. anno Christi 38. fol. 122. ubi conciliat & refutat hujus argumenti contra posita: *Cæterum mirrhatum vinum*, inquit, *nequaquam, ut multi explicant, amarum erat & insuave, sed perquam jucundum, quod in vasis mirrhinis ad odorem, saporemque quærendum, calidum propinaretur; ea enim vasa apud antiquos in magno erant pretio: quod cum vinum calidum in ea infunderetur, odorem ad saporem quendam mirificum, ex illis contraheret, ex quo præ cæteris suavissimum gratissimumque potum redderent:* De quo etiam Martialis; *Si calidum potas.* Et Plinius 14. nat. hist. 13. *Quibus apparet non inter vina modo mirrhinum, sed inter dulcia nominatum*; Ex quo facile arguuntur, qui dixerunt, vinum mirrhinum, amarissimum esse: nam dulcedinem, etiam non ex mirrha, ex aliis tamen admixtis speciebus contrahebat: errant pariter, qui tradiderunt, vinum mirrhatum potionem esse soporiferam, qua hausta, à mente alienet, solitamque esse dari ultimum supplicium passuris. Sunt etiam mirrhina vasa, quæ ex bensoino ex India asportata nobis amicus ostendit, & similima & vere eadem, quæ mirrhina: parem enim vino suavitatem & odorem reddunt; ex quo rationi videtur consentaneum, ex vase mirrhino vinum gratissimum odorem accepisse, & suavitatem ex ingredientibus aromaticis, non ingratum mirrhæ saporem, ut visum est plerisque, quo pretiosum & suave potius redderetur, vini generosa substantia, suavibus permixta.

SECTIO III.

De potionibus, quæ subsequuntur postea sub diversis ætatibus.

CAPUT I.

De Nectare Deorum & Ambrosia, & potione tertia.

Licet videretur hæc inter potiones primum sibi locum vendicare, quod potio Deorum immortalium, ut orbis initio parum culta infantiã falso existimavit; est in ordine tertia, in temporum annalibus: quoniam illi habiti Dii, licet, communem miseriam supergressi, communem mortalitatem, nullo ingeniosæ solertiæ, nec adfectatæ divinitatis cultu, superare valuerunt; quoniam, ii inter mortales homines generosi, ob heroïca in communem utilitatem facinora; inter illas gentes cultum & adorationem meruerunt: quæ apud Babylonios incœpit, in Monarchia prima Assyriorum, post auream ætatem, & Noæ principio tercentis fere annis; qua demonstratione manifeste convincitur, si cum orbe incœpit salubris aquæ potio, (caloris æstuantis solatium) & in tempore Noæ far & vinum: si ab hominibus, quos postea adoraverat orbis, nectar & ambrosia traxit ortum, à filiis nempe & nepotibus Noæ, tertius ille locus, Justitiæ tribuitur; si dignitate & tempore aliæ antecellunt: quod clarius monstrabitur in sequenti discursu.

Nectar & Ambrosia incœpit, quando inter homines Dii, ac ideo suo non potest esse antiquior principio: hi se gesserunt, ut generosi viri, (non immortales) facinoribus heroës, beneficiis pii; hi tandem homines, in communem societatem, civilem, & politicam vitam redegerunt, & ut viverent sub lege & Justitia, curaverunt: alios alii artes, vivendi muneri necessarias, docuerunt, seu in vitæ cultum, seu in necessitatem; alios terram colere instituerunt, fructus condere, & in necessitatem frumentum reservare, ut Jupiter. quid igitur ii ipsi, leges violandas non putarunt, imo publici moris observatores curiosi, aridiorem vitam castigatioremque vixere: alii armis contra tyrannidis insolentiam homines munierunt; ut Mars, fortissimus ac generosissimus Deorum; Saturnus docuit Tribunalia, & Jus suum unicuique tribuere; judicia expendere, & de rebus publicis & privatis judicare: ut in pace & justitia conservarentur homines: ob Medicinæ inventionem, & valetudinis recuperandæ artem, cultum & altaria expetiverunt alii: dum & illi languoribus medentur, & futura præsagiunt, cadentem vitam reparant, auxiliis præservant, ut Apollo filiusque Æsculapius: & tandem, quia in linguæ facundia, Mercurius homines instituit, & Rhetoricæ arte, & hominum docuit vitare captiunculas, inter Deos illum vetustas numeravit; & in hac linea, homines, iis omnibus à quibus singularia beneficia acceperunt, in communem salutem, aut in ruditatis subsidium, dicaverunt altaria; Deos venerabantur: quid amplius humanam conditionem, de illis æstimantes, lucem nempe peculiarem, de cœlo accepisse, aut in illa

singulari natura divinitatem esse; qua se super alios homines extollerent.

Cum ergò hos heroës alterius naturæ consideraßent, illis divinitatem tribuentes, superiori victu ali, ac pretiosioribus vesci cibariis cogitabant, quam cæteri mortales, & quæ essent illius divinæ naturæ gentilitia; de hoc in vetustate non pauca relicta sunt vestigia; nam Martialis lib. 11. epigramm. 58. sic affatur:

Iupiter Ambrosia satur est, & Nectare vivit;

Et lib. 4. epigramm. 8.

Et bonus æthereo laxatur Nectare Cæsar,
Ingentique tenent pocula parca manu.

Ubi eleganti allusione, dominus Laurentius Ramires politiori literatura doctus, Nectar Æthereum vocat vinum Domitiani, ad similitudinem divini Deorum Nectaris: Et lib. 8. epigr. 39.

Hîc haurire decet sacrum, Germanice, Nectar.

Dapes Ambrosias frequens apud Martialem est lectio: legite hujus libri epigramm. 50. dum cum Cæsare loquitur.

Vescitur omnis eques, tecum, populusque patresque,
Et capit Ambrosias cum duce Roma dapes;

Et lib. 13. epigramm. 91.

Ad Palatinas acipensera mittite mensas,
Ambrosias ornent, munera rara, dapes.

Et inde ortum traxit, hos Nectare nutriri divino, & poculis Ambrosiæ delectari, cujus traditionis celebres temporum memoriæ annalibus leguntur; & harum gentium, quæ cultum & altaria primis gentium Diis dicaverunt; quod incœpit (si nos non fallit apocrypha traditio) tercentis fere annis ab Inundatione Universali: hoc enim ad literam probatur, ex Fabii Pictoris Originali, libro de aureo sæculo, in cujus commentario sic Anius alloquitur: *Ergo Ianus, (hoc est Noa) fuit sub initium aurei sæculi, (nempe regnavit,) post eum fuere Camesses & Saturnus Reguli, circa finem potissime Saturnus, quia clare omnes scribunt, ideo venisse in Italiam, quia jam contra eum Iupiter, (sub quo incœpit argentea proles) moverat.* Pars secunda etiam hujus argumenti comprobatur, de cultu nempe per hæc tempora, & adoratione, in secundi libri commentario, fol. 13. de Genealogia primorum ducum, ubi sic Anius affatur: *Membra digna patri Deo (hoc est Iano) quia omnes filii ejus pro Diis, ex magnitudine beneficiorum impensorum, humano generi habiti sunt: unde & pater Deorum majorum & minorum (filiorum scilicet & nepotum) dictus fuit; quia omnes fuerunt principes Regnorum & coloniarum excellentißimi, judices & duces: qui quoniam in regimine orbis vices Dei exequuntur, tam apud Gentiles quam apud Hebræos, & divinas literas, Eloin id est Dii & numina dicuntur:* Et hoc pacto pro justis judicibus & principibus, Deos & Numina secum regnasse dicitur, apud Ovid. l. 1. de Fastis, per hæc verba:

Tunc ego regnabam, potius cum terra Deorum
Esset; & humanis Numina mixta locis.

Aurea enim ætate justi principes regnabant, & ideo jure Dii à divinis literis, & à gentibus dicti, quoad vices Dei, non ad divinitatem substantialiter.

Tacitus etiam de moribus Germanorum, non incelebrem mentionem reliquit Deorum hujus gentilitatis, quando dixit: *Pars Suevorum etiam Isidi sacrificat; cæterum nec cohiberi parietibus Deos, nec in ullam humani corporis speciem aßimilari, ex magnitudine cœlestium arbitrantur; lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant: sacrumque illud est quod sola reverentia vident:* Hæc doctrina ad literam est Jamblichi Platonici, qui, licet plures Deos agnoscat, patibilia & mortalia in hac divinitate non concedit: legite ex Segmento 1. cap. 5. 6. & 7. sed in lib. 3. Annal. cap. 13. idem Tacitus, dum templorum multitudinem damnat, prolixas cæremonias, injusta privilegia, quia Justitiæ, usui, & administrationi impedimento erant, in jure asylorum Deorum plurium nativitatem refert; & dedicationem sui cultus, tempus celebritatis & locum, ubi tales ceremoniæ celebriores erant: *Crescebat enim*, inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi, complebantur templa peßimis servitiorum, eodem subsidio obærati, adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur: nec ullum satis validum imperium erat, coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut cæremonias Deum protegentes.* Et postquam titulos immunitatis plurium populorum expressit, ut illis tuerentur ex lege asylorum suorum, sic affatur: *Primi omnium Ephesii adiere, memorantes, non ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Chencrium amnem, locum Ortigiam, ubi Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam manet, adnisam, edidisse ea Numina: Deorumque monitu, sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopes Iovis iram vitavisse; mox Liberum Patrem, (Bacchum nempe) bello victorem supplicibus Amazonum, quæ aram insederant ignovisse: auctam hinc concessu Herculis cum Lydia poti-retur, cæremoniam templo, neq; Persarum ditione diminutum Ius:* Et Lipsius in hujus loci comm. inquit, *Sardini, Dianam cognomento Coloenem, cujus templi Strabo meminit, Milesii Apollinem, venerabantur, cognomento Didymæum: de quo idem Strabo & Suetonius in Caligula cap. 21.* Xenophon etiam in libro de æquivocis inquit, *Saturni dicuntur, familiarum nobilium Regum, qui urbes condiderunt senißimi, primogeniti eorum Iovis, & Iunones: Herculis vero nepotes: patres Saturnorum cœli, uxores Rheæ, & cœlorum Vestæ:* Et dum universam Noæ progeniem enarrat, & uxoris Rheæ, sic prosequitur: *Idem quoque qui unis populis est Hercules aliis est Iupiter: nam Ninus, qui Caldæis extitit, Hercules fuit Aßyriis Iupiter, unde ipsum Ninum, id est Iovem cognominarunt:* Et in fragmenti Catonis commentario, de originibus urbis Romæ, Anius reddidit rationem, quare Veteres Jovem ut Deum coluerint, licet hominis nefarii filium: hæc sunt illius verba: *Diodorus in sexto libro asserit, dicens, Iovi justo fuisse patrem impium, & ipsum, (nempe Iovem) omnibus facinorosis & impiis per totum orbem induxisse bellum: & uti Macedones circa Paledonem in Macedonia illum juverunt, ita Itali ipsi affuerunt in campo Philagræo, & ob id consensu totius orbis justi Salvatoris cognomina promeruit: itaque à fontibus Istri, & Noricis Apis, Osiridis, Iupiter Iustus, in Italia triumphavit:* Ac ita constans est apud omnes auctores vetustatis traditio, idololatriam & gentium Deos incœpisse, in argentea prole, in Nino, aurea ætate jam exacta, quam etiam traditionem & Anius amplectitur, in commentario Babyloniæ Regum, fol. 42. nam postea idololatriam incœpisse inquit in Nino, qui patri Belo Statuas dicavit, cultum constituit, quod anno 4. Nini, à quatuor Saturni, gestum est.

Ab

Ab hoc ergo principio Ambrosia incœpit, & Nectar traxit originem: prima & antiquior Ambrosiæ memoria, prout Deorum est potio, quæ legitur in annalibus temporum, Dialogo de Amore, à Platone narratur; hæc sunt illius verba: *Fatidica Dyothima, quando amorem ex copia & inopia genitum dixit, altæ alludit fabulæ, qua Dii convenerunt ut regium celebrarent convivium, natali magnæ Veneris, cui accessit Penia, necessitatis Dea: (nam necessitas olim quando homines ad naturam vivebant, cultum promeruit, & adorationem.)* Quæ ad fores pulsabat aulæ Regiæ, tristis, egens, & inops, ut quid gustaret de Nectare divino: cum egreditur Porus à convivio, juvenis electæ sane indolis (qui filius consilii intelligitur,) de illo tecto regio & convivio, sed jam inebriatus, & à somno ideo superatus, cum proximo in Viridario obdormisceret, ei accessit Penia, & amorem concepit, quem dedit fœliciter in lucem: & ideo Amor dicitur ex Copia & Inopia genitus.

Attamen qualis illa potio diceretur, & ejus qualitates, & substantia, satis breviter traditur ab omni vetustate, & à varia notitia; nam de Nectare Deorum & Ambrosia, sub umbris grata allusione, Macrobius rerum antiquarum notitia satiatus, quid divinum ab humanis abstractum videtur intelligere, quo Deorum substantia & immortalis anima, ab ortu suæ creationis & alitur & vivit; nam libro 1. in somnium Scipionis, cap. 12. in med. dum illud Platonis dogma, *totum nostrum scire & reminisci*, ad auctoris mentem, ad limam & lineam redigeret, postquam animæ immortalitatem deduxit à pyramide, quæ à puncto oritur, & finitur in puncto, sic alloquitur; *anima à puncto suo quod est monas, venit, ad Dyadem, quæ est prima protractio; & hæc est essentia, quam individuam, eandemque divinam, Plato in Thimæo, cum de mundanæ animæ fabrica, loqueretur expressit; animæ enim sicut mundi, ita & hominis unius, modo divisionis, reperiuntur ignaræ: si divinæ naturæ simplicitas cogitetur, modo capaces, cum illa per mundi, hæc per hominis membra diffunditur:* Anima ergo cum trahitur ad corpus in hac prima sui productione, silvestrem tumultum, id est *Hylen*, influentem, sibi incipit experiri: & hoc est quod Plato notavit in Phædone, animam in corpus trahi nova ebrietate trepidantem, volens novum potum materialis alluvionis intelligi, quo delibuta & gravata deducitur: arcani hujus inditium est, & crater Liberi Patris ille syderius, in regione quæ inter Cancrum & Leonem locatur, ebrietatem illic primum descensuris evenire, silva influente significans: unde & comes ebrietatis oblivio illic incœpit, animis latenter obrepere; nam si animæ memoriam rerum divinarum, quarum in cœlo erant consciæ, ad corpora usque deferrent, nulla inter homines foret de divinitate dissensio: sed oblivionem quidem omnes descendendo hauriunt, aliæ vero magis, minus aliæ: & ideo in terris verum cum non omnibus liceat, tamen putant omnes quia opinionis ortus est, memoriæ defectus: hi tamen hoc magis inveniunt, qui minus oblivionis hauriunt, quia facile reminiscuntur; quod illic ante cognoverint; hinc est, quod quæ apud Latinos *lectio*, apud Grecos vocatur *repetita cognitio*, hoc est ἀνάγνωσις: quia cum vera discimus, ea recognoscimus quæ naturaliter noveramus, antequam materialis influxio in corpus venientes animas inebriaret. Hæc est autem *Hyle*, quæ omne corpus mundi, quod ubicunque cernimus, ideis impressa formavit: sed altissima & purissima pars ejus qua vel sustentantur divina, vel constant, *nectar* vocatur, & creditur esse potus Deorum; inferior vero & turbidior, potus animarum; unde constat si influxus corporeus hoc est *Hyle* sit potus animarum, quia illo anima corporis influxu obumbratur, altissimam rerum humanarum, & divinarum cognitionem & lucem, qua influit in corpus, esse nectar deorum quo divina sustentantur & constant; sin minus, nectar erit ciborum pars purissima, quæ ad similem cognitionem disponit; ideo enim cibus Deorum dicitur.

De hoc immortali nectare (ne sine joco facinus iret) non incelebrem memoriam in Apulejo legimus, metamaphorseos lib. 6. fol. 279. dum de Cupidinis & Psychæ nuptiis sic alloquitur: *Illico per Mercurium arripi Psychem, & in cœlum perduci jubet, porrecto ambrosiæ poculo, sume, inquit Psyche, immortalis esto, nec unquam digredietur à tuo nexu Cupido, sed istæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ: nec mora, cum cœna nuptialis affluens exhiberetur, accumbebat summum thorum maritus Psychem gremio complexus: sic & cum sua Iunone Iupiter, ac deinde per ordinem toti Dei, tunc poculum nectaris (quod vinum Deorum est) Iovi quidem suus pocillator, ille rusticus puer, cæteris vero Liber ministrabat, Vulcanus cœnam coquebat: Horæ rosis & cæteris floribus purpurabant omnia; Gratiæ spargebant balsama: Musæ voce canora personabant: Apollo cantavit ad cytharam: Venus suavi musicæ suppari gressu, formosa saltavit, schena ibi sic concinnata, ut Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret, inde maturo partu voluptas nascitur: (non carnalis, sed mentis, si Natali Comiti fides est.) quo plane in Veterum sententia convincitur Deorũ nectar, divina rerum cognitione, hominem illustrare, si hac sola potione in numero Deorum collocatur.* Allusionem laudo ut gratam rationi & menti, proprio tamen argumento fateor, ipsam rei naturam obscuriorem reddere.

Ideo Athenæi sententiam magis laudo, ut quæ propius argumento accedit; hæc legitur lib. 2. Dimnosoph. fol. 41. *Dixit Ariston*, inquit, *suavissimum potum esse, qui & dulcedinis sit particeps & tranquillitatis, itaque circa Lydiæ montem, Olympum quod nectar vocant, à quibusdam præparari, vino, favis, & floribus qui bene olent, in unum commixtis; nec me latet, ait, nectar Deorum cibum esse, non potum: quare nectar comeditur, ambrosia bibitur*; Sappho etiam Poëta;

> *Mixti jam fuerant ambrosiæ scyphi,*
> *Surgit Mercurius, sedulus ut sua*
> *Cunctis cælicolis pocula porrigat.*

At Homerus, deorum esse potum, nectar censuit: Ibicus scripsit ambrosiam melle novies esse dulciorem: & in melle nonam tantum partem ejus voluptatis, quæ in ambrosia sentitur, percipi: & dum Homerus heroum frugalitatem, & vitæ moderationem extollit, de pretioso nectare sic Athenæus narrat, lib. 1. fol. 10. *Diis quidem ipsis, victum simplicem, idem quoque assignat, nempe nectar & ambrosiam: mortales enim non luxu, sed tenui frugalique victu Deos colunt, quapropter nil mirum, sic educatos nec animo, nec corpore turgere*: ex his verbis bene sane colligitur, neque sumptuosam, ne-

que valde pretiosam esse, illam Deorum potionem: bene tamen suavem, & valde generosi alimenti, ut animi & corporis passiones in ea temperantia valeat continere, ne à justo passiones recedant, unicum frugalitatis privilegium.

Ex Ibici ponderatione, nec etiam invenuste colligitur, ambrosiam suavissimam, valdeque generosam potionem extitisse: & alio in loco constanter video apud omnes receptum, purissimam esse potionem ambrosiam, quippe quæ & poculis & vasis Diis ministraretur, dum suavi harmonia, cælites modulantur; unde videtur antiqui moris esse, & festivi etiam apologii, in conviviis hymnos & lætas cantiones concinere; sic de hoc argumento loquitur Athenæus lib. 10. fol. 425. *Cælestibus harmoniam à poculis esse quidam tradunt, ut refert Capiton Alexandrinus versuum scriptor, lib. 2. Amator. unde Alcæus Mercurium Deorum esse pocillatorem fingit*, ut Sappho quondam dixit:

> *Mixtum jam erat ambrosiæ poculum,*
> *Mercurius autem spem conceperat Diis se illud ministraturum.*

Quod antea etiam in Apuleio legimus: illud etiam, apud nobilem antiquitatem, & illius auctores constanti traditione receptum commendatur, nempe ambrosiam esse potionem suavissimam, ex diversis simplicibus, ex quibus liquor pretiosus elicitur; cujus composita permixtio non extra artis gloriam erat, ex melle à favis distillato, nondum ignem experto, ex vino generoso, ac floribus odoris suavissimi, in unum commixtis; ut Ariston Chius longæ antiquitatis auctor primo dixit: & erat singularis pretiosa virtute, quia circa Olympum Lydiæ montem, oriebatur, si Pausaniæ Ciro fides est; tanquam esset liquor omnium suavissimus, alibilis, & substantiæ etiam pretiosæ, & qui super omnes mortalitati obstat; taliter ut homines redderet immortales, si ita fari licet: dum humidi radicalis & nativi caloris pari vice deperditum instaurat, ut ad primum vitæ statum redire videatur; & inde plerique illius vetustatis auctores, radicale humidum, vivificum dixere nectar, ad illius similitudinem, quod vitam pari ambitione instaurando in longa spatia producit: illud etiam satis manifesta ratione colligitur, ambrosiam esse vini generosi speciem, quæ à cibo in poculis libatur, & valde pretiosi ob ingredientium pretiosam virtutem; dum maxime palato blandiuntur, & grata familiaritate tanquam perenniter duratura, naturam refovent & conservant: quia Athenæus & Plato, inter vinorum pocula, quæ deorum conviviis libari tradiderunt, & in libando modo, & aquam permiscendi, ea frugalitate quæ Diis magis grata ex Sappho Poëtide poculum ambrosiæ enarrant; ac si esset ambrosia ex hoc vinorum genere quod poculis libatur, ut apud nostros ex vino *hippocras*, aut alio pretioso aromatibus condito.

Et vere sane, cum res humanæ alternata serie perenniter versentur, fluant, & revertantur, adhuc res eædem cum sint, haud immerito poterit aliquis suspicari (nulla in eo culpa) antiquorum ambrosiam deorum, nostram recentem esse potionem, quæ indico Idiomate apud omnes nationes dicitur *chocolate*: quia, quando illa realiter non sit, ut revera non est, illi valde assimilatur, in suavi harmonia, qua delectat, illecebra, qua naturam solicitat, delectatione, qua gustui blanditur, ac tandem in eo quod instaurat, quod à nectare vivifico deperditur, deorum ambrosia videtur, saltem eo quod homines abdita quadam ratione, si non immortales, robustissimos tamen ad laborem conservat; ut vetustas in eo fabulosa de illa sibi semper habuit persuasum: legite Cælii Rhodigini lib. 1. cap. 13. *Quippe pars illa purissima*, inquit, dum de nectare loquitur: *altissimaque, qua vel sustentantur divina, vel constant*, NECTAR *vocatur, & Deorum esse creditur potus*: & in hac consideratione ulterius progreditur: amplius sciendum esse quod alii nectar interpretantur, vinum in Lydiæ Olympo concinnatum, favis permixtis, & floribus odoratis: & Festus Pompeius, *nectar* Græce significat deorum potionem, unde Virgilius:

> *Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.*

Et Lucretius libro 2.

> *Et nardi florem, nectar de floribus halet.*

In hoc etiam videntur alludere Poëtæ, ad ea quæ de nectare, ac ejus compositione antea dicebamus; aliud etiam præsumere par est, nectar Deorum & ambrosiam, apud diversas gentes idem significare; quoniam si nectar in Laconica lingua, per eandem simplicium traditur mixtionem, ut traditur ambrosia, veluti ex præcitatis auctoribus evidenter colligitur: apud hos enim nectar appellatur, apud illos ambrosia, dum deorum conviviis libatur inter pocula: nec est inusitatum inter diversas gentes & varias provincias, rem unicam diversis pronunciari vocibus.

Nec nobis miri est, nectar antiquos existimasse homines reddere immortales, antiquæ traditionis gnaros, illius nempe arboris paradisi, cujus fructu immortales homines redderentur, nisi primus parens divinum contra præceptum ederet: de hoc enim extat authentica memoria, in Laurentio Beirlinc, in theatro vitæ humanæ, verbo *arbor*, fol. 503. *Equidem in præsenti materia*, inquit, *quod de arbore vitæ legerant, nominibus nectaris & ambrosiæ involverunt, quibus rebus affirmabant, non modo ætatem fieri immortalem, sed florentem, & perpetuo vegetam*; *equidem nomina conveniunt*; *nectar enim, à νέῳ, id est bibentes ipsum faciens juvenes, derivatur*; *ambrosia dicta ab ἀβροσίᾳ, id est sine morte*: *& cum ita proxime traditioni congruat etymologia, huic præsumptioni facile ansam dedit.*

Nec in hac tantum significatione, apud veteres invenitur ambrosia; nam Plinius secundus, quem Valerianum alii appellarunt, lib. 3. de Re medica, cap. 89. ambrosiam pro unctione in febribus ardentibus commendat, forte quia moderatione compositionis naturam recreat, ac frigiditate caloris contemperat excessum: & libro de virtutibus herbarum, inquit, *melophylon herbam, alii ambrosiam dixere*; & Plinius lib. 13. Nat. hist. cap. 4. cujusdam herbæ sub nomine *ambrosiæ* celebrem memoriam fecit; Galenus autem per quandam confectionis sortem, ambrosiam expressit, desiccantem & calidam & theriacæ similem; nam libro 8 Meth. cap. 7. *Fieri potest*, inquit, *ut medicamenta, quæ calefaciant siccentque, quis biberit, veluti aliqui theriacam, nonnulli ambrosiam, alii athanasiam*: & 6 de Simpl. med. facult. titulo de ambrosia; *Illa*, inquit, *vim habet adstringentem & repellen-*

repellentem: in hoc loco ut herba hujus nominis traditur; & ex libro 4 de Locis 8. clarissime colligitur esse medicamentosam potionem: hæc sunt Galeni verba; *Atque dedi in potu medicamenta, nempe ambrosiam, athanasiam, theriacam, si non illam confectionem aqua dissolutam dicimus.* & 7 secundum Locos 3. *potio riphales*, inquit, *qua ad typsicos utor, multis commoda appellatur menodorios, & ambrosia, & facit ad febres repetentes per circuitus: & quædam veluti confectio, ex aromatis melle & vino confecta; (quæ certe æmulatur ambrosiam, quæ Lydiæ Olympo olim fieri Veteres tradiderunt)* & 2 de Antidotis 8. *Ambrosia*, inquit, *quæ dicitur Philippi Macedonis ad venena, & internos corporis morbos, est etiam confectio, non potus:* & in capite 10. *Antidotus Archivis quæ ambrosia & sacra cognominatur, ad omnes internas affectiones, ex aromatibus & melle conficitur:* hac etiam utebatur Galenus, 14 Meth. 12. ut etiam theriaca, ad viscerum abscessus, utpote quorumvis collectum humorem, tum in halitum resolvat, tum digerat.

CAPUT II.

De vino hordei, apud Ægyptios & Græcos zytum, & quarta potione apud varias nationes celebrata.

Ante Græcos & Ægyptios farri inventionem legimus in Noë sacrificiis prima orbis ætate, in primitiarum oblationem fructuum illius gratæ gentis, quos illa ætas tulit; postea *zitum* incœpisse invenio, seu in necessitatis usum, seu salutis, Ægyptiorum Monarchia, quæ Assyriorum & Medorum sequuta est imperium; (quantumvis de imperii primatu decertarint Ægyptii.) in Laurentio Beirlinc, in theatro vitæ humanæ, verbo *potus*, hujus traditionis est celebris memoria; ubi inquit, *Strabo de Ægypto scribens, zitum quamquam proprie apud illos fiat, inde ad Britannos translatum esse: ejusque auctorem primum fuisse apud Ægyptios, aut Dionysium Hamonis filium, aut Oziridem, quem ille sibi in filium adoptavit; cujus uxor Isis fuit, ut est apud Diodorum Siculum, & omnes fere fatentur: & inde ad alias nationes vini nativi copia carentes fuit propagatus, & diversis nominibus appellatus; aliam postea haud minus celebrem memoriam invenio, Ziti usus in Græcia, quam tulit Dioscorides, lib. 2. c. 311.* quem citat jam præcitatus auctor, per hæc verba; *Duo ex hordei potione genera confici, scribit, alterum quod Zitum nuncupatur, alterum cornu:* Plinius etiam 14 Nat. hist. 26. eandem traditionem & Zythi usum refert; & Diodorus Siculus lib. 4. rerum antiquarum cap. 25. est hujus traditionis originale, à quo transcribunt cæteri, & hic hujus inventionem attribuit Dionysio Baccho; nam docuisse eos insuper, inquit, quorum regio vites ferre ne posset, potum ex hordeo conficere, quam nonnulli *Zythum* dicunt, paulo à vini sapore differentem; licet Alexander Sardus, lib. 2. de Inventoribus rerum, aliis hujus vini inventionem attribuat, sed minus certa notitia in judicio fallitur.

Hujus etiam potionis celebrem memoriam fecit Gerardus Vossius de Vitiis sermonis, & Glossematis Latino-barbaris, lib. 1. cap. 4. *Zythum etiam*, inquit, *acceptum ferimus Ægyptiis, ut celiam Hispanis, alia potus genera aliis*; qua de re sic Adrianus Iunius, lib. 11. Animadvers. cap. 12. *Hoc in genere varia lego usitata fuisse nomina; nam Zythum dixisse Ægyptum invenio, Celiam & Ceriam, Hispanos, cervisiam Gallos, Sabaian Illyricos, parabiam Pæonas, Gurmi Barbaros, alam Anglos*, detorta nonnihil voce; Theophrastus etiam lib. 6. de Caus. plant. cap. 15. *Vt qui vinum ex hordeo triticove conficiunt, aut quod Zytum Ægyptus appellat:* quo idiomate etiam loquitur Columella, lib. 10. & Divus Hieronymus, lib. 6. cap. 19. in Isaiam: *Zithon*, inquit, *genus potionis est ex frugibus aquaque confectum, & vulgo Dalmatiæ Iaponiæque provinciis gentili barbaroque sermone appellatur Sabaium, hoc maxime utuntur Ægyptii:* nec est dubium quin de hoc Zytho Hecateus in Athenæum intelligendus veniat lib. 10. fol. 418. quando dixit Ægyptios ad potum hordei macerare & eliquare: hoc clare etiam novit Ægypto vicinus Herodotus lib. 11. suæ Græcæ historiæ, ubi ait Ægyptios vino uti, facto ex hordeo: unde similis potus est Illyriis *Sabaia*, ut legimus in Beato Hieronymo, qui nosse illud optime potuit, ut qui natus Illyride, nempe Stridone, Dalmatiæ oppido. cujus nominis comprobatio in Ammiano legitur Marcellino, lib. 26. in Valente: *Dum Valens*, inquit, *oppugnatione Calchedonis magnis viribus insistebat, cujus e muris probra in eum jaciebantur; & injuriose compellatur, ut Sabaiarius: est autem Sebaia, ex hordeo vel frumento, in liquorem conversus, paupertinus in Illyrico potus*; hoc etiam habetur apud Priscum Sophistam, in excerptis historiæ Gothicæ, pag. 42. editione August. anno 1603. ubi *Ministri*, inquit, *qui nos sequebantur, advehebant nobis chemerum potionem ex hordeo præbentes, quam barbari vocant camum, fortasse ab Hebræo, quod est Cham, id est calidum esse, ob illam quam Isidorus causam, celiam à calore ducebat, quod fortasse inebriaret.* Nec vobis mirum sit, zitum tam diversis appellari nominibus; nam diversæ gentes sub variis linguis variis se explicant vocibus, ut adhuc hodie intra nostram Hispaniam experimur; nam vocibus diversis vini nomen Cantabria pronuntiat, & alio Vandalia, Valentia, Aragonia, certis mutatis literis.

Post antiquam hujus vini inventionem à Veteribus traditam, in luxum & delitias habitum invenio, maxime in conviviis apud divites & opulentos homines, cujus non incelebris memoria in Athenæo legitur lib. 1. fol. 16. jam olim à Polybio tradita: *Polybius*, inquit, *ædes structura, & ornamentorum splendore, tales depingit; Regis cujusdam Hispani, quem Æmuletum fuisse, Pheacum etiam fluxum affirmat, nisi quod in atrii medio aurea argenteaque pocula stabant, vino plena ex hordeo confecto:* & quare hoc vino veteres uterentur prosequitur: *quoniam ob egestatem*, inquit, *vino multis carendum esset, excogitatum, apud ipsos inopiæ solatium, ut vinum ex hordeo confectum biberent; cujus potu adeo lætati sunt, ut canerent, saltarent, & quæ solent ebrii, facerent omnia: Zitum vocant hoc genus vini: inter ebrietatem tamen Ziti & vini naturalis mirabilem satis differentiam veteres agnoverunt.* Hujus etiam fecit mentionem Athenæus lib. 1. fol. 34. *Aristoteles scripsit, inquit, qui vino temulenti sunt, in faciem pronos vergere; qui vero zytho, in caput resupinatos: quia ut nimio vino caput gravatur, sic zytho veternosum fit, ac somnolentum:* cujus etiam differentiæ alio in

loco mentionem reliquit, lib. 10. fol. 447. *Vino ex hordeo confecto*, inquit, *quod pinum vocant, in tergum temulenti decidunt, ejus hæc est ratio, at peculiare quidpiam contingit in vino ex hordeo confecto: reliquis enim potionum generibus quæ inebriant, temulenti in omnem partem labuntur, dextram, sinistram proni, supini: at pino poti, supino tantum in posteriora inclinantur*; vinum etiam ex hordeo *britum* vocabat Sophocles; attentione in legendis auctoribus incumbite; nam vinum hordei, *zitum, pinum* & *britum* vocatur.

De hujus vini fabrica, & quo magisterioso artificio conficiatur, non apud omnes constat; nam, ut Gyraldus Ferrariensis est auctor, Syntagmate 8. fol. 231. *Potionum præterea*, inquit, *ex hordeo decocto confectam, quam Zithon Græci, nostri cerevisiam, aliisque nominibus appellant*: & doctus Bullengerius, l. 2. de Conviv. c. 57. *De farre & simila, far*, inquit, *significat frumentum adoreum, & farinam ex eo factam, & pultem, apud Germanos tamen & Gallos, hodie sic conficitur: quantitas determinata hordei in locis subterraneis & humidis reponetur, & per quatuor dies donec germinare incipiat, detinetur; & hæc in aqua proportionata quantitate adservatur infusa: hinc ad vasa doliata transfertur, ubi longa ebullitione aquosarum & terrestrium partium, depuratur pars utilis & clara; qua non utuntur ilico, sed fœcibus depositis; nam alias acesceret.* Hæc nondum est cervisia, sed tantum vinum hordei, quo plerique depurato utuntur, potione communi, interdum in conviviis, & usa est antiquitas: hujus vini temperies est frigida, & humida: si moderata frugalitate sumitur, mediocriter alit, caloris contemperat excessum, sanguinem frigidiorem creat: & si illo abutimur, frequentius, aut in majori quantitate quam suadet necessitas, inducit temulentiam, membra nobiliora obstruit, calorem insitum & influentem hebetat, superflue infrigidat, ut sanguificandi munus in hepate dejiciat, ut disponat ad hydropem.

CAPUT III.

De quinta Potione, nempe de vino Palmarum, ejus antiquitate, usu, & qualitatibus.

Iam olim tempore Cyri Regis, & in delitiis & in frequenti usu, usus vini celebris erat: & proculdubio hujus principis antiquitatem superat, si in militem vastissimi exercitus parabatur, non in Asia tantum, sed aliis provinciis, ubi hujus fructus nascitur abundantia: *Palmei vini*, inquit Athen. lib. 1. fol. 29. *Æphippus meminit poëta:*

Nuces punicæ & phœnicea, cupedias
Exiguas palmei vini amphoras.

Palmei quoque vini Xenophon meminit, in expeditione Cyri; *Mendei* vero, Cratinus: & lib. 2. expeditionis Cyri, inquit Xenophon, *Et frumentum & vinum è palmulis, acetumque ex eisdem paratum elixis, palmularum vero fructus, qualis apud Græcos videre non licet, servis ac famulis præbebantur: quas vero servabant, Dominis seligebant, magnitudine & pulcritudine admirabiles, aspectu prorsus electro similes.* Et lib. 14. fol. 651. *Eas quidem arefactas*, inquit, *in usum bellariorum reponebant; vinum quidem illud in potu suave erat, sed capiti grave*: Et Herodotus cum de Babylone loqueretur, scribit in ejus toto agro palmas generari, magna ex parte fructiferas, è quibus non solum vinum, mel, cibum conficiunt, sed illas etiam caricarum modo in offas cogunt; quod est idem ac in buccellas effici, seu in panes.

Quo magisterioso artificio fit hujus vini fabrica, apud quas gentes, quibusve ejus usus frequentior, apud Plinium legimus lib. 14. nat. hist. cap. 16. *Fiunt & è pomis etiam quæ dicemus, primoque è palmulis quo Parthi & Indi utuntur, & oriens totus, maturarum quas vocant, Chydæas, modio in aquis congiis tribus macerato, expressaque.* Sic fit & Sycites ex ficu: per elixationem fieri à Xenophonte constat ex illa dictione, *elixis*, forte per moderationem in aqua, ut postea tumentes premerentur, ut distillatus liquor in vasis postea ebulliret; usque dum purior redderetur, ab omni fœculentia; ut sic in usum communem servaretur: videtur enim secundum rationem, ad hoc etiam adesse torcularia, ubi in majori abundantia, tam magna vini quantitas colligitur, ut est apud omnes nationes communis vini fabrica.

Hujus vini temperies est calida & humida, crassi & multi alimenti, caput facile tentat, difficilem inducit temulentiam, quod illius ebrietas amplius protrahatur, sed cæteris magis ad soporem inclinat; hujus tamen vini usus jam pene exolevit, ob vini naturalis abundantiam, quæ per Europam & Africam ex Candia, Hispania, Gallia, & Italia latissime & cumulatissime diffunditur; & ubique deportatur.

CAPUT IV.

De Loti vino, ejusque olim celebri usu, noxiis & utilibus qualitatibus.

Hujus vini inter Græcos est celebris memoria, parca inter Latinos: de hoc hæc verba in Athenæo legimus lib. 14. fol. 651. *Quæ de Loto Lybica scripsit Herodotus, eadem refert Polybius Megalopolitanus, oculatus testis, libro 12. historiarum his verbis; est autem totus arbor minime procera, aspera, non tamen aculeata, folio ramni, hoc est ilicis, si Theophrasto credimus, paulo latiore & crassiore: fructu per initia colore, & magnitudine simili perfectis baccis mirti: dum augescit, coloris phœnicei, oleæ magnitudine, rotundo nucleo admodum pusillo, maturus is colligitur, & cum alica tusus, ad servorum famulorumque cibum in vasa conculcatur, ac stipatur: ingenuorum autem eduliis detracto nucleo, eodem modo reponitur, ac pro cibo est, gustu caricis & palmulis non dissimilis, odore tamen suaviori; fit & ex eo vinum, in aqua macerato, & trito, saporis grati & jucundi, qualis est optimi mulsi: merum id & sine aqua bibunt, sed ultra decimum diem non perdurat; quam ob rem paulatim ad usum tam brevis temporis conficiunt: fit & acetum ex eo.*

Hujus arboris, quam Græcus vocat *lotos*, Latinus *lotus*, Armenius *sedar*, ac ejus fructum *Nabach*, celebrem fecit memoriam Dioscorides lib. 1. cap. 64. & illam piro similem descripsit, ejus folia ut ilicis, & ut parvæ cerasæ fructus: dum jamjam maturescit, phœniceo colore insignitur, ad nigrum declinante, & parvo semper nucleo, gustu gratus: *Est etiam alia species hujus loti*, inquit, *cujus fructus omnino caret nucleo, & apud incolas*

colas illius regionis est in majori pretio, quoniam ex illo vinum pretiosum eliciunt. Hujus fructus qualitas ad siccitatem moderate declinat, grata adstrictione, qua membra interiora roborat; in Græcia & Africa est ejus usus frequens: Plinius lib. 13. Nat. hist. c. 17. de fructus abundantia sic scripsit: *Eadem Africa*, inquit, *qua vergit ad nos, insignem arborem Lotum gignit, magnitudo quæ piro; licet Cornelius Nepos brevem tradat folio ilicis, differentiæ plures, fructus magnitudo fabæ color croci: ante maturitatem alius atq; alius, ut in uvis: tam dulcis ibi cibus, ut nomen etiam genti terræque dederit, (& inde plures gentes illos vocant lotophagos) nimis hospitali advenarum oblivione patriæ: ferunt etiam ventris non sentire morbos qui eum mandunt: melior, sine nucleo: vinum quoque exprimitur, huic simili mulso: quod ultra denos dies negat durare, idem Nepos, baccasque contusas cum alica, ad cibos doliis condi; eodem nomine etiam est herba in Ægypto.*

Ex illo fructu vinum, eodem artificio, elicitur, ut ex palmulis, dum aqua maceratur, & sub prælo exprimitur, ac inde doliis reservatur, brevissime ebullit, ac fervore exacto depuratur: siquidem ultra decimam diem non transcendit, quoniam mox acescit; ejus virtus cum roboratione ad desiccantem vergit, quo minus caput tentat, nec facile inebriat; est nobilis & robustæ substantiæ, & alimento, & temperie superat illud vinum palmarum: nam moderate sumptum, vires reficit, calorem refovet, & laudabile præbet alimentum: at si immoderate, rebelles obstructiones creat, & graviora inde mala succrescunt.

CAPUT V.

De Celia & Ceria, antiqua Hispaniæ potione, & harum vocum causa.

Fuisse priscis temporibus Hispaniæ gentilitium hoc potionis genus, satis manifeste ex Plinii traditione patet: nam libro 22. nat. hist. cap. 25. inf. sic alloquitur: *Et frugum quidem hæc sunt in usu medico, ex eisdem fiunt & potus zithum in Ægypto (hoc est vinum hordei) Celia & ceria in Hispania, cervisia, & plura genera in Gallia aliisque provinciis.* Videtur Plinius hoc loco potiones provinciarum gentilitias tradidisse, ac paratas more provinciarum; à veteribus etiam ad nostros politioris literaturæ viros, hujus potionis translata est memoria; de hac enim Lilius Gyrald. Syntag. 8 f. 237. in f. sic scripsit: *Sunt qui Erebinthion, Dionysium dictum putent, (Bacchum nempe) quod ex leguminibus ex antiquis conficeretur vinum, sicut Zithus Ægyptiorum, Celia Hispanorum, cervisia Gallorum, qui potus inopia vini repertus est, in his regionibus quæ minus vitem ferunt:* hoc vinum *Siceram* vocat Nebricensis, forte nomine deducto à Plinii Ceria. Illud etiam nos tacere non licet, in medio fœcunditatis hujus nostræ provinciæ esse valde sterilem Cantabriam, ubi minus vites seruntur, quia nec ibi coli possunt, ob situs asperitatem, nec seri ob inexpugnabilem montium altitudinem; qua parte Hispaniæ consonum rationi videtur, *Celiæ* fuisse frequentiorem usum, ut & vini pomorum; ut postea dicemus.

Quæ nam Celia aut Ceria esset hujus nostræ provinciæ, jam olim adinventa, obliterata hodie, non sola antiquorum constat traditione, sed memoria etiam recentiorum; verum quadam veluti confusione, illam cum aliis potionibus confundi video: hoc singulari attentione notavi, in viro Latinissimo, & in Romana eruditione longis stipendiis emerito, Gerardo Vossio, de Vitiis sermonis, lib. 1. cap. 4. ubi, *Zynthum etiam*, inquit, *acceptum ferimus Ægyptiis, ut Celiam Hispanis, alia potus genera aliis, qua de re Adrianus Iunius lib. 11. citato supra: hoc in genere varia invenio usitata fuisse nomina, nam zythum dixisse Ægyptum invenio, Celiam & ceriam Hispanos, cervisiam Gallos, Sabaiam, Illyricos, Barabiam Pæonas*, &c. quare videtur sub zitho Cæliam comprehendi, potionis manifesta injuria, cum sit vere & realiter alia.

A Romano Imperio ad Gothorum dominationem in Hispania hujus potionis memoriam invenio, nam à Trajani tempore, quo Plinius constat floruisse memoriam protensam habeo, ad tempora S. Hermenegildi, quibus beatus floruit Isidorus; Plinius enim, Celiam & ceriam vocari potionem ex frugibus, quæ tantum in Hispania parabatur: ac favet non modo Isidorus Hispalensis, sed etiam Ennius Florus, Hispanus itidem, ut ex tantis Hispaniæ laudibus facile est conjectari: is libro 11. cap. 18. de Numantinis ita scribit: *Cum sese prius epulis quasi inferiis implevissent, carnis semicrudæ, & celiæ, sic vocant indigenæ ex frumento potionem Celiam, quasi caliam, à calefaciendo dici, ut adnotavit Iunius:* quomodo autem hæc fieret, & ex quibus constaret, solus beatus dixit Isidorus, ut illius provinciæ indigena, & nosse illud optime potuit, ut qui natus in Hispania patrias consuetudines profundius agnosceret: hæc sunt illius verba lib. 20. originum, c. 3. *Cæliam, quæ est potio ex succo tritici per artem confecta; suscitatur enim igne illa vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta, molli succo admiscetur, quo fermentato, sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur, quæ fit in his partibus Hispaniæ, cujus ferax vini locus non est:* Alii volunt esse à Cerere ceria, hoc est à fruge, ut cervisiam voluit nuncupari Isidorus à colore cereo, quod etiam Ruellio, & Adriano Junio placuit, in locis antea memoratis.

Nobis tamen magis secundum rationem videtur, nomen ab Hispanis secundum illius temporis idioma impositum, patrio idiomate potius quam Romano, alteriusve nationis advena, si erat potio illius regionis gentilitia: fuerunt enim semper curiosi observatores suæ linguæ Hispani; licet Vossius dicat in præcitato loco, quod hæc vox ceria, in Germania dicitur *biria* vel *beria*; nec illud nobis miri est, ut res una variis nominibus explicetur, ea nempe voce qua se gens illa explicat; nam zithum tam variis vocibus apud diversas gentes appellatur, ut Adrianus Iunius adnotavit in Glossis Philoxeni: verbi causa apud barbaros dicitur *gurmi*, apud alios *gurmem*, & apud Athenæum *Curma*, ut etiam placuit Casaubono, lib. 4. Animad. cap. 3. ut inter alios etiam usum censuit Ulpianus Oleander, *L. si quis D. de tritico & vino, leg. ubi ait, si pater familias vinum legaverit, nec Zithum nec curmi, nec cervisiam contineri:* sed ut recte antea legebatur *Camum*, quod & ipsum est potionis genus, Celio etiam Apicio memoratum, lib. 3. ubi cum de fruto conjungit; hoc etiam habetur, apud Priscum Sophistam, in

Gothicæ

Gothicæ historiæ excerptis, pagina 42. *ubi ministri*, inquit, *qui nos sequebantur, advehebant nobis chencrum potionem ex hordeo, quam barbari vocant chamum: fortasse quod calore inebriaret.* & divus Hieronymus in Isaiam præcitato loco, illam potionem ex frugibus aquaque confectam dixit, quæ vulgo Dalmatia Pannoniæque provinciis, Gentili barbaroque sermone appellatur *Sabaium*; quo in loco Vossius, *cum Illyres*, inquit, *inter Celtas fuerint, æque ac Hispani, Galli, Germani, facile mihi persuaserim, esse è veteri harum gentium communi lingua; nempe à sauffen quod est potare.*

SECTIO IV.

De nostræ ætatis potionibus, licet pleræque à vetustate ductæ, quarum usus ad nostram usque invaluit ætatem.

CAPUT I.

De septima potione cervisia nempe Germaniæ, Galliæ & Sueviæ; ejus antiquitate, temperamento, utilibus & damnis.

Cervisiam invenio jam olim incæpisse: vetustissimis sæculis antiquior memoria est quam Anius refert, libro de Regibus Assyriorum, folio 70. de Suevo, Rege Germanorum, inquit, *Non est dubium, eum esse qui Suevos condiderit, quorum meminit Plinius naturali historia, & Tacitus de Moribus Germanorum, ubi inquit, ad hujus patrem Gambrivium, venisse Osyridem, & docuisse arbores amputare, & frumentariam & cervisiam ut supra diximus ex Diodoro Siculo, in primo libro, asserente, ubi non vites nascuntur, Osyridem docuisse potum conficere ex hordeo & herbis; qui est vera cervisia, qua hodie Galli & Germani utuntur:* hujus potionis celebrem memoriam reliquit Soranus, Medicus antiquissimus, inter illas potiones singulis mensibus dicatas, quam illi mensi Martio attribuit, & consulit sumendam; nam in Isagoge ad Artem Medicam, cap. 20. hujus potionis est celebris memoria: inde illius usus Germanis invaluit, forte quia vites non ferunt.

Plinius etiam, dum quæ in orbe obtineret ebrietas, imperia enarraret, lib. 14. cap. 22. inter illas potiones quæ inebriant, hanc etiam enumerat; *Est & Occidentis populis*, inquit, *sua ebrietas fruge madida, pluribus modis per Gallias Hispaniasque nominibus aliis, sed ratione eadem: Hispaniæ jam & vetustatem ferre, ea genera docuerunt; Ægyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitavit, nullaque in parte mundi cessat ebrietas; meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina mitigant,* (mitigent ego legerem) *at Hercule illic tellus fruges parare videbatur; heu mira vitiorum solertia, inventum est, quemadmodum aqua quoque inebriaret; quod ex frugibus & aqua, talis fiat cervisia;* Idem Plinius docuit lib. 22. Nat. hist. 25. quando dixit, *Et frugum quidem hæc sunt in usu medico* (legumina antea varia enarravit) *ex eisdem fiunt & potus, Zithum, in Ægypto Celia & ceria in Hispania, cervisia, & plura genera in Gallia aliisque provinciis.*

Breviorem tamen Tacitus hujus potionis notitiam reliquit in Germania, quam hujus gentis morum; aliquam Rancovius de tuenda valetudine, clariorem Manardus lib. 18. epist. cap. 5. *Plerosque cervisiam damnare*, inquit, *ego vero ut ingenue fatear, non bene me nosse Lupulorum usum, (ex illis enim & aqua cervisia componitur) Mesue, in his sicut in aliis multis rebus parum credens, ita cervisiam vituperare nequeo, cum septentrionales homines ejus potu utentes, saluberrimos video & robustissimos: unde colligo esse illam potionem validi & multi alimenti; robur enim sola aqua non præstat, sed dum utilem sanguinem & temperatum gignit: aliter enim homines neque robusti essent, nec calore rubentes.* Quod cervisia sit primis qualitatibus temperata, satis manifeste colligitur ex hordei temperie & lupulorum contemperatione, dum illius frigiditas hujus moderato calore temperatur: satis loculentum testimonium Hippocrates adducit hordei de nativa temperie in 1. Acutorum à 1 ad 18 Sententiam, & Galenus suo libro de Tipsana; & si in hordeo humiditatis exuperat excessus, is lupulorum siccitate corrigitur; de quibus Dioscorides, si illius commentario credimus; sic loquitur; *Lupulorum succus bilem & melancholiam purgat, & sanguinem puriorem reddit; sunt enim lupuli & moderate calidi, & in siccitate non excedunt:* & lupulorum caules, qui à Plinio lupus salectarius vocatur; Hispania *hombresillos*, aspargi odorem & virtutem maxime æmulantur, in siccitate & in calore similes; & dum urinam provocant, referunt etiam aliorum; *Ac ideo*, inquit, *laguna ob odoris excellentiam, illis præparari & confici cervisiam Germaniæ provinciis lib. 2. super Dioscoridem fol. 208.*

Confectio Cervisiæ.

In magisterioso cervisiæ artificio non multum invigilavit sedula diligentia; est enim modus faciendi septentrionalibus regionibus notissimus, in quo longa stipendia plerique meruerunt; quod accepimus hac de re, id quidem est: *Quod certa quantitas hordei infunditur in aque proportionata quantitate, quæ respondet intentioni operantis, hæc infusio est ad perfectam hordei macerationem, quod solet esse ad tertiam fere diem, quo germinare incipit; ac postea extrahitur, & super tabulatum exsiccatur, sub valde calentibus stuphis, ad hoc opus paratis, ac valde exsiccatum in mortario teritur, ad fractionem tantum, deinde in capax caldarium projicitur, aqua plenum ad hoc opus paratum; & inde baculo circumfertur, dum fervet ad perfectam usque coctionem; & cum jam coctionem assequitur, jam præsto est quadam herba cocta, quæ apud Germanos dicitur Hopfen / apud Latinos Lupulus, cujus illis provinciis nascitur abundantia; ut hujus decocti lupulorum misceatur pars tertia, respectu infusionis hordei: & plerisque provinciis, ut robustior cervisia evadat, fæces veteris cervisiæ admiscentur; quibus iterum redintegratur fervor, usque omnino depuretur, & clarior evadat: inde cupulis ab illo caldario substrahitur, & ad vasa lignea transfertur, ubi fervet ad sufficientiam: ac inde per quoddam canaliculæ ligneæ artificium in vasa præparata descendit pars illa depurata cervisiæ, crassiori in fundo remanente, in hoc ultimo vase ad usum potionis conservatur;* hæc inter præparationes ut electior & magis robusta ab Olao Magno commendatur, libro 10. hist. Septemtrional. cap. 21.

Hæc potio est illis hominibus gratissima, & in frequenti usu, quoniam sitim sedat, caloris contemperat excessum, facilis & multi alimenti; quod si alicui gliscat, credat experientiæ; nam has gentes robustas conservat, & vividi & rubentis coloris: mihi olim gustanti ob amaritudinem ingrata

ingrata videbatur, forte rei novitate, sed usu postea suavior apparet: hujus potionis caliditas, quam contrahit ob lupulos, hordei & aquæ frigiditate temperatur; cum hoc tamen inebriat, dum ad caput in vapores ascendit, fermentatione potius utriusque quam alterius qualitate separata; dum lupulorum calor hordei humiditatem evehit, quo potentiarum rectricum actiones depravat. Alia etiam, quæ non ita vehementer inebriat, apud has gentes venditur; quæ paratur ex fœcibus relictis, prima cervisia extracta, quibus sufficiens aquæ quantitas additur; & iterum concoquitur, donec fervore exacto depuretur, quæ non est prorsus inermis, sed est priori mitior, temperie frigidior, & temulenta minus; ideo non ita robusti alimenti: unde illa tantum, ad caloris excessum temperandum, utuntur. Quem cervisia habeat in Medicina usum, periti harum provinciarum viri docuerunt: illud tamen nobis subit mirari, omni temperamento & ætati, omnibus fore proficuum auxilium; ex quo esse eam naturæ valde consocialem, manifeste convincitur: hoc etiam interdum in Medicina novimus, pleraque esse in natura auxilia, quæ arcanam quandam vim habere creduntur, sub certo climate ab stellis acceptam: quam esse certam & determinatam cognationem, inter auxiliatum & auxilium, periti docuerunt.

CAPUT II.

De potionibus Hispaniæ in delitiis habitis.

Tam magnam potionum varietatem in Hispania divitiarum invexit opulentia, luxus, & madida luxuries, dum novi orbis debellatis provinciis, viros nostros in otio inerti, sui alta tenet oblivio: præter illam quæ ex vino generoso est in communi usu, ut eas vix docta capiat arithmetica; ex iis multæ sunt pretiosæ, ut illa quæ ex Asia, à Venetis ad nostros nunc affertur, ex pretioso condito in aqua dissoluto; aliæ in delitias, in solam necessitatem paucæ: ad hoc fortasse allicit & inclinat, & climatis temperies importuno & anxio calore: ideo omnes fere nive refrigeratas aut glacie concretas, præassumere docuit ambitiosa vanitas; sic semper in æstate, & hyeme plerunque; ut cum Plinio vere possimus dicere (libro 14. Nat. hist. cap. 22.) *Heu! mira vitiorum solertia, inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret!* & cum Seneca; *dum pœnas montium in voluptatem vertunt; inter communes quæ publicis in tabernis venduntur, est illa quæ dicitur Hispano idiomate aloja.* Et hæc ipsa quidem paratur dupliciter, aut saccharo aut melle, in aqua proportionata quantitate, ut aquam gratam reddat moderata dulcedine; quibus additur de speciebus aromaticis, quod sat est, ut palatum alliciat, ut piperis, cinnamomi, anisi & cariophyllorum; & de succo limonum interdum parum additur: hæc non per coctionem, per solam mixtionem gratissima paratur, & publice venditur, nive refrigerata; alias enim penitus insulsa est; nam ab algido rigore gratia comparatur.

Vinum cerasorum acidorum & dulcium, ut granatorum vinum, paratur apud nostros ex eorum depurato liquore, illa tantum sachari parte addita quæ ad gustum sufficiat; licet plerique addant vini rubri fere tertiam partem: hæc vina sunt stomacho gratissima, & longe cordialia, ubi æstus prævalet hepatis, aut ventriculi, aut in illis, qui per adustionem ex pylori consensu redduntur melancholici; cor roborat, & sanguinem purificat, & febribus ardentibus, & malignis mire opitulatur: nec tantum excessum contemperat febrilem; sed etiam putredinis initio obsistit: in æstate est etiam, & sanis utilissimum, & valde cordiale, dum maxime nive refrigeratur.

Aqua ex *malorum* citriorum, & limonum, (Hispano idiomate *limonada*) paratur etiam, ab sex partibus aquæ una vini rubentis (*aloque* dicitur apud nostros) albi sachari libra, & de succo limonum, illa quantitas acidi, ut grata aciditate gustum & palatum alliciat, non irritet: aliquibus mos est, duos aut tres limones in frusta jam dissectos in aquam sacharatam projicere, & moderate calidam, ut acidum alliciat, ac postea rubri vini quantitas moderata miscetur, ut aqua pretiosa reddatur; hæc enim nive refrigerata in statu salutis, & morboso in prædictis affectibus est virtute mirabili; & in æstate non satis laudata.

Matriti, (ubi omnium Europæ provinciarum aula, nobilium ingeniorum feracissima) est una sola domus inter alias celebris, & omnibus notissima, quæ dicitur *centum vinorum*; (*la casa de los cien vinos*) in hac die noctuque quavis hora vix numerabilis vinorum invenitur varietas; vinorum nempe Hispaniæ, quæ magis grata aut magis generosa: ac exterarum nationum quæ magis celebrata: ex artificialibus, quæ artem & saporem, & fallunt, & ipsammet naturam; & solertia ingenue videntur superare; ibi ex fructibus pomorum, pirorum, cerasorum, vinum mirabili artificio elicitur; seu in communem usum, in delitias, aut in necessitatem: illius nempe artificii quod vitæ suæ commodo, aut luxu alieno, inventione curiosa, cauponando libravit, rebus in illis, quibus impotens hominum libido pretium fecit: nam quod à pietatis officio incepit, in virtutis & temperantiæ injuriam homines converterunt; sicut in voluptatem necessitas; horum vinorum virtutes, & conditura, enarrare, in me esset tempore abuti: nec nobis otium, neque voluntas suppetit; & illorum utilia, damna, usus & qualitates, jam superius diximus.

Potiones quæ nostris Regibus Hispaniæ serenissimis parentur, super aquam calidam audio præparari: aqua enim fictili in urna in clibano, moderate decoquitur, ac dum fervet, si aqua cinamomi paratur, in frustulo aut pulvere injicitur electi cinamomi quantitas moderata, seu ad intentionem lapsi temperamenti, aut virtutis membrorum, ut suadet necessitas, aut sanitatis tempore; ut gustui sit grata, odore, & sapore, quod cernitur, dum auri colorem æmulatur; limonum seu citrorum aqua, simplici etiam editur artificio, nam dum in clibano urna fictilis fervet, mala citria, aut quatuor aut sex, externo expoliata cortice, & integra postea in ferventem aquam projiciuntur, & ab igne illico separantur; nam caliditas aquæ tantum accidit, saporis extrahit ab medulla, ut aqua gratissima reddatur, ac postea sachari albissimi & duri ea miscetur quantitas, ut ex utroque sapore non minuatur gustus; si maxime additur aliquid vini rubri, ut dicebamus

antea: de hac etiam nive refrigerata, nostri magna cum utilitate utuntur, & in æstus solatium, & febrium auxilium, maxime in æstate; nam & à febre præservat, & importuno medetur empyreumati, & sanguinem purificat frigidiorem creat; sic etiam vinum cerasorum acidorum paratur, & omne aliud quod ex leguminibus & fructibus Regis aula paratur.

CAPUT III.

De vino pomorum, quod nativo idiomate Cantabriæ (apud quos maxime est in usu) dicitur Sagardava.

An hæc potio olim apud antiquos fuerit celebrata, & sub quo nomine, non sunt apud illos vestigia relicta: sunt tamen quædam nomina potionum generalia, inter quæ *pomorum* vinum etiam invenitur: non in communem usum, sed aut in necessitatem, aut in peculiare medicinæ auxilium: hæc in Plinio leges lib. 14. nat. hist. cap. 16. *Inter vina fictitia*, inquit, *vinum etiam fit è silica syriaca, è piris malorumque omnibus generibus, sed è punicis quod Roithon vocant, è cornis, mespilis, sorbis, moris, siccis nucleis, pineis, hi musto madidi exprimuntur:* Superiora per se mitia, alia aromatis condita dantur; aliud etiam invenitur, ex herba *nectaritis*. In varios medicinæ usus fuisse has potiones adinventas, patet vel ex ipsomet Plinio, quando dixit: *Itaque non major innumerabilia pene, fictitii reperta, multis ante sæculis omnia, ad medicinæ usum pertinentia, ideo forte in musto parabantur.*

Hoc vini genus, apud Nebricensem sub nomine *sicera*, nobis traditum, sic enim vocat *pomorum* vinum: & Beatus Hieronymus, *sicera*, inquit, *hebraice est omnis potio quæ inebriare potest; ideo forte Samsoni præcepit Dominus, siceram non bibes:* Celebris est etiam in divina lectione hujus potionis memoria: nam in cap. 6. Numerorum sic legitur: *Vir & mulier cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest abstinebunt.* Et Deuteronomii cap. 29. *Panem non comedisti, vinum & siceram non bibisti, ut sciretis quia ego sum Dominus:* Et in libro Judicum cap. 13. *Erat autem de Saraa, & de stirpe Dan habens uxorem sterilem, cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam, sterilis es, & absque filiis, sed concipies & paries filium, sed cave ne bibas vinum, ac siceram.* Et Proverbiorum 31. *Date siceram mœrentibus, & qui amaro sunt animo bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Hujus vini memoria etiam invenitur Lucæ c. 2.

In Robusta & semper generosa Cantabria, virorum illustrium feracior, quam philosophorum Athenæ, ducum Sparta, Thebæ Deorum; illa nempe quæ adhuc superata, nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre potest: cujus excelsa gloria, (adhuc in summa imperii Romani fortuna,) Lucio Metello, & Magno Scipioni plus tulit splendoris, quam Asiæ & Aphricæ triumphi: in hac ergo asperitate horrida super aliis eminentibus confraga, quę aratro non cedit, non otium non luxus, sed extrema necessitas jam olim, & ab antiquis sæculis quorum non est memoria, liquoris quoddam genus invexit, (quia vini locus ferax non erat) ex illa pomorum abundantia, quam in hac orbis parte confragosa, natura in vitæ subsidium produxit, quia inter confraga montium, & necessitatem alimenti, vitam periclitari conspiciebat: & hic est qui *cidra* dicitur Hispano idiomate; seu, *vino de mancanas*; latine *pomorum vinum:* & idiomate Cantabriæ gentilitio *Sagardava*; nam *Sagarra*, idem significat quod latine *poma*, hispanice *mancanas:* & *ardua*, generico nomine vinum significat; ideo apud illos, *uvarum* vinum, dicitur *mats ardua*; composito nomine, ex *mats*, quod est *uva*, & *ardua*, quod est *vinum*; ut vera utriusque nominis etymologia dignoscatur.

Hæc poma, prælo acta, torculari expressa, quendam proliciunt liquorem, qui in cupulis fervet, & ut vinum ebullitione depuratur, dum partes aqueæ à crassis & fœculentis ebullitione separantur, ut intra mensis metam, jam purior evadat: est tamen scitu dignum, illius artificium: In capaci torculari, pomorum quantitas cumulatur, & malleis seu clavis magnis conteritur, ac postea, (maxime in Guipuscua & Ascoitia) super contusa poma in massam jam redacta, admiscetur ut tertia pars aquæ, in cujus mixtione per quatuor horas maceratur, exinde sub doliis fluxilis pars liquoris destillatur: ac postea crassior pars pomorum in acervum adigitur, & sub prælo comprimitur, quo effluit quidquid superest: ex doliis ad cupulas transfertur, ac illis adapertis per dies conservatur, donec desinat ebullire; nam veluti vinum fervet: plerisque in locis aqua huic vino miscetur, dum exprimitur, & in aliis nulla: quod in delitias paratur, minus recipit: quod solis operariis, plus admiscetur aquæ; & hoc vinum, ut aliæ merces, de provincia in provinciam transfertur; quod ex illis meracius aqua contemperatur, quia magis inebriat importuna & longa temulentia, sed ista citius acescit, quam lymphata.

Hoc vini genus est plerisque in delitiis habitum; nam est gustu suave, mediocriter alit, est primis qualitatibus temperatum, à primo ordine ejus calor excedit, humiditas ad secundum ascendit, facile ad nutriendum permeat; moderata frugalitate sumptum, sanguinem frigidiorem creat, caput facile tentat, aëreis & calidis vaporibus: sumptum immoderate, ut vinum Hispaniæ inebriat; sed ejus temulentia, nec ita importuna, nec longius protracta, ac potius in somnum quam in furiam ducit, hoc, & illud pro recipientis apparatu; hoc vini genus in universa Cantabriæ provincia est in usu, plerisq; generosis in delitiis, aliis ad ferendos labores: nec ejus usus ultra annum perdurat, exinde enim acescit, aut facile corrumpitur.

In hac etiam confragosa provincia parum vini colligitur, sed ad ora maritima, seu quia temperata, seu quia vitium culturæ magis cedit, ubi paucæ & dispersæ vites conservantur, quæ ob soli sterilitatem, & sunt minus vini feraces, & vinum longe debile; ideo ultra anni dimidium illius duratio non excedit, vel potest conservari: neque validus calor in illo animadvertitur, ut aliis provinciis, ob illius soli tenuitatem, seu quia ejus clima in septentrionem vergit, cujus arido squalore plantæ sterilescunt.

CAPUT IV.

De potionibus Indorum orientalium & occidentalium.

Varias potiones apud Indos invenio, aliis inventas in delitiis, in luxum, aut vitæ necessitatem aliis; India aut America, quarum pleræque, quia tantum sunt Indiis in usu, has ideo prætereo, & quia accuratius ab aliis tractantur, ac nostris nullius fere fructus, si curiosam lectionem excipias; ut potio quæ in nova Hispania gentili idiomate dicitur, *de magei*, *chica*, in occidenti, & apud Peruanos, apud orientales, *coca betelle & tambul*; & etiam potio *Paragai*, quæ utramque ventris regionem mirabiliter vacuat; apud Philippinenses illa quæ dicitur *Bubio*, quæ *chocolati* valde assimilatur, & alia quæ dicitur *Banguci*, quæ est quædam confectio quæ miva macerata venerem incredibili concitat vehementia; si Carolo Clusio & Acostæ est adhibenda fides. *Atole*, alio etiam nomine *pusole*, in nova Hispania incœpit, postea ejus usus in omnem fere occidentem diffunditur: ista potio est in omni America notissima, & facilis illius compositio; fit enim ex illa frugis sorte quæ dicitur *mais*: nam grana illa mediocriter tosta & expilata in proportionata aquæ quantitate maceratur, inde coquitur usque dum alba reddatur aqua, & crassa in amicli formam redacta: aliis fit ex farina hujus grani tosti, & aqua proportione mixta, fit quidam potus albus, ex quo illi utuntur, sive sacharo mixto, seu in illa potione Chocolatis sub partibus æqualibus molendino subactis, quibus & saccharo fit potio gratissima, validi & multi alimenti; quia est utriusque alimenti validissima virtus: quo fit ut nisi à robusto calore, & valido ventriculo digeratur; potio illa quæ dicitur *atolle*, solo saccharo mixto, ægrotis propinatur, ut ferunt harum provinciarum Medici, ut Cardenas, Ferdinandes & Robles. Et pariter illo fidunt, ut in jure glaciato gallinæ, cum sit ita validi alimenti; est illa potio qualitatibus primis temperata laudabilis, & multi alimenti, ut propria observatione confirmat Marradon in Tabaci Dialogo. Et Juanes de Cardenas lib. 2. cap. 14. & in cap. 7. de natura & usu fructus illius qui dicitur cacao.

Chuno est alia potio occidentalis Indiæ Peruanę, quę paratur ex quadam leguminis specie, quæ dicitur gentili idiomate *papas*, ad similitudinem alterius quam in nostra Vandalia *patatas* appellamus, quas Malacitani ad nos hyeme ferunt; & terræ tuberes æmulantur: has vento & sole diu noctuq; desiccari permittunt, & in farinam redigunt, quæ est coloris cineritii, & aqua calida mixtæ in pultem conficiunt; cui etiam admiscetur sachari ad dulcedinem tantum: & aliquibus placet piperis longi rubri parum etiam addere, quod apud illos dicitur *chile*; plerisque etiam aromatibus illam pultem condire, suavius videtur: hoc Hispanis in illa provincia degentibus est valde in delitiis habitum: Indi vero sola pulte utuntur, & aqua, & farina; parum de chile addito; & ferunt mirabiliter alere, & gratissimam esse gustui potionem, & ab antiquis sæculis harum provinciarum gentilitia memoratur, ante nostrorum Hispanorum adventum.

A *Vlpus* est alia potionis species, Peruanis valde familiaris, qua illi tantum utuntur ad caloris excessum temperandum, refrigerandum sanguinem, & sitim leniendam; hæc conficitur ex farina maizii mediocriter tosti, aqua tantum frigida dissoluta, & ad dulcedinem saccharo superaddito molendino concutitur, & paratur ut chocolatis potio, & uno haustu hauritur, nullo respirationis intervallo: quia æstuantia viscera super aquæ potionem refrigerare ferunt, & sitim mirabiliter super alias potiones lenire: hanc supra fidem encomiis extollit potionem Oviedo lib. 7. de Historia Generali Indorum cap. 1. & Petrus de Oia, in domito Araveo.

CAPUT V.

De chocolatis potione, omnium potionum suavissima.

Hæc etiam potio ab occidentali India dimanavit; sed quia pretiosior, in finem reservatur; illa enim dictio (*cho*,) nulla in Latina lectione, nec ullo veteri exemplari Romano est; qua dictio Latina incipiat aut nomen; ideo hoc nomen *chocolate* gentili idiomate prolatum, optavi Latiniorem fieri, ut Latinæ lectioni aptior fieret consonantia, & vocum servaretur proprietas: quo in certamine, plerisque doctis placuit, ut pronuntiaretur *Cyocolate*, à *Cyocolate*; *tu*; est enim illa dictio (*Cy*) & Laconicæ & Latinæ linguæ magis conscia; attamen rem altius perpendens, invenio gentilem prolationem, *chocolate*, esse apud omnes orbis nationes notissimam, ignotam prorsus & extraneam, Indo-latinè datam; nam apud Turcas & Persas dicitur *chocolate*, & à torrida zona ad ultimam septentrionis lineam, ut etiam in Hispania, Gallia & Italia, litera non mutata Gentili nomine appellatur; prudentius ideo existimavi, vulgari sub nomine declinari, quam sub Indo-Latina dictione.

Incœpit in Hispania hæc pretiosa potio, in hac nostra ætate, ab annis quadraginta; ab hinc enim ejus usus invaluit; licet antea à plerisque haberetur in usu, in novæ Hispaniæ provincia, maxime Mexicana: ab hoc tempore cœpit utrumque sexum ita arcte voluptate ligare, utilibus & commodis allicere, ut nudari veste homines potius se paterentur, & grata orbari supellectile, quam bis aut plus in die chocolate non sumere; illustrior hujus potionis memoria in temporum annalibus est illa quam quidam miles attulit, anno 1520. dum adesset in prima hujus provinciæ debellatione, cum invicto Ferdinando Cortes, qui ut miles scripsit, non historicus, vera potius quam curiosa lectione; is ergo qui dicitur *Bernaldus del Castillo*, cum ea quæ proprio valore gessit, enarraret, in hujus historiæ cap. 91. cujus titulus est: *De la manera y persona del grande Motecuma, y de quan gran Señor era*: dum dapes & epularum varietatem hujus principis enarraret, & clientum obsequia, in poculis & mensa, Hispano idiomate sic effatur: *Trianle frutas de todas quantas avia en la tierra, mas no comia, si no mui poca, y de quando en quando, traian unas como copas de oro fino, con cierta bebida hecha del mesmo cacao, que desian era para tener acceso con mugeres, (en este lengua je habla) entonçes no miravamos en ello mas lo que yo vi, que*

traian sobre cinçuenta jarros grandes hechos de buen cacao, con su espuma, y de lo que bebia, y las mugeres le servian al beber con gran acato: y al tiempo del comer le asistian algunos Indios, truanes que le deçian gracias, y otros que le cantavan, y bailavan, por que el Moteçuma era mui afficionado á plaçer; y a aquellos mandava dar de los relieves, y Iarros de cacao: & parum infra sic prosequitur: *Luego comian los de su guarda, y otros muchos sus serviciales de casa, y me pareçe, que sacavan sobre mil platos de aquellos manjares, que dicho tengo: pues jarros de cacao, con su espuma, como entre Mexicanos, se haçe mas de dos mil, y fruta infinita.*

Cum hoc tamen Doctor Juanes de Barrios, qui mox à debellatione provinciæ colonus de rebus nobilioribus provinciæ scripsit, illam potionem antiquiorem putat: quoniam in provincia, quæ gentili idiomate dicitur *Guatimala* ab immemoriali; *Apud Indos*, inquit, *frequens potio erat, quia ibi cacao pretiosius nascitur, colitur & colligitur, quod de soconusco appellatur; & jam illam potionem Hispani invenerunt, ab incolis antiquis in delitiis habitam, & in frequenti usu, & plerisque in luxu, hujus potionis longa experientia satiati, utilibus admoniti*: erat enim illa huic provinciæ connaturalis & coæva, ut sunt aliis aliæ, uti vinum pomorum in Cantabria, cervisia in Germania.

In hoc eodem tempore primam Tabaci notitiam invenio; (fallax hominum labyrinthus, cui facilis est ingressus, regressus impossibilis, apparentibus utilibus hominibus ligatis, ubi prius periclitatur ratio, & postea vita in ancipiti alea;) quoniam paucis infra lineis idem auctor, miles nempe, (qui jam ense, jam calamo scripsit) in eodem argumento sic prosequitur: *Tambien le ponian en la mesa tres cañutos mui pintados y dorados, y dentro traian liqui dambar, rebuelto con unas hiervas que se diçe tabaco, y quando acabava de comer, despues que le avian cantado y bailado, y alcada la mesa tomava el humo de uno de aquellos cañutos, y mui poco, y con elle se dormia*: inde prosequitur capite subsequenti 92. cui titulus est, *de las grandesas de la plaça de Mexico, en aquel tiempo de sus tratos y mercancias*: ubi sic etiam de hoc ipso argumento scripsit: *Luego estavan otros mercaderes que vendian ropa, mas basta de algodon, è otras cosas de hilo torcido, y caca quateros, que vendian cacao, y desta manera estava todo genero de mercadurias, y tambien los que vendian miel, y miel cochas, y otras golosinas, que hacen como nuegados*: & parum infra; *unos canutos de olores con liquidambar llenos de tabaco, y vendian xicaras, y unos jarros mui pintados de madera hechos; y esto era para trocar a otras mercaderias: por que mas tenian entre ellos sucuenta, que tantas mantas, o que xiquipiles de cacao valia, o que esclavos, o otra qualquiera cosa a que lo trocavan.*

Hæ sunt apud nostros primæ hujus potionis notitiæ, & quidem ab initio debellatæ provinciæ; hinc apud nos incœpit *chocolate*: de cujus compositione & artificio, varia & diversa tradiderunt primitivi illius sæculi auctores, harum provinciarum incolæ; præcipuum hujus potionis ingrediens est *cacao*, sed quibus aliis misceretur, miles historicus non dixit; sed tantum quod erant pocula, spuma coronata; quod apud Indos in hoc sæculo, sacchari usus non esset: ex hinc plane convincitur, quod postea incœperit illius artificium: unde, magis secundum rationem videtur, seu ex melle, sive mellis spuma suum illos chocolate confecisse, quoniam illius abundantia publice in plateis veniebat; & ad saporem plane erat necesse, quid dulcis admiscere; solum enim *cacao*, insipidam & amaram redderet potionem; quod aqua solveretur, ex spuma evidenter colligitur; quibus tamen simplicibus admixtis conficeretur, apud illos non constat; nec quomodo ad mille pocula tam breviter esset ad manum ministrorum; erat enim necesse, ut antea in belletos massa configeretur, ut repente propinarentur pocula, crateres præsto essent: quia in bruta & silvestri substantia *cacao*, tam latæ potioni est ineptum: est enim necessaria trituratio, & aliorum simplicium permixtio; quod evidenter postea docuerunt Hispaniam devecti, massam chocolatis afferentes, & politioris usus docentes artificium.

De prima hujus potionis præparatione, quæ apud nostros erat in potiori usu, in novæ Hispaniæ metropoli, Doctor Juañes de Burrios, libro suo de Chocolate folio 5. sic infit: *Digo pues que es menester considerar, que al principio que esta bebida se començo à usar, se hacia de menos simples, y cosas que el dia de oi se haçe, por que los Indios antigos de Guatimala no echavan en el lo que oi se echa; y no es de maravillar, por que en las comidas y bebidas, y cosas compuestas, el uso, y el tiempo las perficiona, hasta darles el punto de la salud, y de gusto que oi tiene, y esto passa en los usos, hasta darle su punto*: & alio in loco, idem auctor, de hujus potionis alimento & virtute sic ait; *Es comoda pues ella sola suple el almuerço, y algunas otras comidas, por que con ella no es menester, pan ni carne, ni bebida: y en un momento se haçe y saçona, lo que no ai en las otras.* (ad Jejunii fractionem maximum argumentum.) de hac etiam ait Juanes de Laet; de qua hoc tantum dicimus, quod præclare nutriat.

CAPUT VI.

De qualitatibus & substantia, & virtute generosa Cacao.

Mixti & compositi qualitates non aliter assequimur, quam perfecta simplicium, ex quibus componitur notitia: nam exinde emanat certa qualitas ex virtute individuationis hujus temperamenti, ne dicam mixtionis. doctrina quam veteres & recentiores philosophi ante & post Galenum facile amplectuntur: & cum fructus ille *cacao*, sit præcipuum hujus potionis fundamentum, & quod super omnia generosam potionem nobilitat, profundius illius qualitates ediscere, consultissimum duxi. Dr. Juanes de Cardenas, qui accuratius de rebus illius provinciæ scripsit, non Indorum tantum traditione, sed docta sane observatione, in suo libro 7. de proprietatibus chocolatis, in *cacao* tres agnoscit substantias, quas tres etiam sequuntur qualitates, & frigidam, & siccam, terrestrem & melancholicam; quæ si super alias fortasse dominatur, obstruit, producit melancholiam, ac coctionem non tantum remoratur, sed ne fiat, cæteris alimentis obsistit: & secundam observat, aëream, calidam, butyrosam, quæ agitatione in spumam abscedit. Hanc calidam & humidam existimat, lenientis & fluxilis substantiæ, quæ dum cæteris prævalet, effectus contrarios producit; alit enim, pinguem

pinguem ſanguinem creat, cordis ſubſtantiam vivificat, ac ſpiritus nobilis robuſtæ mixtionis, ac ſtudio & labori aptiſſimos, progeneratꝫ quo in opere vetuſtum recens ſuperat, quod feracior butyroſæ ſubſtantiæ, quæ tunc magis elucet, cum ab igne ſartagine elicitur, modica toſtione, quia ignis à terreſtris profundo, ad ſuperficiem allicit butyroſum. tertia ſubſtantia & qualitas hujus ingredientis, eſt calida & ſicca, quæ uſtionem redolet, qua parum guſtui amareſcit; at in hac prævalet penetratio, & aliorum ſimplicium mixtionem molitur, quo ſublevat vapores,& caput blande tangit; ſudorem provocat, menſes citat, & omni ratione deobſtruit, reſerat, & abſtergit, ac tandem ad ventris lenitionem butyroſam ſolicitat, ideo cum ſuper alias dominatur, aërea & ignea, hos effectus, (adhuc cum ſint contrarii) potentius producit, plus minuſve pro illa mixtionis Harmonia, hujus aut illius qualitatis prævalentia, pro robore ventriculi, aut imbecillitate, pro latitudine, aut venarum anguſtia, aut ſingulari hujus aut illius temperamenti qualitate: nam in hac partium contrarietate, non poteſt omnibus uniſona adeſſe conſonantia; individualem enim ſequitur qualitatem in pleriſque, in aliis certam temperamenti mixtionem; ſed mirabilis effectus ut plurimum adoratur,apta ingredientium mixtione, ſi magiſterioſo artificio, ut hæc aut illa qualitas prævaleat, configitur. illud tamen omnem artis ſuperat excellentiam, quod omni ſexui, ætati, & omni fere tempore ſit gratiſſima & amica potio: illud enim mihi ſemper maximum extitit argumentum, hanc naturæ eſſe valde conſocialem potionem, quia apud omnes nationes Africæ, Aſiæ, Europæ, & Americæ, communi conſenſu, ejus emolumenta video animadverti, & avidius amplexari.

Dr. Franciſcus Ferdinandes, Regni Mexicani Proto-Medicus, & qui juſſu Domini Regis Philippi II. de rebus illius Provinciæ ſcripſit, & accuratiori diligentia, ut pareſt; lib. 1. ſect. 2. de Arboribus, cap. 36. dum ad limam & lineam redigit qualitates hujus ingredientis, nempe cacao: totum illud judicat temperatum, dum ad frigidum & humidum declinat, & febribus acutis poſſe propinari, non judicat à ratione abſonum; *Quoniam ſitim lenit mirabiliter*, inquit, *calidum hepar temperat, ac toſtum, dyſenteriæ prodeſt: ſed in majori quantitate propinatum, venoſum genus obſtruit.* Tu interim adverte quod hic auctor ſcripſit in principio, antequam poſterorum diligentia, & hujus potionis experientia illius nobilitaret uſum.

Nunc illud reſtat expendere, hoc præcipuum potionis ingrediens *cacao*, dum aliis miſcetur, quę ex illis complexionibus in hoc mixto pręvaleat? Doctor Juanes de Cardenas in frigida & ſicca prævalere exiſtimat, in primo & in ſecundo gradu: quia prædominium judicat in mixto prævalere in illa qualitate aut ſubſtantia, quæ ſuper alias facile dominatur: & hanc alias in mixto ſuperare, ſenſuum judicio remiſit.

Ex hac eadem doctrina nos contrariam amplectimur ſententiam; nam ſi ſenſuum judicio eſt adhibenda fides, (non eſt enim primarum, aut ſecundarum qualitatum alia comprobatio; nec aliam nos docuit Galenus.) partem calidam & humidam butyroſam, ſemper in hoc mixto prævalere, judicamus, ſi artis magiſterio conficitur, non utcunque publicis venditur in tabernis. quoniam ſi attendimus, dum in principio, in ligneo inſtrumento demolitur, & ſecundo in lapide, & in maſſam redigitur, in hac mixtione & fermentatione tota fere elucet butyroſa ſubſtantia; ſi, quo tempore aqua diſſolvitur, tota remanet butyroſa, illa putulenta permixtio, ut nulla fere in fundo remaneat craſſa & ponderoſa: ſi ad ſolam ſpumam, hæc potio dum valide molendino concutitur, fere tota vertitur in ſpumam, quæ ex aërea, calida, & humida ſubſtantia reſultat, dum flatibus miſcetur; quod ex alio principio, evidenti ratione, convincitur; ex præſentanea nempe corporis alimonia; non enim ita facile in ſubſtantiam vertitur, & ſpiritus, niſi quod eſt naturæ valde conſociale, (Galeni eſt doctrina) quod eſſe & calidum & humidum nemo inficiabitur, non frigidum & ſiccum, naturæ inimicum. undè mihi ſemper habui perſuaſum, totam illam potionem chocolatis à *cacao*, eſſe & calidam & humidam, & naturæ valde conſocialem: licet aliorum ſimplicium mixtione contrarii effectus aliquando eluceant, ſecundum activitatis gradus illius qualitatis, quæ prævalet in mixto, quæ mixti temperiem non evertunt, ſed perficiunt: nam in illa qualitatum diſſonantia, temperamenti Harmonia conſiſtit: hoc intelligitur de utili & electo cacao, quod natura & cultu manſueſcit, ut eſt de *ſoconuſco & caracas*, ſi aliis ſimplicibus electis permiſcetur: non de ſilveſtri, & amaro, & craſſo, ut eſt de *Guaiachil*, cujus mixtio potionem reddit amaram, & ingratam, quia in illius ſilveſtri potione, terreſtre cum uſtione prævalet: quo non ſit mirum, ſi in hoc eluceant contrarii effectus, nempe obſtructionis, vix unquam ſuperabilis, & ut ſcirrhos & melancholias producat.

In manu-ſcripto Licenciati Robles de Plantis Occidentalis Indiæ, cap. 54. video virum iſtum, in qualitatibus *cacao*, valde hæſitare, dum illas omni luce conſiderat, & quo ſe vertat, neſcit: referam tamen quæ de hoc generoſo ingredienti dixit gentili idiomate: *El Cacao es frio y ſeco de ſu templança, y per eſto tienen partes aſtringentes, con que opila: eſta oi el mas valido de quantas mercadurias ai, y eſta tan adelante, que ai majorasgos fundados ſobre ſus heredades, de a dies y doçe mil ducados de orenta: es el cacao ſummamenta alimentoſo, por don de hace dudar de ſu templança: el açeito que ſale del, quando ſe cueſſe, es blanço, y granujado, que mas parece manteca, ſacaſſe toſtandole en caſuela de barro, y no es bueno en metal; mueleſſe el cacao en la piedra, y con mano de piedra, eſtãdo calientes ambos, y echa maſa, ſe pone en puchero al fuego, en las brazas, y en tomando calor ſale encima la manteca, y aceite mas rubio que la llama, y de ſu miſmo ſabor; aßi miſmo ſe tueſta para hacer la bebida; pero quando le van moliendo o paſſando por la piedra, le meſclan, anis, canela y algun clavo, echando a tres libras de cacao; dos onças de anis, una de canela, y media de clavo, con eſto, paſſan por la piedra dos, o tres vezes, y luego le echan en caxitas, o le hacen panecillos de a onça, que es lo que adellevar una xicara de bebida: eſte es el chocolate regalado, y mas ſano, y el que bebe la gente regalada; otros le echan harina de mais, y en la nueua Eſpaña vis cocho, molido, pero eſto de mas de hacer, el chocolate de*

poca

poca dura, es enfermo, por que la harina que le echan, no cosida aun que va tostada es de mal mantenimiento, y causa opilaciones, y otros mil achaques; tanbien le mesclan en otras partes con achiote, por ser à proposito para la orina: el modo de hacer la bebida, es este; lo cuessen desaziendo la pasta en proporcionada cantidad de agua, poco mas de medio quartillo, y dos onças de asucar, una de chocolate, y cuesse en una olleta uno o dos hervores al fuego, y le dan con un molinillo hasta llevantar espuma, y quanto caliente se puede se bebe; el que se bebe desta manera, se tiene por mas sano: no soi de parecer, se tome muchas vezes, por que inquieta el cosimiento, y carga el estomago de muchas crudesas; el cacao comido confitado, por la tarde quieta el sueño de toda la noche. Solo es bueno para los soldados que estan de posta; la manteca del cacao es de grande provecho, para las inflamaciones, y para qual quiera fuego, y quemaduras; y sobre todo, para el tiempo de las virvelas, y serampion, y ampollas, y llagas, securan untandose à menudo, con a quel açeite, para el principio, aumento, y estado de la erisypula: es gran sedante, y el major anodino para el dolor, que causan sus costras y postillas: para los labios abiertos, y grietas de las manos, y en el rostro, para las enZias, que manan sangre con dolor, se les quita effectos bien contrarios, pero mejor conocidos por la experiencia.

In principio horum auxiliorum videbantur Viro isti ignota auxilia, ut par est tentando experiri, & aliorum experientia, quantumvis incerta nobis tradita dare, dum quomodolibet audita, pro compertis habent; pleraque ex istis hodie sunt artificioso magisterio, usu, & experientia ad ultimum perfectionis gradum jam perducta, ut postea videbimus.

CAPUT VII.

De aliorum ingredientium qualitatibus, ex quibus potio chocolatis conficitur.

Huic generoso ingredienti, & præcipuo, species aliæ miscentur, aromaticæ seorsim contritæ, postea cribilatæ, per setaceum missæ: & aliæ, quæ in India nascuntur, quas summus Naturæ Auctor, huic generosæ potioni videtur produxisse, aliæ in Hispania: prima, quæ odoris suavitate, & saporis gratitudine hanc potionem super se ipsam elevat, & pretiosam reddit, est illa quæ apud nostros dicitur, *orejuelas*, quoniam fragranti odore, & suavi harmonia gustum allicit, & spiritus reficit: de hac Doctor Franciscus Ferdinandes, lib. 1. de Rebus Indiæ aromaticis, sic loquitur gentilii idiomate: *Ninguna es de major valor, para esta bebida per aromatica cordial: y de excellente olor, caliente en tercero grado, seca en segundo, y que conforta el coraçon, cordial en la vitalidad, cria muchos y robustos espiritos, y mas de los vitales, de fuerte y robusta mixtion, indissolubiles, y es de excellente sabor:* hanc ipsam speciem aromaticam, Doctores Iuanes de Barrios & Cardenas, calidam tantum primo gradu existimant, & siccam in secunda, *stomachum roborat*, inquiunt, *hepatis sanguificationem juvat, nutritionem perficit, flatus dissolvit, ac partium subtilitate menses provocat.*

Aliud secundo loco constituunt aroma, quod apud illos dicitur *manojitos de olor*, quæ sunt ut tenues & minuti paxilli odoris fragantissimi, quæ Indico idiomate dicuntur *mesacuchil*: de his Doctor Franciscus Ferdinandes, lib. 2. sect. 1. c. 13. sic ait: *esta especie aromatica es caliente en primero, seca en segundo, cordial, util à las ventosedades, y contra veneno, echa la criatura muerta, es provocativa de meses, y orina, que facilita los malos partos, y abre opilaciones, y es corroborante con moderada adstriccion; que repara el calor nativo, y alimenta el influente con nuevos espiritos, que cria, fortaleçe el higado, y es excellente en la templança, y mixtion aromatica.*

Tertio loco numeratur illa species aromatis, quæ apud nostros dicitur *bainillas olorosas*, apud Indos *Tlixochil*, & sunt veluti vaginulæ oblongæ, tenues, & teretes, & subnigri coloris, semine minutissimo turgentes, uti semina sinapis: sunt etiam odoris suavissimi, & aromatica fragrantia penetrantis: de his Doctor Juanes de Cardenas sic scripsit: *Las bainillas compiten con el ambar, son de complexion caliente, y seca en primero grado, con que dan al chocolate mui suave olor, y se aventajan à las de mas en ser mui cordiales amigas del coraçon, engendran espiritos de fuerte y robusta mixtion, ajudan al cosimiento del estomago, y con su calor cuessen los humores gruessos y crudos; y lo que es mas que todo, con las partes sutiles y calientes, consumen lo terrestre del chocolate; con que le dexan mas puro, y sin los daños de lo melancholico;* de his etiam Doctor Ferdinandes, lib. 1. sect. 1. titulo *de las bainillas*, sic alloquitur: *Son calientes y secas en tercero grado, cordiales, provocativas de meses, y de orina, acceleran el parto, el echar las pares, cuessen y a del gaçan lo crudo, y fortalesen el corason, y cerebro, y sus facultades.*

Quarto, piper *de xamaica*, alias *de tabasco*, aut *de chiapa*; de hac in prædicto Doctore Ferdinandes, lib. 1. sect. 1. cap. 14. sic legitur, titulo *de la pimienta: Es la pimienta de suave olor, caliente, y seca en grado tercero, cordial, desopilativa, provoca meZes, y es remedio à los dolores flatuosos, corrobora el estomago, y ajuda la digestion de la comida:* de hac Licentiatus Robles, suo manu-scripto libro de Plantis Occidentis, cap. 33. sic scripsit: *è hecho experientia desta semilla, o granos de pimienta, y hallo en ella el calor, y sequedad iguales, y ser à proposito para confortar el estomago, interiormente bebida o exteriormente aplicada, sufre cosimiento medianamente y trituracion mediocre, y subtil, como los de mas aromaticos, y le tengo por substituto de los clavos de especies: mata las lombrices con la parte amarga, y detiene los vomitos:* sub hoc cadit judicium etiam *melanopiper*, hoc est piper nigrum, ex Orientali India ad nos translatum; nam calefacit & siccat in tertio, potentius corroborat, & dum concoquit cruditates, flatus discutit.

In chocolate, in fine etiam admiscetur, *Achiote*; nam illud colore, odore & sapore nobilitat, & temperat: de hac etiam specie, idem auctor lib. 1. sect. 1. cap. 14. his verbis scribit: *Este se haçe de la semilla de un arbol cosida, y es frio en tercero grado, con alguna adstriccion, mitiga la sed, y mesclado con el agua templa las calenturas ardientes, y cura la dysenteria de humores colericos; da gusto, sabor, y olor al chocolate, y le haçe mas fresco, de mas de que ajuda à la digestion, y no solo se mescla para color al chocolate, si no por que engorda y añide sustento, con la parte pingue y butirosa, que es la que en el prævaleçe: y siendo assi, tiene partes calientes, como io son todas las butirosas.* quare certe tertium frigiditatis gradum possidere, non assentior; imo illud judico temperatum partibus calidis,

dis, & frigidis, æqua lance libratis: quod etiam colligitur ex iis quæ sequuntur; *Per las partes aëreas, y delgadas tanbien desopila, y provoca meses, y sudor*, (quod cum frigiditate in tertio non compatitur, licet in partibus diversis,) in quo etiam conveniunt Doctores Juanes de Cardenas & Barrios, & alii hujus sæculi viri, ut ipsi etiam contestantur; nam illæ actiones non sunt medicamenti, in quo alta dominatur frigiditas, sed calor per partes distributus. quod etiam facile ex alia actione colligitur, si eisdemmet auctoribus est adhibenda fides, qui affirmant, quod renum lapides frangit, & eos, & crassos humores in vias urinæ, ut exeant, compellit: illud tamen advertunt, ut in moderata quantitate aliis misceatur, dum coticula tophacea conteritur, aut ligneo instrumento permiscetur, ne reddat insulsam potionem aut pravi alterius saporis.

Ut videatur quam contrariæ sint hominum sententiæ, adeoque vix quod securius est, consequi valeamus, referam quid de *achiote* senserit Licenciatus Robles; nescio an ex propria an aliena sententia; nam libro supra citato cap. 59. *del achiote*, hæc potius fugienda quam amplexanda docet: *el achiote o viza, assi le llaman los Indios, le echan en las comidas por açafran; es caliente, y enemigo de nuestro calor natural, offende las partes espirituales, estraga el higado, es ventoso sobre manera, por que su calor y humedad passa de segundo o tercero grado, levanta vapores gruessos, hincha los hypochondrios, dicen que es à proposito para las passiones de orina; todo el chocolate, que viene de la nueva España y Guatimala, viene cargado desta terrible veza, baptisado con nombre de achiote; y deven los medicos a consejar, no se use deste con excesso, por que tengo por sin duda, que el achiote es una lima sorda, que produce en nos otros malas passiones: y assi dessearia tener autoridad para moderarlo, tengole por caliente en grado tercero, y humedo en segundo; y, por sus propriedades, enemigo de nuestra naturalesa.* Duo in hoc Auctore video, quæ omni carent probabilitate; nam illa naturæ inimicitia facile redarguitur, sola experientia utilium, in quo omnes orbis provinciæ conveniunt, nemine contrarium reclamante; & secundo, non constat, quo sensuum tribunali differatur judicium de illo calore tam intenso; nam si ex tactu velimus judicare, est ita insipidum *achiote*, ut potius de frigiditate sit suspectum; nam nec mordet, nec calefacit, ex alio principio sui calorem præbet; præterquam quod hic Auctor, apud Peruanos scripsit, non apud Mexicanos, quibus potius in hac re est credendum, utpote in provincia, quæ veriorem hujus ingredientis fecit experientiam; & nobis certe videtur, quod falsa Indorum traditione errat, non exacto veritatis examine.

De parvo pipere & rubente, (*chiles* apud Indos vocantur.) illud etiam hi auctores posteris tradiderunt, ut tertio calfaciant, potenter urinam moveant, febres ardentes concitent, & sanguinis fervorem: de his dixit antea citatus Robles suo manu-scripto, cap. 82. *Los agies* (sic etiam & illi appellantur,) *provocan camara blandamente, y à los glotones son utiles, por que los traën blando el vientre, pero calientan el higado, y causan sed, comidos con templança, ajudan la digestion, despiertan el apetito, y la luxuria: madura los apostemas, el çumo es primido echadas dos gotas en los oidos, quita el zumbido dellos.* De aliis piperibus, oblongis etiam rubentibus, duæ apud nostros species feruntur; aliud enim pungenti calore, hos *chiles* æmulatur, eodem fere caloris gradu & virtute simili: aliud quandam præ se fert insipidam dulcedinem, & nullius est usus: ex primis attamen in chocolate, in moderata quantitate aliquid permiscetur, ne calore & mordicatione, febris periculum adjiciat; ac ita Doctor Ferdinandes in præcitato loco prosequitur. *Ya que se eche algun chile, sea quitada la semilla por escusar el excesso del calor, y lo picante:* Quia in hujus fructus semine longe validius & punctio & calor efferatur; de hoc piperum genere sic etiam Monardes; prima parte titulo *de la pimienta de las Indias*, fol. 24. *Conforta mucho, resuelve ventosedades, son buenos para el pecho, y para los frios de complexion, calienta, y conferta, corroborando los miembros principales. es caliente y seca casi en quarto grado.*

Hispaniæ etiam aromatibus hæc potio conficitur, quibus redditur gustu & sapore gratissima, & inter illa maxime Cinamomum chocolate nobilitat, & odore suavissimo, & stomachi robore: est enim & calidum & siccum in secundo, maxime cordiale, aromatica virtute membra nutritionis roborat, nobiles & purissimos spiritus producit, ac reddit sanguinem puriorem, cruditate detersa, si antiquo Dioscoridi fides est, libro 1. c. 147. Nigrum piper, sive melanopiper etiam in parva quantitate miscetur, ne supersit insulsum chocolate; addit enim nescio quid grati stimuli hoc aroma: de hoc etiam auctor est Dioscorides, lib. 2. cap. 238. Quod in tertio calefacit, & siccat; stomachi virtutem conservat, digestionem promovet; illa tamen aromata, si placet meliora eligere, nec recentia eligas, neque vetustate cariata; ista enim & humido scatent impermixto, & illa tempore aromatica virtute evanescunt; quod de solo *cacao* judicare non licet; est enim electius quod antiquius, dummodo non sit extrema vetustate cariatum; quoniam pars hujus ingredientis butyrosa, in antiquo est magis depurata, & proprio humido, fœlicius permixta; aptius terminata, quo gratior redditur potus.

Illud etiam in speciebus aromaticis animadversione dignum judicavi, quod omnes fere existimant, illas sola permixtione chocolatis potionem ad caloris excessum sublevare; quo ab omnibus ducitur nimis calida potio: hæc præsumptio parum versatos decipit apparentia, non exacto veritatis examine: contrarium enim duplici ratione convincitur, quoniam hæc aromata constant parte alimentosa, & qualitate virtutis aromaticæ, quæ in ipsa substantia subjicitur, & cum illa in alimentum vertitur qualitas aromatica, quantumvis calida ab ipsa nutritiva virtute, & nativo calore superatur, quo illa manet infracta qualitas, & superatus calor; quod evidenter observatur in pipere, quod suo mordicanti calore linguam mordet, mox vero in alimentum versum, & calor & substantia calori nostro cedit, quod omnibus alimentosis aromatis accidere facile observabis: & sit secunda ratio, quod dum calida & frigida miscentur, maxime dum fermentationem à calore accipiunt, ita inter se temperantur ad invicem, ut ex utrisque una resultet qualitas, non frigida, non calida simplicium, sed quæ ex illa mixtione resultat, pro ut

hoc

hoc aut illud superatur, aut superat, refracta ex virtute individuationis hujus temperamenti, seu hujus aut illius mixtionis: quæ futura sit magis aut minus calida, secundum quod prævalebunt simplicia in ipso mixto: quæ in mixtione interdum ita refracta manet, ut una qualitas temperata resultet, quæ nec frigido, nec calido excedat: & hæc (ut nobis videtur,) ex chocolatis mixtione resultat: hoc ultimo probatur, ex primævis doctoribus, harum provinciarum incolis, qui febribus ardentibus posse propinari, in suis scriptis tradiderunt; ut antea adnotatum reliquimus.

Saccharum, cujus quantitas sola dum in hac potione miscetur, cætera ingredientia fere æquat, est calidum & humidum, sed hac & illa ita temperatum qualitatibus, ut calida infrigidet, frigida calefaciat, & humidum & siccum moderetur; ut omni extremo videatur contrarium: est gustui suave, & palato blanditur: de hoc Galenus dixit lib. 7. de Simpl. med. facult. folio 55. sub titulo de melle, *Sed & sachar ut vocant, quod ex India atque fœlici Arabia convehitur in calamis, ut aiunt, concrescit*, (& ut altera Græca legitur lectione, *concrescit quidem ut aiunt, circa calamos:) & ipsum mellis est species, minus certe nostrate dulcius, sed adsimiles ei vires obtinens, quod ad abstergendum, desiccandum & digerendum attinet: porro quatenus nec inimicum stomacho est, ceu nostras, nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia differt.* Antea dixerat, quod mel desiccat, & excalfacit ordine secundo. Et est simplicis tum facultatis, tum temperamenti extergentis: quo cessat illa quæstio, *an jam olim Sacharum fuerit veteribus ignotum?* ignota enim illis fuisse sacchari depurati ingenia, & ut apud nostros hodie magisterioso artificio depuratur, & quadam veluti sublimatione extrahitur, hoc nos etiam inficias non ibimus: sacchari vero bruti, calamis seu arundinibus dulcibus per fissuras, dum in illis concrescit, seu alio artificio factis, illis notitiam non fuisse, illud inficiari, sanæ mentis non erit; si hoc clare legitur in Galeno, in præcitato loco: & in antiquissimo Dioscoride Græco, lib. 2. cap. 74. sub titulo de melle: hodie enim, ut olim, illud solet accidere, ut per arundinum spatia dulcis liquor instillet, qui aut sole durescit, aut frigore concrescit; & mellis substantiam & colorem æmulatur, sed bruta quadam natura constat, quod vera tamen dulcedine palatum gustu afficit: & de hoc omnis vetustas venit intelligenda, quando dixit, quod calfacit & desiccat in ordine secundo, dum brutum & agreste destillatur; nam dum postea torculari exprimitur, & igne ab omni superfluitate expurgatur, omni superflua domita feritate, & puriori substantia extracta, temperatius, dulcius & suavius remanet; quod si, ut nostri, veteres agnovissent, hoc plane faterentur; & de hoc melle, dum in monte Olympo destillatur ob peculiarem conditionem montis, nectar Deorum confici (ut erat antiquorum traditio) videtur secundum rationem, ut in titulo de *nectare & ambrosia* diximus.

Hoc saccharum chocolati miscetur, seu in principio, dum in massam configitur, seu in fine, dum potione datur, & utroque tempore; pari etiam arte imperatur; in primo enim, ut temperet aliarum specierum calidarum excessum, & ut gustui suavius reddatur, (nam in *cacao* amaritudo manifesta dignoscitur) & ut massa illius mixtione promptius obdurescat, & fermentetur aptius, miscetur etiam dum chocolate potioni paratur, ut si quid ingratum, aut amarum à *cacao*, aut cæteris ingredientibus relinquitur, hac sacchari mixtioni dulcescat, suavius reddatur, & saluti conservandæ utilius existat.

In aliis ingredientibus explorandis non moror, uti, nuce muscata, aniso, & maizio; quoniam illorum jam exolevit usus, quia talia pretioso chocolati non miscentur, nisi solis cauponibus, seu ut addatur quantitas chocolatis, seu fallendi causa; ut solent adhuc in tabaco miscere, in supplicium miserabilis luxus: de quo illud tantum obiter dicam, quod Licentiatus Robles suo manu-scripto, cap. 51. ita dixit: *Digo qae el tabaco fue invencion del demonio, por que el humo en lugar de refrescar el coraçon, le enciende: el de peluo abraza el cerebro, gasta y consume los espiritos animales. El de çumo abrasa, y quema, como fuego, toda la region natural, à que no se persuaden los miserables tabaqueros, antes quieren morir en su engaño, que creer a los que desengañados, de su abuso lo escrivimos.*

Veniamus ad chocolatis peculiarem conficiendi modum, & compositionem, prout gustui & saluti couducit: nam post tot annos in hujus potionis magisterio & ingredientium varia mixtione insumptos, adhuc fere ultimam perfectionem non attingit: nam apud alios à justa proportione in aliis excedit, & deficit in aliis plerisque; nam pro sua cujusque vice consulit unusquisque, aut suadet necessitas, quæ hodie apud nostros, Hispali, est magis apud omnes recepta, compositio, & quæ gustui, & saluti potior judicatur; est in hac proportionata quantitate: sumitur de *cacao*, electo de caracas Sanctæ Mariæ, aut insulæ dominicæ, miliare unicum, quod appendit tres libras, & semissem, hoc paulatim comburitur lento igne, ut cortex tantum exterior comburatur; nucleo fere intacto: huic miscetur electi Cinamomi Indiarum tenuis, & rubentis unciæ tres, ad minus binæ unciæ; de odoriferis traginulis (*bainillas* apud nostros) à decem ad 12. nucis muscatæ una tantum, melano-piperis, seu piperis communis unciæ dimidium, sive piperis longi Indici rubentis eadem met quantitas; aliqui utuntur pipere de Xamaica, in parva quantitate; sub his determinatis quantitatibus hodie selectius paratur chocolate apud divites, & nobiles Hispalenses: his etiam Doctor Franciscus Ferdinandes, (quod & nobis non displicet) de illo pipere Indico, quod *chile* apud eos vocatur, unum tantum permiscet, ne insulsum chocolate supersit; seu ut gustum moderata punctione solicitet, quod frigidis regionibus & tempore hiberno consultissimum judico: his ultimo miscetur sacchari albi libræ duæ; & pondus cujusque lib. 16. uncias appendit: sub hac mixtione in pastam durissimam configitur, stomacho & saluti gratissimam; hæc est nostrorum, hujus compositionis ultima observatio & quæ omnibus maxime placuisse videtur: per tot annos variis simplicibus & diversis mutatis mixtionibus; & in hac sum testis ocularis, quod in optima persistit consistentia, electa mixtione fermentatis simplicibus, odori-

odorifera & valde pretioſa; nam in hac nec extremum attingit pungentis nec inſipidi; & ut colorem accipiat & ſaporem, demolitis ſingulariter ſingulis & permixtis, ultimo admiſcetur cuique miliari, prædictis ſpeciebus permixto unciæ dimidium de *achiote* electi, & non adulterati: & reſpective, magnis quantitatibus inditur: in ædibus noſtris & civium illuſtrium in delitias hoc modo parabatur, addito tantum apud pleroſque generoſos & divites de ambare griſio ſelectiſſimo, aut moſchi ſelecti, quod ſcrupulus ponderat; aliter præparatur in domibus cauponum, qui cauponando pleraque inutilia, ac multa non innoxia permiſcent, cum magna quantitate maizaii, & rerum aliarum, quibus additur pondus, non utilitas; iterum in hac ultima mixtione commendo, dum per lapidem tranſit, & conteritur, ut de ambare griſio aut moſcho ſelectiſſimo miſceatur jam ſupra dicta quantitas, quia non tantum in odoris delitias, ſed ad vitam producendam, & vivificum nectar roborandum, in prima & ultima maxime ſenectute, producit effectus admirabiles; licet etiam in vino generoſo diſſoluta hos pariat effectus.

Antiquam compoſitionem chocolatis Indiæ & Hiſpaniæ enarrare, hoc tempore nullius fructus erit; quoniam illud habuit, ut ad ultimam perfectionem deveniret: illud tamen Dr. Juanes de Cardenas maxime commendavit, ut ſpecies aromaticæ ad ignem calefiant, ut igne illarum exoluatur acuitas, & crudum abſumatur; ſed ne dum comburantur, ne virtus & odor evaneſcat, & in *cacao*, quo uſque cortices deradantur, artifices noverunt, ut illa omnia, quæ huic conducunt magiſterio: ideo illa enarrare non placuit, quippe quæ ſunt *chocolatariis* notiſſima, & in frequenti uſu practicata, & ædibus cujuſque civium vident omnes familiæ: in hoc tamen ſupremus eſt impendendus labor, ut ſpecies aromaticæ & *cacao* ſeorſim ſingula triturentur, & acuratiſſime poſtea cribilentur; ut in minutiſſimam pollinem redigantur; hoc in ligneo inſtrumento, & illud in lapidibus igne ſuppoſito conſequitur; nam in hoc & ſalus & voluptas illius potionis conſiſtit.

Chocolate ergo in bellos & placentas reductum, ſecurius eſt (dum paratur bibendo) in aqua fervent eliquari, & nullo pacto ad ignem ebullire; nam ignis ebullitione aceſcit, aut corrumpitur, quo aliquando ſtomachum ſubvertit; deinde molendino concutitur, unde illa concuſſione ſpumæ copia ſublevetur uberior, & ut pars butyroſa, univerſam permeet chocolatis ſubſtantiam, quæ eſt familiarius & potiſſimum illius potionis alimentum: inde in vaſcula (*xicharas* noſtri vocant) transfertur, & calidum adſumitur; & adverte ne ad ignem iterum recaleſcat, dum frigeſcit, quia pari corruptionis periculo laborat: non enim in hoc caſu experientiæ eſt deroganda fides; quando ultimo ad bibendum paratur, dum in aqua diluitur, cuique unciæ chocolatis ſacchari due miſcentur unciç, (& in majori quantitate, ſic ad proportionem) & aqua uncias octo non tranſcendat, magis aut minus ad guſtus libertatem; dummodo moderatam non excedat dulcedinem, nec in craſſiori ſubſtantia ſumatur; nam in prima elaboratione bona quantitas ſacchari admiſcetur, ſed hoc & illud ad cujuſque libidinem diſpenſatur; guſtus enim non rationis, ſed appetitus lege temperatur: temperatius à pleriſque æſtimatur chocolate, dum cum pari quantitate *atolis* permiſcetur; (eſt *atole, maizij* toſti cremor, per macerationem jam extractus) quia hæc atolis ſubſtantia eſt valde temperata, ut totam potionem contemperet; nobis tamen hæc non placet permixtio, quia & ipſa non digeritur & cruditatem auget.

Hæc eſt omnium potionum pretioſior potio: hæc in commodis ſalutis omnes ſuperat, illarum nempe, quæ in hodiernam diem aut voluptas invexit, aut decurrentium ſæculorum ſeries alternata conſpexit: quia nec in ea dum in actum potionis reducitur, nec aliquo ſimplicium, ante ejus ingreſſum, vitæ humanæ defuit neceſſarium, neque voluptati, quod non valeat illecebra appetitum allicere: ſunt enim alia alimento gratiſſima, alia aromatica, virtute roborantia, alia cordi auxiliantia, dum nectar vivificum inſtaurant, ſeu ſpiritus diſſipant malignos, aut naturales robuſtæ mixtionis producunt: ſunt & omnia ſimul vitæ longius producendæ aptiſſima; quoniam chocolate, ultima qualitate quæ reſultat ex fermentatione, ut theriaca, calorem nativum roborat, & prompta inſtauratione influentem, ob facilem converſionem, multum & laudabilem ſanguinem gignit: ob ſubſtantiæ tenuitatem & fermentationis efficaciam indiſſolubiles & robuſtos ſpiritus immortali labore & ſtudiorum collimationi aptiſſimos: facultates præcipuas, & temperamenti mixtione aromatica virtute, in vigore conſervat; moderato calore dum concoquit, flatus turgentes diſſipat: ac penetratione aperientis obſtructiones aperit, menſes provocat, & inter alia ventrem pleriſque lenit: & ſuper omnia cibaria, vires præſentaneè & promptiſſime reficit, quod res aliæ eſſentia potabiles non ita prompte agunt; quo videtur ſingulari differentia ab aliis differre: hoc etiam Doctor Franciſcus Ferdinandes Regni Mexicani Proto-Medicus, dum de qualitatibus chocolatis alloquitur, ſuo gentili idiomate mirabiliter dixit, per hæc verba; *es una de las mas ſaludables y præcioſas bebidas, de quantas haſta oi eſtan deſcubiertas: por que en toda eſta bebida, no ſe echa coſa, que ſea mala ni haga dañ a à la ſalud, ſi no todas cordiales, y de mucho provecho, para viejos niños, mugeres prañadas y gente ocioſa: y conviene no beber tras della, ni comer otra coſa, ni hacer exercicio deſpues de tomarle, ſi no eſtarſe un rato quieto, y deve tomarſe bien caliente.*

A pleriſque video dubitari, an chocolatis potio in æſtate caloris periculum adjiciat; ingredientium acuta & tenui ſubſtantia; mitto, quod calida infermentatione contemperantur frigidis: igne & aliorum craſſitudine acuitas: taceo identidem quod qualitas, quæ reſultat ex individuatione hujus temperamenti, eſt alia à frigido & calido, ſed quæ participat ab utroque extremo; & dato, quod declinet ad calidum, velut à prædominio; verum illa caliditas eſt ita moderata, ut à pleriſque fere non ſentiatur, licet extreme bilioſis periculum adjiciat: illud tamen non eſt ex communi natura illius potionis, ſed ex recipientis aptitudine, quod regulam generalem non conſtituit: quare in communi vivendi ratione, nobis videtur naturali calori, & influenti, bene con-

ſultum iri, ſi *chocolatis* potio in æſtate ſumatur, ſi prudenti moderatione, nec repetitis vicibus, concedatur; ſed ſaltem bis in die, noctis peracta coctione, & pomeridiana: quod etiam non contemnendis fulcitur rationibus: in æſtate enim, fructuum horariorum abundantia, ſtomachi frigidis ſcatent cruditatibus, & nivis & frigidorum uſu, immenſis turgent flatibus, & nullo magis tempore algent interiora, quam cum externo empyreumate influens & innatus calor ad externa evocantur, & ad corporis ambitum: quibus etiam accedit, ut major ſpirituum copia exolvatur, & corporum innata reſolutione, & æſtatis ardentis; quo nobis videtur conſultiſſimum, omni æſtatis tempore, potionem ſumere chocolatis; &, ſi ad comprobationem valet experientia, hoc in communi vita civium *Hiſpalenſium*, (cum ſit hæc calidiſſima regio) ita fœliciter ſentitur ab omnibus, ut illo carere, ſit apud illos infœlicitas major: & huic accedit, quod illo maxime tempore ſit hominum natura laxa maxime, & fere diſſoluta; & ſi verum fari licet, neminem per hæc tempora à chocolate video abſtinere, neque inter intemperantes proceres, neque temperatiſſimos Hiſpaniæ Reges, nec mediæ fortunæ cives: & nobis certe videtur, nullo magis tempore, quam æſtate, prodeſſe chocolate.

De frigido chocolate nive conglaciato, (*degarapiña* dicunt) video quendam doctum aulicorum blanditiis aſſentiri & profuſæ voluptati vires addere: alios video de hujus potionis utilibus dubitare, quando gravia experiuntur damna, & maxime quando nive rigeſcit, aut alto frigore glaciatur, ut Matriti & Hiſpali, dum à pleriſque fœminis generoſis habetur in delitiis: ſed in hoc, ut & pleriſque aliis, appetitus rationem non audit: & ignari non eſtis, homines mutata in delitiis mente, plerunque tacitis abrogata ſuffragiis, quæ majores noſtri de temperantia tanquam manſuris legibus commendabant, ſola voluptatis illecebra violaſſe. dicent fortaſſe nobis, illa jam abierunt, dum noviora ſibi locum fecerunt: forte non meliora vobis dico; nos enim repulimus violenta auxilia, quorum nequiſſimam conditionem, ne quidem ſeverior antiquitas tulit: ſed uno verbo dicam, quid in hac parte ſentiam; frigidi æquare vim veneni, chocolate nive conglaciatum, & paulo minus, ſi ut aqua gelida nive refrigeratur, aut in illa conficitur: pariter enim, ut frigida venena, à noſtro calore naturali inſuperata manent; & ideo noſter calor, veneni efficacia ſuperatur: ſic reor, in chocolate illo de garapina, nobis uſu venire, ut calore ſuperato, extrema frigiditate in materia denſa, repente obruatur, antequam ingredientium calor vires exerat.

Huic graviſſimo periculo aliud longe gravius, & præſentaneo diſcrimine accedit, quia illa repentina frigiditas dum membra reſpirationis obſidet, illa ita alta torpedine obligat, ut à motu omnino præpediantur membra, & motu deficiente, mors repentina incidit, forte inopinata, quod his annis à pleriſque cautiori ſolertia obſervatum accepimus: hoc idem, & potiori jure, ſtomacho accidere, hepati, utero, & extremis venarum orificiis, ad quæ alta penetravit frigiditas; & ratio convincit, & quotidiana docet experientia; quia dum venarum obſtruit orificia, ſanguinis confluxus præpeditur, & congelatus in extremis venarum obſeratur, ut vitæ munus ceſſet, ut unius aut alterius occaſione ſyncope ex venarum interceptione repente incidat, & cauſa penitus ignorata repente moritur: quod alto & ſerio judicio Hippocrates jam olim ponderatum reliquit, 4 Acut. 23. in cujus commentario ſic Galenus: *Cum igitur ſupra modum oppletæ fuerint venæ, gravari virtutem neceſſe eſt, atque in extinctionis agi periculum, nativam caliditatem, quæ ob copiam ſuffocationi quidpiam ſimile patitur:* & paucis infra lineis; *in ægris autem, vocis privatio hujuſmodi fieri poteſt, interdum læſis dumtaxat iis, quæ voci efformandæ ſubſerviunt inſtrumentis; vel etiam iis quæ reſpirationi deputavit natura.* Conſideretur ergo, quam repente in hæc membra irruat, hæc intenſa frigiditas in hac denſa materia; & horum membrorum perpendantur pericula, ſi vehementer extrema frigiditate alterentur, ſanguiniſve præpediatur motus, venarum extremis obſeratis, dum caliditas in periculum extinctionis agitur.

Neque Sirenæ credas ſuaviter canenti, in tranquilla ſerenitate maris, neque ingredientibus calidis chocolatis, quia in rigido algore fidem fallunt, neque frigidis guſtum decipientibus; nam in voluptatis illecebris eſt in fide Græca ſecuritatem quærere: melius noſter Hiſpanus Garcilaſſus: *pedir ſeguridad à la fe griega*; quoniam nec ſpecierum caliditas, neque pars aerea & ignea *cacao*, nec ſtomachi calor, valent illam intenſam rigoris frigiditatem, in actu ſuperare, quin antea labem indelebilem imprimat; non ignorantia, ſed conſiderationis defectu, hæc decipit fallacia; quoniam illa ſumma frigiditas in actu, in quarto fere gradu, in præſentanea agendi efficacia, ſuperat infinita diſtantia caloris reſiſtentiam in primo aut ſecundo, quia hic eſt in potentia talis & illa frigiditas in actu; & priuſquam hic ad agendi actum reducatur, jam illa illum coërcet ſuperatum; & ſi daretur quod veniat in actum, ita venit inermis, ut non tantum non ſit ad ſuperandum, ſed nec ad reſiſtendum, ſi actionem à proportione majoris inæqualitatis Philoſophi expectant; aut ergo hic deficiet Philoſophia, aut actio.

Dicent fortaſſe frigiditatis illecebris ſeducti, nimis criminali judicio, nos illam ſuaviſſimam chocolatis potionem damnare; quod ſi ita eſt, ut probat ex hypotheſi ratio, quare tot quotidie bibentes non moriuntur ſubito; non quod poſſem reſpondeo, ſed quod eſt divina providentia, ut ſicut non omnes in fatali peſtilentia moriuntur, ita nec ex illa potione de *garapiña*; & quia, licet agens ſit magnæ efficaciæ, non niſi in ſubjecto operatur diſpoſito: & quis novit, an qui recenter accipit, ſit talis? Et reor, quod illud deberet eſſe ſatis, ut unuſquiſque timeat de ſeipſo, & in capite caveat alieno: nec eſt à demonſtratione alienum.

Hora hujus potionis electior, eſt mane, & à ſomno, peracta coctione, ventriculo jejuno, aut poſt levem cibi oblationem; in hoc enim ſtatu gratiſſime accipitur, ad diei labores ſuſtinendos: & abſumitur crudum, quod ex nocte ſuperſit; concoquitur etiam quod concoqui eſt habile, & omnino inutile per ventrem expurgatur; & per patentes vias facilius cor penetrat, & parte ſub-

tiliori cerebrum, & undique stomachum attingit, ut ad venas & membra diffundatur, quæ illius auxilium expectant: malignos spiritus dissipat, & coërcet, hoc & illud si moderata quantitate sumatur; quoniam si plus justo, aut spissæ substantiæ, & ventriculum gravat, & deterioris cruditatis est occasio; debet enim adsumi chocolate inter duo extrema moderatum; neque deest, qui loco vini super cœnam & prandium, illa potione utatur, nescio an secure, excepto ubi experientia illius usum securiorem fecit, aut sit ita moderata illa ciborum quantitas, & electæ substantiæ, ut concoquendi actionem adjuvaret; attamen ventriculo in coquendo robusto, prandii coctione peracta, jam sero potest innoxie concedi, veluti pomeridiana hora quinta; tunc enim erit in noctis studium auxilium, maxime quando conatur sero: nec timeas quod auferatur somnus, hoc enim illis accidit qui nocte jam longius progressa chocolate accipiunt; seu valde biliosis, quibus calidos vapores in cerebrum transmittit; sed in pituitosis, & ubi humidorum sublevatur colluvies, & in senibus, placidus concitatur somnus, & dono divum gratissima quies: illud etiam habet, dum peracta coctione accipitur, ut sanguinis distributionem, & commeatum faciat per corpus universum.

In æstate, & dum potatorem sitis urget, parum antea haustulus aquæ frigidæ adsumatur, ne chocolate sitim producat, & intensiorem faciat; at vero supra potionem chocolatis aliquam aliam potionem superbibere si velis, gravissima solet concitare symptomata; seu sit vini; seu aquæ: nos vertiginem vidimus concitare, in cive Hispalensi Petro de Caramu: colyricam passionem in alio; & vocis privationem in plerisque: nocet etiam chocolate febrientibus, & acuta in omni passione, quia in bilem vertitur, febris occasione: nocet & ventriculo, dum corrupta ciborum cruditate vexatur; & omni diarrhœa maxime biliosa, licet interdum lyenteria prosit, dum ciborum adjuvat coctionem; nocet supra cœnam & prandium, maxime supra lauta convivia: illud est inconveniens, quod cruda & incocta cibaria secum ad venas ducat; quæ si ibi putrescant, in causam cedunt graviorum malorum, & rebelles aut augent, aut creant, obstructiones: quod Doctor Juanes de Barrias jam olim tradidit observatum: licet nobis jam diu ratum sit, nullis esse legibus addictum chocolate, neque omnia illa quibus impotens hominum libido pretium fecit. est enim hodie hominibus solatium, amicorum societas, & suavior domorũ indulgentia, quia jam sine illo vitam nesciunt.

Chocolatis utilia in senibus magis experiuntur, stomachi debilibus, & in quibus crudorum, & flatuum colluvies cumulatur perenniter, & quibus naturalis calor jam declinat, & tandem in omni frigida & humida temperie: temperatis non nocet, intemperantibus neque nocet, nec prodest: salutarius fertur ab illis, quibus sunt amplæ venæ, nec qui ullam obstructionem patiuntur; mulieribus nocet, quibus sunt venæ tenues & angustæ, & quæ obstructiones jam diu patiuntur, in utero aut hepate, & omni venarum regione: ut & biliosa temperie extreme lapsis: & in sanguineis, & multo, & laudabili sanguine abundantibus: ad synochos enim & causones disponit, maxime si cum atole aut pinoli miscetur; hi omnes chocolatis usu incalescunt, excepto si frigido ventriculo, crudorum abundantia cumulatur; nam tunc valentius indicans alterius contra indicantiam superavit; dum quotidie sumitur chocolate, non debet esse crassæ, nec spissæ substantiæ, quia obstructionis & cruditatis periculo laborat, neque, ut aqua, tenue, & fluidum, quia nec delectat, nec alit, sed mediocris cujusdam consistentiæ inter illa extrema; neque debet multoties in die; sat est enim bis aut semel adsumi; sed mandendo aut in buccellis comedere insuperabiles obstructiones creat, seu dum fiunt cum saccharo bellaria, aut in pasta comeditur. frigidum chocolate est valde naturæ inimicum, calidum gratissimum, & naturæ valde consociale.

CAPUT VIII.

Mensura & proportio graduum chocolatis, quæ in mixtione ingredientium, cuique temperamento singulari respondet.

Curiose à nobis inquisivit Reverendissimus Pater, Didacus de Aiala, Jesuita religione, & pietate clarus, divina lectione Veteris & Novi Testamenti clarissimus, Orator Apostolicus; quæ in chocolate graduum temperies cuique temperamento correspondeat: seu ne à justo excedat, seu ut nativam temperiem conservet prout cuique debetur: ob illam quæ inter biliosum & phlegmaticum observatur distantiam, in nativa temperie, & inter melancholicum & sanguineum: non est enim proportio in uno temperamenti gradu; quia biliosi excessus, in pituitoso proportionem servat, veluti in sanguineo ad melancholicum, seu melancholici respectu; nam uni familiaris, est alteri contrarius; quod in temperamento harmoniam proportionis destruit: quare ut securior doctrinæ eliciatur veritas in hoc casu; illud est in primis supponendum, (licet non omnes conveniant in hypothesi) quod *cacao*, omnium ingredientium potissimum, quia cætera in virtute & quantitate superat, super alias qualitates in calida & humida dominatur, ut antea monstravimus; ideo humano temperamento est secundum naturam, quo omni temperamento symbolizat, quia in biliosis caloris contemperat excessum; frigiditatem moderatur in frigidis; est enim proprium temperati, (ἄκρατον legitur in Græca lectione) mediocritate extrema temperare; ac ideo in hoc ingrediente cacao, nihil addere, nec demere oportet in illa mixtione, aliter ac in cæteris; de quibus addere oportet vel subtrahere, ad merita excessus hujus, aut illius temperamenti; de calido nempe aut acuto, ubi calor exuberat in lapsa intemperie, ad calidum & siccum, ut biliosus & sanguineus in sui excessus ratione moderetur; ut etiam sanguinis abundantia minuatur; è contra ac in pituitosis ascititia temperie, aut nativa, de calidis & siccis ingredientibus, tantum oportet addere, ut ad mediocritatem lapsa reducatur frigiditas, & caloris defectus, ad proportionem calido ascititio chocolatis suppleatur: & ut aromatica virtute faculta-

tum roboretur imbecillitas, maxime cordis, stomachi, & cerebri, & ut illorum instaurentur spiritus; & inde oritur, ut biliosus & sanguineus frigidiori chocolate indigeant, pituitosus & melancholicus calidiori: debilis ventriculi, aut cordis, aut alterius insignis facultatis, robustiore virtute ingredientium aromatico: hanc nos natura docuit philosophiam, in omni elementorum mixtione, & in omni composito, quod ex illis producitur: sed sicut in qualibet temperie est sua singularis latitudo, sic etiam qualibet mixtione, hæc aut illa participat de utroque extremo, quod sat est, ut ad pondus temperamenti librata, huic aut illi gradui correspondeat hæc aut illa mixtio alterata, prout cuique debetur.

Hos plerique effectus, in sua mixtione chocolatis intendunt, sed perdunt chocolate, dum aliqua miscent ingredientia, quibus fidem necessario fallunt, ut aquas odoriferas, & instillatas alias, & ingrati saporis, & flores cordiales, maizium, panem tostum, & alia non tantum importuna, sed etiam noxia, D. Juanes de Barrios, in advertentiis de chocolate, de commodis & damnis illius, sic loquitur; *Para hombres y mugeres sanguineas no se tome con atole, por que aumenta la sangre, sino con aqua, poco anis, chile, y acucar, y ningunas especies aromaticas, ni cosas de olor; y para los flegmaticos se haga con todos los ingredientes, que avemos dicho, o con mas especies de lo ordinario, y se tome mui caliente; y en los melancholicos, que se haga sin chile, poco anis, y con coras de buen olor, y que se tome tibio.* In hoc finiuntur advertentiæ hujus & aliorum auctorum illius primi sæculi, quæ à superficie usus non transcendunt, ad substantiam hujus necessitatis; quia illud vicem geret principii in hoc casu: frigida ingredientia, in illa mixtione calidorum excessum temperare, & frigidorum calida, & in utraque qualitate temperata hominis nativam temperiem conservare, dum ad mediocritatem extrema copulantur: illud etiam habent, ut imbecilla roborent, seu spirituosam substantiam instaurando, seu vivificum nectar, utrorumque redintegratis viribus jam deperditis, seu tandem impedientia substrahendo, (ut cruditas & flatus) ut facultates solita libertate operentur.

Ex hac doctrina duæ conclusiones eliciuntur; prima, ut juvenibus robustis & sanguineis valde exercitatis, & qui renum, & hepatis calidam intemperiem patiuntur, & per adustionem melancholicis, ut & febrientibus, & antiquis obstructionibus oppressis, & corde palpitantibus. (si consuetudo à chocolate abstinere non sinit) sic debet parari chocolate; uno miliari selecti cacao, quatuor vaginulæ odoriferæ indicæ misceantur, & unica uncia & semissem selecti Cinamomi, tenuis rubicundi, piperis de xamaica; quartam unciæ, & de achiote eadem fere quantitas; in hac enim proportione temperata substantia, cacao, specierum calidarum qualitates ita superat, (sunt enim ad dimidium minus) ut in moderata temperie persistat: sic enim si tenui & non crassa substantia, & moderate calidum adsumatur, neque sensibiliter calfacit, neque sanguinem supra modum producit, nec ad febres disponit, nec calidos affectus: de hoc ita temperato chocolate in casu ex hypothesi ponderibus libratis, sic Doctor Juanes de Cardenas in cap. 7. de advertentiis chocolatis ait: *Los tales* (nempe calidi) *beban le con atole,* (quia temperatæ substantiæ) *y echenle mui poca especie, y essa antes sea de la tierra,* (uti de xamaica aut de tabasco) *que de España, por que la de aca parece, que solo fue criada para esso.*

Sit secunda conclusio, ut in sanis in quocunque statu, seu ubi frigidum & humidum, seu frigidum & siccum temperamentum prævalet, nativum, seu valetudine continua contractum, ut etiam ventriculo debilibus, ubi cruditas vexat in salutis statu, seu affectuum occasione contrahatur, ex obstructione, nempe paralysi, aut colico dolore, sive ex hypochrondriaca melancholia, ubi flatuum prævalet abundantia: semper chocolate paretur integra illa ingredientium mixtione, quam nuper recitavimus; & hodie in hac Hispalensi utimur civitate: quæ est eadem qua etiam utuntur Mexicani, & nostri Regis aula, & ut ad nos defertur de Guaxaca; in proportionata sacchari & aquæ calidæ quantitate, prout antea diximus; quoniam omnes hi illam compositionem & facile ferunt, & ab illa juvatur cum delectatione; & potest in valde flatuosis anisi quidquam addere: hæc conclusio satis manifeste à prædictis principiis deducitur; & hæc ingredientia ab hoc statu, salutis aut morboso, sunt plane indicata, in sanis ab hoc temperamento ut in statu salutis conservetur, in ægris ut à prædictis medeatur affectibus, in vera ratione contrarii.

Sed in quantitate hujus potionis sumendæ, & vicibus numero repetitis, est prudens certe cautio adhibenda; nam si plus justo & pluries quam stomachi calor ferat, ingeratur, tunc adhuc robusto stomacho multum negotii facessit, & vices repetitæ onera sunt plenis, & maxime quando non ad tollendam, sed irritandam famem quæritur: inde enim pallor, & nervorum cruditate madentium tremor accidit, & miserabilis ex cruditate macies: inde distentus venter, & decolor vultus: aliquando vertigines capitisque dolores, & cerebri æstuantis verminationes & forte longa febris, & insuperabiles varicosæ obstructiones, unde hypochondriaca melancholia, & ex varia multiplicique cruditate affectus plane contrarii; iis tamen malis minus erunt obnoxii, qui se non tantis delitiis solverint; qui sibi prudenter temperantes imperabunt, & corpora opere ac vero labore exercebunt; hos enim innoxie non tantum chocolate, sed cibus excipient, quæ nisi esurienti placere non possunt; necesse est enim ut ex discordi cibo morbi contrarii etiam oriantur: & hæc nobis hodie unica videtur ratio, quare in hypochondriaca melancholia tam confusa & contraria, & longe inter se dissimilia observentur accidentia: & in plerisque febribus ex contrariis naturæ partibus, quæ in eandem compulsa redundant; & hanc propter rationem apud aliquos reor chocolate noxii opinionem subiisse, non quod illud sui ratione mereatur; quin imo, si temperata frugalitate adsumatur, magnas utilitates omnes expertum iri, nobis est indubitata fides; neque displicet, sub hac frugalitate; post prandium & cœnam (maxime moderata) parum de chocolate pitissare; ut utroque calore, suam digestionem perficiat stomachus, & inde facultates roborentur, ac plerisque impedientibus ablatis, melius perficitur coctio; quod te experientia

tia fœlicius docebit, & moderatio usum securiorem faciet.

Sit tractatus universi conclusio, quædam chocolatis ponderatio, quam posteris mandavit Doctor Juanes de Carnas, dum adhuc medicinam faceret in America; nam postquam chocolatis ingredientia selectiora dixit, & illius moderationem commendavit, sic prosequitur: *Y digo, que usado con esta advertencia, sera de mucho provecho para la salud, y es bastante à alargar los dias de la vida; por que fuera de que da buen sustento al cuerpo, ajuda agestar el mal humor, vacuandole por sudor bieçes y urina: y digo otra ves, que entierra ninguna es mas necessario, que en las Indias, por que como es humida y dexativa, andan los cuerpos y estomagos llenos de flemas, y de superflua humidad, la qual con el calor del chocolate, se cuesse y convierte en sangre, lo que no hace el vino; por que realmente antes se azeda, con la flema y suele abitar mas.* & hanc propter rationem existimo, in nostra Hispalensi civitate illius usum esse maxime necessarium, quod hujus clima sit calidum & humidum, & ad proportionem omne solum Vandaliæ; etiamque ob civitatis situm, & agrorum planitiem, & cœlestem influxum, quibus maxima dominatur humiditas: ob quæ, super omnes alias civitates, chocolatis commoda experitur, & securiori certe convenientia, & quod excessus illarum qualitatum tutius moderatur: ac humiditates situs ratione inexcusabiles contraria temperat qualitate, & laxas facultates & corpora humido scatentia roborat.

CAPUT IX.

Quod qualitas, quæ ex chocolatis mixtione resultat, ingredientibus pari artis magisterio libratis, sit inter aperientia numeranda, probatur: probatur etiam, ut chalybis scoriæ, & juris diuretici præparatio tribuitur, pari securitate, posse ad aperiendum propinari.

Si orta suis principiis attestantur, (ut in vera probatur philosophia) & qualitates, cujusque horum ingredientium, quæ ex illa mixtione resultant expendantur, nec paradoxum, nec extra artis excellentiam judicabitur, hæc, super alias, recens excogitata Chocolatis utilitas: est enim hic chocolatis liquor, qualitatibus primis temperatus, (frigiditate præcipui ingredientis cacao, specierum caliditate temperata) ad calidum & ad siccum declinans, (libratis ingredientibus sub prædicta mensura) succi & alimenti plenus, abstergens & incendens moderato calore, maxime ubi prævalet subtilitate partium, & terrestres & adstringentes superat, ut facile probatur ex hypothesi, quippe qui præcipuum ingrediens cacao, (& in hoc cætera æmulatur) qualitatibus & substantiis contrariis constare palam est, ut ex parte in illo superante, aliorumque ingredientium mixtione, & fermentatione qualitas proposita resultet: quæ omnia sensuum judicio, quod minus falli potest, experientiæ & observationis (fidelior omnium demonstratio) dabimus comprobata, & post plenissimam comprobationem, illa, qua utitur Galenus octo libris simplicium, in aperientium medicamentorum demonstratione, ubi similes prævalent qualitates, hoc idem demonstrabimus: & si illa aperientia, quibus Galenus fidit posse obstructiones hepatis, lienis, mesenterii, & uteri reserare, potioris efficaciæ non sunt: pari ratione æquali fundamento, & majori forte securitate, posse xicaram chocolatis ad aperiendum & reserandum propinari, ut chalybis, & scoriæ, pulvis, & jura diuretica judicabimus, obstructis mulieribus, viris hypochondriacis, ex hepate, liene, utero, pylori & mesaræi venis, in quibus varia & sæpe contraria succrescunt accidentia: & præter illam, alia etiam consequetur utilitas, ut steriles dominæ ob frigidam, humidam, & flatuosam uteri intemperiem, & quæ frequentes ob similem causam abortus patiuntur, fœlicique orbantur prole; hoc etiam auxilio medentur, saltem in statum meliorem mutabuntur, salubriori & contraria temperie inducta: iis etiam & auxilio erit, quibus menses ciere, ac urinam provocare, est in animo, aut consulit necessitas.

Illud tamen securius & fœlicius consequemur, conditionibus quibusdam observatis: primò, ut chocolate selectissima ingredientium electione fiat, & sub illo præciso pondere & mensura, trituratione simplicium exactissima, utroque instrumento ligneo & lapideo, ut ædibus civium præparatur, & curiosæ gentis: non ex illo quod cauponando venditur, quia solet effectus contrarios inducere, ingredientibus lucro pene adulteratis: & secundo, ut antequam ad hujus aperientis auxilium accedamus, corpus sit exquisitissime vacuatum, non tantum in prima, sed in secunda etiam regione: ac postea abstersis & reseratis viis, alio aperienti leviori, ut jure diuretico: deinde, ut sexto quoque die, inter aperientia leve tribuatur catharticum, ut quod, aperientibus reseratur, vacuetur ad humoris dominantis ideam, & obstructionibus impacti; à sanguinis missione incipiendo, prius multitudine & viribus prudenter libratis: si non prudens videatur consilium, primam prius regionem lenienti aliquo vacuare, uti pilulis ex hiera Galeni; non reor enim, aliter posse, pari securitate, ad illa quæ in abstruso sunt aperienda, devenire: nec aliter Galenus judicavit 8 Meth. 4. Securius tamen nobis à sanguinis missione ex talo incipere videtur, bis aut ter, ut necessitas optat: ac postea hæmorrhoïdibus hyrudines adaptare, consultissimum erit; ut plurimum enim stabulatus humor, uti & melancholicus, qui venis mesenterii delitescit, & in causam obstructionis cedit, in cavo jecoris & lienis adservatur, quibus regionibus potiorem communionem habent, venæ tali, ut & societatem, ut peccans humor vacuatur celerius, & majori forte securitate, non mulieribus tantum, sed in viris, ut nostra quæstione adnotavimus: mesaræi tamen & uteri abundantia vacuata, & debemus, & possumus ad majores venas brachii devenire, ut multitudo superior vacuetur, ne in obstructionis causam cedat: ni forte prudentioris consilii videatur, prius partem superiorem vacuare, quadam veluti revulsionis forte, ac postea per venas tali proximas derivare; quod raro nobis usu venire, conspicimus. exinde humoribus ad purgandum paratis, attemperatis qui temperari optant, crassis & viscidis

scidis incisis & abstersis, & frigidis jam coctis vicibus repetitis repurgetur; aut syrupo filiculæ & persico, aut infuso Rhabarbari, agarici, & senæ. nec displicet amplius repurgare apocimate illo celebrato Fernelii, aut infuso rapontici: his ergo exquisite peractis; singulo quoque mane incipiat xicharam, 4 aut. 5. unciarum optimi & selecti chocolatis accipere, nec liquidi nec crassi spuma moderata: in biliosis, & quibus prævalet hepatis, & renum calida intemperies in endiviæ aqua, aut scorzoneræ paretur, utpote quæ huic fini conducunt: in pituitosis, & quibus crudorum abundantia cumulatur, in aqua rafanorum & fœniculi, aut cardus sancti, quia nec sapore, nec utili mutato; sunt etiam auxilio obstructis; in hyeme calidum adsumatur; in vere temperatum; inde sequatur corporis exercitium moderatum, nec valde concitatum, horæ unius aut mediæ spatio: & sexto quoque die (ut dicebamus antea) illud quod reseratur vacuetur, ut 4 unciis apocimatis Fernelii, aut syrupi de cicoria composito, aut diluto Rhabarbari: si non fortasse magis videatur ex usu, ℥j. pulveris lactis de mechocan in eodem chocolate, aut in jure avis accipere: nobis enim frequenti in usu erat quatuor uncias decocti de pugino propinare; ac postea ad vices aperientis chocolatis transire.

Hæc est praxis hujus aperientis auxilii: quo si ex arte utimur, de effectu non dubito: est enim in singulis & omnibus virtutis excellentia, manifesta securitas: sola divina sapientia rerum virtutem assequitur, & novit; nos illam à principiis & præceptis deducimus, limitatæ & brevis capacitatis meta, & rationis luce; revertamur ergo ad ea quæ promisimus; probare nempe, in chocolate aperientes & reserantes inesse qualitates, primo ex virtute simplicium, & hujus mixtionis: secundo, deducto argumento à Galeni simplicibus, quibus Galenus utitur, dum obstructiones reserare intendit: hujus litigiosæ contentionis probationem ipse sensuum testimonio remisit, tactus, gustus, & olfactus; utpote certiori Philosophiæ, qua securior comparatur demonstratio; nam illam probationem securiorem duxit, quæ à sensibus sumitur, quæ minus fallit, quam illa quæ discursu Metaphysico consequitur: quæ quando sit possibilis, poterit non esse interdum practicabilis: pleraque enim sola veritatis apparentia commendantur, & contrarium monstrat experientia.

Expendamus ergo sub eodem tribunali & sensuum judicio, quo Gal. hęc ipsa chocolatis ingredientia, an virtutem habeant reserantem; nec tantum reserantem, sed & abstergentem, inscindentem ac aperientem, habere judicamus, & in mixtione & fermentatione has omnes, adstringentem substantiam, & qualitatem superare; plane comprobationem complebit, si per eosdem sensus, quibus Gal. exacta diligentia est usus, simili argumento, in simplicium libris nos illa damus ad sensum comprobata: supposito ergo, quod Galenus nostra recentia simplicia non novit, aut est ad illius doctrinam recurrendum, aut ad experientiam, & observationem Medicorum, qui prius novam coluerunt Hispaniam, & frequenti usu illorum qualitates invenerunt, ubi usus chocolatis incœpit, & inde ad Hispaniam dimanavit: ii enim utilia & damna securius docebunt, ut qui climata, consuetudines, & mores harum provinciarum altius calluerunt, ubi talia simplicia enascuntur, & incolarum traditiones ab ore acceperunt; qui longa experientia saturati, illos edocuerunt: hæc omnia eorum libris legimus, alia manu-scriptis, non pauca prælo datis, ideo illa dabimus securiori notitia comprobata.

In hujus mixtionis ingredientibus explorandis, nullum majus negotium facessit quam cacao, nec amplius solertia torsit ingenia illius primi sæculi, dum qualitates quærerent quæ prævalent in mixto; quod constet substantiis diversis, qualitatibus contrariis, nemo dubitat, neque quod obstruat adstringenti, & terrea substantia: ac ita cum chocolate, justo crassior bibitur, seu minus curiosa trituratione præparatur, seu species aromaticæ minori quantitate misceantur, quam par sit, ut possint superare partem illam adstringentem & terrestrem cacao: quod obstruat, non dubito, neque quod effectum intentioni contrarium inducat, ut etiam cum vicibus repetitis præpostere adsumitur, seu plusquam ventriculus valeat superare: quoniam exinde cruditas adaugetur, veluti quando nive refrigeratur, ut dominis generosis mos est; in his enim dum frequentius sumitur, omnem succorū colluviem ad ipsas obstructas venas defert; quo exitu denegato, pressiores obstructiones efficit; veluti si ad urinam provocandam in corpore impuro, fortia imperentur diuretica: quibus insuperabilis urinæ concitatur suppressio: & his & cessibus similibus reor, Doctorem Juanem de Cardenas in cap. 7. citato, in chocolate partem adstringentem prævalere existimasse: dum nempe adstringens frigida, & terrea substantia, in cacao aut mixtione prævalet; dum vero prævalet aërea butyrosa, & ignea (nam his omnibus constat) erit sine dubio contrarius effectus; nam parte butyrosa calida, & humida, ubi spuma prævalet, alit, vivificat, instaurat: aërea & ignea, (quarum ratione paululum amarescit) penetrat, aperit, & deobstruit; & ad hoc semper eligitur cacao, non recens, sed antiquum: ita etiam melius cæteris ingredientibus se accommodat, & partem quæ in illis magis prævalet sequitur: quietem in animo inducit, spiritus progenerat robustos, sudorem provocat, menses citat, dum reserando aperit, & parte butyrosa ventrem lenit, cum hæc cæteris prævalet, & totum illud effectus contrarios producit: cui operi non parum conducit aliorum ingredientium miscella, in quibus semper prævalet & qualitas aërea, ignea, penetrans & subtilis, quibus maxime simili qualitate symbolizat; unde in illa mixtione fere semper, hæ qualitates, uti validiores superant adstringentem; quod postea perpendens Doctor Juanes de Cardenas, & ex traditione Indorum Guatimalæ, & continua novæ Hispaniæ observatione, tandem in hanc venit sententiam.

Doctor etiam Franciscus Ferdinandes, illius regni Proto-Medicus, cacao in propria essentia, & postea in illa mixtione subactum, judicat temperatum, ad humidum declinans: certe dubitare non licet, tantum virum in hoc ingredienti diversas non agnovisse qualitates, illam tamen in mixto prævalere judicasse, in excessu sui tempera-

menti

menti moderati, sub qua temperie multo magis butyrosam, aëream & subtilem qualitatem prævalere judicare, fas erit; non enim ab illa, uti ab adstringenti coërcentur: & in hoc omnes fere conveniunt auctores illius primi sæculi: quod in aliis ingredientibus aperientes prævaleant qualitates, nemo dubitat; & si quis dubitaverit, recurrat ad auctores antea præcitatos, & legat & perlegat quam de illis sententiam protulerint, uti de cinamomo, pipere Orientis, & de xamaica, vaginulis odoriferis, & chile.

Hujus comprobationis pars ultima, à Galeno deducitur, dum similibus simplicibus obstructa reserare intendit, ubi similes prævalent qualitates, adhuc in illis quæ contrariis constant, non tantum qualitatibus, sed substantiis, adstringenti nempe terrea, permixta aëreæ, igneæ, subtili prorsus aperienti: majorem hujus argumenti probationem Galenus sensibus gustus, tactus, & olfactus commisit; nam libro 1. de Simpl. med. facult. cap. 5. cujus titulus est, *quo pacto aquam puram judicemus de aquæ electione*; sic loquitur: *judicantur autem hæ tribus sensibus, nempe gustu, visu, & odoratu*; aliter enim de his rebus ferre judicium judicat impossibile: sic enim legitur in eodem libro cap. 18. *Nam per Deos*, inquit, *unde ignem scimus calidum, aut quo syllogismo edocti, aut qua demonstratione persuasi? tum, unde glaciem frigidam esse didicimus, nisi ex sensu*: Et in cap. 35. unum quodque sensibile proprio reducit sensui: *Nam unaquæque sensibilium natura*, inquit, *privatim subjecta est, tactui quidem caliditas, frigiditas, durities & mollities: albedo vero, & nigredo, & omnis alius color, visui: amaritas, dulcedo, austeritas, aciditas, salsedo, acrimonia, gustui: nec alius de alio judicat: siquidem tactu judicandæ sunt differentiæ tangibiles, auditu audibiles, odoratu odorabiles.*

Sed quia solet in unico singulari auxilio, simplici aut composito, diversas & contrarias qualitates adesse, & substantias; uti frigida, terrea, & adstringens; & calida, & ignea, penetrans, & aperiens; & hoc substantiæ in partibus diversis, diversa ibi judicia ferre in eodem auxilio, est omnino necesse, per diversa sensoria: *Ego vero*, inquit Galenus, 2. de Simpl. med. facult. cap. 13. *non ambigo, neque fidem non habeo iis qui ajunt, rebus propemodum omnibus, multas ac diversas inesse facultates, quin ostensurum me, & id ipsum polliceor, in libro sequenti*: Et adimplet pollicitum lib. 3. cap. 13. *In brasica enim*, inquit, *duas contrarias facultates considero, adstringentem unam, & aliam purgantem, in succo istam, & illam in substantia crassiori, veluti & in beta: sed adhuc in ipso sensationis modo haud minus periclitari potest, in uno quoque sensu, eo modo quo cuique sensibili debetur; aliter enim fit in calido sensatio, & aliter in frigido: & dum alia sunt in actu, alia in potentia: alia etiam per se sensationem imprimunt, ex accidenti alia: & respectu corporis temperati, aut intemperati, inter qualitates symbolicas aut contrarias: ut etiam respectu adstringentis, aut amari, dulcis, acidi, aut acerbi medii aut extremi; ac postea in secundis & tertiis qualitatibus in sensatione est aliud judicium: nam aëreo subtili penetrabili & amaro, respondet qualitas resecans & abstergens, nitroso laxans & purgans, terreo & austero adstrictio; deinde gustus in lingua judicatur: gratum & ingratum in tactu.* De his omnibus manifestam notitiam invenies lib. 3. de Simpl. med. facult. cap. 15. & si placet lege cap 16. ubi Galenus considerat, quomodo in eadem parte organica, diversæ partes quæ illico respondent, diversam sensationem faciunt: nam pars similaris in lingua, de frigido & calido dijudicat, quia primo à primis alteratur qualitatibus: organicæ vero de secundis aut tertiis, veluti de acerbo, dulci, vel amaro, vel acri; quia hoc ultimum judicium, ab illo sensu fertur, qui residet in solo instrumento: audi Galeni verba; *Atque in similaribus quidem corporibus calor, frigiditas, siccitas, humiditas, particulares differentias efficiunt, in dissimilaribus vero acrimoniæ, aciditates, austeritates, acerbitates, dulcedines, aquositates, unctuositates; itaque unaquæque similarium, in ipsis partium, non multas sed unam qualitatem obtinet, quod vero totum est dissimilare, complures.*

Hæc Galeni doctrina cedet in expositionem alterius quæ à Platone traditur, meo judicio; neque dum intellecta: hæc sunt illius verba; tenduntur à lingua venulæ, ad cor, saporum nuntiæ, in quas si qua ita inciderint, ut humidam mollemque carnis partem penetrantia, terrestri sua natura liquefacta venulas contrahant, atque deficcent, si quidem asperiora sint, acerba, sin minus aspera, austera nuncupantur; cæterum quæ eas abstergunt, totamq; linguam abluunt, si quidem id supra modum efficiant, simulque aliquid absumant, ut de natura aliquid collixent (qualis est nitrorum facultas) amara omnia appellantur, at, quæ nitri virtute inferiora sunt, ac moderata, utuntur abstersione salsa, citra asperam amaritudinem, & grata magis nobis apparent. quæ vero ubi oris caliditati applicata, ab eoque mollita, & fervefacta, ipsum vicissim recalefaciunt, atque accendunt, præque levitate ad capitis feruntur sensus, ac quæque obvia incidunt: talia omnia, has ob vires, acria nuncupata sunt; eadem vero ista à putredine attenuata; & angustas ingredientia venas, partes inibi tam terrenas, quam quodammodo aëreas mutuo incursu movent, ac misceri compellunt, commixtas vero circum labi, alias & alias ingredi, ingressuque suo penetratas concavas, circumtentasque efficere, easque humore circumfuso, concavo interim, terreno interim, puro, vascula aëris ex aqua concava rotundaque effici, ac quæ ex puro constant perlucida sunt, & vocantur ampullæ. quæ vero ex terrestri agitato, elatoque ebullitio fermentatioque nuncupatur, harum affectionum causa, acidum cognominatur; omnibus vero quæ de istis dicuntur, affectio contraria, ab occasione nascitur contraria; porro, ubi ingredientium constitutio in humidis familiaris linguæ, habitui existit, quæ exasperata quidem fuerint, lenit, quæ vero præter naturam aut coïerint, constiterintque, aut fusa laxaque sint, partim contrahit, partim laxat, omniaque quam maxime ad naturæ statum reducit; quidquid hujusmodi est, jucundum suaveque & cognatum est, omnibus, violentarumque passionum remedium, ac medela, vocaturque dulce.

Ex his Platonis verbis, & ex veritate, quæ una semper in omnibus elucet, constare arbitror demonstrationis principia, & practici auxilii inventionem, ab illo securius deduci, quod majorem sensibus evidentiam affert, & ex his transit

ad

ad intellectum; quia argumenta syllogistica licet ratione probare videantur, plerunque in illa evidentia deficiunt, quam sensus nobis afferunt, rebus illis quæ sub illam sensationem cadunt; ac ideo Plato, omnem suam philosophiam in exploranda qualitate simplicium, & verificatione, contractioni & dilationi sensorii commisit, in conservatione suæ moderationis & Justitiæ, in illa actione quam in sensoriam, sensibile producit; qua magis aut minus partem similarem alterat unica qualitate, aut pluribus organicam, quia pluribus constat; ac ideo incipit, tenduntur à lingua venulæ ad cor, saporum nuntiæ: in lingua enim gustabile percipitur, ut Aristot. est expressa sentent. 1. de hist. Anim. quando dixit; *Inest pars sentiens saporem lingua*; sed illa sensatio in ore ventriculi perficitur, ideo, inquit, *venulæ ad cor perveniunt*: Veteribus enim religio fuit, os ventriculi cor nominare; seu ob sensus hujus partis acutiem seu quia ab ore ventriculi ad cor duæ venæ brevissimæ pertendunt, quibus affectiones ad invicem communicantur: ut quidam hujus sæculi doctus Salmanticæ in opere anatomico nobis monstravit: sub hac ergo consideratione, inquit Plato, si sensibilis sensatio est, justo violentior, & furiose penetrat partem humidam, linguæ quadam asperitate acerbum, asperum, & austerum percipitur: si gustui blanditur leni sensatione, & grata, ut naturam perficiat, paregoriceque demulceat, illud dulce vocatur: est enim Voluptas, in Platonis doctrina, reditus ad propriam naturam: inter has vero sensationes sunt aliæ, quæ ad hoc aut illud extremum declinare videntur; ideo de hoc aut illo participant extremo.

Hac ergo informati doctrina, videamus quod judicium sit de hoc aut illo medicamento ferendum, in quo partes tenues, calidæ, & aëreæ prævalent, aut terrestres & frigidæ, crassæ & adstringentes, ut inde quæ illis primæ aut secundæ qualitates respondeant, & ut sub quo sensu sit ferendum judicium, dignoscamus: de illo, in quo partes tenues prævalent & aëreæ, sic Galenus suum profert judicium, 4 Simpl. cap. 3. *Quæ celeriter in tenuia solvuntur, tenuium appellantur partium*: & paucis infra lineis; *Quod ergo ea solvantur calor, qui est in animantis corpore, cui unumquodque applicari contingit, in causa est: quod autem in tenues crassasve partes comminuatur, id à sua ipsorum natura obtinent: sed illa illud etiam habent, ut partium tenuitate mordacia reddantur, & insuper inæqualem obtinent intemperiem, quippe impossibile est, aut perdifficile, ullam invenire substantiam, quæ ad amussim sit partium æqualium.* Illud tamen judicium dupliciter potest ad practicum reduci; seu per ipsum tactus sensum, quando per os ad partes internas communicatur; nam si ad actum à calore reducitur, sensum caloris imprimit; illius etiam sentitur penetratio, ut manifeste percipitur in vino, & pariter in frigidis, quæ pollent tenuitate partium, veluti in aceto; seu tandem, dum in aquam projicitur, & repente in illa comminuitur.

Gustus sensu rerum sapores discernuntur; & inde certior comparatur notitia, si illam qualitatem attendimus, quæ prævalet in mixto super alias: sic in Galeno legitur, 4 Simpl. 4. *Principioque*, inquit, *in iis exquirendis, solicitos esse, quæ unam quampiam habeant qualitatem manifestissimam, ut si acrimoniam complecti clare velis, id in allio & cœpis efficies assidue gustando; sin adstrictionem in Galla & Rhu: & similibus: si vero amaritatem, nitri fellisque gustu, sin autem dulcedinem, sirei & mellis. si vero qualitatis sit expers, aquam gustare jubeo.* Illud tamen adverte, nec omnia adstringentia esse frigida, nec omnia mordentia, calida, ut patet in calcantho & aceto: ex dulcibus tamen nullum est frigidum, ut patet ex Galeno, libro citato cap. 7. & 8. *Sola vero dulcia, omnia*, inquit, *pro dulcedinis modo, protinus etiam calorem continent; quocirca eorum quæ ad modum dulcia sunt, nullum omnino est frigidum, sed sunt aquea, dulcia, minus calida, sic pariter, nullum est prorsus amarum quod caloris particeps non sit*: Legite parum infra, & in eodem capite; *Porro amara omnia calida sunt, ut bilis, nitrum, vina valde vetusta; ac numerosa seminum copia*: Et in hoc sensu, in capite sequenti, ad butyrosa transit, & dicit. *Omne quod nutrit, dulcedinis est particeps, omne dulce est calidum, ergo omne butyrosum est calidum*: Quia familiare, & nutriens, & dulce ut Galenus est auctor, 4 Simpl. 17. hoc etiam ulterius confirmat, quando dixit: *Sane vero fortassis & pingue, ipsum dulce est, & quidquid nutrit, ex genere dulcium est*: Atqui, quod vacuatum est, familiare erat, ergo quod nutrit, loco deperditi, familiare est; & si familiare, necessario jucundum, amicumque erit, protinus etiam ut quod nutritur moderate calidum, secundum aliquam latitudinem.

Neque parũ conducit ad mixti qualitates ediscendas quæ ex illa mixtione resultant, præter gustum & tactum, illas considerare, quas ignis in mixtione addidit, & ingredientium miscella, sive ingredientibus inter se temperatis, uti calida frigidis, aut è contra: sive quomodolibet aliter alteratis, quia vi ignis alia suavia, & dulcia, ingrata & amara alia redduntur, alia reddit familiaria, pleraque inutilia: de hoc fidele legimus testimonium in Galeno lib. 4. Simpl. 16. *Itaque*, inquit, *quemadmodum edulia quæ similima naturæ sunt, ideo & dulcissima, nec ullam præparationem postulant, sic quæ temperaturam nacta sunt remissiorem, alia condimentis, alia coctione, alia utroque indigent.* Nec vero mirum est, cum condimentorum nullum edendo sit, ad suavitatem tamen iis conferre, quæ per ipsa præparantur: quippe cum fieri possit, ut immoderatis duobus coëuntibus, id quod ex ambobus mixtum sit, commoderatum evadat, ac proinde quoque dulce appareat, cum immoderata minime sint talia; postea vero quam & per elixationem, & per assationem, & omnino per calidum quiddam; præparatio fit ciborum; non sit mirum, ut quæ prius non erant suavia, tunc fieri suavissima; apparet enim calidi natura, quibus admota fuerit, ea celeriter alterare, atque in aliam speciem mutare; porro quæ nimis quam calida sunt, frigido corrigi debent; quæ vero multum frigida, calidorum mixtura, ciborum & igni: & sic pariter quæ nimis humida aut terrea sunt.

Jam constat ex prædicta doctrina partem butyrosam cacao esse calidam, non tantum Galeni testimonio, & Medicorum Occidentalis Indiæ: neque huic actioni obstat, habere partes frigidas; nam in lacte & frigido & humido, ex propria natura, pars butyrosa à nostro calore actuata dulcissima redditur; & per consequens calida; ut

at Galenus eſt auctor 4 Simpl. 17. *Ac ſi guſtari poßit lac*, inquit, *ubi in ventre & per venas concoctum eſt, etiam melle dulcius inveniretur.* Nec eſt alia ratio, niſi quod coctionis calor frigiditatem delet, quæ dulcedini impedimento erat: & hæc eſt cauſa, quod lac dulcius coctione reddatur. Jam vidimus etiam quod amarus ſapor eſt quoque caloris argumentum, frigiditatis acidum; acris & mordax caloris ſupra modum intenſi: de hoc enim Galenus ſic loquitur, 4 Simpl. 18. *Ac de acri vocato principio, ne demonſtratione quidem opus eſt; prævenit enim ſenſus evidentia rationis fidem:* Et in eodem capite ſic progreditur; *De amaris ſaporibus definivimus, diximuſque quod incindendi vim habent, & extenuandi & detergendi, ſi etiam tenuis ſubſtantiæ ſint, urinam movendi, ſudores ciendi, digerendique per halitum.*

Exinde tranſit Galenus ad olfactus judicium, & in odore etiam qualitates exquirit; legite l. 4. Simpl. cap. 22. inde ad aperientia, 5 Simpl. 14. quæ tum modice calida, tum modice deſiccantia, & tenuium partium ſunt, unde omnia acria dicit aperientia: & libro 6. ad exempla omnium quæ ante dixerat deſcendit, velut ad acorum, ami, & hujus generis alia; in quibuſdam ſubſtantias & qualitates contrarias conſiderat, prævalentiam illarum notat, ut in petroſelino, rafano, & rhapontico.

Si ergo chocolatis ingredientia conferimus cum Galeni ſimplicibus, & ad ultimam individuationem mixtionis attendimus, & ad qualitates, quas ex igne conſequitur, nulli dubium erit, in illo adeſſe qualitates abſtergendi, reſerandi, & aperiendi obſtructiones, leniendi & provocandi urinam, ſudores, & menſes: nam in cacao pars butyroſa, calida, humida, & aërea, (in Galeni doctrina) ſuper alias prævalet, qua lenit, aperit & abſtergit: quod ſi concedimus, de aliis ingredientibus nulla amplius remanet dubitatio: nam in pipere, cinamomo, vaginulis odoriferis, cum partium tenuitate & calore eſt apertio, penetratio, & reſeratio, in eadem doctrina: ſunt enim calida, & ſicca, & tenuium partium aromatica, ut antea luce clarius vidimus, & ſuper omnia valide penetrantia, ſi mortuum fœtum expellunt, & ſecundinas: & ſi his omnibus vis ignis miſceatur, cum ſaccharo & aqua, longe valentiores hæ omnes qualitates redduntur: nam qualitas quæ ex illa mixtione reſultat, cum partium ſubtilitate, declinat ad calidum ſiccum, omni qualitate adſtringenti ſuperata: quæ omnia conſtant veterum Novæ Hiſpaniæ Medicorum teſtimonio; ut antea apertiſſime legimus; quo manifeſta certe demonſtratione convincitur, poſſe ſecuriſſime xicaram chocolatis ad obſtructiones reſerandas propinari: quod non tantum ſenſuum tribunali definitur, ad Galeni judicium, ſed ad obſervationem Medicorum illius primi ſæculi; nam de illo ingredienti, quod *origuelas* dicitur, dixit Doctor Ferdinandes, quod præter odorem & flagrantiam eſt 3. gradu calidum ſubtilium, & tenuium partium; quo nihil ad reſerandas obſtructiones aptius: quo menſes & urinam provocat. De aliis ingredientibus ſimilia dixerunt illi Medici, forte validiora in hunc eundem finem; partum nempe faciliorem reddere, ſecundinas extrudere; actio quam violentum diureticum rariſſime conſequitur. Et quod moderata adſtrictione obſtructiones reſerant, & de vaginulis odoriferis, dixit Cardenas, quod partibus calidis & ſubtilibus, partes chocolatis terreſtres & adſtringentes conſumit, atterit & exſolvit: *Con que* (hæc ſunt illius verba) *lo dexa ſin los daños de lo melancholico*: De pipere hæc eadem Galenus dixit; & de cinamomo Dioſcorides: de achiote quod pars tenuis & aërea terreſtrem & adſtringentem ſuperat; nam menſes etiam provocat, & concitat urinam; quod aliter non ageret, niſi in partibus ſubtilibus ſuperaret: de pipere rubente, & chilibus, nulla remanet ratio dubitandi, ſi illorum qualitates attendimus; ſunt enim aperientia validiſſima: permixtis ergo qualitatibus horum ingredientium, cum aliis cacao, ſaccharo, & fermentatione, & virtute, quam ex igne accepit chocolate: quis amplius dubitare audebit, quod qualitas, quæ ex toto reſultat, non ſit aperiens, reſerans, & abſtergens; ſi orta ſuis principiis atteſtantur, ut nobilior docuit philoſophia.

Nos nunquam dubitavimus, quod chocolate conſtet ex partibus diverſis & contrariis; ſed dicimus, quod in hoc compoſito, qualitas, quæ reſultat & ſuper omnes prævalet, in illa mixtione, eſt aërea, ſubtilis, calida, ſicca, reſerans, ut aperiens, & tenuium partium, ceu facile colligitur ex guſtu, ab ſpuma aërea, ſubtili, butyroſa (ſemper calida) ex celeritate qua præſtat alimentum, permeat, & in ſubſtantiam ſpirituoſam vertitur; & ex ea qua cæteris ingredientibus viam aperit, licet partes adſtringentes & terreæ contrarium ſuadeant: nam ſemper actio in mixto, qualitati prævalenti tribuitur; ergo, licet in chocolate ſint partes diverſæ, & contrariæ, ſi aperiens prævalet, non ideo non dicitur reſerans & aperiens.

Stabilita ergo hac ſecura doctrina, ita ex Galeno, in tribunali ſenſuum in Parnaſſi Conſilio, in publico orbis ſcientiarum Theatro Athenienſi, omnibus Academiis recepta, ut ex parte illorum Medicorum, qui illas provincias primitus coluerunt, ubi uſus chocolatis incœpit: & obſervatio notitias ſecuriores præſtitit, ut in diſcurſu antecedenti vidimus: & ſuppoſito, quod non eſt aliud tribunal, nec aliud judicium, ubi talis quæſtio diſcernatur, ſuper qualitates horum ingredientium, quia in hoc negotio Galeni eſt ſupremum, non tantum quod Galeni, ſed quod ſenſus evidentia prævenit rationis fidem, debemus huic veriſſimæ doctrinæ aſſentiri, in quantum rationes majori evidentia non ſuadent contrarium.

Hoc cum ita ſe habeat, tamen nihil adeo eſt ſecurum, quod aliqua ex parte impugnari non queat: & contra noſtram ſententiam quædam pugnat objectio; per Indiarum nempe traditionem, & obſervationem in Hiſpania, butyroſam ſubſtantiam cacao, longe frigidiorem eſſe quam ſupponit hypotheſis; quin imo frigidiſſimam, ſi illæ inflammationes eriſypellatæ medentur, ut contrario, & realiter affectuum calidorum eſt auxilium, ut irrefragabili conſtat experientia; cui ſemper, quam rationi potius eſt credendum: ergo illa pars quæ calida ſupponitur in cacao, eſt tanquam falſa damnanda: & poſt illam adhuc manet pars terrea, frigida, & adſtringens; quo videtur omnino impoſſibile in cacao partem ape-

 rientem

rientem prævalere. Huic objectioni respondeo, primum quod traditionem non inficior; neque fore calidarum passionum auxilium; sed absolute judicium condemno, esse frigidissimum auxilium: quoniam illud est vulgare judicium, & non exacto veritatis examine, non vero Medicorum, qui longa stipendia in Galeni doctrina meruerunt. Pro cujus intelligentia, illud est in primis supponendum, in Galeni doctrina, quod omne butyrosum est calidum, à prædominio; sed quia mixtum de aliis qualitatibus participat in graduatione prædominii, cum illis etiam compati: secundo, suppono calorem butyrosi esse temperatissimum, uti etiam dulcis, cum nullus excessus in illo agnoscatur: & cum ita sit, quanto magis in illo caloris mediocritas elucet, tanto magis refracta est in illo frigiditas, non ex toto extincta, sed ea proportione quam permittit calidi moderatus excessus: qua doctrina respondeo, quod sicut remissum remittit intensum, & ut aqua tepida remittit calidissimam ab excessu caloris, illa sola moderata frigiditate quæ adhuc conservatur in tepido, aut moderate calido; sic in butyro cacao accidit inflammationes temperare, & calida mederi, illa moderata frigiditate, quam in illo caloris moderati prædominio conservat, in ratione mixti: quia eo modo, quo moderata aquæ frigiditas, calidissimæ opponitur; sic etiam frigiditas moderata cacao, in vera ratione contrarii, quia opponitur secundum illum gradum, quo remanet in mixto, & non secundum illam qualitatem quæ prævalet in illo. Et ad illud quod dicitur sentire ad tactum frigidissimum, reor quod est respective ad corporis calorem; cujus contactus judicium fallit; sed dato, quod partes frigidæ in cacao remaneant, hæ in chocolatis mixto, à qualitatibus calidis & siccis ingredientium, & ignis superantur, in mixtione & fermentatione: & non obstat, quin aperiens postea vires exerat. Itaque dubitationi satisfecisse me, reor.

Secundo, poterit quis objicere, quod practica auxilia non per discursus & inductiones aliorum auxiliorum consequuntur; quod bene poterit ratio suadere, sed experientia contrarium probare: auxilia enim sola probat experientia, commendatque observatio: & licet illa chocolatis ingredientia videantur similes qualitates possidere, cum apertione reserantes, nihilominus semper hæsitat animus; quoniam illa recentia auxilia sola traditione recentium Medicorum commendantur; quorum nulla adhuc traditur aperiendi ratio, sed sola probabilitas: illa vero antiqua ab antiquo Hippocrate mille experientiis traduntur comprobata, & tempore observata. Huic objectioni respondemus, primo, in hac conferentia qualitatum horum ingredientium, in ratione auxilii contrarii, Galeni methodum securiorem sequimur, in horum auxiliorum dignotione, & qualitatum & virium libratione: & sicut ille ab hoc judicio, ad experientiam transivit, quam postea cum laude secuta est posteritas; ita pariter nos, si illorum simile & æquale præbemus testimonium, scientiæ nihil debemus amplius: imo illam videmur illustrare, recentibus observationibus & experientiis à posteritate commendatis, & quæ exemplis tuemur, & in exempla erunt: per hæc enim media Medicina ad Olympum pervenit: satis namque manifeste probatur id quod asserimus, si ad sensuum judicium probatur: & licet vetera sint antiquorum judicio comprobata, ut piper, Cinamomum, & alia; illorum observatio facta est olim ex memoria aliorum similium, quæ sic perinde videbantur accidere: est enim observatio, memoria illius quod sæpius, & eodem modo vidimus accidisse: analogismus vero, est hujus comparatio ad similitudinem alterius, quod sic semper evenisse visum est: si ergo Galenus illa nobis sola tradidit signa horum auxiliorum, ut aperientia videantur: si à nobis similia traduntur, in recentibus nostris per eandem observationem & analogismum in toto & per totum; quid amplius debemus? prima non fuerunt protinus observata, sed tempore, usu & experientia deinceps comprobata; ut multa alia quæ postea necessitas invexit: ergo contrarium rationi non erit, alia observare, quando ex hac experientia vitæ periculum non instat? hoc enim tantum catholica ratio excusat, in ignoto auxilio vitam in discrimine versari: quod in chocolate nullum periculi sit timor, dicant tot & tam diversæ nationes, quot ejus usum avidissime appetunt, commoda percipiunt, habentque in delitiis: nam in illo, vitæ instaurationem videntur invenisse, & naturæ labentis; & hoc, dum illo generatim utuntur, adhuc quidem sine præceptis: de hoc solo auxilio non dicitur. nullum est remedium quod tam magnifice prosit, quod aliqua ex parte non noceat: illud enim nulla ex parte creditur obesse: & si daretur (quod nobis videtur impossibile) quod commoda promissa non præstet, nulla inferet damna, semper aliquod utile; quod ad auxilii securitatem sat erit. Et ita licet usque adhuc nulla hujus auxilii experientia visa sit, in obstructionibus reserandis, sat erit illud absque ullo damno posse experiri, & probabili scientia expectari: ac nihil tentare nocebit, quando nulla potest ratio auxilium damnare; licet contradicendi studium, (vanitatis conditio) ut utile non probet.

Et ultimo concludimus, ut hoc cacao sit omnino selectum ex prædictis provinciis, non recens, neque vetustate cariatum, sed mediæ ætatis, vaginulæ odoriferæ, de soconusco, aut guatimala, recentes, crassæ, & plenæ penetrantis odoris; & colore subfusco ad nigrum declinante; Cinamomum tenue, rubicundum, ponderosum; piper nec recens, nec vetustum; achiote purum, ex fructu cujusdam arboris, & coctum & non adulteratum; imo friabile, & rubini coloris; & in trituratione sint omnia simplicia, optime triturata, & ultimo per cetaceum missa, ut reddantur subtilia, ac omnibus permixtis saccharum misceatur album, purum, duritie & albedine selectissimum; postea vero ligneo & lapideo instrumento, optime subigatur: & si videatur (maxime in divitibus) de ambare grisio scrupulus addatur; hoc enim chocolati vires addit, cor roborat, spiritus instaurat, & penetrationem juvat; dies, quibus sit adsumendum, dum sumitur in obstructionis auxilium, non valent præfiniri, quoniam ad obstructionis debellandæ necessitatem metiuntur; sed ut plurimum sit ad 30. dies. ad minus ad 20. & hoc monstrabunt signa dum proficitur;

ficitur: nam pallidæ mulieres melius colorantur: suffocatæ anhelitu liberius respirant: urina meliorem consequitur colorem, & mala graviora mansuescunt; & si mali inobedientia, & obstructio altius radicata, huic generoso auxilio non cedit, in chocolate potest quotidie misceri drachma semis trochiscorum Rhabarbari, sive radicis rubeæ, seu drachma una pulveris præpa- A ratæ scoriæ, ac exinde ad solitum transire exercitium: victus ratio sit ita moderata, & aquæ parsimonia, ut in chalybis usu; de quibus omnibus ut consulatis oro nostram observationem de hypochondriaca melancholia; in hac enim aperientium rectum medendi usum, ad omnes obstructiones recentes vel antiquas invenire, facile vobis dabitur.

QUÆSTIO MEDICO-THEOLOGICA.

An in Chocolate sub illa ratione potionis, potus ratio superet rationem alimenti, ut inde necessaria consequentia eliciatur, quod jejunium Ecclesiasticum non solvit.

An Chocolate violet essentiam Jejunii, in duas partes scinditur: altera in Medico Tribunali expenditur, alia Theologico: quæ cadit sub Medici judicium, est, *An in ipsa ratione potus, ratio alimenti prævaleat, ita ut rationem superet Abstinentiæ, in qua jejunii essentia consistit*; secundum Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ est semel in die comedere: Et, *An, dato quod sint partes æquales, potus & alimenti, sola ratio potionis sufficiat ad illam Abstinentiam non frangendam, licet in magna quantitate sumatur.* Nam Medici sententia prolata, de iis quæ cadunt sub illius judicium, secundum exacta Medicinæ principia, ad discernendum, Theologus ingreditur, ut præfinitus in Ecclesia judex, ad illa quæ pertinent Ecclesiæ, secundum principia Theologica.

Et, ut ab hoc principio ordiar, dico, quod formalis ratio, quare potio Jejunium non frangit, sub illa præcisione potionis est; quia in illa forma alii longe diverso fini dirigitur, quam alen- C do, seu reficiendo, licet ex eventu, præbere alimentum contingat, ob diversarum partium mixtionem: quare talia dicuntur quæ in communi usu, pro potu accipiuntur, ut vinum, cervisia, &c. quoniam alere non finis præcipuus illius potionis, sed alius, quem in ipsa potabilis ratione sortitur; uti sitim lenire, sedare empyreuma, cibi digestionem adjuvare, ne comburatur cibus, ac sanguinis distributionem postea in venas promovere, caloris excessum temperare, ne ille, qui perenniter in corde exardescit, totum corpus exu- D rat, contemperationis defectu, quam natura ex illa potione consequitur; ideo enim provida & suæ conservationis gnara, illa potabilia expetivit, & cor pericardio aqua pleno munivit, sola vallavit aqua; item sunt alia, quæ in communi usu dicuntur mere potus, licet alendo juvent, & alia, licet sint potabilia in communi usu, uti cibi sumuntur, uti lac amygdalatum, &c. nec ab hac Philosophia alienus Laurentius Beirlingh, in Theatro vitæ humanæ, verbo *potus*, ita illum de- A scripsit: *Potus dicitur qui pro siti delinienda sumitur*: est ergo præcipuus rei potabilis finis, sitim leniendo temperare: est enim sitis passio & calida & sicca: & hoc habet in quantum potionis induit rationem; nam licet potus alii alio dirigantur, illud non est ex principali fine; sed quia ex eventu aliam rationem sortiuntur, uti interdum ratio alimenti, quæ aliis est accessoria, & aliis genuina & propria.

In hoc ergo pondus hujus quæstionis consistit, ut supposito quod in chocolate sint duæ par- B tes inseparabiles, nempe illa, qua potabilis rationem sortitur, dum est fluida, & liquida substantia, & illa, quæ adhuc in illa potionis ratione habet inseparabilem rationem alimenti: an in hac potione ratio alimenti prævaleat, an potus: seu an illa ratio sit illi accessoria, an potius genuina & propria; sunt enim aliæ potiones liquidæ & fluidæ, & vere potiones, & tamen quia in illis prævalet ratio alimenti; damnantur, ut jejunium frangentes, non tantum, quod sint potiones vetiti alimenti, ut sunt jura carnium in diebus prohibitis, sed aliarum rerum, uti ova tremula in aqua dissoluta, aut vino, biscoctum dissolutum in aqua, lac omnium animalium, capræ maxime & ovis, & hujus generis alia: & non tantum quod in communi usu, ut cibi assumantur, quod plerique tamen dixere; nam cibi comeduntur & liquida potantur; si ergo in illis ubi potabilis ratio super rationem prævalet alimenti, non solvitur jejunium, à contrario & legitima consequentia sequitur, quod illa potabilia frangant, in quibus ratio alimenti inseparabilis, super potabilis prævalet rationem.

In hoc ergo paululum immorabimur: *An in hac potione chocolatis, potabilis ratio prævaleat, super rationem inseparabilem alimenti, an è contra.* Hoc autem ex alio principio aptius definiri nequit, quam ab effectu ipsius potionis, & à fine in quem illa potio ordinatur, & sumitur; tandemque à substantia, & qualitatibus, quæ à mixtione & fermentatione horum ingredientium resultat; de quo nos latius, dum commoda & robustam virtutem Chocolatis expendimus: ab effectu sit unus-

unusquisque sibi ipsi fidelissimus testis, quid sentiat de hujus Chocolatis alimento, refectione, robore, & dispositione ad laborem; nam si promptissime alit, reficit, & spiritus, à labore delassatos instaurat, evidentia non vulgari convincitur, alimenti rationem in illo supra potabilis rationem prævalere: quoniam ii non sunt effectus illius potionis, in qua potus ratio rationem superat alimenti, uti patet in aqua, & aliis medicatis potionibus, uti limonata & elixa, quæ sitim leniunt & recreant, sed non ita præsentanee alunt, nec instaurant. Hoc idem potiori ratione & à fine deducitur. Cui fini ordinatur hæc potio? ad sitim leniendam: quis hoc dixit? minime quidem; hoc enim proprium est & frigidi & humidi, quod in chocolate non invenitur: & ad hoc præcipue dirigitur potio, in qua ratio potus prævalere videtur. Hoc ultimo deducitur à substantia ipsius Chocolatis, & cujusque singularis ingredientis; nam si orta suis principiis attestantur, quæ ex partibus constant alimentosis, erunt alimentosa, aut è contra; & quæ sunt communia uni tertio, sunt eadem inter se: hæc omnia ingredientia sunt illi mixto communia: hoc mixtum corpori præstat alimentum; ergo & partes illius: inductio patet ex virtute illius mixtionis; illatio ratione convincitur; nam in cacao, pars quæ semper prævalet, super alias est butyrosa, & calida, & humida: hæc in Galeni doctrina est naturæ magis consocialis, quia facillime in alimentum vertitur, quod & Indi testantur, dum diei & æstus pondus & laborem solo *cacao* tolerant, ut etiam testatur Juanes de Laet, lib. 7. descript. Occid. Indiæ, cap. 2. saccharum est calidum & humidum, & alit majori sui parte, ut antea monstravimus: cinnamomum, vaginulæ odoriferæ, secundum partes diversas, & alunt & corroborant; ergo totum quod ex illis componitur, si ejus partes alunt, & alibile erit; adeoque in hoc potabili, refectionis & alimenti ratio, super illam potabilis prævalet rationem.

Si ergo in hoc conveniunt utriusque scientiæ opiniones, nempe sapiens Medicina, & Sacra Theologia, ut illa potio jejunium non violet, in qua potus ratio prævalet super rationem alimenti, quia est mere potus: & à contrario illa frangit, in qua superat ratio alimenti, quia cum abstinentia debita non compatitur, licet sit alimenti potabilis: consequentia evidenter deducitur, quod chocolate jejunium necessario franget, quia in illo prævalet ratio alimenti: hoc patet, & demonstratione convincitur exemplaribus ipsarum potionum: lac ovis, capræ, & vaccæ, & biscocti in aqua aut vino dissoluti, quare solvunt jejunium? in his enim etiam potabilis ratio invenitur; sunt enim liquida, humida, fluida; & formali ratione sunt potus: quare ergo cum jejunio Ecclesiastico non compatiuntur? & cum Abstinentia quam ipsa Romana Ecclesia constituit in diebus jejunii? quia in illis ratio superat alimenti: aut ergo concedimus, quod in Chocolate ratio alimenti, potabilis superat rationem; aut non: si concedimus (quod negare non possumus, quia experientia prævenit rationis fidem) erit necessario concedendum, quod frangit; aut assignanda ratio, quare lac, & alia, quæ minus quam Chocolate alunt, sint in hac linea jejunio contraria?

A Huic argumento respondent, differentiæ rationem assignando, quod fractio jejunii non consistit in hoc, ut in potabili superet ratio alimenti, vel potus; sed quia illa liquida, in quibus vis argumenti consistit, quæ violant jejunium, in communi usu, non sunt ordinata ad potum, sed ad cibum, & ad refectionem; & ideo cum abstinentia non compatiuntur, uti lac, & alia, quæ, licet potabilia, ordinantur ad cibum: & Chocolate, in communi usu hominum, ordinatur ad potum, quia dicimus potare chocolate, non comedere; ergo si probaretur, quod pro refectione & B alimento sumitur chocolate, & in communi usu, franget necessario jejunium; nam hæc illatio necessario sequitur, ex præmissis; & est argumentum ad hominem contra responsionem argumenti. Nunc restat probare ex hypothesi, quod pro refectione accipiatur & alimenti gratia, non potus: mitto quæ superius diximus, de hujus mixti virtute generosa, & ingredientium cujusque simplicis singularis: sed pro hujus instantiæ solutione, illud est, ut certum, supponendum, C quod communis usus, non potest potioni alimentum præbere; est enim illa denominatio extrinseca: sed illa ideo est in communi usu, ad cibum ordinata, quia in illa potione ratio alimenti prævalet, super suam rationem potabilis: & inter ista, per eandem regulam etiam supponamus, quod chocolate per modum cibi accipiatur: ergo si in illo invenitur quod in lacte, in ratione alimenti solvet, etiam jejunium uti lac, & consulamus ergo utranque potionem sumentes; & ingenua veritate fateantur, in qua illarum majorem refectionem acceperunt: & si dicant, quod D in potione Chocolatis, (ut rei accidit veritate) necessario illo jejunium frangetur, ut frangitur in potione lactis; & quod pejus est, quod quæstionem de nomine confingunt, ac rerum apparentia illusi, nominibus illudere conantur: dicunt enim, quod potiones, quæ sumuntur in ordine ad potum, sunt mere potus, uti vinum, quæ, in ordine ad cibum, sunt cibi, uti lac, ac si illa denominatio, quæ semper accidentalis est, aliquid imponeret in re; nam dum reficit, abstinentiam E frangit, & dum alio fini ordinatur, manet in ratione potus. Hæc omnia quæstionem confundunt, dum res ipsas cum nominibus miscent; ego enim, rebus magis attentus quam nominibus, reor quod lac, & alia liquida alimentosa, ut lac amygdalarum non ideo jejunium frangunt; quod in communi usu, ut cibi, reputentur; nec quod sub illa ratione sumantur: sed quod in illis ratio alimenti prævaleat, super illam communem potus rationem, qua refectio consequitur, & frangitur etiam abstinentia.

F Neque valet ratio, quod in chocolate mutatur forma substantialis ingredientium, à forma nempe solida, ad potabilis formam; quod ad jejunium non solvendum sufficere videtur, quia fit mere potus; nam in propositis superius exemplis mutatur etiam forma substantialis, nempe à sanguine in lac, ab amygdalis in lac amygdalarum, à biscocto, saccharo, & ovo, in aqua liquefactis, ad potabilem formam: & nihilominus illis frangetur abstinentia: ergo illa ratio non sufficit, quia fit mere potus.

Et hæc fuit olim tam magnæ auctoritatis ratio

tio, ut Patres aliquos Ecclesiæ doctissimos coëgerit, ut constantissime proferrent, vinum etiam jejunium frangere, (quæ opinio olim valida fuit) ea sola ratione, quod in illo ratio alimenti potus rationem superaret. Quæ opinio per aliqua sæcula perduravit; nam hujus opinionis fuit sanctus Chrysostomus, Homilia 6 ad populum Antiochenum, Clemens Romanus, l. 5. Const. Apost. c. 17. S. Cyrill. Hierosolimit. cath. 141. Theophil. Alexand. sermone 5. de Paschate Theodoretus Epist. divin. secret. Origenes lib. 3. in Joh. 5 Basilius Homil. 1. de jejunio, S. August. serm. 64. dum tandem re illa hinc inde controversa, superiori calculo, contrarium manserit stabilitum, usque ad nostra tempora. fateor, & ingenue fateor, quod nulla adhuc ratio prolata, in contrarium nos ab hoc judicio deturbavit, adhuc in variis conferentiis doctissimorum hominum, nec lectione auctorum classicorum; nam quemdam doctum audivi, *ideo chocolate jejunium non frangere*, quia pars illa, quæ prævalet in illo, est tenuis, calida, & aërea, quæ ad sui transmutationem coctione non indiget, quia hac tantum spiritus reficere videtur, transmutatione instantanea, ac ideo rationem alimenti non subire: quia alimentum, ut vere dicatur tale, debet per ventriculi coctionem transire, & hepatis postea, ut vertatur in sanguinem, ut sit consociale partium alimentum. Hæc ratio nec probat, nec convincit; nam illam sola experientia redarguit, quia adhuc illa spiritum transmutatio, quæ in parte aërea celebratur, est coctio, quæ fit in partibus quæ illius indigent alimento; legite quæ Hippocrates dixit libro de Alimento prope finem: *Quicita indigent adjectione*, inquit, *iis humidum ad recuperandas vires remedium, optimum est, ubi autem adhuc citius, per odoratum*: ac postea ex parte tenuiori sanguinis, spiritus cor dextro illius ventriculo elaborare satagit, exinde per occulta foramina permeat ad sinistrum, ubi formam spirituum assequitur: ex hinc per arteriam magnam ad cerebrum ascendit spiritus vitalis jam confectus, ac ibi elaboratur amplius, & purior & subtilior redditur: & hæc omnes sunt vere coctiones: & si ad partem crassiorem chocolatis attendimus, hæc, ut cætera omnia alimenta, transit per omnes coctiones ventriculi in chylum, & hepatis in sanguinem, ex hinc in omnes corporis partes diffusa, in carnem vertitur per veram partium coctionem: unde illam rationem nullius momenti esse, apparet.

Nec in nostræ opinionis gratiam accipimus Reverendissimi Patris Juanis de Sancto Thoma rationem, quæ ideo jejunium frangere judicat chocolate, quod sorbendo adsumitur, & haustulis; ex quo colligit esse alimentum, si pitissando sumitur, non potum. Hæc enim ratio nec reo nec patrono digna est; ut de defensione Platonis pro Socrate suscepta Quintilianus dixit: quia chocolate sumitur pitissando, aut bibitur continuo ut aqua, prout caliditas permittit, aut consulit necessitas, seu assumentis genium, sive consuetudo: & illud non est ex parte potionis, sed sumentis.

Minus convincit ratio, Reverendissimi Patris Petri Henriquez in summa verbo *jejunium*, ubi refert, quod ingredientibus chocolatis oblatis Beatissimo Patri Urbano VIII. Pont. Eccl. Romanæ, & in ejus præsentia chocolate confecto, de illo pitissasse, ac dixisse, *hic est vere potus*; & inde colligit jejunium non frangere: mihi semper erit magnæ auctoritatis illa Pontificis responsio, adhuc ut à doctore Ecclesiæ prolata; illa tamen non est in præsenti dubio definitio, sed responsio inter familiares: & adhuc de illa non ita vere constat; utique nec de alia, in qua à plerisque asseritur hoc constare ex bulla Pontificia, quæ nulla Bibliotheca invenitur; & hoc & illud, absque severiori veritatis examine, probabilem sententiam non facit.

Dicunt alii, quod illa transmutatio, quæ fit à solidis ingredientibus, ad liquidam & potabilem substantiam, sat sit ut veram potus rationem sortiatur, & ideo jejunium non frangere: nos nunquam dubitavimus, quod sub hac mixtione, ultimam potus rationem sortiatur: & iterum atque iterum dicimus quod sit vere potus: sed dicimus, quod sub illa ratione potabilis, in illo superat ratio alimenti, probetur quod non superet; & tum quæstionem cedere, ac vincenti dare manus me polliceor.

Dicunt ultimo, quod non obstat, ut in illo superet ratio alimenti, ut desinat esse potus, sub illa ratione, ut veræ abstinentiæ non obstet; quoniam illa ratio alimenti est per accidens, & ex eventu, in ratione potus: nam eadem militat ratio in vino, & nihilominus non frangit; nam vinum ut chocolate alit; & non ideo potus rationem excludit: sat est enim, ut non detur reficiendi & alendi fini, sed ob alia quæ in illa potione sunt potissima, & proxime illius essentiam consequuntur.

Hæc objectio jam judicii assequitur nobiliorem classem, quoniam in plerisque finis solet actionis essentiam mutare in vera philosophia; sed dato quod chocolate sola oblectationis ratione sumatur, & ob gustus illecebram, nunquid ab hoc fine potest separari illa conditio, ut validum alimentum reficere? & forte abstinentia ab Ecclesia in jejunii die imperata, potestne conservari sub illa refectione alimenti, quantumvis sit illi potioni per accidens, & ex eventu, si non valent ab illa potione separari, non est enim sanæ mentis credere, ut cum saturitate, (extra semel comedere) ulla compatiatur abstinentia; quantumvis per accidens adveniat; præterquam quod illud est fabulosum, quod fames & indigentia ab alimento per accidens depellitur; sed per se primo, & secundum omnes rationes primario. si obstinatio non obstat Hippocratis altissimo judicio, 2 Aph. 11. quando dixit, *Facilius est impleri potu, quam cibo*: nam potus, licet per se habeat rationem potabilis, & alimenti, & refectionis per accidens, per se & primario nutrit; si est alimentosa potatio, secundum illam partem qua respicit indigentiam; nam illa per se impletur alimento: Hippocrat. enim libro *de alimento*, prope finem, *qui cita indigent adjectione* (inquit) *iis humidum, ad recuperandas vires, remedium optimum est; ubi autem adhuc citius, per odoratum.* Illud tamen attende, quod hic Hippocrates per humida intelligit, & humida & potus, quæ suapte natura apta sunt nutriret, corpus ut Galenus in commentario dixit; & parum infra. Quod autem humidum alimen-

alimentum, præcipue cum fuerit natura calidum, facilius nutriat, manifeſtum eſt iis, qui norunt quomodo & coctio & diſtributio fiant. Quid enim intereſt, an per ſe an per accidens potus nutriat, ſi per ſe, & per accidens, violat abſtinentiam, præcepto Eccleſiæ opponitur? hoc Hippocrates vini probat exemplo, 2 Aph. 26. quando dixit, *Famem thorexis ſolvit*; nam vinum per ſe eſt potus, & per accidens nutrit; & nihilominus famem ſolvit thorexis: eſt enim hæc dictioni Græca lectione, *Vinipotus*, ſi Galeno aſſentiri velimus in expoſitione dictionis: ubi legitur, non per levem quencunque defectū famem nominans, ſed vehementem & indeſinentem ciborum appetentiam: ergo illa conditio, quod per accidens nutriat chocolate, non obſtat ut jejunium violet, ſi illud per accidens, per ſe veræ abſtinentiæ opponitur. Quid multum? refectio eſt indigentiæ contraria; ſunt enim ad invicem oppoſita, & ut talia ſeſe ad invicem depellunt, ut Hippocrates dixit 2 Aph. 22. per hæc verba; *Qui morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio; & qui ex evacuatione, repletio per ſe contrariis auxiliis, non per accidens.* Nam ſicut morbus *calidus* (ſic in illo commentario Galenus) *por ſe frigidis auxiliis curatur, ſic indigentia & vacuatio refectione.*

Sed, his peritis Medicinæ dimiſſis, videamus quo fine aſſumant homines chocolate; in medicinæ uſum hactenus non vidi qui *chocolate* bibat; nec in ſitis auxilium; ſeu pro ſedanda ſiti: quod maxime potulentum conſtituit in ratione potus: ad hoc enim aqua ſuper omnia prævalet potulenta. Quod in communi uſu vidimus, eſt *chocolate* accipere, in indigentiæ & defectus auxilium, ſeu guſtu & voluptate illius potionis, ſeu ſola conſuetudine, quia illa homines ad communia negotia, ſeu Reip. labores, ſeu ad ſtudia ſe promptiores ſentiant: Sed illud ultro damus, ſumatur, utcunque quis voluerit, ſeu in appetitus, & guſtus rationem, ſeu quia jam ſtomachus illo carere nequit; quod & pleriſque accidit: quid inde elicere intendunt, ut ſicut vinum, jejunium non violet? nec cerviſia, nec aliæ voluptuoſæ potiones? fateor quod in vino, cerviſia limonata, & aliis, ſunt etiam partes alimentoſæ, ab illarum potione inſeparabiles: fateor etiam, quod illis & natura reficitur, & calor naturalis reparatur: nec inficior illa jejunium non frangere; quia ſunt in illis aliæ potus rationes, quibus ab illa fractione excuſantur: quæ meo judicio ſuperant, ſuam ipſius rationem alimenti, ut eſt, ſitim lenire, maxime aqua dilutum, digeſtionem adjuvare, curare intemperiem, diſtributionem ſanguinis promovere, & cordis fornacem temperare: qui ſunt fines potiſſimi, quibus illa potio dirigitur, in ratione potus: nec ideo vidimus, qui ultra ſeptimam diem ſola vini potione valeat vitam tueri, quod illius alimenti ſit invalida virtus: & à contrario ſola potione *Chocolatis* poteſt vita ſervari per menſes & per annos: nos puerum vidimus ablactatum, qui non valuit ad cibum capiendum ullo ingenio compelli, & per quatuor menſes ſolo chocolatis potu, & raro pane mixto, in poſterum ſervatum: tanta eſt illius, tamque valida, & robuſta, in alendo & roborando virtus. Audite, quæ Doctor Juanes de Cardenas ex primitivis Medicis Mexicanis poſt varias *Chocolatis* obſervationes Hiſpano idiomate dixit: *Y digo que uſado con eſta advertencia y moderacion, ſera de mucho provecho para la ſalud, y es baſtante à alargar los dias de la vida, por que fuera de que da buen ſuſtento al cuerpo, ajuda agaſtar el mal humor, vacuandole por ſudor, por hieſſes, y por orina: lo que no haçe el vino, por que realmente antes ſe azeda con la flema, y ſuele abytar mas: & Doctor Iuanes de Laet*, lib. 7. deſcriptionis Occidentalis Indiæ, cap. 2. dum arborem deſcribit, ex qua *cacao* naſcitur, & hujus fructus vires, & potus, qui ex illo conficitur, ſic alloquitur: *Simplex enim potio* (nempe fructus *cacao*) *refrigerat & nutrit inſigniter*: & paucis infra lineis; *de qua illud tantum dicimus, quod præclare nutrit.* Et hoc argumentum validius corroborat, quod olim non ita validum apud Mexicanos parabatur *chocolate*, nec ita pretioſum, ut apud noſtros hodie, cujus virtus non tantum mirifice delectat, ſed etiam mirabiliter reficit, & alit, & inſtaurat, ut unuſquiſque de ſe ipſo fatetur. Plura de hoc ipſo argumento dixit Dr. Franciſcus Ferdinandes, Regni Mexicani Proto-Medicus titulo de Conditionibus Chocolatis.

Sed contra hæc omnia ſcribunt Theologi Morales, quod in rebus moralibus vim legis habet conſuetudo: & quod in nullo magis obſervatur, quam in more communi Chocolate; apud Indos, & in noſtra Hiſpania, in diebus dicatis Abſtinentię, & quod jam illud videtur proſcripſiſſe, ut vim legis obtineat. O prava hominum interpretatio! nam confundunt ea quæ temporum neceſſitas invexit, per varios Reip. & hominum ſtatus, vivendi ratione mutata, cum illis quæ luxus, hominum intemperantia, & Reip. opulentia ſub varia morum corruptione induxit: ſin minus, dicant quæſo, quæ Reip. gentes illam conſuetudinem induxerint? non fuerunt certe delitioſi viri, principes, & alii generoſi luxuria madentes, inhoneſtæ mulieres, ſaltem intemperantes, & licentioſa opulentia, non ſibi ſatis honeſte conſulentes? Honeſta conſuetudo, ut vim legis obtineat, debet à temperatis hominibus induci, & qui potius reſpiciunt Reip. utile, quam ſuum; non à voluptuoſis, qui vitam conſumunt in delitiis, & præpoſtera vivendi ratione: legem naturæ mutant in legem voluptatis, cum deceptæ mortalitatis infamia; quomodo ergo hi honeſtam inducent legem? ignoratis fortaſſe, quod in nova Hiſpania ſit quædam reformata religio, & religioſiſſima Carmelitarum Fratrum, qui lege municipali ſuæ religionis à Chocolate omnino prohibetur, nec tantum diebus Abſtinentiæ, ſed in omnibus aliis? unum, inter alia, legi hujus validiſſimæ potionis, in fide digna hiſtoria; *quod olim Indorum Reges ea ad luxuriam concitandam utebantur*: quantum ergo diſtabit Abſtinentia à profana immoderatione Chocolatis.

Eſt ultimus conatus hujus opinionis, in pleriſque, quod licet primo & per ſe, & ſecundum omnes alias rationes Chocolate reficiat, & alimentum præſtet, quod nihilominus jejunium non frangit; & ſolo vini exemplo ſe tuentur, & aliarum potionum alibilium, quæ licet per ſe primo corpori præbeant alimentum, ſemper in illa potus ratione manent, ut illis ſervetur Abſtinentia; *quæ eſt ſemel in die comedere, ex Eccleſiæ præſcripto*: licet & aliter, ante & poſt cibum in magna quantitate

titate bibantur; quia talia non sumuntur ut cibus, sed ut potus.

Pro hujus argumenti solutione, super alia faciunt verba Angelici Doctoris in 4 Dist. 15. quæst. 3. art. 4. nam postquam inquirit, *utrum per binam comestionem jejunium solvatur*, in quæst. 5. sic loquitur: *ad hoc autem præcipue valet considerare intentionem statuentis; intendit autem Ecclesia, certum modum statuere manducandi, ut scilicet semel in diem jejunans manducet; & ideo si aliquorum sumptio, secundum quæ manducatio solet compleri, iteretur, jejunium prædicto modo acceptum solvitur: si autem aliqua sumantur, quæ ad manducandum de se ordinata non sunt, sed ad aliū usum, qui usus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus sumptio, non facit esse binam manducationem, & ideo talis sumptio jejunium non solvit.* Hanc divi Thomæ sententiam explicat Paludanus in 4 Dist. 15. quæst. 4. art. 4. conclusione 3. *Nam bina comestio*, inquit, *frangit jejunium, eorum scilicet quæ communiter solent sumi in cibum; ubi etiam fructus ut cerasa, pira, & nuces computantur;* His etiam addite quæ sequuntur ex Silvestro, verbo *jejunium*, num. 9. quæst. 3. ut ex omnibus simul eliciatur conclusio: *Qui mane vel sero bibit vinum*, (inquit) *vel cervisiam, aut comedit electuaria, delectationis causa, non frangit, quia scilicet hoc non fit per modum cibi; frangit vero jejunium, quicunque aliquid comestibile, vel potabile sumeret, extra prandium, id est, ad sublevandam, non quidem debilitatem, sed famem, ut ponit Archidiaconus:* quia iste ex sua intentione pluries cibatur, sumendo aliquid per modum cibi: clarius loquitur Medina Complutensis, codice de *jejunio*, tract. 4. quæst. *De his per quæ Ecclesiasticum jejunium solvitur: in his autem*, inquit, *illud est advertendum, quod non solum contra præceptum de jejunio peccat, qui illa tria supra posita in die jejunii non servat* (nempe, *Abstinentia in numero refectionum, & Abstinentia à certo ciborum genere, & in hora debita cibationum*) *sed qui alia, quæ vel ex lege, vel ex consuetudine concessa sunt, in fraudem legis sumpserit: in fraudem autem jejunii dicitur, qui electuaria, aut medicinas aut etiam vinum aut fructus aliquos extra refectionem sumere, qui illa per modum refectionis sumit, ut inde corpus refectionem sumat, & ventris fames expellatur; tunc enim nomine refectionis venit hujusmodi sumptio intelligenda.*

Ex verbis divi Thomæ hæc elicitur conclusio, ut semel in die comedere, sit de essentia jejunii: & de essentia Abstinentiæ, nec comedere, nec bibere, quod valeat, refectionem & alimentum corporibus præstare, licet ex illis, quæ ad cibum ordinata non sunt, aliqua sumat, (sic interpretes.) *Frangit vero jejunium*, inquit Silvester, *quicunque aliquid comestibile vel potabile sumeret extra prandium non ad sublevandam debilitatem, sed famem; quia iste ex sua intentione pluries cibatur.* Attende postea ad verba Complutensis: *Non tantum contra præceptū jejunii peccat, qui formam jejunii non servat, sed qui aliqua, quæ ex lege vel consuetudine concessa sunt, in fraudem legis sumpserit: uti vinum, electuaria, fructus & medicinas, si ea per modum refectionis sumit, seu ut ventris fames depellatur: quia tunc nomine refectionis illa sumptio intelligenda venit.* Quid ergo quærimus, dum Chocolate sumimus, sive mane aut sero? si non quærimus peculiari intentione quod ex illa potione consequamur? nonne reficimur, &, ut validissimo alimento, implemur? forte ex illo vires reficiuntur, aut non? quid amplius consequimur ex lacte, ex pineato, aut amygdalato, ex cerasis aut pomis? fortasse ex illis amplius alimenti suggeritur? vereor quod hæc in fraudem legis sumimus: forte divina sapientia potest falli? quando homines in ipsa sumendi ratione decipiuntur. Hoc videant Theologi: nobis enim sat est, validam virtutem Chocolatis exponere.

Et hæc est fortasse ratio, quare ita scrupulose ab aliquibus proferatur, quod non frangit, ut illos resolutionis in ipsa resolutione pœniteat: nam dicunt (& forte inde noscitur pœnitentia) quod jejunium Chocolate non solvitur, quia ingredientium alibilium ita est parva quantitas, uti sacchari, & ingredientium aliorum pro una potione, ut ex illo principio jejunium non solvat; ergo si sumitur, pluries & majori quantitate solvit; & quare solvat, nulla potest alia ratio assignari, nisi quia ita valide reficit, ut sola illa sit bis in die comedere, contra illam rationem Abstinentiæ, quam præscripsit Ecclesia: ergo in illa ratione communi solvit, excepto ubi in tam parva sumitur quantitate, ut absolute jejunium violare non valeat: & permittant nobis ut etiam dicamus, quod illud est commune conditis piscibus pani & cæteris prohibitis, in quibus etiam parva quantitas jejunium non frangit: legite quam scrupulose loquatur Magister Ludovicus Lopes, Theologus Moralis tomo 2. instructorii conscientiæ cap. 112. de potionibus, quarum usus est apud Indias quæ *Chocolate* dicuntur: *Et fit*, inquit, *ex fructu arboris qui dicitur Checa, qui fit ex granis maizii commolitis & comassatis: dubitari hic merito poterit, an frangat jejunium, & respondemus, quod regulariter per hujusmodi potiones non solvitur jejunium, quia potius sumuntur per modum potus quam cibi; & quia parva materia massæ, sive formulæ admiscetur, ibi cum aqua, unde quasi liquidus potus manet; si tamen tanta misceretur massa, aut materia, quod ille potus spissus redderetur, quod sufficeret ad sustentandum, jejunium dissolvere videtur.* Ergo, domine magister, aut debet punctus præfiniri in quantitate, qualitate, & substantia *Chocolatis*, qua metam Abstinentiæ, non transcendat, aut debet omnino prohiberi: non enim est tutum, conscientias in dubia securitate fluctuare. Neque quantitas placet, quæ à nostro Reverendissimo Patre Thoma Hurtado Toletano, præfinitur, nempe, *ut quinque partibus aquæ una Chocolatis correspondeat:* Nam si hæc à viro religioso practicatur, à profano vulgo, aut prorsus non attenditur, aut omnino despicitur, quia ubi dissipulotico imperio imperat appetitus, divina lex non præsidet: & adhuc in illa moderata quantitate, ut hodie conficitur, est validi & multi alimenti, ut satis valida refectio ex illa consequatur, quæ forte cum morali Abstinentia non compatitur: nam apud nostros hodie quam olim, electione selectissima ingredientium, conditur *Chocolate*; de cujus alimento dubitare non licet; unde lapsus occasio cum animæ periculo.

Plura video super hanc potionem declarata, & alia subscripta à gravissimis, & probatę sapientiæ viris, sed vereor ne sinistra relatione, nec exacto veritatis examine, protulerint sententiam; uti Doctor Spilcueta fecit, quando dixit: *Attamen quia sumitur ut potus, & potius ad alterandum quam*

quam ad nutriendum non interdicitur hujus usus in die jejunii. Spilcueta, à curia Romana non exivit, & protulit secundum allegata. quis credet hodie, quod *Chocolate* tantum ad alterandum sumitur, (intemperiem nempe) seu solam ob gustus voluptatem: & quis non experitur, in alendo & reficiendo *Chocolatis* commoda præsentanea, in refectione & alimento: in hac tamen Theologia, unicum tantum video argumentum cui respondere non valeo, nempe quod quando hæc scribimus, jam *sero sapiunt Phryges*; ut est in veteri Parœmia; quia jam Chocolatis illecebræ, & hujus potionis voluptates, fores validiores, clave publici moris reserarunt; nullibi periculosius quam ubi publicus factus est error: & homines potius amplexantur, quæ voluptati placent, quam illa quæ vim naturæ inferunt, licet magis rationalia; dum maxime Classicorum virorum opinione se tuentur; quam (nulla in eo culpa) possunt amplecti; & si adhuc his omnibus reclamare videtur, nobis in lucro erit, nostrum institutum peregisse, dum illa à Medicinæ principiis deduximus, & ab hujus potionis ingredientibus; & ab experientia & observatione Medicorum illius primi sæculi.

Hoc constat in vera Philosophia; hoc nos docuit sapiens Medicina: quod cadit sub nostrum Tribunale proferimus. Vos ergo, ô Viri nobilissimi Theologi, ut judices Ecclesiæ, super hæc & alia negotia constituti, super hoc nunc decernite, non illecebris & hujus potionis delitiis seducti: quia sæpe in rebus quæ ab hominibus habentur in delitiis, ipsi homines judicem constituunt, non mentem, non intellectum, sed voluptatem & voluntatem: & judicate, obsecro, uti in illo sæculo, quod licentiosa libertate, fræno magis, quam calcaribus indiget: nisi forte prudentius videatur, hujus sæculi communis adulandi necessitas à plerisque Theologis valide commendata, nempe, quod hodie hominum & Reip. status & publica negotia non ferunt, strictas magis opiniones, sed illas quæ in moderata latitudine ambulare permittunt, ne conscientias nodo inextricabili inliciant; quod, an securius, prudentiores viderint.

COROLLARIUM,

TOTIVS ARGVMENTI.

QUO

Ratio differentiæ expenditur, quare Chocolate violetur Jejunium, & Vino non solvatur; licet ambo in ratione potabilis conveniant.

Quia brevitas vices explendi unico argumento non tulit totius argumenti solutionem, ideo illam huic Corollario distulimus, ut inde luce clarius liqueat, quare *Chocolate* violetur *jejunium*, & Vino non solvatur; dum vera utriusque differentiæ ratio expenditur.

Quia validioribus nervis, in re gravi & seria, nostra opinio valida desiderat jacere fundamenta, ideo ad vini essentiam accedit prænoscendam, (nam de essentia Chocolatis jam diximus) ut inexpugnabili fundamento vix quati patiatur.

In vino quatuor partes, & diversas substantias constat prænovisse Galenum 4 de Simpl. med. facult. cap. 3. nempe *fœcem*, quæ terream æmulatur naturam, & semper amat in vasis ima tendere; & secundo aëream, quæ ab illo *flos* dicitur, quæ musto supernatat, ac ebullitionis occasione postea fundum petit; tertio *aquosam* toto Vino permixtam, & quarto singularem & propriam substantiam, quæ remanet depurato & defœcato vino, & dicitur *Vinosa*. In quibus, ut diversis substantiis, diversæ temperies subsistunt; nam in *fæce*, frigida & sicca temperies elucet: in *flore*, calida & humida, dum vino supernatat, (nam postea fundum petit) in *aquosa*, frigida & humida prævalet; in *vinosa* substantia, & calida & sicca; quæ est vini gentilitia & nativa temperies, dum maxime ab aliis substantiis depuratur: sed hæc & illa, cum tempore mutantur; nam 4 Simpl. 11. si credimus Galeno, dulcedo cum acerbitate perit: hæc cum austeritate, caliditas vetustate intenditur.

Vinum etiam duplicem calorem obtinere, constans est doctiorum sententia, nempe elementarem, & suæ nature gentilitium, humidũ cum sicco coërcentem, & alium vitalem, qui animæ comes est, quia veluti à vivente corpore defluit, nempe à vite, ex qua racemi vegetabilem virtutem acceperunt, & expresso liquori postea tribuerunt: duplicem etiam humiditatem, ut calorem, sortitur; quarum altera est innata, in ipsamet substantia; altera nutritia, si non verius ascititia, ab anima, nempe, olim vite, è qua diffluxit: quæ humiditas & calor, licet vino ab externo principio adveniant, fiunt tamen illi naturalia & cognata: quia duo accidentia ejusdem speciei conveniunt in sua ratione formali; qup fiunt unum numero; ideo non sit mirum, ut ex ipsis duobus caloribus unicus constituatur in vino, & vere naturalis, qui non in indivisibili consistit, sed quadam veluti latitudine; nam modo major & modo minor est, pro diversitate locorum, & situum, ubi plantæ nascuntur; nam à calore solo major intensiorque tum elementaris, tum vitalis calor communicatur; quod certe patet, ex provinciarum diversi-

tate,

tate, seu locis æstuosis, ubi sol calorem intensiorem præstat, veluti in Hispania, ubi vina calidiora, magisque generosa sunt; & non ita in Gallia, nec aliis Italiæ provinciis.

Ita pariter in vino duplex inest humiditas vinosa, nempe substantia, qua in humido fit partium conjunctio, quæ est propria & genuina vini substantia: altera humiditas in aquosa illius substantia reperitur, quæ ex alimento contrahitur; nam dum uva viti adnata pendebat, ad eam humor quidam aqueus, tanquam alimentum proprium confluebat, talemque humorem separata uva retinet, ne dum in vini substantiam conversa, imo vinum ab uva expressum, eundem sibi mixtum habet, idemque diu cum ipso vino cohæret.

Cum ergo vinum duplicem calorem in duplici humiditate radicatum sortiatur, necesse est varias pati affectiones, tum naturales, tum præter naturam, non tantum in aquea, sed in substantifica substantia: quod etiam probat experientia; nam vinum modo nimia cruditate afficitur, si humiditas illa adventitia longe lateque super primam & naturalem exuperat; modo perfecta maturatione in propriam substantiam redigitur, ascititia absumpta humiditate, & puriori reddita vini propria & nativa substantia, quo ejus proprium nativumque humidum, per coctionem in illam singularem substantiam conversum, vinum reddit suave, & alimento pronum, & gratum certa quadam dulcedine: nam, ut antea legimus ex Galeno, in quo etiam consentit Aristoteles, *Omne coctum dulcedinem assequitur, quo fit nutritioni aptum*: illa tamen vino accidit, tum à proprio, tum ab ambientis calore, ascititia humiditate exoluta; si non arte etiam comparatur: & hæ quidem alterationes sunt vino naturales.

Sunt tamen aliæ non à propria vini natura, sed ab externo alterante inductæ, dum nempe vinum putrescit, aut in alienam & peregrinam naturam & substantiam commutatur, aut acescit: hoc patet apud nostros; & ab ambientis calore experitur, dum tempore æstivo, æstus intentione incalescit; nam exinde ebullit, ex ebullitione corrumpitur, & in liquorem insulsum commutatur, si non plane insipidum, & quibusdam veluti filamentis contextum, quod apud nostros dicitur (*vino ahilado*) pariterque mutatur, quandoque in acetum, dum nempe vinum tenue, & dilutum, seu dum aquea humiditas exundat, cum debili calore; tunc enim vino accidit, (Galeni ex animadversione) quod parvæ flammæ, dum à magna repente obsidetur; hæc enim caloris paucitas, est causa, ut interminata humiditas facile separetur, & calor, ab ambientis calore attrahatur; calor enim insitus pro tanto humido debilis ab ambientis calore, tanquam à simili educitur, seu ille sit vitalis, seu nativæ etiam mixtionis; quo humidum à sicco separatur, & mixtio dissolvitur: ideo sane vinum natura tenue, sive aqua dilutum, est in corruptionem putredinemque proclive: si verum est, quod in ea separatione humidi proprii à sicco putredinis essentia consistit; cujus manifestum inditium est ipsa ebullitio.

Ideo forte merum & generosum vinum, quod minus aquei participat humoris, haud facile putrescit, sed potius acescit, quia minus nativus calor ab ambientis calore alteratur, evocaturque; nec ita facile hæc mixtio dissolvitur; fit tamen aliqua in vino putrefactio, quæ est quædam evocatio caloris elementaris humidique primigenii, à quo partes habent continuitatem, dum eo perducitur ut separatio humidi à sicco, licet non perfecta insequatur; unde vini conversio in acetum.

Illa tamen est differentia inter vini corruptionem, dum in aliam naturam permutatur, ac dum in acetum degenerat; nam in mutatione in acetum, una cum vitali calore, humidum aqueum dissolvitur, superest tamen proprium humidum, una cum mixtione proprii caloris, sed magis exsiccatum; ideo enim acetum magis penetrans, tenue, & magis acre redditur, interna & propria humiditate cum sicco exactissime permixta; ideo etiam manet vino frigidius, quia ad humiditatis absumptionem, sequitur etiam vitalis corruptio caloris: dicitur tamen illa putredo non propria, sed per quandam veluti analogiam ad veram & propriam putredinem, in qua humidum interminatum à sicco separatur, vi caloris externi, ut 4 meteororum auctor est Aristoteles; nam immediate in vino, ab ambientis calore, & calor vitalis elicitur, & humidum dissolvitur aqueum; imo sine illius exhalatione hoc quandoque consumitur; ideo videmus quod vinum novum haud facile acescat, sed vetustum dumtaxat, ex cujus conversione in acetum, humidi resolutionem interdum minime sequitur, caloris corruptionem, maxime ubi humiditas à calore arctius continetur: quare in generatione aceti vinum non dissolvitur, quatenus mixtum est, quia siccum, & humidum, elementaria, in eo unita vigent, & superant, sed quatenus vinum æmulatur viventia, ut semen plantæ: dum nempe dissolvitur calor à vite, in suæ generationis principio acceptus; hæc de vini essentia, ejusque alterationibus, & conversionibus, ut dignoscamus, vinum secundum omnes ejus species, nec semper nec in omnibus uniformiter alere, sed in quibusdam, neque minimum quidem alimenti præstare. Adeoque si fas sit nostrum judicium huc in medium adducere, non tantum reor nobis vinum præstare alimenti, quantum digestionem aliorum ciborum, adjuvando naturam potu gratissimo reficere, sed maxime fluxili alimento, & quod non ita diu durat, utpote in quo potius prævalet ratio potionis, quam alimenti ratio; nam si ad varias vinorum species attendimus, invenimus, uti vinum vinosum, sic etiam *oligophorum* vinum; ut dulce, sic austerum: & sic in vino virtutis robur alia vina superat, non tantum qualitate sed substantia; sic in oligophoro, aquosa, fluxilis & humida substantia, vinosam superat, ideo minus alit; ut inter frigida à Galeno etiam numeretur: in dulci vino, vinosa & aquosa substantia, æqualiter permixta, gratum saporem affert, minus tamen inebriat: de quo Aristoteles in 3. problematum; austerum magis roborat, & magis de vinosa substantia participat, cum quadam grata adstrictione, sed minimum quidem præstat alimenti, licet spiritus robustiores creet.

In eo cuncta illius argumenti vis sita potissimum erat, quod in eo conveniunt vinum & Chocolate, quod utrumque pariter præstet corpori alimentum, & in communi usu inter potabilia numerentur. Quo si vinum jejunium non solvit, ergo

go nec Chocolate; aut assignanda ratio differentiæ. Hæc est omnium rationum potissima; sed his omnibus ad libitum concessis, (quod & nos ultro damus) non video apud omnes receptum, in vino rationem alimenti, potionis rationem superare, unanimi consensu: quod tamen supponit contraria sententia: nam apud Medicos vetustissimos legi, hanc quæstionem jam olim agitatam valde controversam; *An in vino prævaleat ratio alimenti*: & tantum abest, ut sit stabilitum, sub illo alimenti pretextu, ut adhuc sub judice lis sit: quæ fortasse potissima olim extitit ratio, quare Patrum Ecclesiæ judicia, in ancipiti & dubio negotio tam diu teneret in ancipiti: quod si probatur, *Vinum non superare in vera ratione alimenti*, satis manifesta ratio differentiæ elicitur, quare *Vinum jejunium non solvat, & Chocolate violet*.

Legite ergo in Galeno 3. de aliment. facult. cap. 40. titulo *de Vino*, ubi ita de proposito argumento loquitur; *Vinum quidem ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt*. Omnes fatentur: modo, si quidquid alit, cibus est; vinum etiam in genere ciborum est apponendum: quidam tamen Medici negant, id cibum esse appellandum, quod potius in sermone quotidiano cibo sit oppositus; quin potio etiam appellatur, ut cibus esca, & edulium: ob eamque causam vinum nolunt vocari alimentum, quanquam alere ipsum non diffiteantur: quod unum in præsentia requirimus; quod si alias quasdam materias alere quidem concederent, alimenta tamen nominare vetarent; omnium earum doctrinam in unum volumen conferemus; cum autem solum vinum nolint appellare alimentum, tametsi ipsum nutriat, permittant nobis tractui de alimentis, brevem de vino sermonem adjungere: quas enim vires Hippocrates 3. acut. à sententia 1. deinceps enumerat, non ut alimenti sunt, sed magis ut medicamenti: illas quidem & in 3 commentariorum, & in methodo medendi ac sanitatis tuendæ libris exposuimus; (nempe qua vices medicamenti gerit, non alimenti.) in præsentia vero ipsius differentias in alendo sumus tradituri, sumpto hinc initio: vinorum omnium rubra simul & crassa sanguini generando sunt accommodatissima, ut quæ minima egent mutatione, ut sanguis fiat: post ipsa sunt nigra, crassaque, & dulcia; tum quæ colore quidem rubra sunt, & nigra, consistentia autem crassa; una cum adstringendi qualitate; his autem minus sua natura alunt, quæ alba sunt, simul ac crassa, & acerba; consistentia autem tenuia, & aquis hydromeliti faciendo appositis quodammodo similia: constat præterea, quod quemadmodum illa corpori alendo, tenuioribus sunt præstantiora, sic ista ad urinam ciendam commodiora.

Duo ex hac Galeni doctrina elicere nos docuit sapiens Medicina: primum, quosdam ex illis vetustissimis Medicis absolute negare, in vino alimenti rationem potabilis rationem superare; imo illud esse absolute potum, utpote in quo potabilis ratio superat rationem alimenti: hoc patet ex contextu, *Si cibo est oppositus, & potio etiam appellatur, uti cibus esca, & edulium*: Et secundo elicimus, inter illos Vetustatis Auctores (inter quos est Hippocrates) vinum potius inter medicamenta numerari, quam inter alimenta; nam si Hippocratem consulimus 3. de victus ratione in acutis, à sententia 1. ad 8. & Galenum in suo libro methodi & 1. ad Glauc. 14. & 3. de Sanitate tuenda per totum inveniemus, ibi solas vini vires uti medicamentum expendere: & libro de simplicibus med. titulo *de Vino*: *Vinum album*, inquit, *maxime diureticum est*: & libro de Attenuante diæta, cap. 12. *Alba vina maxime per urinas secedunt*: & 7 Meth. 6. clarissime explicuit per *album*, quale Vinum intelligat: *Nam aquosum natura appello Vinum* (inquit) *quod tenue est, purum, & oligophorum*: ut Hippocrates Græce nominavit: Antiqui legerunt quod *tenue est, & album, & splendidum*: est autem *oligophoron*, quod si diluatur, minimam sustinet aquæ mixtionem, id est imbecillimum &, ut in vinis, aquosissimum.

Nec ibimus inficias, Vinum inter alimenta etiam adnumerari, sic *rubra* simul & *crassa* Galenus sanguini generando aptissima commendat, ut & *nigra, crassa, & dulcia*: & inde per gradus descendit ad illa quæ minus certe alunt, uti *alba, crassa, & acerba*: & ad illa quæ minimum, ut ad vina *tenuia, aquea, oligophora*. Ex qua doctrina ex iisque præmissis, necessaria consequentia elicitur, ex multis vinorum differentiis unicum saltem, aut duo corpori alimentum præbere; (si hoc ab omnibus accipitur, quod non facile dabunt) & potabilis rationem superare; cætera vero tam multa, ut pene fidem superent; à contrario, in ratione potus, superare illam communem rationem alimenti; magna est ergo & valde conspicua ratio differentiæ, inter vinum & *Chocolate*; nam hæc in se, & in omnibus suis speciebus (nulla dempta) semper alit, ut nunquam in illo potus ratio superet rationem alimenti. è contrà & in vino si prævalet in uno, in cæteris (quæ pene infinita numerantur) superatur.

Nec me latet, quod ex eadem materia, ex qua fit cibus, fit etiam sorbitio & potus, ut etiam credidit prudentissimus senex libro de Veteri Medicina; licet Aristoteles 1 Problem. 56. potum de sola frigida potione intelligat, quæ sitim sedare valeat, quando dixit cur in febribus, & sæpe & paulatim potio dari debet: dixerat enim 2. de anima 28. sitim naturalem esse appetitum frigidi & humidi externi, pro reficienda simili substantia, interna jam absumpta: illud tamen est differentiæ inter potum & potum, (alimentosum nempe & potabilem.) nam duas habere debet conditiones potus humidus (in quo prævalet ratio alimenti,) qui pro calidi innato alimento datus est, nempe ut in multa sit copia commensurata, & proportione respondenti, ut ad aëream pinguedinem, & lentorem accedat potius quam ad aqueam substantiam; ut sic necessarium præbeat corpori alimentum: liber ergo ab omni passione judex esto ad litem, in quo magis prævalet aërea pinguedo, alimentosusque lentor; in vino, an pretiosa potione Chocolatis? non deerit qui judicet in Vino; in Chocolate tamen prævalere, nobis ratio & veritas suadet: nec defuit venerabilis Antiquitatis auctor, qui existimet, priscis illis temporibus Vinum, quod in usum traducebatur, dilutum omne fuisse: ut adnotavit Lud. Septalius sect. 3. problem. 17.

Si ergo uniformiter Vinum, ut Chocolate, aleret,

aleret, in omnibus suis speciebus, & in illo esset pinguis, pariter dulcis, & alimentosa substantia, nos, proculdubio, de illa paritate convinceret; sed ita longe aliter accidit, ut videbitis: attendite quæso quam magna Vinorum fuerit olim varietas, & quam à proposito instituto argumenti aliena: nam Galenus 3. secundum locos 2. vina fulva, calida: *acerba, frigida sunt*: inquit; ut etiam 2 Aph. 21. & 4. de Simpl. med. facul. 14. persimile quid vinis accidit, quæ natura frigidiora sunt, quale flammis exiguis & imbecillimis, dum à majori flamma superantur: sic illis accidit ab externo calore: & 1. de Antidotis 3. reperiuntur quædam vina usque adeo frigida & aquosa, ut ne minimum quidem aquæ ferant: & 3. de facult. ultimo, Vinorum, quod album est, & purum, tenuitatis gratia prompte in corpus digeri: è contra vero nigrum & turbidum: si ergo non est uniformitas in Vino, in alendo, nec in vivifico nectare instaurando; uti in Chocolate experimur: nulli dubium erit, magnam disparitatem indicare inter vinum & nobilem substantiam Chocolatis, licet in potabilis ratione conveniant: quo certe manifeste convincitur, Vinum ideo jejunium non frangere, & à contrario Chocolate, jejunii abstinentiam violare.

Illud ultimo notare volui, in usu illius potionis, quod non sunt ad potum Chocolatis cohibendi, quorum appetitus illius potioni non inclinat; sunt enim tempora sive neutralitatis, seu morborum status, quibus ipsa natura, quodam veluti imperioso magisterio, ab illius potione dissuadet; veluti, dum stomachus eximia cruditate laborat, alvi fluxu dissolvitur, febre, aut calida intemperie lacessitur: vidi etiam picrocolos, & artriticos, Chocolatis potionem aversari, dum iis morbis acrius detinerentur, aliis aliter temporibus illa suaviter utentibus.

APPENDIX,

Ad nostram quæstionem, DE

CHOCOLATE,

An cum jejunio ecclesiastico sit compatibile?

Si *Chocolatis* ingredientia sub propria forma sumerentur, supra parvitatem materiæ, jejunium frangerent procul dubio: ergo & aqua dissoluta & vi ignis permixta: si propria forma cujusque non mutatur, illius artificio. Patet antecedens ex omnium consensu: probatur consequentia à priori; nam à posteriori jam probatam reliquimus: esse nempe illius alimentum, incompatibile cum Ecclesiæ fine Abstinentiæ.

In Chocolate illud est primo supponendum, quod est quædam rerum mixtio, ex qua resultat, non tantum suavissimus potus, sed alimento validus, in illa tamen substantia potabili, sub illo magisterio permixta, an prævaleat ratio alimenti, nobiliora solicitat ingenia: & dato quod prævaleat; an cum illa potione Ecclesiastica servetur Abstinentia? cujus decisionem nunc expendimus: hoc autem forte elicietur, si mixtorum differentiæ expendantur: quare tripliciter consideratur mixtio, primo pro rerum mixtarum cumulo, seu multarum rerum aggregatione, similium, sive dissimilium, quæ sub cujusque forma cumulantur; sit nobis exemplum lapidum cumulus, piperis, tritici, aut similium: secundo modo potest considerari mixtio, dum diversæ substantiæ, in partes minutissimas redactæ, simul permiscentur ad invicem, rerum servata forma, sed mutata figura mixtionis: nempe dum piper, cinamomum, odoriferæ vaginulæ, & cacao, in pulverem tenuissimum redacta, sunt ita ad invicem commixta, ut res una videatur unita, sed partes minutissimæ, unaquæque suam formam conservat: tertium mixtionis exemplum est, dum mixtio pro unione miscibilium sumitur, in quibus post mutuam actionem & reactionem propriis formis corruptis, alia supervenit forma substantialis & mixta, à qua informantur miscibilium materiæ, quæ remanent, prima corrupta forma: ut omnia quæ ex terra & influxu cœlesti generantur, & pleraque alia, quæ virtute ignis dissolvuntur; cujus actione & reactione prima forma corrupta, alia introducitur à virtute agentis, qui ultimam dispositionem in hæc miscibilia induxit.

Est & alia mixtio naturalis, in qua res ipsæ per minimas partes uniuntur, quadam necessaria & naturali unione, in conservationem partium unitarum, quæ ita eas continet & coërcet, ut cedant omnes in finem, in quem mixtio destinatur; sit nobis exemplum massa sanguinaria, in qua humores diversis elementis symbolici, ita inter se uniuntur, ut omnes in corporis alimentum simul cedant: sed in hac mixtione ille semper observatur excessus secundum partes illius elementi, qui in illa productione prævalet; quo fit ut miscibilium partes vehementer coërceat, & habeat commixtas toto tempore quo in statu permanet naturali, quia vinculo naturalis unionis partes consociantur. Fit & alia mixtio, quæ non est naturalis

turalis respectu conservationis, sed respectu novæ mixtionis, quæ exinde supervenit; & hæc per veram mixtionem fit, quæ est miscibilium alteratorum unio, formis corruptis & substantifica alia forma superveniente illis, per quam aliud mixtum resultat, quia non compatiuntur inductæ dispositiones, cum prima mixtione. Fit & alia mixtio, ratione cujus non corruptis miscibilium formis supervenit, quid aliud ex illis, quod accidentaliter commixtis supervenit; & sic manent permixta, sed sub propria forma unumquodque mixtorum, licet valde permixta; sed alia figura: sit nobis exemplum potio chocolatis: in aqua dissolvuntur illa ingredientia, saccharum, nempe, cacao, vaginulæ, cinamomum, & alia in pollinem redacta; & in hac mixtione ignis & aquæ ratione supervenit quid aliud à permixtis non corruptis miscibilium formis, sed quid accidentale, ratione illius magisterii, quod dicitur potus, nempe forma & figura mutata, non miscibilium, sed illius substantiæ à solida ad potabilem formam, quæ est tantum accidentalis mutatio: quæ ideo dicitur *chocolate*, quia in illa ingredientium mixtione illa potabilis forma dominatur, quæ est nomen illius mixtionis, quod priores Indi imposuerunt illi alimentosæ potioni: quæ est tanquam reliquorum forma, non vera, sed alia per illam mixtionem acquisita, nempe accidentalis, ex vi aquæ & ignis, quæ apparentem mixtionem induxerunt, non transmutationem: patet hoc idem vel ad sensum; nam gustus de dulcedine perhibet testimonium, quæ sacchari formam non mutari testatur: odor cinamomi & vaginularum, formam adhuc in illa mixtione persistere, suadet: visus nos certiores facit de ingredientium colore, propriis non corruptis formis: & corpus universum, (mixtum nempe) fidem facit, de grato alimento, & virtute aromatum, quo reficitur secundum partes illius elementi, quod prævalet in illa mixtione; quo certe manifeste convincitur, formas elementi prædominantis, in illa mixtione persistere, si unumquodque mixtorum suam præstat actionem, quæ à forma dimanat, secundum formam quam à natura in sui prima productione accepit; saccharum nempe, cinamomum, &c. Et secundum prædominium elementi in illa mixtione.

Dices fortasse, quod miscibilium formæ à naturali vinculo separantur, ignis & aquæ virtute, & illius artificii, quo elaboratur Chocolate, ut inde alia sequatur miscibilium unio, ab alio principio, seu ab alia forma, dum prima & solida corrumpitur: nam *corruptio unius, est generatio alterius*, in vera Philosophia: dum à forma illius elementi, quod prævalet in illa subsequenti mixtione, nova illi adveniens mixtio conservatur: uti accedit, dum alia substantia corrumpitur, & ex præexistentibus ex illa elementis, nova sed diversa mixtio producitur in ente in quod degeneravit.

Hæc est major instantia quæ nos potest urgere: sed huic respondemus, quod tunc prima mixtio non potest conservari, neque mixtorum forma, quando omni temperie eversa, ad contrarium præexistentis fit valida mutatio, dispositionibus contrariis inductis: nunc illud restat expendere, an ex virtute recens advenientis mixtionis, quæ fit simplicibus ad partes minutissimas reductis, & in aqua permixtis, temperies illorum ad contrarium præexistentis formæ permutetur, omni temperie eversa, non tantum ingredientium, sed totius mixti, quæ ex illorum mixtione resultat: & est luce clarius, hoc non accidere in illa mixtione chocolatis, neque virtute ignis, neque totius etiam magisterii: patet, quia actiones quæ à forma dimanant, quæ antea erant, & quæ sequuntur postea ad illam mixtionem, omni chocolatis magisterio peracto, per se & per partes illucent, & clare observantur in ipso chocolate: caliditas nempe, aromatica virtus, & alimento valida, quæ in singulis simplicibus observabantur antea, ut postea in mixto, ex quo clare convincitur, ad contrarium præexistentis formæ non mutari; nam illud tantum accidit in vera Philosophia, cum prima substantia & mixtio corrumpitur ab agenti contrario & valido, ut inde nova pullulet mixtio, si verum est (ut intendit objectio) quod corruptio unius, est generatio alterius; nam loco præexistentis unionis, alia elementorum mixtio accedit, rebus in illis quæ primam unionem essentialem amiserunt: quia non potest materia prima esse absque ulla forma substantiali: & in hac mixtione chocolatis, dum in aqua dissolvitur, & vi ignis miscetur, illa ingredientia substantialem formam non amiserunt, sed in partes minutissimas permixta, ita se ad invicem penetrant & miscentur, ut unum videatur: attamen unumquodque illorum pristinam servat formam substantialem, mutata tantum figura mixtionis à solida ad liquidam: attamen in hoc casu aliud quid supervenit in nova mixtione, quod accidentaliter hanc mixtionem mutat, non substantiam, non formam miscibilium, nec illorum temperiem, sed hanc solam figuram: quo fere accidit, ut miscibilia in illa secunda mixtione propriam retineant essentiam, quæ illorum formis debetur; nempe si sint alimento dicata, ut sint alimentosa: si roborantia, ut facultates roborent: si instaurantia, ut calorem vivificum, & nectar purissimum instaurent.

Et hoc ipso argumento convincitur, illam mixtionem non esse suo stricto jure potionem, sed strictissimo jure alimentum, cujus est definitio, *Alimentum est illud quod potest converti in aliti substantiam*: & quia forma potus essentiam non mutat; hoc enim est alimentum potabile, ut aliud dicitur *solidum alimentum*; patet in juris carnium & lactis paritate, quoniam hoc & illud, licet sint vere potus, sunt simpliciter & strictissimo jure alimenta potabilia: neque obstat, alia potabilia esse potui dicata, alia alimento, ut hinc eliciatur, chocolate dicatum esse potui, non alimento: illa enim dicatio strictissimam rationem alimenti non excludit, ut tantum maneat sub ratione potus: quoniam sola figura differunt alimentum potabile & solidum: ut non sit excusatio, quod chocolate sumitur ut potus, & non ut alimentum: hoc enim quisque potest ad libitum proferre, & se ipsum & alios decipere, qui de veritatis examine non curant: dum sub illa opinione bona fide persistunt; neque nobis satisfacit, quod à pluribus in communi existimatur potus, si in propria essentia est alimentum; nam res seriæ & graves, non opinionis trutina debent pensari, sed

Verita-

Veritatis, quæ à rerum essentia desumitur, & non à multorum fallibili judicio: sed res humanæ hodie opinione potius, quam Veritate gubernantur; & illa non probabili, sed utplurimum falsa; si plausum apud plures meretur.

Quare unica & sola restat consuetudo pro defensione *Chocolatis* & contra nunquam satis laudatam Abstinentiam, (ut validius hujus opinionis argumentum;) nescio an à magis temperatis hominibus inducta, quam à populi plausu, absque ullo veritatis examine; nam ubi publicus factus est error, jus quoddam apparentis Veritatis obtinuit ille communis usus, contra finem Ecclesiæ Abstinentiæ justissimum; neque paritas consuetudinis toleratæ collationum valet, quoniam illas labentis naturæ necessitas & somni orbitas & necessitas induxit, & chocolatis consuetudinem sola opulentæ voluptatis illecebra, & liquoris suavitas; nam ante inventum Chocolate, collationes erant, quibus vivebant homines, & non moriebantur: & nunc etiam chocolatis penuria & defectus, in Hispalensi populo, manifeste monstravit, nos etiam posse absque illius auxilio vitam degere.

Si ergo à priori & à posteriori, ab effectu monstratur chocolate esse suo stricto jure alimentum, sub illa ratione *potabilis*, & cum *Abstinentia* Ecclesiastica non esse compatibilem, in *jejunii* die: & illam consuetudinem, non necessitatem ex naturali jure, sed voluptatem, non ita rationalem induxisse: & inter collationes & illam non esse paritatem, clare patet, quod jejunium frangit Ecclesiasticum; quare his omnibus appensis rationibus æqua lance libratis, doctissimi & Classici Theologi (qui in verba parentum non jurarunt) discernant, quod conscientię securius existimant: utpote quibus est commendatum ac præceptum, consuetudines laudabiles Ecclesiæ tueri, conservare, & defendere; deque veritate populum admonere: nobis enim, quod nostri juris est, demonstrare conceditur.

Et quando non tam validæ rationes hanc sententiam securiorem facerent, sat esset sacrum auctoritatis asylum, Reverendissimi, Illustrissimi, ac Sapientissimi Domini, D. F. Petri de Tapia, hujus Hispalensis sedis Archiepiscopi, qui hanc opinionem (nostro nomine classicam) superiori auctoritate & incomparabili judicio, prudentia, & rerum observatione illustriorem fecit, & Theologiæ principiis tutiorem; est enim vir ille certe magnus in Sacra & Angelica Theologia, numero ternario laudabilis, & tanquam Ecclesiæ princeps, qui, si omnis Theologia ab hominum mente evolaret, illam solus pristino splendori restitueret; nam recentem tam superiori luminis claritate ampliavit, ut aliam videatur Theologiam condidisse: quam docti profundo silentio admirantur, & furtim in ea quæ selecta desiderant, transcribunt: est enim facile princeps Angelicæ scholæ, & oraculum hujus nostræ ætatis, &c.

CONFIRMATIO APPENDICIS,

Ad nostram quæstionem,

DE

CHOCOLATE,

An jejunium solvat Ecclesiasticum?

Hoc ultimo placuit confirmari Hippocratis & Galeni sententia: ex nullo enim alio principio securius elicietur veritatis conclusio quam ex ipsa alimenti essentia, potus & abstinentiæ: ideo prius de illis disseremus. Illud proprie & simpliciter dicitur *alimentum, quod ex natura sua facile in aliti substantiam converti tur, & loco deperditæ reponitur substantiæ, secundum necessitatem partium alendarum*: sic legitur 1 de Elementis, porro excedentis immoderationem opposita qualitas emendat, quod vero deperditur, nequaquam per repositam qualitatem reparatur, cum opus sit, ut id quod reparatur, fit priori deperditæque substantiæ, quam simillimum, siquidem in illius locum reficiendum est in animante: atque hoc ipsum nutriri inquam, corpora, ex quadam, nimirum substantia, fit illi simile, quam prius fuerit vacuata: ut etiam, (ceu equidem arbitror,) ea substantia alimentum appellata est.

Cap. 7.

Et cum 3 de Simpl. med. facult. differentiam instituere, inter medicamentum & alimentum, sic loquitur; etenim cum medicamentum ab alimento discerneremus, quod medicamentum in qualitate alteraret, alimentum vero, substantiæ corporis adsimilaretur; & 2 de Sanit. tuend. alimentum in tres species divisit; *Alimentum enim*, inquit, *aliud est quod nutrit, aliud quod quasi nutriens est, & aliud quod nutriturum est*, de quibus omnibus exempla produxit; ubi concludit, *ostensum est duplex esse, quod singulis conveniens est, aliud quod secundum simplices qualitates, aliud quod secundum totam substantiam alit; quod simplicibus qualitatibus, diversis temperiebus aptum est; (nempe calidum calidis, humidum humidis, siccum siccis) quod ex tota substantia idoneum*

Cap. 3.

Cap. 15.

1 de Nat. facult. 8. 9. 10. & 11.
5 Aph. 38.
2 Aph. 17.
6 Epid. Sect. 5. 32.
6 de Sanit. tuend. 3.

neum maxime est, sola experientia discernitur; uti panis, & alia omnia maxime temperata, quæ omnibus naturis idonea sunt.

De Cibo.

Galen. 1 de Elem. 8.

Postquam Galenus 1 de Elementis 8. corpus nostrum secundum minimas particulas, ex quatuor elementis constare dixit; de Cibis sic loquitur: *Quæ item ab illis ortum habent, quibus vescimur, quæque potamus: at hæc ex aëre, igne, aqua & terra, gignuntur: itaque nullus unquam, qui sanæ mentis sit dubitaverit, quod herbæ omnes, stirpes, atque fructus, geniti sint ex igne, aëre, aqua, & terra, neque etiam, quod hæc animantibus omnibus sint alimenta.*

1 de Nat. facult. 10. & 11.

Attamen inter hæc ipsa cibaria quandam differentiam constituit: prælibando prius, quod nutritio sit ejus, quod nutritur assimilatio: ac deinde proprie quidem nutrimentum sit quod nutrit: id vero quod veluti nutriens est, nondum tamen nutrivit, ejusmodi scilicet est, quod agglutinatur, vel quod apponitur, id proprie nutrimentum non est, sed æquivoce; quod autem in venis est, atque hoc etiam magis, quod in ventriculo est, id tanquam nutriturum aliquando sit, si probe concoctum fuerit, nutrimentum appellatur; ad hunc modum edulia; quædam nutrimentum vocamus, non utique quod jam animal nutriant; neque talia sint, qualia sunt quæ nutriunt; sed quod nutritura sint, si probe sint concocta; id namque est, quod ab Hippocrate dicitur nutrimentum, quod nutrit, nutrimentum quod veluti nutrimentum est, nutrimentum quod nutriturum est; siquidem quod jam assimilatur, nutrimentum appellavit, quod vero tale est, quale illud appositum, veluti nutrimentum, reliquum vero futurum nutrimentum.

Inde ad aliam considerationem transcendit, ut quod aquosius est, aut justo calidius, ubi aquæ aut ignis prævalet elementum, fit ineptum corpori alimentum; veluti nutrimentum non sit: & reddit inibi rationem, quia quod aquosius est, aut justo tenuius, aut calidius, nec ad succum sufficienter redactum, nec lentitiam glutinisq; consistentiam, quę naturalis caloris ope provenit, adeptum adhærentiam consequi non valet, diffluente nimirum ac dilabente, ob tenuis & crudi humoris aut excedenter calidi exuberantiam, pro solidis corporis particulis nutrimentum non fit: quod unaquæque pars sibi simile semper alliciat.

De Potu.

Hoc nomen potus deducitur à verbo poto, as, quod est idem ac bibere vel potare, quod æqualiter accipitur, pro re simpliciter potabili, hoc est liquida, ac pro re potabili alimentosa; ut patet ex Hippocrate & Galeno, 2 Aph. citato; nam aqua potatur, vinum, & lac, & jus omne potatur, sicut & omne liquidum, seu pro sedanda siti, seu pro viribus reficiendis, seu sola oblectandi ratione, quod est commune hominibus & brutis; quare potabilis ratio, rationem alimenti non excludit, nec ideo, quod ut potus sumatur chocolate, contra jejunium ecclesiasticum concludit.

De Abstinentia.

Abstinentia (ex Ecclesiæ præscripto) est semel in die comedere, qui jejunio Ecclesiastico tenetur: quare omnia illa (quæ parvitatem materiæ excludunt) quæ alimentosa comedimus & bibimus, erunt contra illud præceptum abstinentiæ: si collationes, usu & necessitate introductas excipias.

Ex hac Hippocratis & Galeni doctrina, clare elicitur, quod allimentum simillimum debet esse parti quæ alitur: & quo plures partes alendo idoneas possideat, partis nutriendæ respectu, illi esse propriissimum alimentum: si loco deperditæ substantiæ substituitur; & cum partes sint aliæ sanguineæ, aliæ spermaticæ, aliæ similares, & aliæ organicæ, aut diversæ naturæ, aut homogeneæ; his omnibus debet adaptari alimentum: quod si tale non sit, quia justo tenuius aut calidius, tanto de lentore aut crassitie minus particeps erit, & tanto minus erit, & ad alendum aptum, si non forte inutile; ideo forte Galenus, 1 de Sanit. tuend. 2. *Cibo igitur*, inquit, *quidquid sicciori substantiæ effluxit restituimus: potione quidquid humidioris, atque ad pristinam ita symmetriam ambo, reducimus: ita vero aëreæ, igneæque substantiæ modum inspiratu, arteriarum pulsu, tuemur.* Et illud videtur accepisse ex Hippocrate, 2 Aph. 11. quando dixit: *Facilius est impleri potu quam cibo: per odoratum etiam reficimur, & tamen nec est cibus nec potus, sed res tantum quæ reficit odore per vapores, quia minore transmutatione indiget*: & in fine hujus commentarii addit, *quod autem humidum alimentum, (nempe potabile) præcipue cum fuerit natura calidum, facilius nutriat, manifestum est iis qui norunt, quomodo coctio & distributio fiat.*

Galen. 1 de San. tuend. 2.

Hipp. 2 Aph. 11.

Galen. in Comm.

Conferamus ergo alendi rationem chocolatis, cum rationibus perfecti alimenti, & inveniemus, chocolate in ipsa ratione potabilis esse perfectissimum, & absolute alimentum: in eo enim inveniemus, quod loco deperditæ substantiæ reponitur: quod vertitur in aliti substantiam similem illi quæ fuerat deperdita, & quod adsimilatur ut quodcunque aliud alimentum, sanguineis partibus spermaticis similaribus pariter & organicis: quod à nostro calore superatur, & quod alit, non tantum primis qualitatibus, sed à tota substantia: & quod ex quatuor constat elementis, ut unaquæque pars necessarium & simile alliciat, ut pro necessitate assimiletur: & tandem, quod sit nutrimentum & cibus; nam & vescitur & bibitur, ut partes sicciores reficiat, humidiores reparet: & illo celebri privilegio, ut minori transmutatione indigeat: & cum humidum alimentum sit facilius, & valentius nutriat, & non tantum communi alimenti substantia, sed forte indicibili.

Et si quis dicat, quod hæc omnia sint vino gentilitia, & tamen quod non frangat: sic pariter posse de chocolate dici, licet sit alimentum & cibus: huic objectioni præter illa quæ superius diximus, alia forte validiora superaddimus: in hoc stat ratio differentiæ vini & chocolatis, quod vinum minus alit & magis alterat; qualitatibus quam alimento nutrit: idque inde potest colligi, quod in vino ignis & aquæ elementum dominatur; nam forma mixta, à partibus substantialibus illius

illius elementi, determinatur ad agendum, à quibus in mixto prævalet dominatio; & cum in vino utplurimum ignis elementum dominetur, ad excessum illius elementi prævalentis, illa mixti temperies declinat, & si aqua ad frigidum & humidum: sic pariter in tenui aut in crassa substantia erit philosophandum; quorum nulla temperies est alimento apta: quia excessus illius qualitatis, partes nutriendo aptas, conterit & consumit, nempe calidas & humidas substantificas, & necessarium lentorem alimenti, ut partibus adhæreat, & inde melius in aliti substantiam convertatur. Non est ad libitum ita crisis; Galeni est judicium, lib. Quod animi mores, cap. 10. qui ex Platone sic effatur; *Vinum animæ tanquam tyrannus quidam imperat; idcirco ab ipso tanquam ab hoste cavendum esse,* Plato inquit; *nam si semel in corpus intraverit, gubernatorem impedit, quo minus, ut decet, navis gubernacula dirigat: milites, ne in acie modeste se gerant, conturbat: judices, cum justos esse oporteat, aberrare, & omnes principes vitiose dominari: nihilque sani imperare cogit. Opinatur enim vinum, calidis vaporibus totum corpus maxime caput replens, appetitrici animæ parti, atque iracundæ, concitatioris motui, intellectrici autem magis præcipitis consilii causam esse.* Hæc omnia, (si veritati velit animus assentiri) facile confitebitur, in vino, accidisse ob qualitates potius, prævalentes ad lapsam intemperiem, quam alimento validas.

Galen. lib. Quod animi mores, cap. 10.

Ideo forte Galenus, 3 de Aliment. facult. cap. 40. vinum inter alimenta noluit apponendum, quia secundum majorem partem alterat, & secundum vaporosam igneam & invalidam nutrit: & deficit illi crassities & lentor, quorum aliud est quo agglutinatur, aliud quo apponitur, quod proprie nutrimentum appellatur, ut antea vidimus ex Galeno, 1 de Aliment. facult. citato; quare vinum est quasi nutrimentum; ac ideo non frangit; at frangit chocolate, quia secundum omnes partes tenues, crassas, lentas, humidas, dulces, & vaporosas, est exquisita & vere alimentum; quia omnes in illo rationes concurrunt, quas Galenus ut absolute nutriat, desiderat; est enim in illo dulcedo, humiditas, crassities, lentor, & nostro calori substantia consocialis, & actio ad conversionem symbolica, quo secundum omnes illius partes promptius in aliti substantiam convertitur: unde etiam ecclesiasticæ abstinentiæ è directo opponitur, tanquam jejunium frangens; & non vinum, in quo similes alendi rationes non concurrunt; nam, sicut per odoratum, vaporibus bene olentibus reficimur, & ignea & aërea substantia inspiratis arteriarum pulsu tuemur; nec ideo jejunium frangimus, licet reficiamur; sic pariter vini aërea & ignea substantia, naturalis calor refovetur, & vires instaurantur, absque eo, quod vere & realiter dicatur alimentum; ut à contrario in chocolate accidit. Et hæc quidem est unica & potissima ratio, (si nos non fallit rei, secundum principia judicatæ, judicium:) quare post sancti Augustini tempora, patres illius sæculi, sanxerunt, quod vini potus jejunium ecclesiasticum non frangeret.

AVXILIORVM CHYMICORVM

IVDICIVM,

Æqua lance libratum.

Licet nobis pleraque Chymicorum non probentur; sunt tamen alia fidem & omnem admirationem superantia: non probatur Empirica, ut quæ soli fallibili fidit experientiæ; improbatur temeritas, & applicandi modus, ut quæ in extremis semper periclitatur; nam promiscue auxilia validis & invalidis, pueris & ætate jam provectis, hyeme & æstate, applicare non timent, omnibus fere in morbis, & singulis ægrotis: verum tamen in arcanis naturæ educati, & qui sola solertia & labore invigilant, abstrusæ Philosophiæ insudant, sunt profecto maxime commendandi: cum non aliter augerentur scientiæ: illi enim morbos omnes ad quatuor principia reducunt, nempe ad salem, sulphur, Mercurium, & tartarum; & in hac analogica Philosophia, à nobis solis nominibus differunt. Hæc enim illud monstrare nititur, corpora nostra quatuor humoribus constare, quatuor elementis symbolicis respondentes; nam per salem implantatum & acquisitum, salitam naturam intelligunt, à primordiis generationis contractam; aut pituitam salitam, nempe & acidam: per sulphur, biliosum humorem, & calidam & tenuem substantiam in illa elementorum mixtione contractam, quæ in quaque parte corporis invenitur, velut perfecto mixto; quæ elemento ignis correspondet: per mercurium, sanguinem & spiritum, & calidam & humidam substantiam, quæ toto mixto, & quavis ejus parte reperitur: per tartarum, utramque melancholiam, sive impuritatem, huic sorti humoris respondentem, & partem corporis spermaticam solidam, quæ huic humoris sorti symbolisat: & illud ideo non tantum considerant in humoribus, sed partibus in omnibus corporis universi, in quibus hæc aut illa elementi conditio dominatur, aut prævalet; sunt enim in quaque parte corporis partes mercuriales, tartareæ, sulphureæ, & salinæ, ut patet in osse, carne, rore, & omni aërea substantia; nam in mixto, aqua & terra molem & corporeitatem præbent, aër

aër & ignis efficaciam ſpirandi. Et neque in hoc valde hallucinari videntur : (nullus enim eſt tam admirandus error, qui patronum non habeat) nam huic opinandi rationi cauſam divinus Plato dedit, in ſua ideali Philoſophia; qui elementa, in corpore humano, febrium eſſe cauſas conſtituit: quod non ſimpliciter, uti verba ſonant, intelligas, ſed illam elementorum partem quæ in mixto ſuper alias prævalet, (dum in illa mutatione hæc aut illa intenditur,) prout eminenter in illa continetur;) nam ignem, pro tertianarum generatione conſtituit; aërem, pro quotidianis; & pro quartanis, terram; nempe ſecundū rationem ſymbolicam elementi, & morbi ab illo producendi.

Et hinc variæ in corpore morborum ſortes generantur; nempe quando ſulphur accenditur, fit febris: quando ſalis natura coagulatur, in veſica aut renibus lapides generantur, & quando magnam acquirit acrimoniam, epileptia: quando partes mercuriales ſupra naturalem ſtatum intenduntur, febres ſanguinis: quando tartaro reſpondentes humores, morbi melancholici fiunt, renitentes & chronici: quod etiam variis modis accidit; nam quando Archæus, ſeu corporis natura indignatur, per admixtionem rei extraneæ, ſeu per impreſſionem peregrinam, ſeu tandem per indignationem ab errore, fit triplex genus febrium in illorum ſententia, nempe quando ſulphur quod bilem repræſentat, ſeu calore extraneo intenditur, ſeu abundantius quam par eſt generatur, febrem ardentem creat, ſeu ſolam ex bile tertianam: ſeu quando illi cauſa aliqua calefaciens admiſcetur; ſeu tandem cum per extraneationem, (dum nempe viribus ignis operatur ut Hippocrates dixit) ſeu per pravam uſtionem aut putredinem corrumpitur, tunc per peregrinam illam impreſſionem peſtilens & maligna producitur; ſive ſit in Mercurio, ſulphure, aut tartaro & ſale: ſeu quando ab errore, aliqua ex his qualitatibus ſive ſubſtantiis admiſcetur, ex victu, aut cæteris rebus non naturalibus; tunc enim indignatur Archæus, ſive ipſa natura, & morbos ſeu ab interno principio producit, veluti hectica, ex ipſa forma ſubſtantiali ſpermaticarum partium, ubi calor accenditur, ſeu ubi partes ſalitæ ſive mercuriales, à ſtatu naturali ad præternaturalem dejiciuntur, ab interno ſeu externo principio ad habitum ſeu diſpoſitionem: tunc enim Archæus hac indignatione inſurgit, ut rem extraneam; (ut ſe ipſam tueatur) à ſe pellat: unde vehementiſſimi caſus criſes edunt, ab ipſa natura laceſſita: ſi non antea ſub onere indignata ſuccumbat: unde vehementes partitur & edit alterationes, ex quibus morbi graviſſimi emergunt.

Et quando Paracelſus & *van Helmond* in mente febrem conſtituunt, à vehementiſſimis animi paſſionibus veluti ab externo principio emergere, non ſine ratione exiſtimamus: ſunt enim ex illis qui ex anima in corpus morbi refluunt, ut divinus etiam exiſtimavit Plato in Timæo: quare non eſt omnino damnandus Paracelſus, nec illius etiam ſectatores ſunt opprobrio digni, ut omnibus Methodicis videtur, quando ſal, ſulphur, & Mercurium, omnium morborum conſtituere principia, contendunt: ideo enim febres ad morbos ex ſulphure reducunt, ex ſanguine, & partium humidarum ſubſtantia ad Mercurium, ad ſalem & ſalitam impuritatem ex pituita, & ex utraque melancholia ad tartarum: & quando dixerunt, quod ab hac ſubſtantia deturpatur Archæus, ſi illud uti decet conſideres, idem certe erit, quod his morbis naturæ perfectio & pulcritudo veluti defœdatur, à ſuo ſplendore, dum morbus corrumpere intendit; nam ſub illis hujus obſcuratur ſplendor: & ideo indignatione deturpati Archæi, alium veluti morbum patitur, ab indignatione concitatum.

Ad horum intelligentiam alia etiam admittere oportet, ex ipſo Paracelſo, Angelo, Sala, & *van Helmond*; quod illa medicamenta chymico artificio adinventa, habent certam & infallibilem analogiam, non tantum cum morbis qui ab his ſubſtantiis producuntur, ſed cum partibus corporis, quæ participant, de ſulphure, ſale, tartaro, & Mercurio: non tota cum toto, ſed pars ad partem cum corpore noſtro, nempe per ſuas qualitates, virtutes, & operationes, quibus conſtant, ex quatuor elementorum mixtione: non tantum ob ſolam ſtructuram, & compoſitionem ſimilem, ſed ob ſimilia principia elementorum, & generalem conſenſum, quibus conſtant, ad proportionem Microcoſmi, partium nempe natura, & medicamenta; nam licet corpus illud durum, fixum, in mineralium genere, incombuſtile, nullam cum animali quoad externam formam convenientiam ſortiatur, habet nihilominus partes mercuriales & ſalinas, quas natura noſtra appetit vehementer, & quibus uti ſimilibus conſervatur, ut patet in oſſe, carne & ſanguine, quibus correſpondent chymica in ſale, mercurio, & qualitate: hinc eſt quod ventriculus inſulſa reſpuat, & adſtringentia & roborantia appetat; nam partes ſpermaticæ chymico ſale gaudent, caro mercuriali, ſanguis aërea & humida ſubſtantia; quis ergo mineralia cum corpore humano, nullam analogiam habere inficiabitur? hinc certe ſal naturæ implantatus, hoc eſt, partis ſpermaticæ ſubſtantia ſalita, externum illud ut mercurialis aquoſum, ſulphurea pinguem ſubſtantiam, ad ſui conſervationem, & durabilitatem æquabili proportione expetit; hinc forte ipſa natura docuit, condire alimenta ſale & aromatibus (quæ in his qualitatibus æquali proportione correſpondent) ne fluida & humida ſubſtantia, inſulſa ingenita corrumperet; forte ut roborarent: hinc etiam ſpiritus vitrioli & ſulphuris, licet longe diſtent à corpore humano, aliis tamen qualitatibus virtutem corpori humano convenientem, præſtare experimur: quod mirum, nonne ex liene in ventriculum, acida & auſtera regurgitat pituita acerba melancholia, quæ aciditate & corrugatione famem concitat, excitat appetitum, faſtidio medetur? non tantum ventriculi actiones adjuvando, ſed ventriculi orificium, ad cibos amplexandos comprimendo: quibus proprietatibus ſpiritus vitrioli unice correſpondet; dum juxta aquæ convenientis proportione admiſcetur; ut illius acrimonia temperetur; ſtomacho maxime humorum lubricitate relaxato, & in attractione, concoctione, & retentione deficiente; vix enim aliud medicamentum invenire par erit, hoc ſpiritu vitrioli efficacius, ſi methodo & ratione adhibetur.

Et dato, quod nulla esset inter hæc medicamenta & corpus analogia, ad recte & ex usu medendum, sufficit contrarietas: nam *contraria contrariis medentur*: ut etiam Methodicæ Medicinæ axioma, ut analoga analogis conservantur, dummodo sint aut causæ aut affectui contraria, ut nos alibi diximus, dum illud axioma exposuimus, nempe dum affectus corrigitur, aut depellitur causa: & sic videmus quod spiritus vitrioli viscosam & tartaream materiam tenuat, & incindit, æstum febrilem & ebullitionem mitigat, putredinem coërcet, subtilitate penetrat, quo tartara expellit, vias urinæ mundificat, blanda adstrictione laxata densat, viscera interna corroborat, & cum conserva betonicę ad guttulas tres epilepticos juvat, capitis dolores à bile sedat, vertiginem delet, visum acuit, auditum & memoriam humiditate perditam restituit, cordis palpitationi medetur, anhelitus fœtorem curat: in gonorrhœa putrida, & albo muliebri fluore, est nobile auxilium: & tandem in febre pestilenti & maligna, in febre syncopali humorosa, ex fermentata & maligna putredine mire auxiliatur.

Nec quis credat, quod hæc ipsa auxilia non valeant methodice etiam applicari, secundum nostræ artis principia & præcepta; nam si morbus incidit ab excessu cujusque elementi, quod prævalet in affectu aut causa, à quo Archæus indignatus, ad sui expulsionem insurgit: sic pariter ars chymica, ratione & methodo, auxiliis à chymicis inventis, à sordibus impedientibus liberatis, per sublimationem & per ignem, excessu elementi contrarii medetur, sive in qualitatibus, seu expellendi vi, seu alio excessu corrigendo, sive in plenitudine demenda, seu utcunque servetur contrarietas: quo sane haud immerito reor, quod in indicationibus adimplendis, à methodicis solo nomine differunt vere cordati & Philosophi chymici; si ab hac operandi ratione excipias agyrtas, circulatores, & empyricos etiam imperitos; nam in triplici sorte sunt extracta, sive ex animalibus sensitivis, ut sunt terrestria, aquea, & aërea, ejusque partes principales; secundo ex vegetabilibus, ut sunt arbores, frutices, cortices, herbæ, folia, flores, fructus, succi, & semina, gummata, balsama, & resinæ: tertio ex metallicis quæ visceribus terræ per juxta-positionem, sive accretionem adnascuntur, ut metalla, lapides pretiosi, corali omne genus, margueritæ, antimonium, sal, vitriolum, &c. nam hæc in triplici classe comprehensa, tota cum toto, seu pars ad partem, habent cum corpore nostro analogiam, & pleraque membra principalia respiciunt, & quædam aversantur, secundum planetarum dominatum, qui ad hanc aut illam actionem inclinant: quis non considerat, tamarindorum extractum, scorsoneræ, tormentillæ, esse non tantum malignæ & pestilentis febris amuleta, sed in primis qualitatibus contraria; extractum coralorum, dysenteriæ, diarrhœæ biliosæ, & hepaticæ dysenteriæ calidæ, potissimum auxilium, si non dixeris unicum; rhabarbari extractum, hepatis frigidi, & illius imbecillitate cacecticæ, ut frigidæ etiam icteritiæ, singulare & valde præsentaneum: in his & plerisque aliis vera servatur contrarietas, à methodica curatione adinventa: quid mirum? ellebori extracta, vitrioli, mercurii, tartari, opii, auri potabilis, & similium, licet sint majori cautione adhibenda, suas tamen vires methodice exercent, in desperatis morbis, seu inveteratione altius radicatis; nam à summa desperatione, summa etiam indicatur temeritas, si illam vires ferunt: & ista indicatio coacta, ut illa regularis, in methodica & vera medicina locum habet.

Attentione legite hoc exemplum, ex Chymica Officina depromptum; est enim alta Philosophia exornatum; (non sunt enim pleraque Chymicorum oscitanter legenda, nec protinus livore condemnanda, maxime Paracelsi, Salæ, & Quercetani;) Chymici scripsere, calculum in renibus & vesica coagmentari, ex impuritate, de natura salis, quod vim habet coagulandi: quia non solum ob calorem calculi fiunt, sed etiam in locis frigidis generantur: nec renum calor potest esse adeo intensus, ut vim coagulandi habeat, (uti ignis, quantumvis paulatim operetur, dum naturalis est; si maxime hoc vidimus in extreme senibus accidisse, ubi à prædominio est frigiditas renum, seu nativi caloris defectu, seu etiam corporis universi, & tamen in illis calculi producuntur; cui etiam sententiæ Galenus non repugnat, quando dispositionem materiæ crassæ & viscidę, cum renum moderato calore, ad illius generationem sat esse existimaverit: quam veritatem videtur etiam experientia confirmare; nec ab hac sententia videtur alienus Hippocrates, lib. 4. de Morbis: *Quando in pueris*, inquit, *calculi fiunt, ob lactis impuritatem, cum nutrix pravis utitur cibis, quod maxime vitiosis accidit, in quibus lactis impuritas est de natura salis, ex quo lapides coagulantur, magis quam suo calore naturali*; non est enim credibile in pueris calorem tali acredine & siccitate esse præditum, ut valeat coagulare lapides, quod sola vis ignis efficit; quando sola humiditas nativa puerorum illum obtundere valeret; & quia ut plurimum morbus esse hæreditarius deprehenditur; quod semper ex calore non accidit: hoc enim videmus in bene temperatis accidere, illis tamen, in quibus renum dispositio calculosa hæreditatur; quæ sane dispositio, nec calida, nec frigida existit, sed ex certa partium conformatione resultat, ut podagricis accidit & epilepticis; nam quantumvis materia crassa & viscida cumuletur, & calida intemperies renum, si illa non adest dispositio, non orietur calculus: quare videtur quod illa dispositio calculosa, aut sit illa prædicta conformatio, aut quod in tali corpore illa impuritas de natura salis in semine parentum contrahitur, seu à certa & peculiari ciborum materia, quæ participat magis de natura acrium & purgantium: quia etiam edocti Philosophia, non immerito judicamus, cruditates indies cumulatas, in debili & frigido ventriculo, esse coadjuvantem causam, seu dispositionem causæ materialis; & renum caliditatem veluti in habitu contractam, (si forte invenitur) esse partialem cum ipsa causa efficiente, cum sale nempe coagulante, & nativa partium conformatione.

Et si oculari experientiæ est credendum, hæc hanc etiam veritatem aptissime confirmat: quotidie enim videmus juxta mare, aquas salsas colligi locis quibusdam ad salis fabricam deputatis in tempore æstivo, & solem tantum aquæ humiditatem

ditatem absorbere, & exolvere, (quæ est coagulationis impedimentum) ac postea salis natura, quæ remanet in aqua, (ab illa humiditate liberata) facilime & brevissimo tempore, salem coagulare, & veluti in lapidem concrescere: manent enim postea grana salis, quæ prorsus lapidem æmulantur natura & duritie: quod etiam accidere videmus in montibus salitis, & in cavernis terræ, ubi solis non penetravit calor, ex illa parte salis quæ in hac terra prævalet, coagulandi apta; & hoc salpetræ vocitatur ab incolis: & hæc non est tantum physica comprobatio, sed sensibus externis demonstratio; ut quæ nos etiam vidimus, juxta amœnitatem Aracenæ sitæ in ultimo Vandaliæ, in quodam fluvio, qui ad radicem montis scoriis ferri onusti pullulat, & dicitur nostro idiomate *Rio tinto*: in hoc fluvio, lapides ex aqua frigidissima concrescunt, ex tartarea illa impuritate quæ de natura salis participat: ibi enim plures coagulantur marginibus & alveo, hujus fluvii, quia illius aqua de natura salis & acerbitatis participat, & in colore videtur fuligine permixta, ponderosa & crassa, quam nullum gustat animal, & videtur de aliquo minerali germinare; sed ex illa, quomodocunque fit, lapides coalescunt, quos nos vidimus, & manibus tractavimus.

Iam vidimus quomodo salis natura coagulare possit, & quomodo ex illa lapides generentur; ut principali causa: nunc restat quomodo & quibus auxiliis lapidis generatio valeat præcaveri, & jam factus expelli: salis natura est calida & sicca: ab illa ergo frigida & humida indicantur, secundum generalia principia; tartarea & impura materia, quæ in lapidis causam materialem cedit, sui etiam ablationem indicat: sunt viæ per quas educi debet corporis penetralibus reconditæ, cava nempe & venis emulgentibus, renibus, ureteribus, & pudendo: unde non dubito illuc auxilia, inermia, & viribus infracta pervenire; ob viarum anfractus: ad salis naturam atemperandam, frigida & humida auxilia conducunt, leniter detergentia: ad illam impuritatem viscidam, attenuantia, incindentia, & calefacientia mediocriter: longitudo viarum & anfractus validiora indicat vacuantia: patet enim longe minus attrahere ab abstrusis & longis, quam patentibus viis: illud ultimo salis natura petit, ut auxilia ad illam extrahendam, peculiarem habeant analogiam: veluti rhabarbarum cum bile, quo in opere binæ necessario requiruntur conditiones, validitas, nempe, in auxilio, ut à longinquo trahat, & natura illa peculiaris, ut illam impuritatem singulari educat analogia; sed absque violentia læthalis accidentis, ut in plerisque accidit: ex illis quæ à vulgaribus chymicis commendantur, sine delectu ætatis, consuetudinis, temporis & naturæ; sed quodnam sit hoc auxilium, plura promittunt chymici, paucissima tamen præstant, ex quibus comparetur hæc medendi securitas.

Nec ideo inficior, sublimationis tenuitate altius penetrare auxilia, ac purissima substantia (abjecta prorsus impuritate) validius attrahere: sed tali violentia illud interdum accidit, ut magis periclitetur in auxilio quam in morbo; veluti antimonio, eleboro, &c. quorum violentiam vix aut nunquam validæ vires ferunt; quantumvis mitiora sublimatione reddi polliceantur Chymici, quoniam in contrarium gliscit experientia; & si aliqua ex istis votis cedunt, hæc potius sunt fortunæ auxilia, quam artis. Quare ubi tantum extrema desperatio ultimam temeritatem indicat, ad hæc veniendum auxilia, prudens erit consilium, aliis à methodo inventis sine fructu tentatis; sed talis est illa morbi conditio, maxime in urinæ suppressione alta, ut nullo non auxilio sit à nobis utendum, quantumvis violento: de argento vivo seu Mercurio dixit Sala, quod observatum est, talem Mercurio proprietatem à natura esse inditam, qualem in vipera repertam scribunt, & ob id *therion minerale* nominatur: nam paratus uti opus est, maximum alexipharmacum & ad curandos morbos mercuriales, quales ipse induxit, ex malo & indocto ipsius usu: nam quo gradu corpus lædit, morbos inducendo, eodem hominem restituit, non solum affectus ex se productos, sed alios ex vegetabilibus incurabiles debellando expellendoque; uti ex mineralibus velut lapides & renum & vesicæ, quos nulla violentia eduxit.

Est enim quinta rerum essentia (si Quercetano & Paracelso credimus) quintum esse: *Intelligendum tamen est*, inquit, *in omnibus quintæ essentiæ parvam inesse quantitatem, ut in vegetabili, animali & minerali, & quintam essentiam esse naturam, vires, virtutem, & medicinam, quæ rebus insunt; ut suis domiciliis, præter extraneam incorporationem, esse etiam, colores, vitam proprietatesque rerum, quæ curat, sanat, ac attingit corpus totum, ut sal cibum quemque condit*: & Dorneus in artificio supernaturali, cap. 2. *Est*, inquit, *universalis omnibus atque æqualis illa cœlestis virtus.* In hoc tamen sunt sui cuique gradus, pro elementorum prædominio prædominantes; secundum diversos respectus ad hos aut illos morbos: ideo elemento contrario prævalentibus contra morbos pugnamus.

Ut illa tamen essentia & virtus à cœlo comparata extrahatur, proprio & singulari menstruo debet extrahi; inter menstrua enim, quædam sunt sulphurea magis, quædam mercurialia, quædam salina; appropriata autem quædam sunt, pro ut modo ad hunc, modo ad alium usum symbola magis ferunt: ita varia singulorum electio est, varia eorundem rejectio, ut ad artificis mentem & scopum magis congruunt, vel aliter; instrumenta enim suo fine proprie definiuntur; sic ad purgantis facultatis ex vegetabilibus extrahendi rationem universali velut convenientia quadrat, aqua pluvialis sexies distillata, item tartarisata; nempe aqua loturæ tartari; aqua pomorum redolentium, sive aqua fragorum, paucis olei tartari guttulis exasperata, ad catharticum, è foliis senæ extrahendum conducit; sic aqua cinamomi, agarico dicata est, endiviæ rhabarbaro; cidoneorum spiritus & vini diagridio: specifica tamen sunt specificis ubique associanda, ut magis huic fini appropriata, ut quæ cephalica cephalicis inserviunt, histerica histericis, hepatica hepaticis: & propterea diaphoreticorum & confortantiũ, extrahendis viribus convenientissimus est spiritus vini, veluti in camphora, belsoino, santalo, opio, theriaca, coralo, guiaco, sarsafrase; &c. quorum vapidas partes potissimum cupimus extrahere: in purgantibus etiam partem solven-

ſolventem extrahit idem ſpiritus, aut vinum, ſitam in volatili ſale, quam diſſipat etiam diſtillatio, ideo mechoacanis pulvis vino exhibitus, parum ſolvit: ſic ſulphurea oleo ſolvuntur, ad virtutem mercurialem extrahendam, aqua & lichores ſtillatitii deſcenſorii commodiſſime inſerviunt, ſed oleum tartari & ſal ipſius ad guttulas menſtruis lichoribus inditas, egregie operationis terminos accelerant; ut cinamomi gummata, quæ aqueæ ſunt naturæ, ut gummi arabicum, prunorum, ceraſorum aqua commodiſſime ſolvuntur, non oleo, ut quæ contrariæ ſint naturæ; & quorum virtus ſalina eſt, ut oculi cancri, teſtæ ovorum, limacum perlæ, corali, rubini, hyacinthi menſtrua requirunt acida, ut ſolvantur, ut acetum vini, vel hydromelitis vinoſi; ſuccus limonum, berberorum urina, ſpiritus balſamici, ſalis & ſulphuris naturæ, ut ſpiritus vitrioli, &c.

Sit nobis exemplum Nepente Quercetani, ſeu laudanum opiatum, ad acres fluxiones, ad ſomnum & dolores clamoſos; ℞. opii ſupra laminam ferri; præparati & correcti, partes quinque extrahe aceto ſquilitico eſſentiam illius & ad ſingulas hujus uncias, adde tincturæ croci, & pulv. coralorum vitriolatorum, an. ℥ß. ambræ griſeæ, Grana xv. ambram terendo primo, cum coralis poſtea cum reliquis ad lentum ignem miſcendo, fiat laudanum opiatum; opium autem ſic paratur, ſeu illius eſſentia ſic extrahitur, ad confectiones, ſeu ad alios uſus, ℞. opii ℥iiij. in minutas partes diſſecti, in patina ferrea imponatur, & aceto vini irroretur, & lento igne aſſetur, ut ſulphur expiret in vapores, & ne virtus exhalet, ita ut in pulverem abeat: ab aliis aqua vitæ irroratur: & de hoc pulvere dabis ad G. ij. aut iij.

Aliud exemplum addere placuit, utpote in quo ſit virtus admirabilis contra epileptiam, maxime puerorum, ℞. cranii humani non cariati, coralorum rutilantium, ungulæ alcis calcinatæ, margaritarum orientalium, an. ℥ß. camphuræ ℈j. olei majoranæ aut pœoniæ chymice extracti, gut. xij. omnibus ad artem mixtis lente in arena per octo dies digerito, poſtea humorem lento igne elicito, donec remanentia ſicca in fundo vaſis reſideat, deinde pulverem ad calcem redactum, in mortario vitreo incorporabis & diligenter ſerva: de hoc dabis à granis. iij. ad iiij. in aqua tiliæ, aut lacte, aut aqua ceraſorum; ante & in ipſo paroxiſmo: hoc etiam à Sala & Quercetano ut ſecretum laudatur; contra hæmorrhoïdum fluxum, dyſenteriam & hepaticum; ℞. conſervæ roſ. ℥ij. lacrimæ draconis pulveriſatæ ʒj. laudani opiati Quercetani grana. xxiij. ſpiritus vitrioli gutt. xx. & fiat confectio. De qua dabis ab ℈j. ad ij. in ſyrup. citronorum granatorum aut papaveris, &c.

Sit aliud exemplum de Mercurio, qui jam à chymicis ad methodicos tranſivit, & morbis deſperatis, ſuam virtutem admirabilem fecit omni prorſus in præparatione depoſito veneno; & hoc modo conficitur ℞. mercurii nativi & non adulterati, ex plumbi mixtione, chryſtallini, hoc eſt ſublimati, & purificati, & antimonii puriſſimi an. lib. ß. redige in pulverem ſubtilem & in furno clauſo per retortam diſtilla oleum, quod rectificatum in arena ad tertiam vel quartam vicem evadit, ut ne nivis candori cedat, ſuperinfunde poſtea aquam communem in magno vaſe & pulvis ad fundum præcipitabitur ſubtiliſſimus, quem lavare tandiu oportet, dum nullam amplius acrimoniam præ ſe ferat, & poſtea exſicca, & in vitro clauſo cuſtodi ad uſum, & detur à granis. j. ad quinque, inchoando ab infantibus duorum aut trium annorum, ad robuſtos & validos in cochleari vini juris aut ſaccharo roſato: *Eſt enim* (dixit Angelus Sala, & Quercetanus) *ex omnibus vomitoriis nobiliſſimum, & mitiſſimum, & purgat per os, & per alvum, & per urinam, pravos & corruptos humores, primo gallica lue infectos, deinde, ad Schiaticam, juncturarum dolores, ad aquas hydropicorum educendas, & omnia pene alia deſperata reſtituit.* Hæc Quercetanus in ſua pharmacopœia teſtatur folio 199. plura alia huic inſtituto neceſſaria mitto, ut quæ nec nimis operoſa diligentia, in hac noſtra Hiſpania conſequi valeamus, uti unguentum Belſaarticum, coralorum extracta, & lapidum pretioſorum alia.

Inter hæc tamen fateor, quod dum in praxi pleraque Chymicorum avida ſciendi cupiditas tentaret, & ab illis prius experientia comploratâ, experientiam non ita comprobavit eventus: conſiderans ergo, quare ſpectationi par non eſſet ſucceſſus, in diverſa conſilia nos traxit, aut illorum inconſulta temeritas, aut noſtra importuna prudentia, quæ in omnibus ſecuritatem quærit: & nobis certe videtur, quod illa theorica praxis, quæ poſſibilia docet, qualia deberent eſſe, non qualia eſſe poſſunt: nam ſi ea quæ ſubtili & ſpecioſa ſpeculatione promittunt Chymici, pari ſecuritate præſtarent, non eſſet major Medicinæ fœlicitas, nec invidia major; non ſunt enim paria rerum intelligentia, & executionis operatio, in exitu incerto: nam in praxi & ſpeculatione pugnant vota cum votis, conſilia cum conſiliis: in eo tamen graviori diſcrimine erratur, quando impoſſibilia promittunt quæ præſtare non poſſunt, nempe in auro potabili, lapide philoſophico: & dum in aqua vitæ ſepties diſtillata & in vitriolo quantumvis præparato, narcoticam virtutem quærunt, & ſe illam invenire profitentur; & ſciendi avidis & ad magna ſtupidis ſuadere conantur: nam quod natura non habuit, uſus neſcivit, (ſunt enim illa in extremo gradu caloris, extremo ſiccitatis, in propria eſſentia quæ mutari non poteſt) ad hoc accedit, quod *naturalia conjuncta magis ſunt certa, ſuis virtutibus, quam artificialia in ſuis uſibus*, ut auctoritas Philoſophiæ dixit, & rerum naturalium ſtudium nos docuit: nam rebus omnibus eſt ſuum cuique genium; quod arte non mutatur, ſi à natura & eſſentia inditum: eſt enim illud quædam innata virtus, rebus omnibus inſita, ut Philoſophi & Poëtæ dixerunt; eſt etiam in utroque duplex calor, alter, in ſuæ mixtionis principio ſuperveniens, & alter ſuæmet naturæ extra naturam, quorum iſte, non tantum ſublimatione non tollitur, ſed acuitur: alter nullo artificis ingenio, nec rerum mixtione tolli poteſt: quo fit, ut nec ſemper, nec rerum mixtione tolli poteſt: quo fit, ut nec ſemper, nec ut plurimum ſtare dictis Chymici quantumvis docti, teneamur; hoc eſt noſtrum judicium; nos falli deſideramus, non fallere; & nobis ſuadetur, non falli in hoc ipſo judicio, in praxi nunquam fuiſſe deceptos. Certiora nos edoceant alii: nobis

enim, neque rubori erit, meliora amplecti; sapientis enim est mutare consilium, quando res postulat, & in utile publicum prudentis & piissimi viri.

Nam ut ingenue fatear, (& est etiam cujusdam docti judicium, & satis sane clari) *quo victus simplicior, eo gratior & salubrior*; ita de medicinis certe judicandum: ut supervacaneus sit eorum labor, qui auri & gemmarum pretiosam substantiam in fumum vertunt, sublimationibus repetitis, & fortasse metallica, vegetabilia & sensitiva; & ex omni genere herbarum, sive obviarum, sive exoticarum, aut secus, medicamenta ejusmodi præscribunt, magis venditandi, ostentandique industriæ specimen, aut aromatariis gratificandi, quam bene de ægris merendi gratia. quid enim ex commixtione tot & tam pugnantium medicamentorum, temperies substantiæ, modus, sapor & qualitates, id genus sint emersuræ, subducere, & certe conjicere, præceps & infirmum in plerisque juvenibus judicium haud quaquam facile potest: ut longe utilius sit, traditis à nostris & antiquis, medicamentis purgantibus, & aliis summa ratione subductis, & probatis rem agere.

Nec dubito, ut nisi chymicorum judicia, vanitas defœdaret, quin medicam artem in multis adjuvarent; illa tamen execranda novæ condendæ sectæ cupiditas hos viros, aliter Philosophia doctos, ad improbabilia & incerta seduxit: nec illud est deterius malum, nisi sub hac hæresi mentis, tot sæculis comprobata principia niterentur, convellere, ut incauta judicia tyronum, hac incerta imbuerent doctrina, gravissimo periculo: Nam,

Quo semel est imbuta, recens servabit odorem
Testa diu. ———

F I N I S.

TRA-

TRACTATUS
PER-VTILIS ET NECESSARIVS, DE
PESTE,

Quæ anno cIↄ Iↄc xlix. Hiſpalenſem Civitatem maxime, nec oris circumjacentibus parcitis, contagione ſua miſere infecerat.

AUCTORE
DOCTORE CASPARE CALDERA DE HEREDIA.
Medico Hiſpalenſi ordinario.

El Doctor Gaſpar Caldera de Heredia, Medico de la Ciudad de Sevilla, digo que y a è compueſto un Libro o Tratado, DE LA PESTE, que en la dicha Ciudad de Sevilla ubo el año paſſado de 1649. *Pido y ſuplico à V. m. mande ſeñalar quien lo vea, para que aſſi pueda proceder à ſu impreſion.*

Nos, el Doctor Joſeph Beno de Rey, Canonigo de Alcala, en lugar de Vicario deſta Villa de Madrid, y ſuplicando por el Eminentiſſimo Señor Cardinal Arçobiſpo de Toledo, mi Señor, &c. Por la preſente remitimos al Padre Anthonio de Quintana, de la Compañia de Jeſus, eſte libro, intitulado *Memorias de la Peſte de Sevilla;* para que le vea, y con ſu cenſura le remita. En Madrid, 20 de Julio 1650.

Don Joſeph Beno de Rey. A. DE VELASCO.

APPROBACION

Del Padre Anthonio de Quintana, Dueñas de la Compagnia de Iesus.

P ro Comision del Señor Don Joseph Beno, Canonigo de la S. Iglesia Colegial de Alcala de Enares, en lugar de Vicario desta Villa de Madrid, y su partido, por el eminentissimo Señor Cardinal, Arçobispo de Toledo, Don Balthasar de Moscozo en Sandoua; Visto un Tratado, cujo titulo, y assunto es: Memorias de la Peste de Sevilla por los años 1649. *y cujo Auctor es el Doctor Gaspar Caldera de Heredia, Medico de la Ciudad de Sevilla. En lo Historial le hallo ajustado à la verdad del suceso, segua las mas acredisadas Relaciones, y segun lo grave que vi de les des dichas, en que puedo dicir, lo que dixo* Æneas, *por aver assistido à la miserable destruccion de* Troja:

—— Quæque ipse miserrima vidi:
Et quorum pars magna fui, &c.

Pues no solo fui Testigo de vista de tan crecidas miserias, acudiendo con muchos otros de la Compañia à la administracion de los Sacramentos, principalmente al de la Penitencia, *à los heridos del Contagio: sino que yo padeci este des de la Vespera de S. Juan, en que me reconoce herido. En lo Medico, por no ser de mi Facultad, me persuade su credito: el grande que en la suya goça su author entre los mejores de Sevilla; y la excedencia de las otras, que a secado à luz en eruditos Tratados, como lo publican en Theseo y Anti-theseo, y la Feralia. En lo Theologico, no hallo cosa contra buenas costumbres, y sana doctrina; como ni reparo alguno en lo Politico; antes en esto manifiesta noticias bien necesarias para & acierto, y govierno del tiempo de tan excesiva calamidad, no solo à los Medicos, sino à los Governadores de las Republicas. Titulos, por que se deve dar licencia para darlo à la estampe, y agradecer mucho lo publique, pues sera utilissimo en los futuros sieglos, si à caso son tan infelices, como este, que apadecido con tan Vniversal y terrible Contagio, tantas Ciudades de nuestra España, y principalmente de nuestra Andalusia. Assi lo siento: En este Collegio Imperial de la Compañia de Jesus de Madrid. 26 de Agosto de 1650.*

Antonio de Quintana, dueñas de Jesus.

N os el Doctor Don Ioseph Beno de Rey, Canonigo de la Sancta Iglesia Magistral de Alcala de Henares, y Vicario desta Villa y su partido, &c. Por la presente, por lo que à nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir y vencer un libro intitulado, Memorias de la Peste de Sevilla; *atento que de la censura del Padre Anthonio de Quintana, dueñas de la Compañia de Iesus, a quien lo remitimos; no consta tengar cosa contraria à la Sancta Fee Catholica, y buenas costumbres. Dada en Madrid dia treinta y uno de Deciembre, año de mill seiscienta cinquenta y uno.*

Don Joseph Beno de Rey.

Censura

Cenſura del Doctor Iuan Nuñez de Caſtro, Medico de Camara de la Reyna, nueſtra Señora.

Por mandado de Vueſtra Alteça e viſto un Libro del Doctor GASPAR CALDERA DE EREDIA, Medico de la Ciudad de Sevilla, en que hiſtoriando el achaque contagioſo, que padeçio aquella Ciudad, deſcrive la eſencia, averigua las cauſas, de que provino, ajuſtandolo con ſeñales çiertas, para ſu conocimiento, dirigiendolo à la preſervacion, y curacion de tan horrible mal; y en todo lo eſcrito, reconoco no ſolo los preceptos communes, que ſe hallan en los mas doctos y eſcoſidos Authores, que de diferentes conſtituciones peſtilentes an eſcrito, ſi no mucho de novidad, en que ſe conoçe el ingenio, y eſtudio del Author. Sentimiento era de aquel gran Philoſopho *Ariſtocrates*, que no ſe devia menos al que en lo comun de un Arte abria, nueva veredia, con lo ayudo de ſus diſcurſos, que al inventor de ſus primeras lineas; ſegun eſſa opinion, merece el Author mucha eſtimacion, pues en materia tan comun, ne ſolo dice lo, que todos, ſino ſe particulariſa, como ninguno, enſeña, augenſe con la eſpeculacion por medio de la pluma, lo que con tantos aciertos pratico, preſente en lo mas riguroſo del Contagio. Servira pues eſte Tratado, no ſolo de dar preceptos, para la preſervacion, y cura de mal tan pernicioſo, ſino tambien o le abrio, contra los que a fuer de Heraclitos de nueſtro ſieglo publican, no florecer en eſte Varones, que hagan eternos los caracteres, en ſu alagança: pues ſolo eſte exemplar haſtara para calificar ſu opinion erronea. Y aſſi puedo Vueſtra Alteça con toda ſeguridad darla licencia, que pide, para que ſalga à luz trabajo tan digno de alcançarle. En Madrid, en 12 de mes Dec. de 1651 año.

Doctor Juan Nuñez de Caſtro.

Licentia

Licencia y privilegio por plaço y termino de diez años al Doctor Gaſpar Caldera de Heredia, Medico de la Ciudad de Sevilla, para que pueda imprimir Tratado, que à compueſto de la Peſte, que en dicha Ciudad padecio, como ſe manda à ſu pedimiento.

Eſpadaña. Corregida.

Por quanto porparte de Vos, el Doctor Gaſpar Caldera de Heredia, Medico de la Ciudad de Sevilla, Nos fue fecha relacion aviades compueſto un Tratado de la Peſte, *que en ella hubo el año paſſado de mill y ſeiſcientos y quarente y nueve, y de la cauſa y curacion della, y teniades aprobacion del Ordinario, y por que en el aviades pueſto mucho eſtudio y cuydado por ſer muy util y provechoſo, nos pidiſteis y ſuplicaſteis oi mandaſemos dar licencia y privilegio para imprimirle por veinte años, o por el tiempo que fueſſemos ſervido y viſto por los del Nueſtro Conſejo, y como por Nueſtro mandado ſe hicieron las diligencias que la pragmatica por nos ultimamente fecha, ſobre la impreſſion de los Libros ſe diſpone, fue acordado, que deviamos mandar dar eſta Nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos tubimos lo por bien. Por laqual oi damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros ſiguientes, que corran y ſeguenten des de el dia deſta Nueſtra cedula en adelante Vos, o la perſona que vueſtro poder tubiere, y no otra alguna, podais imprimir el dicho libro, o Tratado del Peſte, que des uſo ſe haze mencion por ſu original, que en el Nueſtro Conſejo ſe vio, queba rubricado y firmado, alfin del de* Franciſco Eſpadaña *nueſtro Señor de Camara, uno de los que en el reſiden, con que antes que ſe venda letra y gais ante ellos juntamente con el dicho Original, para que ſe vea ſi la dicha impreſion eſta conforme a el otra y gais fee en publica forma, como por Corrector, por nos nombrado, ſe vio y corregio la dicha impreſion por el dicho Original; y mandamos al Impreſor, que aſſi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y prime pliego, ni entregue, mas de ſolo un Libro e con ſu Original del Author, o perſona, à cuya coſta imprimiere para efecto de la dicha Coreccion, y taſſa por los de Nueſtro Conſejo, y eſtando fecho, y no de otra manera, puedo imprimir el dicho principio, y primer pliego, y ſeguidamente ſe ponga eſta Nueſtra Cedula, y la aprobacion que del dicho libro ſe hiço por Nueſtro mandado, y la taſſa y erratas, pena de caër e incurrir en las penas contenidas en las leyes y premacticas deſtos Nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen, y mandamos, que durante el tiempo de los dichos diez años, perſona alguna ſin la dicha Nueſtra Licentia no pueda imprimir el dicho libro, o tratado, ſo pena que el que lo imprimiere, obendiere aya perdido, y pierda todos y qualeſquier libros, moldes y aparezos, que del dicho libro tubiere, y mas incurra en pena de cinquente mill maravedis, la tercia parte para la Nueſtra Camara, y la otra para el Iuez que lo ſentençiare, y la otra tertia parte para la perſona que denunciare: y mandamos à los del Nueſtro Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las Nueſtras audiençias, Alcaldes, y alguaciles de la Nueſtra Caſſa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſſiſtento, Gobernadores, Alcaldes, majores y ordinarios, y otros Iueçias, qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y lugares de los Nueſtros Reynos y Señorios, y à cada uno, y qualquier dellos, en ſus lugares y Iuridiciones, que oy garden, y cumplean, y hagan guardar, y cumplir eſta Nueſtra Cedula, y contra ella, y ſu tenor no bayan ni paſen, ni conſientan, y ni paſar en manera alguna. Fecha à Madrid, a diez y ſeis dias del mes de Mayo, de mill y ſeiſcientos y cinquenta y un años.*

Por mandado del Rey, Nueſtro Señor,

MARTIN DE VILLELA.

TRACTATUS DE PRODIGIOSA,

Et vix unquam audita, PESTE HISPALENSI, ANNI cIↃ IↃC XLIX.

LECTORI BENEVOLO S.

Antequam fatis vela dare decrevissem, & calamus periculum periculo adjiceret, ut cladem *Hispalensem* recitarem, & communem stragem:

— Quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui.

in ipso periculorum medio intus & extra urbem: hæc illa veritatis ornamento reddere decorosa, prius fuit in animo (memorabili casu, sed eventu misero) non tantum ut illa redderentur plausibilia, sed ut *nostris periculis discat, caveatque Posteritas:* In me enim veritati deficere, esset plusquam grave delictum, ne arguatur de vilitate æstimatio; seu, ne caligine inconsiderationis Veritatis lux obscuretur, splendorque in Historia; quæ adhuc tamen inter oculares testes solet gravissima pericula subire: & maxime ob electarum personarum dignitatem, quibus summa rerum versabatur, inter ipsa discrimina: nam in re optime judicanda, nisi te OEdipum præstes, oppido deceptū te videas. Non pestis universalis Tractatu protrahetur Discursus: hoc enim esset, anus ad armile: & quia communia præcepta, & indicationes generales non docent singularia: nec aliarum pestium relationes referre est in animo: una enim sepe decipit aliam, ob diversas & sæpe contrarias veneni analogias. Illud tantum referam libertate ingenua, quod legi in Natura, & in hac monstrosa rerum confusione observavi, (liber enim naturæ est optimus docendæ Medicinæ magister, ex quo plura quam ex scholis omnibus semper didici:) quod ne forte posteritati gliscat, pestium aliarum sævitiam vocare in judicium (maxime Athenarum, Thucididis & Hippocratis tempore) nobis fuit consilium, ut inde veritas clarius innotescat; & quei nostra cæteras superaverit, omnes videant: de hac enim verius, quam tempore Neronis dici potest: *Quod pertulit violentiam non tantum ad urbem, sed ad vicina urbi, omne pene mortalium genus vis pestilentiæ depopulatur, sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur: non sexus, non ætas periculo vacua, servitia perinde ac ingenua plebs, raptim extingui inter conjugum ac servorum lamenta, qui dum asident, dum deslent, sæpe eodem rogo cremabantur.*

A STATIO I.

De origine status pestilentis Hispalensis.

Per annum 1637. Malacam afflixit impia mortuorum constitutio, contagiosa, popularis, maligna: causa existimatur, annona anni antecedentis 1636. cujus occasione tritici valor egenorum superavit inopiam, divitum abundantiam; quo civitatem appulit navis ex Liorne, mercibus & tritico onusta; cum jam esset, quod merces essent veneno pestilenti infectæ, jam B quod triticum, maris vicinia corruptum, (*profecto mare civitati proximum*, dixit Plato lib. 4. de Leg. *quotidiana quadam jucunditate eam afficit, veruntamen vicinitas ea, nimium revera salsa est atque amara:*) cum mercator, avaræ cupiditatis servus, navem cauponandi libidine ingreditur, ac ex illa domum revertitur, fulmine ictus, cordis vigore pestilenti veneno exoluto: sed inscius, aut consulto, impium pestis vulnus dissimulatione contegebat, ne tristi suorum orbitati damnaretur; quo latius in domesticos & vicinos contagium dif- C funditur, & plures ex illis moriuntur: & adhuc erat in ancipiti anceps contagii suspitio; hæc acciderunt in fine Aprilis hujus anni: inde tamen in totam civitatem lues pestifera diffunditur, magis in plebem sordidam & egenam, quibus pravis eduliis deteriores cumulantur humores: (maxima pestis sedes potior analogia,) incipiebat enim febris lenta, neque pro ratione febris, erat calor extraneatus potius, quam intensus, & aliquibus ardens: à 3 ad 4 diem maculæ & puncticulæ, aut virides aut nigræ, erumpebant: ex iis D plures moriebantur, veluti gelu frigidi, alii extremorum necrosi, & fatali gangræna: ac paucis inde diebus sub hac eadem febre bubones & antraces pestilentes incœperunt, ad alas & sub inguina, (constitutionis pestilentis character) maxime ex influxu cœlesti, qui pestilentem apparatum ducit ad emunctoria, super quæ dominatur: illud est argumentum, ex communi contagio multis esse commune; rara enim est pestis, maxime communissima, quam influxus cœlestis non inducat; non enim ex alio principio diffun- E ditur contagium; nec est causa quæ ad malignum corporis apparatum valentius disponat; nam popularis morbus ex causa communissima inducitur.

Inter civium lamenta & funera promiscua, servitiæ perinde ac ingenuæ plebis sæva pestilentiæ protrahitur sævitia, ad finem Augusti hujus anni; quo fere viginti millia civium periere, si nos non fallit apocrypha traditio in rebus quas non vidimus, quo hæc pestis finitur, & sine recidiva, (maximum aëris infecti argumentum) nec ad vicina oppida diffunditur (paucissimis exceptis) quia mox à principio sedula diligentia & Principis imperio undique circumvallatur civitas, & armato milite præmunitur, ne persona exiret, quæ secum detulerit contagium: & si forte commeatum aggreditur bellicis instrumentis, excipitur & in male sanam civitatem repellitur: unica certe (licet crudelis) aliarum civitatum præservatio.

Sed postea in anno subsequenti 1647. alia (forte eadem) pestilens constitutio Valentiam aggressa est, quæ etiam annonæ hujus anni tribuitur, dum pauperes pravis vesci eduliis cogerentur: inde incœperunt, tota illa provincia, febres puncticulares, maculis, & puncticulis, & aliis cutis excretionibus insignitæ: hæ paucis currentibus diebus, in constitutionem pestilentem finierunt, bubonum & anthracium, quæ omnia sequebantur gangrænæ, & necroses partium extremarum: inde facile diffunditur contagium in homines & vestes, & omnem domorum supellectilem, quibus pestis seminaria miscebantur: unde cum mercibus deportatur contagium, in Ilicem, & varias hujus provinciæ Civitates; ita ut in omnes fere oras maritimas maris mediterranei dispergeretur; ex qua periit immensa gentium multitudo, sed multo major de misera plebecula.

Inde ulterius lues pestifera grassatur anno subsequenti 1648. & in veris principio Murciam, populosam etiam civitatem pravo illo contagio inquinavit, ubi inopinato incœperunt insidiosæ febres, elodes, & malignæ aliæ, cum puncticulis & maculis, jam lividis, jam nigris, ex quibus plures moriebantur 3. 4. die & non pauci repente Medicis nihil tale verentibus, sed pravius corporis apparatu disposito, non multo post incœperunt bubones apparere sub alas & ad inguina, carbunculi maligni, & anthraces urentes; & nihilominus à plerisque doctoribus endemici & sporadici morbi judicabantur; aliquibus vernaculi: (fallacia, quæ fere semper initia constitutionum pestilentium, fatali comitatur periculo, quoniam inter altercationes Medicorum dubia, ex dubiis nascuntur; & tempus quærendi & inveniendi auxilium elabitur.) attentiores alii epidemicum civitatis timuere contagium: quod non multo post tali violentia invaluit, ut prius pœnitentiam invenirent priores quam auxilium: quod inter confusiones dubia, & timores invenire non valuerunt postea; nam in sola civitate, hortulis, & amænitate civitatis, periere plusquam 26000. plebis & nobilium.

In hoc eodem anno in Augusti principio, portum Sanctæ Mariæ appulit Italica navicula, (quæ apud nostros dicitur *Saetija*) quæ, inter alias merces, deportabat varias sericarum telarum differentias, in arcula inclusas, ex Murcia, tunc peste inquinata, quæ postea arcula adaperta domus habitatores impio pestilenti contagio coaffecit: & inter illos, duo religiosi viri periere ordinis Minimorum, qui illa in ipsa navi vehebantur: & inde ad vicinos civitatis diffunditur, unde plures ægrotare cœperunt, morientes inopinato & repente: alii ex febre acutissima, & brevissimo tempore, sed omnibus ignota. & cum febris puncticularis sit omnium frequentior, & in ore omnium communius versetur, illam judici illius civitatis dixere febrem puncticularem, absque ulla pestilentis seminarii suspitione, cum pestis olim exactæ jam prorsus esset abolita memoria, nec pestis anni 1599. ullus memorabatur, nec illius charecteris; sed cito febri illi (quæ in paucis incœpit) supervenere bubones in inguinibus, in corpore carbunculi, ad pestilentem apparatum corporibus dispositis ex lue pestilenti communius grassante: quod nec sat illis erat, ut de peste quidquam suspicarentur; sed oppida vicina tacito rumore incœperunt habitatores illius civitatis ignaviæ arguere, & forte contumaciæ, in deneganda cura, quæ tam atroci morbo decens erat: sed illi in prava alimenta culpam rejiciebant, in egenos, & pauperes (in quibus semper incipit pestilens constitutio) ut pravis alimentis assuetos.

Cum hoc tamen nostra civitas Hispalensis, uti communis mater totius regionis, incœpit æqua lance perpendere super grave negotium maximi momenti, & de Peste maxime dubitare, ut etiam & insula *Gades*, cum tacitus ille rumor jam patenter Hispalim occupavit, quia jam vicinæ civitates se de incolis illius tuebantur, illiusque commercium renuebant; quo nostra civitas, tam justis timoribus impulsa, de auxilio incœpit cogitare, & ut in hoc dubio securior evaderet, (nullus enim fatetur, dum incipit, se pati pestilentiam, ne commertio ad vitam necessario orbetur, & ne infamiam subeat illa civitas) in *Portum* duos doctores misit, maxime confidentes, & doctos, ut de morbo communiter grassante fideliter discernerent, & de propria sententia civitatem facerent certiorem; sed illi pietate potius, quam valore (erant enim nobiles, & pietate insignes) ingenue dixere; *In civitate se ægrotos invenisse, sed non peste infectos*: Et ita confusis rationibus, dixere civitati sententiam, ut in majori dubio res esset; & interim supremus Hispaniæ senatus imperavit, ut moras in re gravi rescinderent, & de ultima & veriori sententia *Castillæ* senatum admonerent; quo ultimo conatu, alios duos doctores remisere, qui in re dubia ita exposuerunt: *Quatuordecim ægrotos Hospitali invisimus, egenos, & pravis alimentis educatos, & omnes fere una febris species detinebat. Synocha nempe sanguinis putrescentis, quæ nec validis accidentibus comes erat, sed cum bubonibus omnes in inguinibus & sub alis, sed ita benigni moris, ut potius videretur critica terminatio, quam symptoma maligni apparatus, quia ad quintam diem, perfecta maturatione suppurabant; ut omnes pene ex hoc morbo evaderent; quin unus, aut alter deficeret.* Vera illi dixere, sed causa penitus ignorata; illam nempe esse pestem incipientem, cum circa principia & fines omnia sint imbecilliora, ut Hippocrates dixit.

Hanc expositionem legatorum, pro tempore libratam vocarunt in judicium selectiores Medici Hispalenses, & in eo convenimus, morbum communem illius civitatis esse Pestem incipientem, ex

ex *Murcia* delatis seminariis, licet dudum nulla essent læthalia symptomata; quia Pestis seminaria vires non exerunt, nisi tempore fermentato veneno, & maligno apparatu jam contracto, quæ ambo in principio deficiunt, quantumvis contagiũ commune in ipsis seminariis deferatur; quod sat est ut sit pestis incipiens. Et quę nos potissima ratio in hanc duxit sententiam, illa fuit, quod nec ex veteribus, nec ex recentioribus aliquis, nec ulla unquam ætas, nec observatio, bubones & antraces pro signo constituit febris simpliciter malignæ, sed tantum pestilentis ex constitutione: hoc enim est veluti character, & signum febrium pestilentium, seu pestilentæ luis: nam hoc antea observavit omnis ætas Thucididis & Romanorum tempore, & circa nostram ætatem anno 1580. 1599. & 1600. ut constat ex Doctore Ludovico Mercato, Porcelo, Sardo, & aliis plerisque: illud etiam legimus observatum, in constitutionis initio moderatissimis accidentibus Medicos fefellisse, ut etiam noster Mercatus asterisco notavit; nec mirum inermia deferri seminaria: nam tempore & distantia languescunt, dum vestibus & aliquibus mercibus deferuntur, donec in actum postea reducantur, ut cætera venena, quæ in subjecto improportionato consopita videntur; in analogicum vero totum virus expirant: & nos hujus constitutionis initio, manuscriptum dedimus quod à non paucis probatum vidimus: quo probavimus illam esse pestem incipientem, & subdola fallacia decipere, quia erant effectus magnæ conjunctionis hujus anni cum *Marte & Saturno*, quæ tunc incipiebat aëra, & corpora disponere, ad talem apparatum suæ ipsius naturæ gentilitium, & magis super loca & corpora quibus dominabatur.

Sed nec exhortationes, nec clamores nostris superioribus sat esse videbantur, ut se, & populum vastissimum, ab imminenti ruina tuerentur; una forte causa nostrorum peccatorum, quæ divinam justitiam provocabat; inde tamen hæc Pestis seminaria citius longe lateque diffusa comperimus, quod cives illius civitatis *del Puerto* (nondum præpedito commercio) qua data porta ruunt; & dum se immunes præservare conantur, alias civitates inficiunt, contagio personis & vestibus delato: & ex iis (quod postea comprobavit eventus) aliqui *Hispalim* appulerunt, alii in *Gades*, & vicinam etiam civitatem Cæsaream *Mundanam*: quo protinus & illæ civitates, malignissimas febres, acutissimas mortes repente venientes, (prorsus causa ignota) experiri cœperunt: dum hæc civitatis nostræ altius attritum curis animum agitant, & inter Pestis dubia fluctuare permittunt, omnia perenni confusione versabantur, inter metum, in deliberationem & consilium; quoniam publico utili tardius, quam decet semper consilium accedit, & apud nostros semper est Hispaniæ auxilium.

Validis rationibus, fatalem urbis calamitatem prædiximus; & inter peculiares conferentias, & nostris in scriptis quæ nostro Musæo conservantur, quæ tantum in testes nostri zeli cesserunt: quoniam incredulitatis experientia invitos eos compulit ad credendum, quod pœnitentia non valuit auxiliari postea; quoniam paucis inde diebus impium pestis contagium vires exerit, & vicina in oppida & civitates inducitur, & tali quidem violentia, ut ex mense August. anni 1648. per Autumnum & Hyemem immensa gentium multitudo perierit, hinc inde contagio delato ex quadam febre satis violenta; cujus accidentia postea referemus. Hæc duravere usque ad Maji finem prædictis civitatibus & oppidis vicinis, usque ad *Malacam*, ubi fere centum millia periere & tam magna confusione & horrore, ut ad turbationis ultimum res ipsa deveniret: & adhuc classis nostra Indiarum hoc anno, quarto die Octobris fatis vela dare incœpit inter pestis horrores, oppressa justissimo timore, sed Divina benignitate præservatur: nam cum Insulas Fortunatas adorat, omnis timor evanuit; omnes enim exinde convalescunt, aëre & climate mutato: ut etiam legimus accidisse anno 1600. & 1601.

Inter tot miseriarum sortes vices suas peregit annus ille; & ingreditur annus 1649. quo in tempore *Hispali* prospera salus erat, ut nunquam meliorem viderit; quoniam adhuc de connaturalibus morbis viderentur paucissimi: sed jam per hæc tempora justo timore cavens nostra civitas, sedula diligentia se ipsam tuebatur, ab oppidis contagio infectis; portis civitatis obseratis, & fluvii commercio præpedito, diligenti custodia & vigiliis, & milite equestri, quorum rigor tantũ in invalidos erat, & inermes (fatalis hujus seculi calamitas.) nam *hoc gentis genus semper erit vetitũ, semper tamen admissum*: ut olim lamentabatur Tacitus.

Sed pestilenti contagio jam diffuso, cum nec facile, nec possibile esset, aperta, nec ullibi munita *Hispalis* suburbana, ulla tueri diligentia, nec solertia, rumor audiri cœpit, quod per hæc suburbana plures moriebantur, paucis horis, & subito, magis ex invalida plebe, & pravis alimentis assueta, (per has enim gentes fere semper incipit pestilentia.) quo in tempore illud asterisco dignum prænotavimus, quod præcessit infelicium abortuum constitutio, ubi omnes fere parturientes deficiebant, subito, cum facili, aut difficili partu; aut abortiebantur infœliciter: nam febres ex pravo uteri apparatu invadebat, interdum diarrhœa profusa, aut cordis exolutio sine causa, malignis vaporibus, aut aura venenosa in cor subito irruente, (partus aut abortus occasione sublevata) quo inopinata syncope subito expirabant, in sella pariendi, seu paulo post à partu, ut nos in plerisq; vidimus: interdum cordis vigore, pulsu, nec urina mutatis: quod etiam legimus accidisse anno 1599. & communi quidem illius temporis traditione constat, in omni fere Vandalia accidisse. nec illud otiosum in hac constitutione videbatur: cum olim alias etiam constitutiones antecederet, ut divinus Hipp. nos docuit; ideo forte *divinus* appellatus, quod (Macrob. teste) nec decipi, nec decipere potuit; hæc sunt illius verba, 1 Epid. sect. 2. in 3. Temp. text. 68. dum narraret, quæ ante & in illa tempestate acciderunt; *Multæ præterea mulieres*, inquit, *languerunt; plurimæ autem gravem partum habuerunt, & à partu in ægritudinem inciderunt; quæ quidem potissimum moriebantur, ut Thelebuli filia, quæ septimo à partu die defuncta est: quibus vero contingit prægnantibus ægrotare, omnes, quas quidem novi, abortiebantur, &c.*

In hoc statu erat civitas *Hispalensis* Februarii principio hujus anni, cum tantum sudo cœlo, &

humida tempestate pluere cœpit, continuo & pluribus diebus, ventis orientali & meridionali flantibus alternatim, ut hæc aquarum tempestas totius mensis Martii vices expleret, & bis Betis majorem civitatis partem inundaret: ut hujus mensis fine, in Hebdomada *Sancta*, aquæ & famis obsidione ita arcte civitatem obsideret, & circundaret, ut alimentorum etiam orbitate, ut intus & extra urbem, utrique necessitati succurrendi auxilium faceret impossibile: quoniam situs ille, qui apud nostros dicitur *alameda*, talem fecit aquarum civitatis retrocessum, ut totam feriæ distantiam inundaret, & muros civitatis, ad *ducis plateam*, & *calem de la surpe*; & *cantarranas*, (sic enim illa via vocatur) ad cænobium sacrum Sancti Pauli: huic necessitati succurrendo per ipsam civitatem naviculis, per vicos civitatis & plateas, sola conspiciebatur aquarum inundatio: tristem famem induxit alimenti inopia, & commeatus intus & extra urbem impossibilis: *Irianæ* & *maris porta* tabulis obseratæ inundationi civitatis impedimento erant, universo suburbano inundato, usque ad margines *Castillejæ*, & *sancti Isidori*; & per humilem fluvium *Tagarete*, ad *Sancti Bernardi* oppidum & finitimam partem suburbani commercio, & pontium commeatu, undique præpedito, ne vitæ humanæ necessaria, (ut panis, caro, & cætera alimenta, quæ ex oppido de Alcala & Mairena adfertur,) civitati accederet: & ad talem necessitatem & inopiam civitatem adegit, ut festo Paschæ die, quæ 4 Aprilis incidit, nec panis, nec caro, nec ullum aliud alimentum in promptu foret; nec tabernis nec locis deputatis: ut illa assequi, nec emere valerent divites, neque pauperes: quo summa rerum inopia demonstratur, & magis pauperibus, ac invalidis aqua & rerum inopia obsessis: hanc enim propter causam, & auxilii impossibilitatem, pauperes non pauci omnibus suburbanis periere, absque eo quod pietas Christiana illis posset auxiliari; nam quando postea opem ferre conaretur, sero venit auxilium: in hoc tamen omnes præsumptio fefellit, quod pauperes inopia periisse existimarent: quoniam pestilens constitutio jam incœperat ab oppidis vicinis contagio delato; & gravius illud videbatur supplicium, quia paucis ante diebus à gloriosa vita ad æternam Dominus transtulit *Cardinalem* piissimum *Spinolæ*, cujus charitas, & prudentia, necessitatem imminentem fallere jam decreverant, omni pene consumpto patrimonio, pestilentis contagii auxilium, & pallidæ necessitatis levamen.

STATIO II.

Quæ temporum constitutiones antea evenerunt; qui cœlestes Planetarum influxus.

Antequam ad morbi popularis & pestis ideam accedamus, ad Hippocratis & Gal. imitationem, expendere decrevi, quæ temporum constitutiones præcessere hanc pestem vulgarissimam: quoniam nulla pene ita vulgaris pestis ab influxu cœlesti (ut à causa omnium communissima) initium non tulit; & temporum constitutiones inæquales, utplurimum hos influxus sequuntur: in Hispania morbi contagiosi, acuti, præcipitis periculi incœperunt, ab infelici influxu Planetarum, & eclipsibus anni 1646. & 47. ut experiuntur Valentia, & Menralia Turdetania, dum pestilens contagium ab oriente per oras maritimas, ad occidentem serpit: hæc jam productæ lues alteratione per continuum facta, ab eodem influxu ferebatur, per illas civitates super quas dominatur; pestilentem postea luem Hispalis experitur, dum malevola conjunctio incepit infelicis Saturni & belligeri Martis, quæ observatur anno 1648. octava die Julii, in undecimo gradu signi *Geminis*, qui influxus cum loca disposita ab influxu antecedenti inveniret, & hominum corpora à longa annona, jam longius protracta, ultimam receptionis dispositionem in illa facilime induxit, aut illam propria efficacia producendo analogicum nempe ad pestem apparatum, corporibus & aëre, dum corruptionem in aëris parte elementata uniformiter difformiter producit, super civitates & oppida *Geminis* signo subdita, & super rationales in teneram ætatem humidæ & alterabilis complexionis facilem; quia humanum signum, in quo planetarum celebratur conjunctio: quod est calidæ & humidæ complexionis, sanguineæ naturæ; quo denotabat potiori efficacia operari in pueros, juvenes, & mulieres; ut in hac constitutione etiam observavimus; hyeme & autumno lente operatur influxus, & in quarta vernali anni 1649. furiosa violentia vires exerit, corporibus & aëre continuo influxu, jam dispositis, quo repente pestem horribilem induxit, nec tantù propria efficacia, sed inferiore dispositione coadjuvante, nempe inundationis aquarum, humida tempestate & putida inquinatione civitatis, quo in fine Martii, principio Aprilis omnem complexionem & ætatem aggreditur, invertit & corrumpit, ita ut jam in fine hujus mensis funeribus templa complerentur, ut jam viæ publicæ essent mortuorum theatra; nam progresso mense Majo, ad profusam tempestatem devenit, quo horrenda erant omnia, & ad vigesimam diem mensis Junii in ingressu solstitii, quia conjunctionis violentiam demoliri, nec adhuc valuit temperare: exinde vero rigor non ita intensus videbatur, nec ita furiosa, & sæva pestilentia, quia jam curationi aptior locus erat: & bubones amplius suppurabant; hæc furia pertenditur ad diem 4 Julii, cum Mars benevolo Jovi jam accedit; cujus societate influxus temperatur; nam cum illo celebratur conjunctio, duodecima die mensis Julii *Libræ* secundo gradu, quo corpora & tempora cœperunt convalescere: quod nos tamen potius tribuimus divinis sanctuariis Christi Domini & Deiparæ Virginis, quæ tum in arcum pacis in omnem civitatem exierant, ut postea videbimus.

Nec admiretur aliquis, quod licet in *Geminis* signo celebretur conjunctio, & non in Sagittario (qui super universam Hispaniam dominatur,) quod hos effectus inducat in Hispaniam: quoniam hoc, aut illud signum dominatur, seu ex constitutione, seu singulari ad clima analogia, & in *Geminis* signo observatur dominium ex constitutione & calida & humida; ideo illa pestilens constitutio furiosius sævit super oras maritimas, & Hispalim, & Cordubam; ceu hujus constitutionis gentilitia: & ob eandem causam super juvenes,

venes, pueros & sanguineos: & ultra hoc etiam *Geminis* est septimum à *Sagittario*, ac ob ultimam perfectionem hujus numeri oppositam priori influxit efficacius: præterquam quod hæc inferiora patibilia ad singulares effectus determinant influxus, secundum dispositionem sibi magis congeneam: ac ideo potest unum peculiare signum, aut Planeta efficacius dominari in hac aut illa domo super clima, ubi illius non observatur singulare dominium; quod sat manifeste probat experientia, in omni fere Vandalia, ac illis civitatibus.

Magnam conjunctionem etiam comitatur pallida & tristis annona hujus anni, & febris puncticularis constitutio anni antecedentis, valde universalis; nam totam civitatem pervadit, dum corpora pestilenti contagio disponit, aëre jam infecto prædictis civitatibus, malignitatis ultimo complemento: quo nostra civitas postea *epidemica* & pestilenti lue coafficitur.

Hæc acciderunt à veris principio hujus anni ad mensis Augusti finem in Murcia, Valentia, Sanctæ Mariæ *Portu*, & *Mundana Cæsarea*, ubi Cæsar filios Pompeji debellavit; nam postea in sequenti autumno in Vandalia cœperunt tempestates, inconstantia tempora, & ventorum varietas, sed boreales amplius perstiterunt, importuno frigore corpora constringentes, ne pravus antea contractus apparatus per poros expiraret, quo hyems frigidissima per tres menses incessanter afflixit, ut præpedito effluvio pestilenti contagio facilius postea cederet apparatus: hæc excipit postea Februarius, & Martius, qui perenni & continua pluvia humidissimi etiam extiterunt, non tantum ob inundationes, sed austro etiam spirante, humiditate innata scatente, cujus occasione putrescibilis facile apparatus inducitur: hos sequitur Aprilis, Majusque intemperatus, in quibus etiam dominantur venti orientales, australibus & humidis permixtis, quibus corpora laxa, gravia, lassitudinibus oppressa, & valetudinaria reddebantur: huic pravæ temporum constitutioni, accesserunt dies obscuri, turbidi, nebulosi, & solis orbitate melancholici, ut seminaria pestilentia viderentur deferre, ceu vere sub illis ferebantur; quoniam inter hos dies (jam pestilenti contagio profundius grassante) dies 26. mensis Maji luce pallida tristis hominibus infelix plusquam tria hominum millia interemit: hæc humida tempestas ad diem 24. sanctissimi Baptistæ perduravit: nam postea æstas sequitur calidissima, & temporibus varia, & semper inæqualis: similis certe tempestas ac illa fuit olim quam descripsit Hippocrates in Thasso accidisse, antequam invaderet pestilens constitutio, quam enarrat 1 Epid. Sect. 2. in principio per hæc verba; *In Thasso ante autumnum frigora secundum tempus, sed repente spirante Aquilone, & Austro, humida prærumpentia; hæc durabant usque ad Virgiliarum occasum: hyems aquilonia, imbres erant multi, largi, magni, nive mixta, suda plurima: frigora non multum erant intempestiva: post brumale solstitium, ubi Favonius spirare cœpit, aspera erat extrema hyems: aquilo multum spirabat, ningebat, pluebat multum, & continenter: cœlum procellosum & nubilum: hæc usque ad æquinoctium duraverunt: ver frigidum, aquilonium, pluviosum, nebulosumque; æstas non admodum fuit fervens, Ethesiæ perpetuo spirarunt, &c.* Ex hac historia illud certe inferimus, quod influxui cœlesti invisibili neque frigus extremum, neque extremus calor obsistit, neque vires retundit; nam inter hæc pestilentia disponuntur seminaria; ut etiam in hac constitutione in nostra Vandalia experimur, quam neque calor, neque frigus infringit: nam æstatis ultimo, sæviente calore, & hyemis frigore dominante, æqualis dominabatur pestiferæ luis crudelis sævities.

Illud etiam peculiare habuit illa Pestis (sic prædicto influxu imperante,) ut singulari energia ad emunctoria conduceret venenum, seu membrorum nobilium, sive cutis: ideo fecit peculiarem febrem bubonum, antracis & carbunculi, hujus apparatum ad similia loca commovendo, nempe ad partes adenosas, & debiles, super quas dominatur; forte quod calidæ & humidæ complexionis signi in quo celebratur conjunctio: & ulterius dicimus, quod ille influxus invisibilis non tantum hos produxit effectus hominibus impervios, sed in aëra manifestas qualitates induxit, & sæpe temporum rationi contrarias, seu ut pravorum humorum apparatum in corpora induceret, ut ex illo pestilens qualitas resultaret, sin minus, ut dispositionem produceret in illum, ut contagium in aëre productum, (ceu in communi causa) facilime susciperet; quo fere accidit, ut veneno in corpore & aëre disperso, ne tantum epidemia communis inducatur, sed læthalis in pluribus, quod in ratione pestilentis constituit statum, & communis & generalis pestis.

Influxum invisibilem visum est temporum constitutioni inæquali copulare, ne quis objiciat se temporum constitutiones observasse, & temporum rationi contrarias, ubi legem tempus impositam non servat, & nihilominus nulla sequitur pestis, sed tantum valetudines, quæ cum ipso excessu symbolisant, absque ullo veneno, ut Hispali experimur frequenter, ubi per mensis Maii finem suda multa, multum & continenter pluit, cum cœlo nebuloso, & anticipat calor, in mense subsequenti: quo generalis tertianam constitutio præoccupat, ut pauci ab illa liberentur; quia communis causa; in hoc tamen ratio utriusque consistit, quod in casu Hispalensi ex hypothesi aër alteratur in primis qualitatibus, immutata substantia quo corpora disponit ad similem excessum, & congeneres morbos: at influxus cœlestis invisibilis, si cum inæquali & contraria incidit intemperie, in ratione temporum, non tantum aërem & corpora immutat in primis qualitatibus, sed in ipsa substantia, dum partem elementatam disponit seu ad corruptionem, seu ad indicibiles & pravas qualitates, (quæ à tota substantia operantur) suscipiendas; ex qua & vapores exhalent, & seminaria etiam pestilentia, quæ aëre delata (veluti in vehiculo, seu in causa materiali seminarii) solent pestem producere, seu morbos contagio infectos.

Attamen ut diffunderetur supra fidem contagium in nostra civitate, illa certe veneni efficaciam superavit (si sic fari permittitur) nempe annona anni antecedentis, & ciborum inopia, & circa necessaria delirium; nam super panem erant lues insuperabiles: tritici, carnium, & piscium longa erat inopia: tritici valor in segetis principio incepit à numis 50. & ascendit ad 100. pi-

ſcium & carnis valor erat ſupra facultatem divitiarum; qua mercium inopia tritici ab exteris nationibus conductio incepit, & hordei, & typhæ partim olida, & partim jam corrupta: & ſalitorum piſcium, præcipue aſelli, (à Rondeletio, quinta hujus piſcis ſpecies, quæ apud noſtros dicitur *barbalao*, & apud Carpentanos *abadejo*;) & aliud grave malum huic malo acceſſit; hæc & illa eſſe recondita humidis armentariis, & aqua reſudantibus circa Beticum fluvium, quæ à fluvii aqua inundantur, per portas & cœmenta: nam harum inundationum occaſione, tritici pars computruit, & piſcium ſalitorum corrumpitur; nec ideo non venditur, melioris inopia: quo in omnem civitatem ceſſit in alimentum, quia publice in plateis veniebat; quod vidiſſe nos etiam teſtamur; quo pravo alimento & corrupto, pravorum humorum apparatus congeritur, non tantum in abjecta & invalida plebe, ſed etiam ingenua; quæ (in noſtra ſententia) potiſſima noſtrorum civium, immenſæ ſtragis cauſa fuit; ob illam pravorum humorum diſpoſitionem, à pravis alimentis jam contractam, in omni ſexu, & in omni ætate, nec tantum (ut etiam pleriſque viſum fuit) in ſervitia plebe.

Illud etiam triſtiorem fecit miſerabilem civitatis ſtatum (erat enim jam tunc miſeriæ theatrum) agentis efficacia, quæ non ſolum corpora jam diſpoſita apprehendebat, ſed repente in omnes ultimam receptionis diſpoſitionem inducebat, (ut de valido agente dixit Albertus Magnus.) quæ certe cauſa fuit, quod ſumma diſpoſitio in paſſo, & extrema agentis activitatis actio effectum multiplicem produceret, in multiplici actu, ſola productionis promptitudine: quæ ſane extitit rationum potiſſima, ut tempore breviſſimo illa peſtis ſtupendam induceret ſtragem, in vaſta civitate, ut majorem nulla unquam alia ætas viderit: quibus adhuc qui vidimus non credimus, nec, credo, credent poſteri. Huic cauſarum violentiæ, alia acceſſit non inferior, quæ pravum apparatum in corpus civitatis induxit, incolarum nempe pene infinita multitudo, viarum communium anguſtia, & domorum, & cujuſque habitantium numerus, odor intolerabilis, & ſordities, quæ ad peſtem inducendam ſat erant; nam cœnum viarum civitatis putidum & corruptum, de anno in annum ſtabulatum erat, & excrementorum multitudo, in viis publicis die noctéque adſervata, commota, tetrum de ſe immittebat odorem, & inficiebat aërem: hæc certe ultima cauſa fuit, quod breviſſimo tempore peſtilentiæ ignis totam civitatem incenderet; nam ſolis duobus menſibus cum dimidio, ducenti mille hominum periere in ſola civitate, & conterminis ejus.

STATIO III.

Cauſæ quæ conſtitutionem peſtilentem præceſſere.

Triplicem cauſam adoravit omnis peſtis in orbe: elementarem, materialem, & divinam; illa certe divina judicatur, quam humana prudentia non aſſequitur, nec auxiliis naturalibus cedit, ſed quam Deus immittit ob populi, aut principis peccata, ut tempore Davidis legimus accidiſſe, & ſancti Gregorii Magni, & imperatoris Conſtantini ſeculis: ſeu in perfectionem & conſervationem univerſi, inſcrutabili divinitatis lege; quoniam cum Deus hanc univerſi fabricam in pondere & menſura creaſſet, & humanarum rerum unione & concatenatione, quando hæc excedunt, ſeu multitudine vitiorum, ſeu perſonarum numero, & horum cauſa deformis redditur pulcritudo, ſeu diſſociatur rerum concatenatio, aut diſſolvitur unio, ſummæ perfectioni gentilitia principio congenita reſcindit dominus, quod excedit, aut menſuram egreditur, perfectioni debitam, ut in gentilitia, principio coæva perfectione maneat, & perditæ pulcritudinis redintegrationi reſtituatur: & hinc forte vetuſtas venerabilis peſtem dixit *flagellum Dei*: Diodorus Siculus, & Halicarnaſſæus *orbis complanatio*: Agathias & Thucidides exiſtimarunt, celebrem illam peſtem Athenarum, Apollinis ira ſuper illos veniſſe, ob cultum Deorum violatum; hoc Tacitus exclamat 16 Annal. per hæc verba: *Fœdum etiam principis animum* (*Neronis nempe*) *etiam Dii tempeſtatibus & morbis inſignivere, vaſtata Campania, &c.* Talis etiam enarratur quæ imperatoris Valeriani tempore orbem fere univerſum devaſtavit, ob impiam principis perſecutionem in Romanam Eccleſiam: nam per decem annos duravit peſtilentia; ſimilis etiam à Procopio lib. *de bello Perſico* refertur: & inde infert divinitus immiſſam, quod humano auxilio non cederet, imo omnia auxilia ſuperaſſe, uſque dum divina ira ceſſerit; à qua videbatur antea dimanaſſe: aliam refert Livius lib. 5. Decad. 1. In qua nec aſſequitur cauſa, neque finis poteſt illa conſequi, donec Romanus Populus ſacrificiis & hoſtiis iram Deorum pacaret; & ad hoc peſtis genus graviſſimi auctores retulerunt inductas *veneficiis*, ſeu impio *aſtu dæmonis*, ut Procopius, Georgius Agricola, Theonius, & alii teſtantur: & nihil frequentius invenitur in divinis & in humanis litteris; & noſtris etiam temporibus receptum legimus, peſtem *Mediolani* in populis Inſubribus, & ipſa civitate *à pulveribus & unguentis veneficis* inductam, veneficarum medio & impio *aſtu dæmonis*. de his etiam (noſtro judicio) illa Hippocratis ſententia intelligitur, 1 Progn. 3. *Et ſi quid divinum eſt in morbis, illius etiam oportet ediſcere providentiam*: & inter bellum & famem, quæ publice his annis graſſabantur, etiam peſtis tela fortunæ ludentis teſſeræ videbantur; ut olim à veneficis ſagis in hominum vitas, militares intendebantur teſſeræ; nam interdum fortuna videtur eſſe ſaga.

Nobis miri non erit, peſtes in divinam ultionem ceſſiſſe ſubditorum & principum: neque noſtra Monarchia eſt ita à peccatis immunis, ne illa in noſtros etiam cederet in ſupplicium peccatorum noſtrorum: & ſi humani diſcurſus quidquam probare valent, hoc unico argumento convincitur, illam fuiſſe divinæ ultionis inſtrumentum, quod in peſte quam vidimus, nullum experiretur adæquatum auxilium in arte aut natura; nam dum peſtis ſæviebat, omne artis & naturæ magiſterium ſuperavit: nam docta arte curati expirabant, non curati, peribant: uſque dum divina miſeratio divinæ Matris precibus acquieſcit, quando illam iridem pacis vidimus, miraculi inſtar,

ſtat, peſtis hydriam ſubito jugulaſſe 28. die Junii, quando furioſius peſtilentia ſæviebat inter duo millia infectorum peſtilenti contagio: nam in 4. die Julii jam omnes ſecura ſanitate, ſaltem læta convaleſcentia, exultabant! Unde, quæſumus, tam ſubito miraculoſa ſalus? niſi miraculoſis ſanctuariis Chriſti Domini & Matris ejus intemeratæ tribuatur, quorum præſentia, publicis ſupplicationibus peſtem illam ſubito vidimus conceſſiſſe, & ſupplicii finem.

Elementaris eſt etiam ſecunda peſtis cauſa, quæ in tot ſpecies dividitur, quot elementa ſunt, quæ corruptionem pati poſſunt: quæ tria tantum eſſe conſtat, ſi Ariſtoteli credere par eſt; quia excipit ignem qui alterationem corruptivam pati nequit; nam ex aliis, duplicem alterationem ſubit aër, ut malignæ & peſtilentis qualitatis ſit capax, ſeu dum propria ſubſtantia corrumpitur, medio cœleſtis influxus, qui illius diſpoſuit patibilia ad alterationem corruptivam, ſeu temporum conſtitutione calida & præhumida, pluvioſa, ut antea ex Hippocrate vidimus; ſeu ſolo influxu inviſibili, nulla cœli intemperie, quæ occurreret oculis, ut Tacitus notavit in illa quæ incidit in tempora Neronis: ſeu ſecundo modo, dum primis tantum qualitatibus alteratur, ut poſtea videbimus. primum accidit, dum vehiculi inſtar, ſeminaria & vapores peſtilentes hinc inde ſecum defert, alibi jam producta, velut à cadaveribus in bello derelictis, paludibus infectis, aut ſimilibus, licet nullam corruptionem conſortii ratione patiatur: ſeu dum alterationem patitur corruptivam, ut cætera corpora, quæ putredinis etiam ſunt capacia; aëris in propria ſubſtantia corrupti plura exempla retulerunt auctores, ut in ſudore anglico Mediolani peſte, ut Saxonia refert, Mercurialis, Jovius, & Majolus; & in Græciæ peſte, quam Thucidides refert, & ſui temporis Hippocrates coævus.

Unicum tamen eſt hujus corruptionis in aëre infallibile ſignum, nempe, quod ſit communiſſima, acutiſſima, & quæ majorem partem ægrorum breviſſimo tempore interficiat; quod inter plures cernitur eodem aëre inſpirato; & maxime quando doctæ artis auxilia in necem cum veneno conſpirant: ſeu lædunt cum juvare deberent, & cum repente ceſſat nullo peſtis veſtigio derelicto: talem fuiſſe quam his diebus vidimus, noſtra Hiſpalenſi urbe, inde maxime reor, quod in illa hæc omnia vidimus obſervata; nec obſtat à peſtilenti contagio incœpiſſe, alibi delatis ſeminariis, & mercibus, & veſtibus; nam poſtea hæc illa & mortuorum numerus, cadaverum congeries & peſte infectorum multitudo taliter diſpoſuerunt aërem, ut in propria ſubſtantia ſimilem corruptionem pateretur, ut illam deferebant ſeminaria, ad quæ maxime influxus cœleſtis inviſibilis non parum videbatur conducere, dum perenniter, uniformiter, difformiter ſeminaria in ipſam aëris ſubſtantiam producebat; & ſi hoc durum alicui videatur, non ibimus inficias; fuiſſe aërem ſolis ſeminariis peſtilentibus alteratum.

Non tantum aër, in propria ſubſtantia corruptus, eſt cauſa communiſſima & generalis, ſed qui alterationem patitur intimam & profundam, temporum continuata ſerie, in una aut duabus qualitatibus: verum quæ magis cum peſte ſymboliſat, eſt calida & humida, ut quæ corpora celerius & promptius diſponit ad putredinem, & ſimilem ſuccorum apparatum, & cauſam; qualem aliquando influxus propria vi producit: ſit hujus veritatis fideliſſimus teſtis ille ſtatus peſtilens, quem Hippocrates refert, 3 Epid. Sect. 3. per hæc verba: *Annus erat auſtrinus, pluvioſus, à ventis ſilens:* Quod Galenus confirmat in illo commentario, alio Pedacii Anaſarbei exemplo, tempeſtatis alterius in Cranone Maneſiæ Theſſaliæ civitate 2 Epid. Sect. 3. aliud tamen minime prætereundum duxi, humidam temporum conſtitutionem (quantumvis humidiſſimam conſideres) non eſſe cauſam peſtis effectivam, niſi ſimul cœleſtis coincidat influxus, qui peſtilentem qualitatem de potentia materiæ, humiditatis occaſione putridæ, educat: quia licet alia cauſa ſingularem poſſit inducere putredinem, ut inde reſultet illa maligna & venenoſa qualitas; hæc ut ſingularis, non poterit conſtitutionem generalem inducere, ut influxus cœleſtis, quod generalis cauſa: nos etiam humidiſſimas & longius protractas conſtitutiones Hiſpali vidimus, cum ultima diſpoſitione ad malignam putredinem peſtem non induxiſſe, ſed morbos exceſſui congeneres; & in illa quam enarrandam ſuſcepimus conſtitutione, humidiſſimam temporum conſtitutionem obſervavimus, ſed præceſſiſſe antea magnam conjunctionem, & Saturni & Martis & Solis admirandam Eclipſim, quorum influxus inviſibilis peſti cauſam effectivam dediſſe, minime dubitamus; quod idem fere colligitur de Athenarum peſte; non enim videbatur poſſibile ab Æthiopia in Ægyptum & Aſiam per tam longa ſpatia perveniſſe, niſi cœleſtis influxus ſeminaria peſtilentia perenniter produceret, & producta deferret; hæc ſunt verba Thucididis: *Incœpit autem primum (ut fertur) ab Æthiopia quæ eſt ſuper Ægyptum; deinde in Ægyptum Libyamque deſcendit, & in Regis regionem plurimam, in Athenarum porro urbem derepente incidit, &c.*

In ſecundo loco caloris exceſſum, aërem peſtilenti contagio diſpoſuiſſe legimus; nec ab hac ſententia alienus Pergami magnus ille Magiſter lib. 1. de Diff. feb. enarrat temporum conſtitutionem diſpoſuiſſe aërem ad caloris exceſſum in illa peſte Græciæ, quam enarrat Thucidides: hæc & illa, (ne pluries repetere cogamur) in cap. 4. ſic proſequitur; *In peſtilenti vero ſtatu, inſpiratio potiſſimum eſt cauſa; ſit autem & aliquando ob eos, qui ſunt in corpore humores ad putreſcendum paratos, cum brevem aliquam occaſionem ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal: magna autem ex parte ex inſpiratione incipit aëris circumſtantis à putreſcibili evaporatione infecti; putredinis autem principium vel cadaverum multitudo, non crematorum, quemadmodum in præliis contingere ſolet: aut ex aliquorum vel lacuum, vel paludum æſtatis tempore evaporatione. Contingit autem quandoque præcedere ambientis aëris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea peſtilentia, quæ Athenienſes invaſit, ut Thucidides inquit; ſed in tuguriis ſuffocantibus æſtatis tempore habitantium corpora corruptione laborant; at quia humores corporum ex victus pravitate erant putredini obnoxii, hinc febris peſtilentis origo data eſt, &c.*

Ex his Galeni verbis haud obſcure colligitur, ſolum caloris exceſſum, ad peſtem inducendam, ſat

sat non esse, nisi sit putredinis alia dispositio, calori copulata, seu ex prava victus ratione antea contracta, seu aëris constitutione humidissima, seu vaporum materiæ corruptæ; seu ex ipso aëre, putredine infecto: est enim in calore unum tantum putredinis principium: & pestilens qualitas à primis qualitatibus, nec retundi nec infringi contingit; sed cuique ad male operandum associari; observavimus enim, nec hyemis rigorem, nec æstatis ardorem, pestilentem qualitatem infregisse, neque seminaria pestilentia omnino disperdidisse: nam in Astæ & Portus civitate & Cæsaris Mundana, per hyemis rigorem, pestilentiam vidimus viguisse: in vere in Hispali incœpit, & in æstate viguit, & Cordubæ in utraque viguit tempestate; nam contagii pestilentis efficacia omnes alias superat qualitates, omnes despicit, & omnium efficaciam supergreditur, quantumvis contrariæ videantur; quoniam pestilenti qualitati contrariæ non sunt; nisi ex accidenti seminaria dissipent, & vapores quibus illa qualitas diffunditur, & quibus conservatur: seu dum illa extrema frigiditas coërcet, calor extremus dissipat: quod sola illa peste accidere, consonum rationi videtur; quæ solius contagii comes erat; nam illa quam induxit solus corruptus aër, caloris & frigoris despicit actionem: nec cessat nisi dum purus aër loco infectę regioni adveniat: quæ fortasse est ratio, quare subito illa, & sine retrocessus periculo evanescat; sed quia interdum viget in extremo æstatis calore, ab illo etiam videbatur producta: ut de Athenarum peste plerique tradiderunt.

Sed non inde gravius urget dubium, sed an pura siccitas aërem possit ad constitutionem pestilentem disponere: dubium quod doctiorum ingenia contorsit; quoniam si verum est, quod dicebamus antea (& est etiam Hippocratis, & Gal. sententia) quod ut plurimum pestilens qualitas ex profunda & reduplicata putredine resultat, & sola siccitas putredinem coërcet, corrigit, & emendat; in vera Philosophia convincitur, non posse pestem ex pura siccitate advenire: & nihilominus alicui viro docto visum est, illam esse possibilem: nam Fabius Paulinus in suis commentariis ad Thucididis pestem, ex pura siccitate advenire, contendit; illud tamen probat evenire ex alio principio, quod vires nempe in corpore dissolvat, & labefactet, id est, calorem ingenitum, & radicale humidum, sive nectar vivificum: sed plerisque exemplaribus historiarum tantum virum judicamus deceptum, illorum nempe virorum, qui ut Historici, & non ut Medici, illarum pestium retulerunt memorias, dum enarrant quæ legerunt in aliis, suaque illi, ut indocti in illa materia, viderunt; hæc patet Titi Livii exemplo: nam lib. 3. Decad. 2. pestem quandam enarrat quæ anno 363. ab Urbe Condita per universam civitatem grassabatur, & ortam fuisse dicit ex pura siccitate, nimiisque caloribus, aliam refert Sabellicus Enneade 3. lib. 5. quæ ex sola siccitate ortum duxit, & comicus Poëta in OEdipo Thebarum pestem nitidissimis versibus celebravit, quos transcribere nolui; quia illa poëtica delectant potius pulcritudine, quam veritatis confirmant testimonio; si nitidissimum & gravissimum Virgilii Maronis excipias poëma, ut qui in omni scientia gigantisat; nam de simili peste sic loquitur ipse:

Linquebant dulces animas: atque ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Syrius agros,
Arebant herbæ: & victum seges ægra negabat.

Quod pestilens affligeret contagium, per magnam siccitatem non dubito: sed quod pestis ex pura siccitate vagaretur, hoc minime concedo. Paucis lineis (si possum) comprehendam quod in hac re alibi comprobatum reliquimus, titulo *de maligna & pestilenti febre*; à pag. 72. & seqq. Tribunalis nostri Medici. nam pestilens & venenosa qualitas (quod idem de maligna intelliges,) semper una cum sit, oritur à diversis principiis, nec semper ex putredine, nec ex corruptione sic absolute dicta, ut plerique dixere; quia aliquando hoc adorat principium, quod frequentius accidit, sed interdum illam produxit ustio in materia quæ veneni sit capax: nec moror, an ustio etiam sit maligna putredo, quoniam per pabuli corruptionem accidit absque ulla putredine: testem hujus veritatis habemus in quocunque singulari veneno metallorum, vegetantium, & animalium, in atrabilariis humoribus, ut Hippocrates dixit de phrenetico, qui virulenta vomuit, & Galenus in illo commentario confirmat; & 4 Aph. 22. libro de Atra bile; de natura humana, & de cibis boni & mali succi.

Pestes ergo, quas illi retulerunt auctores, & Fabius Paulinus tribuit extremæ siccitati, ex illa ustionis sorte productas secundum rationem reor, cum ex illa venenosa & pestilens qualitas producatur, & non ex communi illa putredine, uti cæteræ solent: quod facile ex ipsismet auctoribus colligitur; nec dubites ex illa ustione, cum extremo calori extrema siccitas copulatur, in materia apta, ultra caloris effectum, malignam & venenosam produci qualitatem: quoniam illud luce clarius patet versato in Hippocratis & Galeni doctrina, maxime 4 Aph. 22. & 23. & in phrenetico quem antea citavimus; nam ab extremo gradu illarum qualitatum, quæ dicitur ex-ustio, cum extrema acutie alia qualitas à calore resultat, quæ dicitur malignitas, seu venenosa qualitas: quæ à tota substantia operatur: quo non sit mirum, si pestilens illa qualitas extremæ siccitati tribuatur.

Ex humida constitutione pestem produci, satis superque patet, & communiter accidit: seu (ut quidam doctus dixit) repleto putridis vaporibus aëre: seu sensim corpora & humores putredini aptissima reddendo, uti nobis videtur, ceu efficacius putredinis principium, sive corruptionis, unde maligna qualitas; & si fermentatur, amplius venenosæ, & satis pestilentis. hujus pestis erat status ille pestilens quem retulit Hippocrates 3 Epid. ut etiam illa famosa pestis, ex qua Romæ Papa Venerabilis Pelagius ab hac vita migravit, ut illius temporis historici scriptis tradiderunt.

An ex frigoris ultima intemperie pestilens constitutio in orbe fuerit observata, non est valde alienum à doctorum judicio; nam aliquis doctus refert talem fuisse quæ anno 1234. per universam Germaniam divagata est, cum gelu Padus obriguit: nec illud ab Hippocratis sententia videtur alienum, in 6 Epid. text. 1. quandam

etiam constitutionem sui temporis enarrat Titus Livius, quæ principium duxit ex frigida intemperie cœli raptim facta: aut ergo illa pestis species ad summum frigiditatis gradum reducitur, sive ad pestilentem qualitatem exinde promanantem, in summa constipatione pororum corporis universi, effluvio omnino præpedito, quo necessario inducitur putredo, saltem alteratio ad putredinem, sive talis corruptio, ut pestilens qualitas valeat dimanare: si sat esset extremæ frigiditatis rigor, semper in Germania, & provinciis quæ sub cardine septentrionis subsunt, (quibus sol vix accedit, si Olao Magno, & Majolo fides est) perennis esset pestis: quod si experientiæ repugnat, erit necessario recurrendum ad qualitatem exinde promanantem.

Licet ergo in peste Hispalensi ex jam præfatis causis plures adesse viderentur, veluti peccatorum supplicium, cœlestis influxus, magnæ conjunctionis & eclipsis; ad ea, quæ expendere curiosa valuit observatio, accedamus. In fine Februarii mensis repetitæ inundationis occasione, commercii interceptione, & ultima alimentorum inopia, ex invalida plebe plures periisse, observavimus: sed illud tribuebatur nuditati, inopiæ, & extremæ paupertati illarum gentium: quoniam pleræque domus pauperum sine ornatu erant, & sepulcra corporibus exanimis videbantur, ubi alii in extremo angone expirando agebant tristem animam: quod domibus inundatis aquarum videbatur frequentius: postea inundatione jam cedente, & fluvio in situm naturalem remeante, & in alveum refluentibus aquis, neque moriendi finis erat; nam alii repente moriebantur: plerique citius solito expirabant: quo jam per hæc tempora rumor Trianæ suburbanis aures civium acrius feriebat, vagos Ægyptios, & male feriatos ab Insula Gades & Alta vicina civitate (quibus jam contagium exardebat) rejectam ad littora supellectilem pestilenti contagio infectorum, secum ad Trianam duxisse: hoc ergo (sacræ cupiditatis supplicium, nam turpis avarus, & insolens superbus, supplicium ascivit in delicto) in vicinos diffunditur, quo miserabiliter perierunt Ægyptii, & vicinorum plures, pestis manifesto inditio: & inde, & ex pluribus aliis, qui ex Portu, & Mundana Cæsarea & Insula Gades (quæ jam contagium clare patiebantur.) in nostris suburbanis cum familia universa hospitabantur, nostra pestis incœpit: nondum enim Gubernantium, Magistratuumve acrior cura solicitabat animos; nam privatum jus cujusque animum acrioribus stimulis explorat, quam commune.

Illud tamen miserabilem civitatis statum reddidit tristiorem, quod publico timore *omnes* clamabant, & *nullus* audiebat: hinc effecit malefida securitas, ut citius opinione per universam civitatem, diffunderetur pestis, forte præcautione tanti mali neglecta, in advenis despectis, vestibus & personis contagio delato: jam erat notissimum in omni civitate, quod moriebantur ex febre pestilenti fere in paucis horis, omnibus civitatis suburbanis; quo in tempore curator animarum in sacrosancta Magdalenæ Ecclesia, qui sancta Ecclesiæ Sacramenta ministrabat, primus omnium contagium in civitatem detulit; sed & primus ipse morte luit: ut etiam illius Ecclesiæ sacrificulus, in satis glorioso ministerio: quo incerta præsumptio in omnem abiit certitudinem: & adhuc inter dubia, & varias sententias fluctuabat communis necis causa.

Nec inferior erat periculi occasio, nec ut contagium diffunderetur amplius, dum absque providentia vires exerit, auxilio undique denegato, omnium rumorem pestis celandi desiderium, qui jam undique per oppida vicina divulgatur, (gubernantium maxime) ne commercio undique præpedito, & alimentis omnino denegatis, civitas universa periret, inopia & fame: nam hæc incerta politica (licet male-fida) pro tempore librata, ab omnibus amplectitur: & contra divulgantem agit unusquisque fiscalem, & impie Gubernator irascitur. quo quisque libertati preferebat silentium: nam dum silent alii, alii puniuntur: quo nec erat loqui, neque tacere, tutum: qua sane importuna prudentia, tolerandi, & silendi, diffunditur contagium per omnem civitatem de domo in domum, taliter, *ut jam domus caderet super omnes*, ut communiter dicitur: nec ab ullo possit adjuvari. Cui malo aliud gravius accessit, ut hoc civitatem absque ulla præventione publica occuparet, quando jam super cives instabat: quo aliqui sine ornatu sepeliebantur, & suos ægrotantes condere in secreto pium judicabatur, ut pestem suis celarent laribus: & ne supellectilem pretiosam igni cremandam traderent: alii, non curati, peribant, vicinorum auxilio denegato: quoniam patres filios in periculo deserere, pium judicabatur; cum filii etiam deseruere patres, & à parentibus filii fugiebant: & eo tandem res devenit, ut oppida vicina viritim, nos armis & fustibus exciperent: ut se à tam sævo malo tuerentur; & hinc tot & tam gravia emerserunt pericula, ut prius pœnitentiam invenirent, quam auxilium.

Sed in tanta rerum confusione, præposteræ curationi & indoctæ, & absque ulla methodo illa major occasio observatur, viros ingenuos, doctos, & sapientes præmiis non afficere, cumulare honoribus illos, nempe qui auctoritate, sapientia, & consilio possent in illa publica calamitate adjuvare: quia licet verum sit quod publico muneri ob solam divinam & proximi charitatem se deberent offerre, hoc non omnibus datur: quoniam illud est peculiare & divinum auxilium, quod à Deo tribuitur cui placet; quod nec omnes assequuntur, & nullus promeretur; ac ideo si vir talis non esset, qui se sponte periculis objiceret, deberent Gubernatores urbium, præmii & honoris stimulo, ad pietatis studium celebriores viros incitare: nam imperiosa violentia adhuc cordatos homines, juste sibi & aliis consulentes, à recte operando dissuadet: sunt enim hæc violenta media libertati improportionata, quæ precibus, non imperio, demolitur. Sic enim tristem Reip. statum prudentes Gubernatores levasse legimus, & solatium civibus attulisse. Hoc erat in Rep. & hominibus altissimi judicii gubernata; illud promptius ac efficacius necessitatis auxilium existimantes: & in rei veritate inter humana non invenitur aliud; quoniam paucissimi (si rerum experientiæ credimus) Dei, aut patriæ amore incitantur; generosi & nobiles spiritus ut plurimum honoris ambitione commoventur, cui gene-

rosi aspirant, & veluti fidibus aureis attrahuntur: sed plures oblato pecuniarum præmio (laboris dulce solatium, & fallax periculi levamen) legite quæ simili occasione operantur Athenæ (quæ gubernationem ita legibus naturæ metiuntur, ut esset Reip. Romanæ, & aliarum universi prototypus) in illa memorabili peste, quæ ab Æthiopia incœpit & per Asiam ad Ægyptum & Græciam divagatur; ut Thucidides refert: cum ergo Gubernatores Athenarum tot repentinis mortibus, horrore & admiratione pestis obsessos suos viderent cives: ducti amore patriæ, & civium afflictioni condolentes, convocarunt Hippocratem, & precibus præmiisque, ad opem in publica necessitate ferendam deprecantur. Sic in illius vita Soranus Ephesius alloquitur: *In tantumque Græciæ amator fuit, ut cum ipsius nominis celebritas usque ad Persas divulgaretur, atque ea gratia ab Artaxerxe per Hastanidem Hellesponti præfectum magnis muneribus & precibus, ut ad ipsum veniret, invitaretur: ob honestatem argentique contemptum, ac Græciæ amorem Regi id denegavit; ut ex epistola ejus manifeste ostenditur: propriam porro patriam liberavit: quapropter splendidos honores apud Coös consequutus est: imo & apud Thessalos Argivosque, & Athenienses, qui eum Eleusinis sacris secundum ab Hercule, publico initiarunt, & civem conscripserunt, atque in Pritanæo, alimenta tum ipsi, tum posteris ejus dederunt, &c.* Hoc celebratur præmium litterarum honorificum, in illius beneficii gratitudinem: hæc enim pariter illis debentur ac qui patriam liberant suo vitæ discrimine; hæc debent Gubernatores imitari, quibus salus publica commendatur; magnum illud exemplum etiam senatus populusque Rom. imitatur, qui legem tribuit universo, in prima Democratia gubernationum florentissima, dum Roma viguit floruitque: nam hæc à peste formidabili & horrida obsessa, Athenas legatos misit, ut tanti mali impetrarent auxilium, ac Romanorum calamitati illi compatientes, imaginem (quam venerabantur) Æsculapii, Medici, ad illos remiserunt, in figura serpentis caduceo erectam, quo salus populi universi comparatur: in cujus beneficii gratitudinem, oblationes offerunt, & in posterum ut Deum venerantur.

Quid ergo mirum, si præmia emeritis salutis deputentur, honoris aut auri & argenti, si vitam illi in oblationem civium, summo in periculo obtulerunt; ut etiam constituisse legimus viros Olysipponenses anno 1599. dum duos celebres Medicos stemmate insigni crucis Christi: (quod est supremum stemma hujus regni) condecorarunt: quia vitam propriam pro civibus liberandis, qui in illa civitate auxilio deserti peribant, generoso animo obtulerunt: & nec tot defecerunt in illa quot in nostra, in tam brevi spatio. Et ut omnibus liqueat, quam inæqualia extiterunt præmia, & pestis horrendissimæ pericula, in nostra civitate, Medicis, quos impia conduxit violentia, (& si quis alius ultro offerebatur,) singulis diebus deputarunt quatuor nummos argenteos (vulgo apud nostros 4. *pessos*) & chirurgis tres; & in plerisque neque adhuc solutio devenit; & hoc ut inter duo millia infectorum pericula subirent, in hospitio, cujus odor intolerabilis, morientium horribilis aspectus, moriendo sat esset, absque ulla infectione pestilenti, in primo hospitalis ingressu, ne dum in prima die. Hæc diximus, ut si (quod omen Deus avertat) nos alio in tempore adoriatur pestis, discat caveatque posteritas, ne tanta gentium multitudo consilii inopia periclitetur, & præmiis incitentur emeriti, ut attentione & charitate melius operentur, quam solent homines præmiis condonati.

Crevit in immensum numerus infectorum, & cum multitudine confusio, & ministrorum horror, curationem pene reddebat impossibilem: rerum indispositio, rem adhuc nec satis commodabat; nam super mille contagio infecti, subito occurrerunt, hospitio nondum bene formato: nec aulæ nec atria numerum capiebant, & nudo campo fere hospitabantur; nec epulis satis erant ministri, neque cibariorum hora servabatur; nam à 4 incipiebant hora, & per totam diem, nec tempus satis erat, epulis male conditis, nec ita delicatis, ut necessitas erat: nec in tanta rerum confusione sat erat imperiosa superiorum ministrorum auctoritas: nam plures inter auxilia erant auxiliorum Tantali, quando vulturum morborum Titii; quo plures peremit confusa rerum impossibilitas, quam pestis. Hæc erant illo pestis initio, & duravere usque dum experientia (horrore jam depulso) metum excussit, quod à convalescentibus incœpit; quoniam ii cum se jam in tuto à tam sævo malo judicarent, timorem facile excusserunt, unde aliqui pietate commoti, plures graviorum malorum compatientes, & non pauci ob præmia, forte prædæ occasiones (nam omnia videbantur in prædam data) se gravissimo obtulerunt periculo; sed viri religiosi, pietate insignes, pondus curationis ad finem gloriose pertulerunt: quo fere necessitas universa impletur; illi enim nec periculis, nec vitæ incommodis parcendo, in sancto ministerio perstiterunt; sed inter justos depeculatores etiam grassabantur: quoniam jam tunc officialis magistratus tantum propriæ vitæ consulebant.

Clamoribus populi in Aprilis principio hospitium commune (licet sero) paratur, solis triginta lectulis pro mille contagio infectis; ægrorum crescit numerus, in civibus & pietatis amor; ministri violentia conducuntur, qui coacta voluntate nihil proficiebant, (nescio an gubernantium incuria) hoste jam cominus invadente; nam providentia in eo tantum à prudentia differt, quod illa respicit in futurum, & ista, præsentia uti decet, disponit; & quotidie uti pestilenti contagio super illos infectos super mille etiam ceciderunt, quo semper necessitati auxilium erat impar; ideo tam excedenti numero perierunt, quia nec conductioni satis erant ministri, neque auxiliorum administrationi, in accidentium tam præcipiti & admiranda confusione, & magis in principio, ubi pietas non omnium animos occupabat: imo tunc unusquisque propriam tueri vitam satagebat; nam horror & admiratio profundius animum occupabat, quam ut possit in aliorum necessitatem respicere; jam enim publicæ viæ, mortuorum corporibus repletæ, viatoribus impedimento erant: quoniam super cadavera ambulare, & super vestes contagio infectas, impellebat necessitas; in vias enim projiciebatur pretiosa supellex, si judicabatur contagio infecta: & audeo

deo asserere tam multa & pretiosa in vias communes à Dominis rejecta, ut milliarii pretium excederet, præter illa quæ comburebat ignis, & male feriati homines furabantur; ecclesiæ nec illarum cæmenta cadaveribus excipiendis sat erant: nam singulo quoque mane super illa immensa cadavera projecta comparebant: & solas super ædes metropolis Ecclesiæ quædam dies illuxit, qua nonaginta cadavera absque ullo ornatu insepulta projecta videbantur; & super ædes Parochiales Salvatoris 80. & totidem in sacra sacrosanctæ Magdalenæ Ecclesia, & illarum respectu in aliarum ædibus. & hoc non in uno, sed aliis continuo diebus; quia neque currus sat erant ad tam multa cadavera conducenda, licet multi per omnem civitatem conducerent, multis corporibus alio die missis in canum forte pabulum, ut alicui accidisse audivimus; & in tantum pravus odor increvit, in domibus & viis, ut solus de aëre corrupto testaretur; nam inspiratus omnes fere inficiebat aër.

Sub hac confusione civitas fluctuabat inter civium ululatus, & gemitus, sub publico præconio, ut se sua quisque domo mederetur, quia tantam gentium multitudinem hospitium suscipere non poterat: per vicos & plateas gemitus soli audiebantur tristes: erat ita deserta civitas, ut horrorem solitudo incuteret, adeoque viventes morbidi super mortuos caderent: hæc erant à 20 Martii ad 26 diem Maji, qua ita pallida dies illuxit, tristis & melancholica, ut horror illam esset aspicere, quia similis color parietibus & hominibus erat: in cujus nocte sequitur horribilis & funesta eclipsis, cum ventorum & aquarum horrenda tempestate, ut noctem illam omnium tristiorem redderet & funestam; & cum illa die & nocte ad hospitium conduceretur infectorum immensa multitudo, quam cum nec atria, nec aulæ hospitii (licet valde capacia) capere non valerent, major pars infectorum, ad cœli inclementiam in campo derelinquitur: cujus inclementiæ ratione, ex ipsius civitatis infectis, & ex illis conductis, constat super duo millia hac nocte periisse: quo morientium extrema infœlicitas jam erat viventium, invidia quia funeralium pietatem invenerunt, quam se consequi posse viventes desperabant, si ultra decem dies finis moriendi non daretur; nam qui persistebant adhuc, ita erant animo consternati, viribus exoluti, decolores, & pallidi, ut mortui potius viderentur; & in hac die in sole & luna talia hominibus apparuerunt signa, ut finale viderentur æmulari judicium: nam uti pecudum greges (ut etiam Thucidides de peste sui temporis refert) per vicos & plateas, & in campis mortui cernebantur.

In hoc ergo rerum disturbio, ubi cujusque ultima fati dies erat, pro ut sors decrevisset, nos certabamus, pariter in duro belli campo, dum vires & animum altius curis attrita altissima tempestas demergebat, in tempestatis popularis, periculorum medio, cujus contagium jam majorem partem Medicorum absorbuit, & paucis derelictis erat ultimus labor, quo in statu nos etiam divino auxilio confidentes, vitam extremo periculo dicavimus, civibus nostris & Deo dicatis religionibus, ut Deus decrevisset: sed aut summa necessitas, aut ultima confusio, quæ meliori consilio lucem adimit, nos singulari asterisco compellere decrevit, ut intra hospitii limites ægrotis contagio infectis mederemur, absque ulla remeandi libertate: quo edicto nobis renuntiato, perpendimus Medicos alios civium curationi deputatos, & non majoris pretii tituli nec honoris, nec obligationis, & ultra illos 30. juvenes Medicos per ipsam civitatem tacita permissione divagari, hospitii curationi & assistentiæ aptissimos; potiori virium resistentia, aptiore ætate; quo civitatem deserere prudentissimis viris ad lucem melioris consilii tunc videtur, dum transiret Gubernatoris impetus: & testor Deum, quod neque mortis timor, nec horror morientium, nos ab illa functione seduxit, sed sola debitæ æstimationis præsumptio, quam violare nulla permittit ratio, nec inter tantos ulla suadebat necessitas; & utcunque alea verteretur, (hoc nobis permittatur.) nulli cedere nobis semper, generis æstimatio suadebat; & hoc etiam facile suadetur, nam inter ipsa discrimina nullum nos à recte operando deterruit; & licet in communi periculo in nostra manu esset necessitati cedere, & jus vitæ periculo exponere, uxoris, & familiæ, nec facile nec possibile fuit: quo temporum necessitati cedere, dignum videbatur Stoicæ prudentiæ, ideo à civitate discessi, & à propriis laribus potius in obsequii gloriam, quam juris violati injuriam, dum in mense Majo pestilentiæ ignis exardebat.

Sed in tantum postea sæviit pestilentia, in omni civitate, & talis horror civium animos occupavit, ut lares & familias desererent, & domorum pretiosam supellectilem, amabiles divitias: desertas deseruere domos: & inter hæc à nobilioribus & generosis fœminis, & viris nobilissimis, victus in diem quærebatur: & cibaria propriis manibus ministrabant, quia omnes domestici eorum è vita excesserant. Medici & Chirurgi fere omnes perierant, & pauci superstites labore delassati, latentes in occulto se à tanto labore abdicabant: qua necessitate exacte collimata, & nostræ resolutionis rationibus cum torno & cothurno versatis, à superiori Tribunali, quod princeps publicæ pestis necessitati præposuit, nos decreverunt in civitatem iterum revocare, honorifico titulo, publico Tribunalis sigillo, & illius secretarii consignato (cujus originale in nostro musæo conservatur) ac misso tabellario & litteris acceptis, in illo quo morabamur oppido, quod dicitur *Guelva* apud nostros, omni rescissa mora, in tanti muneris gratitudinem, in nostram civitatem devenimus, die 8. Junii & læto animo nos cives exceperunt, veluti in auxilium tantæ necessitatis, quod nos etiam in illorum gratiam indefesso labore compensavimus.

STATIO IV.

Signa quæ in hoc statu pestilenti observavimus, nec tantum in communi, sed quoque singulari pestilenti contagio infecto.

Illæ occasiones, hæ causæ, admirandæ stragis nos ad ultimum miseriæ redegerunt: nunc contagii & morbi qualitatem expendere, & quæ illam comitabantur accidentia, rerum consulit ordo; Pretioso tempore abuti videretur, qui il-

lud fruſtra tereret in diſquiſitione, an ille qui Hiſpali vagabatur ſtatus, vere peſtilens eſſet: quando Galenus 3. Epid. ab hoc otioſo labore nos excuſat, & paucis ſane verbis: *Vnus enim*, inquit, *de vulgaribus morbis & ipſe peſtilens eſt: neque enim certi eſt nomen morbi, vulgare peſtilens: cæterum quicunque uno in loco multos ſimul invaſerit, vulgaris hic vocatur: qui ſi ſimul hoc habeat, ut multos perimat, peſtis ſit, &c.* Hæc febris in principio majorem partem Medicorum decepit, urbium aliarum (excepto in noſtra civitate; nam mox à principio peſtilentiam novimus, & Gubernatoribus prædiximus,) nam cum ſimilem ſtatum non vidiſſent, conſtitutionem eſſe morbi puncticularis exiſtimabant; ſeu ne communi orbarentur commercio, ſeu quod realiter hoc illis videretur; illud tamen recte non expendebant: nulla enim conſtitutione morbi puncticularis (quantumvis generali) ad inguina bubones, nec ad extra carbunculos adveniſſe omnibus fere ægris, nullus teſtatur auctor, nec unquam obſervatio monſtravit: & nihilominus diu in hoc errore perſtiterunt civitates vicinæ, uſque dum infinitus numerus infectorum, & repentinæ mortes nebulas excuſſerunt; hoc Corduba & Fermica Auguſta, quæ dicitur *Aſtagi*, ultra anni dimidium affectavit; & peſtem divulgantem, capite poſtulabat, querebunda: & hoc idem noſtri Gubernatores in principio ſatis manifeſta violentia contra noſtrum judicium exigebant; quod nec miri nobis erat, quod peſtis nunquam, omni detecta malitia incipiat, uſque peſtilentia ſeminaria vires exerat, quo corpora diſponunt, ſeu jam diſpoſita inveniunt, cum peſtis ut pulvis tormentarius incenditur, ad hoc cœleſti influxu coadjuvante: quo duo conſequuntur, & ut generalis & communis reddatur, & ut majorem partem interficiat, ut toto menſe Maii Juniique obſervavimus: dum lente in principio vagaretur: illud etiam vidimus contagio diffuſo, ut auxilia quæ in principio levamen attulerunt, cederent poſtea in pernitiem, & cum morbi veneno in necem conſpiraſſent: cujus mutationis mox ratio videbitur. Sit ultima hujus diſcurſus clauſula, quod nec vidimus, nec in hoc tempore dubitare audivimus, in aliqua popularis morbi oppreſſa civitate, an illa conſtitutio eſſet morbi puncticularis; quin experientia peſtem eſſe monſtraret; ac ideo inpoſterum reor ſtabilitum fore, ut ſi febris incipiat, (licet moderatiſſimis ſymptomatis, & licet pauci ex illa moriantur) cum bubonibus ſub alis, ſeu ad inguina, ſi hæc per plures contagio diffunditur; quod hæc eſt vero peſtis incipiens tamen, quoniam in hac conſtitutione illud in omni Vandalia obſervavimus.

Tres conditiones, (ut inquit Galenus) conſtitutionem in vere peſtilentis rationem conſtituunt; prima, ut ſit vulgaris epidemia; ſecunda, ut ſit contagioſa; tertia, ut majorem partem interficiat; prima ex his verbis colligitur, *Vnus ex vulgaribus morbis.* Secunda ex illa, *quicunque uno in loco multos ſimul invaſerit*; Tertia, *ut multos perimat*; quia veneni pernities qua plures apta eſt interficere, illam in veram peſtis rationem conſtituit, licet actu non perimat; quia plures vulgares morbi, & epidemici vere contagioſi ſunt, & tamen non ſunt peſtis, ut ophthalmia, cutis defœdationes, &c. omnes tamen conditiones intelligimus, lente initio incipere, poſtea vero peſtilenti contagio diffuſo, corporibus diſpoſitis, impia violentia perimere; *Quare peſtis eſt maligna infectio cum continua febre ex aëris infectione, ſeu maligno corporis apparatu, cujus maligna & venenoſa qualitas primo cor, ſeu aliam partem nobilem inficit; ſecundo ſpiritum vitæ ſuffocare intendit, alias diſſipare; tertio ſanguinem putreſacit; quarto partes internas ulcerat, & ſalem microcoſmi ita acuit, ut veneno permixtus partes vicinas corrodat:* hinc varia & contraria pullulant accidentia, ut lethargicæ affectiones, cataphoricæ, delirium cordis, palpitatio, æruginoſi vomitus, extrema linguæ ſiccitas, ſpaſmus, fluxus ventris colliquans, mentis & corporis ſtupor, & tandem bubones & carbunculi, utplurimum inſpiratione communicatur lues, quia cum homo ſit ex quatuor elementis compoſitus, terra nempe, aëre, igne & aqua, eiſdem conſervatur; dum ergo indiget ventilatione caloris influentis, aut inſiti, per arterias ex aëre inficitur, & per pulmones, arteriarum extremitates & ſpiritus; quare ſi ſpiritus robuſti ſunt, (ut uni magis quam alteri contingit) ut malignam infectionem repellant, aut retundant, ſeparando illam ad alios humores, aliaſve partes corporis, fit pugna diverſis ſymptomatibus in ſe ipſa pugnantibus, ubi ſpes aliqua curationis in adminiſtratione auxiliorum oritur: ſin vero debiles & pauci ſint ſpiritus (ut valde melancholicis accidit & debilibus) infectio vires eorum ſuperat, & pene ſuffocantur, ſeu diſſipatione exolvuntur: & mors prima aut ſecunda die cum pulſu inæquali, interdum & urina laudabili, præoccupat periculi timorem; malignitas enim cor occupat, nec alios humores attingit, qui urinam inficiunt, à quibus urinæ ſeparantur; & natura perterrita venenum non aggreditur, quo natura ſuperata morti cedit.

Nec illud inter cauſas volui præterire, quod à pleriſque traditur obſervatum, quod interdum peſtis provenit à veneficis ſagis, quæ pulveres venenatos per vias communes, & per prata ſpargunt, quibus pecudes primo inficiuntur, & homines ex illis, quo paulatim poſtea magnum contagium in homines deſcendit: quod etiam nulla in eo culpa, nec ſagarum malitia poterit advenire: quando pecudes nempe ob cauſam depravati vaporis & aëris infecti; pruinæ venenatæ, quibus herbæ campi torrumpuntur, venenum hauriunt; cujus peſtis exemplum, Angelus Sala ſe vidiſſe teſtatur in Germania in quodam menſe Maji. ſæpe etiam accidit, ut cauſæ inferiores & cœleſtes conjunctim operentur, ubi peſtis magis univerſalis & perniciosior graſſatur: quod nos etiam vidimus in noſtra conſtitutione in 26. die menſis Maji, ut dicebamus antea.

Nunc ergo ſerio expendamus quæ in hoc ſtatu peſtilenti Hiſpali acciderunt: quod eſſet generalis morborum conſtitutio, ſatis ſuperque patet, ſi una ſola die Hiſpali vidimus duo millia peſtilenti infectorum contagio, ex peſtilenti febre, & in omnibus ſimili carbunculis, & bubonibus inſignita. quod illa eſſet contagioſa, nemo inficiabitur; ſi ſola cujuſdam magni miniſtri domo, 37. icti peſtilenti contagio periere; & ſolis ædibus Ferdinandi de Omonte, 34. Marchionis del Algava, 30. ubi nec ſignifer evadit, ut parœmia dicit:

dicit: in andronio quod Hiſpali dicitur *de trompe-ros* 280. in Comitis andronio 300. in religioſo conventu ſanctiſſimi Franciſci 180. ex venerabili ordine clericorum omnium quatuor millia 40. ex patribus Jeſuitis 160. ex ſola Medicorum familia 14. chirurgorum & vulnerariorum 120. ex portatoribus curruum, & valetudinariis nullus pene evaſit: ex ſola metropolitana Eccleſia 300. ex dominis canonicis & portionariis 23. & ſic in aliis conventibus ad proportionem familiarum, ut & pleriſque domibus; & cum Hiſpalis cum ſuburbanis ejus conſtet triginta millibus larium, ſi unaquaque domo, ad ſeptem tantum animæ perierunt, (nam à contagio neque decem domus immunes perſiſterunt) ducenta millia conſtat periiſſe: & hæc fuit communis civitatis opinio; nec excedimus in computatione: quo tertia conditio abſque ulla controverſia probatur; quæ eſt, *ut multi pereant*; quod aliter ad limam & lineam redigere nemo potuit in tam magna rerum confuſione, ubi neque ſibi, nec aliis quiſque ſufficiebat: hoc idem planctus & gemitus populi numeroſi exclamabat; & hoc deſerta civitas melius confirmabat; nam herbæ per vias communes germinabant, nec viri erant in plateis; imo tota civitas advenis horrorem pariebat.

Veniamus ad ſigna infectorum: ſigna quæ in hac conſtitutione obſervavimus, nec omnibus ſimilia, nec communia erant; ſed in pluribus inſuperabilis triſtitia, erat contagii initium, & tam dejecto & conſternato animo, ut omnes pene vitæ deſperatio occuparet: poſtea febris incipiebat, ſecundum corporis apparatum, ſive malignitatem & veneni naturam; nam erat pleriſque lenta, ſi cordis corpus venenum invadebat, nativo calore prorſus extraneato, & converſo ad igneam naturam, ut neque pulſus ab ſtatu naturali, nec urina ab ſtatu naturali mutari viderentur; ſi ab humorum putredine incipiebat febris, cauſonem ex ſanguinis putredine prorſus æmulabatur, urina perturbata: & in principio præoccupabant omnia accidentia, quæ erant augmenti & ſtatus gentilitia, cum ſaturato maxillarum rubore, illoque etiam corporis univerſi, cum quadam excretione rubida ſimili morbillorum, (apud noſtros dicitur *Alfombrilla*) ad cujus exitum cordis palpitationes, vomitus, anxietates, cum aliſmo implacido, excipiebant: ut ubi quies ſperabatur, ſubſultaret gravior inde labor; aliquibus uri interna viſcera videbantur, ut ſupra nudum corpus adhuc levia linteola ferre nequiviſſent: imo ut nuditatis algore fruerentur, projiciebant ſeſe ipſos à lectulo, ut nos aliquos vidimus. Cujuſcunque ſortis potum revomebant, quem ſequebantur æruginoſi, & porracei vomitus, interdum atræ bilis manifeſto inditio, bilem ſeu melancholiam, juxta cordis ſinus aduri veneni peſtilentis conſortio, ut Galenus advertit in phrenetico, qui virulenta vomuit; ſimilis enim color evomitur veneni, ut his venis aduritur; plerique decepti externæ refrigerationis ſuſpitione, (ad hoc enim nunquam defuit cauſa.) in illius auxilium, hauſtulum aquæ calidæ tribuebant, quam in eodem inſtanti revomebant, & mox febris concitabatur ardentiſſima, cum ſiti inexhauſta, & inde longe diverſa accidentia aliquando contraria; alios fallax ventriculi decipiebat cruditas, (ſunt enim ſimilia hoc tempore cruditatis, & veneni ſymptomata, dum illud adoritur ventriculum) in cujus coctione expectanda, occaſio auxilii præteribat; & urgentiæ etiam indicatio non exacte librata, pari celeritate, ut neceſſitas erat, cum vitæ manifeſto diſcrimine, protrahebat auxilia: uſque ſuo judicio cruditas, aut arte, aut natura mederetur: & cum hoc in pleriſque nec facile nec poſſibile erat; imo eſſent talia accidentia peſtilentis veneni, omnes illi fere moriebantur intra diem, quibus cataphorica accidentia ſuperveniebant lethargi aut phrenetidis, ac perenni ephidroſi expirabant.

Et interim faſtidium ciborum abominatio ſuperabat, ut mori potius cuperent quam comedere, ut nullo ingenio, vel leviſſimo alimento cogi poſſint: nec adhuc violentia; violentæ anxietates ephidroſim ad pectus & ad caput anxie concitabant, quæ omnia virium extrema eclipſis cum ſyncope funeſta ſequebatur, quo diaphoretico & frigido ſudore omnes fere perire obſervavimus; ac illud etiam omnibus fere vidimus, ut gravativo & impio capitis dolore, oculos ſublevare non poſſent, cataphorico ſomno: triſtitia omnibus, & vitæ deſperatio erat inſuperabilis; fluxus ventris paucis adveniebat in principio, (ut vomitus in omnibus) ſed quibus à tertia die ſupervenit, erat ipſo jure læthalis, ſeu colliquatione, ſeu ipſa veneni violentia, ut ſervæ noſtræ accidit; nec illud erat in omnibus commune; nam pleriſque licet ſymptomaticæ eſſent excretiones, levamen attulerunt, & fuere auxilio, quia cum utili pravum etiam vacuari ſolebat; ut pleriſque Hippocratis tempore in alia conſtitutione legimus accidiſſe, quo multi inopinato invenerunt auxilium, ubi alii necem: præcipue qui virtutis vigore, irritationis violentiam levius pertulerunt; hic enim in omni vacuatione ſymptomatica unica ſalus erat; omnibus in commune fatale erat, febrem deliquiis & cordis doloribus incipere, & tali virium exolutione, ut ægritudo plurium dierum videretur, & maxime cum ventriculi exolutione, ut illis accidit qui venenum hauſerunt: quo etiam faſtidium illis perenne erat, ut ſi ad alimenta cogerentur, mox revomerent: nec illud miri erat, quod illa eſſent veneni peſtilentis accidentia, quod jam ventriculi & cordis ſubſtantiam occuparat infarctum.

Interdum autem ſi cor & hepar robuſta impetebat, hæc laceſſita membra, illud à ſe repellere, vigoroſo conatu nitebatur: quod ut plurimum vidimus accidiſſe, cum intra venas incipiebant humores ebullire: quo in tempore duo accidere notavimus, (& illud in pleriſque) nempe quod horripilatio, ſeu levis extremorum frigiditas, cum anxio aliſmo, febris acceſſionem comitabatur, venenoſis vaporibus ex intimis venarum ad cutim expirantibus, ſeu à natura laceſſita compulſis: ſed in pleriſque aliis bubones erumpebant ſub alas, ſeu ad inguina, ſeu varias in corporis partes: nam pone aures parotidarum forma non ita cito erumpere notavimus; ſed poſt aliquod cataphoricum accidens, ſeu impiam metaſtaſim ad cerebrum, (maxime à palindrome alterius abceſſus) nam oppreſſum illud membrum, ſeu veneni acrimonia laceſſitum, proprio emun-

ctorio venenum deponebat; si non dicimus quod cœlestis influxus invisibilis à commotione febris occasione concitata, seu ebullitione hos humores, veneni sigillo præsignatos, singulari energia ad hæc emunctoria commovebat, seu singulari imperio, quo super partes adenosas dominatur.

Illud tamen silentio præterire non licet, bubones (nostro idiomate *landres*) constitutionis initio multis & doctis Medicis imposuisse, quoniam non videbantur pestis malignæ esse, sed critici abcessus illius febris fortis: & hoc omnibus fere civitatibus imposuit, quia cum febre & non maligni moris, (quantum licuit observare) fere ad quintam diem erumpebant, & mox suppurabantur; ac suppurati, febris & accidentium omnimoda remissio sequebatur, ut nobis etiam constitutionis initio innotuit: nec enim ii illis erant læthales, qui in bona quantitate erumpebant, & cito suppurabant, ut filiæ chirurgi satis Hispali noti, & venerabili patri Augustino: hoc erat in principio; nam postea contagio inter multos diffuso, nec bene erumpebant, nec apte suppurabant; imo qui justo minores erant, neque pro febris ratione erumperent, læthales, ut plurimum experiebantur, ut qui cito interius recurrebant.

Ex his bubonibus plerique ipso febris initio erumpebant, alii 24. horis jam exactis, sed cæteris ut plurimum tertia febris die: veruntamen sub quadam differentia, ut qui justo minores erant, seu in parva magnitudine constiterant, ut parvam nucem fere æmularentur, neque color cutis mutaretur, ii secunda aut tertia die moriebantur: sed mortis cito venturæ illud erat infallibile signum, si cum bubone maculæ & puncticulæ aut lividæ, aut nigræ erumpebant: & hos vulgares Medici mori ex febre puncticulari existimabant, non ex bubone, nec febre pestilenti: quia non perpendebant justo majorem venenosæ materiæ, quantitatem naturæ impotenti impedimento esse, ad venenum à corde propellendum, licet lacessita natura tunc insurgeret, ut contra pondus palma, ut ex illo humore bulliente subtiliorem partem ad cutim, pro maculis & puncticulis propelleret; qua in pugna natura delassata, à veneno juxta cor derelicto, superabatur facile: ac ideo tales repente, Medicis nihil tale verentibus, deficiebant fere inopinato, in ridmo pulsibus non mutatis, & urina laudabili, quia in hoc statu natura superata, seu timore perterrita, non aggreditur pugnam; sed nec omnibus, nec pluribus illud erat commune, sed debilibus tantum: imo enim in aliis paulo valentioribus, & natura veneni violentia lacessita, turgentem illum humorem, ut sors tulerit, huc illuc extrudebat ad hepar, ad ventriculum, ad cerebrum, ad nervorum originem; quo tales fere moriebantur fanatici convulsi seu cathoci.

In inguinibus forma bubonis erat, ut oblongi abcessus de phlegmonis natura, in longitudinem musculorum protensi, ut picem fere æmularetur; saturato rubore, valida renitentia nec valido dolore, & in plerisque magis se protendebat in partem musculosam, quam adenosam partem; sub alis etiam erat in figura oblonga, & plerisque rotunda, maxime dum similis amygdalæ, aut avellanæ erat; sed illi omnium deteriores erant, quod invalida virtus; malignitas intensior, aut onus expellenti superius: sed ubi natura valida, abscessus ad justam magnitudinem erumpebant, ii seu resolutione, seu suppuratione, ægrotos liberabant; quod multis vidimus accidisse exacto mense Majo; quo in tempore jam fere nullius curæ erant; quia plures iis liberabantur; & quia suppurationem accidentibus vacuam expectabant, & sub illa securius medebantur.

Sed adhuc inter illos plerique adeo exitiales erant, licet justo majores, (quod valde pestilentes,) quantumvis valida natura tam magnam quantitatem critice videretur expellere, & vere expellebat, ut perderent ægrotos: nam in medio abscessus, & intensi ruboris, interdum maculæ apparebant pallidæ, aliquando lividæ, aut nigræ, quæ instrumento vulnerario adhuc leviter tactæ, gangrænam & necrosim subtus esse monstrabant; omni superiorem auxilio: & siquis evasisset, omni putredine ad partem sanam penitus amputata, (pro tempore librata piissima impietas) ad longum tempus postea convaluerat; & ex iis plures etiam tabidi perierunt.

In numero abcessuum etiam erat magna varietas, quia in aliis unicus tantum erumpebat, sub alas seu ad inguina, & exitum monstrabat parvus dolor in loco, & sæpe neque ad longum tempus germinabat, seu humoris defectio, seu præ naturæ atonia; aliter in plerisque quatuor simul in quatuor emunctoria ibant, majores aut minores ut apparatus erat, nec illud tantum mirari erat; nam aliis tota gutturis regione ad pectus usque vidimus erupisse: & aliis ad pectus in partibus diversis, in brachii flexura & curvatura genu, non nullis germinavit abcessus, & in brachialibus etiam non plerisque: & fuit inter alios, cui octo diversis in locis eodem fere tempore proruperunt: nec illud in deterius erat, quia naturæ robur huc illuc, infecti humoris pravitatem foris nitebatur extrudere: quo plures ex illis etiam effugere pericula.

Aliud per hæc tempora etiam observavimus, clamosos dolores subito in omnem ventris regionem irruisse, & qui nullo auxilio, licet valde paregorico, cederent, cum febre urentissima: & intensos dolores comitabatur etiam renitentia, in illa regione, & intus & extra exuri videbantur ægroti. Duo in hoc casu perpendimus, utrumque secundum temporis rationem: seu quod turgentia, humor compulsus, ad viscera interna phlegmonem seu inflammationem concitabat, in mesenterio, hepate, aut liene, aut in omnibus simul: cujus præsumptionis illud erat maximum argumentum, arida & nigra linguæ siccitas, sitis incompescibilis, & febris urentissima: seu illum esse bubonem pestilentem, ut cæteris in locis, quod interdum invalida natura possibile conatu, omnibus collectis viribus, pestilentem humorem ad emunctoria rejicere tentaret; & consequi non possit præ atonia, quo humor futuri bubonis in inguinibus, in ipso mesenterio sistebatur; & clamosos dolores in ventre concitabat, illa sola phlegmonis differentia in mesenterio esse aut inguine; hæc veritas non sola præsumptione, sed validis rationibus fulcita, eo maxime titulo confirmatur, quod omnes illi difficilima respiratione,

ne, in crebritate se ipsam consequente moriebantur: seu inflammationis magnitudine, seu funesta palindrome ad pulmonem, seu inflammatione intercipientium membranarum; quæ licet diversa curandi indicationes non evariant.

In hac morborum syndrome accidentiumque confusione, quæ in pluribus vidimus, non erat concursus uniformis, sed secundum differentiam actionum pestilentis veneni, & conditionem producti apparatus, quorum ratione mira erat varietas; nam venenosa qualitas una cum sit, varias actiones continet imminenter, & in actu producit; in aliis enim inflammat, mortificat, corrumpit, & putrefacit: & in apparatum varias etiam imprimit actiones: ideo in aliis fluxum concitat ventris, & illum colliquantem; vomitus & nauseam in plerisque, quibus aliqui (licet ancipiti fortuna) evaserunt; venenoso humore simul cum utili educto; ideo nec omnibus fuere tam sinistri judicii: iis tamen exceptis, ubi præ extrema facultatis retentricis atonia diffluebant; ut cuidam generosæ Dominæ vidimus accidisse, quæ, facultate vitali penitus exoluta, expiravit, biliosa & exolvente diarrhœa.

Inter hos pestilentes bubones, plerosque infrigidari vidimus, & 3. 4. aut 7. fatis cedere: non tantum quod pestilens venenum in cor inspiratione ferebatur; (hoc enim ab omnibus communiter recipitur) ubi vivificum nectar dissipat, & in caloris fonte influentem spiritum diaphoretico sudore exolvente: sed quia sæpius (& hoc meretur singulari asterisco notari) pestilens & venenosus humor, furiosa turgentia concitatus, in aliquod membrum princeps irruebat, seu in partem ignobilem mesaræi aut ventris, & in quam decubuerat gangrænam, seu fatalem necrosim inducebat, ex qua reddebantur veluti gelu frigidi, vitalitate penitus exoluta, ut etiam plerisque constitutionibus febris puncticularis vidimus accidisse, & maxime in ea quam curavimus anno 1632. in quibus illud peculiare erat, mori perspicaci & integro judicio: in eo tamen erat mentis error, ut quæsiti, se nihil mali pati existimarent, licet plures impotentia vigilandi perierint, cataphorici, & alii phrenetici.

Plerique velut fulmine icti, repente concidebant, obmutescentes subito, alii epileptici, alii epistotonici, nervis reversivis, retractis ad nervorum principium, peribant, ut mercatoris filius, studiis & judicio spectabilis: occasione data ab humoris furiosa turgentia, ad nervorum originem: at vero si illa prava metastasis in cerebri substantiam irruebat, inde fatalis certe desperatio, (quod in aliis vidimus) occupabat, dum syderati caderent, cerebri inflammatione ardentissima febre: illius tamen erat maximum argumentum, subito obmutescere, contremiscentes motibus convulsivis, dentium stridore, & fatali anaudia, ex quo in cerebri sphacellum transitus videbatur, ac inde subito peribant phrenetici, cataphorici, sine ornatu, hinc inde procidentes, & inter aphoniam obmurmurantes dentium stridore.

In aliis vero febris incipiebat in principio lenta, & ad 4 usque diem accidentibus non longe à febre alienis, nec illo febris more maligna videbatur: sed in quinto agebatur in furias ardenti empyreumate animi, & corporis angore, implacido alismo: ac ita delassati, in ipsomet labore quietem inquirentes: color erat veluti mortuorum, cum pulsus omnimoda asphigia (cordis substantia veneno lacerata) quo in angone ultimum conatum natura intentabat, & ad 6. aut 7. maculæ & puncticulæ, aut lividæ, aut nigræ erumpebant, dispersæ ad pectus & ad dorsum, ultima fati sorte: nam ea nocte aut die illis ultimæ lucis erat: nec ex iis ullum vidimus liberatum; nam omnes in hac expulsione in pugna delassati ceciderunt, absque ullo bubone, nec carbunculo, ultima sorte expellendi atonia; & tot rerum varietas statum pestilentem insignivit, universa vastata civitate, ut ea enarrare humani judicii non sit: dicant cæteri, quid in tanta rerum confusione observarint.

Hæc erant à Martii initio & ad finem Aprilis: nam Maji principio incœperunt inter pestilentes bubones, & novo pullulantem veneni efficaciam, carbunculi pestilentes erumpere, & antraces, (paucissimi enim antea visebantur) & hoc nostro judicio, quod primis illis mensibus indicibilis putredo prævaluerat: postea vero cum in humoribus adustio incœpit prævalere, (propria pestilentis qualitatis conditio continua actione humores ad ustionem ducere) aliqui incœperunt carbunculi erumpere: quia jam illa antecedens putredo ibat in ustionem, ad illam humoribus dispositis: seu dispositione jam inducta veneni efficacia, dum alios mortificat, alios inflammat, & omnes velut ignis comburit; nam secundum tempora & dispositionem in humores hos effectus producit, dum ad hoc, aut illud agentis determinat actionem patibile.

Hi omnes carbunculi observabantur, potius pestilentes: (non enim repugnat statu grassante pestilenti ustivos permisceri & æstiomænosos absque peste) parvi & absque elevatione depressi, & circum-circa parva aut nulla phlogosi, nec inflammatione, & sola nigra pustula quam circundabant grana, milium æmulantia, & non levi pruritu; sed illos gravia accidentia sequebantur, nempe æruginosi vomitus, & anxia certamina, febris intendebatur urentissima, lingua sicca & arida, nec illos lectulus capiebat: illud tamen magis mirari erat, humidissimis pueris, & infantibus ab ubere lactantibus (quibus humiditas temperamento prævalet) quatuor & amplius carbunculos erumpere: quibus luce clarius patet, nativo temperamento non posse melancholicos & urentes humores prævalere, nisi illos pestilens & venenosa qualitas ex nativis produceret, cujus efficacia superat temperamenti indispositionem.

Ad hoc etiam curiosa devenit observatio, ut cum unus, aut duo erumperent carbunculi ad brachia vel crura, mox illos sequebantur bubones è directo, proximo emunctorio jam fieret ex communi consensu in rectitudine partium observata, (ut in omni alia harum partium læsione accidere videmus) jam ex effervescentia & ebullitione, juxta principalia membra, quæ coactam naturam ad expulsionem concitabat humoris venenosi, ut ab illis naturali instinctu periculum averteret: illud tamen in illis observavimus, ut sola carbunculi medela mederentur bubo-

bubones; infallibili consensus argumento.

Antraces & carbunculi per omnes corporis partes erumpebant, hac sola differentia, ut qui jugulum pectus & caput occupabant, essent ipso jure læthales: neque longe est inquirenda ratio; quando omnibus patet, nempe ob vicinitatem & consensum cum præcipuis membris, corde, cerebro, & hepate: quæ jam valde collapsa, cujuscunque vapori pestilenti manus dabant. Plures ad ventris regionem vidimus erupisse, & primis haud dissimiles in malignitate & periculo: qui cætera corporis membra occupabant, non tantæ malignitatis erant, tanto minus quanto à corde aut cerebro distantes: illud tamen totam attentionem, & medentis præoccupabat animum, videre nempe bubonem & antracem simul, & in eodem loco in necem miserabilis ægroti conspirare, gangræna impio sphacelo; quorum periculum neminem vidimus effugisse.

Ii omnes carbunculi utplurimum in toto mense Majo & subsequente Junio læthales vagabantur: licet sub finem Junii magis curationi cederent, quia jam veneni malignitas remissior suppurationem expectabat; nam dum incœperunt erumpere, omnes pene gangræna & sphacelo in pernitiem ibant, fatali morticinio. In hac tamen lamentabili clade paulo minus lacrimis digna erat imperitorum chirurgorum temeritas: (nam doctissimos semper laudabo viros, quorum ope & sagaci solertia plures ab orco vidimus revocatos) ipsa morbi violentia deterior: plures enim sine arte nec consideratione, indicationibus penitus ignoratis, ut ut sors tulerit, medebantur: ac tandem, quod in hac constitutione prævaluisse vidimus, effectus adustionis erant, cujus longa vestigia adhuc statu pestilenti exacto, permanserunt; velut erisypelata, pustulæ ardentes, tertianæ, & causones; nec pauci postea tabidi ad manus retorridi marasmi periere.

Ex populosæ civitatis gentium multitudine, ex sordida & invalida plebe, gregatim plures vidimus periisse pestilentia ictos, uti servi, laboratores, & omni servitio addicti: illud erat cum pestilens incœpit constitutio: nam contagio per aërem diffuso, & illo communiori facto, & seminariis per gentes & domos vestibus & cohabitatione, ulterius dispersis, tunc *nec signifer evasit*, (ut est parœmia,) ex servitia, nec ingenua plebe: nam excrementa per vias communes jam sparsa, & à multis projecta infectorum contagio, ex quibus tot vaporum ascendebat colluvies, ut aërem in propria substantia inficeret, & omnia corrumperet; jam tunc, nec ex ingenua, nec servitia plebe, nec sexus, neque ætas erat à periculo vacua: nec latebris absconditi fugere contagium, nec monialium præmunitæ clausuræ, licet commercio omnino præpedito: in omnibus tamen illa pestis, famosam pestilentiam æmulatur, quam Tacitus lib. 16. Annal. descripsit, in tempore Neronis, quando dixit: *Pertulitque violentiam ad vicina urbi, ubi omne mortaliumgenus vis pestilentiæ depopulatur, (nulla cœli intemperie quæ occurreret oculis) sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur: non sexus, non ætas periculo vacua, servitia, perinde ac ingenua, plebs extingui inter conjugum ac libertorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur*, &c.

Iam per hæc tempora diffundebatur æqualiter contagium, per arces & tuguria, nec humilibus parcebat, nec ingenuis: quid non admirandum in hoc tempore vidimus? lactantes pueros mortuæ pendentes ab uberibus matris: pietati pupillos immensos commendatos pestis reliquit impia: quid ponderationi reliquit admiratio? inter morientes, & qui vivebant adhuc, erant promiscui gemitus & clamores: mortes erant promiscuæ, & pueris, & senibus, validis, & invalidis: sed ex utroque sexu, in excedenti numero defecerunt mulieres: ex ætatibus, & pueri & juvenes: & ex temperamentis sanguinei, sive pituitosi: & talis horror homines occupaverat, ut desererent & domos & familias: & quærentes alienas, cum se in tuto esse existimarent, ibi pestilenti contagio vulnerati, & suorum solatio orbati, tristi in solitudine expirabant; plures, agrorum quærentes solitudinem, & hominum fugientes consortium, ad desertum illos sequebatur contagium: ubi paulo quam civitate minus moriebantur auxilio deserti; erat deserta civitas: viatoribus, (horrore qui pilos erigebat) triste mortuorum, & solitudinis spectaculum: portæ ejus desertæ: & palentes homines in domorum porticis expirabant. Hoc in omnium mente fixum erat, si Majum & Junium æqualiter in contagio Julius sequeretur, nullum superstitem in civitate fore sperandum: ex iis tandem qui conducebant currus, & sepulcro mortuorum dicatis, nullus fere evasit.

STATIO V.

Quæ in hujus pestilentis constitutionis medela observavimus, in tam vasto ægrotantium numero.

In tot infectorum medela, major erat confusio quam explicari queat; quia omnes hujus constitutionis initio solis generalibus præceptis medebamur, absque ulla singulari notitia pestium aliarum: aliam enim nullus nostrorum vidit, nec curavit; quo omnes novitii & tyrones eramus, in hac singulari energia veneni: ideo illius pestis horror, & ne afficeremur pestilenti contagio, nos à majori attentione revocabat, nec auscultationi majoris necessitatis & urgentiæ, tempus erat, nec ad expendendum affectus differentias neque causas: & præceps periculum, utplurimum intellectui nebulas effundebat: omnis enim affectus, tunc omnium judicio pestis erat, quando multi alii affectus, absque ullo veneno, cum peste confunduntur; neque horror & metus, singulares pulsuum differentias & urgentiæ indicationes expendere facilime permittebat: omnia enim (si verum fari licet) rei novitas & admiratio, confundebat: nam omnia veluti fugiendo peraguntur: haud minus obruebat ægrorum multitudo; & casus nos edocuit, quod nihil magnum bene semel peragitur: est enim ejusdem rei experientia antea necessaria, & ut facilior reddatur operatio, & ut novitatis repente venientis, & periculi timor superetur; hoc enim perduravit, donec fiducia nostri excuteret timorem.

In hujus pestilentis curatione, nullus non observavit,

servavit, alexiteria calidiora, seu intus potu sumpta, seu ad extra imposita bubonibus, carbunculis, votis non respondisse, imo expectationi contrarios effectus induxisse; nam omnes theriacæ inflammationes ad extra, & ad intra, causones concitabant, & graviora mala cataphoræ phrenitidis: ut decocta scordii, angelicæ, & imperatoriæ. scabiosa, calidaque similia exterius imposita, erisypelata, & graves intemperies inducebant adhuc secundum rationem adapplicita: sola frigidiora videbantur proficere attemperata veneni acrimonia, & utraque modo auxiliabantur, ut postea videbimus: talis erat hæc veneni energia.

Magis præsentaneum erat auxilium, (peste incipiente) timorem à se ipso dejicere: nam timidiores & consternati homines, sub initium contagionis citius afficiebantur: pavor enim qui homines sub initia occupat, in valore quiescere non sinit; nec publica tristitia: hæc enim contagionis initia inducunt: quare velim ut Medicus generosus memoriam confirmet, & judicium, debilesque illas, ac meticulosas animi passiones, quæ nonnunquam plus mali, quam venenum ipsum, attulerunt.

Sub illa contagionis initia antequam vires suas exereret venenum, & seminaria pestilentia validiora essent, nec ita longe lateque diffusa, ut per omnem Martium & Aprilem, humoribus non adeo infectis, neque toto corporis apparatu pestilenti veneno insignito, magis videbantur proficua auxilia, & sanguinis missio, sanguisugæ & scarificatæ cucurbitulæ nobis proficiebant, & ab ægrotis melius ferebantur; & quæ ex talo phlebotomiæ erant, feliciori acciderunt eventu, meliori fortuna, in viris, pueris, mulieribus, & in omni ætate: & hoc in sola febre pestilenti observavimus, absque ullo bubone, nec carbunculo, sola malignitatis ratione, dum illam abduceret à corde: in mulieribus enim nec illud miri erat, quoniam, ut dixit prudentissimus senex, libro de Virginum morbis (nec aliter credendum quam validis certe fundamentis) *in mulieribus omnes morbi ex utero*: quæ nos volumus intellecta per se aut per consensum.

Sed bubone erumpente, aut carbunculo, illud nostram attentionem magis solicitabat, eruptionis situs, an à ventre & renibus inferius inguinibus & cruribus; nam tum sanguinis missio erat necessario ex talo celebranda, ad artis principia & præcepta, & ut à corde revellatur venenum; & quod illa inferiores venæ tam magnæ evacuationis sunt capaces ut brachiorum venæ; & à corde paulo minus distantes ut ex utriusque rami anatomia, alibi demonstravimus; præterquam quod si fieret à brachio, ad cor necessario venenum duceretur; carbunculis vero & bubonibus, qui à renibus sursum erumpebant, attentior solertia acriorem necessario solicitabat animum, ut ex arte melius operetur; nam si erat in brachii flexu, (ut sæpe etiam vidimus accidisse,) ex manu aut proximo brachiali, è directo secundum rectitudinem, erat sanguinis missio, dextra cum dextris, sinistra cum sinistris observata, & nunquam à contrario; ne venenum per cordis ventriculos ad contrarias venas duceretur; & si manu erumperet, ex eadem aut brachii flexura, sanguinem mittere, prudens erat consilium; & si forte eodem simul tempore in partibus contrariis, nempe in dextris & sinistris, sive supra & infra, phlebotomia ex utroque latere, simul, ex proportione respondentibus locis imperabatur; videlicet ex talo & ex brachio, in ea quantitate quæ unciam æquaret; si effectus erant urgentia æquales; nam si alius alterum urgentia superabat, ex latere urgentioris sanguis tunc mittebatur; attamen potioris urgentiæ illud erat maximum argumentum, bubonem aut carbunculum graviora inferre accidentia, doloris aut inflammationis, seu tumoris, forte imminentis gangrænæ. (licet difficulter possit ferri judicium utri sit adscribenda) quo in statu compressis ligaturis, si non cucurbitulis impositis juxta minus urgentem, ex latere urgentiore proximo, sanguis ad necessitatem mittebatur: sed sero subsequente, seu solis duabus horis jam exactis, eadem cautione sanguis ex illa mittebatur, quæ antea fuerat ligatura compressa: at vero si supra scapulas & renes eo tempore contingeret erumpere, eadem cautione è directo, à corde venenum abducere, sanguinis missione imperabatur, ligaturis parte minus urgente compressa; & eadem cautione sero à contrario latere.

Et pari observata doctrina sub eisdem Medicinæ præceptis medebamur etiam accidentia, nempe phrenesim, cataphoram, stomachi dolores, hepatis, renum, & universi mesenterii, dum superveniebant soli aut complicati, bubone aut carbunculo: nam hæc accidebant omnia; carbunculum erumpere in crure, & phrenesim aut lethargum concitari, seu dolores in ventre, quo sanguinis missio incipiebat à læsę partis pede; nec erat inconveniens ab altero incipere, quia à crure contrario derivatur, à capite revellitur, ut illa nos docet vulgaris, sed satis necessaria sententia, *Altero crure laborante, alterum scarificabis*; sic omnibus cataphoricis symptomatis complicatis, bubone aut carbunculo, eadem medendi ratio, pro tempore librata, medendi artem illustriorem fecit; nam si phrenitis, aut lethargus, aut aliud cataphoricum accidens febri, pestilenti superveniat, tunc semper sanguis semel, aut bis, mittebatur ex talo: postea vero si aliud accidentis urgentia postulabat, nec illud doctæ arti gliscebat, quæ nos antea doctissimis præceptis informavit, ut ad venas superiores accederemus, genuino & proprio auxilio: nam ablato omni impediente, sanguis ex brachio postea mittebatur, brachiali aut manu, interdum cum pede alternatim; & si casus permitteret indutias, (quod raro vidimus accidisse) à fronte aut leonicis aliquando extrahebatur sanguis: quo in tempore etiam nos vidisse testamur, ad 4 diem delirasse phreniticum, nec ideo cerebro confirmari (ut loquuntur nostri recentiores) ut Matheo de Sorea, satis Hispali noto.

In topicis etiam sua erat varietas pro ipsa affectus ratione: nam ubi in phrenitide, furor & audacia, prævaluerat adustio & calor; tenuibus humoribus erat maximi usus oxirrhodinum, ex solis aquis & aceto rosato, rosata nempe & lactucæ; si vero somnus insuperabilis in crassis & viscidis humoribus, ex duabus partibus olei rosati & una aceti parabatur, ut consulit Galenus &

Ætius; nec repugnat illi parum aquæ rosatæ admiscere; & principio & augmento exacto, aliquid resolventium: & sub hac intentione embrocis utebamur soporiferis, & attemperantibus, secundum morbi tempora. Illud etiam videbatur attentione dignum, ut vapores exusti in cerebri membranis, & tunicis imbibiti aliqua resolutione solverentur, quantumvis in statu calor & putredo ustiva contrarium consuleret; gravius enim imminebat periculum ab exhalatione & vapore impacto, quam ab externo resolventis calore; dum poros aperiendo juvat. sola narcotica auxilia in hoc statu fere nullius usus erant, ob virium defectum essentiali imbecillitate contractum: & ne occasio magni auxilii urgentiæ æqualis elaberetur; nam propinato narcotico, (& hoc est magno Medico dignum) nocte antecedente, in die qui subsequitur, sanguinis missio cum extremo celebratur discrimine: quia tales ægroti à sanguinis missione redduntur veluti gelu frigidi: quia nativus calor narcotico obrutus, sanguinis calore defraudato, extinguitur. Hæc cautio vos oro, ne facile è mente elabatur.

In sanguisugis quædam observatione digna acciderunt; nam in hujus constitutionis initio, maximi usus erant & auxilii; dum ad artis principia erat illarum usus: nempe si post repetitam sanguinis missionem ex talo, à sanguine corrupto & infecto, natura dudum exonerata, octo aut decem, sanguisugæ hæmorrhoïdalibus venis adaptarentur: nam magna pars sanguinis fœculenti, venenosi & putridi, stabulatur in mesaræi venis, (quæ ad hæmorrhoïdales terminantur, ex cavo hepatis & ramo splenetico) veluti in sentina aqua in cerebrum & cor, pestilentes vapores cum veneno etiam pestilenti, in pernitiem mutuas tradunt operas; quibus illa educta fœculentia, febris & accidentium æquale videbatur auxilium; & illud nobis erat maximum argumentum, in omni febre putrida, sive simpliciter maligna, curationem à sanguinis missione ex talo, incipiendam, si focus fœculenti ac facile putrescibilis humoris in illa ventris regione adservatur; præterquam quod illa sanguinis missio habet singularem energiam, cum omni melancholico, cordis & capitis affectibus, ex hoc solo principio velut in epileptia, & omni affectu cataphorico; quod in libro de Sang. missione, nec ipse Galenus prætermisit.

Topici etiam auxilii vices implent prædictæ sanguisugæ, quo in opere in hoc statu nobis erant auxilio; seu ad retrocedentem (prava metastasi) humorem revocandum; seu tandem ut vacuetur, quod in affecto loco, gravioris mali præludio continetur; si hoc ex arte fiat, universalibus vacuationibus jam exactis: ac ita sub hæc tempora utraque proficiebant arte, super bubonem ipsum adapplicitæ, cum justo minor erat, ut venenum ibi revocaretur: sive cum justo grandior, ut quo natura & humor inclinat, per ipsammet partem contentum vacuetur, dum maxime gangræna aut sphacelus imminet: (quod non paucis vidimus accidisse) si contentum præsumitur, non posse à natura gubernari; super pestilentem antracem, & carbunculum, adaptabantur etiam, seu veneni revocandi ratione, sive dum justo minor, aut in excessu major, ob dictam rationem: & super magnum erysipelos, idem erat effectus, & eadem intentio super retrocedentem; ideo in hac constitutione, & certe cum successu, frequens illarum usus erat: non tantum in prædictis affectibus, sed etiam gravissimis doloribus, qui alio auxilio non cederent, sub alas & ad inguina, seu quo pravus humor urgere videbatur; praxis etiam podagricis observata doloribus.

In cucurbitulis eadem servabantur præcepta, sive ad revellendum, sive ad attrahendum, sive ad vacuandum, quod loco in ipso continetur: sed sub hac differentia, ut ad exquisitam revulsionem evacuationes magis universales præcedere non optet; dum ad partem maxime distantem adaptantur; Galeni est doctrina: quæ eadem praxis etiam observatur, si humor retrocedit, nisi forte majoris auxilii est occasio, & id vires permittant: licet nulla alia præcedat vacuatio, si applicentur quo humor & natura inclinat, ut dum dolor occupat emunctorium, sed natura præ imbecillitate bubonem expellere non valet; licet in hoc casu, non repugnet, sanguinis missione humorem revocare, servata rectitudine à loco, qui cum emunctorio consentit, à talo, vel à brachio, ac postea cucurbitulam supra dolentem locum adaptare: si vero derivationis, aut evacuationis ratione, imponantur, ars consulit, ut universales vacuationes antecedant; seu scarificatæ seu siccæ imponantur: quod in sola febre etiam observatur, absque ullo bubone nec carbunculo: in bubone vero ne dum bene egrediente cum intenso rubore & dolore, si necessitas consulit, cucurbitula humorem revocare, seu sicca, seu scarificata: hæc non debet imponi supra dolentem locum, ne clamoso dolore plus afferat incommodi, & periculi, quam ex attractione utilitatis; sed quatuor infra bubonem digitis, quo effectus absque irritatione consequitur pertensus: si vero solus dolor compareat, sive sola metastasis, supra dolentem locum erunt necessario imponendæ, ut naturæ motus præpeditæ, aut debilis juvetur; illud tamen in utroque auxilio postea observavimus, ut quæ in principio proferunt auxilia, constitutione pestilenti sævius jam grassante, mortis erant occasio; ut postea videbimus.

13 Meth. 6. 5 Meth. 3. 4 Meth. 6.

In ultima vero desperatione, aliis auxiliis sine fructu tentatis, adaptabatur supra cordis regionem scarificata cucurbitula, in sola pestilenti & venenosa febre, ut venenosus extraheretur sanguis, qui jam cor occupabat, quantum vires permitterent: unde multi sensere opem: etsi in nullo esset ulla securitas; quod pestilens status esset ipso jure læthalis: cujus veneni energia æquale auxiliũ non invenit; ideo (meo saltem judicio) contagio oppressi, solo divino, aut robustæ naturæ privilegio, evaserunt. Quod plerisque occasionem dedit, ut præsumerent, neque pestis causam, neque curationem nos fuisse consequutos: quibus satisfacere non erit operosum; quia veneni illius pestilentis efficacia erat omni auxilio superior, & omni resistentiæ; nam raptim omnia superabat: nec illud acciderat ob ignorationem contrarii auxilii, nec indicationum: nam in utroque ars & prudentia Medicorum tum Hispali degentium, se ipsam superavit; cujus rei demonstratio nobis facilis erit, si aliorum venenorum effectus

effectus perpendantur; & insuperabilis natura & nativa pernities: ac postea hujus pestis rapida efficacia, celeritas contagii, & inducta ab influxu cœlesti, absque ulla resistentia, dispositio, sed magis si etiam Athenarum pestilentiæ exemplar, cujus rei Thucidides nostram demonstrationem securiorem fecit, per hæc verba: *Neglecti moriebantur*, inquit, *& exquisita ratione curati, nec ullum extitit medicamentum quo posit sperari ægrotum convaliturum, nam quod alicui contulerat, alium lædebat: & corpus nullum visum est par, quod possit illi morbo reluctari, ratione roboris, aut imbecillitatis, sed omnia tollebat corpora & omni victus ratione curata*; hæc dixit *Athenarum historia*.

Inter magnorum auxiliorum impedientia, & rerum contrariarum complicationes, gravior & severior periclitabatur intellectus, ut cum ventriculi cruditas, seu refrigerationis occasio, vomitus, ventriculi dolor, aut fluxus ventris, in febris initio incidebat; tunc enim vix valebat prudentia securius quod esset eligere: cum hoc tamen auxilii necessitas, & impedientis periculi urgentia, æqua lance libratis, discutiebant nebulas ancipitis judicii perpendebatur enim utra major urgentia, an in impediente an in morbo; nam æqualia esse interdum accidebat: quare in fastidiosa cruditate ventriculi, clister imperabatur, (rarissime purgatio) ut ad sanguinis missionem protinus deveniret, & ut alexipharmacis sterneretur via; refrigerationes in hoc casu, à præcipiti periculo fere superabantur, quia per hæc tempora febres temporum inæqualitates sequebantur, nec urgentia permittebat inducias, quas frigida intemperies ad sui ablationem postulabat: præter quam quod qui aquam calidam huic fini hauserunt, in ardentem febrem repente inciderunt: quo levi fricatione pannis suffumigatis cinamomo, inde sine mora transitus erat ad alia auxilia; in vomitu, fluxu ventris & dolore ventriculi, illa semper regula servabatur, quæ aliis in febribus: nam dum illa videbantur pravi corporis apparatus gentilitia, quem irritata natura ad ventrem concitabat, maxime æruginosi, porracei aut nigri, tunc si affectus sanguinis missione mederi postulabat, aut mittebatur sanguis, aut simili auxilio medebatur: hæc est nostra & veterum sententia: nam sola cruditas ventriculi, aut ventris erat, potius urgentiæ impediens, seu sola debilitate virium, seu quia alio à sanguinis missione auxiliari postulat; sic enim Galenus 1 ad Glauc. 14. intelligitur, & contra positæ hujus casus sententiæ conciliari optant; necessitatis hora ad operandum erat illa, qua indicatio sine impediente occasionem dabat, accessionis nempe, seu frigoris principio exacto, quacunque hora noctis seu diei: nam quanto citius illud erat, tanto & securius.

Et si forte gravidis mulieribus pestilens superveniret febris, cum bubone ad inguina, Catholicæ & fidelis Theologiæ consilio, circunstantiis cum torno & cothurno libratis, sanguinem ex talo mittere, tutius videbatur, & proli & matri convenientius: quia ægritudinem proprio auxilio mederi, prima erat intentio, & ut proprium & æquale auxilium illa sanguinis missio ab omnibus amplectitur, secundum artis principia & præcepta: & si casu contingeret abortus, hoc ex accidenti, & præter intentionem erat: nec inde sequitur abortus necessario, ut satis monstrat experientia; & sanguinem ex brachio mittere in hoc casu, erat contra omnia Medicinæ præcepta, ducto in cor veneno, præsentaneo fœtus & matris periculo: nam primo motus naturæ præpeditur, quæ bubonem pestilentem ad inguina transmittit, & morbosus corporis apparatus, veneno pestilenti infectus, putridus & corruptus in gravidis juxta uteri vasa adservatur; quo erat necessario futurum, sanguine ex brachio misso, ut per cordis ventriculos duceretur; nam in mulieribus prægnantibus (aut aliter à peste liberis) cæteris temporibus ut plurimum focus & minera putredinis in febribus in sanguine restitat, à fœtus alimento derelicto; seu inibi à natura transmisso, inutili & pravo, & ut plerisque placuit venenoso: cujus repletionis indicatio per inferiores venas vacuare nos docuit Natura, & consuluit Ars: hoc idem & in simili casu factum legimus, in prægnante solo epileptico accidenti oppressa, ob solam periculosi accidentis urgentiam; ut nos in observatione epileptiæ diximus. Et quando hæc opinio non alio fundamento niteretur, quam venerabilis Patris Thomæ Sanches, ut nobis classica videretur, sat esset; præterquam quod illam sequuntur hodie illustriores Theologiæ viri, ut Pater Bonacina, & alii, & in nostra Medicina doctissimi, & perillustres viri, uti doctus Mercatus: in tantum ut hodie jam hæc communior opinio æstimetur.

Hoc carbunculis & bubonibus à renibus inferius prudentia consulit, imperat indicatio in gravidis; nam si in pectore erumpant, capite, brachiis, aut scapulis, ut in cæteris, debemus operari in prægnantibus, à brachio sanguinem detrahendo, ex carpo, vel ex manu, secundum rectitudinem partium, cucurbitulis, sanguinis missione, aut sanguisugis ad illam necessitatis legem fœtusque conservationem, ut prudentia consulit.

In doloribus ventris, qui videbantur bubonis imperfecti, non bene erumpentis, seu virium defectu, seu inflammatione exitu denegato, triplici utebamur auxilio, quibus nostro judicio, omnes indicationes adimplentur; primo cucurbitulis ad inguina impositis, ut motus impotentis naturæ juvaretur, seu sanguinis missione ex talo, morbi magnitudine, periculi urgentia, & viribus æqua lance libratis: seu suris aut fœmoribus scarificatis, ut mos erat Ægyptiis; sive scarificatis cucurbitulis; seu tandem sanguisugis hæmorrhoïdalibus impositis, ut ex foco & prava feculentia, inibi adservata mali educeretur causa: ac postea, (ubi nulla inflammationis inditia se monstrabant, sed solius doloris) utebamur clisteribus, ex butyro vaccino & violarum oleo, cum vitellis ovorum; sive ex jure pulli, aut ex lacte, cum ovo integro & saccharo; aut ex mucilaginibus psilii, citoneorum, & rad. altheæ, cum saccharo in jure dissolutis, in quo lactuca, portulaca agrestis, cucurbita (ubi ardor & calor prævaluerat) concoxerint; hoc enemate interdum utebamur, quod inter hæc auxilia primas tenet; ℞. caput vervecis solo abscisso cerebro, & coquatur in aquæ sufficienti quantitate, donec ab ossibus caro separetur, postea coletur brodium, & mox infundantur summitatum hypericonis m. j. rad. tor-

 mentillæ

mentillę craſſo modo inciſarum, ℥j. ferveant lento igne per 4. horas & colentur; de hoc jure mane & veſpere cliſterim ponatur, ſine aliis rebus; & effectum mirabilem videbis, non in hoc tantum, ſed aliis ventris doloribus.

Et ad extra ſolis lacte madidis linteis utebamur, ſeu in vitellis ovorum, cum oleo roſato, aut violarum, dummodo antequam valide incaleſcant permutentur: ſeu ſolo emplaſtro de mica panis in lacte, vitello ovi, & uncia pulpæ caſſiæ, fiſtulæ, pauco addito croco; quod etiam parabatur interdum, ex hordei farina fœnugræci, cum prædictis; licet in vanum cederet omnis labor, quia ex iis omnes pene moriebantur.

In cordialibus potibus cæteriſque alexipharmacis, nihil notatu dignum obſervavimus; nam illis plures moriebantur, & plerique abſque ullo auxilio graviſſima effugere pericula: neque inter illa ullum ſingulari excellentia cætera ſuperavit; licet omnes omnibus uteremur; & peſtibus exactis obſervatis, ut etiam noſtrorum uſualibus, & illis quæ ſingularis induſtria invexit, inter uſualia erant jacinthorum confectæ, & alchermes (licet nec ſemper, nec omnibus probetur, ob lapidis laſuli mixtionem) & lapis bezoar orientalis, ut & omnes theriacæ, & contra venena indiarum, in acido citri, aut agreſtæ ſaccharo conditis in cordialibus aquis diſſoluta: hæc multis erant auxilio: ſed mulieribus uterinis affectibus vexatis non tantum nullius frugi erant, imo ſæpe lædebant; quæ cautio debet aſteriſco notari; extracta, ſive quintæ ſubſtantiæ auri coralorum apud noſtros nullius uſus erant, quod nimis pretioſa ad nos ab exteris nationibus non deveniant; licet illis uti, magni pretii eſſet; ubi nulla fere proficiebant condita cordialia, nec alia auxilia; cordialibus epithematis uti, plerique graviori urgentia impedimento erant maculæ, & puncticulæ, ſubito erumpentes bubones, & carbunculi, ne laudabilis naturæ (ſeu forte irritatæ) motus præpediretur, quia tandem ſunt aquæ adſtringentibus mixtæ; quæ poros, per quos ſolet venenum expirare, occludunt: ac illarum uſus corpus exquiſite vacuatum deſiderat, quod rariſſime tam ſævi belli tempore in noſtra manu erat; & ſi urgentia illa poſtulare interdum videretur, dum æqualiter intus & extra urebantur ægroti, & ubi attemperationis neceſſitas alias indicationes ſuperabat: tunc cordialibus aquis calidiora etiam miſcebantur, uti naphæ, jaſminorum, aqua & ſcorzoneræ, cum vino generoſo, & pulveribus diamargarit. diamuſci aromatici, & diarrhodon; quarum loco cordialibus unguentis utebamur; nam alexipharmaca plane calidiora, damno potius quam frugi nobis erant, quia adhuc ſola aqua papaveris febris in furias agebatur, incipiens quæ ad proliciendum ſudorem imperabatur: ut omnia cauſtica & urentia carbunculis applicita, ſive ſuper bubones; nam ſola frigidiora, ſive attemperantia commoiditatis uſum extulerunt; neque dubito quin nivis uſus in hac conſtitutione magni foret auxilii, ſi vires neceſſitatis utile & attemperationis ferre poſſent; quæ omnibus, aut pluribus ante deficiebant, ſeu frigore antea obrigebant ægroti, quam attemperationis auxilium valerent experiri, nec in tanta rerum confuſione politicis imperiis tempus erat.

Purgantium medicamentorum uſus, triſti experientia nos cautiores in illo peſtilenti ſtatu reddiderunt; nam ſi aliquis febris initio purgans medicamentum hauſit, licet leviſſimum, (cui audaciæ unus tantum medicorum ſe obtulit) facta in cerebrū, aut cor furioſa metaſtaſi, ex commoto humore, turgentis more, omnes phrenitici ſeu cataphorici poſtea perierunt; & alii in ipſo purgationis die; eſt ideo in extremis, & ſumme deſperatis magna cautione operandum: nam mors & ſalus ſemper extremo tribuitur auxilio; ſed febris & accidentium furia jam exacta, domito & concocto humore, feliciori eventu plerique purgabantur; & qui non purgati poſtea evaſerunt; pleriq; ob imbecillitatem, ſeu corporis extenuationem, (nam ſtrages contagii miſerabiles reliquias in omnibus reliquit) in novos morbos poſtea inciderunt, velut, eriſypellata, dolores, tumores crurum, & alii in tabem; ideo etiam poſtea autumno ſubſequente quædam tertianarum conſtitutio, fere ita vulgaris Hiſpali graſſabatur, ex illo corporis apparatu, quem peſtilens ſtatus corporibus reliquit; & influxu cœleſti morbidis jam corporibus; tum quod peſtis ſeminaria valde intemperata membra principalia dimiſerunt, & morbida, ut graſſantis exceſſus in corpora, & humores, ſimilia producerent; & cum veneni analogia in omnibus ad uſtionem vergeret, inde tertianarum extitit apparatus; quæ ſunt certe reliquiæ de quibus enuntiatur illa Hippocratis ſententia, *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere conſueverunt.*

STATIO VI.

Quæ in hac curatione carbunculorum & bubonum peſtilentium ſingulari curatione obſervavimus.

Illud primo in chirurgica & manuali opera obſervavimus, ut qui bubones, antraceſve, ferreo reſcindebantur inſtrumento, in augmento; ſeu dum rubore ſaturato vigebat inflammatio, antequam matureſcerent, quod incompeſcibili hæmorrhagia omnes hi vitali vigore exoluto moriebantur; doloris ſymptomatumque violentia perempti: & ſi quis evaderet, ſordido & putrido ulcere, ſinuoſo indicibilis & pravæ qualitatis, tabidi, hectici, & retorrido maraſmo conſumpti, poſtea peribant, ut tabidi pulmonis; eiſdem enim idem affectus erat; qua etiam ex cauſa non pauci claudi & cæci evaſerunt, nervis & tendonibus retractis, ſeu brachiorum & inguinum ligamentis corruptis, impio ſphacelo & tantorum malorum violentiam ſupergreſſi, illorum corpora veneni malignitate ita imbecilla poſtea permanſerunt, & præcipua membra ita intemperata, & multo magis hepar prava labe infectum, ut à Julii principio, graviſſima poſtea experirentur damna, in locis maxime, ubi bubones & antraces labem impreſſam poſtea reliquerunt, quæ per lunæ quadraturas magis ingraveſcebant, & temporum mutationes ſequebantur; ut illos potius dixeris temporum aſtrolabii: nec illud majus erat; ſed quod illam conſtitutionem alia tertianarum ſequebatur, (ut dicebamus antea) quæ peſtis malignitatem redolebat, licet valde remiſ-

ſam; quod nobis erat maximum argumentum, conſtitutionem finiiſſe, relapſus jam ſecuram; quia ejus pernicies per gradus ad finem perveniret, nempe ad ultimum quod ſic; & quia peſtes ex aëre corrupto vel infecto, ſeu valde alterato, ſi in illo finitur alteratio, novo & puro aëre ſuccedente; ceſſat & relapſus periculum, ut ſenſerunt etiam graviſſimi auctores; quod etiam antecedenti conſtitutione anni 1600. legimus accidiſſe, conſtitutionem nempe tertianarum ad illam ſubſequutam, quæ poſtea fuerunt aboliti contagii inditia; nam aër ſtatu peſtilenti exacto, primis tantum qualitatibus alteratus, morbos exceſſui congeneres producebat, quos non tantum Hiſpalis, ſed omnis Vandalia ad oras maritimas experitur.

In eo conſtitutionis initio, antequam maſſa ſanguinis univerſi peſtilenti contagio corrupta videretur; & cum nondum vires ſuas peſtilens exereret contagium, nec eſſent adeo diffuſa ſeminaria, nobis optime ceſſit, octo aut decem ſanguiſugas buboni, aut carbunculo adaptare, ut conſulebat ratio; & experientiæ etiam nongliſcebat, ne corruptionis periculum ſubiret, & ob alios fines, quo plures convaluiſſe vidimus: & majori certe ſecuritate, quam ipſis cucurbitulis, quæ graviſſimos concitabant dolores, ſeu ſcarificationibus ſupra dolentem locum, ante tempus inductis, (erant enim fatalis hæmorrhagiæ occaſio) & poſtea ſuper bubonem cœpæ emplaſtrum, cum theriaca, & oleo liliorum imponebatur; & in majori renitentia, diachilon magnum cum eodem oleo malaxatum, & cum pulvere iridis: & ut extra vocaretur venenum, & maturatio etiam juvaretur; ſed peſtilenti contagio jam diffuſo, & in rigore peſtis, dum peſtilens venenum amplius invaluerat, in aëra diffuſis ſeminariis, à Maji principio uſque ad finem Junii nullum erat auxilium quo poſſit ſperari ſalus; nam ſanguinis miſſione moriebantur; & plures ſine illa, quoniam veneni violentia jam omnia ſuperabat auxilia: & in ſanguiſugis gravius obſervabatur malum, ut & ſcarificatis cucurbitulis; nam ubicunque adaptarentur, ſive ſuper bubonem ſeu hæmorrhoïdalibus, omnibus concitabatur profuſa hæmorrhagia, quæ nullo ſiſtebatur auxilio: nec enim in illa obturabant emplaſtica; neque adſtringentia ſiſtebant, nec urentia, cauſtica ſcara inducta, impedimento erant ſanguini profluenti: nam omnia incompeſcibilis fluxus ſuperabat; hujus fatalis caſus illa, noſtro judicio, ſeſe obtulit cauſa; quia in hujus conſtitutionis initio, neque ſeminaria peſtilentia, nec influxus cœleſtis ultimam corruptionis diſpoſitionem, adhuc in corpora induxerant, quo laudabilis ſanguinis bona pars peſtilenti obſiſtebat contagio; & potentiæ adhuc robuſtiores unaquæque ad juſtitiam ſuum munus obibat, & membra principalia, nondum valde dejecta, peſtilenti veneno obſiſtebant, & valido conatu; poſtea vero jam in peſtis vigore, & in ſumma veneni efficacia, & ultimo magnæ conjunctionis imperio, omni reſiſtentia ſuperata, non tantum diſpoſita corpora jam invadebat peſtis, ſed ſumma violentia ultimam diſpoſitionem, ſubito in omnia corpora inducebat, adhuc in diſpoſita, non tantum in unum, ſed in omnes humores, ut univerſa ſanguinis maſſa exinde corrupta videretur, hominum ſaltem majori parte; (quod luce clarius extractus ſanguis ſcutellis monſtrabat, fibris cum ſubſtantia jam corruptis,) quo membra principalia, in ultimam debilitatem acta, & facultates in extrema atonia, nulla erat ſibi, nec aliis ſufficiens: quo in ſtatu, cum non valeret retentrix retinere, nec illam aliæ adjuvare, fatali conſenſu omnibus debellatis, hæmorrhagiæ nullum erat ſufficiens auxilium; in ſumma retentricis impotentia.

Illa tamen ſævitia exacta, majori attentione ægroti curabantur, timore jam excuſſo, morbi experientia, ægrorum pietate: ſed tam pauci Medici & chirurgi, ex illa ſævitia evaſerunt, ut pluribus ægrotis deficeret auxilium: quo plures repente expirabant, 24 horis aut duobus diebus, ſed qui à 4 die effugere pericula illi liberantur.

In opere chirurgico pleraque, fuere attentione digna: nam idem etiam timor, & forte imperitia in principio chirurgos ad temeraria impellebat: nam alii crudos & incoctos bubones, adhuc inflammatione ſæviente, impio inſtrumento perforabant, ut inde venenum expiraret, & expirabat vita; alii cauſtica ſuper ipſum bubonem imponentes, graviora accidentia concitabant; nam omnes illi ſævitia ſymptomatum, & nova ſuboriente febre moriebantur; plerique profundis ſcarificationibus bubones, & carbunculos, radicitus extrahere tentabant, equali temeritate, graviori periculo; viri tamen paulo attentiores, principiis artis & præceptis edocti, ſuppurationis principium expectabant, & 6. 7. aut 10. igni-to ferro bubonum paululum perforabant, exitu puri dato: & ex iis qui inducias curationi permittebant, plerique evaſerunt: alii ſcalpello ſcindentes, alias perforantes, ægros dabant exitio: ſolo actuali cauterio, tutior erat curandi ratio; nam ignis veneni efficaciam coërcebat.

Inter tam confuſa & diverſa pericula, nec erat meta, nec inſtans, ubi poſſis conſiſtere; unicum tamen attentione dignum, ſolertia doctiſſimi chirurgi adinvenit, doctoris nempe *Antonii de Viana*; & erat quod pleriſque bubonibus in medio rubores & inflammationes quædam veluti cavitas, ſive quædam mollities, quæ tactui cedebat, ſui dabat inditium; & licet illa non eſſet puris ſignum in bubone confecti: ille tamen illum actuali cauterio tenui & oblongo aperire incœpit, in illa cavitate ſeu mollitie, & per vulnus perſentit venenum expirare, veluti in vaporem, ſeu auram venenoſam, fœtoris tam horribilis, ut in terram procideret chirurgus; quod idem ſibi accidiſſe teſtabatur Doctor *Iaxinthus Ximenes*, dum alium bubonem dominæ cujuſdam Hiſpalenſis aperiret; & uterque caſus fœliciſſime ceſſit; nam habitus venenoſus qua data porta ruit; qua obſervatione cæteri artifices edocti, in poſterum majori artificio medebantur; ſed ſemper actuali cauterio, ubi cavitas erat, velut in ſuppuratis, cum aperiendi neceſſitas anſam dabat; in pleriſque enim ad 11. & ad 14. protrahebatur interdum ſuppuratio: ſed ut plurimum illi quibus ſuppurabantur, & medendi concedebant indutias, poſtea evaſerunt; iis tamen exceptis, quibus cum maculis & puncticulis bubones erumpebant, & quibus loco ſuppurationis ſequebatur gangræna: hoc enim apud vulgus *mori ex febre puncticulari*

ri dicebatur; sed hæc omnia omnes pariter observavimus.

In carbunculis etiam, velut & in bubonibus, pari discrimine etiam medebatur: nam scarificationes inflictæ in principio, & cum circumcirca scaram urgebat inflammatio, ultimum vitæ periculum ægrotis attulerunt: illi vero tutius medebantur, quibus actuali cauterio (post alias evacuationes) essent artis magisterio inflictæ; nam igne veneni violentia superata, ac veneno exitu procurato, curationi carbunculi dociliores erant; sed quibus superveniebant æruginosi vomitus, & frigus extremorum, seu non pro ratione calor, (ac si tepidum dixeris) in proximo mors erat, implacido alisimo, cordis anxietate, & tremore corporis universi.

Attamen carbunculos medendi communis usus erat, scarificationes oxicrato sale mixto lavare; & ubi inflammationis nulla erat urgentia, imo gangrænæ, aut sphacelli timor erat, aqua vitæ bene rectificatæ, & super ulcera derelicta, vitellum ovi, theriaca & sale, superimponebatur; & circum-circa quatuor farinarum emplastrum paratum oxisaccharo, interdum granatorum; ulceris indicationibus cum torno & cothurno libratis: scabiosa alii utebantur, cum butyro vaccino, malaxata sive vitello ovi; & aliis aliarum pestium auxiliis; sed calidioribus eventus plane incerti erant; nec spei nec votis respondebant: nescio an artis defectu, & methodo confusa; an auxilii excedente calore, an singulari energia veneni, quæ solis attemperantibus & frigidis cedebat: illud tamen semper erat securius, acriorem veneni efficaciam obtundere, & expirationi & ventilationi locum dare: quod solis in arte doctis concessum erat; nam cæteri empyrici, ut ut sors tulerit, medebantur, in confusione & complicatione accidentium; erat enim ad manum veneni excusatio, ipso jure læthalis, (sacra anchora criminis gravioris, cui pietas parcere non deberet, ut nec sacris delictis valet sacrum Ecclesiæ asylum.)

Sed vere docti chirurgi, qui veras indicationes sequebantur, satis artificioso magisterio, & vera rerum distinctione, suum munus obibant: quia antequam ad opus manuale accederent, nostro, & proprio consilio attente perpendebant, situm partis nobilitatem, ubi carbunculus erumperet, inflammationis magnitudinem, & insidiosam veneni fraudulentiam, quæ gangrænam protinus minabatur, & accidentium complicationes, nullibi magis confusas. periculo ergo, & viribus libratis, nostrum primum erat præceptum; carbunculo incipiente, primo venenum à corde & cerebro revellere, & (si id casus permitteret) conducere quo humor & natura inclinat, sanguinis missione, cucurbitulis, sanguisugis scarificatione, suo loco & tempore: & interim veneni efficaciam corrigendo potionibus utroque modo contrariis, nempe qualitatis excessui, & à tota substantia, quæ etiam putredinem inhibeant: & majori audacia in hoc casu quam in solo bubone cum pestilenti febre: si verum est quod in carbunculis Galenus sanguinem ad animi deliquium extrahebat: & secundum, ne in ore carbunculo obsesso (si casus id permittit) scarificationes infigeret chirurgus, ne oris pulcritudo fœdaretur, cicatricis illius turpitudine: & ne parotides aliqua violentia evellantur, nam nervis maxillarum avulsis oris torturæ sequitur, ut nos aliquam vidimus: & tertium, ne ulla caustici violentia, seu calidi vehementer auxilii carbunculus ageretur in furias, erysipellate noviter concitato: quod auxiliis etiam impedimento erat: quartum, ut magnitudinis & inflammationis causis æqua lance libratis, veniret in considerationem, quare scarificationes non possent excusari: hæc erat causa unica, nempe ut exusta materia & corrupta, per illa vulnuscula difflaretur, tam contenta in scara, quam circum-circa ustionis contagio affecta, ne in omnia aut serpat sphacellus, aut gangræna, ob prohibitam ventilationem, seu pravi humoris multitudine, seu sola veneni efficacia corrumpente: ac ideo si in hoc casu, tumor insignis erat & major inflammatio, quam possit à natura gubernari, seu valde saturati ruboris, superficiales scarificationes tantum imperabamus, super ipsam inflammationem, & super scaram profundiores, ob jam prædictos fines: & super alexipharmacum temperantibus mixtum, nobis erat in usu, quod etiam facile parabatur, ex vitello ovi, ℥j. theriacæ sale pulverisato & granis 4. lapidis bezoar orientalis, sive contra-veneni: interdum etiam ex unguento rosato, & pulvere Joanis cum prædictis in gangrænæ periculo; & super inflammationem celebre emplastrum de arnoglossa, seu de utroque pomo granatorum; nec enim illis repercutiendi timor erat, cum talia solam adustionis temperent acrimoniam, & putredinem inhibeant desiccatione moderata; ut in farinarum emplastro cum oxisaccharo experimur; licet indicibilis veneni efficacia sæpe indicationes libratas secundum rationem prævérteret.

Alii erumpebant carbunculi depressi valde, nulla inflammatione insigniti, sola pustula & pruritu insignes: hos maligniora comitabantur accidentia, quæ esse pestilentes demonstrabant, (ad differentiam ustivi & æstiomænosi) in illis si pars erat cucurbitæ capax, illa superimponebatur, ut foras venenum vocaretur: sin minus, alta scarificatione scindebatur scara, usque ad carnem sanam, ne serperet corruptio: postea vero prædictis utebamur auxiliis, maxime sanguisugis supra & circa scarificationes impositis, quæ semper magno auxilio: ut gallinarum & columbarum pulli, si applicentur vivi; quos bubonibus non bene erumpentibus magnopere etiam vidimus profuisse, usque dum mortui caderent; pulveribus cancrorum etiam, cum fructu utebamur, & solis & aliis permixtis; in universalibus tamen evacuationibus erat magna certe cautio adhibenda. quia omnium facultatum vires repente concidebant adhuc inopinato; dum alii subito congelascerent; quo prima indicatio erat, vires continuo reficere, per brevia intervalla, & paulatim alimentis facilis & robustæ substantiæ, in quibus cordialia miscebantur, ut illis assueta natura, contra venena valentius pugnaret, præcipuis membris amplius roboratis: nec scaram ulla violentia extrahere, prudens erat consilium, donec auxiliis hinc inde separata, leviori cederet tractioni; quo postea ulcera putrida, & sinuosa communibus mederentur auxiliis. hæc erat celebris

bris illa pestis; & symptomata illa, hæc illius curatio; fidelissima historia enarrata.

Hujus curationis Corollarium, ad omnes pestium differentias.

Neque his tanti mali sævitia permittit acquiescere: nam pleraque in communi & in particulari deficere videntur: secundum temperamentorum & hominum varias differentias: quare qui de auxilio cogitat, in simili statu pestilenti, illud has necessario habere conditiones optat; 1. ut sit alexipharmacum. 2. cum attemperatione diaphoreticum. 3. elixir anodinum & cordiale; alexipharmacum, ut specifica virtute, vim veneni infringat, retundat, reprimat & expellat; diaphoreticum, ut subtili penetratione omnia organa, & viæ microcosmi aperta, pervia & munda conservet, quo spiritus libere hinc inde valeat commeare, à capite ad pedes: elixir, ut natura sua & singulari qualitate corpus à putredine tueri, & liberatum in salutis statu valeat conservare; anodinum, (& hæc est omnium potissima conditio) ut dolores vehementes, quos humor acerrimus inducit, delinire, & inflammationibus obsistere valeat, erosionesque internas, à veneni acumine, & mordacitate salis microcosmi consolidare possit; attemperans, ut ustionem quam semper pestis venenum infert, valeat temperare; ac cordiale denique, ut spiritus malignos dissipet, cordis substantiam corroboret, lætitiam, mæstitiæ contrariam, adaugeat, & cerebri potentias confirmet, debiles meticulosasque animi passiones, (quæ plus mali, quam ipsum venenum, sæpe afferunt) fugare faciat; nam illud inficiari nemo potest, malignam & pestilentem qualitatem repente corrumpere, vehementer alterare, urere, putrefacere: quare medicamentum præsentanea virtute, etiam his omnibus debet obsistere, subtilitate ut penetret, moderata adstrictione & aciditate, ut putredinem inhibeat, & laxas partes confirmet corroboratione, ne substantiam diffluere permittat.

Aliqua exempla hujus medicamenti vobis afferam; in quo si non omnia, saltem magis necessaria illuceant; nam si forte contingat, ut ægrotus scateat crudorum abundantia; hoc utatur auxilio. ℞. spiritus ardentis bacharum juniperi ℥viij. spiritus tartari rectificati, spiritus sang. cervi, an. ℥iiij. vitrioli g. 30. cinamomi electi, lign. aloës, croci anglici, myrrhæ. an. ʒß. labdani, opiati optimi, ℥ij. infundantur in B. M. per duos dies; deinde separetur utile, ab spisso per inclinationem, & servetur in vase vitreo: de quo accipe cochleare syrup. de acido citri ℥j. aquæ scorsoneræ ℥iij. si vero ustio, aut febris prævaluerit; infundantur, ligno aloës, zedoaria, flores cordiales scordium, &c. in aquis cordialibus per 2 dies & colaturæ adde spiritus sang. cervi & vitrioli an. g. vij. mivæ de acido citri ℥jß. confect. jacinth. ℥ij. lapidis bezoar oriental. g. vj. & per inclinationem separentur, & dentur ℥ij.

Hoc etiam emplastrum ad bubones & carbunculos pestilentes maxime commendatur; ℞. gummi, sagapeni, amoniaci galbani an. ℥iij. ceræ therebinthinæ an. ℥ij. terræ vitrioli lotæ, ℥j. olei succini ℥ij. dissolvantur aceto squilitico, & post solutionem per linteum colentur, & exprimantur; bulliant postea ad aceti consumptionem, infrigidari sine, & servetur loco calido, usque evaporet; deinde ad ceram, & terebinthinam ad lentum ignem, ut simul coëant agitando ad formam unguenti; hoc enim maturat, rumpit, venenum attrahit, magnetis instar. at vero ad derelicta ulcera, hoc utitor, ℞. lithargyri, argenti pulverisati, ℥iiij. salis, vitrioli albificati, salis tartari, an. ℈ij. aceti, sambucini, ℔. j. infunde lithargyrium in aceto in arena calente, per 3 dies postea cola per chartam, & adde salia; postea humiditate detracta, album quod residet in fundo, separa, & adde in fine unguenti rosati olei amygd. dulc. an. ℥ij. hujus pulveris, ʒvj. & in mortario vitreo agitentur ad formam unguenti, cui adde camphuræ g. 10. hoc enim ulcera corrodentia lenit, erisypelas mitigat, valet ad pruritum scabiem, carnis asperitatem, lenit salsas occasiones, & fissuras, & veneno obsistit.

Hoc etiam conditum celebratur mirabile, contra pestem, maxime in complicatione fluxus ventris, & nauseæ; ℞. condit. citri per cetaceum transmissi, gelatinæ citoneorum an. ℔. ß. sacchari albi ℔. j. succi borraginis depurati, & melissæ an. ℔. j. ß. bulliant lento igne, in vase vitreo, semper agitando ad consistentiam electuarii, deinde adde spiritus coral. hypericonis, cinamomi, ligno aloës, santali albi, odoriferi, sem. citri excorticati ℥iij. olei seminis angelicæ gut. 10. & vase vitreo servetur & detur ab ℈j. ad ʒß.

Extractum hypericonis sic paratur, & vocatur *tinctura solaris*, accipe summitatum florum hipericonis, quæ declinante luna colliguntur summo mane, & postea minutim scissæ in aquam vitæ rectificatam mitte, donec optime imbibantur; quo facto in balneo M. clauso, per triduum macerentur, postea exprimatur infusio, quæ in balneo destillentur donec aqua vitæ separata sit, & in fundo spissa substantia maneat instar mellis obscure rubri, quæ est tinctura hipericonis. hæc tandem aqua angelicę est in peste mirabilis ℞. rad. angel. carlinæ, an. ℔. iij. absinthi Romani, florum cardus sancti, exsiccatorum, dictami cretensis, scordii, florum roris marini, thimi, an. ℔. j. aquæ communis ℔. 40. herbis conquassatis & incisis infundantur in vas distillatorium, macerentur per horas 24. & fiat distillatio ad mediam partem, & postea adde aquæ vitæ juniperinæ pocula 4. olei vitrioli rectificati gut. 20. & vase clauso servetur; & mane sumatur cochleare j. cum aqua acetosæ, aut scorsoneræ; nam ad præservationem & curationem est æqualis.

Et licet nos, (qui in nullius verba juravimus) grassante peste & aëre infecto, nullo externo auxilio corrigi posse judicemus, quia loco illius qui corrigitur mox succedit infectus, & maxime cum totus est infectus: quia nullum auxilium totam aëris infecti sphæram corrigendo assequitur: nihilominus tamen, ne aliquid deficiat, trociscos parare jubeo pro cubiculis, qui accenso igne projiciantur, ut effument; ℞. florum sulphuris ℥j. belsuini & mirrhæ electæ, cariophyllorum an. ℥j. carbonum, salicis ℥ij. infundantur in vini potentis mensura per 40 horas, postea exsiccentur, & cum melle juniperino, seu illius substantia extracta, fiant trochisci, quibus ut decet utimur;

hoc

hoc acetum ad nares & tempora maxime commendatur, & ut gestetur vase angusti oris. ℞. aceti vini generosi, succi citri depurati in vasculis an. ℔.ij. hi duo lichores per B.M. distillentur, & remanes liquor, accipiatur in cucurbita, cui infunde carlinæ vineæ toxici, Valerianæ, zedoariæ, Angelicæ, corticum citri, dictami, absinthii, rof. mirtil. cinamomi, santali odoriferi cariophyllorum an. ℥j. olei sulphuris ℥iij. camphuræ ℥ij. in B. M. macerentur per 40 horas, & liquor coletur cum expressione, & ad usum servetur: hoc etiam pomum, si manibus gestetur, est mirabile ℞. labdani electi ℥ß. thuris ligno aloës an. ℥j. been albi & rubri santalorum rubrorum, seminis granę acetosæ, basiliconis, cariophyllorum, calami aromatici, zedoariæ, rof. rubrarum an. ℥ß. granorum juniperi ℥j. camphuræ ℈j. moschi & ambræ an. ℥ß. pulverisentur omnia, & cum infusione gummi tragacanthi in aqua rof. conficiantur poma.

STATIO VII.

Parallelus, cæteris orbis pestibus, maxime Athenarum, & quo prodigiosis nostra assimilatur, & quo alias omnes superavit.

Ne videretur nos in admirationis theatrum, futuris sæculis scripsisse, & ut præsentibus veritas innotescat, parallelum inscripsimus, cum peste Athenarum, (horribilis certe, & quæ omnem admirationem superavit) ut collatis ad invicem, meliori luce, veritas omni sæculo pateat, ne forte ponderationis coloribus videatur mentita. Postquam Thucidides, occasionem Pestilentiæ, quæ Græciam invasit, enarravit, Bello Persico, (quod Artaxerxes movit) data occasione, quando illam Græciæ describere incœpit, nostram certe videtur descripsisse; hæc sunt illius verba in historia Græciæ; *Non tamen tanta Pestilentia, neque corruptela stragesque tanta hominum usque memorabatur extitisse; neque enim Medici ab initio adhibendi pares erant, medicinæ ob ignorationem: sed ipsi præcipue moriebantur, ut qui præcipue ægros adibant, neque ulla alia humana ars: & quæcunque in templis, precationes usurpabantur, vel divinationes, & hujusmodi alia, adhibebantur; omnia erant inutilia, & ab ipsorum usu demum recesserunt, à malo superati*; hæc certe major omnium sæculorum memorabatur pestis: illud satis manifeste colligitur, à ponderatis verbis & universa serie; si quidem nec Athenarum Medici, nec ars eo tempore, prudentissimo sene illustrata, illius auxilio sat erant; sed erat maxime usitatum hoc sæculo pestem à Deo missam, peccatorum supplicio existimare, quæ inter homines adæquatum auxilium non invenit; hoc tamen argumentum contra nostrum judicium non concludit: quoniam nulla unquam in orbe est observata pestis, cujus auxilium in illius initio ab aliquo viventium assequatur; seu præclaris ingeniis, novitatis admiratione, caligine suffusis, seu ignorantia specialis energiæ veneni; quod fulminis instar interficit, quæ homines timore consternatos, ut stupidos reddit: & ea propter in principio diximus, quod omnes novitii ac tyrones eramus, in hac singulari energia veneni, experientiæ defectu, & observationis alterius status pestilentis, quem nullus nostrorum vidit: quod idem Atheniensibus legimus accidisse; inter quos erat magnus ille Hippocrates, (illorum sæculorum *Veneratio*) de quo tanti nominis viro, Thucidides, qui loquitur ut ocularis testis, nihil notatu dignum memorat: nisi de extrema omnium ignorantia, qui tunc Athenis erant; & de strage, quæ universam civitatem absque ullo auxilio depopulatur; *Ob ignorationem*, inquit, quia vere & realiter nondum Athenarum Archiatri, in cognitionem energiæ devenerant illius singularis veneni pestilentis: ut nobis etiam accidisse existimo, quæ certe magnæ hujus & illius stragis causa fuit; ut maxima omnium sæculorum illa à Thucidide enarratur; sed mortuorum numerum non expendit, nec etiam durationis tempus: cum apud nostros solis duobus mensibus cum dimidio, ducenti millia animarum perierint, in sola civitate & conterminis ejus; ultra illos qui pestilenti contagio icti evaserunt, in testes tantæ calamitatis & stragis futuri. & si Hippocrates, tantorum sæculorum *Oraculum*, ignorantiæ censuram non effugit; quid mirum, quod nostri etiam illam tolerent dictionem, *ob ignorationem*; si nos etiam ab illa non excludimus; nam licet quisque nostrum magnam comprehensionem habeat venenorum in communi, & in particulari (ut in nostris magiis satis superque liquet) non est contra honorem artis, nec Medici decorem, singularem hujus, aut alterius veneni energiam ignorare: nam *omnia comprehendere, solius divinæ sapientiæ est.*

Primi omnium Medici perierunt, quia omnium primi contagio proximiores erant; quod idem nostris vidimus accidisse; quippe qui quatuordecim ex illis protinus defecerunt, & ex chirurgis nostris 120. in eo tamen nos gentes superavimus, nempe in summa rerum; nam adhuc à malo superati, à precibus & orationibus ad Deum & piissimam Matrem, non destitimus: publicis pœnitentiis pro publica salute, usque dum divina pietas miraculose deperditam salutem instauraverit; quæ nobis erat rationum potissima, illam sine relapsus periculo futuram: si à divina manu dimanavit, medio divini illius sanctuarii pendentis in cruce Christi, & sanctissimæ matris, quæ apud nostros dicitur *de los Reyes*; ad quorum conspectum, repente pestem evanuisse, omnes testari possumus.

Ulterius progreditur Thucidides, sua in enarratione, hæc verba; *Incœpit autem primum ut fertur, ab Æthiopia, quæ est super Ægyptum: deinde in Ægyptum Libyamque descendit, & in Regis regionem plurimam: in Atheniensium porro urbem, derepente incidit, &c.* Venit ex Æthiopia in Ægyptum, ac inde Athenas: aëris substantia corrupti maximo argumento; non solent enim seminaria per tam longa spatia dissipationi resistere; erant enim nonaginta millia milliarium; quod etiam confirmat strages tam subito inducta, causæ communissimæ propria, tam subito necantis: aër enim seminaria solet valde dispergere, & longo in spatio exolvere; quod nobis dubitandi ansam dedit, an Hispalensis pestis inciperet ab infecto aëre, an à solis seminariis in aëre delati: siquidem illa nos repente invasit, diffusæ inundationis occasione,

ſione, quando civitas proſperiori fruebatur ſalute; & ob ſtragem quam tam brevi ſpatio in vaſtam induxit civitatem: nec dubito, quin à peſtilenti contagio inciperet illarum vicinarum civitatum; ſed reor in medio peſtilentis ſtragis, ſeminariorum multitudine, aërem jam eſſe in propria ſubſtantia infectum, & ab illo jam factam communiſſimam cauſam: ſeu ab infectis provinciis ad nos infectum perveniſſe: non enim poſſet aliter unica ſola die, duo millia contagio afficere: quando erant inter ſe diſtantes & diſperſi, & longe à contagio ſeparati.

In alio etiam noſtræ valde aſſimilatur illa peſtis, in generali nempe ſanitate, qua toto illo anno, Hiſpalis fruebatur: attente legite quæ Thucidides inquit; *Annus enim ille, (ut univerſa hominum confeſſione conſtabat,) ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis morbis; ſi vero quis etiam antea aliquo laborat, in hunc omnia convertebantur: alius ex nulla evidenti cauſa, ſed ſubito cum ſani forent, primum quidem capitis ardores vehementes, & oculorum rubores & inflammatio corripiebat, & interiora, guttur, inquam, & lingua repente ſanguinolenta erant, & ſpiritum tetrum & graueolentem emittebant, deinde ex his ſternutatio, & raucitas accedebat,* &c. erat per hæc tempora civitas Hiſpalenſis ab omni ægritudine immunis, veluti nunquam antea, adhuc à morbis civitati vernaculis, tempori gentilitiis; cum anno antecedenti conſtitutio puncticularis febris graſſaretur, valde periculoſa Martio & Aprili anni 1648. ſed ab illa æſtate ad anni ſubſequentis Februarium, pauciſſimæ ægritudines erant: ſed ab illo menſe omnes fere in peſtem vertebantur; illud admirationi certe erat, mane omnes ſanos videre, & ſero omnes peſte infectos, ſimilima ſyndrome accidentium, & ſimilima febre, ex quibus in die ſubſequenti pauci erant ſuperſtites.

In hac Hiſtoria proſequitur Thucidides, in ſignis, quæ Athenarum peſtem deſignabant, quorum pleraque noſtræ erant communia, & pleraque diverſa, omnibus aliis quæ acciderunt poſtea: quo ſane manifeſte convincitur, rariſſime accidere, unam peſtem aſſimilari alteri; nam cuique veneno peſtilenti eſt etiam ſua ſingularis energia, ſingularis etiam analogia, diverſæ qualitates indicibiles, ne tantum diverſæ, ſed cum aſpectu diverſo ad membra principalia, ſive illorum etiam emunctoria; jam illud ſortiantur, ex cauſæ ſingulari analogia, ſeu influxu cœleſti, indicibili, licet conveniant in formali ratione læthalis, diverſis actionibus: & hæc certe eſt ratio, quare peſte incipiente, raro, aut nunquam, ſuo ſpeciali & contrario medeatur auxilio: quia cum illa ſemper ſit qualitas ignota, indicibilis, quam hoc expirat ſingulare venenum; non ex ſola communi ratione veneni optat neceſſario mederi; alia qualitate amuleti, ſive alexipharmaci, in omnibus contraria, ſed prorſus indicibili, & cum illa, nec ut plurimum, nec ſemper, aſſequatur, communi venenorum notitia, ſed experimentali, (nam poteſt illud eſſe ab alio diverſum) eſt prorſus neceſſarium, illud experientiæ & obſervationi commendare, hujus ſingularis veneni, hujuſque indicibilis qualitatis: quæ antequam aſſequantur, peribit forte populus univerſus; nam ad hoc (ſi verum fari licet) ſola lux ſingularis & divina, nos poteſt manu ducere: reliquit enim dominus hæc omnia ſecreta naturæ viſceribus abſtruſa, & humanæ capacitati abſcondita: ſit etiam hujus diſcurſus eruditio, & vera confirmatio, differentia quam tulit illa peſtis, & quam diverſa ſigna; ab omnibus quas alii auctores tradiderunt, & quæ in noſtra vidimus; nam Romæ olim plures ſola ſternutatione moriebantur; unde illa communis incœpit ſalutatio *Dominus tecum*; in Anglia diaphoretico ſudore exolvente; & inde ſudor Anglicus: & ita præſentanei veneni, ut pauciſſimis horis expirarent; ut hujus ſæculi auctores tradiderunt: & ſi ad illam attendimus quæ in noſtra Hiſpania graſſabatur anno 1585. à fluxione catharali incœpit, & intra diem multorum finis erat; & per annos 1599. & 600. incipiebat peſtilens febris, ac carbunculo aut bubone erumpente plures moriebantur: & ſola illa noſtræ aſſimilatur, licet non in ſtrage; nam tribus annis conſtat 90000. tantum periiſſe: unde quæſo tanta varietas, niſi ex ſpeciali energia veneni.

Iam ſigna & ſtragem peſtis Hiſpalenſis curioſe expendimus, & energiam illius ſingularis veneni; nunc perpendamus altiori judicio quæ Thucidides retulit de illa Græciæ peſtilentia; ſunt enim admiranda: *Et non multo tempore,* inquit, *deſcendebat in pectus dolor, cum tuſſi vehementi, & cum in cor dehæſerat, ſubvertebatque ipſum, & excretiones bilis omnes, quæcunque Medicis nominatæ ſunt, ſequebantur: & ipſæ cum circuitu inſigni: ſingultuſque pleriſque multis incidebat inanis, convulſionem concitans vehementem, aliquibus quidem ſtatim ceſſantem, nonnullis multo ſerius: & corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neque pallidum, ſed ſubrubrum, lividum, puſtulis lividis, & ulcuſculis efflorеſcens: interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuiſſimorum veſtimentorum, aut linteorum infectionem ſuſtinerent; neque aliud quidpiam præter nuditatem: jucundiſſime vero in aquam gelidam ſe ipſos abjicerent: & multi hoc fecerunt ex hominibus, qui neglecti, & ſine cuſtodia jacebant, in puteos ſe demittentes, inexhauſta ſiti perpetuo laborantes: & in pari periculo verſabantur nimius, & parcus potus: & requietis penuria, ac vigiliæ perpetuo urgebant; & corpus, quoad morbus quoque vigeret, non extenuabatur, ſed reſiſtebat præter opinionem malo: ideo ut vel morerentur plurimi, nono aut ſeptimo die, ex interno æſtu, adhuc habentes aliquid roboris: vel ſi effugerent, deſcendente morbo in ventriculum, & exulceratione vehementi in ipſo concitata, profluvioque ſimul ſincero incidente: & multi poſtea ex imbecillitate interibant; percurrebat enim univerſum corpus, à ſuperis partibus inclinans, cui in capite prima ſedes fuerat mali: & ſiquis fuiſſet à maximus periculis ſuperſtes, extremorum prehenſio id ſignificabat; invadebat enim verenda, & in ſummas manus, ac pedes; & multi his amiſſis effugerunt: ſunt etiam qui oculos amiſerint: nonnullos vero oblivio cœpit ſtatim à morbo vendicatos, omnium rerũ pariter; nec agnoſcebant ſe ipſos quoque, aut familiares; cum enim genus morbi eſſet majus quam ratione comprehendi poſſit, & in aliis rebus acerbius quam humana pati natura poſſit: invaſit unumquemque, & in hoc potiſſimum ſignificavit ſe quidem majus eſſe malum quam ea ſunt quæ ſolent hominibus contingere; aves enim, & quadrupedes quæcunq; hominũ carnes attingerent, cum multa eſſent inſepulta cadavera, vel ad ea non accedebant, vel ſi guſtaſſent, moriebantur: valideque meum dictum confirmant, quod ſcilicet manifeſtus erat*

 avium

avium hujuſmodi defectus, & neque viſebantur uſquam alibi, neque circa tale quidpiam: canes vero magis ſenſiſſe ſignificabant eventum, ob ſuum cum hominibus contubernium.

Simile quidpiam Hippocrates, 3 Epid. poſteritati dixit, dum aliam peſtilentem conſtitutionem enarraret; ſi non forte eandem: *His caput,* inquit, *totum glabreſcebat, & mentum, & oſſa denudabantur, decidebantque: erant autem hæc formidabiliora quam deteriora: quibus enim ad ſuppurationem hæc ſpecies devenit, plurimi ſuperſtites horum erant; at vero quos inflammatio reliquit, & ſacer ignis, nec talem abceſſum effecit ullum, hi frequentes perierunt*; hoc eſt, (ſi Galeno eſt adhibenda fides) *quibus in profundum receſſit humor, ignem ſacrum efficiens, vel febrem acutam, præter alia ſymptomata, ii ut plurimum periere:* nos etiam pleraque ſimilia adnotavimus, nam quibus parvi, aut magni bubones retrocederent, aut maculæ, ſaltem juſta quantitate non exirent, ii omnes anxio & implacido aliſmo peribant: omnis enim materiæ retroceſſus eſt ipſo jure pravus, malignæ tamen, fere ſemper læthalis; in iis autem, quibus induciæ ſuppurando dabatur, plurimi evaſerunt.

Prodigioſa ſigna & mala, nunquam antea viſa, nobis refert Thucidides, cum hoc tamen 9 & 7. diem tanti mali ſævitiæ expectabat: & apud noſtros neque ſecundam diem, dum peſtis ingraveſceret: & plerique, velut fulmine icti, expirabant, vivi cadentes ſuper mortuos: & pleriſque domibus civitatis omnes ſimul contagio infecti, auxilio deſerti perierunt, cum nec ſibi, nec aliis ſub admiranda confuſione poſſent opitulari: & inventa eſt tota domus deſerta viventium, & corrupta cadavera: quia neque contagionis, neque mortis quiſquam conſcius erat, donec viri civitatis contagio deputati, corrupta invenerunt cadavera, quæ portatoribus curruum tradiderunt avehenda.

Pleraque etiam ex prænarratis accidentibus noſtri patiebantur, velut internus ardor, & externa frigiditas, ut nec levia lintea poſſint ſuper nudum corpus ſuſtinere: quod in omnibus fere quos vidi obſervavi: ut ſeipſos etiam à lectulis projicerent, in ardoris ſubſidium; tanquam externa frigiditas eſſet interni empyreumatis auxilium; & apud noſtros etiam major erat illa mali ſævitia, quam aut natura ferre, aut explicari poſſit: mortes celeriores erant, ut etiam morientium multitudo confuſior; nec par erat neceſſitati numerus miniſtrorum; qualis tremulum brachium, ad vicinum cadaver projiciebat; & ſi Athenarum peſtis major, ponderatio erat mali ſævitia, quam poſſit comprehendi, nec à natura ferri: illa profecto erit deterior cenſenda, in qua paria quiſque patiebatur, & ob temporis anguſtias, & veneni ſævitiam graviora, & incomportabilia; in hoc tantum noſtros illius peſtis horror ſuperavit, quod pietas Chriſtiana, nec avibus nec canibus cadavera permiſit; nam poſtquam Eccleſiæ cadaveribus plenæ, non capiebant amplius, foveas excaverunt, quæ immenſam cadaverum caperent multitudinem, ut conducebant currus. Sub aliqua etiam differentia vidimus hæc pati accidentia ſeu pleraque illorum; nam quibus à capite malum incipiebat, attoniti & convulſi reddebantur anaudia, ſtupidi cerebri ſphacello alii memoriæ defectu, nec ſe, neque familiares agnoſcebant, & fanatica dementia tremuli, & convulſi moriebantur; & corporis univerſi doloribus tam clamoſis interdum, ut ſe de loco ad locum movere nequiviſſent: ſphacelatis abſceſſibus & carbunculis, alios vidimus periiſſe, & evaſiſſe alios, extremorum necroſi & gangræna, in totum amputata.

STATIO VIII.

Quæ in curatione peſtis Athenarum acciderunt.

Haud minore certe ponderatione, curationem aggreditur Thucidides: *Morbus igitur,* inquit, *iſte (omiſſis multis aliis de admirabili illius præter naturam eventu, ut unicuique accidebat, aliquid aliis ab alio diverſum) ejuſmodi erat omnino natura, & alius nullus morbus, ex his quæ ſolent hominibus contingere, illo tempore vexabat: quique exoriebantur; in hunc deſinebat: moriebantur vero alii quidem neglecti, aliqui vero etiam exquiſita adhibita diligentia curati; neque ullum extitit medicamentum (ut ita dicam) quod poſſit ſperari ægrum, ſi quis illud offerret, adjuvaturum; nam quod alicui contulerat, alium lædebat: & corpus nullum viſum eſt par, quod poſſit illi morbo reluctari, ratione roboris aut imbecillitatis: ſed omnia tollebat corpora, & omni cum victus ratione curata.*

Omnia præcedentia ſæcula, (ut noſtrum etiam) hoc idem obſervaverunt, ut cum peſtis inciperet, alius non viſebatur morbus; & ſi quis eſſet, in peſtem vertebatur: & ratio erat, ut cum peſtilens conſtitutio inciperet, ab illa communi & generali cauſa, aëris nempe peſtilenti contagio infecti, illius violenta efficacia, ſuper alias cauſas aliorum morborum, dominabatur, ut advertit Thucidides, & nos etiam vidimus, quando peſtis incœpit; nam licet ſimplex & exquiſita tertiana, inciperet, ſecunda aut tertia acceſſione in peſtilentem & continuam vertebatur, quia jam præexiſtebat in venis malignus apparatus, ut etiam puncticularis febris conſtitutione anni 1648. accidere notavimus; & idem erat in pleuritide & uſtivo carbunculo: nam protinus peſtilenti contagio peſtilentia erant; omni diligentia curati, & confuſione neglecti moriebantur; ut appareat non eſſe par auxilium peſtilenti veneno ſpeciali, ne dum cognito, niſi ſola ratione communi; neque par amuletum, & omnino contrarium, virtute bezoartica; cum illius efficacia eſſet ipſo jure læthalis: quo nulli miri erit, ſi omnes ſub hac peſte perierint; niſi quis evaderet auctoris naturæ privilegio, aut patientis ſingulari virtute, qua veneni violentiam à ſe pelleret; ut pleriſque etiam accidebat, maxime in principio aut in fine; quod etiam facile comprobatur, quod tunc non erat par auxilium: imo & nos aliud obſervavimus, ne tantum tum invalida & inermia eſſe, ſed, (peſte jam longius diffuſa) & ipſa in ægroti pernitiem cum morbo conſpiraſſe; nam illis brevius ægroti peribant, utrorumque violentia, virtute exoluta; quia non erat par natura ad virtutem auxilii in actum reducendam, morbique violentiam tolerandam.

Graviſſimum vero, (procedit idem auctor) *in toto hoc malo erat, tum animi conſternatio, ubi quis ſe morbo*

morbo correptum sentiret, (ad desperationem enim subito conversa mente multo magis projiciebant semet ipsos, neque morbo resistebant) tum quod alter ab altero curatione repleti, veluti pecudes interibant, & in gravem istud stragem edebat, &c. Nec illa calamitas etiam à nostris procul erat; plures enim desperatione auxilii, quam gravitate mali, vidimus periisse: seu præsumpta impossibilitate consequendi auxilium, seu ita imperante delirio, dum pertinaci animo morem gerit; nam cum seipsos sentirent contagio affectos, ita graviter animo despondebant, ut circa necessaria delirantes, nempe circa cibum & potum, ut se ipsos potius morti traderent, quam finerent mederi; dum maxime perpenderent multos alios, uti pecudum greges, periisse; sic etiam illis futurum existimantes: ac ita cordis vitalitate exoluta, & animalitate collabente, ad commune hospitium semimortui, vel protinus morientes accedebant; hæc enim melancholia circa cor urebatur, pestilentis contagii vicinia; ideo tristioris stragis causa erat.

Hæc mæstitia gravioris mali causa fuit; sed omnium gravissimum quod sequitur, quod in nostris par erat, (omnes enim morientium sortem nolebant experiri) sic loquitur Thucidides: *Sive enim nollent timore præterriti se mutuo adire, peribant deserti; & domus quamplures exhaustæ sunt inopia curantium: sive accederent, eadem vi morbi repleti interibant; & præcipue qui virtutis aliquid profiterentur; præ pudore enim non parcebant sibi ipsis ingressi ad amicos visendos: quoniam & lamentationes morientium, domestici tandem exhausti labore, negligebant, à malo superati:* Quando infœlicitates ordinem communis naturæ superant, omnem humanam compassionem supergrediuntur: quo homines attoniti, veluti insensibiles redduntur, ut apud nostros vidimus; domestica enim mala longe majora erant, quam ut possint ex merito defleri: nec est magna tristitia, quæ libertatem in animo relinquit, ut ea demonstretur, quia anima non operatur cum vita est in dubio; & qui se à consortio aliorum abdicabant, perterriti contagii timore, suo etiam judicio securi, ii etiam peribant proprio domicilio deserti: nam illos fugientes mors, in secessu absconditos apprehendebat; & cuidam religioso viro, & aliis infœliciter cessit; & inde venit ut pleræque domus desertæ, solis cadaveribus occupatæ cernerentur; & ad talem statum tum civitas devenit, per totum mensem Junii, jam peremptis Medicis, & Chirurgis, ut unus aut alter Medicus tantum superstes esset, cæteris ictis pestilenti contagio, aliis proprio domicilio labore delassatis, & familiis jam cinere oblitis, absconditis: quibus certe non erat auxilium necessitati par, tribus millibus nempe ægrotorum, quorum necessitas longe gravissimum postulabat auxilium; sed pro tempore libratum, impossibile: quo plures desertæ domus erant, non ita grande malum homines æstimantes, fideli solitudini ruris, quam propriæ domus, & infectæ civitatis commercio, & periculis. quoniam qui ægrotos pietate adibant, cum illis simul moriebantur, à malo & labore superati: & magis qui obligatione aut statu, pietatem colebant; illi enim heroïca virtute, propriam vitam, pro anima proximi periculis generose obtulerunt, ut multi religiosi viri, & inculpatæ vitæ: sed sub hac differentia, ut qui gentiles vitam obtulere periculis, sibi tantum præ pudore non parcebant, dum amicos viderent in periculis: nostri autem sola divina pietate à Christo domino imitata, & proximi, afflicti, commoti, ultima subire pericula non recusabant: & in exteris tanto magis necessaria illa pietas erat, quanto jam erant domestici exhausti, & lamentationes morientium, à malo & labore superati negligebant, velut non audientes gemitus & labores: non quod charitas deficeret in illis, sed quia gravius erat malum, quam humana sensatio: quo sui & aliorum obliti fere non sentiebant, à se alienati, præ sensationis acumine attoniti.

Hoc à timore superatis accidebat, cujus imperio librabant actiones aliter ac illius qui à pestis periculis jam superstites erant, qui cum jam in tuto esse judicarentur, omnem pietatem & compassionem exercebant: Thucididem primum audite; postea & cives nostros: *Magis illi qui evaserunt*, inquit ille, *& morientem, & laborantem miserabantur: tum quia malum antea experti cognoscerent, tum quod ipsi jam in tuto essent: bis enim eundem hominem morbus non ita corripiebat, ut interficeretur; & beati ab aliis dicebantur: & ipsi subito gaudio elati, insequens tempus spem quandam levem habebant, se neque ab ullo alio morbo amplius interfectum iri*; in constitutionis initio magna erat ministrorum inopia, quoniam mortis timor, omnem præoccupat pietatem, usque dum experientia timorem securiorem fecit, non omnes contagio affectos periisse; qua re crevit numerus ministrorum, iis qui à pestilenti contagio convaluerant: qui jam supergressi tam admiranda mala, & experientia impietatis deserentium illos, compassione & pietate commoti, ægros audacius adibant, nec à piissimo ministerio desistebant, abolito timore, quo afflictis solertiori cura medebantur; illis etiam postea alii miscebantur, lucro potius quam charitate ducti: quia afflictis pecuniæ nullius erant pretii, ut qui suo judicio putarent illis non indigere.

Nolumus illam quæstionem vocare in judicium; *Num idem contagium bis hominem afficiat?* Nam licet talis videatur illius antiquitatis Medicorũ consensus: nobis tamen nullo videtur principio obstare, si postea persistit apparatus, qui cum seminario pestilenti habeat analogiam: ut plurimum tamen in tuto illos esse, experimur, ut evacuationibus quæ præcesserunt, maligni apparatus ab arte aut natura: tum robore tam validæ naturæ, quæ valuit veneni efficaciam superare, atque à se abjicere; quo robustiores in posterum evadunt, & resistendo apti; & dato, quod secundo veneno non obsisterent, ita præsentaneo periculo non esset, ob dictas rationes: & quod subito gaudio elati, si non amplius interfectum iri, qui à tanto periculo evasit.

Nec inter tot calamitates hoc malum alii graviori pepercit, ut Athenis, & nostra civitate visebatur quotidie; *Afflixit vero ipsos magis* (dixit Thucidides) *præter præsentem laborem, etiam comportatio ex agris in oppidum, & non minus ipsos advenientes: cum enim non suppeterent ædes, sed in tuguriis æstuosis, in tempore anni æstivo, habitantibus, strages fiebant, nullo ornatu, neque ordine; sed mortui illi super alios morientes jacebant, & in viis volutabantur, & circa fontes omnes*

nes semimortui, aquæ desiderio: & templa ipsa, in quibus tabernacula construxerant, mortuis erant corporibus referta, eorum qui ibidem moriebantur: Tam magna apud nostros increscebat strages, ex agris venientibus, ut per vias agminatim mortui cernerentur, antequam adirent civitatem, maxime circa fontes, & urbis amænitates: & plures auxilium in agris conquirentes, ibi mortem etiam invenerunt; ut civitas & agri (mirabile sane dictu) mortuis non sufficerent: & tandem talis erat confusio, ut verum esset, cum Thucidide dicere, *strages fiebant, nullo ornatu, neque ordine, sed mortui illi super alios morientes jacebant:* & cum jam sepulcra Ecclesiæ, tot morientium corpora capere non valerent, ager honestum sepulcrum morientibus erat; imo sæpe novimus accidisse, ut cum sepulcri dominus, familiæ suæ deportabat cadavera, ut proprio conderentur sepulcro, locus illis non erat, quia alii & longe alieni, suorum prævenerunt funeralia; in jure alieno magno pretio conventione facta; ut olim Atheniensibus etiam legimus accidisse: attendite ad hæc verba Thucididis: *Præter modum etiam sæviente malo, homines non habentes quid agerent, in eam mentem versi sunt, ut sacra sanctaque omnia pariter negligerent: legesque omnes sepulcrorum perturbatæ sunt, quibus antea utebantur, sepeliebantque ut quisque poterat, & multi ad impudentia sepulcra animum converterunt; penuria necessariorum, quod jam frequentes sibi domestici ante occubuissent; in alienas enim pyras alii antevertentes eos qui extruxerant, & imponentes suum mortuum, ignem accendebant; alii dum cremarentur, alterum suum ipsi cadaver, injicientes, quod ferebant, abiere.*

Eo Athenienses mali sævitia deduxit, & extrema calamitas, ut & sacra negligerent; & leges confusione turbarentur, (nam rebus magnis alterationibus fluctuantibus, civitatum omnis turbatur ordo, fræno humanæ malitiæ detracto.) sed apud nostros extrema miseria, extremam pœnitentiam solicitat, vera divinæ pietatis fiducia, (quæ gentibus non erat) ut qui scirent, quod divina justitia placatur humili pœnitentia, & supplici cordis humilitate, quæ in omni sexu & in omni ætate jam erat, supra fidem: & ab illo profecto non desistit, donec divina justitia placaretur: nam ad auxiliorum ultimum accedentes (ut qui scirent merita humana non sufficere) divina sanctuaria Christi Domini, & piissimæ & sanctissimæ Matris misericordiæ, sanctissimæ & individuæ Trinitati obtulerunt, devotis precibus sacra processione per omnem civitatem, jam per Junii fines; quo (mirabile sane dictu) omnis pacatur pestilentia, sistit furor contagii, & omnes contagio infecti (quorum numerus ultra tria millia excedebat,) fere repente convalescunt, ac publica redintegratur salus, deperdita valetudo instauratur; nam in 4 die Julii miraculosa recuperatur salus per tot hominum millia contagio diffuso: nam in tam brevi spatio, tam mirabilis, & tam secura salus, & sine ullo recidivæ periculo, alio quam miraculo apponendum non video: in medio domorum & vestium infectorum contagio, nondum extincto pestilenti incendio, carbunculis & bubonibus adhuc tabo pestilenti manantibus, familiarum cujusque domus medio: neque ab illa die ullus nostrorum vidit aliquem novo in pestilentem febrem incidisse bubone aut carbunculo insignitam, in medio tam magni apparatus pestilentis.

Inter omnia Universi pericula, nec tristius malum, nec quod sit occasio graviorum malorum, ullum in natura observatur, quam Pestis. Quid potest esse tristius, quam matres filios amatissimos derelinquere in ipso periculorum medio; aliquid certe magnum abditum & absconditum continet, hoc vitæ desiderium! quod explicari nequit: res enim in hoc concursu vidimus quæ posteritati revelare nefas esset: pretiosa certe vita existimatur, si Charitati & Honori aliquibus præfertur; quas gentes non penetravit cautio, fuga & separatio, à tristi & afflicto, pestilenti contagio infecto, à solio regali ad infima tuguria; & ad hoc sua cuique erat singularis politica.

Hæc gravissima mala alia graviora etiam sequebantur: nam in plerisque ad iniquitates transivit indicibiles, quæ plus admirationis, quam fidei merentur; quando divina Justitia rudem Vindictæ portentam ostentabat super homines: nostras enarrare, Pudor arguit, dissuadet Modestia, prohibet Temperantia: sed illa non silebo, quæ Thucidides sui temporis retulit, in peste Athenarum: quia, ut bene dicit Tacitus, *erunt enim vitia donec homines. Primumque cœpit*, dicit Thucidides, *& ad alia in civitate, majoris improbitatis scelera auctor esse morbus: facilius enim audebat quisque, quæ prius occultabat, ne libidine patrare videretur, cum repentinam rerum mutationem aspicerent; & beatorum subito tamen commorientium, & eorum qui nihil antea possidebant, repente eorum bona consequentium; quare velociter perfruendum bonis & ad voluptatem judicabant momentaneam, diemque vix duraturam, & corpora & bona pariter existimantes: & nemo ad obeundos labores, pro eo quod videretur honestum, promptus erat; incertum existimans, an priusquam id assequeretur, interiret: quod vero noverat, jucundum, & ex omni sibi parte quæstuosum, hæc & honestum & utile constituebant; Deorum vero metus, vel hominum, lex nulla deterrebat; illud quidem judicantibus ex æquo esse, sive colerent, sive non colerent, quod omnes viderent pariter interire, erratorum vero nemine sperante quoad judicium constitueretur, se vitam producturum, ut pœnas daret: multoque majorem jam sibi decretam pœnam, impendere arbitrantibus, quæ priusquam incideret, æquum judicabant, aliqua vitæ voluptate frui.*

Auctor harum iniquitatum Pestis erat, dixit Thucidides; nobis autem videtur, quod hominum malitia occasionem cœpit à rebus quæ in peste acciderunt: quid enim mirum, si domus erant à dominis desertæ, pretiosa supellectile plenæ, ut sacra ambitione cupidus, & impie avarus, cupiditatem anteferret periculo: & lascivus mortis timori delectationem: quia nec honestis virginibus, neque castis matronis ulla erat resistentia, à malo superatis: quid multum? quod Deo & hominibus esset timor abolitus, essent despectæ leges divinæ & humanæ, si justitiæ frænum, & servitutis jugum in Rep. pestis occasione à propriis cervicibus impietas excussit: quando sola lamentorum confusio aures paucorum, qui supererant (in latebris absconditi,) feriebat; magistratus timore superati, & judices pavore consternati, & ministri absconditi, legum observantiæ nullam vim inferebant, & leges in omni Rep. tuentur sola vi & timore: quibus ergo nervis

vis erat illa vis conservanda, si quaque in respiratione, & quovis pedis gressu, mortem per singulas horas spectabat; sed quod in hoc rerum statu omnem admirationem superabat, erat impiorum audaciam ultra omnem iniquitatem subiisse: nam cum dubio procul illis esset notissimum, delectationem ultra hoc instans non posse permanere ad summum ultra diem; auderent nihilominus atrocia delicta perpetrare dum nec justi, nec honesti illis cura esset; utile & delectabile, honestum æstimantes; nam præversa mente metiebantur omnia, quo delectationem timori præferebant; cum jam divinus & humanus illis deesset timor, cum viderent omnes timore & audacia perire.

Inter tot infortunia totque calamitates volutabatur Athenarum fortuna: *Tali igitur calamitate Athenienses circumventi, affligebantur, & hominibus intra Vrbis mœnia, morbo intereuntibus: & regione foris ab hostibus vastata: in malo vero hoc (ut videtur esse consentaneum,) in memoriam revocarunt carmen hoc:*

Doriacum adveniet bellum, & læmos simul ipso.

orta igitur altercatio inter homines, cum dicerent, non læmon *pestilentiam esse nominatam, in versu ab antiquis, sed* limon *famem, sed evicit, in præsentia non immerito, ut pestilentia diceretur; homines enim ad mala quæ patiebantur, carminis revocatam memoriam, accommodabant: si vero, ut opinor, aliud aliquando bellum invadat, Doricum, post hoc, & forte fortuna contingat, adesse famem, verisimiliter hoc modo canent*, &c. hæc de peste Athenarum enarravit Thucidides; hæc est etiam pestis Hispalensis effigies.

Cæteris pestium constitutionibus, & in nostra controversum, & agitatum video, *an peste incipiente, à civitate fugere, & procul devitare contagium, expediat illi, qui præservari optat?* dicam quod in nostra civitate observavimus, ut prudentius consilium inde eliciatur: quod Gubernatores, & civitatis custodiæ deputati, civitatem non deserant, nec decens, nec honestum videtur, imo pia necessitas aliud non permittit: nam ideo quod alii in domibus absconditi, & fugientes alii, strages erant, & sine auxilio pericula: & quod cæteris civibus observavimus, erat ut qui antequam domus & familiæ personas contagium inficeret, & antequam contagio infectis miscerentur, hi securius vitaverunt pericula, dum familias perfecta sanitate, & salubribus locis, & procul à contagio conservarunt: ruris hereditatibus, domibus, & oppidis procul sitis: qui vero deseruerunt postea civitatem, familia contagio infecta, seu contaminatis vestibus aliorum consortio, secum detulerunt contagium, & ibi velut in civitate moriebantur, auxilio Medicorum orbati, amicorum solatio, & forte sacramentis Ecclesiæ; remeandi in civitatem anxio desiderio, quando nulla salutis spes erat: ac ideo qui honeste valet civitatem deserere, contagium vitare, ut sub prædictis conditionibus exeat, prudens erit consilium: sin minus, divinæ clementiæ se committere in ipsa civitate, prudentius esset; ut plerisque vidimus fœliciori eventu accidisse.

Et secundo pro certo ab omnibus suppositum invenio furiosam pestilentiam per omnem civitatem diffusam, posse ejus coërceri auxilio, & aërem infectum ad antiquam puritatem reduci: quando ex causa communi pestis oritur: hoc meo

A saltem judicio non capit intellectus, quando pestem induxit cœlestis influxus invisibilis, & ultimam dispositionem in patibili illius efficacia, non video quomodo illa possit humano emendari auxilio, nec aërem in puriorem substantiam mutari: nam quando malignum stellarum influxum, ignis elementum, (per quod transit) tam magna efficacia coërcere non valuit, nec corrigere, minus certe valebunt causæ minoris efficaciæ; & adhuc licet pestilenti contagio inficiatur aër, (influxus denegata potentia) non igne per angulos B civitatis accenso, cujus efficacia plerique voluerunt aërem posse corrigi & propriæ substantiæ infectio emendari) nam licet pluribus in locis accendatur, & magna certe flamma, illius activitatis actio ad summum moderatum spatium attingit, & dato quod in illo pestilentia absumat seminaria, quod semper, nec ut plurimum accidit, loco illius mox infectus succedit: nam infectus totam aëris occupat regionem, saltem illius civitatis quo semper in eodem periculo persistimus: aliud inconveniens, neque nostri expen- C dunt, quod ignis vi acriora, tenuia, & magis penetrantia, redduntur seminaria, alias lenta & viscida; quo aër (accenso igne) in tenuiorem substantiam, redactus, & calore accensus, non tantum penetrationi, sed diffusioni redditur efficacior: & ut in ampliora & longiora diffundatur spatia, interdum illa dispositione necessitat (cum crassus & nebulosus) ut reddatur deterior: & licet traditione constet à magno Hippocrate auxilium edoctum, ut *ignibus accensis circa omnes angulos civitatis Athenarum pestem omnino extinxisse:* D illa nobis videtur apocryphica traditio, absque veritatis examine prolata: & tanto nobis creditu difficile videtur, quod omnes fere pestes, dum vigore consistunt, adustione sæviore redduntur, dum illius seminaria humores ad ustionem ducunt: sint nobis exempla carbunculi, & antraces urentes, in omni sexu, & in omni ætate, licet puerilem non excipias; quo vita magis periclitaretur in auxilio, quam in morbi sævitia. præterquam quod nec illud ab Thucidide constat, hujus temporis auctore, quantumvis videatur ex E Galeno constare: non sunt enim in hac traditione pares: quod licet enarraret Thucidides, adhuc in traditione anceps esset judicium: sunt enim multæ aliæ causæ, quibus pestis illa finiri potuisset: & nobis illa magis videtur magni illius viri ponderatio, ut à Deorum familia oriundus, cum multa alia illi tribuantur incerta. Et si numerum mortuorum expendimus in Athenarum peste, & sævitiam mali, (præter hujus auxilii auxilium) adhuc magis creditu difficile videtur: hoc enim illis tantum poterit veritatis præsumptionem ad- F dere, qui non viderunt, quæ nos ipsis oculis vidimus, & quorum medio stetimus.

Quid multum, nec illud nobis possibile videtur, hominum corpora, in ipso pestis incendio præservare, & frivolis auxiliis pestilentis veneni efficaciam, & pestem in aëre delatam, quibusdam odoriferis infringere, & receptam extinguere: hoc illud credant vetulæ, & innocentes viri, quoniam illud est absque ullo fundamento imaginarium; nam bezoartica illa, quæ aut manu gestantur, aut ore adsumuntur, ad corpora à contagio pestilenti præservanda, sunt ita moderatæ

activitatis, & ad certum tempus, & spatiū determinata, ut brevissime transeat; qua finita, sive sequenti die, aut hora, noviter infectus aër, (qui fluit & refluit perenniter,) attrahitur ab inspiratione, & spatiis intermediis inficit: nec ideo illa absolute dispicere est in animo; nec ista est nobis rationum potissima; sed quia illius veneni pestilentis efficacia, furia & incendio, longe lateque superat, bezoartici illius resistentiam, quæ summa efficacia valet, non tantum corpora disposita invadere, sed adhuc indisposita subito superare, & subito disponere: ut adhuc hominibus robustissimis vidimus, accuratissime etiam præservatis, & ab omni commercio abstractis; & (si verum fari licet) non aliud efficacius auxilium invenies, quam longe citoque fugere ab urbe pestilenti contagio infecta, cum universa domo & familia, antequam contagio afficiatur aliquis: & in electione oppidorum, ut à peste securior evadas, non est fida securitas in ventilatis aëre, nec frigidis, nec calidis, nec adhuc temperatis: in eo tantum ulla erat securitas apud nostros (si aliqua permittitur) in exactissima obsidione loci, & habitationis, bellicis instrumentis, sclopetis & lanceis, ne quis in occulto deportaret contagium, in corpore, aut vestibus, ut plerique zelatores fecerunt: & adhuc ex iis contagii pericula aliqui subierunt, & aëris infecti; quam nullus unquam valuit excusare: sed qui graviora pericula subiere, illi erant qui contagio infectos publico, aut secreto titulo exceperunt; quo illa justa defensio erat piissima impietas; erat enim justissima defensio civitatis & populi: nam quando in supplicium pestis cedit, nulla est in humanis auxiliis securitas, sed in sola divina pietate, quæ solis orationibus & precibus humilibus pacatur.

In hoc statu erat urbis recuperata salus; sed justissimi timores, ne à postliminio reverteretur Pestis in subsequenti anno, multorum acrioribus stimulis solicitabant animū; licet jam essent tabo oblita seminaria: sed quia jam per hæc tempora instaret quadragesima, vertebatur in dubium, ob relapsus timorem, *an publica permissione carnes concederentur, prohibitis diebus ab Ecclesia, in omni civitate*: & hac occasione, Dominus Hispalensis Archiepiscopus Pimentel, in illius Palatium convocat ad consilium, celebriores Medicos ac Theologos, ac dubium illis discutiendum obtulit: in varias factiones reciderunt Medici & Theologi: alii permissionem judicabant justissimam; alii contrariam sententiam acerrime tenebant; & pro utraque parte validis quidem rationibus: nam utraque sententia nitebatur validis fundamentis: nos tandem in ea sententia perstitimus, fidendum magis esse divinæ pietati, quæ nos à tam mira strage liberavit ad Ninivis exemplum; quam Ecclesiæ præceptum publice violare, ob solum contingentem timorem; & qui poterat aliter evenire (pravo in posteros exemplo.) Et sine præsenti causa nostro judicio, non erat illud præceptum dispensabile, quod per tam longa sæcula, nulla occasione vidimus violatum: & hæc tandem prævaluit sententia, & ita gestum est: ac in posterum Deus fœlici in salute aspiravit fortunæ.

Plura in hac versione, (Autographum enim ipsius Auctoris fuit Hispanico idiomate;) *ob temporis angustias, prætermisimus, maxime in Historia, quæ nec asterisco, neque rerum serie digna existimavimus; accuratissime digniora expendimus, & ad limam & lineam veritatis redegimus, ne deessent, scitu digna, seu, ne fastidio tædioso superflua redderentur.*

F I N I S.

Clarissimo Viro,

D. IOANNI ELZEVIRIO,

Academiæ Lugduno-Batavæ Typographo celeberrimo:

Dr. Caspar Caldera de Heredia. S.

Nostro originali, D. V. transmisso, adhuc inter illa spatia non otiatur calamus: neque tempus inter otia sæcularia conterimus: nam nobis qui Musas colimus severiores, & tristibus ægrotantium querelis plerumque aurem accommodamus, aut necessariis crebro negotiis occupamur, non licet tam fœlicibus esse, ut in amænissima Musarum vireta, nisi per diverticula subinde quadam furtim, quasi expatiari valeamus, quamvis id maxime libeat: ideo si Deus annuat, & cœptis fortuna faveat, ut hæc nostra impressio, gratiam inveniat, in plausu doctissimorum hominum; post illam dabimus illustrationes, & illa quæ deficiunt, pro operis impressi complemento: nempe ad observationes ibi traditas, & ad praxim quæ deficit in febribus ad ideam cujusque singularis, & secundum accidentia, quæ illas importune exercent, & ducunt ad gravius discrimen: *& (absit omnis philautia) promitto, illa fore accuratissima diligentia elaborata, & supra edita omnia, acriori judicio, collimata: de qua impressione prosequenda, V. D. Iudicium expectamus:* nam caracteres & exemplaria, aliarum provinciarum omnia pene, vidi, legi, & tantum V.D. nobilissimæ impressionis characteres probavi: *Vale vir amplissime, nobis semper colende: Hispali, Martii 4. anni Domini* 1658.

TYPOGRAPHVS
LECTORI S.

Opere, eo, quo vides, ordine, Deo propitio, hucusque producto, eandem ordinis seriem in Indicibus servare, visum nobis est: quem Triplicem Tibi heic subsequentibus exhibemus paginis. Et primus quidem *Tribunal Medicum* generatim spectat: incipiendo à pag. impressa 1. Jucundissimum alter de *Potionibus*, & earundem Varietatibus Tractatum, à pag. 433. Tertius tandem specialem illum de *Peste Hispalensi* Discursum, à pag. 505. Cujus rei Lectorem benivolum monitum volumus.

INDEX PRIMUS,

Omnium, quæ in hoc Medico Tribunali digniora censentur, locupletissimus.

Primus numerus folium, litera locum folii indicat.

E.

F.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Purga-

T.

V.

INDEX SECUNDUS.
SVPER TRACTATVM DE
POTIONUM VARIETATIBUS.
Et primò quidem
SECTIONUM ET CAPITUM.

INDEX RERUM,

Quæ in Eodem asterisco merentur notari.

Gyraldi

de

INDEX TERTIUS,
CONCERNENS TRACTATUM DE
PESTE HISPALENSI.
Subdivisus in Indicem STATIONUM ET RERUM MEMORABILIUM.

STATIONUM INDEX.

INDEX RERUM

MEMORABILIUM.

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS.

CASPARIS CALDERÆ DE HEREDIA,
Civitatis Hispalensis Medici Ordinarii,

TRIBUNAL MAGICUM,

QUO

Omnia quæ ad Magiam spectant, accuratè tranctantur & explanantur.

SEU

TRIBUNALIS MEDICI PARS ALTERA.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
CIↃ IↃC LVIII.

TRIBUNALIS MEDICI
PARS SECVNDA.
SEU
TRIBVNAL MEDICO-MAGICUM: APOLLINI SACRVM.
In Publico orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI.

Decisiones Magicæ, ex supremo Apollinis Consilio.

Confusas Theatri universi Galeni acclamationes altum silentium excepit, cum Zoroastes tetrico, pallido & squalenti vultu, longa, sed soluta veste, Medicinæ primatum ægre ferens; concavis & scintillantibus oculis sic alloquitur. Numquid non vestræ dominationis & nobilis Medicinæ principium à nobis ortum traxit? forte omnes scientiæ non famulantur Magiæ, aut sunt partes illius? Magia metaphysica est pars illustrior scientiarum omnium & utriusque microcosmi altior Philosophia, ut postea monstrabo. Non nostis, ô clarissimi principes, & Vos, ô Academiæ serenissimæ, Zoroastem? ego sum ex primis Noæ filius tertius dictus, ideo junior, & ante universale diluvium progenitus; cui Chem nomen Janus pater imponit, ex prima Adæ lingua, cognomento Esenuus, quod Magiæ veneficæ studiosus eram: & non quia infamis, impudicus, impius propagator; ut Berosus impie posteritati dixit, aut male vertit Annius; forte quod nomen illud *Chem* apud Scythas Arameos est idem quod infamis, impius; *Enua* vero propagator impurus.

Lib. 3. de Antiquitatibus Iani Patris.

Nec ideo inficior, quia me Janus Pater inter filios odio sequebatur, & vilius despiceret, seu quia ultimo genitos ardentius amarat; seu quia piæ religioni non adeo incubui, (forte distractus ardore juventutis) me illius virilia amputasse; quoniam nactus occasionem, dum Noa Pater jam madidus jaceret, illius virilia comprehendens, taciteque submurmurans magico, sed non ferali carmine, Patri illudere mihi tunc magis placuit, quam à luce privare: ac exinde imposterum sterilem perinde ac castratum effeci,

 ut

ut nec deinceps Noa fœmellam aliquam fœcundare potuerit; & hæc eſt prima ligatio Magica, quæ in orbe contingit: & hinc incœpit Magia; cujus ſacra cupidine plerique exarſere: ſed illi magis qui aſtrorum peritia ſatiati, naturæ arcana amplius calluerunt: & antipathias & ſympathias rerum.

Nonne has ſympathias & abſtruſa arcana vix unquam ſatis nota dedimus Medicinæ; à quonam duxit ortum illud celebre Medicinæ principium, *Contraria contrariis medentur*; niſi à noſtra magica Philoſophia? quis illam unquam calluit differentiam, inter morbos inductos veneficio & morbos naturales? & inter frigidos nativa intemperie, aut ferali carmine; niſi à docta Magia? Hinc noſtra Magia ad veſtram ducitur Medicinam, ut præceptis & arcanis ornetur.

Ideo inter hujus dogmatis homines me amplius coluerunt Ægyptii, ut Magiæ arcanis amplius ſatiati: æſtimantes Saturnum (quod nomen mihi honoris cauſa impoſuerunt) futurum neceſſario in aſtrorum, & naturæ univerſæ arcanis peritiſſimum; nec ſua ipſos opinio fefellit: nam ego à Patre Noa doctus Magiæ naturalis principia ediſcere non deſtiti: qui omnibus artibus imbutus, filios omnes edocere curavit; & à tam longo ævo, & artes & ſcientiæ incœperunt; hinc Magi per antonomaſiam *ſapientes* dicebantur; & tantam nominis noſtri celebritatem gloria excepit; ut ſi non primum, me ſecundum inter Deos venerentur; eſt enim primus Deorum Pater *Noa*, *Janus*, & *Pan*, quod idem apud Gentes ſignificat: & ob ſingulare Magiæ beneficium, variæ gentes varia nomina mihi impoſuerunt; Janus Pater me nominavit, Chem ob dictam rationem; Cham me poſtea vocitarunt Ægyptii, Cameſſem, Cameſſenum; nam Eſenuum primo nomini addiderunt; eſt enim Enuus apud Scythas propagator; neſcio quo auſpicio, me generis humani corruptorem dixerunt; nam qui me vocitarunt Ægyptii Cameſſem Cameſſenum, in celebrem nominis noſtri memoriam ædificarunt urbem, quam dixerunt *Chem Min*, & eorum cives Chemmiſtas: eſt enim apud illos *Min* idem quod habitatio: *Chem* vero nomen, impoſitum à patre; *Zoroat* & *Zoroaſtes* poſtea me dixerunt Aſſyrii: audite ergo Zoroaſtem, ſcientiarum principes, & vos, ô Academiæ ſereniſſimæ.

TRIBV-

TRIBVNAL
MEDICO-MAGICUM.

Reverendissimus Pater Martinus Delrio, in campo amœnissimo Magiæ flores selectissimos collegit, & syllogistico stylo Academiæ disposuit: nos qui supersunt flores, recollegimus: (Nam quo messis abundantior est, eo plus supersunt reliquiarum) & stylo eruditionis delectabili digessimus, ut dulcis ille reddatur, noster delectabilis, uterque fructuosus; & pari securitate, utrumque polliceor, legendum: nam pari religionis amore utrumque prodit opus: pleraque tamen dedimus, noviora, utpote nostræ professionis gentilitia, ut apparet in titulo de Amoris essentia, & genealogia, de frigidis & maleficiatis, *ac* de omni genere impotentiæ nativæ, aut diabolico maleficio comparatæ, ac de vera horum, & venenorum differentia; *tanquam in mea arena, proprioque meæ professionis stadio mihi videbar versaturus; & multa alia, quæ non pigebit legere: nec tempus pretiosum conferent lectores sine fructu; & si quid legeris, quod antiquam Gentilitatem videatur redolere, non ideo dictum putes, ut nos talia vera esse credamus: nos enim tantum ipsorum voces expressimus; in quorum medio, me Romanæ, hoc est Catholicæ orthodoxæque Ecclesiæ, obsequentissimum scias: nihilque quod ab ipsius veritate declinet, profiteri.*

STATIO I. ARTICUL. I.

Quæ naturalis Magia.

Est Magia omnium scientiarum sublimatio, seu quinta omnium scientiarum substantia metaphysica sublimatione extracta. Altissimarum rerum cognitio est naturalis Magia: est enim divina Theologia: immortalitatis, ac rerum humanarum divina Metaphysica: est quinta Medicinæ substantia, inter rerum arcana educata: ac utriusque juris altissima energia: est tandem rerum divinarum & humanarum absoluta cognitio, adulta inter antipathias & sympathias rerum, qua activa passivis applicando mira & incredibilia patrantur; nec in ea deficit, idealis Naturę contemplatio, quæ inter scientias gigantisat. Diis immortalibus accepta, dixit Apulejus Platonicus, colendi eos ac venerandi gnara, divini sciens, & pia: à me & Oromasi tradita: quippe inter regalia docebatur; nec ulli temere inter Persas concessum erat esse Magum; haud magis quam regnare: ideo à Platone mire Xamolxis celebratur, quia naturalis Magiæ A edoceret altissima: hæc fuit ab Altissimo, Adamo cum anima infusa, ab illo longa traditione tradita Patri Noæ; hanc ab illo edocti nos accepimus; hæc tamen magia naturalis definitur: *Est ex qua naturali virtute, mira & insolita efficit, quæ humanam capacitatem superat.*

Magia diabolica.

At vero Magia diabolica, quædam est simia Magiæ naturalis, sciendi avida, & avara B cupiditas, in visceribus insita, inanis, superstitiosa & invisa: quæ sub dæmonis pacto, admiranda intra & extra limites naturæ operatur; est Catholicæ religionis Nubes infidelis, sed genio humano gentilitia: quod vetita, & ingenita levitas, & erudita vanitas: semper æmula scientiæ Altissimi; ob hoc fortasse Lucifer, cupiens fraudulenter Magiam diabolicam in orbem introducere, amara Zelotypia si non funesta rabie primæ Parenti dixit, (erat enim serpens cunctis animalibus callidior) eritis sicut dii, scientes bonum & C malum; nam postea seduxit ac peccato illo originali polluit ex novo orientibus nationibus homines, ut viderentur cæteris admirabiles; si hæc occulta norint: qui inimico dæmoni impia pietate fucato, facile crediderunt, sciendi inexhau-

cap. 2. Gen. August. lib. de Nat. Dæmon. cap. 3. Picus Mirand. de Vanit. gent. cap. 1. & 2.

Plato lib. 1. de Leg. Cal. Rhodig. lib. 18 antiquit. Sect. cap. 19. Val. Maximus lib. 2. cap. 2.

ſta libidine, hauſto in poculo aureo veneno; quoniam poſtea docuit mentitam Theologiam, Orpheum, Heſiodum, Pythagoram, Homerum & Platonem; ac de Deorum cultu leges, Licurgo, Xamolxi, & Soloni inſpiravit; Æſculapio & Machaoni, herbarum Medicinam; ac tandem viſceribus naturæ abditam Philoſophiam Pherecidi Mileſio, Socrati, Platoni, Ariſtoteli, qui has ſcientias à Diis acceptas, retulerunt; ut Socrates à genio; Ninus Aſſyriorum princeps à primo gentium Idolorum Patre Belo legem accepiſſe perhibetur; Ulyſſem à centauro ſemideo; ſicuti ab Egeria Numam Pompilium regem à Romulo ſecundum.

ARTICULUS II.

An magia ſit dæmonis inventio.

Plin. lib. 30. Nat. hiſt. cap. 2. Senec. 4. Nat. quæſt. 7. Exod. 22. 7. & 8. Deuter. 18. Levit. 19. & 20. Pſalm. 57. Aug. 10. de Civit. Dei 32. In Conciliis Laodiceno Cant. 36. Carthag. c. 39. & 90. Ancyrano lib. 6. cap. 7. Turonenſi cap. 42. Gratianus, 2 de Decret. cauſ. 26. Iſidorus 9. 5. 21. 8 Ethymol. Auguſt. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 19. & 23. de Civit. Dei 19. Chryſoſt. de Fato, Serm. 7. D. Thom. 4. ſent. diſt. 34. qu. 3. 3 Contr. gent. 103. Antonin. part. 2. tit. 12. cap. 1. Cod. Iuſtiniani cap. de Malef. & Math. leg. Nemo. cap. de Malef & leg. multi, in text. C. in Facerem fidei. Plin. lib. 3. Nat. hiſt. 1.

An ſint magiæ artes diabolicæ, à Dæmone intruſæ, plerique dubitarunt; an ab aliquo familiari genio; de hoc tamen dubitare non licet, cum infinita pene teſtimonia extent, in veteri & nova Theologia; & in utroque jure: & oculatiſſimis Medicinæ arcanis: de hoc tulit memoriam infœlicem Vetuſtas, per Ægyptios, Chaldæos, & Aſſyrios; ut conſtat, ex Mercurio Triſmegiſto in Aſclepio; Platone, Pauſania, Philoſtrato, Apollonio & Porphyrio, Jamblicho Platonico, & Tirio; clare ex Apuleio libro de Deo ſacratis; licet hoc genio æſtimet tribuendum; idem dixit Plotinus & Zenocrates in libro quam de morte inſcripſit; at Democritus Magia naturali & præſtigiatoria omnes antecelluit, ut Plinius eſt auctor. Hoc etiam Philoſophica ratione convincitur: nam dæmon valet quidquid à motu locali & alteratione producitur, producere; dummodo non ſit in deſtructionem univerſi; ſeu vere & realiter activa paſſivis applicando, adhuc præter naturæ ordinem; ſeu apparenti & illuſorio præſtigio; ſed veneficia magica & naturalia, poſſunt arte naturali configi; aut motu locali aut alterationis; ergo talia poſſunt à Dæmone produci, & applicari: patet, nam iſta ad actum veneficii redduntur, medio virtutis herbarum applicatæ lapidum, metallorum & animalium: ergo poſſunt à Dæmone configi; ut qui omnis ſcientiæ humanæ & angelicæ gnarus eſt; illa minor à natura probatur; quæ herbas, lapides, & metalla miniſtrat: quibus certe infatuat, incantat, in amorem inclinat, &c. producit etiam animalia veneno necanti inſignita, ut aſpides: quibus ars activa paſſivis applicando, ſeu propria virtute, ſeu aliena, ſupra ipſius naturam elevata, ſua etiam venena operatur, ſubito vel ad tempus necantia; mandragora enim & hyoſchiamum, virtute naturali infatuat: opium torporem mortiferum producit: Satyrion, titillationem in ſemina inducit quo libidinem concitat, & concupiſcibilem appetitum, ſemina concitando per vapores: ac iſtæ ſpecies rei amatæ peculiari ſuſcitant ſympathia, memoria repoſitas, ac illas cæteris potentiis objiciunt; quo certe ordine naturali, ad amorem inclinat, maxime in amaſiis: licet nulla inde libero arbitrio injungatur neceſſitas.

Nec eſt apocryphica incantationis traditio, nec vana fides venefici præſtigii. Quoniam Iſaias, dum deſolationem nuntiat Babyloni; *Sta*, inquit, *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficarum tuarum: ſtent & ſalutent te augures cœli, qui contemplantur ſydera*, &c.

Sagarum opera.

Auguſt. l. de Nat. dæm. 2. & 3. D. Thom. 2. 2. 995. & 96. Spring. in mal. part. 2. cap. 2. Suar. lib. 2. de Rel. c. 14. 19. & 21. Th. Sanch. 2 Decalog. cap. 3. Apul. lib. 1. Aſini aurei.

Quid plura? quod Dæmon per ſe ipſum non valet, manibus impiorum operatur; admiranda de hoc tulit exempla Apuleius Platonicus: *Ain' tandem inquam* (dicit ille,) *potens illa & Regina* Caupona *quid mulieris eſt? Saga*, inquit, *& divini potens, cœlum diſponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, Deos infirmare, ſydera extinguere, tartarum ipſum illuminare. Vis unum, vel alterum, imo plura ejus audire facta? Nam ut ſe ament afflictim non modo incolæ, verum etiam Indi & Æthiopes, folia ſunt artis vel nugæ meræ. Sed quod in conſpectu plurimum perpetravit audi; amatorem ſuum, quod in aliam temeraſſet, unico verbo mutavit in feram caſtorem; quod ea beſtia captivitati metuens, ſe ab inſequentibus, repreſſitione genitalium liberat; ut illi quoque ſimile, quod venerem habuit in aliam proveniret.*

Cauponem quoque vicinum ob hoc æmulum deformavit in ranam: alium de fero quidem, quod adverſus eam locutus eſſet, in arietem deformavit, & nunc aries ille cauſas agit. Eadem amatoris ſui uxorem, quod in eam probrum dixerat, in ſarcinam prægnationis obſito utero & repigrato fœtu, perpetua prægnatione damnavit; ut octo annorum curriculo, miſera velut elephantum paritura diſtendatur. Iis & aliis exaſperatus populus, illam multitudine ſaxorum obruere decrevit, quod conſilium virtutibus cantionum antevertit; & ut illa Medea unius diecula à Greonte impetratis indutiis, totam ejus domum, filiamque cum ipſo ſene, flammis coronalibus deuſſerat; ſic illa devotionibus ſepulcralibus in ſcrobem procuratis, cunctos in domibus, tanta numinum violentia clauſit, ut toto biduo, nec fores evelli, neque parietes ipſi quiverint perforari; quoad mutua exhortatione clamitarent, quam ſanctiſſime dejerantes, ſeſe, neque ei manus admolituros: & ſic illa propitiata, totam civitatem abſolvit; at tumultus auctorem intempeſta nocte, cum tota domo ſua, ab omni fundamento, & ſicut erat clauſa ad centeſimum lapidem in aliam civitatem ſummo vertice montis exaſperati ſitam, & ob id ad aquas ſterilem tranſtulit. Lucio Apuleio licet mendaci in hac re, ut domeſtico teſti eſt credendum; apud nos etiam dixit Seneca: *In duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantaſſit:* eſt enim incantatio maleficium quod peragitur verbis, ut dixit Auguſtinus, & Hieronymus; veneficium autem & opere & verbis, dum dæmon ad utrunque concurrit ex conducto.

7 Nat. qu. 7.

Hæc forſan alicui videbuntur in ſpeciem fabulæ adornatæ, niſi illa patrum conſenſu catholica illuſtraret ſententia; illam tenet Hieronymus in Danielem cap. 2. Auguſtinus de Trinitate 3. cap. 7. 8. & 9. D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 104. Toletus in Joannem cap. 3. & lib. 4. Sam. cap. 16. Delrio 2 Mag. quæſt. 9. 5. Dionyſius Areopag. de Eccleſiæ Hierarchiis, cap. 4. adhæc profecto Dæmon conducitur ex pacto, quæ ſunt in illius poteſtate, permiſſione Numinis altiſſimi; & valet illa omnia, quæ angeli faciunt ſub propria virtute. De hoc extant varia humanis & divinis litteris teſtimonia. Pleraque dedit Job. & Paulus, Apoſtolus, non pauca: Appiani haud ignobile eſt illud teſtimonium: *Magum*

In c. igitur 26. qu. 3. in Daniel. cap. 2. cap. 1. v. 24. Auguſt. cit. D. Thom. cont. Gent. cap. 104. Tolet. in Ioann. cap. 3. & 4. ſum. cap. 16. Dionyſius Areopag. de Eccleſ. Hierarch. c. 4.

fatale

Paul. ad Ephes. 1.2. D. Thom. 1 part. qu. 63. art. 1. & sent. 2. dist. 7. qu. 2. D. Greg. qu. 32. Moral. cap. 8. Appian. 2 de Bello civil. Roman. ad F.

fatalem necem Cæsari prædixisse, dum intraret senatum; & Alexandro mortem alium sub fatali augurio; cum ex Indis peteret Babylonem vastatis gentibus Universi: & jam proximo Urbi, Chaldæi prædixere ut se ab ingressu contineret, sed nihili faciens augurium, Babylonem aggreditur: ac in fœmore sagitta percussus ex hac luce discessit; Vatum prædictione.

Lact. lib. 2. de Orig. error. cap. 17.

Dæmonum inventa sunt, dixit Lactantius: *Astrologia & Aruspicina*, & illa quæ dicuntur *oracula & necromantia, & ars magica* præstigiosa; & quidquid malorum exercent homines, vel palam, vel occulte: quæ omnia per se ipsa sunt falsa, ut Sibylla Erythrea testatur; sed idem ipsi auctores præsentia sua faciunt, ut vera esse credantur: ita hominum credulitatem mentita divinitate illudunt; quod illis verum aperire non expedit; hi sunt qui imagines, & simulacra fingere docuerunt; ut mentes à cultu veri Dei averterent; eduntque sæpe tales prodigia, oracula abscondita, ut stupidi & exterriti homines, fidem commodent simulacris ipsius divinitatis ac numinis. valent ideo Magi, (dixit alibi) animas ferali carmine ab inferis ciere, & ut humanis oculis se præbeant, patrantur; & loquuntur mirabilia, & futura prædicunt; adhuc vera & divina miracula in Salvatore nostro, dum mortuum ad vitam suscitaret, Judaïca perfidia in virtute dæmonum fecisse exclamavit.

lib. 3. de Divin. præm. cap. 13.

ARTICULUS III.

Vetustas Magiam diabolicam credidit naturalem.

Altissimis officiis præesse Magos, credidit Antiquitas inculta, (est enim Magia ipsa Philosophia antiquior) quod omnibus crediderit numeris absoluta Magia naturalis: hanc enim numerorum harmonia consistere Pythagoras docebat, ut nostro Theseo adnotavimus: ac dæmones mediæ naturæ esse inter Deos & homines æstimavit, non omnino maleficæ, nec incultæ naturæ; sed hominum ingenia adjuvare, illos maxime qui coluerunt aërem; Clitarchus asserit, Magos Chaldæos (in libro 12 Magiæ) circa Astronomiæ rationes prædictionesque occupari; Diogenes Laërtius illos vacare cultui; & preces illi ac vota & sacrificia, quasi Soli ac Diis audiantur, offerre; (originali legitur ab aliis, sed quoniam est legendum à Diis.) ac de Deûm substantia & generationis principio disserere, illis solis conceditur; quos ignem, terram, & aquam arbitrantur; ac signa statuasque reprehendere; & eorum imprimis qui mares esse, ac fœminas dicunt, errores improbare: de justitia verba facere: iniquumque arbitrari atque impium, igni sepelire; justum matri ac filiæ misceri, ut 23 libro ait Photion; divinationem præterea prædictionemque exercere, sibi Deos apparere asserentes: plenum esse dæmonibus aëra; (alibi legitur, idolis, simulacris seu imaginibus) qui tenuiter, ac veluti ex evaporatione cernentium oculis influunt; exteriorem cultum, & auri usum interdicere; his candida vestis; lectus, humus; esca, olus; caseus panisque cibarius est; arundine pro baculo utuntur; sed Aristoteles hos magicæ divinationis ignaros appellavit.

lib. 1. de Vita Philos. de Origin. Philosophia.

Ægyptiis fuisse antiquiores Magos, auctor est Aristoteles; qui asserit duo tantum juxta illos fuisse principia; bonum nempe & malum Dæmonem; alterum Jovem dici, & alterum Plutonem, ut tradidit Hermippus & Theopompus: *Revicturosque homines juxta magorum sententiam: futurosque exinde immortales*; ac in illorum imprecationibus universum consistere; Clearchus Solensis libro de Disciplina: Gymnosophistas à Magis oriundos auctor est; & plerique Judæos ab illis originem duxisse, tradiderunt.

lib. 1. de Magis. lib. 8. Philippicorum.

Magi à dæmone cuncta inferiora regi arbitrabantur; nomen Dæmoni tribuentes, quod vita Diis illorum manibus deferantur: *Sunt enim quædam mediæ potestates*, dixit Apuleius, *inter summum æthera & infimas terras; in isto universi aëris spatio, per quos desideria nostra & merita ad Deos commeant, hos Græco nomine Dæmonas nuncupant, inter mortales cœlicolasque victores; hinc precum, inde donorum, quæ ultro citroque portant; hinc petitiones, inde suppetias; seu quidam utrinque interpretes & salutigeri*: hæc Gentilitas dixit, nos credimus, à divina providentia omnia gubernari.

lib. de Deo Socrat. fol. 153.

Per hos eosdem, ut Plato in Symposio dixit, cuncta denuntiata, & magorum varia miracula, omnesque præsagiorum species reguntur; eorum quippe de numero prædìti, curant singuli provide, ut est cuique tributa provincia, vel somniis confirmandis, vel extis physiculandis, vel perpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis: vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis: cæterisque adeo per quæ futura dignoscimus; quæ cuncta cœlestium voluntate & numine, & auctoritate, sed dæmonum obsequio & opera, & cura dispensantur; ut per illos Anibali, somnia oculi orbitatem commeent: & prædicent Flaminio, in cladis periculo auspicia, & Aceio Navio miraculum adjiciant; & per aquilam Tarquinio Regnum nuntient, ut Servius Tullus à capite flamma colluminetur; postremo præsagia cuncta ariolorum & fulgurum, bidentia carmina Sibyllarum.

Quæ omnia obeunt mediæ quædam potestates inter Deos & homines: neque enim pro Deûm fuerit majestate, ut aliquis eorum somnia Annibali immittat, hostiam Flaminio corrodat, vel Aceio Navio notificet, vel Sibyllæ fatiloquia versificet: Tarquinio & Servio Flammam, vel apicem reddat: hæc enim non sunt Deorum digna: mediorum ista sortitio est, qui in aëris plagis, terræque conterminis, nec minus confinibus cœlo; perinde versantur; ut in quaque parte naturæ propria sint animalia: fuit enim Aristoteles auctor, flagrantibus fornacibus propria etiam animalia pennulis volitare; totumque ævum suum in igne traducere; cum eo exoriri, cum eoque extingui, & mori.

Hos fuisse dæmones materiæ corruptioni obnoxios, Porphyrius est auctor, & ab anima, ut vis imaginatrix futuri, generari; *Illud certe* (dixit Jamblichus) *mihi videtur, maximam præ se ferre impietatem, non solum in tota Theologia, verum in omni actione sacri cultus; illud enim imprimis est absurdum, si genii ipsi corrumpantur; tum illud est sane gravius, si hujusmodi producuntur à posterioribus se, cum sint ipsi priores producentibus; nam genii subsistunt ante animam, & ante potentias quæ sunt circa illa corpora anima-*

Segment. 3. cap. 22.

cap. 31.

animata; nullum enim particularium sensibilium corporum progenerat genios: imo multo magis & potius inferiora hæc à geniis & progignuntur & custodiuntur; non potest enim homo ulla fabrica formas fingere geniorum: potius geniorum multitudo & numerus, natura simplex est; & uniformiter circa composita omnia operatur;

cap. 32.

sunt tamen inter illos probi alii, qui Diis & ministrant & serviunt; ab iis omni animi morbo, & omni malitia amputata, ubi primum emicuit divina lux in illis, à qua sacrificantes universam virtutem capiunt, & bonis moribus, nec non & honestißimis imbuuntur; liberantur ab omnibus vitiosis affectibus, motibusque omnibus compositis impiis, & sacrilegis moribus.

Hæc sunt Iamblici Platonic.

Sunt alii scelesti, inquinati, moribus incultis præditi, neque ritibus servatis, statis cæremoniis: haud debito ordine, audent sane prorumpere & irruere in divina ob nequitiam, si non ob potentiæ indigentiam: unde Deos neque valent attingere; & à familiari consortio arcentur, & à puris & sanctis spiritibus; boni tamen, si improbis jungantur, peßima inspiratione implentur; redduntur que ipsi peßimi, & impii lascivientibus voluptatibus oppleti, & ab omni malitia possessi; qui è diametro Diis adversantur, & in malos dæmones convertuntur: & jure contagionis & convenientiæ, iniquis paßionibus implentur; & ad omnem malitiam à malis concitantur spiritibus; ac ita mutua quadam catena coalescunt, & ad invicem crescunt, velut circulus quo fini principium annectitur; redditque pares vires; hos Antitheos dixeris Deorum adversarios; vehiculum corporale quod Geniis subservit, non materia, non elementis, non ullo genere corporum constat, nobis noto & consueto; quæ ergo substantia poterit alienam substantiam adimplere? qualis fruitio poterit alienis rebus apponi? ut alienis & extraneis saturetur? nulla prorsus: hæc tamen illa Dii ex patibilibus efficiunt, incorrupta & impatibilia, ad communionem societatemque Deorum, in hoc Diis aßimilans; quare substantiam materia immersam, in sacris igne purgat & lustrat, à materiæ vinculis absolvens: & ut nobis communicet, naturam nostram materiæ immersam ad res abstractas circumagit, &c.

Segment. 5. cap. 13.

Hæc Jamblichus, qui certe videtur divinæ legis arcana consuluisse, sed in omnibus tandem gentilis Platonizat; sic enim de hoc argumento loquitur in convivio Plato: *Dæmon media quædam natura est, inter mortales & immortales Deos; eorum erat officium divinare: Deus quippe homini non miscetur, sed per id medium commercium omne, atque colloquium inter Deos & homines efficitur, vigilantibus sane & dormientibus. hic est dæmon & amor. unus ex dæmonibus est; amor enim est immortalitatis desiderium: amorem esse dæmonem ex copia & inopia genitum, dixit fatidica Diothima, & in medio sapientiæ & inscitiæ constituitur; officium enim unumquodque dæmon peculiare sortitur:* & procedit in dialogo Phœdon seu de Anima: *Ferunt enim quemlibet illuc migrantem ab eo Dæmone, quem vivus sortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat, omnes una collectos judicari; ac deinde ad inferos proficisci, eo duce cui mandatum erat; tempusque debitum commoratos, boni per decem millia annorum: & mali per quatuor millia, ab alio duce rursus huc reduci: post multum temporis longosque circuitus. attamen unaquæque animarum pristinos sequitur mores, cum secundo venit; nam rapacis rapacem avem informat; voracis lupum; sola autem Philosophi anima regem & optimum gubernatorem induit.*

In convivio seu dialog. de Amore.

Dialog. 10. de Rep. vel de Iusto.

Hæc vidit Herus Armenius apud inferos; dixit dialogo de Justo: quoscunque alios injurias intulisse constaret, pœnas sigillatim pro qualibet decies reddidisse, dæmonis ope & ministerio: hoc vero pro quolibet annorum centenarium esse; quasi hæc vitæ humanæ sit meta: qui vero multorum necis causa fuit, pro quolibet facinore pœnas decuplas; atque iterum si qui beneficia fuerint elargiti, justitiamque & pietatem coluerint, eadem pensione præmia reportarent. De pueris autem parum digna memoria recensuit; anima quæ olim Orphei fuerat, se vidisse testatur, Cygni vitam odio muliebris generis eligentem, nolentem scilicet ex mulieribus, à quibus occisus fuerat, renasci; Animamque Ajacis Thelamonii feri leonis corpus elegisse, fieri hominem fugientem, dum armorum judicium olim datum mente revolveret; ultimam tamen sortem Ulyssis animam elegisse testatur, ac præteritorum laborum memoria, privati hominis & incuriosi vitam induisse, eamque vix tandem alicubi jacentem, & neglectam ab aliis, reperisse, dicentem, non aliam se vitam electuram etsi sortem primam nacta esset.

Lachesim vero cuique dæmonem quem cœperat, quæque ipsius vitæ custodem præscribere, electorumque operum executorem; ac illam ad Clothum animam ducere, ut electam fortunam probaret, ac ultimo ad Atropon ut stamen acciperet; illinc postea propere necessitatis thronum adire; per quam cum transirent omnes ad lethæum flumen ducebantur, ex quo qui bibunt, omnium oblivisci palam est.

His & aliis antiquitas delusa Magiam Diabolicam credidit naturalem, quod adjuvantes & naturales æstiment familiares genios, ab anima productos; & revera cultum se Dæmoni tribuere non arbitrabantur: ex definitione tamen Magiæ damnatæ eliciemus, an isti sub Magia Diabolica comprehendantur: *Est enim illa ars seu facultas, quæ vi pacti cum dæmone initi mirabilia operatur, quæ hominum captum superant*; ideo *tacita idololatria* à Theologis dicitur, quia cultus (qui soli Deo debetur,) dæmoni tribuitur. Ex illa Philosophorum doctrina non constat cultum se dæmoni tribuere, explicite: implicite vero, pactum cum dæmone initum, aperte demonstratur, in illis rebus, quæ illi supra hominis captum operantur, non arte, non virtute naturali: hinc à posteritate, velut traditione, omnis emanavit incantatio: hinc omnis delusa ætas superstitiones sine ullo examine haurit: hinc oritur facilis creditu dæmonum operatio; natura enim semper ad malum prona inexhausta libidine sciendi & abstrusa rimatur, & signata solicitat. vile enim videtur quidquid patet; *nitimur in vetitum*, fatali quadam propensione; Dæmones illi inter has ætates coluerunt, non quod pessimos judicent, sed adjuvantes genios, ut hodie (proh dolor,) pleræque nationes autumant, sub hac hæresi mentis, quos passim genios familiares dicunt; hi ergo dæmones invocantur, in incantationem, seu ad determinata veneficia: nam quod illi in virtute verborum præstiterunt, dicitur incantatio, magica; quod in rerum virtute, veneficium; quod arcanam vim habere hæc verba existimentur; nefanda piaculi consuetudo, qua miseri & anxii mortales, terribilia & incognita remedia arcanam vim habere existimabant; fœdæ sævitiæ auxilium implo-

implorantes, & sævioris numinis, quod jam olim,& à longinquo ævo divinitatem optat,dum dies recolligit antiquos & annos æternos in mente volutat.

STATIO II. ARTICUL. I.

Signa & instrumenta Magiæ diabolicæ.

Constans Catholicæ Theologiæ est opinio, quod potest celebrari incantatio, seu facinus infandum veneficii à solo dæmone, absque ullo humano instrumento, sibi gentilitia, cognata,&coęva scientia,seu virtute motiva,impellendo quoddam ex elementis, seu activa passivis ad productionem effectus applicando, seu morbos, aut alias animi passiones inferendo: si non immediate, saltem substrahendo influxus, aut inferendo causas; notum est illud Job, *Egressus est Satan à facie Domini; percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus*; à dæmone etiam vexabatur Saul: illud ultimo patet, à dæmone vexatis & variis suggestionibus exploratis.

Adhuc in rebus prodigiose malis, præstigia, veneficia, & incantationes per homines, velut per instrumenta, dæmones operantur, dum se votis obligant aut pacto fœnerantur, aut tandem sub rebus aut sacris, aut profanis: pactum enim occulitur sub carmine ferali, sub idolis ex ære aut cera fabrefactis, seu sub humano sanguine, parte vestis, &c. Haud ignobile est illud Germanici in Tacito exemplum; Piso abire Syria statuit, mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, Antiochensium plebem per lictores perturbat. tum Seleuciam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rursum Germanico acciderat; sævam vim morbi augebat persuasio, veneni à Pisone accepti, & reperiebantur solo ac parietibus,erutę humanorum corporum reliquię, carmina & devotiones & nomen Germanici, plumbeis tabulis insculptum; semiusti cineres ac tabe obliti; aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari; simul missi à Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes; ac brevi inita oratione, uxori, & domesticis ejus, non multo post extinguitur; ingenti luctu provinciæ, & circumjacentium populorum: corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium,qui locus sepulturę destinabatur, prætuleritne veneficii signa, parum constitit; nam ut quis misericordia in Germanicum, & præsumpta suspitione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur: illa certe extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit; hoc usus argumento; Germanici Cæsaris cor ob venenum,nunquam potuisse comburi, palamque testatus est; quod certe etiam negat Plinius, posse cremari cor in iis qui cardiaco morbo obierunt; aut veneno etiam interemptis.

Lib.11. Nat. hist.

Haud minus certe celebre exstitit Claudii veneficium: *In tanta mole curarum*, dixit Tacitus, *Claudius valetudine adversa corripitur; refovendisque viribus, mollitie cœli & salubritate aquarum Synuessam pergit: tum Agrippina sceleris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino & præcipiti facinus proderetur, si lentum & tabidum delegisset: ne admotus supremis Claudius & dolo intellecto, ad amorem filii rediret: exquisitum aliquod placebat quod turbaret mentem, & mortem differret; deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata, & diu inter instrumenta Regni habita; ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister, è spadonibus fuit Halotus; adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo boletorum venenum; ne vi medicaminis statim intellectam, socordia ne Claudii, an violentia, simul soluta alvus, subvenisse videbatur; igitur Agrippina exterrita, & quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet; ille tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur: haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.*

l.12. Annal. cap.13.

ARTICULUS II.

Veneficæ officinæ descriptio & incantationis exempla.

Apuleii est illa Veneficæ officinæ descriptio mirabilis: *Instruxit venefica*, inquit, *feralem officinam, omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infœlicium manium durantibus clavis: defletorum sepultorum etiam cadaverum, expositis multis admodum membris; hic nares, illic cariosi clavi: pendentium alibi, trucidatorum servatus cruor; & extorta dentibus ferarum trunca calvaria.*

11 Milesior.

Sic misera mulier apud Quintilianum lamentatur de mortuo filio, sed apud sepulcrum incantato: *Non inani persuasione*, inquit, *nec cogitationibus ficta, lugentis umbra veniebat: nec agitabat incertos levis imago somnos: ac ne confusi quidem, tristi cinere vultus, & infernum favilla caput, noctibus suis obibat; sed filius erat qualis aliquando & juvenis & pulcer habitu, non adspici tantum viderique contentus: si quid desiderio creditis miseræ, quæ sola vidit; amplexus & oscula dabat, & tota nocte vivebat; nunc tenebras inanes, & longas oculis flentibus, noctes, juxta somnum mariti pervigil, & tantum deserta metitur; non desiderio fictus & fucatus habitu; nec ut somniorum vanitate conspicitur: sed experta, non tantum mori hominem, illud quod nec flammis uritur, nec cineribus extinguitur, nec urnis sepulchrisque satis premitur, expectat: nunc ista, carcere obseratam animam & repugnantem, Magico juvenem cogitat ferro, infœlicissima omnium mater, plus aliquid esse quam umbram, filium putat; postquam potuit includi, nec sua tantummodo pœna proprioque supplicio, deserta consumitur rescissa orbitate: vel magis cruciatur, quod non licet filio venire cupienti; nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat, & impositum sibi sepulcrum, quod non possit evolvere quæ solebat ipsos discutere inferos, umbra miratur; miser quem non tantum verba clauserunt; (nam forsan per illa transiisset,) sed vincula ferrea solidique nexus ad mortem reduxerunt; maritus sic filiam inclusit, tanquam se inquietari mater ista quæreretur.*

Declamatione 10. sepulcro incantato.

Veteres olim Medici, ut remedia vulnerum, carmina magica prænoverunt; ut omnis antiquitatis certissimus auctor Homerus memorię mandavit; qui tradidit Ulyssis de vulnere sanguinem profluentem, sisti magico carmine: *Nihil enim*, dicit Apuleius, *quod salutis ferendæ gratia exercetur, debet ut ærumnosum reputari*; Magico carmine Syrenas Ulyssis socios, prodidit Homerus, incan-

Apolog. 1.

tasse; *Me etiam Æmilianus*, inquit Apuleius, *de Magico carmine apud judices postulavit*; Trallibus de eventu Mithridatici belli, Magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem; quæ futura erant, dixit, sexaginta versibus cecinisse.

Olim Magico carmine floruerunt, Zoroastes, & post illum Hostanes; Carinondas, & Funestus Damigeron; Dardanus & Magia illustris Apollonius Tyanæus; si Philostrato credimus; qui de Gymnosophistis retulit admiranda; ut etiam de Bracmanis Indorum: de Sibylla Cumæa sic cecinit Virgilius:

In ejus vita.

> *Sistere aquam fluviis, & vertere flumina retro,*
> *Nocturnasque ciet manes: mugire videbis*
> *Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.*

Mira cantat Homerus de Proserpina: de Circe, de Medæa Orpheus, & Pausanias, sic de Circe Ovidius:

> *Exiliere loco, dictu mirabile, silvæ,*
> *Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbor,*
> *Sparsaque sanguineis rubuerunt pabula guttis;*
> *Et lapides visi mugitus edere raucos;*
> *Et latrare canes, & humi serpentibus atris*
> *Squallere.*

Verba autem quibus feralia carmina componuntur, & in dæmonis cultum, sunt interdum solo dæmoni nota, & ignota dicenti; sacris aut profanis deprompta: aliquando prolata sub ordine confuso: vel in alium finem ordinata: seu sacris, seu profanis commixtis: seu superstitione fraudulenta fucatis: seu solis consistunt ignotis characteribus, quibus dæmon concurrit, ut in fœderis signum: ex præcedenti implicito, aut explicito pacto, quo tenetur, ad invocationem advenire; ut cecinit Ovidius de Medea.

4 Metamorphorsios. Pereira lib. 1. Mag. cap. 12. Binsfelt in leg. C. de Malef. & Mathem. qu. 3. concl. 5 & 6. & 7. & hi affirmant. Albert. de Mineral. lib. 3. tract. 1. c. 9. & de concord. lap. Philosoph. Mirandul. lib. 19. sing. certam. sect. 1. Pereira in Genesi 36. & Mag. cit. Delrio. lib. 1. Mag. cap. 5. Sect. 2. & 3. Libavius Syntaxi 2. Sing. lib. 1. Raphaël de Torre, tom. 2. quæst. 69. art. 2. disp. 2. lib. 1. de Raptu Proserpina.

> *Concipit illa preces, & verba precantia dixit,*
> *Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,*
> *Quo solet: & niveæ vultum confundere lunæ.*

Quo autem pacto, qua conjuratione prædicta fieret invocatio, turbulento imperio Tartarum concitando: idem Ovidius Metamorphosi dixit, dum Thesiphonem fingit, ad furorem in Athamante concitandum, à Junone immissam:

> *Thesiphone canos ut erat turbata capillos*
> *Movit, & extantes dejecit ab ore colubros;*
> *Nec mora, Thesiphone, madefactam sanguine sumit,*
> *Importuna facem: fluidoque cruore rubentem*
> *Induitur pallam: retroque incingitur angue,*
> *Egrediturque domo: luctus comitatur euntem,*
> *Et pavor & terror, trepidoque insania, vultu.*

Sic ordine confusa imprecationes, & ad voces veneficæ, sub hoc ferali carmine, barathrum concitatur: ubi gliscit confusio & squalida turba commovetur: quod fortasse Claudianus depingit;

> *Thesiphone quatiens, infesto lumine primum*
> *Armatos ad castra vocat, Palentia manes.*

Sic Phœdiæ nutrix, apud Senecam in Hippolyto, lunam hoc carmine conjurat:

> *O, magna silvas inter & lucos Dea,*
> *Clarumque cœli Sydus, & noctis decus,*
> *Cujus relucet mundus alterna facie,*
> *Hecate triformis, en, adest cœptis favens;*
> *Sic te lucidi vultus ferant;*
> *Et nube rupta, cornibus puris eas;*
> *Sic te regentem fræna nocturni ætheris,*
> *Detrahere nunquam Thessali, cantus queant,*
> *Nullusque de te, gloriam pastor ferat.*

Vetustati olim sua carminibus singularis dicabatur conjuratio: varia pro rei diversitate: Marti dicata à Saliis sua fuere carmina: ut Tullius adnotavit, & Livius; feriales, sua peculiaria habuere ad Bellum indicendum; ad populum Dei maledicendum peculiaria invexit Balan, pseudopropheta: apud Romanos olim exercitus hostiles peculiari devovebantur carmine; si vera nobis dixit Macrobius, & Ovidius: *Ter novies carmen magico demurmurat ore*; & sub vocum peculiari syndrome, invocabantur dæmones: seu sub barbaro cultu, ficta religione: seu sub solemnitate ceremoniæ, quibus Dæmon præsto adesse tenebatur; ut nostri ævi, & veteres adnotavere Patres; quo protinus effectus persentitur, in illo cui veneficium potissime dirigitur; quod fortasse sonat illud Lucani carmen:

Oratione pro Murena. lib. 1. legum.

3 Saturnal. 5.

14 Metamorphos.

> *Mens hausti nulla sanie polluta veneni,*
> *Incantata perit.*

Ambros. lib. 4 Hexameron, cap. 18. Plin. lib. 22. Nat. hist. cap. 2. Orig. Homil. 13. n. 22. Apul. lib. 1. Milef. Ælianus lib. 8.

Quod plerisque animalibus, infausto fato, natura videtur addidisse, non ad ferale sane veneficium, sed ad fati augurium; sic cecinit Ovidius de bubone:

> *Ignavus bubo, dirum mortalibus omen;*

Sic Virgilius:

> *Solis culminibus ferali carmine bubo.*

Licet plerique nobilis vetustatis crediderint, dæmonum admiranda præsagia, iniri adhuc per volatilia; aut per illa certe animalia quæ fuere Diis Rhadamanti sacrata: illud fortasse sonant hæc Statii carmina:

> *Iupiter omnipotens: nam te pernicibus alis*
> *Addere consilium, volucresque implere futuri,*
> *Omniaque & causas, cœlo deferre latentes.*

Et septimo Pharsaliæ, sic cecinit Lucanus:

> *Quis labor, his superis, cantus herbasque sequendi.*

Sub variis ceremoniis ab aliis proferebantur carmina: in conventionis signum; sic legitur 1. Elegia Tibulli: sic Propertii:

> *Ter cane: ter dictis despue carminibus;*
> *Carmine cum magico, præcinuisset anus.*

Hoc carmine ferali cruorem sisti, Quintus Serenus asserit: serpentes inebriari Plinius:

lib. 28. c. 22.

> *Hæc simul incantans sisti debere cruorem.*

Metamorphosim his carminibus fieri, & in varias formas homines transmutari, in Apuleio legimus; licet nobis illud illusorio præstigio accidisse ratum sit: sic furatur Virgilius de Homeri Carminibus:

lib. 1. de Asino aureo.

> *Carminibus, Circe socios mutavit Vlyssis.*

Sic, venefico carmine segetes incantari, præcinuit Ovidius:

de Remed. amoris.

> *Carmine læsa Ceres, sterilem vanescit in herbam;*
> *Deficiunt, læsa, carmine fontis aquæ.*

ARTICULUS III.

Dæmon opera naturalia mentitur, & imitatur; ut talia credantur.

Pleraque tamen horum salvo pudore, protulit illa nobilis & sapiens vetustas: quod vere crediderit naturalia, cum mirabilem virtutem contemplaretur in herbis, lapidibus, animantibus,

bus, hominibus, stellis, & planetis, sicut plerisque aliis, quibus veluti instrumentis divina sapientia operatur mirabilia: seu in pulchritudinem, seu in conservationem universi; nisi illa dæmonum nunquam satis nota calliditas indelebili in Deum Zelotypia macularet, ut potentia æmulus videretur: qua flagravit invidia, jam olim à diebus antiquis; & sic dæmones, magorum ope, opus divinum funesta necromantia æmulantur: sunt enim apprime prædiditi cognitione & scientia rerum naturalium, cœlorum, & universi temporis, præteriti, præsentis, & quadam etiam ratione, futuri; saltem per gyros cœli, per temporum decursus, & hominis naturam, ulli haud satis notam. Quis non novit humores & corporis symmetriam, animi affectus concitare? sub naturali symmetria naturales; ac præter naturam harmonia deperdita? quis non vidit tempestates, sub arcturi influxu, temere concitari; calores sub cane? magnetem ferrum attrahere, & paleas succinum?

Si ergo spiritus nequissimi misceantur humoribus, seu propria virtute motiva, seu activa passivis applicando, quis dubitat mentes humanas, ad pessima quæque non tantum instigare, sed impellere, si misceantur aëri proruptas tempestates, altissimo Numine permittente? Saulem induit spiritus altissimi, & cum aliis Prophetis vaticinatus est; postea vero nefarius spiritus, (Dei permissione) Saulem agitavit, hujus mentem commovit, ut fera rabie in Davidis concitaretur odium; occulte sese ingerit, ac fere nunquam palam insidiatur.

Lib. 1. Regum 10.

Interdum morbus incidit ex præscripto naturæ, & in illo contingunt mirabilia, quæ forte reputantur à dæmone immissa, ab illo qui nec artis novit, nec naturæ arcana; in his etiam dæmon sese occulte ingerit; quare illa cauta solertia oportet æqua lance librari.

Temperantia minus perturbationibus agitatur; ideo forte Socrates ea animi tranquillitate, & secura constantia celebratur, ut domi forisque semper esset æqualis tolerantiæ, haud inæqualis oris; sed neque in hoc securitas elucet: Socratem enim familiarem dæmonem habuisse, testantur Apuleius, Laërtius, & Jamblichus Platonicus.

Intemperantia est omnium passionum concitatrix, ut quæ à recte sentiendo adhuc viros, celebritate magnos, facilime seducat; hinc pullulant effrenes animi passiones, odii aut amoris: quas dæmon callide imitatur, aliquando neque naturæ metas transgrediuntur.

Mira sane concitat melancholia; sunt in illa effectus indicibiles, quæ humanam mentem superant: (quæ etiam vinum concitare experimur.) hæc stupidos disertos sane reddit, inscientes loquaces, mentem acuit illius moderata caliditas, & tenuis substantia, ut caliditas vini, *quod* (ut vetus parœmia) *cum pueritia & sine pueritia est veridicum*; ideo fortasse Vino, Germani ad consultandum redduntur aptiores; tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat; ac ideo de maximis rerum consultant in conviviis, ut enarravit Tacitus.

Germania cap. 3.

Eadem ratione, non tantum melancholia, sed

A bilis adhuc intemperata, prodigiosa concitat, quæ de dæmone etiam sunt suspecta: pleraque nostris in *Feraliis* adnotavimus: plurima in Aretæo legimus, Medico antiquissimo; *Illi præterea*, inquit, *quibus laborat cor, sensus aciem exquisitiorem consequuntur ut plus quam antea & audiant, & videant. fiuntque etiam animo puriori, & mente firmiori; proinde non tantum præsentia declarant, verum etiam futura verissima divinatione prædicunt; hæ potestates stomachi non sunt, sed cordis, ubi & anima, & ejus natura inhabitat; ad quod pertinet etiam & virtutum, quæ ibi inhabitant, calamitas.*

Lib. 2. de Sign. & caus. acut. cap. 3. & 4.

B Et parum infra progreditur: *Ubi vero ex febre ustoria talis syncopa incidit, animus stabilis, ac constans est, sensus omnis purus, & integer; subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primum quidem se ipsos de vita migraturos præsentiunt; deinde præsentibus futura denuntiant: cum alibi non credantur, dictorum eventus homines in eorum admirationem, concitat; alii præterea ex iis, cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse quod ipsi soli, præ sensus acumine & puritate eos adesse cernentes, aut forte ipsorum animo viros cum quibus versaturi sunt, prænoscente, atque enarrante: quippe ante in lutulentis humoribus & caligine demersus erat animus: quos ubi morbus exhausit, quæ in aëre fiunt, prædicant; exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur; sed quorum succi, & ingenium adeo extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cum eorum vitalis potentia, jam jam in aërem cesserit, atque abierit.* Hæc Aretæus; ideo forte accidit, ut pueri qui præcocius sapiunt, & præveniunt ætatem sapientia, maturius lamentabili fletu, in spolia fati, & ultimæ calamitatis cedant.

Cap. 4.

D Hæc & illa, quæ in somnis per quietem adveniunt, ad futuri præsagium, species altioris ordinis inducunt, in sensibus sopitis phantasmatumque nubibus expulsis, animum elevant, aut suapte natura, ut Plato voluit, suique speculatione, aut dæmonum perstigio, aut virtute divinitus immissa, Numinis aut angeli ministerio: ut tunc futura, aut aliis occulta; quasi illa in supernis numinibus præscripta oculata fide intueantur, vaticinentur; sic Socrates à falsis accusatoribus de vita postulatus, futuram, primo, judicibus prædixit pœnitentiam, accusatoribus ruinam; ac tandem civitati, seditionem: ultimo tandem sui internecionis diem à Numine per quietem monstratum præsignavit. Theremanes etiam in carcerem conjectus, jam venenum absorbens, sibi adversario Crisiæ delatori, citissimam mortem vaticinatus est; quæ postea evenit; uti is prædixerat; quidam etiam Rhodius, ultimo vitæ limine, sex de vita egressuros nominavit, suo quemque die & ordine, quod etiam palam fecit eventus. Eudemio ad ultimum infirmitatis acto, juvenis ante lectum comparuit, dixitque ei brevi revaliturum, paucisque diebus fore Thessaliæ Tyrannum Alexandrum aboliturum, ac post quinquennium, ad penates lares se rediturum: & convaluit quidem ille, atque paucis post diebus Tyrannum interemit; & exacto quinquennio hunc ipsum obiisse; adeoque ejus animam in patriam remeasse, Aristoteles memoriæ prodidit. Præterea Calanus, Indus, jam jam spiritum emissurus, ocyssimam Alexandri Imperatoris necem est auguratus: sed Pherecides Cyrus, jam morti proximus, cum Ephesis diem suum obiret,

Ælianus de Varia hist. Cicero, lib. 1 Tusculan. quæst.

Petrarcha.

Valer. Max. lib. 3. cap. 8.

Plutarch. in Vita Alexand.

Strabo l. 15.

Cicero lib. de Divinatione.

Sabellicus, lib. 5. cap. 8.

obiret contra Magnesios vaticinatus est Victoriam quam evenisse ex historiis constat.

Mille denique id genus vaticiniorum sunt, quæ iis quid-ni miraculo esse possunt, quibus intellectum, (utpote corpori repugnantem) ultro corporalia, sponteque sua despicere abditum est? tunc enim sincere discernit intellectus, claretque maxime ad futurorum agnitionem: quod nec omnino difficile, nec plane impossibile est arbitrandum: sed utcunque divina fata volunt, ita cuncta mortalibus provenire: illam enim corporis repugnantiam, mentis & ut illiderent multi, pleraque supra naturæ vires perpeti ausi sunt; ideo enim se ipsos castraverunt Xenocrates, & acutus Origenes, Cybeles & Saturni Sacerdotes: & inter nos ecquid non perpessi sunt Christiani fidelissimi?

Laërtius, lib. 4. cap. 2. Fulginus, lib. 4. cap. 3.

Nec ideo nostræ intentionis est, talia semper fieri lumine naturali, ut quæ possunt principia varia adornare; ac ideo haud semper à dæmone fluxisse, est æstimandum: mitto, quod carmina semper & incantationes, sortiri virtutem naturalem, voluit Avicenna, & Alchindus; nam credidit uterque, imaginationis efficacia, & desiderii verbis, virtutem naturalem impertiri, dum Deum imprecamur, ut exinde radii deriventur, ut fiat quod optamus; seu quod impressionem verba in corpora suggillent, quo mirabilia producantur, ut mors & corporis salus in hominis arbitrio; & eo Alchinde delirium pervenit, ut sola oratione efficaci, posse fugari dæmonem, ratum habuerit; ac omnia ejus nocumenta propulsari.

Hæc tamen vana deliramenta, mira solertia elidit D. Thomas, Delrio, & Suares: nos autem virtutem verborum, & numeri & soni, (qua *carmina* constituunt) in nostro Theseo ad normam Philosophiæ refutavimus: refutat & Baptista Codronchus, & Vairus de fascinatione: quod si quo carmine, aut incantatione dæmon illiminetur, illud seu tacita conventione, aut simulato pacto, credendum est, accidere: & non in virtute verborum, seu carminum, ut de Ephesi Magis enarravit Plutarchus: licet Seneca hoc virtuti tribuat naturali; sed omnino delusus: homini enim non obsequitur Dæmon, nullo jure constringitur naturali, nec adhuc sub implicito pacto: quantumvis dæmon promissam fidelitatem quam iniit in pacto observet infidelis; hoc enim facit, ut homo sibi fidelius credat; Dæmon tamen dæmoni cedit, altioris hierarchię expellenti obsequitur, jure superioris, in pacti observantiam; uterque enim dæmon in Dei creaturam conspirat, & mutuas tradit operas, ad perniciem; ut nos docent divini Augustinus & Lanctantius.

2. 2. qu. 83. art. 15. Tom. 2. de Religion. lib. 1. c. 25. n 3. lib. 2. Mag. quæst. 2. Moura de incant. opus. 1. Sect. 2. c. 1. n. 5. & Sect. 2. c. 2. n. 2. Cedron. de Morbi venef. cap. 3. Vair. de Fascinat. lib. 2. cap 11. Majol. 2. Canicul. Colloq. 3. Plut. lib. 4. Nat. quæst. Aug 2. de Doct. Christ. Lact. lib. 2. cap. 14. & 16.

Ab hoc tamen excipias *divina carmina*, quæ in significationis virtutem, & ut Ecclesiæ Romanæ instrumenta, & arma operantur, ut omnis Theologia contestatur, & omnis Jurisprudentia catholica: quare alta mente repone, *Nulla carmina posse virtute naturali dæmones incantare, aut pellere. Nec posse hominem, dæmones expellere, aut vulnera magna sanare, sanguinem detinere, aut hydrophobiam plane curare ex sola vi verborum: an autem sit possibile, hoc fieri à dono sanitatis dicentis, aut dono gratuito, hoc altius involvit labyrinthum, quod fortasse alibi explicabimus.*

Cyprianus, l. de Idolatr. Arles. de Superstitione in Ocean. Iuris, ex n. 9. text. 10. Simanch. de Cath. Inst. 63. n. 33. Grilland. de Sortileg. quæst. 6. n. 18. Navar. in Manuali, c. 11. n. 34. Graf. lib. 2. Decisionum, c. 3 ex n 3. Zerola in Praxi Episcop. tom. 1. quæst. 20. n. 85. llamas in Meth. cap. 3. Sect. 1. Majol. tom. 1. col. 3. Conclusio.

STATIO III. ARTICUL. I.

De Magiæ arcanis, secundum species diversas.

Inter Magias celebratur *Divina*: hæc fuit Adamo infusa ab Altissimo, aliis revelata, ut Salomoni. Hæc est altissima divinarum, humanarumque rerum cognitio: scientiarum nempe complementum, quæ consequitur elevato humano intellectu, altissimi Numinis beneficio, & omnino à sordibus abstracto; ut purissimas rerum essentias, claro lumine intueatur, & naturæ arcana humano intellectui denegata; ceu antipathias & sympathias rerum; unico verbo, est scientia divinitus infusa.

ARTICULUS II.

Magia naturalis.

Hanc sequitur Magia naturalis; *Quæ est rerum arcanarum cognitio per gyros cœli & per syderum cursus, aut per rerum essentias, seu proprietates essentiales rerum*: ideo circa sympathias & antipathias rerum, præcipue versatur; quarum est absoluta cognitio; rerum naturalium inventio, & ad eliciendas illarum proprietates, applicatio; ac tandem perfecta virtutis naturalis adumbratio: seu per artem activa passivis applicando, seu ipsas rerum proprietates eliciendo.

ARTICULUS III.

Magia Medicinæ ex Arcanis.

Magiam plerique dixere naturæ Medicinam, forte quod hominis sit perfecta cognitio; an quia vaticinatricis æmula; nobis autem quid amplius continere videtur; an quod noverit Medicus, qui ex anima in corpus morbi refluant? quod plane detegit magiarum altissima: *Est autem talis hæc Medicina*, dixit Plato, *ut caput solum curare nequeat, ut sæpe ex peritissimis Medicis audivisti: qui quoties aliquis de dolore oculorum eos consulit, ajunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeatur: neque caput, absque totius corporis medicina, posse curari*: cæterum Xamolxis, Medicus antiquissimus Thraciæ, ait, *ita neque sine anima, corpus: eaque causa est, cur Medicos Græcos morbi corporis multi lateant, quia totum ipsum ignorant; quod imprimis curare oporteret: quo male affecto, impossibile est, partem aliquam bene valere; omnia namque vel bona, vel mala, ab anima in corpus, & hominem totum, manant; animæ vero medelas esse docet, incantationes quasdam, easque præclaris rationibus contineri; quibus animæ temperantia tribuatur; ille autem cum medelam incantationesque doceret, me constrinxit, ne aliqui contra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgandam commiserit.*

Dial. Carmides, seu de temperantia.

Fortasse quod omnes fere antiqui in hoc sint unanimes, corporis nempe complexionem animi sequi virtutem; quæ virtus, si sit æqualiter temperata, actio quoque corporis erit perfecta; aut è contra; illud etiam voluit Galenus esse ratum, ut quando mens humana rem aliquam diligit, ut amabilem, licet naturaliter non juvativam, sibi

Gal. lib. de Incantatione.

eam

eam prodesse certificat, ex sola mentis intentione: corpus enim res illa juvat, ut siquis sibi prodesse confidat incantatio, quæcunque illa fuerit, ex hoc loco princeps Avicenna suam mentitur imaginationis efficaciam; nec Galenus se ab hac sententia monstravit alienum: *Si enim complexio corporis*, inquit, *virtutem sequitur anima, necesse est rem taliter se habere; hoc enim indicant animæ passiones: dum ad timorem, lætitiam, odium, aut amorem, corpus, permutat anima, ut omnis actionis principium; licet sola imaginationis efficacia.* Ego enim ista vidi sanitatis diuturnarum passionum causas fuisse: & in sanis fuere infirmitates causa; ideo forte Socrates, *Incantationes*, inquit, *verba sunt decipientia rationales animas, secundum spei conceptionem, aut secundum timoris incisionem*: tantum ideo Indi Medici incantationem adjuvare rati sunt; & Græci tantum incantationi detulerunt, ut hac sola, anima à se ipsa egressa, ad perfectionem suam revocatur: qua revocata, corpus naturalem redire ad statum, cum corporis complexio animi virtutem insequatur. Et hinc patere potest interpretatio ad Galeni locum in libro de Humoribus, quando dixit: *Intellectus, & scientia, in anima, ex complexione augmentatur cholerica: continentia & studiositas ex melancholica: ex complexione sanguinea delectatio*; taliter enim corpus, qualiter anima, permutatur; constat ergo ut si Medicus incantatione, seu, per dulcia verba, seu per melodiam, animæ passionibus medetur; necessario etiam corporis alterationes, quæ ex illis emanant, temperentur; vitali redintegrata physi; quoniam si his conveniens medicina injungitur, corpus animæ incantatione adjuvatur; & sanitas mutuo utriusque consequitur.

Sic sentit Avicenn. & Abenzoar.

Hæc in ordine dixi, ut ille communis error depellatur, dicentium nobilem existimasse antiquitatem, incantationes, illatas veneficio, posse remediis depelli naturalibus: vel non prorsus esse à dæmone immissas: quorum neutrum judicavit vetustas. quantumvis dicat quod incantationi medeatur incantatio; veteres enim animam, errore à se egressam judicabant incantatam, & incantationibus contrariis mederi, illas tamen præclaris rationibus contineri; ideo fortasse dixit Quintilianus, quod Rhetorica sit artis incantandi particula; nec incantationes æstimabant à dæmone immitti, ut qui existimassent genios esse, medium inter mortales & immortales Deos, ut ex Jamblicho patet: quare, quæ naturalis medetur incantatio affectus naturales, præclara continetur solertia, qua temperantia animæ tribuatur.

Pars tamen illa Magiæ, quæ Medicinæ soboles ab antiquis Ægypti sacerdotibus, velut per manus traditur advenisse, Pythagoræ, Empedocli, Democrito, Platonique; quoniam quo quisque auxilio adeptus sanitatem, id conscriptum Memphis, in Hephœstio Vulcani, & Isidis sacrario deponebat: ut etiam Magiæ antistites Græcorum sacerdotes, ea in aditis templorum, Apollinis & Æsculapii in Pergamo etiam recondita servabant; quæ postea illi, velut Æsculapii oraculo, tradita prædicabant; ut sic à Numine accepta referrentur. Unde ortum est, ut Magi non essent olim infimæ sortis homines, sed apud Persas, Æthiopes, Indos & Chaldæos proceres ex Regia stirpe; qui secretioribus Philosophiæ, & Mathematicæ arcanis educati, sagacissimi sympathiæ rerum naturalium & divinarum explanatores fierent; quorum notitia satiati admiranda, & vulgo incredibilia, opera effectui dabant.

Inest enim in rebus lex tacita, & occultus consensus, aut certa desiderii proprietas, qua, citra visibilem contactum, afficiuntur mutuo, alterantur ad invicem; nonne est peculiaris herbarum cum sole & luna sympathia? ut de heliotropio & melchico luce clarius patet; cucumeres, mandragoræque crescunt, crescente & decrescente luna: Orpheus, Theophrastus, & Proclus, de lapidibus mirabilem virtutem tradiderunt; ex spirituum sympathia & consensu astrorum; ut non tantum valetudinibus, sed animis hominum imperare videantur. Jaspis sacrificia Diis accepta reddit: Achates conjugum conciliavit animos: Herculeus lapis amat Septentrionem, ut nunquam ab illo videatur discedere: candidus Selenites in Arabia, pro lunæ incremento, & crescit & decrescit: ut ex his palam fiat, plantas, radices, lapides, & astra, quadam divina lege consortii conspirare, & se mutuo afficì.

Proclus lib. de Magia. Diosc. lib. 5. cap. 100.

Quod ideo accidisse dicit Plato, quod cuilibet rerum speciei influit peculiare astrum; velut polus magneti: & cuilibet astro, peculiaris intelligentiæ dæmon: ut proprius cuilibet genius à divina mente sit dicatus. Quicunque ergo sympathiæ desiderium, & antipathiæ consensum recte noverit; hic certe admiranda per herbas, per lapides & plantas, & spiritus rerum Magiæ admiranda producit; quid multum? harum illecebra abstractus (dicit Plato) spiritus in sui colloquium allicere valebit; ac ideo magiam ex sola rerum sympathia constare Proclus dixit; & Psellus; quo imperio sibi coëgit cæteras scientias inservire.

in Thimæo.

Proclus lib. illo de Magia & Sacrificio. Psellus, lib. 6. Cas.

Hoc Plinius præ cæteris extollit: *Magia*, inquit, *fraudulentissima artium plurimum toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit, auctoritatemque ei maximam fuisse nemo miretur.* Quandoquidem sola tres alias imperiosissimas humanæ mentis, complexa, in se unam redegit; quare natam primo è Medicina nemo dubitat, in rerum cognitione altissima scientia; nisi specie salutari irrepsisset, ac blandissimis, desideratissimisque promissis, vires accidisset religionis: ad quas etiam nunc maxime humanum genus caligat; unde miscuit Mathematicas nullo non avido futura præsciendi; eaque à cœlo peti verissime credenti; hominum sensibus ita arcte possessis, sub hoc triplici vinculo, in tantum fastigii adolevit, ut hodie in magna parte gentium prævaleat; ac in Oriente Regum regibus imperet, ut nostri Colones Indiarum etiam tradiderunt, vel oculata fide; nam barbari illi Reges, Magorum jussis, in suis sacrificiis velut Deo obtemperant; parent Dæmonum cultui.

Plin. lib. 16. Nat. hist. & 30. cap. 2.

Sed ad Magiam naturalem conversi, mirabilia non raro naturæ viribus accidere videmus; præstigiis similima, & quæ Dæmonum astum æmulentur; adeo ut olim dixerit Plotinus & Synesius etiam, *Natura plerunque videtur esse maga*; nam ludit crebro in humanis divina sapientia rebus; latet enim in toto sensibili, & æthereo mundi cor-

pore spiritus cœlestis, ille syderum calor vivificus, omnes alias elementorum qualitates simplici eminentia virtualiter continens: ac viget in spiritu anima, in anima vero mens & intelligentia; quæ admirandos cum in morbis; tum in animalium fœtura, tum in virtute rerum inaspectabili, parturiunt effectus, etiam sine semine; sic ex ocymo herba, scorpio nascitur; ex mortuo bove apes, & ex saliva sub fimo putrefacta, dum sol & luna secundum Leonis faciem occupant; Persarum Magi, avem merulæ similem ad naturæ imitationem procreabant, cujus adusti cinere lampade insperso, domus serpentibus referta videbatur.

ARTICULUS IV.

Magia artificialis.

Sic narrat Tull. lib. 1. Tuscul. & 2 de Deor. natura.

Artificialis Magia est prorsus incantatoriæ æmulatrix; dum numeros & gyros Mathematicæ, & præstigiatoriæ apparentias imitatur: in hac celebratur Archimedes, ex vitrea sphæra nobilissimus: hæc enim Deorum incessabiles gyros imitatur; & orbium conversiones peragit, motu inaspectabili: annos, menses & dies clarissime designat: sic Claudianus cecinit de hoc vitreo ex arte animato miraculo:

in Thebaida.

> *Iura poli Regumque Deorum,*
> *Ecce, Syracusius transtulit arte senex;*
> *Percurrit proprium, mensibus & signifer annum.*
> *Et simulata novo, Cynthia mense redit.*

Naturæ mirabilia ars mentitur, si non architectatur: mira enim Zonaras de Archimede narrat; hostiles nempe naves in obsidione Syracusæ, miro artificio attraxisse ac impetuoso motu submersisse: & alias in pabulum ignis redegisse per specula, igne è diametro contrario accenso, solis reduplicatis radiis: quæ Plinius secundus diabolico præstigio facta existimavit; & Democrito tribuit; forte ut tanti viri auctoritate ornet quæ dicit ultra fidem: accipitrem nempe rapidissimam avem, in chamæleonte humi repente trahi; si supervolet eum; ut vi in terram cadat, in prædam cæteris futura animantibus, & caput collumque chamæleontis, si roboris ad ignem exuratur, in aërem, imbres, & horrida tonitrua sponte concitare; aut si jecur illius tegula exuratur; & si sinister pes chamæleontis igne candenti lamina torrefiat, cum herba etiam quæ dicitur chamæleon, & utrumque maceretur, additoque unguento, & configatur mollitie in pastillos; eosque ligneo vase conditosque portaverit, redditur aliis invisibilis; licet in medio cum aliis versetur; sed sit penes auctorem fides: lingua chamæleontis femori alligata, pericula tollere puerperii creditur, & si viventi animali exempta sit, & secum deferatur, ad fœlicitatem consilii, & eventus, pollere; pedemque è prioribus dextrum, hyænæ pelle adligatum sinistro brachio, contra latrocinia, terroresque nocturnos juvare, legimus; ac præterea secum jecinore deportato, veneficia dissolvi amatoria; & cauda secum ducta sisti flumina, & impetus aquarum; ac tandem serpentes soporari: hæc ultima severe damnat Gellius, & Plinius condemnat, ut certe de veneficio suspecta, ut nos etiam credimus; primum tamen remur fidem non superare, nec altam na-

Zon. tom. 2. in Obsidione Syracusana.

lib. 28. Nat. hist. cap. 8.

lib. 1. Noct. Atticarum. cap. 12.

A turæ majestatem; sunt enim mirabiles & abstrusæ sympathiæ, & antipathiæ rerum. Quis non novit per funiculum & brachium, torpedinem, corpus totum in torporem adigere? & ad leonis aspectum pavere animalia? & ad galli cantum totis visceribus leonem contremiscere? & odium inter ovem & lupum?

De Echino quæ navem remoratur, velis & funibus tumentem, non est omnino apocrypha traditio. Nam, ita inter classicos auctores celebratur; & si est certe vera, aut talis fit attractio B per species; aut mora, vacui ratione; aut ab utraque causa simul; si non dicimus, quod circa scopulos pisciculus ille versatur, quibus est illa virtus remoratrix; & falso Echino tribuitur, ac si esset scopulus de lapide magnetis, qui ferrum trahat, navigiis affixum; nec implicat, in profundo maris fore montes magnetis, ut sunt montes corali; nam præcipites montes, & inculta silvarum insequi, maris alveos, quadam veluti necessitate consequentiæ, ad terras, cum quibus copulantur, est constans nautarum & celebris opinio; fidem C facit, quod arbores & plantæ maris in profundo nascuntur; & extrahuntur retibus.

Quare si ferrum tenacissime navigiis affixum non extrahitur, ad attractionis violentiam, ut navis consistat, est omnino necesse; & hoc medius fidius, cum pisciculus ille, circa scopulos maxime delitescat.

Si vero navis ex propria pisciculi virtute remoratur, par est illud accidere cum arctissime affigatur navigio, ut evelli quacunque violentia non queat: cum ab ipso species in navem demit-D tantur, vel etiam corpuscula more torpedinis, quo consuetam attractionem pariat: quare cum navis non possit in profundum submergi, ob levitatem lignorum; nec ab ipso echino evelli, vacui ratione, fit inde ut firmetur, aut retardetur saltem; veluti quando ferrum inter magnetes validos aëris in medio consistit, ut nec hinc, nec inde ascendere, aut descendere possit; (famosum Mahometis miraculum in Arabiæ delubro, pro conservandis ossibus intra laminas ferri, infami carie jam combustis) dum æquali potentia libra-E tur, attractio & pondus; sic par erit resistentia in navigio inter pondus & aëris impulsum & species, quibus nititur trahere ad contrarium; in quorum pugnæ medio firmari est omnino necesse; hæc si dubia non placent, ut vera, non credantur.

Haud minus certe mirum est illud, quod Plinius Democritum retulit scripsisse, aves quasdam esse certis vocibus notas, & harum avium confuso sanguine serpentem generari, quam si aliquis comederit, linguam & avium colloquia intelli-F gere.

Architas Tarentinus Pythagoricus, haud minus adinvenit mirabile; neque ideo unum videri debet, (dicit Gellius;) nam & plerique nobilium Græcorum, & Phavorinus Philosophus, memoriarum veterum exequentissimus auctor, affirmantissime scripserunt, simulacrum columbæ è ligno, ab Archita ratione quadam, disciplinaque mechanica factum, volasse: ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa, atque occulta consitum.

Multa ars imitatur, multa edit Natura supra fidem,

Sic Glitias in Annalibus. Arlis 1. Polit. & 1 de Hist. Anim. Gellius cit. loco. Cassiod. l. 1. Variar. Epist. penult. Politianus Epist. penultima. Clem. l. 6. Stromat. Majol. tom. 1. Canicul. Colleg. 23. fol. 166.

fidem, quæ damnatam redoluere magiam, cum sint solius naturæ, aut artis admiranda; ante Leonem imperatorem, aureæ saltantes cecinerunt aviculæ; serpentes ex metallo sibilantes Boëtius in horrorem conflavit; pennatis alis Dædalus Mæonia aufugit; ita enim ad pondus simulacrum libratur, ut aura spiritus inclusa in exitu harmoniam, & sibilos facile concitaverit; quod à natura factum, docuit Clemens Alexandrinus in Britanniæ silvis: *Cum aëre moveantur folia*, inquit, *per repentinum & densum spiritus impetu edit sonos, avium cantui persimiles*; & Romæ organa Majolus testatur se vidisse, quæ tubas, tympana, hominumque choros referebant, adeo ut fœmineas voces crederes audire; quod apud nostros etiam frequentissimum est.

ARTICULUS V.

Magia præstigiatoria.

lib. 1. Asini aurei. cap. 1. tom. 1. Canicul. Coll. 4. Isid. 8 Ethymol. 9. Lud. Perior. adversus fallaces artes. l. 1. c. 9. Buleng. lib. 1. Mag. c. 11.

Præstigiatoria Magia, est sensuum illusio, ab arte naturali, vel à dæmone; est quædam decipiens apparentia, quæ in ipso opere veritatem mentitur; ut dixit Apuleius & Majolus; velut in iis qui agilitate patrant mirabilia; aut arcanis naturæ sibi notis: *Præstigium*, dixit Isidorus, *est falsa repræsentatio sensuum acumine deluso, maxime oculorum, & à perstringo dictum; quia aciem oculorum perstringit, ut esse appareat quod non est.* Quot autem modis magico artificio operetur, altior docuit Philosophia, dum ab ignotis sympathiis docuit eutrapelias varias: seu per solam artem *Perspectivæ*; quod tripliciter accidit; vel per mutationem objecti, vel aëris intermedii, vel ipsius organi; ab objecto, ut dum quod ostendit objectum, celeri agitatione, aut varia collocatione occultat, aut separatione, vel penetratione rerum, quæ ostenduntur: quod etiam fieri novimus per artem Perspectivæ, certa dispositione in ordine ad oculum videntis; ut cum lineas confundit, directe vel adverse; sic paleas humi stratas, si lychnio de cera, & coreo serpentis sulfurato, accenso conspicimus; serpentes veluti saltantes apparent.

Ex parte aëris medii, si species rerum, quæ ad oculos deferuntur, hoc aut illo colore fucatæ deferantur; & sic possumus res, quæ ante oculos sunt, occultare; possumus etiam aërem medium modificare, ut res videantur, & aliæ, & aliter ac sunt; ex qua arte homines sine capitibus apparere conspicimus, & cornibus, alii defœdati, ut alii facie angelorum, vel dæmonum, ut postea videbimus; inter eutrapelias.

Fit alia illusio, si aër inspissatus vel aliter disponitur, ut sensus inde decipiatur; vel si moto aëre medio, simul species moveantur, ut contingit in ebriis, & in vertiginosis, quibus omnia circumagi videntur: & illis qui in navi feruntur, quibus montes etiam moveri apparet.

Vel ex varia multiplicatione & conformatione specierum visibilium: quod etiam ex forma instrumenti consequitur; ut cum unico specillo plures unius objecti figuras cernimus, una in medio collocata; quoniam si est arbor, multas arbores cernimus, si aurea catena, multas similes, &c.

Vel etiam interposito inter pupilam & aërem aliquo, quod species objecti dividat, & separet, quo res plures, aut alia dispositione videntur, ac sunt: quod etiam nobis accidit, dum inter cristallinum humorem, & tunicas, aliquis humor, aut vapor interponitur.

Interdum ex varia collocatione, aut situ instrumenti, illud accidit; ut si plura diversis in locis apponantur: vel taliter ad solis radios, ut ex reflexione radiorum, & multiplicatione ignem accendant, multiplicati radii; quo naves tradunt combustas in portu Pyræo à perito artifice.

Per varias applicationes etiam specierum ad phantasiam, & imaginativam, varia & prodigiosa nobis sæpe repræsentantur, ex maxima vi imaginationis, licet vere & realiter non sint.

Organo permutato deceptio sæpe contingit; sursum, deorsum, vel ad latera, dilatato, vel constricto, seu aliter disposito: hinc fit, ut res germinatæ appareant, latæ, longæ, recurvæ, aut perforatæ, aut alia figura, pro organi dispositione; in alto, in occulto, in concavo, aut plano: inde enim mirabiles fiunt eutrapeliæ.

Hæc omnia quæ Magico artificio natura & ars confingit; potest etiam dæmon, intra naturæ limites operari, seu activa passivis applicando, seu per motum localem; nam dæmones illa omnia possunt, (divino Numine permittente) quæ per motum localem seu alterationis, seu præstigio, vel illusione consequuntur; dummodo cum periculo non sit totius universi, nec illius pulcritudo offendatur; & ex istis pleraque sola applicatione peculiaris modi, quo præstantiora etiam operantur, quam ars & natura, in quo dignoscuntur, adhuc in opere naturali, talia à magico in virtute dæmonis fieri: nam sunt quidam effectus in causis naturalibus, qui pendent ex applicatione, quæ si non fieret, secundum communem cursum, non producerentur: & hoc noscitur in modo, in superstitione applicandi, & in aliis quæ excedunt communem naturæ cursum, quantumvis effectus sit solius causæ naturalis. quare in his non est solus considerandus effectus, sed illa applicatio: nec sola applicatio, sed vis naturalis applicata, si superat causæ naturalis facultatem; nam tunc est talis actio damnanda: & hoc observa in motu locali, & alterationis, dum differentiam intendis invenire inter morbos, veneficio, aut natura inductos.

His etiam causis naturalibus solet dæmon varia præstigia inducere; quod tripliciter posse efficere, antea adnotavimus; ut artifices etiam operantur; mutatione, nempe, objecti, aëris intermedii, & organi: & in his causæ naturalis elevatione sæpe vincit naturalem effectum, vel in actione prodigiosa, vel supernaturali, respectu nostri; & sui respectu naturali: ut quando in imaginatione & phantasia videntium, quædam repræsentantur quæ non sunt; ut quando in mensa vasa mero plena moventur, alia locum mutant, vel alia figura videntur, quam sint; quod plerosque legimus factitasse; seu cum homines in bestiarum figuras videntur permutati. Hæc omnia nolui præterire, ut si quiddam in hac eutrapelia prodigiosum videatur, facile à perito discernatur.

Cum hoc tamen pleraque ita prodigiosa quotidie se monstrant, ut de pacto suspecta videantur,

lib.1. Clio.

tur, quantumvis naturalia: *Sunt enim apud Masagetas,* dicit Herodotus, *quædam arbores, talem fructum ferentes qui jactus ad ignem ad calefaciendum, focum coronantes, sic odore suo reddit ebrios, velut vinum Græcos; & eo vehementius, quo plus erit injectum, usque ad tripudium consurgant, & ad cantum perveniant.* Ista tamen Magi dæmonis astu sub pacto imitantur, ut de Simone Mago refert Tertullianus; qui fecit statuas ambulare, & ad nutum quærentis respondere: in conspectu Domitiani Imperatoris, Apollonius Thienæus disparuit: Simon Magus admirando præstigio homines in varias formas transmutavit, & tandem mortuos ad vitam apparenter revocavit: quæ postea quadam eutrapelia vertebantur in aërem, ut Philostrarus dixit.

STATIO IV. ARTICUL. I.

Magia Chrysopœia, hoc est, artifex auri.

Hipromiscue tractant de Chrysopœia. Augustin. in Chrysopœia. Raimund. Lullius in Compendio transmut. metallorum & in praxi Philosoph. Arnal. Speculo Chymicorum. Chrysippus Fabianus, lib. de Arte Chymica. Bernardus Trivisanus lib. de Chymico miraculo. Ortulan. in Praxi Chymica. Panot. lib. de Transmut. metallorum. Cardan. lib. 27. de Subtil. Averr. in Paraphras. ad lib. 1. de Generatione. D. Thom. Sent. 2. distinct. 7. quæst. 3. art. 1. Tostat. in Exodum cap 7. Ægidius Romanor. quodlib. 3. quæst. 8. Palat Sent. 2. dist. 7. Casa-nov. in Catalog.

Magia Chrysopœia perenni sublimatione incipit, vivit, crescit, & sub igne, ut Salamandra moritur; fere in fumum versa; dum homines implicat sciendi desiderio inexhausto, opes immensas fallaci illecebra, exhauritur; qua plerunque capiuntur, & ad pernitiem elabuntur ingenia, & maxime solertia: si non avara maxime; ea potissime quæ discendi cupidiora sunt: attamen sunt illi chymici rationum, & non auri, quorum scientia in fumum vertitur; in *lapidem philosophicum,* quem nunquam assequuntur inhiantes.

Hæc mihi ars videtur potius in ingenii, & solertiæ ostentationem inventa, quam in veram fabricæ rationem; quare in hac Chrysopœia periti, si ea quæ præmittunt operantur tot pericula, tot clades, tot naufragia, per maria, & terras adhuc non satis notas, in vix tolerabilia se præcipitant. Quare pauperes & egeni in summa pace & in tranquillitate, auri grana per sublimationem eliciunt? ô hominum illusio, si hoc possibile experimur, & aurum non elicimus; erit summa dementia: & si est impossibile, est execrandus furor.

Hæc ars, sicut aliæ nobiles, nobilibus innititur præceptis, & principiis, illisque deductis ex naturæ arcanis: in quibus fuere clariores divinus Augustinus, & Lulius Raimundus, & plerique virorum aliis in scientiis nobilissimi: nisi illam fœdasset barbaris & ignotis præstigiis Paracelsus: nam pars illa Physiologiæ, quæ in spem Medicinæ dirigitur, est certe utilissima, sicut *auri potabilis* in ventum, & extractum ex metallis & gemmis, & spiritus vitæ; & pleraque artem mirifice nobilitant.

An autem transmutationibus sublimatis, fusis, & liquatis metallis, vera auri substantia consequatur, sub forma pretiosi metalli, discors est aula nobilium virorum. Divus Thomas, & acutus Averroës, omnino reclamant, formam auri educi de potentia materiæ, virtute ignis, inter hæc accidentia. Contrariam protulerunt sententiam Albertus Magnus, Mirandulanus, & Martinus Delrio, & plerique alii, ingenio exculti: ac illa Ecclesiastes Metaphorica verba, cap. 10. vers. 6. de hac arte prolata retulerunt; Julius Arnaldus & Fabianus; *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & revertatur vita aurea & conteratur hydria supra fontem: & confringatur rota supra cisternam, & revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum, &c.*

gloria mundi, part. 11. considerat. 40. Cajet. 2. 2. quæst. 77.

Hydria enim est compositum illud ex septemplici metallo, quo lapis Philosophicus configitur, ex mira Philosophia: ex quo sane vita Aurea nascitur: sin minus, funiculus Argenteus, & in reelementationem illius redit ad terram suam, & spiritus ad Deum veluti in auctorem scientiæ.

Varia ratione auri materiam sublimari plerique rati sunt: alii dixerunt purgatione consequi metallorum, longe continuata: productione alii, & transmutatione plerique: aut sola coloratione; qui minus artis callent. Productio est quædam veluti naturæ imitatio; hæc enim in visceribus terræ, mixtum illud, variis terræ sortibus, longo tempore solis ad calorem & influxum confingit; & vi illius superioris causæ, quæ ultimam dispositionem introduxit, introducitur forma quæ recens generatur; hoc est educitur de potentia materiæ, ex virtute agentis. hæc forma, quæ producitur, aliquando est sulfuris, ferri, aut æris, aut stagni; secundum obedientiam patibilis; seu prout hoc, aut illud prævalet elementum; quoniam si plus habeat terræ in mixtione; vel producitur, ferrum, æs pallidum aut plumbum; si plus liquidi aëris sit in mixto, producitur stagnum, fortasse hydragyrium; si cum aërea, aquea prævaleat substantia, mixta cum spiritu ignis; sin autem plus igneæ substantiæ subtilis terræ ponderoso misceatur, fit sulfuris subtilitas: quod si terra sordibus defœcata in metallum conscendit, ubi sit major pars spiritus aërei, & ad solis fornacem vehementer excocti, adhuc mixta substantia alterius metalli, tunc resultat argentea substantia ubi ad talia symbolizat terræ situs: si vero sub illa mixtione flavi spiritus magna suppetit quantitas, illaque jam excocta, sub solis dominatu, & vehementer à crassiori sorde defœcata, tunc auri forma, vi caloris solaris, de potentia materiæ educitur. Interdum etiam ex elementari, & confusa materia, natura ad solis aspectum quid rudius effingit, & illo coalescunt metalla, ut Plato docuit in Thimæo.

Arles. 3 Metheororum ad finem. Albert. Magnus, lib. 3. tract. 1. c. 2.

Ex hac ergo Chimici edocti Philosophia, ad materiæ, naturæ, & solis imitationem, & eliquant metalla, & confundunt, & lento igne concoquunt, & separant mercurio; ut in proxima auri materia, Terreum separetur, aëreum exhalet; ut auri vita, jam sordibus exuta, ab omni fœce purior, jubilet & exultet; in tam brevi spatio, supplente caloris ignei actione, per gradus acquisita; quod solis influentia tam longo curriculo peregit: ut docuerunt Lulius & Gerardus, quod per varias sublimationes comparatur. Alberti Magni nobilis est sententia: *Omnium operationum Alchimistarum,* inquit, *melior est illa, quæ producit ex eisdem ex quibus producit natura.* Sicut ex purgatione sulfuris per decoctionem & sublimationem, & ex purgatione argenti vivi, horumque bona permixtione, cum materia metalli: ex his enim & ex virtutibus horum, omnis metalli species inducitur: metalli autem quantitas sit quadruplo major ad sulfuris & Mercurii quantitatem; si adsit conjunctionis medium, quem Lapidem Philosophicum dicunt; in mare aqueo, hoc est in mercurio, ut dixerunt Raimundus, Lulius, Bernar-

Lulius in Practica Philosophorum. Gerardi Chymica Philosoph. Arnald. in Speculo Chimico. Trivis. lib. de Chimico miraculo. August. in chrysopœia. Robert. de Varietat. artis Chimicæ. Laurent. Ventura de Lapid. Philosophico. Mirandul. lib. 29. singul. certamin. Sect. 7. Abb. in cap.

Bernardus, Oenotus, & Dorneus. Ex his verum produci Aurum, constanti sententia tenuerunt, qui vix possunt numerari auctores, positis necessariis, & amotis contrariis: & certo caloris gradu, ad artis necessitatem intenso aut remisso, prout hoc opus petit: nam igne vegetantur metalla, dum ad liquationem separantur, ad quintam essentiam, seu ad auri spiritus anima metallorum, ut Chimici dixerunt: aliis elementis in cinerem conversis, in aquam, in terram aut vapores aëreos; & quod ultimum remanet, aurum perenne dicunt; non illud quod fucato colore ars mentitur; nam post longos labores & sublimationes alii auri consequuntur substantiam, non colorem; & alii colorem certe pallidum, sed non auri substantiam, nullus fere vera productione attingit lapidem Philosophicum, ac ideo nullus aurum producit; si quis forte est impari labore, & dispendio, & sub majori pretio, quam sit aurum productum; quod certe nobilitatem artis in opprobrium vertit; nam de hoc *sussisticato* auro, omnes qui artem damnant, intelligendi sunt.

Ex Tuarum, de Sortilegiis. Zuinger. in Theatro Vitæ Hum. volum. 20. lib. 3. Cælius Rhodig. lib. 11. antiq. lect. 13. And. Libavius singul. part. 1. Syntax. 11. M. Del. Sect. 4. quæst. 2.

ARTICULUS IV.

Metallorum specifica productio à natura.

Supponamus primo illud, in quo omnes conveniunt, causam nempe metallorum in genere, fumosam esse materiam, mixtam ex vapore aqueo & exhalatione terrestri; materiam vero specificam, propriam, & propinquam, esse sulphur, & argentum vivum: causam vero efficientem, non unicam constituunt, sed triplicem, calorem nempe cælestem, terreum & aqueum ad invicem commiscentem, & gradatim ea in terræ visceribus concoquentem; cum cælestis calor, ad terræ centrum satis efficax, ad metalla & gemmas producenda, perveniat; & esse præter ista virtutem formativam, metallicam, in ipsa materia metallorum, quæ influxum cœlestem, sub certa patibilium dispositione determinat, ad metalli formam introducendam, hujus aut illius metalli; materiam tamen cœlestis calor disponit, dum homogenea congregat, heterogenea separat, ut ab inutili utile separetur.

Ultima causa, est mutua virtutum cœlestium atque terrestrium proportio, efficax ad subigendam & informandam materiam metallicam; sol enim tam mira operatur, non solo lucis calore, sed influxu & radio invisibili; quia corpus solare in prima orbis creatione factum est, ut graves auctores tradiderunt; ex spiritu tenebrarum, & cœli Empyrii essentiali portione; ut corpus vegetabile, ex spiritu tenebrarum, è medio cœlo deorsum, lucis præsentia & virtute propulsatarum, & ex luce ejusdem secundaria; & corpus minerale factum est, ex spiritu tenebrarum infimi cœli, in prima orbis fabrica, cum scintilla quadam lucis debilissimæ; & licet proprius effectus lucis sit, attenuare; (nam quo major illa est, subtiliora & tenuiora reddit corpora) quia lux in cæteris cœlis fortior est & potentior, quam in infimo cœlo; ideo illa lucis portio, non sufficit, ad densos & rebelles tenebrarum infimarum spiritus, subtiliandos & depurandos; unde fit ut vincat omnino, in hujusmodi mixtione materia, formaque lucis miseræ, & perpetuo incarceretur in hujus materiæ ventre, propter nimiam pororum in ejus corpore constitutionem, seu exiguitatem, ac magnam spiritus viscosi tenacitatem.

Hinc corporis ejus grossities, gravitas, & soliditas; hinc ejusdem animæ viventis, respectu corporis, substantiæ paucitas, & spiritus ipsius inagilitas, generandi & multiplicandi difficultas, seu insensibilitas: & inde est ut putetur sterilis; nam partibus heterogeneis, tenebrosa spurcitie, circumvolutis, contaminata, anima ejus impeditur, in motu suo, propter sui spiritus densitatem, soliditatemq; congelationem; quia nimis exigua est, lucis inclusæ virtus calefactiva, ad frigoris corporis mineralis injurias propulsandas, more vegetabilium, evidenter vivere, aut crescere non percipitur; nec valet ejus anima spiritu grossiori inclusa caput suum super terræ superficiem exaltare, & versus suum locum naturalem, exemplo plantarum tendere; tum, quia debilior est, ejus quam vegetabilium virtus: tum quia firmioribus vinculis in corporis mineralis centro clauditur, & retinetur.

Et quia cujuslibet rei corporalis appetitus, est ad perfectionem tendere, media illa lucis portione, quam à suo principio sortitur: sic illa lucis scintilla, in corpore minerali, laborare non desinit, quousque paulatim, victrix evadens, totam sui corporis massam in suam naturam activamque qualitatem, & splendorem reducat, ut in auri generatione patet: unaquæque res enim nativo appetitu, ad perfectionis metam tendere conatur; per illum motum quem lucis aliqua portio producit: ideo lux illa corporis mineralis spiritu inclusa, licet exigua, & quasi scintilla, tantum corpus suum perpetuare cupit; & more ignis, terream & aqueam, ejusdem dispositionem superare, spiritu suo mediante, contendit: ac totum illud subjectum rebelle suæ voluntati, & naturæ, subigere. Quare licet in primordio ejus subjectum sit suæ animæ, quasi grossus quidam, & obscurus carcer, in quo fortissimis quasi catenis detinetur, ita ut in suo centro, vix moveri percipiatur; attamen successu temporis, paulatim, influentiarum lucidarum, usque ad terræ centrum penetrantium, virtutes ad suum auxilium allicit; imo etiam ipsum corpus minerale hoc idem, magnetica sua virtute, præstare videtur; unde quolibet anno, & qualibet hora, licet insensibiliter, crescit animæ mineralis vigor; & secundum incrementi ejusdem gradus: redditur quoque illud corpus perfectius, fulgidius, & fixius: ex quibus manifestum est, mineralia occulte vivere, essentialiter vigescere, & ad perfectionis fastigium, quamvis lente, properare, & sublimari.

ARTICULUS III.

Quantum valeat ars in Chrysopœia.

Hoc est opus naturæ in ipsis producendis, & augendis metallis: hinc Chimici Philosophi in arte & fabrica Chrysopœia, duplicem materiam agnoverunt; masculam unam, simplicem & puram;

puram; (tincturam nempe) quam ignem, solem, & agentem vocarunt, & alteram fœminam, argentum vivum, aquam, sputum lunæ, lunam, & patientem: per primum, intellexerunt animam ejus cum elemento ignis: per posteriorem, spiritum vaporosum, quem secundum augmentationem animæ suæ igneæ dixerunt, in operatione hermetica & naturali, lunam crescentem: ex mutua igitur horum conjunctione, fit corpus metallicum cujuslibet speciei; differentiaque specierum metallorum fit ex majori vel minori sulfuris & argenti vivi parte.

Quoniam septem sunt metallorum species, aurum, argentum, plumbum, stagnum, cuprum, ferrum, & argentum vivum; illud tamen attentius considera, quod quanto liberiores à pollutione tenebrarum, & heterogeneitatis irregularitate sunt mineralium cujuslibet speciei sulfur & mercurius; tanto purius, perfectius, & pretiosius minerale utriusque speciei producitur: è contra, si materia passiva est progressa, fuliginosa, & crassa.

Hæc, inter ecstases humani intellectus, occultat altior Philosophia, in prima auri materia, in qua mixtio latet sulfuris, & mercurii, inter aëris fragmenta, & mentiti Chrystalli sublimationes mysteriosas. Alta mysteria hujus pretiosissimæ artis, & naturæ secretiora, tractaverunt naturæ peritissimi, & data opera ista occuluerunt, ne tam rari, tam latentis, tam cœlestis thesauri; (est enim pretiosius arcanorum,) fieret despectabilis cognitio: an quod unusquisque propria ingenii sublimitate gloriatur; an quod socium non patitur thesaurum? est enim regnum solitarium, inaspectabilis pulcritudo pretiosi metalli; an metu severitatis legum; ideo ænigmata, mysteria, & fabulæ altissimæ, fuerunt olim apparatus pretiosæ scientiæ, ut voluit Rombertus.

Illud tamen Delio indiget natatore; si materia prima sulfuris & mercurii; pro ut est auri fabrica, in indivisibili consistit; & qui hoc invenit, totam artem invenit; quoniam si punctum non attingit, tinctura non substantia; & si ultra progreditur, consequitur substantia, non tinctura; nam debet esse mercurius incombustibilis, aëreus, homogeneus, summæ perfectionis, & longævus, prima auri materia; & non ille vulgaris, atrox & venenosus, ex argento vivo & sulfure confectus; anima vero, igneum & purissimum sulfur; postea vero in gradu caloris inducendo, est magna artis pars; sensim enim ad naturæ imitationem à fœce depurantur & sulfur & mercurius: altiori gradu postea commiscentur; intensiori deinde sublimantur, & fixantur; alius enim Mercurius cedit in lapidis Philosophici materiam, translucidus, fugax, volatilis, usque dum cum sulfure suo coalitus in lapidem abierit integrum, apyrosque vocatur; ab aliis carbunculus; sal maris mediterranei, dixit lapidem Philosophicum Chrysippus, Fanianus; forte allusione, ob mirabilem & arcanam virtutem dum fusile vario ignis gradu, remisso, ut operis initio, paulo valentiori in processu, quo elementis in unum coalitis, usque ad calcem utimur; intolerabilis ignis gradu postremo, cujus ope ad perfectam fixationem pervenimus; nempe usque ad calcem; tota enim vis in igne latet; nam hæc rudis, indigesta-

A que moles in quatuor scinditur elementa, ex quibus componitur; ac cogitur in unum; hoc enim ignis gradu & vertimus in calcem, inchoatumque perficimus; quoniam nisi à principio lenis quidam ascendat, & mansuetus ignis, conglutinabit, constringitque potius quam dissolvit; rursusque nisi invaluerit, cum verti in calcem res possit, erit irritus labor; suus enim cuique modus esto.

Verso jam in calcem argento vivo, illud qua perfundimus, cui proxime fusile sal ex stirpe eadem adnascitur, ex illius spiritu, cum jam nihil B excrementi habet; & tunc argentum æmulatur, cum nondum sit aurum, nec argentum, sed viribus dumtaxat & potentia, ut notavit Arnoldus: quare ex hac prima materia, & illo ignis gradu, ille pulvis altissimus emergit, suam jam ad terram conversus, qui est auri spiritus, & vita.

Multa latent in arcanis naturæ; quid non in miraculo est, cum primo in notitiam venit? naturæ certe majestas & artis excellentia in omnibus momentis fide caret? redeamus ad fabricam; C natura sibi simili gaudet; ac transmutatur facilius in symbola; sic admirabilis illa Philosophorum transmutatio corporis in spiritum, & hujus in corpus, fit ab iis quæ ab auro minus distant: de hac dictum est à sapientibus; *Fac fixum volatile, & volatile fixum, ut habeas magisterium nostrum; fac de pertinaci corpore tractabile: quod animi præstantia, cum anima conveniente, constantissimum fiat corpus, ad omnia sustinendum examina:* quo reprobatur omne quod aurum non est: est enim ultima rerum materia, quæ jubilat in exaltatione sua: *Sicut aurum* D *ab aliis duobus separatum, gloriatur in igne*, ut dixit ille suorum inimicorum dux. Generalia tamen adhuc ista sunt; peculiaria docuerunt Paracelsus, Robertus, Theobaldus; Dorneus, Bernardus Trevisanus, & Penotus.

Ideo jam fortius insurgendum arbitramur, nam utrinque resonant arma: accedat Philosophica clavis (quæ est prima materia metallorum, sulfuris & Mercurii) quæ haud aliter consideratur, quam cœlum in suo invisibili influxu; per hanc enim celebratur excellens calcinatio, dis- E solutio, evacuatio, & multiplicatio spiritus, argentum vivum, exuberatum sulfur, naturæ tinctura, oleum & incineratio, media sublimatione & igne; donec sulfur dictum ad effectum lapidis deducatur.

Parac. l. de Morb tartari, cap. 4. Rob. de Variet. Chim. chrysopœia Theobal. de Alchimio, deficul. Dorn. in Clave Philos. & Genealog. metallorum. Trevisanus ubi supra Zachar. in Opusculo chymico. Flamel. in Annotationibus.

Solvatur ergo Mercurius Philosophorum, summe purgatus, per virum suum, nempe per purissimum sulfur; mulier virum suum dissolvit: vir quoque mulierem, uxorem suam coagulabit ac fixabit: nam qui videtur mutuus inter conjuges amor, idem est inter sulfur & mercurium F Philosophorum; natura siquidem naturam appetit similem sibi, illa enim juxta corpus non differunt, sed proprietatibus, ac viribus: metallicus enim homo fixus est in igne, metallica vero mulier volatilis: si ergo vivus homo cum viva muliere misceatur, fit inde generatio, non autem ex mortuo viro cum viva muliere: quare uniatur viva cum vivo, tum demum fœmina virum suum dissolvit, & iste mulierem tingit, fœcundamque reddit.

Ponantur ergo ambo in vitro, strictissimo sigillo obsignato, ne mulieris aliquid spirans exhalet;

halet; (alioquin vanum erit hoc opus:) in thorum conjugii balneumque maris, in quo cum probe, moderato calore, satis incaluerunt, primo gradu mulier atro colore vestietur; hoc inditium erit conceptionis: & hæc est prima clavis ad arcam reserandam hujus occulti mysterii: continuato calore hoc levissimo, sensim consumetur ista nigredo ab alio succedente colore, tamquam à verme vermis; inde succedent alii colores, tot tamque varii, quot in pavonis cauda conspiciuntur; sicco in humidum hoc ipsum operante; continuetur calor ignis, donec versicolor iste secundus vermis à tertio, vel ab aquila alba, plumas olorinas habente, devoretur, materiaque lunæ prorsus candida nivis instar efficiatur; vitrumque perfectum suum gradum receperit: & inde hæc mirabilis virtus, Venerem, Martem, Jovem & Mercurium in lunam constantissimam transformat: & hæc est excellens metamorphosis Deorũ spumæ maris in Venerem, Jovis in auri grana: at aucto postmodum igne, hæc luna in Regem potentissimum evadit, albedine sensim in flavum colorem, croceumque terminante; ac deinceps in rubicundissimum rubini splendorem; hic est naturæ sulfur, lapisque pretiosissimus Philosophiæ, qui Martem & Mercurium in aurum purissimum convertit, transformat, confirmat, stabilit, & probat, contra omne examen: & non tantum morbos metallorum pellit, sed hominum, qui prorsus existimabantur incurabiles, melancholiæ medetur, & memoriæ; & omni frigidiori morbo jam prorsus desperato.

Hic est totius Philosophiæ thesaurus: solum enim ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis perfecta metalla fiunt, & generantur; nam in aliis rebus est luna; & in aliis metallis sol; cum ergo cœlum, & sphœram saturni, cum vita currere feceris super terrã; impone planetas omnes, vel quos volueris, dummodo lunæ nimium non adsit, sed minus aliis ejus adjiciatur: currere permittas omnia tantisper donec cœlum saturni penitus evanescat: hoc pacto manent omnes planetæ penitus consistentes; & hoc fiat usque dum corpus novum resultet, quod est spiritus cœli; novum hoc sumito corpus, hoc est sol & luna: & tertium his accedat sal, nempe purissimum, quod cætera repurgat, & puriora reddit: his ergo tribus in unum coëuntibus decoquitur aurum in massam, non tamen semper gradu in extremo; siquidem 32 gradus auro natura tribuit, ars vero 24. quoniam in natura purissimo alimento nutritur, in arte vero alieno.

Accidentia, vel potius incidentia astrorum influxu invisibili, ut etiam elementorum, nonnunquam auri generationem impediunt, ut natura fiat rudius intractabiliusve: sed ponderum præsertim inæqualitas primorum trium; nam salis minima portio pallidius efficit aurum; nimio Mercurio plus justo flavescit, copiosiori vero sulfure, nimis redditur rubicundum: æque enim in arte ac natura sunt errores, propter impedientia; quæ certe tolli possunt cimentis, antimonio & quartationibus, sed maxime si opus in *auge fortunato* incipiat; ad hoc tamen opus in sulfure nil aliud quærendum, quam corpus; in sale confirmatio; sed in mercurio virtus omnis, proprietas, essentia, & medicina; quæ non in aliis existit ut in isto: in ultima tamen separatione Mercurius de suo pondere plurimum amittit; sed attende, quod operis fœlicitas magis in artificis prudenti & solerti experientia libratur, quam in sola ideali Philosophia.

Repurgato itaque conceptoque spiritu, apparet leo viridis, primo albus, postea citrinus; aqua vitæ lavatur, ut non cognoscatur amplius, quod ingenii sublimitate consequitur potius quam naturali igne; quantumvis ingredientia seligantur purissima; nam hæc in harmonia potius & ad pondus consistunt; prout debetur operari altissimæ scientiæ; quod certe ignorat, meo judicio, omne humanum ingenium, ut etiam dixit Nicolaus Flamelius in annotationibus.

Hæc sunt mysteria hujus Chymicæ artis, quæ in fumum vertitur sublimata; hæc Chymici Philosophi mysteriose scripserunt: pleraque tamen in ostentationem potius, sive auctoritatis, seu ingenii posteritati scribuntur; de possibilitate non dubito, ut qui sciam esse in nostra Hispania fluvium, juxta amænitatem Aracenæ, qui nostro Idiomate dicitur *Rio tinto*; qui progerminat ex minerali ferreo, cujus aqua omnia quæ abluit & attingit, in ferrum convertit, sive sint frustra ligni, seu lapidis fragmenta, laminis ferreis super illa inductis: ideo non dubito posse fieri aquam Mercurialem; ut tradiderunt aliqui, cujus contactu, metallum in aurum convertatur; ut fertur, Etruriæ Ducem ferri frustulum, ex solo cujusdam aquæ contactu, in aurum conversum possidere.

STATIO V. ARTICUL. I.

De Magia Dæmoniaca.

Hæc magia est quoddam idololatriæ genus, quod fœdere inter dæmones & homines initur, Dei permissione ob occulta & divina judicia, ut Filesacus probat, unde Divus Hieronymus: *Semper idololatriæ*, inquit, *sequuntur artium magicarum perstigia*; *secunda idololatria est magia*, dixit Tertullianus; nec magicam exerceri absque idololatria, consilii Eliberitani est sententia: quare cum se magi devoveant dęmonibus, est pactum inter illos, ut adorent illi, & hi cæptis assistant, omnibus invocati, velut ex lege fœderis: ac in iis fidelitatem servant, infideles; forte ut hanc mortales edoceant politicam; sciunt enim quod plures exemplo, quam ingenio peccant; ideo se ab hominibus imperari permittunt; cum nulla sit hominum potestas super illos. Et ex hac indicibili fraude se somniant Magi, superiores tartari; qua elati vanitate, paciscuntur superiori dæmoni, ut illi inferiores cedant; hoc est altioris hierarchiæ, ut inferiorem compellat, infami obedientia, stare nutui imperantis, ut notavit Binsfelt.

lib. de Mag. Idololat. §. 6. f. 768.
lib. de Mag. cap. 6.

Unde Magus, idololatriæ delubro, sacra devotione & sanguine polluto, posuit devotum, infami servitute cænotaphium, ipso dæmoni sacrum; unde magica labes, quam dæmon dolis festivi apologii velatam protulit; forte sub perstigiorum crepundiis educatam; ideo præmunita pinnulis in fatuorum arces evolavit adoratione affectata, jam à longinquo ævo; est enim dæmoni

Tract. de Confess. malef. Conclus. 10.

vetustissima, jam olim Numinis & divini honoris æmulatio, ac zelotypia.

Quo veluti contagio infatuati homines, ad credendum vetita & pollicita, nulla vi impelluntur, sed leniter & sponte elabuntur; ut hæc abdita norint, & admiratione honorentur, ab iis qui hæc rara antea nunquam visa contemplantur; universa nempe quatere elementa, concitare tonitrua; homines æque ad tabem, ac subito ad salutem redigere; seu in bestiarum formas commutare; concitare in aëre tempestates, & fulgura; odium & amorem in thalamos immittere, ligare & dissolvere. Hæc & alia quæ pene fidem superant, dæmonis astu, & sub magico fœdere, à Veneficis & Magis concitantur, ut notavit Picus Mirandulanus; si pleraque excipias, quæ magico, sed naturali artificio architectantur. Hæc magia ediscitur dæmonis manifesta vel occulta præsentia, ut fœdus etiam sub variis ceremoniis initur.

lib. 3. Prænot. cap. 4.

ARTICULUS II.

Magiæ diabolicæ species.

Hæc in varias scinditur differentias, pro ut degenerat in varias augurandi species; (unicum dæmonis instrumentum, ut homines alliciat.) prima est, à luctu Goëtia hoc est dæmonum invocatio, à maleficis juxta sepulcra facta; quæ ideo aqua lustrali & ignibus tædarum olim expiabatur, ne dæmones adessent, unde forte apud nostros laudabilis illa consuetudo emanavit, ut vere lustrali & benedicta aqua à dæmone obsessi expientur.

Est Necromantia, secunda Goëtiæ species; hoc est feralis dæmonum invocatio, ad defunctorum manes evocandos per conjurationes, aut deprecationes invocantium, humano sanguine immolato, seu nigri animalis cruore; hinc callidus Ulysses, sagę Circis consilio & ope, pecudum diffuso in scrobum cubitalem cruore, & admixto melicrato Heroum belli Troiani animas, cum Achillis spiritu, aut umbra, ab inferis ad lucem revocavit: de Grammatico Apione dixit Plinius, hac arte Homeri manes, ut ejus natale solum exploraret, ab inferis in colloquium revocasse: *Non satis æstimari potest*, (inquit) *quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi, vero, etiam saluberrimum*; (quod, potiori religione, nostri apud Indos occidentales sustulere,) *ut Nero, his etiam artibus initiatus, hinc inde debacchatur; & utinam inferos potius & quoscunque de suspicionibus suis deos consuluisset, quam lupanaria; nulla profecto sacra, barbari licet, ferique ritus, non mitiora quam cogitationes ejus fuissent.*

Homerus Odyssea.

lib. 1. Satyr. 8. Lucan. lib 10. Philost. Plin. lib. 30. Nat. hist. cap. 2.

Dies eligere certos, in hac arte liberum erat: pecudes vero, quibus non nisi ater color esset: sed in hac arte erant solum veritatis umbræ; pollent enim in ea potius veneficæ artes, non magicæ: Hæc Plinius.

Manes ab inferis revocare, dixit Apollonius Tyanæus, *solis sacerdotum Indiæ deprecationibus concessum erat*. Notum est illud, phytonissam anum in Endor, à Pythone dæmone obsessam, umbram traxisse Samuelis prophetæ, Sauli Regis in colloquium, ut est in libro Regum; quem certe dæmonem Paulus Apostolus expulit à Virgine fatidica in Philippis.

1 Reg. 28. in Decretalib. cas. 26. qu. 5. can. nec mirum. Actib. Apostol. 16.

Est tertia Goëtiæ species Incantatio, Græcis Epodos, quæ si Galeno credimus, erat hymnus, quo heroum deorumque præconia, ante altaria in sacrificiis decantabantur; Epodos etiam in Hesychii & Suidæ sententia mulier dicebatur quæ pueris à lamiis, & strigibus fascinatis, nocturnisque lemuribus lacessitis carmine medebatur; ut refert etiam Ausonius & Lucanus, quibus etiam allium auxilio erat; ut dixit Plinius; & cecinit Serenus.

Gal. lib. de Utilitate partium in f.

Luc. lib. 6. Ovid. 6. Fast. Plin. 11. cap. 38.

Præterea si forte premit Strinx atra puellos,
Viroso emulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Zetini sententia necti.

Erat etiam Epodos incantatio quæ Solis odis id est barbaris carminibus, & verbis, & in dæmonum cultum, celebratur, ad damnum vel necem inferenda; quod bene novit Lucanus, quando dixit:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit.

Hoc genus maleficii olim ortum tulit in Græcia ex impiis hominibus, quos Plato, agyrtas, ariolos, & vates nominavit, qui victum petituri oppidis oberrabant, ac divina virtute carminibus, & occultis mysteriis, & sacrificiis se morbos infligere, ac inflictos curare, jactabant; & si forte quid sceleris esset in divitibus commissum, aut proavis eorum; id se magica sacrificiorum celebritate, suffimentorumque odore expiare: si qui eos hostili manu peterent, fontes aut innocentes, Epodais, id est, carminibus istis oblædere, sibi fas & possibile esse. Hos divinus Hippocrates, pie & sancte punit, impietatis arguit; solo naturali philosophiæ lumine; libro de morbo sacro.

lib. 2. de Rep.

l. de Morb. sacro.

Alii magico carmine, & astra incantare, & Lunam de cœlo substrahere; & alia ostenta producere, anili impostura prædicant, & præsumunt; quod prudenti solertia plerique factitarunt mira eutrapelia, verum scientes, persuadentes aliud; quod Plutarchus enarrat de Aganice, Hegetoris Thessali filia; quæ syderum perita, defectus Lunæ, & quo tempore illa objectu terræ subito obscuratur, agnoscens & considerans; cum hæc mulieribus credulis præsagiret, Lunam subtrahere de cœlo, visa est suadere: idem patrum memoria legimus accidisse, occidentalis Indiæ primo Auscultatori, hominum, audacissimo, Coloni, magiæ astronomiæ peritissimo, qui Hispanus Ulysses, per varios errores, Ferdinandi & Elisabetæ felicitate ductus, militibus Hispanis, (licet incredibilis alias tolerantiæ) fere jam desperatis appulit Xamaicam; & in jactura lucratur sæculorum memoriam; ac fortunæ imperio debellato, nomen æternitati consecravit: nam cum jam videretur fortuna de extremo conatu militum triumphasse; pallida fame & extrema miseria, omnibus jam attritis, & bellando inertibus laxatis, debilitate cruribus, ac vitali vigore penitus dissoluto, lingua præ arida siccitate faucibus adhærente, inter barbaras gentes à politia & pietate alienas: quas tantorum malorum non domuit invidia, nec humiles propitiabant preces; in tanta ergo calamitate positus, in ancipiti anceps; (nam Hispaniæ commeatus non dabatur; ad barbaros invadere, impossibile reddidit inopia, languor extremus, extrema imbecillitas,

cillitas, unaque ſalus morientibus erat, divina miſeratio, aut prorſus abſque honore mori, procul à patria, inter barbaras, ignotas nationes, & incultas; cum jam ultima neceſſitas extorqueret induſtriam; quæ diſcrimina, à ſuorum cervicibus induſtria, extremo diſcrimine comparata non avertit? ſapiens erat ſagax ille Colonus, aſtrorum peritiſſimus; noverat enim ex aſtrorum peritia, quod inſequenti nocte erat apparitura triſtis Lunæ eclipſis; ac interim per caduceatorem barbaros advertit de futura eclipſi; & quod cœlum, & terra invehatur in ipſos, & quod ruet de ſuperis exercitus armatus, oſtentis & prodigiis; niſi illos ciborum abundantia cumularent, & ſitim oblinirent affluentibus aquis: in quorum confirmationem pollicetur, ſe nocte ſubſequenti prodigium in cœlo allaturum. Denuntiata barbari avidius accipiunt, attente contemplantur, & expectant, præſagium obſervant; & cum candorem Lunæ viderent ad varios colores transmutari, ad pallidum, ad atrum, & ſanguineum; (Numen nempe quod ipſi adorabant) attoniti præ admiratione, & timore perculſi, vera credentes quæ minabantur hoſpites; En, illud eſt exclamant, illud eſt irati Numinis oſtentum, & hoc Dei prodigium; quas pœnas tam dira cœli facies ominatur; cave, cave, exterriti contremiſcentes exſtaſi exclamabant comprobato augurio; ac auroram unusquiſque prævenit; & viritim pretioſis onuſtus, & gemmis, & omni delectabilis alimenti congerie: hæc omnia pie, ad pedes Hiſpanorum devoluti, obtulerunt; & habitationes, licet brutas, cum omni ſupellectile: quæ omnia læti, noſtri avidi, ſitientes, accipiunt, & famelici antea, ſe immortales fortaſſe ſomniantes.

O altiſſima virtus Sapientiæ, te auſpice, te duce, (nec vana fides) domus, caſtra, civitates, & regna, facile debellantur, & propria tuentur; ut ævi brevis meta transgreſſa, viderit Hiſpania, ſuper omnes nationes belligera, ſi non forte Catholica, orbem alterum ſub pedibus adactum; ac Indorum nationibus debellatis, armorum congeriem ſtruxit, ſuperbo titulo.

Debellatis inter Oceanum Indicum & Occidentales Regiones, qua tendunt ad Meridiem, nationibus; felicitate Ferdinandi, & Caroli Belligeri exercitu, congeriem Armorum, Hiſpania ſtruxit, eaque Monumenta, Altiſſimo Numini conſecravit. De ſe nihil addidit metu invidiæ; an rata, conſcientiam facti, ſatis eſſe.

ARTICULUS III.

Magia Artis notoriæ.

de hac D. Thom. 2. 2. quæſt. 66. art. 2. & quæſt. 68. art. 5. & quæſt 90. art. 1. & 3. contra gent. cap. 104. & 5. Petr. Cirvel. Apol. aſtrol. & judic. cap. 2. & de Superſtitione, cap. 1. p 3. Perer. lib. 2. de Mag c. 10.

Inter has ſpecies Magia artis notoriæ memoratur, quæ abſque præceptore, nec ſtudio, lumen univerſæ ſapientiæ pollicetur, ſpacio & tempore breviſſimo: hoc dæmonis inventum, ſub piiſſimis ſuperſtitionibus occulitur; de quibus eſt celebris memoria in Delrio & in Petro Cirvelo.

Magia amatoria, ſub hac ſpecie etiam, & copias inſtruxit & machinas paravit; ut in Del Rio patet: ſed hæc volentes trahit, nolentes non compellit.

Inter has numerantur hepatos copia, Hydromantia, Geomantia, Chiromantia, & Aruſpicina, quæ etiam in varias ſcinditur differentias: de his copioſe diſſeruit Martinus Del Rio, vir multæ lectionis in hac linea.

M. Delrio lib. 1. Mag. cap. 4. quæſt. 3. & lib. 3. part. 2. quæſt. 4. ſect. 2. Baptiſt. Segn. lib. de Stud. ſanit. cap. 8. Suares lib. 2. de Relig. cap. 15. Mald. de Virt. Theol. tract. 10. cap. 7. dubio 10. Paul. Corinth. 12. & 3 Reg. 3. Cirvel. in Apolog. de Superſt. cap. 21. Delrio cit. Auguſt. de Natura dæmon. cap. 2. Raphaël de la Torre, tom. 2. quæſt. 90. art. 2. & quæſt. 96. art. 2.

ARTICULUS IV.

De pacto implicito, & explicito.

de Pacto D. Th. 2. 2. quæſt. 96. art. 2. & lib. 1. contra Gent. cap. 105. & 6. Auguſt. 22. de Civit. Dei, cap. 6. Orig. Homil. 20. cap. 15. & 4 contra Celſum.

Quomodo & quibus ceremoniis celebretur, ad ſatias plerique viri docti ſcripſerunt; & dubito an prudenti conſilio: ideo nos ab illo ſuperſedimus; & quia altiora nos ſpectant, quæ abſque præcedentium notitia, nec intelligi, nec conſequi valerent.

Gabriel. Sent. 2. diſt. 8. quæſt 2. Iac. Graph. l. 1. Deciſionum, cap 3. n. 7. & c. 4. n. 4. Guill. de Sortil. quæſt. 6. n. 18. Herod. lib. 2. Euterpe.

Quomodo pactum agnoſcatur adeſſe, & quam cautam ſolertiam deſideret; unica pene Regula monſtrabit: quod ſemper in opere aliquid altioris naturæ elucet, quam naturæ communis: hoc confirmet unicum Herodoti exemplum: *Pheronis, Soſoſtris filius*, inquit, *Perſarum Rex, cum cæcus factus eſſet, per decennium; undecimo autem anno ex urbe Butti, oraculum adveniſſe*, inquit, *exactum eſſe tempus calamitatis ſuæ, viſumque oculis rediturum, ſi illos abluiſſet lotio mulieris quæ ad ſolum virum ſuum accederet, aliorum virorum impolluto: & ante omnes, uxoris ſuæ urinam expertus, non profecit; ſicut & aliarum mulierum; cæterarum, deinceps expertus, unius tandem lotione, convaluit: ac omnes mulieres, præter illam, cujus beneficio viſum recuperavit, unam in urbem conjecit, & omnes cum urbe concremavit; & flammis coronalibus deuſſit: ac illam duxit uxorem, quam excepit*. Huic auxilio, neque noſtra, neque antiqua ætas illam talem virtutem detulit: quoniam illa ſuperat omnem naturalem virtutem; qualem dæmonem dediſſe, eſt credendum; quantumvis priſca ætas, barbara auxilia, characteres, & peregrina verba, magnam ſortiri efficaciam crediderit, apud Deos & homines, in certam harmoniam redacta; ut Pythagoras, Plato & Jamblichus aſſeruit.

Leſ. 2. de Iuſtit. & jure 43. Majol. tom. 2. Canicul. 3. Cæl. Rhod. Antiq. lect. cap. 14. Vall. de Mora 3 Mag. part. 2. qu. 4. ſect. 8. §. 7. Sanch. tom. 1. Decalog. lib. 2. 37. n. 2. Petr. Greg. Syntaxis, part. 3. lib. 34. cap. 19. n. 5. Reginal. lib. 19. cap. 159. Act. Apoſt. 19 verſ. 14. Majol tom. 2. Canicul, coll 3. §. Amuleta Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. c. 15. n. 18.

De pacti ſuſpitione, plura Delrio dixit. Plura leguntur in cap. *non licet*. 26. q. 5. Illud tamen minime prætereundum duxi, nempe, ſi quis ſciens & prudens, verbis aut rebus, utitur, aliqua ſuperſtitione inſignitis: aut ſigno, formula, imagine, numero aut charactere, aut annulo, in quo videat aliam à propria rei natura eſſe virtutem, licet qui illis utitur, abſolute neſciat eſſe mala, à quocunque acceperit, aut legerit, is abſolute utitur rebus ſub pacto involutis. Et in hoc caſu, nulla, quantumvis bona, fides excuſat, nec ulla in contrarium proteſtatio, neque renuntiatio; quoniam Dæmon tenetur operari, vi primi fœderis, ſola miniſtri ope: & eo ipſo quod operatur, tacite ejus pacto conſentit; neque ulla valet renuntiatio, ubi Dæmon adeſſe non eſt dubium. Hæc eſt electior Catholicæ & fidelis Theologiæ ſententia; quoniam ubi nec miraculum, neque naturæ vis, nec artificis ſolertia invenitur, ibi pactum intercedit.

Hæc eſt omnium malorum officina, in hac infœlici Plutonis Academia, venenorum variæ fermentationes ediſcuntur, tartareo ſigillo inſignitæ,

gnitæ, quibus sola deficit applicatio: hæc fit ope maleficæ; hinc qualitas resultat, substantia aut vapore delata; quæ applicata in fœderis virtute, subito, vel ad tempus interficit; in pulvere sparsa confectione data, aut aliquo instrumento oblata, aut incantato carmine: in alio infatuat, aut viscera corrodit. Hic feralis edifscitur confectio poculi amatorii, quæ ut plurimum in furorem adigit amatum & amantem; seu Dæmone suggerente species, seu virtute herbarum semina proritante, seu tabida siccitate inducta, seu auxilii infidelis efficacia; quo cerebrum à se ipso alienato agitur in furorem. Quod etiam tabifici, & naturalis amoris efficacia productum, plerique scripsere: quod in hac ætate nunquam vidimus. neque puto absimile esse instrumentum quo odium inducitur, si Dæmonis virtus elevat naturalem virtutem instrumenti; seu ut thalami infamiam inducat nefario adulterio polluti; seu ut maritum fatua patientia reddat inebriatum. Hic tabida edifscitur & infœlix oculorum fascinatio per oculos, aut universum corpus expirante veneno: hic feralis carminum incantatio; hoc est tandem impiæ infidelitatis theatrum, in quo non tantum barbaræ, sed politicæ etiam nationes repræsentant.

ARTICULUS V.

DE PHILTRIS.

An in Philtris sit amandi necessitas.

Philtra solo Dæmonis astu, species amoris suggerendo, seu herbis semina concitando, valent & amorem producere, & conservare, & urentibus facibus deurere; ut amantem compellant; ad furorem usque, deperire; sed nullo super voluntatem imperio; solo concupiscibili appetitu concitato. Hæc conclusio patet mille experientiis: est recepta in sacra Theologia: hanc ut jacet sequuntur Springerius, Martinus Delrio, & alii plures, & docti viri: demitto instrumenta, quibus dæmon ope veneficæ utitur, & sacra & profana; quoniam hæc late à Delrio citantur:

An sit aliqua differentia inter amorem Naturalem, & philtris concitatum:

Est naturalis amor, animæ concupiscibilis immoderata passio; quæ à pulcritudine allicitur & fovetur, vera aut apparente; quoniam semper id quod diligitur, sub aliqua ratione pulcritudinis amatur: Concupiscibilis appetitus est in hepate, ut in suo principio; in corde, ut in fonte spiritus vitalis, qui, si per sympathiam, & consensum, effervescunt, & fervet, & intenditur amor, per invitantiam passionum: in cerebro, ut in principio cognitionis alitur; nam cognita effigie rei amatæ, per oculos illata, mentem, seu cogitativam continuo percellit, & sine fine allicit; & quadam voluptate perfundit: inde concupiscibilem, per communes spiritus in hepate, & ardorem in corde producit inexhaustum, ut hæ potentiæ ad invicem mutuas tradant operas, in amantis perniciem; reciproco, perenni, & indefesso motu: inde præsidens anima ludum potentiarum intuetur; & vitalitatis actiones (est enim principium & motus, & quietis) impertitur; cognoscit intellectus, allicitur voluntas, sub aliqua specie rei amabilis. tunc posita in ancipiti anceps deliberat; renuit, aut consentit, liberrimo arbitrio; nam ubi anima, mens, & spiritualis voluntas, superior est carnali appetitu, excutit violentiam omnis carnalis appetitus: ubi vero ab acri & importuna punctione, forti suggestione superatur, succumbit, & consentit; & magis aut minus, indigno & servili obsequio, inservit imperioso nutui, prout concupiscentiæ prævalet appetitus.

Illud omne quod valet carnalis appetitus in hac linea sub illa voluntatis libertate, valet etiam Dæmon, seu sola illius suggestione, medio harum potentiarum corporis, seu veneficæ ope, herbarum, aut instrumentorum virtute applicata: hinc accedit amantium illa intellectus inebriatio, & libera voluntatis incantatio, quam sensuum illusio conservat, & prava æstimandi consuetudo, veluti actuum multiplicatione, jam in habitum versa; quæ, ut Plato asseruit, *est extrema inscitia.*

In hoc tamen maximi momenti errandi occasionem considero: quotidie enim videmus homines aliis in negotiis non male consulentes, adeo sola pulcritudinis illecebra seductos, ut prorsus veneficiis perstricti judicentur; alias amantes naturaliter, sed ita incaute, & profuse, ut metas rationis egrediantur: quis unquam vidit amantem in flore juventutis rationalem? imo non esset amans, si ad metas rationis consisteret, *sola enim pulcritudo*, dixit Plato, *hanc habuit sortem, ut perspicua & amabilis sit*; nec ullam hucusque vidimus amandi metam, ultra quam transgredi fas non esset.

Heroës eos amorem, Plotinus dixit à visione herôa; Plato dixit ἔρωτα, quod per oculos influat, & animo & hepati; hepar enim est animæ concupiscibilis sedes: *Videbat enim Deus*, procedit Plato, *partem animæ concupiscilem talem fore, quæ rationem non exaudiret, & si quo sensu pulsaretur, nec rationi obtemperaturam; sed simulacris visis, nocte diuque maxime rapi, idcirco naturam jecoris procreavit, longe à cerebro, rationis domicilio, dissitam, & ejus habitationem in eo disposuit.* Ideo forte Homerus Titii amatoris supplicium, quod Latonam Deam perdite deperierat, effinxit, ejus nempe jecur, à duobus vulturibus vix unquam saturandis, apud inferos diu noctuque discerpi, indeque illius tamen fibras renasci, ut perennet supplicium.

in Thimæo.

ARTICULUS VI.

Amoris sola pulcritudine produxit signa.

Sic illa Platonis Theologia descripsit: *Tota igitur anima undique saucia, stimulo concitatur & angitur, rursusque memor pulcritudinis, delectatur; ex utrisque passionibus, vehementia scilicet & novitate vexata, & anxia, furit & insanit, sic affecta præ furore, neque nocte dormire potest, neque diu consistere; sed passim discurrit desiderio pulcri perculsa: hac utique suavissima voluptate in præsenti usque adeo delinitur, ut nusquam sponte ab ejus illecebris discedat, nec aliquem pluris faciat quam amatum; sed parentes, fratres, amicos oblivioni tradit: & dissipato per incuriam patrimonio, minime commovetur; patrias quoque consuetudines & dignitates quibus gloriari solebat, penitus aspernatur;*

in Dialog. Phædrus, seu de pulcro.

natur; & servire & jacere parata, ubicunque permittitur, modo igniculo suo inhæreat; non omnem colit, solummodo veneratur formosum: sed medicum hunc solum gravissimorum morborum invenit; hunc utique affectum, ingenue adolescens, ad quem, meus est sermo, homines erota vel amorem appellant. hæc Plato; nescio an dicat alius de hoc assumpto pulcrius.

Hic irrationalis appetitus continuo famescit; & reflexione concitatus, in præcordia citra rationis judicium irruit, impetu quatit mentem: & ossium intimam depascitur medullam, inde corpus, sub extrema macie, contabescit, & non sui compatiens, licet in summa calamitate positus, in ultima desperatione delectatur; exhaustis nempe amore viribus, corpus exangue pallet, oculi intra calvam conduntur; cibum aversatur stomachus, fere resupinatus oblivione sui; longo suspirio, ex imo pectore pulmo ingemiscit alatus; cor in profunda mæstitia exardescit; voluntas sola, amati memoria, delectatur; mens continuo collimando vacillat; ut nec in circulo ubi non datur finis, nec in perennitate collimandi, inveniat quietem; aliquando silentem rapit ecstasis; & ad solum desideratæ aspectum commovetur; pulsus motu tremulo fluctuat & subsultat; formido semper comitatur, & pavor.

Sit vobis exemplnm Antiochus, Seleuci Regis filius, qui novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis facibus arderet; impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat: itaque diversi affectus, iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt; jacebat in lectulo moribundo similis: lamentabatur pater: totius domus funebris erat vultus: in hoc statu erat, nisi pater impia uxoris indulgentia filium ab amoris tyrannide piissime redemerat, infœlici in posteros memoria. Nec absimilem historiam à Galeno accepimus; Justæ Boëtii viri consularis uxoris, quæ Pyladis amore ad extremum languebat; quod Erasistratus in Antiocho, & Galenus in Justa ex pulsu, dum intraret amasius exploravit: quoniam nova subsultatione uterque exultavit. Echo Nympha, Narcissi amore capta, & fatis & mærore in saxum obticescit; ut Lucretius refert: & Pausanias Phœnices amatores, re amata orbati, auxilium renuentes perire, Galenus auctor est.

Val. Max. l. 5. Memorabil. cap. 1. Appianus Syriacus, Plutarchus, Demetrius.

lib. de Præcogn. ad Posthum, cap. 6.

5 de Loc. 5.

Quare amatam pulcritudinem quandam esse speciem veneficii, veluti ab effectu convincitur: nec illud est longe alienum ab hominum cordatorum judicio: scripsit enim Tullius ad Herennium: *Majores nostri quam impudicam judicarent, eam veneficiis quoque damnatam existimabant; quia nulla potior veneficii causa quam pulcritudo:* Ideo forte dixit Quintilianus, *tota meretricis vita est quoddam veneficium; si non fortasse dicimus, quod vere artem meretricis non callet, quæ etiam venefica non est; quod fere semper accidit; veneficio enim ad tuendum veneficium opus est.*

lib. 4. ad Herenn.

Nec immerito pulcritudinem diximus esse quandam veneficii sortem, si homines inextricabili inlicit labyrintho: Diogenes pulcritudinem dixit: *Donum formæ,* Socrates: *Modici temporis tyrannidem,* Plato, *Naturæ privilegium: tacitam deceptionem,* Theophrastus: *Eburneum detrimentum,* Theocritus: *Regnum solitarium,* Carneades: nos vero, Aureum veneficium; si non forte, *haustum in poculo aureo venenum:* cui nullum prodest auxilium; quod certe bene novit maximus Poëtarum, quando dixit:

l. 4. Æneid.

> *Heu Vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,*
> *Quid delubra juvant?*
> *Vritur infælix Dido, totaque vagatur*
> *Vrbe furens.*
> *Illiacos iterum demens audire labores*
> *Exposcit;*
> *Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem;*
> *Huc illuc volvens oculos totumque pererrat*
> *Luminibus tacitis.*

Hinc tabifici ex anima in corpus morbi refluunt, hinc tristis alitur melancholia, non ferali veneficio devota, sed amoris igniculis.

Quid ni? nec tam prodigiosa de humana pulcritudine legimus, quam etiam de brutorum incendio; nam taurum perdite adamavit Pasiphaë, & Semiramis equum; Pygmaleon, Æneæ statuæ, amoris cæco igne exarsit. Sic apud Historicum legitur Ælianum: *Adolescens in summo loco natus, bonæ fortunæ statuam deperibat, quam inter amplexus sæpe osculabatur, & raptus in furorem inter cupiditates, senatum enixe exorabat ut sibi emere statuam liceret: & cum supplices ejus preces nihil consequerentur, sertis frequenter coronata imagine ac piis sacrificiis vestitu pretioso exornata; impium pectoris vulnus cum dissimulare non posset, sibi tandem mortem cum lacrimis conscivit.*

ARTICULUS VII.

Amoris signa inducti veneficio.

Incantatione, perstigio, & philtris, posse dæmonem ope veneficæ, quæ valet nativa pulcritudo, jam nobis dubitare non licet; ut quæ patent ad sensum, & Patrum consensu confirmantur; patet etiam in vera Philosophia; quoniam dæmon valet quidquid motu locali & motu alterationis consequitur; dummodo periculum ruinæ universi exinde non sequatur. Ex instrumentis tamen quibus utitur dæmon, pleraque gentilitia operantur virtute: & in signum fœderis non pauca; seu perenni repræsentatione rei amabilis, seu veneris stimulo; ut Codronchus enarrat de Juvene illo ex oppido Hetruriæ, qui veneficam infamem perdite deperibat; & honestam uxorem & filios alta oblivione demittebat; & cum pellice immemor eo usque traduxit, donec uxor maleficii monita, & illius instrumento invento, maritum à tali redemit calamitate: nam invenit sub lectulo bufonem consutis oculis, & in olla conclusum; eum tamen extractum, & oculis solutis, posteaigni tradidit; & confestim vir suorum recordatus, ac si à somno profundissimo surgeret, ad uxorem & filios revertitur: hoc instrumentum erat in signum fœderis; nulla enim vis in eo amori concitando elucet.

In hac linea sunt omnia instrumenta ex sacris & profanis deprompta; quæ late & docte refert Martinus Delrio: ut lapis calaminta aqua baptismatis abluta; & etiam sacrosancta Eucharistia; imagines, & carmina magica & feralia: sed sub hac differentia, (ne diabolica solertia palam fiat) ut ad actiones inducendas symbolicis instrumentis

De hoc in Jur. C. de Malef. & Mathemat. leg. si quis aliquid. §. Abortionis. D. de Pœnis leg. 3. §. ejus-

dem legis. D. ad leg. Cornel. de Sicariis. Gloss. in cap. Accuss. Sanc. de Haret. l. 6. leg. 2. tit. 23. part 7. Leg. qui venenum 23. 6. D. de V. S. leg. quod 36 §. 2. de Contrahend. empt. empt. L. item si obstetrix. §. 1. D. ad leg. Aquiliam. L. si sciente 7. D. ad L. Cornel. de Parricid. Nicetas in Vita Phocii. Tiraquel. in leg. Connub. ad l. 80. & l. 14. Guilland de Sortileg. lib. 2. quæst 3. ex n. 25. & quæst 5. ex n. 2. Cal. Calcagn. de Mag. amatoria, cap. 2. Delrio lib. 3. Mag. p. 1. quæst. 3. Petr. Greg. in Syntagm. Iuris, l 34. cap. 12. Raf. de la Torre, de Vitiis opposit. Religioni, quæst. 9. art. 1. disp. 2. Farin. in Praxi, qu. 98. ex n. 81. Majol. tom. 2. Canicul. colleg. 3. Ioannes Azor, tom. 1. Inst. moral. lib. 9. cap. 25. Tiraq. in leg. connub. glossa 14. Cymer. in Directorio, part. 2. quæst. 43. n. 8. Binsfelt in leg. eorum, C. de Math. quæst. 2. conc 1. Farin. in

tis utantur; nam capita serpentum & spolia, ad odium producendum imponunt; verbenam & schinchos ad amorem; dicunt enim, hæc & illa hos effectus producere; ut contigisse legimus in oppido Sepino Ditionis Neapolis, cujusdam Jacobi uxori, quæ à primis nuptiis in maritum tale contraxit odium; ut horribile monstrum sibi in eo apparere, exclamaret: donec mulier veneficiis versata, illius compatiens, veneficii instrumenta capitibus serpentum constructa, à cardine domicilii extraxit.

Philtra neque minus inducunt, idola, & carmina feralia, pars vestis & capilli, ut notat Tiraquellus, & Lucanus cecinit in Pharsalia, quando dixit:

> ——— *quos non concordia mixti,*
> *Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ*
> *Traxerunt torti magica vertigine fili.*

Pellicula frontis equi recens nascentis pulli, est celebre amandi instrumentum, adhuc ab ipsa vetustate deductum: sic de illo Lucanus,

> *Non fatis advectus amor flammisque severi,*
> *Illicitis arsere senes: nec noxia tantum,*
> *Pocula proficiunt; aut cum turgentia succo*
> *Frontis amaturæ subducunt pignora fœtæ.*

Sic Juvenalis:

> *Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,*
> *Cui totam tremuli frontem cæsonia pulli*
> *Infundit.*

Cujus certe veneficii Phœnissa Dido non ignara, illud magica arte & solerti diligentia, curat configi inter artis arcana, ad profugum Æneam repetendum, ut cecinit Virgilius:

> *Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni,*
> *Quæritur: & nascentis equi de fronte revulsus,*
> *Et matris præreptus amor.*

Quod fortasse Plinio ansam dedit ut hoc sub causa naturali accidere æstimaret; quod equa nempe, præter cæteras fœtum diligat; & hinc velut furatur, à recens nato pullo: quod primus fortasse invexit Hippomanes; ideo tale veneficium dicitur Hippomanes: quod Philtris amatoriis inservire etiam Aristoteles dixit, ut cecinit Virgilius, & postea Tibullus:

> *Hippomanes quod sæpe malæ legere novercæ,*
> *Hippomanes cupidæ, distillant sanguine equæ.*

* Hic est suspectus amor; qui officulo rubetæ concitatur, ut dixit Aristoteles: & etiam lapide asterite, ut Plinius notavit: de Remora Propertius plura scripsit, Cœlius Calcagninus de magia amatoria; non pauca Codronchus: famosiora sunt ossa de corde cervi, verbena filicis grana collecta, in natali Baptistæ; & viperarum lingua; & cauda ad necem inferendam, coturnicis caput, cerebrum pulli, asini, pueri recens nati involucra; & fabæ affricanæ, vestes, capilli, & buccella panis illius quem intendunt inlicere: hæc & alia prodesse contendunt, quia Plutoni sacra; & utinam sacrosancta etiam non miscerent; Utuntur etiam infando piaculo hostia sacratissima Eucharistiæ, ut dixit Springerius; & etiam non consecrata hostia, sanguineis literis circunscripta; oleo sancto, & thure benedicto, permixta: ut adnotarunt etiam sacri canones, & Ecclesiæ patres; ut animos inliciant simplicissimos dæmonis hostili Zelotypia; cum decepta mortalitatis infamia.

† Ex istis alia in cordis figura parabantur, & idolorum alia, & acubus transfixa, quibus miscebantur erutæ corporum humanorum reliquiæ, & ungues, & capilli laqueo suspensorum sub certis ceremoniis, ut notavit Guillandus; qua certe magica arte, cum portione interioris tunicæ, Herculem in amorem pellexit Dejanira; de his memor Virgilius hæc scripsit.

Praxi, qu. 122. & tit. de Haret. quæst. 181. §. 3. n. 82. Barbosa de Potest. Episcop. à leg. 51. cas. 8. n. 226. part. 3. & leg. Hispaniæ lib. 2. tit. 23. part. 7. Lucan. 6. Pharsaliæ. Sueton. in Caligula. Plutar. in Lucullo. Plin. lib. 26. Nat. hist. cap. 4. Aug. lib. de Natur. Dæmonum. c. 6. Plutarc. in Præceptis convivalib. Lagun. 3. in Dioscorid. fol. 355.

> *Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,*
> *Pignora cara sui: quæ nunc ego limine in ipso,*
> *Terra tibi mando.*

Ad amorem etiam concitandum, cerea simulacra plumbea & argilla, ad ignem liquabantur; ut sic amasius ad pellicis amorem liquaretur, ut enarrat Guillandus; cujus veneficii est celebris memoria in Theocrito:

> *Sicut cera istac per meque, Deumque liquescit,*
> *Myndius & Delphis subito liquefiat amore.*

Laurum olim ad amorem comburi, nobilis extat memoria vetustatis, sic Theocritus:

> *Daphnis me cruciat, ego vero in Daphne,*
> *Hunc laurum uro.*

Sic Horatius:

> *Quam non amore, sic meo flagret uti*
> *Bitumen atris ignibus.*

Sic ultimo Virgilius:

> *Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros,*
> *Daphnis me malus urit, ego hunc in daphnide laurum.*

† Quid multum? non solis instrumentis magico sub fœdere confictis; sed adhuc solo incantato carmine, sagæ mirabilia patravere; ut de saga Marsyla. Hæc Virgilius dixit:

> *Hæc se carminibus promisit solvere mentes,*
> *Quas velit; est alias diras immittere curas.*

Et Juvenalis:

> *Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit*
> *Philtra; quibus mentem valeat vexare mariti.*

** Arist. 2. de Hist. animal. 14. Plin. lib. 37. Hist. cap. 10. Lucian. Dialog. Bacchidis. Marsil. Ficinus in Theol. Platon. lib. 13. Pomponat. de Incantant. cap. 8. Calcagn. de Mag. amatoria. Tiraquel. de leg. Connub. lib. 13. Codronch. lib. 3. de Morb. venef. c. 6. Filesach. de Mag. idol. §. 3.* ✠ *Sic Gloss. in cap. Accusatus, §. de Heret. lib. 6. Grilland. de Sortil. quæst. 3. n. 18. Delrio lib. 3. Mag. part. 1. quæst. 3. Tolet. in Summa lib. 4. cap. 16. Bosius de Sig. Ecclesiæ, lib. 14. cap. 7. n. 9. Pign. Indirect. part. 2. quæst. 43. Spring. in Malleo, part. 2. quæst. 1. cap. 5. Sairus in Clavi Coll. Reg. lib. 4. cap. 6. n. 25. Majol. cit. Binsfelt in L. eorum C. de Mal. quæst. 2. conclus. 5. & p. D. d. in cap. Episcop. & in cap. Aliquantu in 26. quæst. 5. Grilland. quæst. 5. n. finali. Arles de Superst. n. 23. Malder. de Virtut. Theol. tract. 10. cap. 8. dub. 6. Mora de Incant. opusc. 1. sect. 2. cap. 6. ex n. 1. & cap. 15. ex n. 21. Grilland. quæst. 3. n. 23. & quæst. 5. n. 11. Pomponat. cap. 8. 4 Æneid. Virgil. Salisberiens. de Nugis curialib. cap. 11.* † *lib 9. Antiq. lect. 1. cap. 23. lib. 4. Æneid. Bachel. lib. suo de Philtris. Calcag. ubi supra. Delrio 3 Mag. part. 1. quæst. 3. sect. 2. Codronch. 3. de Morb. venef. 6. Majol. tom. 2. colleg. 3. Buleng. lib. 2. Magiæ, cap. 16. Tiraquel. in leg. Connub. lib. 14.*

ARTICULUS VIII.

Amoris utriusque differentia.

Spring. in Mall. part. 1. quæst. 7.

Springerius Catholico conatu, amoris utriusque differentiam constituit, hæc sunt illius verba: *Quod si pulcram & honestam uxorem odivit, & meretricem ad infamiam usque deperivit, hoc occultum efficit maleficium; secundo, si nullo humano artificio nec solertia, ab amore abducetur; nec carcere, nec plagis, nec exilio; nec tandem ulla confusione, aut infamia; nec suorum strage & vituperio; tertio, si absque deliberatione irruit in amantem, nec ullo advertitur præjudicio; sed intrepide ruit, pericula illudens, rerum asperitatem aque diu ac noctu; ut ad libitum meretricis feratur,*

tur, velut absque retinaculo navis, ad libitum ventorum; quarto, si decidit ab antiqua prudentia & judicio: & quadam fatuitate à se ipso alienatus, incedit; sexto, si gravius ad tempora urgetur; & quadam veluti necessitate compellitur; & quibusdam veluti funiculis attrahitur. Hæc est hujus singularis veneficii differentia; infra fortasse alia signa dabimus, quibus major innotescat differentia.

De Amoris remedio.

Amoris auxilia non pauca plerique scripserunt, dedit Ovidius poëtica, medici inutilia, philosophi moralia, & theologi sacra; dixit Thales Milesius, *Amori medetur fames, sin aliter, tempus, si nec his vincatur, laqueus;* Rasis Amoris remedia condemnat, ut naturæ infesta; Julius Capitolinus, Plinius, & Celsus de humano sanguine, barbarum & impium tradiderunt auxilium, quod merito damnat Tertullianus, ut dæmonum perstigium: suspectus in fide Pomponatius, ad magica confugit, ut est herba Promethea, hirci recens urina; & polluta rubeta; virga lupi, & alia: lustrationes magicas plerique tradiderunt; in veneficii tandem suspitione Catholica Ecclesia Romana, exorcismos & benedictiones deputavit. Hæc sunt securiora, quia imperiosa veneficii.

Avic. Fen. 1. can. 3. Paul. lib. 3. cap. 17.
Capitol. in vita Antonini.
Plin. lib. 28. Nat. hist. 1. & 28 cap. 32. & 39.
Cels. lib. 3. cap. 23. & 14.
Tertul. in Apologetico.
Pompon. de Incant.

Pleraque tamen ex arcanis naturæ, variis experientiis confirmata, Medici auctores tradiderunt. Ut singulare & rarum, commendavit Schenkius quod sequitur: ℞. unionum Hyperici an. ℥j. fiat pulvis, & cum stillatione melissæ probe ad invicem commixta, tribuantur: & per aliquot dies magnetem collo suspendere, pro amuleto plerique consulunt, ut nudam cutim attingat: anatis maris cruorem infra alam sinistram excerptum, si ad scyphum dimidium potetur, prodesse ad amentiam amoris, testantur: Mathiolus hoc, ut mirabile, extollit; seminis herbæ paradisi ℥j. & sumatur quotidie, in scordii aut melissæ aqua. & ad 20. dies. *Est enim*, inquit, *veneficio amatorio mirabile;* Et sanatos jam pene deploratos ex illo contestatur.

STATIO VI. ARTICUL. I.

CATENA AUREA.

De Amore Platonico.

Plura in legentium gratiam scripsimus; liceat nobis etiam paululum in Amoris amænissimo campo divagari: antiquissimum se ipso, perfectum, consultissimumque amorem, Hesiodus in Theogonia dixit: & in libro de natura, Parmenides; Acesilaus Poëta cum Orpheo & Mercurio consentit, & Plato in Thimæo, in Chao amorem posuit: Chaos Platonici informem mundum dixere. Triplex apud Platonicos est Chaos; primum est Deus: secundum anima corporis universi: tertium, amor, quo copulantur omnia: Peripatetica cum Stoica secta, ut in multis dissentit, sic & in hoc conveniunt; ut sit amoris finis delectatio, in amante ex ipsa re amata; inde Plato, *Monas*, dixit, *genuit Monadem, sola sui cognitione, & per amoris reflexionem processit spiritus coæqualis, ita ut*

Dialog. Alcibiades, seu de Nat. hominis.

A *Vnicus in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda sit.* Hanc causam causarum Aristoteles dixit; quoniam mundus se ipsum non produxit, sed creatus est ad exemplar illius primæ causæ; ideo forte productum ab æterno, æstimavit; nam cum in se ipso summum intueretur bonum, summam pulcritudinem dilexit in seipso; ex quo, ad imaginem sui, produxit universum, & hominem. Illud est argumentum hæc esse ab amore producta; quia dixit, *& erant valde bona;* hoc est sua pulcritudine adornata; nam bonum est universi B mensura, & delectabile objectũ voluntatis. Hæc sunt Platonis verba in Dialogo Alcibiades, seu de natura hominis: *Qui animam intuetur, seipsum noscit, si in eum præcipue locum animæ, in quo inest virtus animæ, sapientia, intuetur; est insuper hoc aliud divinius, Deus scilicet, & sapientia: quæ si cognoscit, seipsum prorsus cognoscit: & delectatione suammet pulcritudinem; dilexit: quoniam amoris finis est partus ipsius pulcritudinis, & sic dilexit suammet pulcritudinem, in ipso universo, ex quo omnia in circulum produxit, à seipso qui est rerum principium & finis. Cum er*C*go mundus*, dixit postea in Thimæo, *genitorum omnium pulcherrimus sit, & ejus auctor causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplar; sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola comprehendi potest, & immutabile permanet, ex quo efficitur, ut necesse sit, hunc mundum alicujus esse simulacrum: rationem vero originis naturaliter explicare difficilimum est;* hæc Plato. Nobilius spectaculum fortasse in hoc orbis theatro, nostra Philosophia non vidit; & certe videtur divinam consuluisse Pag. Vet. Testam.

D Duo ambit media hic circulus, est alterum à principii puncto, ad punctum qui longissime distat, opposita distantia, ad medium nempe talis circuli: æque distat secundum, cum incipiat medium à puncto illo distantissimo, usque dum revertatur ad principii punctum circulariter: cum ergo summus artifex sit circuli principium, & finis, illius erit medium, descensus usque ad summum infimi, à summa perfectione distantissimum.

Incipiat ergo circulus ab illa prima causa, & E ente perfectissimo; ex illa primo oritur angelica substantia, per gradus ordinatim à majori ad minus: hinc natura cælestis per gradus successivos, ab Empyreo ad undecimum lunæ: & ab illis ad nostrum inferius universum, usque ad chaos ultimum; seu materiam primam; omnium substantiarum imperfectior, & quæ à summa perfectione, & pulcritudine, è diametro distat: est enim summa perfectio, purus actus, & illa pura potentia; & hic terminatur primum circuli medium; illorum entium qui à summo opifice F per gradus oriuntur, ad materiam primam, ab omni actu essendi destitutam.

Hinc pars secunda incepit hujus perfecti circuli, à minori ad majus; nempe à materia prima, usque ad elementa, & ab illis ad mixta, & à mixtis ad plantas; & hinc ad animalia, & ultimo ad humanam naturam: ac in homine ipso, ab anima vegetativa ad sensitivam, & ab illa ad intellectualem: & in ipsis intelligendi actibus, à minori intelligibili ad majus, ad summum usque intelligendi, ac tum divini & supremi intelligibilis; ultimum unitivum, non tantum cum natura angelica, sed me-

dio illius cum illa suprema pulcritudine: unde circuli hæc secunda medietas, per entium gradus ascendendo, in ipso divino principio terminatur, ut in ultimo fine, circulum gradualem omnium redintegrando entium, summa perfectione.

ARTICULUS II.

Amoris circulus & catena, ad illius similitudinem expenditur.

Parem perfectionem inter amores circulus æmulatur: per productionem in prima parte circuli; & per reductionem secunda: cum incipiat ab ente perfectissimo, & summæ pulcritudinis exemplar, veluti à majori ad minus, & ad infimum chaos, scilicet ad materiam primam, quæ terminat primam circuli partem, quo in puncto est ortus: & pars secunda circuli, à minori ad majus, sed per reductionem ad punctum à quo prius incœpit.

Quoniam amor oritur ut à suo principio, à primo auctore universi, ac ab illo descendit successive, à majori ad minus, à summa perfectione ad imperfectam, & à majori pulcritudine ad minorem: pulcritudo enim in illo summo ente, communicandi se veluti desiderio parturit, & communicat suam perfectionem per gradus entium successive, tam in mundo angelico, quam in cœlesti mundo, communicando paternam pulcritudinem, ad captum & mensuram capacitatis entis; postea in homine, à gradu superiori animæ, ad infimum materialis actus: deinde sub hoc ordine, in bruto, in planta, tandem in elemento, quo ordine descendit illud circuli medium usque ad summum chaos, & imperfectionem infimi gradus entis.

Ab hoc incipit ascendere inaspectabilis ille amoris circulus, à secunda ipsius medietate ab inferiori ad superius, & ab imperfecto ad perfectius, ut attingat ultimum suæ perfectionis possibilis, & suæ pulcritudinis supremum; quoniam materia prima naturaliter appetit formas elementares, ut se perfectiores, & in illis amat majorem pulcritudinem: formæ elementares appetunt mixtas: & illæ vegetabiles, hæ sensibiles; ac istæ amore sensuali, formam intelligibilem; & intellectualis spirituali amore actum intelligentiæ: ac ideo corpus informat mirabiliter nexu inaspectabili; nam ab hoc intelligibili minoris pulcritudinis ascendit ad pulcriorem intelligendi actum; usque ad ultimum, & summum, summi intelligibilis, ex ultimo amore & purissimo, illius supremæ pulcritudinis, ut cum suo principio uniatur; quod naturaliter appetit rationalis animus, profugus & implicatus in hac confusione universi, quo perficitur circulus amatorius velut catena aurea; in summo bono, & pulcro & dilecto, hoc est in primo & ultimo creatore.

Quare prima ducitur hujus circuli pars à suprema creatoris pulcritudine, sed per medium exitus productivi; pulcherrimum enim producit minus pulcrum, desiderio communicandi se, ut suammet intueatur pulcritudinem, veluti in speculo, cujus reflexu multiplicatur amor; nam idem amor postea producit, & producitur, à majori ad minus, quodam veluti perenni desiderio, ut sit medium, & causa suæ productionis.

Ast sicut in alia media parte circuli, à materia prima fit ascensus usque ad summum pulcrum, sed per reductionem ad principium; per modum ascensus perfectivi; ab inferiori ad supremum, ut ultimam consequatur pulcritudinem, per gradus entium successive; sic pariter in amore fit ascensus, in hoc circuli medio, ab inferiori ad supremum, ut summam etiam consequatur pulcritudinem, ac perfectam illius unionem; ut in suo altissimo perficiatur fine: nam est finis amoris delectatio, sic gradatim ascendit successive, donec consequatur unionem per medium intellectualis & creatæ naturæ cum summa pulcritudine, in qua inest summi boni fruitio per medium altissimi amoris, qui nexum & unionem producit universi cum suo creatore; quo rerum conspiratio concatenatur in aurea catena.

Ac ideo nulla est tam barbara nationum, hoc insito & ingenito amore destituta: in hoc enim sita est omnis perfectio universi, & ex hoc pendet illius conservatio; nam sic omnia entia universi, & amore ascendunt & descendunt; & mutua & amica conspirant sympathia: quoniam id omne quod exivit ab illa purissima & divina unitate productum, illud etiam per reductionem universi, ad unionem unitatis revertitur; qua totum ut in centro perficitur: ideo communis & particularis amoris delectatio, in ipsa unione consistit; nam delectatio est idem realiter quod unio; seu fruitio amantis cum amato.

ARTICULUS III.

An amor terminetur in amante, an in amato.

At sub quadam peculiari differentia mortalis amor terminat delectationem; quoniam dum fruitur, lucratur aliquid de bono alieno, sub quodam affectu delectabili, qui antea non erat: ideo talis amor in amante terminatur, non amato. De hoc enim amore est illa Platonis sententia in Convivio, ut qui fit per antonomasiam verus amor: quoniam alter quem terminat amatus, potius dicitur amicitia, si non benevolentia.

Amor ille à Platone *pulcritudinis desiderium* definitur; qua definitione patet, divinum, non comprehendere amorem: quoniam qui optat pulcritudinem, pulcritudine caret; & omnes perfectiones in Deo sunt, in summo: forte quis Bonum sub hac definitione comprehendet, discrimen, non advertens inter Bonum & Pulcrum: potest enim bonum, & sibi & alteri optari: pulcrum socium, sicut regnum, non patitur, nam sibi soli coërcet desiderium: ideo forte Carneades, *regnum solitarium*, Pulcritudinem dixit: pulcrum enim peculiari energia mentem allicit: est ideo pulcrum illi, & non alteri; nam alius alio modo & suopte ingenio quisque terminat: Bonum autem est omnibus commune, omnibus, dico, qui sani sunt judicii, & serii, & frugalis etiam voluntatis; nam ab ægris, *dulcia, amara* reputantur.

Aliter amorem definit Aristoteles; *Est boni desiderium*, inquit, *sibi, aut alteri*: Qui non tantum terminat amantem, sed amatum, ut etiam divinum

num amorem comprehendat: quo à Plat. differt. Hæc ideo est nobilior definitio: nam primus finis & ultimus agentis, est quocunque in opere delectatio; fruitio boni: si non ultima & propria, fœlicitas; quoniam illud bonum quod amico desiderat, aut amato, non est tantum ut amicum oblectet, sed ut in illius fruitione complaceat: est enim amicus *Alter-ego*; ac ideo bona utriusque sunt communia; nam quod optat amico, sibi optat; quoniam *amici anima magis est ubi amat, quam ubi animat*; si est amor reciprocus.

Pulcrum vero est quoddam bonum; sed est etiam pulcritudinis soboles; *bonum* enim absque illa non est *pulcrum*; & *pulcritudo* est quædam gratiosa animi delectatio, cujus illustrata cognitio provocat ad amandum, ac ideo illud bonum quod amare non provocat, non est pulcrum.

Non est æternus amor creati entis; cum fiat à principio productivo, quoniam amans amorem antecedit, veluti agens actum: nam amando producitur: sed amatus est prima causa generans, & amorem producens in animum amantis: amans vero est causa materialis, & recipiens amorem ab amato: quare pater amoris, est amatus, quod illum in amante producat: mater vero est amans; quod fœcunde concipiat ab amato, ut patri simillimum parturiat; quoniam amatus primam amoris terminat actionem, ut generans principium, ut formalis amoris, & ut finalis causa.

Ac ideo amans, quatenus amans est, est amato inferior, ac amatus non tantum amanti est superior, sed adhuc sibi ipsi, dum amans.

Illud tamen huic altissimæ obstat philosophiæ, quod Plato in symposio dixit, quod amans amato est divinior; eo quod amans divino furore concitatur dum amat; operatur enim Deo plenus, extra se positus, & à mente alienus: sed dii amatis propitiantur amplius, ac illis altiora præmia largiuntur; cum ob amantes ardua patiantur; aliter ac amantibus, quantumvis egregia, & pulcra tolerent pro amatis.

in Platonis convivio.

Alcestes Pelii filia pro marito amans moritur: *Quod facinus*, inquit Plato, *non ab hominibus tantum, sed à Diis præclarum æstimatione fuit: in quo Cytharædum Orpheum superavit: & quod maximum est, solis amatoriis perjuriis Dii dant veniam; itaque tam Dii quam homines, omnem amanti licentiam præstiterunt, ut lex nostra testatur: Achilles etiam moritur pro amante; sed licet Dii Alcestem suscitaverint ab alto lethi somno, & dignam divinis honoribus æstimaverint,* insulas *tamen* beatas *colere non dederunt; quod sane permiserunt Achilli; qui pro amante moritur.*

Illa Platonis verba in persona Phœdronis referuntur, juvenis & amantis: hic enim amorem coluit, ut Deorum pulcherrimum, & invictæ potentiæ, ac ideo adamare pulcherrima; & cum amor in amante subesset, veluti in subjecto gentilitio, atque in cordis centro, ideo dixit Phœdrus, quod amans à divino amore, quo ipse possidetur, est amato divinior; qui amore non uritur, nisi tantum in amante causaliter; ex quo filius magnæ Deæ furorem influit in amantem, non vero in amatum: & hæc est certe ratio, quare cumulent Dii honoribus Alcestem.

Hæc tamen Phœdronis Philosophia, neque Socrati placuit, neque nobis arrisit: Socrates enim cum contra Agathonem arte oratoria celebrem disputaret; (qui etiam amorem, ut Deorum pulcherrimum colebat:) *Amor*, inquit, *non est in numero Deorum, nec ulla est in eo pulcritudo, quæ Diis est coæva, vel ab æternitate; amor enim est sola pulcritudinis cupiditas, & in hoc desiderio defectus adnotatur: & excludit cupiditatem possessio.* Ideo dicit Socrates, *hic amor non est Deus: sed magnus certe Dæmon inter Deos & homines, non ut Dii, formosus, nec ut homo, deformis, sed medius inter duo extrema: quoniam qui desiderat, licet non sit in actu, hæc res desiderata est saltem in potentia, & ita pulcritudinis amor est certe formosus in potentia, non in actu, ut sunt formosi Dii.* Quare amoris divinitas in amato consistit, non amante; quoniam amatus est in actu formosus, & amans in potentia; qui licet ob amoris affectum, divinum promereatur nomen, non ideo in numero Deorum, ut amatus, qui in amantis mente veneratur, alta contemplatione intuetur ac ut Deus recolitur, ac illius pulcritudo ab amante, divina reputatur, ut nulla alia jucundius satiet voluntatem.

Quare amatus, excellentia & causalitate principii, & alta dignitate, præexcellit amantem: & hinc Alcestes, quæ pro amato moritur; Achilles præmio inæquali donatur, qui pro amante periit; quoniam amans necessario & ex amoris sorte, amato ut Deo famulatur; huic servit illectus, mori & pro illo tenetur, ipso amoris jure; si est amor altius radicatus, & residet in corde, quoniam animam jam informat amati, in quo prorsus tota ejus fœlicitas consistit, & jam, non in seipso; amatus autem est semper ab hoc vinculo liber, neque mori tenetur; & si forte appetit, & pro amante mori, ut Achilles, hic actus est puræ, & absolutæ libertatis, qui divinius præmium promeretur apud Deos & homines: & hinc Achilles ad *Campos* remeavit *Elysios*; si non dicimus quod reflexione repetita, mutuus in amato reduplicatur amor, adhuc post amantis discessum, quo tam egregia facinora patratur: & hinc fortasse crudelis consuetudo gentium emanavit, ut uxor, eodem defuncti rogo mariti cremaretur, quod viguisse apud patrum memoriam inter nostros Orientales Indos historiæ testantur.

ARTICULUS IV.

An amor defectum præsupponat, & an cognitionem.

Amor defectum arguit in omni creatura, licet spiritualem non excipias: hic est homini passio, animali propensio, nativa inclinatio elementis, & omni prorsus mixto insensibilis, solo in Deo passionem excludit, & defectum: est enim ille perfectissimus actus, cum summa libertate; amor enim divinus, est libera & benefica voluntas. Præsupponit cognitionem amor, unde quo altior cognitio, eo excellentior amor; ideo est in mundo angelico perfectior; prima tamen amoris incitatio, (verius causalitatem dixeris) est defectus pulcritudinis in amante; cognitio pulcritudinis secunda; sub umbra delectabilis; ut amoris causalitas sub utraque conditione constituatur; & fomes desiderii: amor enim in pulcritudine non consistit, sed ab illa procedit, tanquam ab objecto, ut à causalitate: nam ibi est

amor, ubi est pulcritudo, sed ordine cognitionem defectus antecedit, sicut res desiderata sui præsupponit notitiam, quoniam prius deficit, quam ejus defectus agnoscatur: at licet defectus sit prior prioritate temporis & originis, est tamen in excellentia posterior; nam defectus absque cognitione amorem non inducit: nec adhuc boni & pulcri desiderium: ideo hebetiores & stolidi ad conspectum electæ pulcritudinis, non tantum non exardescunt, sed ne modicum quidem calefiunt; stimuli amorifici incapaces.

Si vero defectui pulcritudinis accedat vera pulcri cognitio, hæc, ut præcipua, amorem cæco igne accendit, quo irruit in pulcrum impetu, aut moderatione, prout ratio, aut appetitus vincit; exuperat defectus aut cognitio; cum ergo angelicis sphæris sit cognitio superior defectu, ibi amorem genitum nobilem, & purissimum esse, fas non est dubitare; potius quam in hoc universo, ubi defectus cognitionem superat.

Ergo saltem in angelis, dicit aliquis, sola pulcritudinis cognitio sat erit ad amandum; & si etiam effectus illius prærequiritur, erit amor remissior in angelis, in hominibus autem intensior; ubi major adnotatur defectus, cum omnem excellat angelus creaturam.

Æquivoco laborat hæc instantia, quoniam alia cognitio habitum præsupponit; alia est cognitio in potentia rei illius cujus defectus adnotatur: sed illa est excellentior pulcritudo, quæ se ipsam agnoscit, & ille altior cognitionis actus, qui circa propriam versatur pulcritudinem: hæc enim nullum præsupponit defectum, sed habitum ipsius pulcritudinis, quod est objectum talis cognitionis: & hoc amoris desiderium, non inducit nisi reflexione relativa in se ipsam.

Sed est alter cognitionis actus, cujus non est objectum pulcritudo, illius nempe qui agnovit defectum in se ipso, sed illius deficientiæ cognitio; nam hæc appetit perfici, & amorem producit in hoc inferiori universo: illa tamen habitualis & perfecta cognitio, licet minimum defectum præsupponat, est altior, & intensioris amoris productiva; quoniam est cognitio in actu clarior, & omnium perfectionum gnara; nec à corporis nube impedita: est ideo in homine, amor longe remissior; propensio in brutis multo minor; & ad proportionem, elementis, & mixtis; quanto minus nobilia.

Illa enim cognitio, propensio sive nativa inclinatio, tantum conducit, ut tendant ad perfectionem naturalem, nulla cognitione præsupposita; nam hæc actio est potius naturæ, quam agentis: & sic plantæ, cum sint procul ab omni pulcritudine, & à cognitione, naturalem perfectionem appetunt: animalia autem, quibus major adnotatur defectus, quam hominibus, quia minor cognitio, minimum obtinent desiderii & amoris, quia in illis nulla licet desideratæ pulcritudinis cognitio: & sic tantum ad nativam proritationem cupiditas intenditur; hoc est ad sensitiva; non intellectualia: in hominibus autem, ad intellectus gradus partitur pulcritudinis & perfectionis desiderium, & amor: obtusis & hebetibus minus; & his quo major est defectus, cum omnino cognitione careant, est remissior amor; qui vero sunt altissimi ingenii, quo acriores, eo amplius flagrant, & ardentius amant, ad pulcritudinis reflexionem; ideo forte Pythagoras, Philosophos *amantes sapientiæ* vocitavit, eo magis quo penetrant profundius: qui quanto majorem distantiam agnoscunt, tanto magis inhiant ut ascendant: sapientia enim longe nostrum in latitudine & profunditate superat intellectum; ac ideo illius delectatio nullo ingenio satiatur; nec labore quiescit.

Et hinc accidit, ut licet in hoc universo non sit clara cognitio Divinæ & Supremæ pulcritudinis, illa nihilominus diligitur, ob repræsentationem specierum, quas valet intellectus comprehendere, & voluntas amare: quoniam Divina pulcritudo non intuetur, nisi ab intellectu actuato, & ab omni materia abstracto, quod est capax speculum divinæ pulcritudinis. Sed talis intellectus non est inter mortales. Homini enim tantum inest intellectus in potentia, ut qui, sensuum beneficio, essentias corporeas transcendat; & adhuc infusa sapientia illustratus, per corporeas ad illas ascendit incorporeas, & per illas transcendit ad primam motus causam: sed est illud, res incorporeas intueri veluti in speculo; & res abditissimas per effectus cognoscere: directe enim nemo potest mortalium divinam essentiam intueri.

Sed quanto excellentius est objectum, tanto crescit cognitio, & illa copulativa unio finitæ mentis, ad illam infinitam pulcritudinem, ex amore & pulcri desiderio: ob illum qui agnoscitur defectum, tam magnæ pulcritudinis, usque dum perveniat ad contemplationem unitivam.

Quare amor, seu illa naturalis voluptas, non est ad manifestum impossibile; & si eo intellectus & voluntas inclinat, possibilitatis sub ratione, tendit; nemo enim desiderat in cœlum advolare, nec manibus stellam comprehendere, licet defectus, & clara pulcritudo agnoscatur: sunt enim cognata, spes & desiderium; nam *animus amantis in spe delectatur*: & defectus cognitio concitat desiderium, & amorem accendit ad ultimam fruitionis metam.

Hoc clarius constabit, si attendas quod amorem intellectualem quatuor conditiones in suo esse perfectivo constituunt: nempe ut sit pulcritudo in amato: secunda, pulcritudinis in amante cognitio: tertia, defectus illius pulcritudinis in amante in actu vel potentia: quarta, possibilitas in consequutione, quæ in spe consistit. Divina pulcritudo, Averrois sententia, per gradus impartitur in hæc inferiora; à prima primi orbis intelligentia usque ad humanum intellectum, qui est ultima: & in hoc universo per omnia gradatim ad materiam primam, quæ formas ita amat perenniter, non tantum existentes, sed possibiles; sicut orbes cœlestes, qui indefesso motu appetunt, & adorant pulcritudinem, & ad fruitionem in circulum perenniter moventur. Cujus amoris fomite hæc materia prima, sub varia receptione, & continua generatione inhiat incessabili, usque ad orbis finem, quo in aurea amoris catena finis annectitur principio: ut hinc pateat, amorem universi, ab angelico orbe originem traxisse.

A R-

ARTICULUS V.

Platonis fabulæ altissimæ diorismus.

Et hinc patet, divini Platonis divinæ fabulæ diorismus: *Quando illa fatidica Dyothima* (inquit) *amorem, dixit ex Copia & Inopia genitum, altæ alludit fabulæ, qua Dii convenerunt, ut Regium celebrarent convivium, natali magnæ Veneris, cui accessit Penia, Necessitatis dea, quæ ad fores pulsabat, tristis, egena, & inops, ut quid de nectare divino manducaret; cum egreditur Porus, juvenis electæ sane indolis, (qui filius Consilii intelligitur) de illo tecto Regio, & convivio: sed jam inebriatus, ideo & à somno superatus, proximo viridario obdormiscit; cui accessit Penia, & Amorem concepit, quem dedit feliciter in lucem.*

Illud quod dicebamus antea, nos hæc fabula docet; ut Dii (hoc est Deus, alias leguntur cœli,) nempe ab Empyreo cœlo inaspectabilem producant pulcritudinem, in nostro corporeo universo, at semper sui similem; liberaliter influunt, veluti in convivio pulcritudinis; cui forte aut consulto accessit potentialis materiæ necessitas; (quod est idem quod Penia necessitatis Dea) insatiabili appetitu formarum; & altissimæ & divinæ perfectionis: cum Porus, seu filius *Consilii*, qui est influens intellectus, inebriatus, hoc est Idearum fœcundus, & capax divinarum formarum, has mundo inferiori corporeo communicare nititur, & amorem producit, & communicat.

Quare autem perennis generatio tam intimo & profundo intendatur affectu, ab utroque parente, est in duplici fine: aut enim est productiva cupiditas similis pulcritudinis, aut immortalitatis desiderium; quoniam, cum natura, ut dixit Aristoteles, in peculiari individuo nequeat conservari; necessario intendit generationem sui similis, ut in continua successione perennet immortalitas. Hanc rerum perennem generationem, *Catenam auream* Homerus vocitavit, præter solem, ut in Platone legimus: ac ideo generati Parentes appetunt subsistentiam genitorum, & suæ anteponunt, ut in illa perennis & æterna memoria, nullo sæculorum cursu oblitteretur. qui certe appetitus indelebili charactere in anima immortali inseritur; quæ prægnans etiam virtutis pulcritudine, & intellectualis sapientiæ, partus appetit, similis pulcritudinis, per hos virtutis actus, & per habitus nobilis sapientiæ; quoniam in horum vera successione, immortalitas comparatur altissima, superior nobilitate, & substantia, illa, quæ à corpore animata, in simili & perenni animalium generatione consequitur: nam sub hac generatione, perenni pulcritudine fruitur. quæ solam intellectualem sedem habitat; & exornat, quam vulgus non agnovit; nam sicut cæci non judicant de vividis coloribus, sic intellectu cæci, de spirituali pulcritudine non discernunt; nec illa ideo delectantur: non enim delectat pulcritudo, nisi perfecte nota.

Dial. Theætetus, vel de scientia.

Et si sola corporea pulcritudine, quæ est cœlestis umbra, animus usque adeo delinitur, ac illa potentias inebriatas velut rapit in exstasim, & quadam voluntaria violentia ad se ipsam convertit, ut fere ablata libertate totum hominem rapiat, ut amans in amatum convertatur, ut in se ipso non vivat, sed in illo: quid non alliciet divina pulcritudo, & intellectualis? ardentissimos certe concitaret amores, si quid tale ipsius simulacrum, manifestum oculis, proveniret; aut si quis forte dignus haberetur spiritus spiritualem intueri pulcritudinem.

ARTICULUS VI.

De Amoris origine & genealogia.

In Amoris Genealogia, Cadmice nobilis vetustas decertavit. Tam Græci, quam Latini Poëtæ divinis honoribus coluerunt Amorem, & inter Deos dicaverunt altaria. Ex variis parentibus genitum tradiderunt, sub Amoris aut Cupidinis nomine. Cupidinem puerum alii effinxerunt, corpore nudum; & oculis ligatum: arcus à cujus pendet humero, & sub femore Pharetra, trisulcis inauratis sagittis adornata; à Venere & à Marte progenitum: à Venere, absque ullo parente, dixerunt alii, ut effrenem designarent libidinem, absque fræno intellectualis rationis quæ parentis vicem gerit: per Venerem & Martem, denotant Amorem delectabilem; quoniam dum sub hominis ortu, hi duo Planetæ mutuas tradunt operas, in ardentium libidinem inclinant: Venus enim fœmineus Planeta, abundantem & digestam præstat humiditatem; Mars vero, sub calido influxu, prurientem calorem, quo Venerea consistit incitatio; qua illecebra concitatur voluptas.

Alii Cupidinem Dianæ & Mercurii filium effinxerunt, sed alis exornatum, ut cupidinem divitiarum adnotarent; quoniam utilitatis amor, homines solertissimos reddit, & veloces: *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames.* Et hi sunt excellentes in hac cupiditate, quibus simul influxit ascendenti, & Luna & Mercurius; Mercurius enim subtilitatem influxit, ut etiam rerum intelligentiam; Diana vero, divitiarum fœlicitatem influit.

Tres amoris species Vetustas observavit, *delectabilis, utilis, & honesti.* Poëtarum tamen nobiliores, *delectabilis* & *utilis* tantum genealogiam detulerunt; Cupidinem enim extra metas rationis flagrantem, inhonestum dixerunt, qui omne moderatum excludit; quod æque invenitur in illo *delectabili* ac *utili*; non tamen in amore *honesto*, frugali, moderato, ad metas rationis coërcito: in hoc enim nullus observatur excessus.

Alii Amorem, Noctis & Erebi filium, dixere; at isti de amore in communi loquuntur; cum sit animæ passionum primogenita passio: Erebum enim, Deum animarum, & omnium passionum confingunt, & omnium potentiarum naturalium: est enim Erebus idem quod inhærentia, & animæ & corporis potentia; quæ æque ad bonum, vel ad malum inclinat; & quod sit prima & validissima animæ passionum: ideo Erebi primogenitum designarunt, Amorem: ac illi postea in filias dederunt cæteras animæ passiones, quæ amorem sequuntur.

Matrem Amoris ideo dixere Noctem, quod Amor à privatione oriatur; à pulcritudinis nempe defectu, cum inhærentia ad ipsam pulcritudinem; est enim nox lucis & diei privatio.

Amorem ultimo coluerunt hominum vetustissimi; ut magnæ Veneris & summi Jovis filium,

lium, quem geminum dixerunt, & illum Plato singulari energia, expressit sub *Androgyni* fabula, quam longum nimis esset in præsens recensere; per illum amorem honestum voluerunt intelligi, ut qui ad metas rationis consistat, in omni re corporea utili, aut delectabili, quod cernitur in divitiis comparandis, seu quavis alia animi passione; quarum moderatione honestus consistit amor, seu circa rem corpoream, seu intellectualem.

Sed illud est hujus passionis mirabile, ut honestum illius in amore flagrantissimo luceat; nam ejus in honestum est nimis tarda remissio. In patrem ideo illi dederunt Jovem, quoniam honestus amor est divinus, cum sit finis illius pulcritudinis, altissimi Jovis contemplatio. Est mater magna Venus, non qua libidinosa, sed voluptatis parens, & qua intelligentia honesti desiderii, pulcri, & intellectualis, velut uxor quæ amat mariti pulcritudinem, ut pulcri amoris & honesti causalitas; & in vera Astronomia, Jupiter & Venus in aspectu benevolo, aut suo ascendenti, est fortuna major super ortum, & influunt commixti, benignitatem, fortunam, & amorem honesti; & uterque ad virtutem inclinat; nam in rebus corporeis Venus influit desiderium, & Jupiter honestum, ut amoris parentes.

Geminum ideo effinxerunt Amorem, dixit Plato, quod ut refert Pausanias, ut sunt duæ Veneres, ita duo Amores; est una Venus, magna, cœlestis, & divina, cujus est filius ille *Honestus* Amor; alia Venus est libidinis parens, & omnis solutæ voluptatis, in virtute inferior, sed non in passione: cujus filius est inhonestus, libidine effrenis: & hæc est gemini Amoris Διάνοια ex peculiari intellectus synæresi.

Alii geminum de solo Amore honesto protulerunt, filio magnæ Veneris, & altissimi Jovis: nam hic honestus amor, non tantum paciscitur potentiis corporeis, sed spiritualibus, ac ideo est geminus: in illis ob moderationem, in istis, quod in immensum crescat: ac in utroque honesti rationem sortitur: quoniam, ut dixit Aristoteles, *omnis sapiens est bonus, & omnis bonus est sapiens*; ut ita sit geminus simul, corporeus, & spiritualis: quod ideo convenit honestæ amicitiæ, dixit Tullius, quia semper reciproca: nam in duplici anima, solus unus est amans & amatus; quoniam anima, animæ amantis est veluti in centro in amato.

Ideo in prima orbis creatione, cum Altissimus procreavit Adamum, dixit sacer Historicus, masculum & fœminam procreasse, antequam Deus educeret Evam de latere Adami: quoniam honestus amor, est geminus in diversis potentiis, unitus in principio: ideo forte serpens ille antiquus, ut deciperet Evam, expectat ut à latere Adami separetur; quoniam, amoris unitas in hac duplicitate non ita facile superatur, sicut divisus amor, inhonestus, impurus: peccatum ideo divisio induxit.

Per hæc Plato, omnium propensionum & amorum originem induxit inter mortales; ac partem intellectualem patrem dixit, corporis inferiorem matrem; inter amores, angelicus certe gigantisat; deinde qui crescit inter virum & fœminam in hoc inferiori universo; ac postea ab iisdem parentibus rerum omnium amores inseruntur; prout conducit huic mortalitati.

Sed hic honestus amor tripartitus elucet; est enim aut intellectualis honestus absolute; aut in primis parentibus in statu felici Paradisi, inter virum & fœminam; aut omnino corporeus, sed prorsus necessarius sub delectatione; quem etiam honestum reddidit moderatio: qui inter res corporeas invenitur, dum rationi appetitus obsequitur; ut observatum olim inter primos parentes, vita in communem utilitatem deputata.

Aut est effrenis amor, ut brutorum habenis concupiscentiæ laxatis, qui habitum contraxit in peccato, & in mutua fluctuat repugnantia inter partem superiorem & corpoream.

Socratis Magistra, Fatidica Dyothima, altissimam rerum cognitionem, amoris primum parentem dixit, defectum, seu pulcritudinis privationem, matrem: re vera tamen, amoris in communi pater, est omne pulcrum, mater vero, ipsius pulcritudinis cognitio: ex his enim duobus amor oritur, ut à primis parentibus: nam in intellectu cognita pulcritudine, ubi novit defectum, amor in continenti oritur; quare pulcrum est pater, & productor amoris: mater autem, mens amantis, illius pulcritudinis fœcunda; prægnansque femine pulcritudinis, quod est mentis exemplar, quo ad pulcri unionem conflagrat, ad generationem sui similis; quoniam licet in mente intueatur pulcritudinem, appetit pulcri unionem, quæ deficit in mente; unde oritur pulcri intensus amor: nam forma in mente jam impressa, ad imaginem sui concitat desiderium, sicut fœtus prægnantem, ut edatur in lucem, non tantum in intellectu, sed in sensu.

ARTICULUS VII.

A quo principio dimanat corporis pulcritudo.

Pulcritudo quæ cernitur in rebus corporeis universi, est quædam lux divina, quæ dimanat à forma, quæ informat materiam informem: sed non omnia inferiora corpora informat uniformiter; nam aliis partem deformitatis adimit, & cæteris dimidium, sed per gradus in omnibus; quoniam quanto forma aptius comprehendit materiam, pari naturæ magisterio, ac materiæ patibilis obsequio, materialem deformitatem adimit; & tanto magis illustrat pulcritudine corpus: & ad proportionem (quanto minus) distabit ab illa pulcritudine; ad agentis dominium seu renixum materiæ; non tantum inter corporum species diversas, inferioris orbis, sed inter illa quæ unicam constituunt speciem; sic unus hominum, hominem, suæ speciei excellit pulcritudine; & cæteras species animantium.

Quoniam essentialis forma hominis, & actu & potentia super materiam altius dominatur, & sic maculas deformitatis adimit; & ex illo principio forma, quæ melius informat partes, per potentias quas imperio regit, veluti penicculo ad exemplar delineat, ut aptiores fiant, & pulcriores, & inter se & majori proportione in ordine ad totum; & intellectualiter ordinatæ, & propriis operationibus, & finibus dispositæ; totum & partes apte vivificando seu similes, seu inter se diver-

diversas, ejusdem seu generis diversi, intra metam naturæ gentilitiam, ut sit totum perfecte informatum & unum; ex quo illi resultat pulcritudo.

Si vero materia nobili informanti non obsequitur, non potest forma, quantumvis nobilis, sibi partes intellectualiter unire, & ad totum disponere, nec ad aptam pulcritudinem agere; sed loco pulcritudinis generatur deformitas; manet enim materia, sub coæva sibi deformitate, ob inobedientiam delineanti formæ, quæ semper quod pulcrius intendit: quare forma necesse est ut sit pulcrior, re ipsa informata; siquidem de se pulcritudinem parit; & contrarium non potest essentialiter producere contrarium; imo producit simile.

ARTICULUS VIII.

Et à quo principio accidentia habeant pulcritudinem.

Res attamen quæ carent substantia, non carent pulcritudine, fortasse quod sint ipsæ formales pulcritudines; adest enim in luce pulcritudo, & in rerum coloribus: sed pulcri sunt colores quia formæ: si enim, ob ipsos, corpora redduntur pulcriora, tanto magis colores; *Nam propter quod unum quodque tale, & illud magis*: est Philosophiæ axioma, & principium: ideo forte lux est omnium sublunarium pulcherrima, eo quod & colores, & corpora omnia sublunaria, & cœlestia, mira pulcritudine illustrat; cum illa sit forma corporibus abstractis, licet corpora illa non informat; si ergo lux est totius universi pulcritudo, quare & illa pulcherrima non erit? sol enim, & luna, & stellæ, in pulcritudine sunt altioris ordinis; & his omnibus est lux *accidentalis forma*: licet olim Themistius hæc pulcra luminaria formas dixerit universi; illud enim quoad generationem intelligitur, non quoad lucis formam: concurrunt enim in genere causæ producentis & formalis, dum formas de potentia materiæ educunt, quas eminenter continent; ultimam dispositionem, invisibili influxu producendo; quare sic erunt formæ potentiales universi.

At cum Sol sit parens & productor nobilissimæ lucis, quatenus luminare, ut sit etiam principium, par est, universæ corporeæ pulcritudinis, cœlestis orbis, elementorum, & corporis producti: nam à sole lucem accepit ignis, subtilis, omnium tenuissimus, miræ activitatis, ut qui magis participat de illa solis luce; in corporis substantia transpirabili; qua in formalitate cætera elementa antecellit; ut qui à nullo elementorum alteretur, sed tantum à luce patitur penetrari; si non est portio illius Solis orbis, ut ratus est Armigerus.

Quare lux est forma totius universi, quæ deformem obscuritatem adimit ab informi materia; ac ideo corpora, quæ magis participant de luce, pulcriora redduntur.

ARTICULUS IX.

Harmoniæ pulcritudo.

Est etiam miræ pulcritudinis Harmonia, quod forma spiritualis, unitiva, multarum & diversarum vocum, in unam & perfectam consonantiam sub ordine & intellectuali ratione; quoniam voces, suavi delinitæ modulamine, sunt veluti materia, & partes hujus totius, ex quibus resultat pulcritudo; nam concentus per aëream substantiam in motu positam, movet corpus, per purificatum aërem concitat spiritum aëreum, animi corporisque nodum; per affectum afficit sensum, simul & animum, per significationem agit in mentem; denique per ipsum subtilis aëris motum penetrat vehementer; per contemperationem lambit suaviter; per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit; per naturam, tam materialem, quam spiritualem, totum simul rapit, & sibi vindicat hominem; est enim musica consonantia, ex gravibus & acutis vocibus talis comtemperatio, ut una quædam forma ex pluribus resultet, quæ dicitur Harmonia: quæ ultra vocalem virtutem, consequatur insuper vel ipsam cœlestem, ut æstimavit Jamblichus Platonicus.

Ideo sane Democritus, Pythagoras, & Theophrastus judicarunt, quod certis concentibus & melodia, tam corporis quam animi morbi mederentur: & hinc fortasse ortum est, veteres aliquos Sapientes, in idem scilicet Apollineum numerum, tam Medicinæ quam Musicæ originem, retulisse: utraque enim medicina est; sed altera quidem ex corpore animam, altera vero ex anima curat corpus; si verum est quod Galenus asseruit, *quod animi mores corporis temperaturam sequuntur.*

ARTICULUS X.

Orationis pulcritudo.

Orationis autem pulcritudo etiam in melodia consistit; quæ ex tribus constare dixit Quintilianus, oratione, harmonia & rythmo. Est Harmonia spiritualis pulcritudo, sub perfecto ordine unitiva, multarum & diversarum vocum materialium, in articulatione dialectica, in perfecta & intellectuali unione; ita ut cætera corporea excellat pulcritudine; quod in bene articulata oratione patet. At in rhythmo præcellunt orationem carmina; quod Deorum inspirato furore consequi Plato dixit; quoniam illa ratiocinantis rationis & intellectualis pulcritudo, sub ordine, numero & rythmo longe omnem corpoream excellit pulcritudinem; nam hæc est forma spiritualis, quæ in ordinem & unionem redigit tam multos animæ & diversos conceptus; tam rationales, quam sensibiles; de cujus pulcritudine participat intellectus pulcritudini aptus.

Et hæc est perfecta idealis in mente pulcritudo, quæ corporibus datur, quæ etiam arte perficitur; sed illa ortum traxit ab spirituali universo, per formas nobilissimas: & est ab illis in corpora transfusa; forma enim, seu illa formalis pulcritudo, semper est abstracta à materia informi, quæ ex peculiari forte impedit pulcritudinem; ut nubes ante solem; ac ideo altissimæ virtutes, nobilis sapientia, pulcritudine excellunt, super omnia; quia arguunt spiritualem lucem aptius recipi; qua informata corpora pulcriora redduntur; contrario deformia, pro materiæ obsequio, aut renixu, formali pulcritudini.

ARTICULUS XI.

Artificis pulcritudo.

Haud minus attrahit voluntatem artificialis pulcritudo ut forma perfectissima, & pars communis pulcritudinis; (*Est enim Pulcritudo in communi, gratia formalis, quæ delectat animam, & ad amandum provocat perfecte nota;*) Illa etiam quæ artificialis, adorat quoque artificialem formam, ut principium; sicut essentialem naturalis: illam tamen tribuit humanus intellectus, ut formam naturalem divinus; & sic pulcrior existit in ipso, quam in re ipsa artifice confecta; in hac enim est divisa in partes; in intellectu, unita & perfecta; ac ideo anima pulcritudinem judicat, & illa delectatur; non auditus, non oculi: nam si sensus externi illam perfecte nossent, omnes æque noverint pulcritudinem; & non est æqualis (hac perspecta) hominum delectatio.

in Dialog. Phædrus, seu de Pulcro.

Visus enim nobis peracutissimus est sensuum; dixit Plato; *qui per corpus fiunt quo sapientia non cernitur:* Ardentes enim concitaret amores, si quod tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret; at vero pulcritudo sola hanc habuit sortem, ut maxime omnium perspicua & amabilis sit, ut, quadam veluti necessaria violentia, voluntatem & intellectum rapiat, per species à sensibus externis delatas: visus enim, & auditus, solum defert species pulcritudinis quas intellectus judicat, & diligit voluntas.

Nam omnes corporeæ pulcritudines sunt gratiæ formales: & formæ abstractæ spiritualiter, ordine unitivo, in anima mundi continentur; cujus imago est nostra rationalis anima, cujus essentia latenter continet figuratas formas spirituales, quas in illam impressit illa anima mundi, ut suummet exemplar.

Hæc latens figuratio est, quam dixit Aristoteles potentiam, & universalem præparationem intellectus possibilis, ad recipiendas & intelligendas omnes formas, & essentias rerum: quoniam, si in hac figuratione, res omnes non essent in potentia, & eminenter, nec illas perciperet sensim, nec in actu intelligeret, nec in propria cujusque existentia.

in Dialog. Menon, de Virtute.

Ideo forte Plato dixit, quod *totum nostrum scire, est reminiscentia rerum præexistentium in anima; quæ erant veluti consopitæ & obliteratæ, tempore ante-acto:* Quod est certe idem in essentia, ac illa latens potentia Aristotelis; ex quo elicimus, quod non omnes formæ, nec species, in animam refluunt à sensibus externis: refluere enim formas à corpore in spiritum, est impossibile; reservatas tamen suscitant species à sensibus impressæ: quæ faciunt illucescere formas, & essentias rerum, ante præexistentes; in potentia, in illa intellectuali substantia, quæ omnes formas continet imminenter: & erant corporis nebula obscuratæ.

Hanc luciditatem, *actum intelligentiæ* vocavit Aristoteles: Plato, *reminiscentiam*; ut utriusque sit eadem sententia, tantum diversa in diverso modo exponendi: est enim anima nostra semper formalium pulcritudinum fœcundissima; quin imo illæ propriam animæ constituunt essentiam; & si sub illa latet ille occultus modus continendi, non est ex parte intellectualis animæ, sed culpa unionis inter corpus & animam: nam totum esse animæ, est acceptum ab auctoris idea, sicut artificiosa pulcritudo ab idea artificis: ergo continet in se, saltem aptitudine proxima, perfectiones & formas pulcritudinis auctoris Idearum.

Nam licet anima & corpus non sint confuse mixta, sufficit sola unio & corporis connexio: ut essentia quæ est ordo formalium pulcritudinum, sit veluti umbrosa & obscura; quo fit, ut sit absolute necessaria repræsentatio illarum pulcritudinum, quæ sunt per corpora diffusæ, impressæ per species, ut eluceant formæ, quæ erant in anima latentes.

At cum illa tenebrosa latentia, sit diversa in anima cujusque individui, pro ut est subtilius corporis instrumentum, aut rudius; seu pro majori obedientia aut repugnantia animæ informantis: hinc alius citius & perfectius agnovit pulcritudinem, alius difficulter; ut sit penitus aliis impossibilis quod deformitas animam obscurissima caligine perfundat: & hinc alius artes, & alia pulcherrima invenit à nemine antea explorata: hinc ab homine dediscitur sine doctore virtus: alius de scientia, quam non didicit, disputat; & alieno loquitur idiomate: hinc fiunt diserti & eloquentes, homines imperiti: si præ subtili & clara melancholia aptius redditur instrumentum; quorum rara exempla in nostris *Feralis* adnotavimus. Hinc tandem alius penetrat altissima in contemplatione, quando alter in contemplatione obscuratur: *Certa & obscura ignorantia*, quæ ut dixit Plato, *dementia quadam animæ est*; quæ dum ad veri cognitionem nititur, intelligentia ipsa prævaricatur: & idem intellectus hanc novit pulcritudinem, non illam, quod ejus materiale instrumentum certa quadam proportione intellectum determinet, & voluntatem huic, & non illi pulcritudini; non est enim illa latens pulcritudinis umbra ad omnia æqualis, in hoc aut illo animo.

Dialog. Sophist. seu de ente.

Illa tamen Philosophi sententia, quod anima est ut tabula rasa, est plane in hoc sensu verissima, ut nempe anima careat omni actuali notitia, quæ datur per species corporeas, ex quo pendet actualis cognitio; non tamen de cognitione potentiali, & imminenti, seu de illa notitia pulcritudinis altius in anima impressa, quæ ad actum reducitur, à quadam veluti invitantia potentiarum, & illustratione specierum, sensuum externorum; quo in sensu verum est etiam, quod *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* quod certe de scientiis & artibus intelligimus, quæ præceptis ediscuntur & ordine doctrinæ, quorum actualis notitia, ex actuali specierum repræsentatione dependet.

Quare illæ omnes pulcritudines animæ naturales, illustratæ à sensibus externis per species, sunt illæ formales pulcritudines, quas mundi anima, (ut forma nobilissima) accepit ab Altissimo Numinis intellectu, & postea distribuit per ista individua, quæ in anima latent, & imminenter continentur, & spiritualiter.

AR-

ARTICULUS XII.

Duplex animi facies.

Hinc oritur, ut haud æque mortales oculis agnoſcant pulcritudinem, nec illa delectentur; quod non ita in amantibus accidit, qui ad amoris gradum delectantur, & amant; nam anima inter corpus & intellectum mediat; duplex enim in illa facies obſervatur: altera reſpicit intellectum; & altera corpus. Facies quæ intellectum reſpicit, eſt ſuperior intellectiva ratio, qua circa univerſalia diſcurrit, & intellectualia, & formas abſtrahendo, & eſſentias intellectuales, extra omne corporeum: & qua reſpicit corpus, eſt cognitio illa actu particularis ſenſitiva, ſeu per ſenſus externos, quæ circa res corporeas converſatur: & ad utramque cognitionem it per motus contrarios: vere tamen utraque cognitione corporeæ agnoſcuntur pulcritudines; ſenſualiter nempe & intellectualiter: & ad proportionem cognitionis harum, amor illarum in anima producitur, ex ſenſibili ſcilicet cognitione ſenſualis, & rationali intelligentia amor ſpiritualis & abſtractus.

Sed ſub hac differentia, ut alii agnoſcant ſenſibili cognitione clarius, & alii obſcurius ſub intellectuali, aut è contra: hoc accidit cum corpus animæ informanti haud perfecte obſequitur, illique profundius adhæreſcat, & aliud è contra: nam tota illorum cognitio ſubmerſa eſt in illa pulcritudine corporea ſenſibili, ſine attentione ad ſpiritualem, qua neque delectantur, nec judicant amore dignum; & hi fere non differunt à brutis animantibus: illa enim in hoc tantum excellunt homines in laſcivia, nempe libidine effreni, libera voluptate, rerum cupiditate & avaritia, ut illa effrenis libido ſatietur; & in opere ſupplicii capace; quod certe reddit hominem, ſi fas eſt dicere, adhuc infeliciorem animantibus; per varias paſſiones jactatum, & conturbationes inquietum; & ab intellectuali pulcritudine ſeductum.

Sunt alii in hac mortalitate, qui vivunt ad normam moralium virtutum, quorum animæ facies magis reſpicit ad partem intellectus, & lumine æquali illuſtratur, ac facies qua corpus intuetur.

Sunt denique plerique quorum facies intellectualis clariori lumine illuſtratur: & hi omnem ſenſibilem notitiam rationali dirigunt, & ad proprium finem; & tantum ſenſibiles pulcritudines æſtimant, qua ſunt media ad ſpirituales, ex amore ſenſibili, quin imo, fere ſemper à corporea pulcritudine tranſcendunt, quanto magis vera & ſpirituali delectantur; è contra ac homines illi infelices, quorum opaca corporis nubes animæ pulcritudini obſtat; nam inferior facies ſenſualis animæ ſuperiori faci lucem furatur, in qua ejus conſiſtit Beatitudo.

Anima profert quod imminenter continet illuſtrata.

Quod anima perfectiones & rerum pulcritudines in ſe ipſa eminenter contineat, & ex ſe ipſa proferat illuſtrata, patet ad idearum lucem hujus creati orbis, qui oſtentat pulcritudinis & A intellectuales formas Creatoris altiſſimi: eſt enim idea, abſoluta & perfecta cognitio creati orbis ſecundum omnes partes præexiſtentes in ſummi opificis intellectu: ſi enim orbis non eſt caſu productus, neceſſe eſt, ut ſit à mente, & ab aliquo intellectu, qui in ſe contineat perfectiones creatæ pulcritudinis, non ſolum in toto, ſed etiam in partibus, in pondere, & menſura, perfectione, & mirabili rerum artificio.

Ergo ſi intellectus increatus hanc orbis pulcritudinem creavit; ſola cognitione neceſſe eſt B ut excellat omnem mortalem ſapientiam, & factam pulcritudinem; & ut illam eminenter contineat; infinita enim eſt prorſus neceſſaria in artificis mente, quæ formas tribuat ſapientiæ & rerum pulcritudines, & ſit velut exemplar, à quo artifex, & totum, & partes ad exemplaris formam poſſit delineare; velut in mente alterius artificis, eſt quædam fabrica Idealis, quæ ſit hujus pulcritudinis, aut illius imaginis exemplar: aliter enim res ipſæ eſſent caſu productæ.

Ideæ enim ſunt præcognitiones rerum produC ctarum, præexiſtentes aut in mente divina, aut artificis, quas Ariſtoteles fatetur in eſſentia, quantumvis vocabulo negare videatur: ille enim Nemos univerſi, in mente divina conſtituit, ſicut Plato: hoc eſt ſapiens illius ordinata diſpoſitio, quo ſub ordine perfectio, pulcritudo, & pondus, & menſura univerſi, in toto & in partibus conſiſtit; ſicut in mente Ducis præexiſtit exercitus perfecta diſpoſitio, & pulcra ordinatio ſub illius idea: & hoc ſolo differt vocabulo, à præcognitione & notitia præexiſtente totius univerſi.

D Illud tamen eſt differentiæ inter illos, quod æſtimavit Plato, quod omnes pulcritudines & ſubſtantiæ corporeæ, tantum ſint quædam umbræ, quæ nos in cognitionem Altiſſimi perducunt; Ariſtoteles autem dixit eſſe veras ſubſtantias, & eſſentias.

Quid ſit finis amoris.

Illa ergo cognita pulcritudine, voluntas delectatur: eſt enim amoris finis delectatio in E amato; hoc eſt cum re amata amantis unio; ſicut odii finis, eſt fugere triſtitiam rei odibilis. Et ſicut finis, ſic etiam media ſunt contraria; media enim amoris ſunt, ſpes, & delectationis proſequutio: odii autem, timor, & fuga doloris: odium enim dolorem fugit, ut malum & deforme: amor, delectabile proſequitur, uti pulcrum, & bonum.

At ſunt aliæ delectationes non propter pulcritudinem, ut guſtus, tactus, & odoratus; ſub quibus comprehenditur Veneris delectatio, quæ anF tecellit cæteras; omnes comprehenduntur ſub generico nomine deſiderii; omnis enim amor eſt deſiderium, ſed non omne deſiderium eſt amor; nam in omni delectatione eſt deſiderium, & in omni deſiderio eſt delectatio; ſed non in omni delectatione eſt amor; licet ſit in amore delectatio, ſicut in fine proprio.

Quare amor eſt una ex ſpeciebus deſiderii, & alia carnalis appetitus: & licet uterque ſit ſub eodem fine, nempe ſub delectatione; ſunt tamen diverſi inter ſe: nam amor delectationem intendit ſub ratione pulcri; appetitus autem ſub ſola

Sic Plato in Convivio, & in Phædro, ſeu de Pulcro.

ratione delectabilis, non pulcri; sed sub aliqua ratione boni; sic saltem comprehensi, quantumvis non sit tale.

Sed voluptates & delectationes ad hominum affectiones metiuntur; quoniam moderatis hominibus sunt delectationes moderatæ: sicut morum corruptione intemperantibus propria metiuntur lascivia & libidine: quæ licet sint semper & absolute mala, repræsentantur judicio corrupto, & pravo, sub aliqua ratione bonitatis; quoniam corruptionis & vitæ intemperies, primo errorem producit in judicio; postea in voluptate, & delectatione ut judicentur bona, quæ absolute mala; nam sub eodem subjecto, & bonum & malum potest simul adesse: sed ortum à diverso principio, seu sub diversa ratione & respectu, ad facies contrarias: potest enim hac ad bonum respicere, illac ad malum: sic voluptas qua tendit in delectationem, repræsentatur sub ratione boni; sed qua intemperata, & contra naturæ & rationis leges, est absolute mala.

Nam illud formale bonum eo quod materiæ malitiæ & deformitati adhærescat, illaque submergatur; est absolute malum, & apparenter bonum secundum illam faciem qua delectat; quam sane distinctionem consulto prætermisit hujus temporis hæresis, quæ delectationem omnem, ut prorsus naturalem & licitam constituit: Vobis dico, ô Viri Nobilissimi,& Angli,& Scoti, à vera religione, ideo à candida veritate apostatæ; qui religionem, sensibus corporeis immolatis; non tantum sub honesto, sed utili, & omni delectabili: nam hæc adhuc delectatio, nec est semper, nec absolute, nec apparenter bona, sed intemperantibus & lascivientibus, & omni deditis voluptati, & in illa submersis, sub illarum fallaci desiderio, absque ulla attentione intellectus, ad id malum, quod in occulto latet; sub sola ratione delectabilis contra naturæ, veritatis, & rationis leges; si non ipsa voluptatis illecebra obscurat intellectum, ut nec videat, nec audiat pulsantem continuo veritatem ad fores illius intellectualis pulcritudinis.

in Philebo, seu de summo bono.

Non ne, dixit Plato, *febribus & hujusmodi morbis affecti, & sitiunt vehementer & algent; & quodcunque pati corpore consueverunt, magis admodum quam cæteri patiuntur; quo fit ut magis indigeant, indigentiamque replentes, vehementius delectentur; patet ergo in quadam depravatione, tum animæ, tum corporis potius quam in virtute, vehementes voluptates, vehementesque cruciatus consistere, ut in petulantibus & lascivientibus hominibus:* Hæc Plato.

At temperatis non est petra scandali illud apparens bonum, illud gnari, ut malum, vel à primo intuitu: quod ideo non æstimant ut delectationem sed ut latens malum omnino fugiendum: quoniam illa fraudulenta delectatio, quanto magis plaudit effreni appetitui; tanto majorem pœnitentiam in intellectu demetit, non in Venere tantum, sed in variis hominum passionibus.

Nec ideo damnamus moderatas delectationes & honestas, quæ magisterio reguntur intellectus, & moderatione voluntatis; & qui illas exercent, sunt honesti & non vituperabiles.

At inter mortales pleraque judicantur pulcherrima, quæ licet quid de formali pulcritudine participent, quæ illa reddidit amabilia; hæc tamen pulcritudo est adeò magna materiæ deformitate mersa, ut illa reddat realiter deformia; & juste fugienda: talis est certe, argenti, gemmarum, & superflui ornatus pulcritudo,& rerum omnium materialium, quibus vita non eget, sed vana ostentatio. Cum Diogenes Athenarum Platea superfluam rerum contemplaretur abundantiam, exclamavit, ô quam multis non egeo; his enim potius delectatur avaritia, ambitio, vanitas,& cupiditas,quam ratio intellectualis & divina: hæc sane deformia, non pulcra judicat intellectus: ut præexcelsa gloria, & violentus honor, & injusta possessio imperii, quæ apparenter bona; nam hic est sola pulcritudinis & bonitatis umbra; quam appetitus amat, sed rationalis non diligit voluntas.

Videtur mihi, dixit Plato, *hominis anima libri cujusdam similis, & memoria in idem cum sensibus incidens; verba quædam in anima quodammodo scribere; videntur passiones quæ circa ista versantur: cumque vera conscribunt, passionem hujusmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis veræ ab hoc ipso proficiscuntur: at cum scriba falsa signat, contraria veris eveniunt: falsis igitur voluptatibus, pravi ut plurimum gestiunt: boni homines veris aluntur.*

Tres amores, (ut antea diximus omnia resumentes,) dixit Aristoteles esse in humana natura; delectabilem, utilem, & honestum, & omnium simul, & cujusque delectationem ultimum finem esse: nam qui utile amat, in illius possessione delectatur: qui honestum, in ipsa fruitione delectabilis: qui tandem delectabilem, in ipsa unione amantis cum amato: Tres etiam Plato amores in natura agnovit; animalem nempe, humanum, & divinum: animalem amorem, *inhonestum* vocavit, quem dixit amorem *bestiarum*, quod sit extra aleam rationis, & abortus carnalis appetitus; quia lascivus amans proprio in corpore moritur, vivit in alieno.

Humanum amorem dixit,qui circa *virtutes morales* exercetur, & actus sensuales moderatur, ac sensuum effrenes appetitus, & delectationem concupiscibilis: & est certe humanus, quod constet materia corporea, & forma intellectuali, & honesta, ut humana natura.

Sapientiæ amor, denique est ille, quem *divinum* amorem dixit, qui circa altissima & spiritualia versatur; quod sit *intellectualis* & *honestus*, absque ullo materiæ consortio: ideo divinus, quod in hoc tantum sint homines divinæ pulcritudini similes, spiritu congeneres: qui tanto est humano amore excellentior, quantum humanus animali: ideo tantum est intensior in illo delectatio, quantum in humano superior: quoniam in brutali tantum est delectationis apparentia, respectu aliorum; nam illa sensualis delectatio est passio animæ sensitivæ, ut sensualis amor, quæ vehemens ideo repræsentatur, quod ab objecto sensibili immutatur, quod vehementer pulsat, sed sola pars corporea patitur hanc alterationem.

At intellectualis delectatio non est passio in ipso amantis intellectu,quoniam spiritus non patitur; (ideo forte ita vehementer non sentitur:) & nihilominus est in ipso intellectu delectatio, absque ulla passione sensibili, cum sit finis amoris in communi: sed est sane abstracta & perfe-

ctior,

ctior ipso amoris actu: est enim actus intellectualis abstractus ab omni passione, cum quadam veluti complacentia à prima cognitione pulcri intelligibilis ad ultimam usque unionem, & perfectam: quare nihil aliud est intellectualis delectatio quam ipsa cognitio unitiva cum perfectione pulcri intelligibilis: quod si illa in corpus refundatur, est absque ulla comparatione intensior, quia simul concurrunt ad illam complacentiam, anima sensitiva, & intellectualis.

Illud habet insita perfectione pulcritudo, ut intensius amorem producat, quam amoris carentia odium; nam res amata in amantis mente divina reputatur: & amoris carentia nil producit in mente: & anima, ut divinæ pulcritudinis imago, naturaliter appetit divinam pulcritudinem, hujus desiderii fœcunda prægnansque, & quadam necessaria consequentia, reliquas pulcritudines: ideo ex amore creatæ pulcritudinis ad divinam ascendit: hæc enim ad illam latenter mentem ducit, quanto magis in illa illucet divinæ sapientiæ imago; amor enim mutuo elevatur, & ascendit in pyramidis formam, usque ad certum divinitatis gradum, & felicissimam delectationem unitivam, per medium amoris mutuo unientis.

Quare si corporeus superat appetitus, nil mirum si furiosus amor; & ut divinus, si intellectualis. Illud tamen valet veneficium fovere, & producere astu dæmonis, & veneficæ ope, quod motu alterationis, & locali consequitur; dummodo non sit cum ruinæ universi periculo; semper tamen cum divini Numinis permissione.

STATIO VII. ARTICUL. I.

De Frigidis & Maleficiatis.

Contraria juxta se posita, magis elucescunt: tritum est axioma Philosophorum. Ut ergo quid intersit differentiæ inter frigidos *nativa intemperie*, & *veneficio ligatos*, consequamur, nos compellit necessitas initio principia docere nativæ impotentiæ, & sterilitatis, aut artis diabolicæ, ex qua tales redduntur. Incipiamus ergo à frigidis nativa intemperie, ex qua redduntur homines ad Venerem ligati, & inertes.

Quid sit impotentia.

Est impotentia partium genitalium ignavia ad venereum actum, in genere actionis naturalis diminutæ, depravatæ, aut abolitæ.

A quibus principiis oriatur impotentia.

Tria ad Veneris actum concurrunt; semen, vasa seminalia, & facultas excernens: cætera sunt coadjuvantia; quare vitia quæ ex istis oriuntur, erunt nativæ impotentiæ principia.

Ad venerem potentes illi maxime sunt, qui tardius, & erectione pertinaci, & longa frictione mittunt semen: qui contraria istis patiuntur, impotentes.

ARTICULUS II.

Seminis vitia qua est impotentiæ principium.

Ut perfecte noscatur, quomodo ex seminis principio, viri reddantur impotentes, prius A oportet nosse quod semen potentiæ conducat: semen enim prolificum est non tantum fœcunditati, sed potentiæ aptum, & dispositum.

Est prolificum semen ex alba & crassa substantia spumosa, mediocre splendidum, tenax, quod flores palmæ redoleat & ad tempus excretum, ex reliquiis alimenti, abundans spiritu vitali, vi testium progenitum, cum spiritu genitivo potentia vitali, & facultate formatrice à patre derelicta, ex animæ virtute in generis propagationem; sic semen describit Aristoteles; sunt B enim spiritus instrumenta, quibus potentiæ ad actum reducuntur; ideo forte Aristoteles dixit: *Inest in semine omnium quod facit ut fœcunda sint semina; calore nempe & non virtute ignis, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur: & ipsius naturæ, quæ illo in spiritu, proportione elemento respondet, stellarum, scilicet ex animæ virtute:* ut idem Aristoteles dixit: quod ideo fœcundum, quod multo spiritu repletum, & parva mole potens; & hoc non à materia, sed ab efficiente virtute & potentia formæ, quæ actum tribuit & virtutem, ut est C Aristotelis sententia. Hæc est seminis materia prolifica ex testium virtute comparata, quæ æque potentiæ conducit, atque fœcunditati.

ex Avicenna.

3 de Histor. Animal. 7. & 7 de Generat. animal.

Hæc seminis materia comparatur ex reliquiis alimenti ventriculi, conversis in hepate in sanguinis purissimi substantiam, ex spiritu vitali in corde celebrato; animali, in cerebro progenito, ac tandem ex spiritu testium genitivo. Hæc omnia in testium substantia, ex illius virtute, in semen album, spumosum, potentia animatum, convertuntur. Qui ergo illo abundat semine, & D est potens ad Venerem, ut etiam fœcunditati aptum; nam spiritus illi genitivi, instrumenta sunt animæ & illius potentiæ, ut dixit Aristoteles libro de communi motu animalium. Nil ergo mirum, si animæ actionem contineant, ut per virtutem formatricem à patre derelictam simile in utero producant.

Et hinc oritur unum impotentiæ principium, nempe à materia seminis (& illius virtute) ultimi alimenti, vi testium attracta, aut transmissa ex instinctu naturæ: sed quia partes attrahunt, E jure vicinitatis & similitudine substantiæ; hæc attrahit ab illa, & ab alia ista, usque ad cerebrum, sede in ultima & magis eminenti locatum, quod cum propria substantia defraudetur, & aliud non habeat à quo ipsum recipiat, mirum non est si post coitum cæteris membris languidius evadat: ut 2 & 3 problematum Aristoteles dixit; ut motu & delectatione exhaustis spiritibus, & corpus universum insigni impotentia languescat; partes enim non tantum seroso humore, sed rorida humiditate & vitali spiritu privantur; siquidem, F hi quoque ex arteriis una cum genitali humiditate excernuntur; & hinc Venere immoderati, redduntur debilissimi, cum totum corpus spiritibus & alibili substantia defraudetur; cum voluptas his etiam excedat quæ ad vires dissolvendas potens est; ut constet aliquos nimia voluptate affectos periisse. De hoc etiam *Galeni* est celebris memoria suo *libro de Semine*; quam oro ut tu legas curiose Lector, per otium; quia nobis non suppetit.

Horum signa patent ex eorum relatione; semper enim tristes, cogitabundi, invalidi, de imbecilli-

becillitate ventriculi queruntur, & animo linquuntur ex quoquo levi motu, membro virili semper flaccido, quod nullo ingenio arrigitur; & si forte contingat, aliqua violentia intendi, quocunque levi motu flaccescit; & animi deliquio totum corpus languescit.

Alia seminis vitia facile palam fiunt; nam si tenue & frigidum, absque delectatione excernitur, & fere insensibiliter elabitur; & hi ut plurimum legitimam gonorrhœam patiuntur; quod etiam carnis mollities indicat: & nos in hanc incidere passionem vidimus juvenem, ex immoderata & brutali Venere; non tantum ex immodica vasorum imbecillitate, ex frigida altius radicata intemperie; sed corpore exhausto, spiritu, & sanguine.

Si tenue & calidum semen in coitus principio elabitur, & partes urenti calore deurit; quid multum, à quaque levi frictione expellitur. Nos vidimus alium ab injecto clistere, emittere facilime semen, & tenue & calidum, & quaque cogitatione vehementi mulieris elabi fatebatur: isti ut plurimum sunt graciles, hirsuti, biliosi, & excarnes.

Crassum nimis semen impotentiæ conducere, plerique tradiderunt; & fortasse magis sterilitati conducit, quam impotentiæ: nullas enim in illo impotentiæ rationes invenio.

Prava qualitate infectum, putridum, seu corruptum semen impotentiæ conducere, par est; quia spirituosa substantia & salacitate mixta, penitus corruptione evanescit. Hujus impotentiæ signa erunt, seminis fœtor, & ultima gallicæ luis defœdatio, invalida & impotens natura, labe jam in habitu contracta. In hac impotentiæ specie vidi quod magis habet admirationis, quam fidei. Don Ferdinandum de Olivares pati hystericas accessiones ex semine corrupto, ut solent pati mulieres; sed nec tantæ durationis, neque vehementis suffocationis; patiebatur enim cordis subsultationes, tremores, & levia accidentia epileptica, cum frigiditate extremorum; & hoc per frequentes accessiones: erat etiam & pallidi coloris, animi dejecti, & tristi melancholia dejectus.

Aliud seminis vitium observavimus, quod forte prætermiserunt alii; totam nempe seminis substantiam in flatuosos crepitus converti: sed quia hoc non tam impotentiæ quam sterilitati conducit, ideo non moror in hujus vitii expositione: solent isti ad coitum esse valde potentes: sed quo tempore erat semen cum delectatione emittendum, emittunt crepitus, & flatus, & quidem non absque delectatione; hoc se pati à quadam muliere audivi: & virum novi qui hoc idem patiebatur.

ARTICULUS III.

De facultatis excernentis impotentia.

Facultas excernens erat secunda causa, quæ concurrit ad coitum, quæ si omnino deficit, aut minuitur, ignava impotentia contrahitur; hæc est facultas naturalis de sorte vegetantium, ad seminis expulsionem in testibus insita; hujus collapsa virtus, est in genere actionis naturalis abolitæ, aut deminutæ; aut membro in ipso, aut in testibus, vel à principio generationis, seu tempore contracta.

Hujus facultatis defectus aut imbecillitas contrahitur ex altius radicata humida intemperie, si non frigida mixta, & ex carnis effœminata mollitie, aut coæva aut tempore contracta; quoniam hujus naturalis excernentis actualis virtus validiore siccitate roboratur & perficitur, ut Galenus fatetur *libro de Inæquali intemperie: & libro de Facultatib. naturalibus:* unde intemperies contraria altius radicata, dejicit actum virtutis; ut aliis omnibus accidit; quarum operatio in justa & debita temperamenti proportione consistit.

Erunt igitur hujus impotentiæ signa, horum membrorum ignavia; testium nempe & virilis membri, quæ præ humiditate flaccida semper persistunt; & ut plurimum frigida: & his corpus est compactum mollissima compagine; effœminata caro; & nervosa substantia, quadam veluti laxitate madet, & mollitie diffluit; & totum corpus simili pollet intemperie: in his ut plurimum seminis tenuitas, & paucitas observatur. Quibus semen liquidum absque ulla delectatione diffluit, & fere sine sensu, hoc observatur plerisque in toto vitæ tempore, ut aliis ab aliqua occasione in tempore contrahitur, ut à frequenti dulcis aquæ balneo, ut ab argenti vivi uncione, etiam suspicari par est: etiamque à multis aliis, quæ evenire possunt.

ARTICULUS IV.

Impotentia à virtute prolifica.

In hujus impotentiæ examine sese quotidie offerunt aliqua adeo difficilia ut omnem artificis diligentiam solicitent, & animum acrioribus stimulis explorent; ideo mihi acrius cogitanti, aliquando venit in mentem, an hac prolifica facultate impedita, debili aut abolita, aliquid contrahatur impotentiæ? nec immerito sane: nam hujus facultatis ope, non tantum fœcunditatis ministeria exercentur, sed pleraque alia quæ ipsi potentiæ ad coitum conducunt. Hæc enim continet quid divinum, abditum, & occultum, cujus ediscere providentiam Hippocrates ratum duxit.

Est enim seminis utriusque vis prolifica, facultas formatrix animæ vegetantis, & embryonis plastes, & conservatrix, mater similitudinis utriusque parentis, veluti ex quadam idea impressa virtualiter, in ipso semine seminanti.

Hæc regit omnes facultates ministrantes, ne à justo excedant, aut deficiant; ac si esset gnara conservationis individui; ac ideo illam Plato *sensum convenientis aut disconvenientis* appellavit, quem merito Galenus imitatur: & hujus magisterio, non tantum sensuum organa; sed membra omnia naturalia sibi trahunt utilia, & repellunt lædentia: similia, dum sana; dum morbosa, contraria: ad hoc enim est illis nativa & coæva propensio; ab hoc pulsifica discit usum facultas; propria discunt musculi ministeria; hæc est quam *discretivam & separativam* auctores appellarunt; hæc etiam nativa sapientia, in conceptu cogit semen, utriusque parentis, dum ad actum reducitur ab uteri calore; & ut trahat formationi sanguinem, imperat attractici; dum ab insito & nativo mulieris seminis genitalis calor vivificatur; ut in *libro*

Gal. 1 Aph. 22. 4 Aph. 22. lib. de Diff. sympt. vito. Avicenna 14. 3 tract. 1. cap. 29. & tract. 4. cap. 16. & Fen. 15. 3. tract. 1. cap. 3.

bro de ſemine eſt Galeni ſententia; ut fiat ſpiritus utrinque concurrentis prolifica commixtio.

Deinde ex ſeminis calore flatuoſus ſpiritus emergit, quo flatu commixtæ geniture turgent, & intumeſcunt, unde aſſurgunt bullæ, ſpiritu repletæ; quibus junctis una demum fit cavitas, quæ novam ſpiritus quantitatem comprehendit: unde calidus ſpiritus interclusus quærens refrigerium, ſcindit ſemina, ipſius facultatis miniſterio, ut illius temperatus penetraret ſpiritus, ex vitali principio & naturali: qui à facultate formatrice ad loca neceſſaria compartitur.

Coactis ergo ſeminibus in unum, & ſanguine attracto puriori, ac per ſeminis ſubſtantiam diſperſo, in roris formam, dulce illi alimentum ſubminiſtrat; ſemen augmentum ſuſcipit, partibus efformandis neceſſarium; & ne ultra par creſcat, illud conceptum ſemen cooperit, & tunicis involvit, quæ cornibus uteri adhæreſcunt; corion, alantoides & amnios; ac ex bullis deinde, cor, cerebrum, & hepar efformantur; quæ ſimul embryonem conſtituunt; & à conceptu ſexto ſeptimove die procreantur; ut Hippocrates dixit; quod Ariſtoteles, Plato, & Pythagoras in dignitatem numeri ſeptenarii retulerunt, & nos latius diximus in *Invicto Theſeo*.

Gal. lib. 2. de Sem. c. 7. & lib. 2. c. 1. & 4.

lib. de natura pueri. Avicenna Fen. 21. 3. tract. 1. c. 2. Macrob. lib. de Somn. Scipionis cap. 6. Plin. lib. 1. Natural. hiſt. 5.

Sub his ergo diebus veluti rudem umbram principiorum, concepta ſubſtantia ſortitur, non caſu, ut ſors tulerit, ut Democritus dixit, ſed inaſpectabili naturæ artificio; quoniam, cum primo fœtus anima plantæ vivat; ſcilicet vegetanti, & illa radicetur in jecore, neceſſe erat ut primo jecur fieret, ac deinde par erat, ut vita viveret animalis, ſenſitiva vitalitate, nempe animata, & hoc cordi debetur: neceſſe prorſus erat, ut cor eodem fere tempore fabricam artificii acciperet; erat tandem neceſſe, ut fœtus ab injuriis tueretur, quod conſequitur ſenſuum miniſterio; ideo fere ſimul cerebrum, ut ſenſuum principium curavit arte naturæ fieri, & formatricis ope.

Hic eſt altiſſima Embryonis formationis ordo, ut primo vivat vita vegetativa, medio formativæ virtutis, quæ cum virtute cœli animam vegetabilem de materiæ potentia educit, ex vi ſibi à generante inſita, qua perficit nutritionis opus: poſtea vero membris jam efformatis, & in membra ſemine commutato, tunc eadem virtute, animam ſenſitivam de potentia materiæ educit, à virtute ipſius generantis elevata; ut perficiat incœptum vegetativæ opus, quoad nutritionem & augmentationem; ſeu in membris præcipuis formativa virtute remanente, in formali potentia, ut dixit divus Thomas, ſeu in actu, ut Joubertus aſſerit; pro continuata partium nutritione, & augmento: licet alii dicant, quod ad corruptionem ſeu converſionem ſeminis omnino evaneſcit & corrumpitur formatrix illa virtus; ut pote non amplius neceſſaria: alii item, quod in formativam tranſmutatur, animæ vegetantis, quæ de novo generatur; in fœtum jam commutato ſemine.

pag. 1. quæſt. 118. art. 1. ad 4. & Cajet. ibi.

Si ergo hæc facultas formatrix, facultatibus imperat miniſtrantibus, & expellenti maxime, & ſemini tam miram virtutem impartitur; ſi hæc deficit, minuitur, fortaſſe aboletur, quod pleriſque contingere par eſt; & probat etiam experientia; à poſteriori etiam colligi poteſt; ad illius deficientiam, potentiam ad coitum etiam deficere; & non parum impotentiæ conducere: ſi maxime ſeminis inſtrumentum eſt ineptum, ut illius actionem recipiat; aut ex virtute agentis debiliſſimi prorſus non communicetur.

Quare à ſufficienti partium enumeratione judicare conſultiſſimum erit; ſi corpus univerſum, nec ullum ex præcipuis membris inſignem patitur læſionem; nec in ſemine labes manifeſta elucet, nec exceſſus in qualitate, aut tenuitate & craſſitie; & nihilominus obſervatur impotentia, & non vitio membri & genitalium, quod hoc accidit facultatis formatricis defectu; ſeu quod illa apparenti non influat, aut ſit ab aliquo impedita principio; quo impotentia nobis fortaſſe ignota comparatur; ut ſolet ſterilitas; demitto hoc etiam poſſe ab influxu cœleſti evenire, quoniam adhuc hoc dato, nulla probabili ratione poteſt convinci.

ARTICULUS V.

De vaſorum affectione, quatenus impotentiæ conducunt.

Vaſa, quæ ad actus venereos concurrunt, ſunt quæ ſingulari læſione affecta, inducunt impotentiam; iſta ſunt, & vaſa ſeminis deferentia, & præparantia, & paraſtatarum vaſa, teſtium, & virilis membri univerſa compago, nervus fiſtuloſus, nempe, & venæ, & arteriæ: renes etiam in hac affectione pati poſſunt; ab illis enim decidit ſeroſitas nitroſa, quæ erectioni & delectabili illecebræ conducit.

Hæc omnia, Veneris inſtrumenta, in duplici differentia pati poſſunt, ut inepta Veneris miniſterio reddantur, per ſe, aut per conſenſum: & qua ſunt inſtrumenta, & partis organicæ vicem ſubeunt: aut qua partes omnino ſimilares. Qua ſola inſtrumenta, morbos in depravata compoſitione patiuntur; velut obſtructiones quibus ſeminis emiſſio impeditur, & tranſitus ſanguinis, & flatuoſi ſpiritus denegatur; ut cum nec flatus, nec ſpirituum copia diſtentioni ſuppetit; nam cum corpora hæc cava & fungoſa, arteriarum & venarum myriadibus, retis inſtar implicita, adimplentur, fit in membro diſtentio: ſi vero hæc deficiant, deficit cum diſtentione potentia.

Vitia in figura hæc ipſa patiuntur, ut cum virile membrum eſt in figura tortuoſa diſpoſitum; nimis breve, aut plus juſto oblongum, aut ſupra modum craſſum, in præputio, in radice anguſtum & compreſſum: hæc omnia non ſunt abſolute impotentiæ vitia, ſed ut plurimum in illis ſterilitas, aut impotentia obſervatur; ubi deficit rectus naturæ ordo; aut ordinatus finis ab aliquo errore impeditur. Patet hoc ipſum propoſitis exemplis: nam tortuoſa via eſt in cauſa, ne ſemen in uteri cavitatem impellatur, quod maxime ad conceptionem conducit; ſi membrum nimis breve ejaculari in fundum non permittit: & ſi nimis oblongum, infrigidatur ſemen, & virilitas deficit: ſi in radice compreſſum, & anguſtum, flacceſcit in conatus principio, & pertinax erectio flacciditati cedit, quo actus irritatur; licet in aliis ad opus uſque duret; quia omnes iſti arctam vulvam penetrare non valent; hoc etiam

vitium extenditur, si vasa in totum auferantur, ut in testium castratione accidit, aut naturali aut arte comparata.

Quæ partes similares & organicæ, morbos insoluta unitate pati possunt, ut ulcera, callos, tophos, carunculas, inflammationes, & cancrosos affectus, in partibus potentiæ dicatis; hoc etiam in celebri Holerii historia observatum accepimus; *Nobilis Hispanus*, (inquit) *inter celebres Parisienses Medicos, nos quasi desperatus consultavit: cum jam impotens esset multis annis ad venerem; at visum imprimis est, malum ab ulcere esse; & læsis nervis atque arteriis, quæ impletæ flatu, penem erigunt, partes ita lædi, ut spirituosum sanguinem non exciperent, curandum fecit ulcus, instituenda omnia quæ calidos flatus gignunt: & partes genitales roborarent; purgato prius corpore, & levi phlebotomia ante acta: & decocto Guaiaci, & condito aromatum semen adjiciente, & membra roborante: tandem pristinam sanitatem adeptus, abiit à nobis restitutus.*

Quæ partes tantum similares morbos in intemperie patiuntur; quibus inepta virilitatis instrumenta redduntur; potentiæ inermia, erectioni flaccida, alia enim seminis generationi serviunt, expulsioni alia, pertinaci erectioni alia: & hæc & illa affectus patiuntur, per se, aut per consensum. Per se patiuntur, in hac affectus sorte, altam & radicatam intemperiem, quæ dejicit actum propriæ virtutis vasorum expellentis, aut erigentis, simplicem aut compositam: sed quæ magis conducit impotentiæ, est humida & laxa: quoniam inde membri fistulosa substantia, arteriæ, nervi & venæ, adeo laxa & flaccida redduntur, ut erectionem, tensionem, & expulsionem perficere non valeant; præterquam quod etiam spiritus genitivi in ipsa extinguuntur: quod si illi frigiditas accedat, validior impotentia contrahitur, quia tunc patitur facultas semen, & ipsa vasa; ut postea videbimus.

An calida & sicca intemperies, aut utraque per se, altius his membris radicata, actum virtutis dejiciat, qua impotentiæ conducit, potest verti in dubium. mihi tamen videtur, nullatenus juvare impotentiam, quoniam illæ effectus pariunt omnino impotentiæ contrarios; pro siccitate nempe nimiam tensionem, & præ calore, nimiam titillationem, & irritationem in semine: quæ duo validiora sunt, quam facultatis excernentis imbecillitas, si forte contrahatur; quoniam hujus defectus potest suppleri valida animalis facultatis actione: nam seminis expulsio, ex motu composito, perficitur, facultatis nempe naturalis, & animalis: quarum illa in testibus & vasis spermaticis residet; ista vero in musculis: qui ad expulsionem, ex facultatis animalis imperio comprimuntur.

Frigida & humida vasorum intemperies, aut est simplex, aut humore conjuncta; illa prava, hæc deterior: aut à primordiis generationis coæva, aut tempore contracta; seu dum partes illæ humore irrigantur & madescunt, ut erectioni non sufficiant nimia laxitate: seu dum paralysi afficiuntur vera; frigidis succis, in cavitate & nervorum substantia imbibitis: qui est certe affectus per consensum; seu accidat in principio spinalis medullæ, seu in nervis qui ab osse sacro derivantur; seu ipsius pudendi: sed resolutio illa & paralysis, quæ est solius colli propria, affectus per essentiam à *Paulo*, & *Avicenna* ducitur.

ARTICULUS VI.

Signa impotentiæ quæ à vasis contrahitur.

Impotentia à vasorum vitiis contracta, non facile dignoscitur: plerisque enim est adeo abdita, & obscura, ut ne peritis pateat; nam cavitatis vitia, ubi seminis, spiritus, & sanguinis transitus præpeditur, dignoscuntur ex signis ulceris, carunculæ, tophi, aut ulceris cancrosi; aut crudi turberculi fortasse, qui casu in his vasis adnascitur; & hæc est proprie actio impedita: ad quæ placet lectores relegare, dummodo à probatissimis viris ediscantur: longa observatione & doctrina, vitia in figura fere oculis patent, peritis innotescunt.

Vitia autem quæ hæc vasa sequuntur, ut partes similares, sunt intemperiei; ex qua actio impedita elucet, deminuta aut omnino ablata; sed illud est initium inveniendi sedes affectas, facultatis naturalis, inquit *Galenus* 1 *de Locis* 2. nullam actionem unquam lædi, nisi pars, quæ ipsam facit, affecta sit: quare si frigidior intemperies, aut humida vexat, hæc vasa seminalia, aut penis, forte testiculorum: frigidum semen emittitur & liquidum, interdum absque delectatione diffluit, & fere sine sensu; frigoris sensus has partes comitatur continua ignavia, nec ullo veneris appetitu: flaccescunt semper genitalia; hi fere semper, vera gonorrhœa languescunt, semine absque sensu dilabente.

Et si in solo nervo fistuloso pudendi alta radicatur intemperies, fortasse resolutio nulla penis arte erigitur, nec intenditur: sive hoc accidat ex sola mollificatione nervorũ aut fistulosi nervi, à frigido humore irrigati humiditate copulato, seu ex sola paralysi nervorum, peni subservientium. Illud tamen dixit Avicenna, paralysim in membro adesse indicabit; si aqua frigida subito affundatur super illud, & inde nulla fiat contractio in membro: hoc enim indicat, & sensus, & motus esse privationem, quod paralysi accidit: quod certe non contingit, ubi laxitas illa ab humoris irrigatione comparatur: quoniam si in illa perit motus, non sensus; licet in utroque sit actio abolita: quo etiam differt à maleficio, ubi erectionis actio non est prorsus imminuta, nec abolita, sed tantum impedita; nam cæteris non erigitur præter unam; hoc enim indicat ligationis nomen.

In his etiam est laxa & mollis corporis universa compago, effœminata caro, & fere mores effæminati, si animi mores corporis temperaturam sequuntur, ut placuit Galeno: & nervosa substantia quadam veluti laxitate madet. Talis est corporis universi temperies; seminis tenuitas, & paucitas: sed in hac laxitate impotentia paulatim incidit, (si non est à principio generationis contracta:) in paralysi vero subito ingruit. Hæc sunt affectus per essentiam signa.

A R-

ARTICULUS VII.

De affectibus quorum Sympathia accidit impotentia.

Diximus antea potentiæ servire vasa; facultatem & semen diximus etiam horum affectus per essentiam, quibus frustratur virilitatis actio: dicamus nunc de illis, quorum consensu & sympathia, potentiæ actio aboletur, aut graviter minuitur: hic etiam consensus observatur in semine, in vasis, & ipsa facultate, secundum varias rationes; quibus aut impeditur actio facultatis, aut illius influxus, aut seminis vis & efficacia minuitur; aut tandem seminis, spirituum, aut flatus transitus ad vasa denegatur, ut inde sequatur impotentia.

Illud est ante omnia supponendum, seminis expulsionem esse opus mixtum, ex facultate excernente naturali, & facultate animali impellente motiva: sed sub hac differentia, ut facultates naturales, quæ ex vi temperamenti partium operantur, in Galeni doctrina semper per se læduntur, & nunquam per consensum; illæ vero quæ per irradiationem, aut medio alterius instrumenti, spirituum nempe, per essentiam, & per consensum pati possunt.

Quare in hoc casu, quotiescunque facultas tantopere necessaria membris genitalibus descendere intercipitur, aut semini denegatur aliquid partium componentium, sive sit substantiæ, seu virtutis prolificæ; aut nervo fistuloso tandem deficit, flatuosa substantia, qua pertinax erectio conservatur; aut deficit animalis facultas musculorum, qua juvatur expulsio. Talis affectus est certe per consensum, ex sola sympathia; veluti dum semini non concurrit purus & laudabilis sanguis; aut spiritus intercipitur, resolvitur, extinguitur; obstructione compressioneve intercipitur in vasis deferentibus; aut calore partium immodico resolvitur, aut universi corporis; aut frigore extinguitur; seu cum ob obstructionem semen ipsum non penetrat, ut Hollerii historia comprobavit: hoc etiam testium castratione accidit, nativa, aut arte comparata; seu canalibus, seu vasis seminalibus obstructis, ut spiritus, aut flatuosa substantia, fistuloso nervo non sufficiat erectioni, expulsionique.

Sed ubi maxime talis observatur consensus, est in paralysi, seu incipiat, à nervorum principio spinalis medulla, seu ab illis qui ab osse sacro derivantur, seu ab ultima vertebrarum, seu tandem ab ossibus *Ischion*, & pubis, ut advertit Laurentius; aut ab ipsis forte nervis peni subservientibus: quoniam his omnibus accidit impotentia per consensum.

Mitto quod aliquibus accidit, sed rarissime; sed nos semel inter curandum vidimus, nempe ob sensationis defectum in his locis, ut nec ulla sentiatur aut seminis excretio, aut ulla delectatio in concubitu: hoc nobilissimam mulierem pati novimus, ex Angliæ provincia, quæ in Hispania nupta, quinquennio ab usu matrimonii exacto nullam delectationem; neque seminis expulsionem sensisse expresse fatebatur; & non viri defectu, juvenis & robusti. Paralysis signa antea ex Avicenna diximus.

In hac tamen & illa impotentia, est immensa varietas. Nam frigidis quibusdam non arrigitur penis, & aliis erigitur; sed dum tractatur paululum elanguescit: aliis ad opus usque durat, sed arctam vulvam penetrare non valet: quod illis fere accidit, quibus membrum est in radice tenue, & angustum, crassius in præputio. Semen alius non emittit, & alius in operis principio, ocius quam par sit; quod biliosissimis maxime contingit, & debilibus. Aliis, loco seminis, flatus & peditus expelluntur: aliis absque sensu, neque delectatione diffluit: quod si accidat ex vera gonorrhæa, omnem maleficii suspicionem excludit.

ARTICULUS VIII.

Quæ sint coadjuvantia impotentiam.

Nos illa coadjuvantia intelligimus, quæ causis potissimis concurrunt, aut per se, aut per accidens, ad virilitatis actionem minuendam, aut ex toto potentiam auferendam: tales sunt animi passiones vehementes, quibus ut validis negotiis distrahitur animalis spiritus, timore & pudore intercipitur: animum altius attritum curis, aliæ curæ vexant, ut facile eat actus in irritum; aut semini deficiat vitalis efficacia, seminandi potentia, vegetandi aptitudo, & tandem erectionis actio. Huic etiam defectui studet imbecillitas corporis universi; ut habitus obesus & imbellis, fœminea mollitie defœdatus, seu ab ipsa natura informationis principio, seu contractus inter hujus sæculi luxus. Causæ procatarcticæ non sunt minus suspectæ, si cum ignavo otio & vita sedentaria copulentur; Baccho & Venere ad invicem certantibus. Hæc ita per se patent, ut signis non indigeant.

Semen componitur à variis substantiis ad unam formam vi testium redactis: à jecore sanguis vi testium contrahitur: à corde, spirituosa & vitalis substantia: chyli purissima à ventriculo: & tandem à cerebro, pars spirituosa, humida & digesta substantia à renibus nitrosa: & à corpore toto necessitatis tempore, deglutione & rore substantifico liquatur. Quare sic quod ab unoquoque decidere par erat, minuitur aut deficit, aut vitio indelebili, aut semini producendo, inepto coafficitur; fortasse intercipitur: aut flatuosa substantia, ad vasa virilis membri non mittitur: coadjuvare impotentiam, facilime convincitur.

Si jecoris vitium cum aliis conspirat, ex illis agnoscetur, quæ sanguificandi munus, minuere, depravari, aut aboleri ostendunt: quales sunt ictéritiæ, hydropes, & altius radicatæ cachexiæ; ut etiam ex illis quæ sanguinem prohibent in corpus universum distribui, veluti in atrophia: illud corporis habitus ostendit, sub aurigine maxime defœdatus, hydropicus, cacecticus; ex inveterata vasorum & substantiæ abstractione, atrophiam arguere, par erit.

Si cordis culpa adjuvatur Veneris impotentia, luit pœnas deminutus Veneris appetitus: pallida timiditas, & languor corporis universi, cum invicta tristitia; & asphigia quadam intercalari, vitali vigore, penitus exoluto: palpitatione, & cordis tremore ad invicem certantibus; pulsus parvus, & debilis interdum interceptus, & fere semper rarus: cor ex levi occasione subsultat.

ſultat. Plura *Galenus* refert *artis Med. à cap.* 28. *ad* 36.

Si à flatus inopia fovetur impotentia, nec penis durat, nec permanet erectio; imo quocunque flatu excreto, mox collabitur.

De hoc plura exempla *Ariſtoteles* refert; 1. *de generatione animal.* 18. ſic loquitur: *hominum nonnulli, ubi per habitum corporis bonum, carnulenti, aut pingues evaſerunt, minus ſemen emittunt, minuſque rem veneream expetunt.* Et reddit rationem, *quoniam excrementum concoctum tranſit in pingue.* Hoc etiam confirmat, *lib.* 2. *ſequenti cap.* 19. *pinguia*, inquit, *minus ſeminis habent*; præterquam quod penis hac brevior efficitur; quod non parum conducit impotentiæ.

Aliam coadjuvantem cauſam, 4 *Sect. Problem.* 21. idem nobis proponit; *cur, qui varices habent, non poßint generare? tum homines, tum quæ eas habuerint, animalia?* & reſpondet, an quod varix fit tranſmutato ſpiritu; quod licet melancholiæ conferat, non coitus excurſui: quoniam ſi concitetur motus, ipſis non impellitur ſemen, ſed infrigidatur; infringit itaque fortitudinem teſticuli.

Gal. in exegeſi vocum Hipp. Paul. lib. 4. *cap.* 25. *Hipp.* 6 *Aph.* 21. *Paul. lib.* 6. *cap.* 64. *Plut. in Vita Marii. Gal. lib. de Appabili, cap.* 4. *&* 7.

In hoc conveniunt Celſus, Galenus, Pollux, & Paulus; Plutarchus ultimo hujus reddidit rationem problematis; *Flatus*, inquit, *datus eſt à natura humori fœculento, ut moveatur*, Galeni ſententia. Quare ſi ad varices divertit, ad ſemen non convertitur; ut illius adjuvet impulſum: quo nec motus juvatur; nec ſemen incaleſcit; quo elangueſcit coëundi potentia.

Ab immoderata & profuſa ſpiritualis ſubſtantiæ vacuatione fit inſignis nectaris vivifici defraudatio: quo certe non eſt dubium inertem juvari impotentiam; inopia caloris influentis, marceſcit innatus, infrigidatur ſemen, ſalacitas, & turgentia deficit, & facultatum vigor. De hoc luculentiſſimum teſtimonium nobis Hippocrates reliquit: *Scythurum gentes*, inquit, *venas poſt aures urunt Schiadem medentes, medicantur autem ſibi ipſis hoc modo: at mihi ſane videntur, hac medicatione ſe ipſos perdere: venæ enim retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem infert, & impotentiam, iis in quibus ſecantur; nam ſanguine multo promanante, ſomnus eos corripit, præ imbecillitate; unde Scythæ omnium hominum, minus ſunt ad coitum valentes; quod humoris detractiones, ex præuſtione cauteriorum ſemper habent: & plurimum temporis, in equis degunt, &c.* Illud clarius *libro de Genitura* confirmat: *Quibuſcunque*, inquit, *venæ poſt aures ſectæ ſunt, hi coëunt quidem & genituram emittunt; verum modicam, debilem, & infæcundam.* Et reddit poſtea rationem; *nam plurimum genituræ, à capite juxta aures in ſpinalem medullam procedit; ipſe autem ſitus, cicatrice, ſectione inducta, conſolidatus eſt.*

lib. de Aëre aquis & locis.

Ideo forte mos erat olim, latronibus auriculas amputare in facinoris pœnam: quare autem hoc fieret, inquit Uſylus, in cætu graviſſimorum hominum perquirens, reſpondit quidam in jure peritiſſimus: *Ne talium hominum in poſterum daretur generatio: nam cæſis cartilaginibus auris, redduntur impotentes*, ut princeps dixerat Medicorum, &c.

In ejus titulo de Actionibus, ff. ex malef. n. 22. *&* 23. *Cit. loco.*

Eſt certe Uſyli ſpecioſa ratio, ſed ad neceſſariam impotentiam non convincit; nec irrefragibili fulcitur veritate: nam bene poteſt conſequi impotentia, venis retro aures inciſis, ſi inde profuſa inſequatur hæmorrhagia ſemine defraudato, magna ſpirituum copia, ac digeſta humiditate cerebri: non tamen cartilaginibus undequaque inciſis, erit neceſſaria impotentia. Illud enim rationi, experientiæ, & veritati gliſcit: niſi forte venæ interiores, aut arteriæ, quæ retro aures feruntur, ſecarentur: quoniam ſolis cartilaginibus inciſis, nec corporis temperies immutatur; nec ſemen defraudatur ſpiritu & ſanguine; quia nulla ex illis ſequitur hæmorrhagia, quod valde exangues ſint: nam vaſa quæ ſuperſunt interna, à cerebro ad ſpinalem medullam, longe magis capacia & ampliora, (venæ, nempe, arteriæ, & nervi,) præreptant per partem colli interiorem retro aures; & per hæc ſpiritus excurrit, & digeſta ſubſtantia, in vaſa ſeminalia, & teſtes, ubi ſemen prolificum conficitur; quod etiam à *Galeno* probatur, *libro de Locis in homine ad med.* Et ſi experientiæ non denegatur fides, videmus ob acres cerebri fluxiones, auriculas incindere, ac per varias partes perforare; nec ideo potentiam deficere; imo poſtea filios genuiſſe; ut, qui portant fonticulos in brachiis: niſi tandem profuſa perennitate fluendi, cerebrum reddatur ita debile, ut partes ſeminales gravi afficiantur ſympathia: quod etiam eſt expreſſa *Hippocratis* ſententia *libro de Locis in homine*, ut poſtea videbimus.

ARTICULUS IX.

An ſenes ſola ſenectutis ratione reddantur impotentes.

Senectutis occaſione temperiem ad frigidam mutari, ſemen prolifica virtute defraudari, vaſa & facultatem potentia, eſt communis ſententia: cujus occaſione vidi, in examine cujuſdam impotentiæ, graviſſimam inferre injuriam honeſtiſſimo, & illuſtri viro; ſola ſenectutis ratione: Medicinæ judices æſtimantes ex illo tantum principio poſſe impotentiam judicari, quia talis ætas à calida & ſicca ad frigidam & ſiccam tranſmutatur; ut accidit in magno climacterico 63. fatali lege occidua, ut in noſtro *Theſeo* adnotavimus.

Illud matrimonio non obſtare aperte tenet Th. Sanch. de Imped. matrimon. lib. 7. *diſp.* 92. *n.*12. *& dicit Enriques ſic uſum Eccleſiæ ſe habere, leg.* 12. *de Matrim. cap.* 7. *n.*3. *Silv. Matrim.* 8. *qu.* 16. *dicto* 4. *inf. Anton. lib.* 5. *Inſt. majorum, tit.* 12. *n.* 262. *Barboſ. leg.* 1. *part.* 1. *n.* 97. *ff. ſolut. matrim.*

Sed dato, quod talis accidat tranſmutatio, non inde ſequitur impotentia; quia illius eſt magna latitudo: primo quia ſenes non ſemper contrahunt intemperiem, ſenectutis ratione, in membris genitalibus; licet temperies univerſi permutetur: patet, quia talis mutatio ſolet intra limites ſanitatis accidere, ut nos attenta ratione probavimus: & 2 patet experientia, quæ quotidie monſtrat, ſenes non tantum validiſſima potentia conſtare, ſed generare filios: &, quod magis mirari eſt, fœcundiſſimos eſſe, ſi aptam conſortis ſeminis ſortiantur temperiem. 3. ex hiſtoriis patet, Maſiniſſam & Catonem, octoginta annorum, genuiſſe; ut inter mirabilia Solini adnotatur.

De Mirabil. mundi, cap. 3.

AR-

ARTICULUS X.

Coadjuvantium impotentiam argumentum prosequitur.

Gal. 2. de Temperam. cap. 3.

Potentiam coadjuvare creditur caliditas immoderata renum, qua trahunt salsuginosam quandam humiditatem, quam ad parastatas & vasa seminalia sibi consocialia transmittunt: hæc veneri potentem reddit hominem; ut intensa renum frigiditas contraria impotentem; ut magna imbecillitas renum: quam potissimam impotentiæ Scytharum occasionem semper existimavi, ex illa clausula quam Hippocrates refert; nempe *quia plurimum temporis in equis degunt*: quarum nulla major potest in renibus imbecillitatis causa esse. Quare in hoc casu, flatuosæ, salsuginosæ, & digestæ substantiæ defectu, sequitur impotentia. Horum signa patent, ex imbecillitate, aut renum altius radicata intemperie, & ex frigida maxime, ut à lapide renum, aut alia fortasse causa.

An à cerebro coadjuvetur impotentia.

Hoc attente perpendenti aliquando mihi in mentem venit, quid amplius à capite descendere præter illos animales spiritus: & est illud profecto, quædam humiditas digesta in cerebro confecta, nitrositatis soboles, & valde substantifica, cerebri substantiæ congenea, quæ maxime conducit ad salaciam; nec sponte nec ad libitum in hanc ferar sententiam, si verum est quod *Hippocrates* dixit, *lib. de Locis in homine*; *aliæ venæ*, inquit, *à vertice juxta aures ab anteriori colli parte, utrinque ad cavam venam appellatam feruntur; eæ infœcundum faciunt hominem cum fuerint sectæ, & in magnos digitos desinunt*, &c.

2 de Generat. anim.

Illud tamen clarius Aristoteles dixit: *Habet enim semen*, inquit, *aliquid cum cerebro affine: quia sedes oculorum maxime omnium capitis locorum, seminalis est; quod sola ipsa per coitum venereum manifeste immutetur, & veneris immodico usu oculi aperte languescant, & subsideant.* Est enim inter testes & oculos mirabilis consensus: nam licet verum semen à cerebro non decidat, decidit tamen per hæc vasa interna, quæ Hippocrates dixit, hæc pars delecta semini, quæ in decisione simul cum spiritibus cedit in seminis materiam: nil ergo mirum, si reddat cerebrum debilissimum; est enim illa pars nativæ humiditatis cerebri, quæ motu & delectatione liquatur & descendit.

Hæc pars nitrosæ & nativæ humiditatis vim & efficaciam impertitur & semini, & testibus, ad Veneris potentiam, & virtutem prolificam. Illud est argumentum, quod facultas formatrix prolificandi artifex, à membris præcipuis accipit efficaciam ad similem prolem generandam: ac ideo unumquodque membrorum principalium semini materiam peculiarem præstat, quæ illius virtutem ferat.

Ex quo accidit, ut ablata, absumpta, aut impedita illa humiditate, aut alio expulsa, ad suam portionem juvetur impotentia. De hoc certe legitur illud *Aristotelis* Problema 4. Sect. 2. *Cur immodica Venere utentibus simul laborant oculi & coxæ. Utrum*, inquit, *quod in ipso coitu, manifestissime laborant, hac operatione consentientia ad seminis emissionem, eo quod nempe labore & liquatione dissolvantur; & eo commodo defraudantur; quod erat ad robur & vitam tuendam necessarium: ideo oculi deprimuntur, & coxæ languent.* Quod idem legitur & clarius Problemate 22. *Quare qui concumbunt*, inquit, *resolvi & languere magna ex parte solent*; utrum respondit, quod ab omnibus secretio est semini: quare qualis est ædificationis consonantia, ita corporis: ita enim concutitur compositio, dum res aliqua dissolvitur, ut si sanguis aut nativæ humiditatis pars elabatur; si non fortasse tota: ut in illis qui ex nimia voluptate periere: quod ex sola spirituum exolutione non accidit.

Qua sane cautione prudens consideratio & cavet, & exclamat, ut Veneri modus, maxime in debilibus: & setones, cauteria, & fonticuli, quantumvis necessaria, in magnatibus, acerrimo perpendantur judicio; & prudentis animum acrioribus stimulis explorent; in iis maxime ubi successio filiorum est summe necessaria: nam dum recte nitimur medicandum, si proli non prospicimus, erit irritus labor; & pœnatibus diis vix unquam absolvenda tristitia.

ARTICULUS X.

A toto corpore etiam juvatur impotentia.

Non decidit semen ab universo corpore, sed materia seminis, ut à membris præcipuis: & hæc est excrementum ultimi alimenti: & non illud quod extra corpus pellitur, ut inutile; sed, ut ait *Aristoteles*, quod superfluit ex ipsa membrorum nutritione: veluti cum membra sibi necessarium alimentum sunt attracta; illud quod de sanguine superfluit, parte alimentata & nutrita; hoc *excrementum* Aristot. dixit: *Cujus aliqua portio, in toris formam & per membra dispersa remanet supervacua; alia superfluit, ut multa, & de sanguine puro.*

1 de Gener. animal. cap. 18. 2 de Genar. anim. 19.

Hoc ergo utile excrementum, ad testes transmittitur à perita natura, ut ad loca semini destinata, aut à testium & vasorum seminalium facultate attrahitur, naturali instinctu, ut *Galenus* asseruit, *lib. 1. de Sem.* 16. seu ut perennis fiat propagatio, aut in necessitate per venas, arterias, & nervos vasis consocialibus ad testes; & vasa spermatis: ita ut per has venas, & ab illis, per alias non tantum superfluit, sed necessarium etiam attrahatur pro alimento partium; præter communem sanguinem, ut ex illo ultima prolifici seminis vi testium consequatur substantia, sed sub differentia, ut à parte materiæ, quæ sponte fluit & sine violentia, fiat semen utilius & prolificum, ab illa vero parte, quæ attrahitur jam in necessitate superfluo absumpto, inutilius aut prorsus vitiosum, est enim illud partis colliquamentum: & in hoc sensu intellige auctores, quando dicunt *semen esse colliquamentum corporis universi*: est enim illa purissima alimenti substantia, qua excreta in coitu, plurimum exolvuntur; licet minimum in hoc semen secedat, eo quod corpus eo alimento, quo recreari solebat, defraudatur.

Et hæc est certe causa quare homines invalidi facile resolubiles aut morbo aut natura consumpti, impotentes reddantur; hujus materiæ substantificæ defectu: quod idem pariter de corde & hepate intelligendum remur; nam parte substanti-

ſtantifica illa deficiente, vigore penitus exoluto, exolvitur facultas, denegatur excretio, & deficit expulſio; aut hæc omnia ſaltem imminuuntur.

Ex eodem principio, valde ſenes, invalidi pueri, & eunuchi, impotentes redduntur, aut ſteriles: illi quod nihil reliquiarum ſuperſit alimenti; pueri, quod reliquias in incrementum vertunt; eunuchi, quod potiſſimo careant inſtrumento, quo prolificum ſemen celebratur; teſtibus nempe, & quod vaſa conſocialia frigidiora reddantur, teſtium ſympathia, ſeu caloris defectu: quod etiam viris pinguioribus accidit, qui ſunt minus potentes, quod tranſeat in pingue excrementum alibile.

Ariſtot. l. de Communi motu anim.

Coadjuvat etiam impotentiam flatuoſæ materiæ defectus: nam membri virilis nervus fiſtuloſus, dum flatuoſa ſubſtantia impletur, in pertinaci excretione perſiſtit; & illius defectu, mox collabitur & cedit impotentiæ; deficit flatuoſa ſubſtantia aut excedente frigore, aut intenſo calore exolvente. Hic defectus agnoſcitur ex privatione aliarum cauſarum; & quod nulla penis arte erigitur, aut ſi fiat erectio, quocunque flatu excreto, mox concidit erectio.

Animi occupatio, aut converſio ad alia negotia, ſatis patet, ut etiam qui ſtudio literarum frigeſcunt, aut animo altis curis attrito, defectu ſpirituum; aut ob alias animi paſſiones vehementes, & continuas; ut ſunt timor, triſtitia, & verecundia: magis enim abſtruſi & occulti, ex anima in corpus morbi refluunt, ut Plato ſerio æſtimavit.

Longa Veneris abſtinentia, ſeu nativa, ſeu tempore contracta, ſolet hæc vaſa & membra, & reddere ignava, & hebetia, defectu exercitii; unde connivent vaſa, & concidunt in ſeſe oblita ſui muneris: ut gulæ inſtrumenta in magna & continua ciborum abſtinentia: quo certe vidimus homines periiſſe devorandi ignava impotentia; quo ſane vitio ſeminalia feriuntur inſtrumenta, ut cum ad coitus conſuetum exercitium redire voluerunt, amplius non potuerint: quæ vitia ſi ab ortu contracta, aut alte radicata, rariſſime, aut nunquam curantur ope medica.

ARTICULUS XI.

Phyſicæ ligaturæ quæ impotentiam adjuvare creduntur.

Phyſica ligatura hominem impotentem reddi, plerique rati ſunt, & hoc ab interno principio, nempe ex influxu cœleſti, dum ſingularis aſpectus, aut planetarum figuratio, à formationis patibilibus terminatur, ubi maxime dominatur influxus, pro cujuſque ſpeciei natura, omnibus individuis, aut pro ſingulari complexionis gradu, aliquibus tamen illius ſpeciei individuis congenita; ex quo ſingularis proprietatis efficacia, in hoc aut illo individuo obſervatur; ut pleriſque animalibus, vegetabilibus, & mineralibus obſervare par eſt, ratione ſpecificè aut individualis conſtitutionis: in quorū generatione cœlitus aliqua imbui virtute, aliis prorſus contraria, aut malefica, obſervamus; ut illorum ope rationes ſiſtat, aut liget, vel coërceat: & hæc eſt certe Phyſicæ ligaturæ origo, & principium à cauſa nobis prorſus ignota, per effectus interdū comprobata.

Sic actio magnetis ad adamantis, vel alii præſentiam in debita diſtantia, & ſiſtit & ligatur: ſuccini actionem in paleis trahendis ligat oleum; alyſo, hypericoni, & moly herbis tantam ineſſe contra malignos ſpiritus antipathiam, ut quemadmodum luporum capita januis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecude ne faſcinentur, arcere ac amoliri, graviſſimi auctores tradiderunt.

Eſt tamen alia magis nota ligatio, per manifeſtas & notas qualitates; ut dum calor & frigus actiones potentiarum ligant, aut coërcent, ut dixit *Dioſcorides lib. 4. cap. 37. Plinius lib. 28. c. 10.* alia etiam magica virtute, & detinent & ligant actiones; nam Homerus, *moly* contra veneficia extollit, ac illa Cyrces Ulyſſem muniviſſe, nos docet: quare amuletis quæ virtute naturali nitantur, non eſt omnino deroganda fides, eſt tamen caute tribuenda. De horum enim ſubſtantia vaporum effluvia inſpirata vires corporis reficere, internamque morbi cauſam alterare, aliquando depellere, malitiam ligare, nemo ibit inficias; qui torpedinem noverit, per tridentem manum piſcatoris torpore inſenſibili afficere, & ligare ſenſibilem virtutem; Echenidem etiam piſciculum, (ſi non eſt apocrypha traditio,) navem velis tumentem in medio proceloſi maris detinere.

Odyſſea 10. & 11.

Sic illo vaporum inſpirato effluvio, catharro melantii ſemen medetur; veneno hyacinthus: lapis bezoar malignitatem ligat: epileptiæ ſymptomata pœonia; ſtercus lupi & canis abdita & occulta virtute, colicis doloribus mederi, Galeni eſt ſententia, 10 *Simpl. cap. de Stercore Lupi;* morbi cauſam occulta qualitate depellendo.

& 10. in capite.

Unde periaptis virtutem naturalem non omnino Galenus denegavit, *lib. 6. & 10. de Simpl. med. facult.* neque cantaridum virtutem ſophiſticam exiſtimat: Theophraſtus autem ſolum illa damnavit, quæ certis ceremoniis, aut veneficiis alligata, tum corporibus, tum domibus opitulari credebantur: quæ etiam Imperator Caracalla damnavit, teſte Spartiano.

Non eſt ergo contra veram Philoſophiæ rationem, poſſe hominum imaginationem ligari, aut inſtrumenta Veneri ſervientia, ad hujus aut illius impotentiæ ſortem. Hoc ipſum legimus enarraſſe *VVierum lib. 3. de Perſtigiis, cap. 18.* quod aliqui vinciri & ligari putentur, cauſa imaginata, abſque ullo certo veneficio, ut ad concubitum impotentes, & quaſi evirati reddantur. Hoc tamen naturali occaſione variis de cauſis, uſu venire poteſt; imaginatione, vitiatis, aut impeditis congreſſus organis: propterea non erit ſemper incantationi apponendum illud vitium; nec ſtatim ſuſpicione aggravandus inſons. Quare ſicut à dæmone poſſe inſtrumenta inepta reddi fateor, ita quoque ſpurciſſimæ anus maligna voluntate, & inſulſa imprecatione id effici, conſtanter nego: poſſe tamen, hac aut illa perſuaſione, imaginationem ligari, variis patet exemplis.

Sic in Italia viros, ſe quoque impotentes reddere arbitrantur mulieres, ſi anterius ſubligaculi ligamen furtive alicui ſubtractum colligent: eo etiam reddito, ab eo impotentia ſe rurſus eundem liberari autumant: Idem de lupi virga in alicujus nomine ligata, vel ſoluta, perpetratum exiſti-

existimant: si quis item malevolus, cubiculi, in quo sponsus cum sponsa decumbit, ostium solum pulset, inclametque, insigens januæ cultrum, cuspide usque in ligno relicta; is qui adornat maleficium descendat tacitus; sponsum ea nocte, nihil posse in re venerea, fertur: at in hoc nulla virtus naturalis elucet: ideo est veneficio suspectum.

Plerique etiam sola insulsa & barbara persuasione redduntur impotentes, ut quondam ligatum se fecisse idem tradit Wierus, ut Veneri se prorsus impotentem judicaret, sed eundem dexteritate quadam restitutum: adducens ei librum, Cleopatræ de speciositate conformanda; legensque locum, *ubi eo modo ligati corpus totum inungi jubet, corvino felle mixto, cum sesameleo, & ita juvari*: Hoc audito, confisus est ille libri verbis, & id fecit, citoque augmentato libidinis æstu, restitutus est: nam quemadmodum impia credulitate quis læditur; sic & eadem levari, credibile, usuque observatum est.

Pari fere historia alium ab impotentia, & prorsus naturali, nobili, & potenti alimento, aromatibus condito restitutum, refert *Christophorus à Vega* 5. *de Arte med. Sect.* 10. *cap.* 5. quare si subito incidit impotentia, nullo aut levissimo morbo præcedente, nec aliqua insignis vacuatio, aut aliqua narcotici suspicio, quæ torporem inducat, nec hydrargyrii præcesserit curatio, in homine alioquin valido & robusto, & potenti in Venere, tunc est certe magici ligaminis suspitio, si maxime remanet ad unicam potentia: quoniam omnes fere causas naturales excludit: & talis adaugetur suspicio, si sit inter meretrices conversatio, & ad illam valeat cui potens antea erat.

ARTICULUS XII.

Naturalis impotentiæ examinatio.

Hujus nativæ ligationis examen est profecto omnium difficilimum; & in hoc maxime indelebiles errores committi video; causa nempe non bene explorata; audacia & temeritate sententiam proferendo in judicio. Ideo tam manifestis & exactis distinctionibus impotentiæ capita perpendere studui, ut quantum hominis captus tulerit, in gravissimo negotio propius veritati accedamus.

Quare, cum de viri alicujus impotentia exploranda nostrum prærequiritur judicium, prius divinum auxilium implorantes, perpendere debemus, nativam hujus viri temperiem & totius & singularium partium principalium, & virilitati dicatarum; deinde de vita ante acta, veritate non ficta, non simulata; omnes pene gressus explorare, ut certiores reddamur de vera aut simulata impotentia: tertio membra genitalia tractare necessitas compellit, ut vitia, de quibus antea mentionem fecimus, exploremus: 4. per capita & principia singularia, fiat examinatio: primo de semine, an conditiones naturales sortiatur in substantia, in crassitie, tenuitate, & consistentia, in aliena, aut debita temperie, in delectatione, in cita aut tarda emissione, & in cæteris omnibus, quæ nos illo in *Titulo* adnotavimus.

De facultate expellente acriter discernamus, an essentia debilis, an solum impedita, & à quo nam principio: quorum signa in hoc *Titulo* facilime invenies.

Transeamus deinde ad prolificam seminis facultatem, nempe ad formatricem, & perpendamus, an hæc ipsa in culpa esse possit ad illam nativam impotentiam: & attende, an quando ista languet, possit expellentem coafficere, quo ista à proprio munere otietur, quæ quanto abdita magis causa, tanto acrius judicium exposcit.

In exploranda impotentia in virili membro, & vasis seminalibus, vasorum numerum te decet comprehendere, formationem & situm; deinde vitia contemplari, quibus affici possunt; & qua sunt instrumenta, aut partes similares. De hoc exactissimam notitiam invenies *in Titulo Vasorum*, ut nil amplius possis desiderare.

Deinde affectus per consensum expende, quibus potest illa impotentia foveri: nam consensus potest advenire semini, facultati expellenti, animali, & vasis, & ipsi virili membro: de quibus omnibus exempla ad unguem proponuntur.

Hæc sunt præcipua principia, à quibus impotentia in radice producitur: haud minus tamen acriter juvantia impotentiam, in eisdem principiis cum torno & cothurno perpendamus: nam ibi quæ illam coadjuvant, sedula diligentia expenduntur, in titulo coadjuvantium; seu ex corde procedat, jecore, stomacho, aut ex flatus defectu; seu à corpore toto, aut parte quaque determinata; in juvene, aut sene.

Ultimo physicas ligaturas considera: an etiam ab occulto principio nobis prorsus ignoto, ab influxu nempe invisibili, talis coadjuvetur impotentia: De hoc etiam plura invenies ex arcanis naturæ in hoc titulo.

Ex his tamen unicam regulam generalem elicies, quod naturalis impotens, pari ad omnes laborat impotentia: si vero est ad unicam potens, ad cæteras eviratus & impotens; quod hoc sit infallibile maleficii argumentum: & non impotentiæ naturalis: si excipias impotentem ad arctas, & constrictas, non certe ad corruptas. Is enim proprie *impotens* dici nequit, quoniam est debilis actionis ad potentiam, sed non omnino *actionis* abolitæ, quæ est per antonomasiam impotentia: sed is erit nihilominus impotens ad clausas, quoniam, respectu illius, finis matrimonii frustratur: quod sat est, ad illud matrimonium dissolvendum, ut postea videbimus.

Pleraque tamen alia vere non contemnenda, consulunt juris Peritiores: quod hoc nempe est *honestæ & probæ matronæ committendum, quæ sit exercitata, & quæ nec pretio nec precibus flectatur: & ante illam conjuges simul exerceantur, lauta post cœna, & variis aromatibus condita & pretioso vino: & quæ viderit coram Medico postea recitabit*. Qui, omnibus serio & attente libratis, coram judice suam dicat sententiam, & proferat judicium: omnem deceptionem præveniendo: quod si inde aliqua superfit dubitatio, imperat jus *canonicum* ut conjuges per *triennium* cohabitent ad ultimam probationem potentiæ, ut habetur in *cap. literæ ibi* sic legitur in *Glossa*; *qui enim separantur propter frigiditatem naturalem, per triennium continuum debent cohabitare simul; & operi carnali dare operam. sup. eod. cap. laudabilem. & in authentica de nuptiis. §. per occas. collat.* 4. Ideo requiritur, *juramenta Medici, conjugum,*

gum, propinquorum, matronæ, & obstetricis. Nam circa majora cautius est agendum: aliis etiam imponitur peculiari odio; aliis ob spem altioris conjugii; & ob mille fraudes aliis: nam fallaciæ, quæ in magnis negotiis quotidie emergunt, non possunt præveniri. *Erunt enim vitia; donec homines.*

ARTICULUS XIII.

An naturalis frigiditas contractum dirimat matrimonium.

An impotentia nativa frigiditate contracta absolvat à contractu, & contractum dirimat matrimonium, prudentiam non vulgarem exoptat, & naturæ arcanorum peritiam: ac tandem rationis legum consonantiam; quare ex prædicta doctrina elicitur conclusio.

de hoc Th. Sanch. l. 7. de imped. matrimonii disp. 92. & 3. usque ad finem.

Impotentia contracta ex aliquo ex tribus principiis adductis, seu per se, seu per accidens, contractum dirimit matrimonium. Formalis ratio hujus conclusionis in hujus contractus essentia consistit; matrimonii contractus stat in summa libertate consensus, & in mutua traditione corporum, & in solvendi debitum potentia, ut finis matrimonii adimpleatur: qui est generis humani propagatio, aut in concupiscentiæ subsidium. Ergo si hujus sacramenti stabilitas, (quod est de jure divino) in his tribus conditionibus consistit, quæ adimplent essentiam contractus, quacunque deficiente, erit irritus: & nullus, qui sub hac impotentia celebratur. Patet hoc, quia matrimonii finis nec minus adimpletur, per coëundi potentiam, quam per consensum & mutuam traditionem corporis: ergo sub eodem jure militant adductæ omnes conditiones.

Contra conclusionem sic objicies: Finalis causa, in vera philosophia, semper est extra essentiam rei per causalitatem productæ: ergo non potest essentiam in productione constituere. Huic objectioni respondemus, quod in physica rerum productione, verum est, finalem causam semper esse extra rei producendæ essentiam; non autem in causalitate morali: quoniam moralis essentia constituitur per formam & finem melius operandi in virtute morali: & cum forma & finis hujus sacramenti non tantum sit physica in propagatione, sed moralis, in conservatione & educatione filiorum, inde oritur, ut hujus matrimonii essentia, etiam per finem moralem constituatur.

Est tamen hujus conclusionis conditio, ut impotentia sit perpetua, qualis per causas ante dictas contrahitur; & ante matrimonium contracta: talis enim & contrahendum impedit, & dirimit contractum, per textum *in cap. quod sedem, & cap. laudabilem de frig. & malef.* quippe *nemo tenetur ad id quod præstare non valet*, ad legem aliorum contractuum, *leg. impossibilia ff. de reg. Iuris.*

Aliam conditionem prærequirit Pontificis decretum, nempe, si non valet mederi ope Medici, ut legitur *in cap. literæ. de frig. & malef. in cap. 3. ex literis*; sic habent verba textus; *naturale impedimentum, arte Medicorum irreparabile, impedit matrimonium*; quod si aliter fiat, & nubat impotens, & invalidus, dolus, & fallacia arguitur, quod sat est, ad nullitatem contractus comprobandam; & illa censetur perpetua sterilitas, & talis impotentia, ab Aristotele 2. *de generat. animalium* 5. quæ à primo ortu naturæ innascitur locis ad coitum incommodis & læsis; & hæc medici artificio non cedit.

Non tantum dum ex propria impotentia debitum solvere nequit, (ut constat ex prædictis) dirimitur contractus; sed etiam, dum ab illa impotentia viri, mulier in gravem noxam inciderit; tunc enim etiam separatur, & juste, matrimonium; sic *in cap. 3. ex literis Papæ; Quidam sexdecim annorum nupsit mulieri tredecim; qui cum debitum reddere non possit, mulier tam gravem infirmitatem contraxit ut omnino viro facta sit inutilis, & instrumentum ejus impeditum per arctationem, ut viro commisceri non possit: Respondemus igitur, si vitium est à natura, & incurabile, alii viro nubat, &c.* Hoc etiam ratio naturalis convincit; quia finis matrimonii impeditur, & in utraque conjuge frustratur.

Non tantum impotentia simpliciter, sed secundum quid est ad solvendum matrimonium sufficiens; nam si daretur, quod præ debili potentia arctam mulierem penetrare non valet, nec illius virginitatem solvere: hic etiam casus dirimit matrimonium, quia finis matrimonii frustratur: quoniam nec inde consequitur generationis propagatio, nec est in concupiscentiæ subsidium; sic legitur *in capite consultationi tuæ. Propter arctationem mulieris, si absque periculo corporali, habilis reddi non possit, separatur matrimonium; redintegratur tamen si postea apparet habilis, intellige, ad illam arctationem penetrandam.* In hoc tamen statu illud advertit Glossa, *non tantum requiritur cohabitatio, (ad comprobationem impotentiæ hujus) & juramentum utriusque, sed insimul habitasse ipsis, cum septima manu propinquorum manu firmantibus juramento, se commisceri carnaliter nequivisse: tunc proferatis nullitatis sententiam inter eos.* Sed quare requiritur juramentum propinquorum, si sufficere debet juramentum viri & mulieris, quæ illam virginem asseverant, ut supra dictis propinquorum, probationibus *cap. proposuisti, & cap. causarum matrimonii*, vel etiam juramenta propinquorum sufficiunt cum utroque id confirmetur; 31. *quæst.* 1. *cap. nec aliqua*; Ideo juramentum propinquorum requiritur: omnis enim cautela est adhibenda, ob periculum animæ; ideo circa majora cautius est agendum: 7. *quæst.* 2. *cap. ultimo & 42. destinet cap. quiescamus, ff. ad Carbon. lib. 1. §. 2. & 61. destinet cap. miramur, &c.*

decretal. tit. 25 cap. 7. litera vestra.

In capite literæ, sic habent verba capitis; *si uxor viro cohabitet per triennium, & jurat non habere potentiam coeundi, matrimonium separetur: si tamen vir dicat non habere potentiam illam, sed ad alias, si hoc constat in effectu, & septima manu propinquorum, separetur matrimonium.*

Quare judicat Papa quod æque in utroque casu separetur matrimonium, in frigido nempe & maleficiato; quia nec ex diabolo, nec ex illa nativa frigiditate est sperabilis ulla redintegratio potentiæ: hoc enim adnotatur in glossa, primo ut loquatur in maleficiato: secundo si loquatur in frigido: tertio, si mulier nullam reddit causam impotentiæ: & qui dicit habere potentiam cognoscendi alias, allegat maleficium, quoad istam,

non

non tamen quoad alias, & non frigiditatem: quia si quis est frigidus quo ad unam, quo ad omnes est frigidus; cum impedimentum à natura procedat, ut *cap.* 3. *Ex literis*, secus in maleficiato, ut dictum est supra *cap. proximo.*

Unde postquam constiterit de maleficiato, post triennium debent separari, & ad alia vota transire; 33. *quæst.* 1. *cap. si per sortiarias:* Secus in frigido, ut supra *eodem cap. & cap. laudabilem. &* 33. *quæst.* 1. *cap. de his requisisti.*

In hac ultima clausula Glossa videtur innuere, si impotens præ frigiditate redeat ad potentiam, etiam redeat matrimonio; quod maleficiato non permittit; quia, meo judicio, potius est sperabilis salus ex natura quam ex diabolo.

Nec immerito judico hoc relictum in ancipiti alea: vidimus enim intra illud triennium affectus impotentiæ omnino persanatos; quantumvis à natura procedant: ut habent verba textus; quare si talis daretur casus, possent triennio exacto redire matrimonio; quoniam Pappa non condemnat, nisi arte medicorum irreparabile; & ad hoc tantum ordinatum est triennium. Et unum certe legimus impotentem ab Olerio curatum, seminis transitu ad vasa seminalia denegato, ideo impotentem judicatum qui postea rediit ad potentiam. Alium restituit Doctor Christophorus à Vega: & naturæ majestas in omnibus momentis fide caret.

Illa tamen in hac re est major consideratio, quod alia impotentia est ab ortu contracta, & generationis principio coæva, & alia in tempore producta; illa medicinæ auxilio non cedit, ista interdum restituitur; quod idem in venefica impotentia accidisse, Baptista Codronchus auctor est, *lib.* 3. *cap.* 6. *de morbis veneficis:* quare in hoc etiam est maxima cautio adhibenda.

Quia clausura in mulieribus, quæ aut natura, aut morbo comparatur; aut etiam ex gravi hominis impotentia, ut in textu advertitur; nec semper est perpetua, omnino incurabilis censetur à Medicinæ doctis. Quod si daretur ut mederi valeret, non erit absoluta causa solvendi matrimonium; excepto ubi omnibus Medicinæ auxiliis tentatis, non proficeret; nec illæ particulari impotentię sat esset in proposito casu; nam aliæ poterit esse satis: sed hoc non convincit in casu alieno; si in illo de quo est dubitatio, non concludit.

An curabilis. Clausas mulieres Galenus *attritas* vocitavit, 2. *de caus. Sympt.* 4. Albucasis *Alratica*; Rasis *arctas*: Avicenna *Clausuram*, Ætius *Imperforatas* dixit. Illa autem clausura tribus in locis accidit, aut in pudendi labiis, aut in sinu pudendi, aut in osculo uteri. Causa hujus clausuræ aut est depravata partium conformatio naturalis, aut ex callo ab ulcere contracto, seu tota quæ dehiscit cavitate, aut ad latera saltem: hoc etiam & à schirrho contingit, tempore indurato, aut excrescente carne, ut Avicenna dixit; *Phimosim* Galenus vocitavit. Natura etiam monstra ex errore producit, in conformatione depravata, seu uberiori materia cumulata; forte naturæ vitio; facultatis formatricis defectu, aut errore, in primis elementis, dum embryo configitur, adnascente nempe in ostio pudendi membranosa, aut carnea substantia; quo separatæ partes inter se coalescunt; adnascentem membranulam fieri ex paniculo fœmoris, Savanarola dixit.

Avic. 21.3. *tract.* 1. *c.* 4. *Gal.* 9. 2. *locos cap.* 6. *Paul. lib.* 6. *cap.* 72.

Paul citat. Hujus mali causam Paulus ad artis principia reduxit. *Genitales mulierum partes*, dixit, *clauduntur interim à natura, interim accessorio morbo præcedente, alias in imo, alias in alis, sæpe etiam in medio spatii: idque aut secundum naturam, aut ex obstructione: quod autem foramen intercipit, intercluditque, vel caro, vel membrana est: virginitas enim in sola partium clausura consistit, constrictioneque absque ulla intercipiente membrana: nisi illud forte ex eventu contingat, aut errore naturæ.*

Citat. loco. An autem omnes istæ clausuræ debeant censeri *incurabiles*, peritos de hac re differentes nos oportet consulere. Nullam desperatam Paulus judicat, si serio & attente curetur; citato loco, seu à callo seu scirrho, indurato contingat. Si à tunica ibidem adnascente, est tutissimum & facile remedium, tunicam illam foraminibus perviam scalpello incindere, & postea separatam conservare, usque dum perfecta sanitas consequatur: quod nobis in puellis haud semel observare contigit. Has etiam clausuras curare docuit longa post experientia Albucasis, & accurate etiam Theodorus Priscianus, Moschio Græcus, & Ætius.

Alb. lib. 4. *Serv.* 4. *cap.* 6.

Quare concludimus, quod illa clausura quæ valet Medici artificio mederi, matrimonium non dirimit, ut etiam constat *ex cap.* 4. *consultationi tuæ*: nec etiam alii affectus, qui cedunt arti Medici, quantumvis contagiosi & pravi judicentur, ut elephantiasis, lues gallica, lepra, oris fœtor, &c. seu ante, seu post matrimonium contracta.

Illa tamen est adhibenda cautio: quod si post matrimonium contrahatur impotentia in viro, illa certe matrimonium absolute dirimere non debet; quia humanum est in casibus fortuitis matrimonio sancto ligatos parem pati fortunam, & infortuniorum esse participes; quia nedum servus, qui morbum in ipsa servitute contraxit, præmio & mercede defraudatur, uti servus Ecclesiæ aut Reip. excepto, ubi regni, seu nobilis & antiquæ domus successio penitus defraudatur; quoniam finis communis, aut successionis, aut pacis consequendæ, illam casus particularis superat humanam tolerantiam; ad imitationem naturæ, quæ peculiarem jacturam pati sinit, ne universum pereat: hoc enim est communis utilis privilegium.

Hic tamen excipiendus casus est, ubi ex viri impotentia mulier in gravem noxam inciderit, contracto matrimonio, nempe in nimiam & insuperabilem pudendi adstrictionem, quoniam in decreto hic casus exceptus invenitur ad contractum dissolvendum matrimonium.

ARTICULUS XIV.

De sterilitate mulierum.

Non ita crebro vocatur in judicium fœminæ *sterilitas*, ut viri *impotentia*: Ideo, (si forte contingat,) de hoc pauca dicemus, sed scitu digniora.

Fœminæ sterilitas est semen in utero non concipere, aut conceptum non retinere, aut depravate seminis materiam disponere, ut frustretur con-

conceptio. In primo, vis uteri abolita elucet; deminuta in secundo, depravata in tertio. Prima est absolute sterilitas; aliæ secundum quid: nam utero tres facultates serviunt, in ipso conceptionis munere, *attractrix, retentrix, & expultrix:* & hæ sunt quæ tripliciter in conceptionis opere læduntur.

Ad conceptionem concurrunt, uterus, vasa seminalia, ut instrumenta huic muneri dicata; semen, ut agendi principium potentia vitale: menstruus sanguis, ut alimentum fœtus: & prædictæ naturales potentiæ, distinctæ ab illis quæ uteri alimento famulantur: temperies: spiritus utrinque concurrentes; & alia; quæ huic ministerio concurrunt, his tribus principiis famulantur. Quæ si simul in seminis conceptione concurrunt, ut inde seminis conceptus fiat, & geniti embryonis augmentum, adornatur fœcunditas; sin omnia, aut singula deficiunt in munere à natura mandato, tripliciter lædi conceptionem contingit, *abolite, deminute* aut *depravate*.

Ideo ex fœminis aliæ non concipiunt, quas proprie Galenus, Plato, & Aristoteles *steriles* dixere: has dixit Aristoteles *natura & proli infœcundas*, abolita omnino generandi potentia vel ab ortus principio, seu tempore contracta indelebili vitio.

Hippocrat. Aristot. 2. de generat. animal.

Aliæ ex fœminis semen in utero conceptum retinent, sed fœtum perficere non valent; quibus necessario accidit abortiri, ex deminuta uteri retentrice, lubrica humiditate, aut crudiori sanguine laxata; aliæ & semina concipiunt, & avidius retinent, sed pariunt monstrosa: seu ex depravata uteri actione, formatricis errore, seminis ubertate, aut defectu; seu vitio locellorum ipsius uteri; aliæ tandem bis aut semel concipiunt, *steriles* in posterum; de quibus in Hippocrate est celebris memoria.

Hæc tria principia in *sterilitate* eadem pene vitia patiuntur, velut in *impotentia*; ideo ne abuti tempore videamur, illa repetere non libuit; sed isthuc loci lectorem benivolum relegare; ubi de *tribus principiis impotentiæ* disseruimus. Hic enim pariter uteri vasa & substantia patiuntur, ut partes similares aut organicæ; & eisdem pene affectionibus, in intemperie, depravata compositione, aut soluta unitate: & semen eadem pene vitia pati potest; ut etiam uteri facultates, & facultas formatrix; menstruus sanguis potest reddi alimentum inutile, qua multus, vitiosus, tenuis, nimis crassus, aut peculiari vitio defœdatus, profluens, aut ultra par retentus: potest tandem esse *innata sterilitas*, ex peculiari proprietate individui, aut influxu cœlesti, aut obesitate nimia, & crassitie; *Quæ*, ut Hippocrates dixit, *os uteri comprimit*, aut exili gracilitate corporis.

de hoc Hippoc. 4. Aph. 46. Arist. 3. de hist. animal. 17. Plin. 11. natural. hist. 37. 2. de morb. mul. 5. Aph. 52. 3. & 4. 60. & 62. lib. de Sterilib. lib. de aëre & locis. text. 26. lib. de natura humana 1.

Ex vitio corporis universi, in obesitate, & crassitie constat ex Aristotele 3. *de histor. animal.* 17. ex Plinio 11. *natural. histor.* 37. ex Hippocrat. 5. *Aph.* 45. 6. *&* 7. *&* 52. 2. *de morb. mul. & lib. de Natural. mulier. & de sterilitate lib. de Locis in homine* 16. *& lib. de Natur. hum. comm.* 1. quibus in locis ad experimenta devenisse constat, ad *sterilitatem* comprobandam.

Sors alia *sterilium* observatur, non absoluta, sed viro comparata, quæ ex dissimili utriusque temperie, si non proprietate, comparatur, ut Stoicis placuit; quod sequitur Lucretius quando dixit:

5. Aph. 59. & Galen. in comm.

Gal. de hist. philosophica.

> *Usque adeo magni refert ut semina posint*
> *Seminibus commisceri generaliter apta:*
> *Crassaque conveniunt liquidis, & liquida siccis.*

quas si curare velis, in graviora pericula deduces; qua facile importuno auxilio in absolutam *sterilitatem* dilabuntur.

Fructus enim qui ex terra nascuntur, non quivis ex quaque terra nascitur, augetur, perfecte maturescit: sed unum quodque semen amat peculiare solum, quod est illi prolificum, aliis inutile; si non prorsus contrarium: quod utero mulieris accidisse par est; quoniam licet fœmina sit temperie, & natura fœcunda, semen optat prolificum, sibi consociale, & gentilitium; ut ex utroque semine proli congeneum resultet. Quid enim contulit *fœcundum* dare semen; si utero *sterili* suscipitur, & à natura seminis alieno? nam illius fœcunditas metitur agri fertilitate; quoniam soli frigiditas & compacta natura, seminis fructum emergere coërcet: obruit & suffocat, prolificam virtutem infœcunda humiditas, & semina putrescunt; mittimus etiam quod ligamenta laxat, defectu alimenti; marcescit semen, ab soli exurenti calore, & siccitate arida.

Sic uteri densa & compacta natura, frigore & vasorum angustia, fœturæ incremento est inepta & obruit prolificam virtutem: nec intrare permittit ad embryonis fabricam, nisi sanguis serosus, tenuis, & inutilis, pro ipsis perficiendis involucris, & solidiori spermaticarum partium alimento; & in utero qui laxa & inundante humiditate fluctuat, (ut in palustri solo) semina extinguuntur; aliquando putrescunt: utque in agro sicco calidiorique marcescunt semina defectu alimenti: sic in arida uteri siccitate, calore copulata, vivifici seminis potentia viventis, nectar prolificum absumi, & aduri, par est: nam de malis auguria non sunt bona; frequens etiam abortiendi casus potissima sterilitatis causa est; ut antiquatæ etiam obstructiones uteri; sed præcipua est dissociata seminum contrarietas; seu sit à lapsa intemperie, seu ab indiuiduali qualitate; antipathia contraria pugnantibus.

Quoniam sola illa seminis vasorum contrarietas quæ in primis qualitatibus observatur, actione, & passione ad invicem refracta, quæ certam & temperatam symmetriam constituit, fœcunditati & proli necessariam, hæc sola est fœcunda: ut si calidum viri semen mulieris frigidiori temperetur, quod non sit valde lapsum: hujus experimenti illud est argumentum, *mulier in primo conjugio sterilis, in secundo fœcunda; licet idem maritus esset cum alia sterilis.*

ARTICULUS XV.

Sterilitas cui nam consorti adscribenda.

In dubio autem, *cui nam conjugum esset adscribenda sterilitas.* In varia experimenta devenerunt auctores, forte rei difficultate superati: Avicenna experimentum ex Rasio antiquissimo adduxit, quod aliis certius Mercatus æstimavit: nempe *ut super aquam semina conjugis utriusque prolicantur, & quod supernataverit, judicandum sterile.* Huic addit secundum, *ut urina utriusque super lactuca radices*

Fen. 21. tract. 1 c. 7. 22. continentis.

dices inspergatur, aut plantæ alterius tenerrimæ: & quæ suam radicem exsiccaverit, illius est censenda sterilitas. Aliud Galenus docuit experiri, *ut in duobus vasis contineantur semina hordei, tritici, aut fabarum & sub eodem numero, & super illa separatim conjux uterque mingat; & si post septem dies hæc semina nascantur, illud erit fœcunditatis argumentum; sicuti marcescere sterilitatis.* Hippocrates 5 Aph. 59. *Si mulier non concepit,* inquit, *scire autem velis an conceptura sit, pannis circumtectam de subter suffias, & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito quod ipsa non ex se sterilis est.* In cujus Commentario Galenus; *totum non pervadit corpus qualitas suffitorum, quibus durum ac densum est uteri corpus, tale enim conceptioni non est aptum, ut alibi etiam dictum est ab Hippocrate.*

ARTICULUS XVI.

Quo tempore mulieres concipere incipiant.

Antiquitati placuit, legitimum concipiendi tempus esse post menstruata semina, quod certe Aristoteli placuit, 7 *de Hist. anim.* 2. *Mulieribus,* inquit, *à profluvio menstruorum sua natura conceptio contingit; & quæ his carent, steriles magna ex parte fiunt:* non absolute, *magna ex parte* dixit. Novimus enim concepisse plerasque fœminas antequam menses apparuissent; & quibus nunquam fluxerunt: illis nempe in quibus nihil erat superfluum, sed proli necessarium cumulantes, reliquo absumpto in alimento corporis. Est tamen ad sterilitatem, *nullos habere menses:* & quod proli alimentum non suppetat, & quod locelli uteri, præ ariditate irrigationis defectu, obdurescant, quo neque semen concipitur, nec conceptum prolificat.

Ex alio principio nos sterilem vidimus, ut antea notavimus, satis nobilem fœminam, & 20 annorum, defectu appetitus ad venerem, & delectationis carentia, in actu matrimonii, & non viri defectu: erat enim nupta satis robusto viro, & quem in aliis constitit genuisse. Hoc ex duplici principio accidisse ratum duximus: seu ex alta obstructione viarum, per quæ semen ad uterum descendit; seu ex tam intensa seminis frigiditate (erat enim ex Angliæ provincia) ut adhuc motu valido, & exercitatione, prorsus non incalesceret; nec loco moveretur: nam semine carere, credere par non est, juvenculam, & coloris laudabilis.

Ut ista præcaveatur sterilitas, ex ætatis defectu, nuptiis Plato legem imposuit, *lib. 6. de Legibus,* nempe, *ut viri conjugium ineant à 35 anno, & puellæ nubant anno 16. ut sit fœcunda proles:* quoniam æstimavit quod antea immaturi concubitus plerunque non concipiunt; & si forte concipiant, esse fœtus invalidos & semper cum abortus periculo: quoniam damna quæ relinquuntur, in uteri locellis, & pudendi, ex abortu, aut postea auxilio non cedunt, aut plane conceptioni reluctantur; seu callo ex ulceribus his locellis inducto, seu imbecillitate, ad cujus regressum nulla datur potentia: nam virgines ante tempus corruptæ, (quod etiam accidit ex frequenti abortu) ex illa violentia, valetudinariæ evadunt, & debile illis os uteri redditur, valde intemperatum, & exhaustum, spiritu & sanguine, ut haud semen concipiant aut conceptum retinere non valeant: quod solet esse augurium graviorum malorum, ut nos experti sumus: vidimus enim tales, importunas accessiones pati ex uteri consensu, ut præfocationes, & graves epilepsias.

De his hoc tempore invaluit opinio: *Valetudinarias & invalidas, statu matrimonii, & concubitus usu, ad salutem restitui:* & sic perinde accidit in illis, in quibus causa mali, est uterus, aut improspera menstruorum purgatio, aut seminis retentio: quod certe mille modis fœdatũ, in gravia discrimina perducit halitu venenoso: in his enim concubitus usu, à pravis succis uterus expurgatur; & occlusa venarum oscula, motu & agitatione dehiscunt, mensibus via datur: ut solito cursu, à gravissimis malis liberentur: retentũ semen motu & delectatione ad uteri cavitatem propellitur, ibidem expurgatur, si nõ fit in utero conceptus, quo à malis quę ex retento aut fœdato progerminant, liberentur; at illis quibus antiqua mala delitescunt, in venarum hepatis antiquata obstructione, aut mesaræi venis, fortasse in ventriculo tantum abest, ut concubitus usu lucretur desiderata salus, quin imo nova malorum accessione cumulentur; & nova & lamentabili querela jactentur in deterius; quia ex motu importuno, & pravo corporis apparatu, lentæ febres succrescunt; novæ obstructiones, fusis & liquatis humoribus, melancholici affectus intenduntur, ad cor & cerebrum vaporibus elatis; quibus omnibus languor & imbecillitas non tantum affectus deteriores reddit, sed & curatu difficilem declamat: quod non tantum ratione convincitur, sed experientia etiam comprobatur.

ARTICULUS XVII.

Quæ sterilitas sit prorsus incurabilis.

Aliam *sterilitatis* sortem nobis Hippocrates tradidit observatam, *lib. 1. de Morb. mul. 5. & 6. cap.* quod etiam *in septimo* prosequitur; *illarum nempe quæ semel pepererunt, steriles in posterum.* In duplicem causam hoc loco præceptor culpam rejicit: quod mulier, nempe, postea serosa reddatur, aut uteri purulenti reddantur. Ex quo colligimus quod habitualis intemperies in utero, post partum impressa remanet, quæ concipiendo obsistit; seu à serosis purgationibus alteri impotentia contrahatur, seu qualitas indicibilis remaneat impressa, ex emortuo fœtu, aut abortu expulso, aut longa certe purgatione uteri; si non dicimus, quod mulier postea serosa redditur, frigida in utero contracta intemperie, si non etiam humida, ex qua, qui feruntur humores in alimentum uteri, in serosam materiam convertuntur; ex quo hydropis uterus periculo laborat.

Uteri purulenti, quæ est secunda causa, tunc mihi videntur reddi, cum pus manat ex utero, ulcere derelicto, aut tuberculo rupto: quod si quid tale, post partus labores accidat, vehemens est suspitio, aut ambo, aut saltem illorum alterum accidisse.

Has Hippocrates dixit difficulter curari; & merito sane: seu quia habitualis intemperies rationali auxilio resistit: seu quia uteri ulcera, ab Avicenna pene incurabilia æstimantur, & ob partis conditionem, & naturam, quæ longe humida, semper pravis humoribus scatent; ex quo fere semper

2 Prog. 3. & l. de Morb. mul. 1. 6. & 7. cap.

semper transeunt in cancrosa; si plures maxime partes uteri ulcera occupaverint; quod cicatricis lævitas utero derelicta, semini retinendo sit inepta.

In sterilitate contracta ex vitioso temperamento uteri, seu figura illius vitiata, impossibilem curationem judicat Aristoteles: Galenus utitur *epicheia*; *si autem sunt magnæ causæ*, inquit, *à primis elementis altius radicatæ, auxilio non cedit sterilitas, (quod etiam Abenzoar confirmare videtur;) sin autem sint fugaces, nec multum a natura egressæ, erit certe sperabilis curatio*; de hac etiam Sereni, Medici antiquissimi, sententia intelligitur: *naturam, potenti medicamento victam, fœtum dare*; in hac etiam linea causæ accidentales & externæ, quæ sterilitatem aut fovent, aut producunt, nec adimunt spem, nec tutam omnino curationem reddunt.

[*5 Aph.62.*] [*l.2. Theiz. tract.5.c.1. Arles 4 de Generatione animal.*]

Plerasque fœminas advertit Avicenna ex sterilibus tardius, quam fœcundas senescere; forte propter partus labores & gestationis dispendium, absumpto in fœtu alimento; aliter in brutis accidisse, memoriæ mandavit Aristoteles, *prægnantia enim*, dixit, *bruta, ut plurimum degere incolumia; fortasse quod fœturæ superfluum, & quod prorsus inutile in sui convertant alimentum.*

[*4 de Generatione animal.6.*]

Parum securas prægnantes mulieres æstimavit Vitruvius, *quia quando gravidæ mulieres*, inquit, *vendebantur, non præstabantur sanæ*: quod apud Euripidem bene novit Medea, quando dixit: *se malle ter sub clypeo dimicare, quam semel parere.*

[*2 de Re rust. cap.9.*]

ARTICULUS XVIII.

An sterilitas in fœmina dissolvat matrimonium.

Fœcunditas in fœmina; ut in viro potentia, sub eadem militant disciplina, sub eodem nempe fine; ita enim impotentia, generis humani propagatio impeditur, ut sterilitate; quare si ad propagationem, & concupiscentiæ subsidium, est divinum matrimonium institutum; æque ab impotentia ac sterilitate defraudatur; si impotentia omnibus numeris absoluta, ad dissolvendum matrimonium sat est; sterilitas, quæ prorsus incurabilis, quæ non valet medicinæ auxilio mederi, etiam ad dissolvendum matrimonium sat erit.

Nihilominus tamen sit conclusio: *Mulieris sterilitas, omnibus numeris absoluta, matrimonium non dirimit, nec ad dissolvendum conjugium sat est.* Ratio fundamentalis hujus conclusionis in hoc præcipue consistit: quod in duplicem finem matrimonii sacramentum dirigitur, & *in generis humani propagationem*; & *in concupiscentiæ subsidium.* Quare si deficit prima pars hujus finis, propagatio nempe; secunda semper permanet, quæ sat est ad hujus matrimonii complementum. Hæc etiam ratio roboratur, quia hujus finis divisio potest esse ad electionem contrahentis, quoniam, quantumvis spe careat generandi senex octogenarius, aut fœmina in eadem ætate, poterit matrimonium concupiscere; legitime contrahere, hac sola parte finis, ne incontinentiæ periculo laboret: & illud non alterius conditionis injuria: & ratum nihilominus erit matrimonium, quantumvis sterilitas omnem possibilitatem excludat generandi. Hoc ita clare patet, ut aliis adminiculis non indigeat; præterquam quod est expressa sententia Thomæ Sanches de *Impedimentis matrimonii, lib.7. disp. 92. & 3. fol. 358. His tamen non obstantibus*, inquit, *certissimum est sterilitatem nihil obesse valori matrimonii, quod Ecclesiæ usus ita habeat: nunquam enim auditum est dissolvisse aliquod conjugium, ratione sterilitatis, imo passim admittit senes ad illud ineundum*: sic tenet D. Thom. *4 dist. 34. quæst. unica à 2. ad 3.* sic receptum est passim ab omnibus Theologis & Juris Pontificii Professoribus; paucissimis exceptis, quos refutat Barbosa, *cap. 1. part. 1. n. 98. ff. Solut. matrim.* sic Sanctus Bonaventura & alii.

STATIO VIII. ARTICUL. I.

DE MALEFICIATIS.

Hoc est de impotentiæ ligamine veneficiis contracto.

Ligatos ad Venerem veneficæ ope, *maleficiatos* intelligimus. Quid sit *impotentia*, antea vidimus: qua forte maleficii contrahatur, nunc oportet ediscere. *Est veneficium in communi prava corporis commutatio, virtute dæmonis ex pacto cum homine tacite vel expresse inito, ejusdemque hominis ministerio ad improbam aliquam cupiditatem explendam, seu noxam inferendam, justo, quamvis occulto, divino permittente judicio.*

Quare *Ligamen impotentiæ est quædam noxa, quæ vasis Veneri servientibus inducitur: seu prava harum partium commutatio: qua iners debilitas infigitur in partibus prædictis, ne expleatur ad Venerem potentia; ope veneficæ & in virtute dæmonis*; & hoc *Ligaminis maleficium* dixere sacri canones, sub *titulo de Frigidis & maleficiatis.* Quod sane maleficii piaculum, à Zoroaste Noæ filio tertio, & ante diluvium progenito, descendit ad hariolos & magos; Constans est Berosi antiquissimi sententia, Zoroastem Patris genitalia, carmine ferali, & solo manus tactu, ignavæ adegisse impotentiæ; ut non inde postea genuisset; & hinc ortum traxit Poëtarum traditio, (nec vana fides) Saturni filium patris genitalia amputasse, ligata in posterum potentia, ut Hesiodus in *Theogonia*; Plutarchus *lib.1. de Natura Deorum.*

[*tit.15. à cap.1. ad 7. Petr. Greg. 3 Synt. universi juris, c 9. n.5. & Hesiod. in Theogonia. Plutarch. lib.1. de Natura Deorum.*]

ARTICULUS II.

An dæmon ope veneficæ possit impotentiam in homine inducere.

Hoc omnis Sacra Theologia supponit, fatentur sacri Canones; quoniam eo modo, quo dæmon valet varias infirmitates & noxas in corpus humanum ducere; (divino Numine permittente) seu activa passivis applicando, seu medio hujus aut illius instrumenti, seu falso, apparente perstigio: sic valet etiam impotentiam partibus genitalibus inducere: quo evirati homines, & ignavi redduntur: & hi sunt qui proprie *maleficiati* appellantur. Hæc est patrum sententia, & utriusque juris.

[*In cap. si per sortiarias 23. quæst.1. cap. cum à Fil. & fug. & malef. D. Thom. 4. Sent. dist. 34. quæst. 1. art. 3. & part.3. qu. 58. art. 2. Binsfelt. in Confess. malef. quæst.2. concl.6. Delrio l 3. Mag. part.1. quæst. 4. sect.8. Suar. lib.2. de Relig. cap.16. n.22. Spring. in Malleo, part.1. quæst.8. & part.2. quæst.1. cap.6. Th. Sanch. tom 2. lib. 7. disp.94. n.1. Sic haberi in capite laud. de Frig. & mal. Grilland. de Sortileg. lib. 2. quæst.6. n.11. 12. & 33. Remig. lib.2. Dæmon. cap. 5. Godelmar. de Lamiis, fol. 388. Menoch. de Arbitrar. cas. 388. Majol. 2. Canicul. colloq. 3. Molitor de Pythonissis, cap.7. Cæsalp. de Investigat. dæmon. c.10. & 11. Codronch. 3. de Morb. venef. cap. 5. & 6. VVierius 3 de Perst. cap. 18. Forest. tom. 1. obser, lib. 26. observ. 18. Fernel. 6. Patolog. 13.*]

A R-

ARTICULUS III.

Quibus instrumentis maleficii ligamen consequatur.

Hæc eadem, quibus natura utitur ad morbos inferendos, dæmon assumit; quoniam propria virtute, valet dæmon operari, quidquid motu alterationis & locali consequitur, dummodo non sit in destructionem universi: quare potest dæmon in semen, in vasa seminalia & imaginationem, inducere species, qualitates, substantias, actiones, aut horum contraria, si conducunt, per medium veneficæ; aut hæc membra carmine ferali ligando, aut per herbas, in cibo & in potu, sub idolis & falsis imaginibus, seu in parte vestis imputata, seu sub panis buccella, verbis & rebus sacris, sub certis ceremoniis commixtis, maleficæ magisterio adaptatis: quibus dæmon assistit, in virtute contractus, & fœderis iniqui; seu ipsas actiones naturales ligando, aut admotis obstaculis, ne in actum potentia prorumpat; quod ut plurimum accidit ad omnes præter unam: hæc tamen impotentia potest esse ad tempus, vel perpetua, ad intentionem & imperium veneficæ: hoc enim non repugnat, nec ex parte affectus, nec ex parte conservantis diaboli: qui eadem valet, quæ semel intulit, Divino Numine permittente.

Quare sit Veneris actus prohibitio, unius respectu, non alterius, dixit Pater Bonaventura; seu quia Venefica respectu determinatæ personæ diabolum ascivit, vel cum eo fœdus iniit; vel quia Deus respectu cujuslibet, impedire prohibuit, ut liquet de Uxore Tobiæ; quoniam dæmon id præstare tenetur, (permissione Dei) ad quod in sanguine maleficæ conducitur.

Hoc etiam ligaminis maleficium, varia comitantur; nam interdum malefica odium inducit inter conjuges: aut deformitatem repræsentat in altero: aut corpus interponit inter virum & fæminam, dæmonis artificio; aliquando coëundi voluntatem avertit, cum hac determinata non cum alia: interdum infrigidat potentiam, frigiditatem his partibus inducens; aut adimit flatuosam substantiam, quo flaccescit erectio adhuc quæ videbatur duratura; interdum feminis vias intercludit, ad vasa seminalia, aut viri aut mulieris.

Raphaël de la Torre, de Vita opos. relig. qu. 96. art. 2. disp. 10. Malder. tract. 10. c. 8. dub. 9.

De hujus impotentiæ ligamine, & per hæc instrumenta, varias refert historias Springerius & Grillandus. De hoc dixit Fernelius: *Extinguitur virilitas, à causis naturalibus, ex incantamentorum maleficiis, & medicamentis quæ genitale semen proprietate aut qualitate perimunt*; de his multa Magiæ peritissimi.

Cardan. 2. Contrad. med. tract. 2.

ARTICULUS IV.

Ligaminis historiæ admirandæ.

De quadam impotentia corpore interposito inter conjugum corpora, occulto maleficio, est apud Vincentium admirandæ novitatis historia. Enarrat, ex Vincentio Beluensi, Divus Antonius, Romæ, temporibus Henrrici III. Imperatoris, fuisse juvenem nobilem, qui recens uxorem duxerat, & sodales nuptiali convivio exceperat: exivere in campum lusuri pila: sponsus, ludi dux, pilam exposcit, & ne excideret annulus sponsalitius, inserit eum digito statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat: omnes enim unum petebant: sic cito defatigatus, is à ludo secessit, & ad statuam rediens, annulum recepturus, ecce; vidit digitum statuæ ad volam usque manus recurvatum; & quamvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere: redit tacitus ad sodales, & nocte intempesta, cum famulo ad statuam revertitur; & extensum ut initio digitum reperit, at vero sine annulo, & pia dissimulatione sese confert ad novam nuptam: cumq; thorum genialem ingressus, sponsæ sese jungere vellet, sentit impediri sese, & quoddam nebulosum ac densum inter suum conjugisque corpus volutari sentiebat; id tactu, videre tamen nequibat: hoc obstaculo ab amplexu uxoris prohibebatur; audiebat etiam vocem dicentem, *mecum concumbe, quia hodie me desponsasti; ego sum Venus, cui digito annulum inseruisti, nec reddam.* Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est, nec potuit: insomnem duxit noctem, multa secum deliberans. Adeoque factum est per multum tempus, ut quacunque hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret, & audiret. Erat sane alias valens, domi & militiæ aptus; tandem uxoris querelis commotus, rem parentibus detulit. Illi, (habito consilio) Palumbo cuidam presbytero suburbano, rem pandunt; is erat necromanticus, & potens maleficiis: illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit Juveni, dicens: *Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ concurrunt; & stans tacite considera: transient ibi figuræ hominum, utriusque sexus, omnisque ætatis, & conditionis equites & pedites: quidam læti, quidam tristes: quidquid videris, non loqueris: sequetur in illa turba quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens: huic tacitus epistolam trades legendam: statimque fiet quod postulas.* Ille autem juvenis totum implevit, prout doctus erat: viditque inter cæteros ibi mulierem, in habitu meretricio mulam inequitantem, crine soluto per humeros jactato; vita aurea superius constricto; auream virgam in manibus gerentem, qua mulam regebat: præ tenuitate vestium, pene nuda apparebat, gestus exequens impudicos: ultimus, dominus turbæ, terribiles in juvenem oculos exacuens, ab axe superbo smaragdis & unionibus composito, causas viæ ab illo exquirebat, nihil ille contra, sed protenta manu, epistolam ei porrigit. Dæmon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum; moxque brachiis in cœlum elevatis, *Deus,* inquit, *omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri?* nec mora, satellites suos, à latere mittit, quæ annulum extorquerent à Venere: illa multum tergiversata, vix tandem reddidit; ita juvenis voti compos, sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus, & matrimonii solemnia celebravit. Palumbus autem ubi dæmonis clamorem ad Deum audivit, de se intellexit, sibi præsignari finem dierum; quocirca omnibus membris ultro truncatis, miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano, inaudita flagitia.

Vincent. 26. Historiar. Anton. part. 1. sum. historial. tit. 16. cap. 7. §. 4.

lib. 2. Dæmonol.

Posse etiam dæmonem, feminis descensum ad vasa genitalia impedire, edocuit Remigius, quo gravis impotentia contrahitur.

Impotentiæ tamen amputato virili membro, (certius perstigio quam vere & realiter,) mirabilem historiam Baptista Codronchus enarravit. *Nonnulli sunt reperti*, inquit, *ex maleficio mucrone privati, ut ex multis historiis patet, quarum unicam referam.*

lib. 3. de Morb. venef. c. 5.

Iuvenis obscuro loco natus, diu quadam juvencula potitus, volens eam deserere, reperit se genitalibus privatum; cum vero tristis cellarium vinum empturus adivisset, supervenienti cuidam mulieri causam tristitiæ aperit, & affectum ipsi inquirenti monstravit: quumque maleficam in hoc negotio suspectam haberet, dixit, cui mulier vel blandissimis verbis, ac pollicitationibus, vel minis, & si vi opus est, ut te eam ad pristinum statum restituendum cogas, & impellas; qui monitis parens observato tempore in noctis crepusculo oportuno loco, eam comprehendens; ubi preces eam flectere non potuissent, injecto collo panniculo lineo, & clamare mulierem prohibitam; pene ad mortem compressit, donec eam, sanitatem promittentem laxavit; quæ tactu manus inter fœmora præstigium omne abstulit.

Quærunt modo doctores, *an dæmon vere & reipsa pudendum virile possit auferre?* & quanquam argumentis quam plurimis id certe videatur probabile; nihilominus probabiliorem contrariam alii judicarunt; id scilicet, potius fieri perstigiosa aut illusoria dæmonum arte, quam multis modis exercere potest; ut apud ipsos leges.

De hoc etiam Wierus historias enarrat vix credibiles: & prodigiosas certe Springerius. Odium inter uxores inducere constat, ex Comitis Natalis historia; turbare & illudere falsa repræsentatione, & perstigio, *ut pulcra uxor videatur deformis*; hoc mille probant historiæ; ut horribiles formæ uxoribus repræsententur; de hoc Saxo Grammaticus auctor est, & Baptista Codronchus.

in Malleo, part. 2. qu. 1. cap. 6. & quæst. 2. c. 2. & quæst. 9. cap. 7. VVier. de Perst. c. 28. Rem. 2 Dæmonolog. cap. 5. Majol. tom. 2. coll. 3. Natalis Martyriolog. l. 6. c. 7. Palud. l. 14. hist. Danea.

Hæc impotentia ex ligamine frequentius hominibus accidere, patet experientia, & *Titulo decretalis*; posse etiam mulieribus adesse, Martinus Del Rio, & Sanches auctor est, sed non ita frequenter; quia plures sint maleficæ quam malefici.

An hoc *maleficium possit esse perpetuum*, plerique dubitarunt. De hoc tamen dubitare non licet; quoniam potest perenni actione conservari, quod semel inducitur maleficium: hoc enim non repugnat, nec ex parte inducti maleficii; quia dum conservatur, eandem impertitur actionem; nec ex parte dæmonis; nam qui semel valet, semper valet, si à superiori principio non impeditur; nec constat de aliquo divinæ permissionis limite: & hæc est expressa sententia divi Thomæ, & aliorum illustrium virorum: nec in jure dubitatur: licet dicat fore dissolvendum maleficium ab eadem quæ intulit malefica; ac si non possit alia; quod certe bene potest, si alia fœdus iniit cum alio superiori dæmone, sub cujus imperio sit alter. Sunt enim inter dæmones majores & minores hierarchiæ; ut vetus & nova docet Theologia: ad hoc enim inter illos observatur politica ad hominum perditionem, infami obedientia & tyrannico imperio.

Sot. Sent. 4. dist. 34. Mald. dub. 7. Spring. part. 1. quæst. 6. & 9. part. 1. quæst. 1. c. 7. & qu. 2. c. 2. Codronch. lib. 3. cap. 6. Decretal. tit. 15. ex literis. Sentent. 4. distinct. 34. Abulens. quæst 9. Sanch. disp. 9. ex n. 4. Covarruv. in tit. de Frig. & malef. quæst. 1. & 2. & in c. si per Sortiarias, & in c. Requisisti 33. qu. 1.

ARTICULUS V.

An sit aliqua ratio differentiæ inter impotentiam contractam maleficio & naturalem.

Illud est imprimis inquirendum, *an dæmon ope maleficæ operetur, ut naturale agens: an in ipso maleficio eluceant scintillæ ordinis altioris:* hoc enim prudentiam exoptat non vulgarem; quod ut consequerentur prudentiores viri, in ipsa impotentia, in persona, & præsumptionibus variis aliquam differentiam invenerunt. Springerius, *Quibus ex maleficio*, inquit, *accidit impotentia, ut plurimum sunt adulteri, alias fornicarii, aut dum amasiis ad nutum non subserviunt; seu illas derelinquunt, aliis adhærendo: tunc enim in vindictam inducunt impotentiam.*

in Malleo, part. 1. qu. 9.

E contra naturalis frigiditas accidit probis & castis hominibus, seu in illis elucent causæ naturalis impotentiæ: ideo in hoc argumento Cardanus dixit: *Frigidos declarat eventus; nam qui natura sunt tales, ad nullas arrigunt, qui casu, non ad ullam præter unam, qui maleficio, ad omnes, præter unam; nam maleficium prohibet, ne ad illas accedat, sicut metus, cogitatio, & abominatio.* Ad hæc addit Baptista Codronchus, quod appetitus ad Venerem prosternitur in frigidis, at vero ligatis nondeficit omnino: quin frequenter obtendantur virilia, ut videantur ad venerem potentes, sed subito, in actu virilia laxantur, & tristitia concidunt: si vero iterum obnitantur, flaccescunt in conatu: quod ordinem excedit nativæ impotentiæ; si maxime morbus qui videtur idea & specie curabilis, non tantum auxiliis non cedit, sed quotidie decidit in deterius: quod in decreto est etiam maleficii argumentum, in *titulo de Maleficiatis*, & Delrio & Grillandus amplectitur.

lib. 2. de Venen. cap. 7. 6 de Morb. Venen. c. 13. Delrio, 2 Mag. sect. 2. cap. 3. Codronch. cit. Grilland. de Sortileg. qu. 2. n. 2. 3 & in cap. literæ vestræ, de Frig. & malef.

Hoc etiam historiis legimus comprobatum. Constat enim olim, Gothorum Theodoricum Regem magicis ligatum carminibus, uxori tantum redditum impotentem, validum concubinis: si Paulo Æmilio credimus. Et in Græca historia enarrat Herodotus, Regem Amasium, maleficio Laodici uxori redditum impotentem: & Giardinus, Galeatium Sfortiam Isabellæ: quod etiam juris testimonio adornatur.

Apul. Apol. 1. & 2. Tacitus, lib. 4. Annal. Æmil. in Vita Cleotarii 2. Erod. lib. 2. hist. Gardin. hist. Italiæ. D. d. in cap. literæ & leg. 3. tit. 8. & leg. 13. tit. 2. part. 1. & in cap. quod autem 33. quæst. 3. Delrio, qu. 4. sect. 8. 4 Anton. part. 3. tit. 1. cap. 12. §. 1. Anno 1639.

In hoc tamen certe est cautio adhibenda: *An uxor, seu mulier, cui vir impotens, aut ligatus apparet, sit arcta nimis & constricta in locis muliebribus, aut arte aut natura:* tunc enim non est mirum, si vir ille laxiori sit potens, impotens ad constrictam, absque ulla maleficii suspicione, reddatur; quoniam potentia minuitur interdum, nec deficit ex toto, ex naturali causa: novimus enim nobili civitate Carmonensi, mulierem neque noto neque publico genere, sed certe probatæ pudicitiæ, & proli infœcundam, quæ à matrimonio anno 14. exacto in adeo arctam pudendi constrictionem sensim & paulatim devenit, ut maritus, vir alias robustus, & rure educatus, illam haud ulla violentia penetrare postea valuisset.

Quare si in homine alioquin valido & potentia prædito, subito accidat impotentia, ubi non est de causa naturali præsumptio evidens: est vehemens magici ligaminis suspitio, si maxime sit inter meretrices conversatio.

Si

Spring. in Malleo part. 1. quæst. 11. Grilland. de sortil. qu. 3. & 6. Raphaël de la Torre de vitiis relig. quæst. 96. part. 2. disputat. 90. cap. 8. dub. 8. Maiol. tom. 2. colo qu. 3. Vair. de fascin. lib. 1. Del. 3. mag. part. 2. qu. 3. sect. 3. Remig. 2. Dæmonol. cap. 7. Nider fornic. lib. finali. Buleng. lib. 2. advers. mag. cap. 20. Iuvenal. satyra 6. & Delrio lib. 5. mag. sect. 1. 758.

Si etiam inducta impotentia levissimo auxilio curatur, & à persona non inculpatæ vitæ, rebus aut characteribus, in quibus nulla vis naturalis elucet, aut illis quid extraneum adjiciatur: tunc tota hujus curatio spectatur à Dæmone, dixit Springerius, & Grillandus; & tunc fieri evidentiam advertunt, esse ex magico ligamine, si subito incidat impotentia, tactu, osculo, aut afflatu, aut murmure, aut verbis, aut sub ferali carmine. Observatum est enim solo tactu veneficæ abortiri mulieres; & curatam legimus impotentiam solo tactu partium genitalium, in Codronchi historia: quod etiam fatentur, Remigius, Delrio, & Nider.

Hi etiam maleficio impotentes, sudoribus quibusdam levibus, sed importunis nocte corripiuntur, adhuc tempore frigido; alii corporis particulas ligatas sentiunt; & alia patiuntur insolita symptomata; quorum causa penitus ignoratur; & ex mente stupidi ac fatui redduntur; & prorsus à se ipsis alieni, & absque ulla causa tristes & debiles redduntur, & morosi, ac tandem suaderi non valent, se esse maleficio redditos impotentes.

ARTICULUS VI.

Ligaminis venefici curatio.

Si ad productionem & conservationem ligaminis attendimus, qua dicit respectum ad actionem dæmonis conservantem, sola Ecclesiæ Romanæ auxilia sufficiunt, quæ exorcismis, missis & eleëmosynis & ad Deum deprecationibus complentur; quoniam sola virtus horum auxiliorum est dæmonis actione superior; ut est inferior naturalis: si vero ad effectum attendimus, qua dicit respectum ad læsam actionem naturalem, deminute, depravate, aut abolite: seu ad causam naturalem conservantem, à quocunque principio illud accidat: naturalia auxilia contraria possunt esse æqualia, forte superiora, si gradus recessus à naturali statu metiantur: ut in aliis morbis mederi contingit.

In hoc casu dixit Jolobelius, hanc ligaminis & maleficii impotentiam, herbæ Priami radicem mirabiliter curare; id est testiculum dextrum, qui major est, tere cum piperis albi granis 47. ut cum radice fiat uncia & semissem, & mellis ℥iiij. quo fiat conditum; de quo medicamine in vino optimo dissolve, & dabis ad ℥ij. ß. per triduum; & his certe comparatur potentia, dixit hic auctor. Aphrodiastica etiam, prodigiosa, & rara Schenckius enarrat, quibus non tantum deperdita comparatur potentia, sed barbara & immodica redditur: ad hoc sunt etiam auxilia, quæ auctores ad potentiam roborandam docuerunt, quibus nobis otium non suppetit.

lib. 4. observ. observat. 5. ad finem.

ARTICULUS VII.

An ligamen maleficio contractum, dirimat matrimonium.

Hæc quæstio est præcedenti similis; in illa diximus quod nativa frigiditas, ex qua impotentia contrahitur, quæ non cedat Medicinæ auxilio, dirimit matrimonium: quoniam illa perpetua censetur; ex quo non speratur ut duplex matrimonii finis compleatur; quare si probatur, quod eadem in ligamine maleficii concurrunt, similis etiam elicietur conclusio.

Quod in utroque ligamine actus matrimonii defraudatur, & coëundi potentia circa illam ad quam dirigitur ligamen, ab omnibus supponitur; ligaminis tamen impotentia à plerisque non censetur perpetua, & merito; cum in plerisque pateat, cessante ligamine, cessare impotentiam; posse tamen Dæmonem perpetuam impotentiam inducere, (hæc talis censetur cum ad mortem perdurat, auxilia illudens) evidenti ratione patet. Dæmon semel potest copulam impedire; ergo si illi à superiori principio non adimitur agendi efficacia, ab Altissimo nempe; sæpius poterit impedire, quod semel potuit; & hoc per totam vitam, in quantum Deus permiserit: ergo poterit perpetuam ligaminis impotentiam inducere; quæ non cedat naturali auxilio. Patet etiam ex eodem principio, posse etiam impotentiam & ad tempus inducere, pro ut velit malefica, ad cujus nutum dæmon operatur.

Quo supposito, elicitur conclusio: *Ligaminis impotentia maleficio contracta, quæ censetur perpetua, contractum dirimit matrimonium.* Talis vero censetur, quæ, triennio exacto, & omnibus peractis auxiliis, naturæ & Ecclesiæ, non cedit, ut exinde ligatus redeat ad potentiam.

Sic tenet Th. Sanch. de imped. matrim. lib. 7. disp. 94. à n. 1. ad 14. per totum.

Fundamentalis ratio hujus conclusionis ex ante dictis patet, in naturalis impotentiæ conclusione: nam omnibus rite peractis, suo loco, & tempore, non præsumitur dolus neque fallacia, sed vere perpetua impotentia, quæ ipso jure dirimit matrimonium. Sic sentit Springerius ad literam, sed advertit, an illa impotentia sit ante matrimonium contracta, & ante consummationem matrimonii: nam tunc & contrahendum impedit, & dirimit contractum; ut habetur *in cap. ad sedem, ex literis. Et consultationi tuæ.*

in Malleo part. 1. quæst. 8. fol. 131.

Si vero post contractum matrimonium compareat ligamen, sed ante consummationem, tunc etiam dirimit jam contractum, sed non ex improviso, sed auxiliorum & triennii facta experientia; quoniam conjugium confirmatur officio, ut legitur *in Glossa*: si vero post consummatum matrimonium sequitur impotentia, solemnitatem & vinculum matrimonii non dissolvit: illud enim ostendit certam veluti fraudem, & de fallendo arguit: hoc vero omnem excludit suspitionem fraudis; etenim nuda & simplex veritas est contractuum forma, anima & essentia; quæ si tacite, aut propalam infringitur, claudicat & laborat essentia contractus.

Qui præsumunt hanc impotentiam perpetuam esse non posse, illud tantum objiciunt, ab eodem auctore posse semper absolvi maleficium, cum libuerit; ac ideo si redit ad potentiam, tenetur redire matrimonio. Hoc est certe debile fundamentum, quoniam neque semper possunt maleficæ sanare quæ nocuerunt, aut defectu permissionis divinæ, aut si contractum inierunt, post illatum ligamen, cum alio inferiori dæmone; aut moritur malefica; aut nescit dolere maleficium; aut tale est deperditum, ut non inveniatur: aut aliquod accidens repugnat essentiæ rei quæ postulat auxilium; ut si dæmon vere & realiter, & non

non falso perstigio, virilia abstulerit, ex hypothesi: ergo non ubicunque libuerit, poterunt maleficium absolvere.

Hoc etiam ex alio principio convincitur; nempe quod impotentia maleficio contracta, perpetua censetur à principe Ecclesiæ, quia dæmonum ope uti non licet. Et hæc est Papæ intentio, quando dixit; *In frigido & maleficiato, si triennio exacto, non redit ad potentiam, dirimatur omnino matrimonium; & si intra triennium redivit ad potentiam, tenetur redire uxori primæ, si nuptias contraxit cum secunda; quia præsumitur fallacia & dolus: nam frigidus uni, est etiam frigidus alteri, si est naturalis impotentia aut perpetua; si vero rediit ad potentiam, est argumentum hoc fuisse simulatum ex dolo.*

Sic sentit Th. Sanch. lib. 7. de imped. matrim. disp. 95. num. 1.

Sed objicies, si daretur quod aliquis cum animæ periculo, ope maleficæ uti vellet, & ita potentiam omnino consequatur, adhuc triennio exacto, (quoniam intra triennium non est dubium;) is non tenebitur ad uxorem primam redire? huic dubitationi respondemus, primo, ex *Innocentio 3. in cap. fraternitatis de frig. & malef.* cujus hæc est decisio: de talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro: secundo, in hoc casu requirendum est judicium Ecclesiæ, & servanda forma textus *in cap. laudabilem, eodem titulo,* quam tradit ibi Celestinus Papa; ubi *Glossa verbo frigiditas* sic ait: *Quod hic dicitur de frigido, intellige de maleficiato, ubi usque ad triennium spectet: maxime quia magis sperandum est, quod impedimentum removeri possit quod non processit à naturalibus. Et dato quod postea ad potentiam rediret, illicito auxilio, non tenebitur redire ad primam, cum hoc sit extra ordinem Ecclesiæ, & tentatum cum animæ periculo.* Sic *Glossa in dicto cap. laudabilem. verbo redire ibi: cum propter frigiditatem separantur, tenentur redire, secus si propter maleficium, per textum in cap. si per sortiarias. 33. quæst. 1.* ubi Rhemensis Archiepiscopus sic loquitur, *si transierit ad secundas nuptias, primæ reconciliari nequibit: quod est peculiare in maleficiato, ut notat ibi Glossa in principio.*

Nec in hoc textu est antithesis aliqua cum præcedenti, cum in illo de frigido loquatur, at in isto, de maleficiato, in quo licet impedimentum à natura non sit, nihilominus ad dissolvendum matrimonium sat est, ob illam quam antea diximus rationem: prius tamen uti licet remediis Ecclesiæ, quæ si comperiantur non prodesse, tunc judex proferat nullitatis matrimonii sententiam.

Ultimum tandem mihi discutiendum restat, *si forte malefica triennio exacto, infirmitate condolens, velit opem ferre libenter, nullo ejus auxilio implorato?* si hoc medio ligatus consequatur potentiam; (hoc enim est licitum, beneficium accipere quod libenter conceditur, in tantum, ut dicat Pater Sanches, quod licet petere à saga ut maleficium solvat, quando id potest sine novo maleficio, etiam si sciatur per maleficium factura: 4. p. 5. *tract.* 7. *resolut.* 15. sic Diana *litera M. verbo maleficium:*) an ille ad primas nuptias redire teneatur; quoniam hic cessat ratio, quæ Pontificem movit, ut ad primas nuptias non rediret; nempe quia dæmonum ope uti non licet; qua ligatus non utitur.

Solutionem hujus objectionis quæ certe magna est, mihi videtur in casus raritate consistere; sunt enim limitationes generalis doctrinæ casus particulares, & maxime qui rari; quia tales non valent comprehendi sub generali regula, quæ de frequenter evenientibus instituitur; at hic casus rarissime contingit; ac ideo velut impossibilis ob maleficarum impietatem videtur à Papa prætermissus.

Secundo respondemus, quod illam impotentiam dixit Papa curatu impossibilem, quæ sub auxilio naturali non cadit: & illa quæ ope dæmonis consequitur, licet non implorata, auxilio naturali non tollitur: nec etiam decens erat quod Ecclesiæ princeps impiam maleficæ actionem honestaret: ac ideo non est mirum, si à lapide angulari Ecclesiæ declaretur, maleficio impotentem primis nuptiis redire non teneri; quantumvis maleficæ auxilio restitui posset; uti satis constat per dictum *caput si per sortiarias.* 33. *quæst.* 1. in illis verbis, *quod si forte sanari non potuerit, separari valebunt; sed postquam alias nuptias expetiverint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt; &c.*

Redeamus ad limitationem illius regulæ generalis. satis clare patet, Papam noluisse maleficio impotentem, licet potentiam postea consequatur, primis nuptiis redire, sed unica Papæ mens eo tantum attendit, ne cum animæ periculo sacramentum illud iteretur; sed in casu proposito hæc non militat ratio: quare mihi ultimo respondendum videtur, (salvo meliori judicio,) quod si maleficio impotens novas nuptias non contraxerit, & gratuito, & non implorato auxilio maleficæ consequatur potentiam, quod potest & debet iterum redire matrimonio contracto, ex illa impotentia soluto.

Si vero alio nuptiali vinculo sit implicitus, ex illa causa dirempto matrimonio, non judico ad primas nuptias redire teneri. Patet ratio differentiæ; quoniam in primo casu lis erat ut matrimonium solveretur, ob illam impotentiam, contractam maleficio: hæc illo beneficio restituitur, ope & compassione maleficæ; ergo ex hypothesi, jam vir iste est potens, & ad Venerem aptus; adeoque cessat omnino litis causa; nec est honesta ratio, ex qua vir iste uxori non cohabitet.

At in secundo casu, alia militat ratio, quia legaliter comprobari non potest, impotentem absque animæ periculo, nec dæmonis implorato auxilio, fuisse ad potentiam restitutum; quia, quantumvis malefica, piissima compassione illum restituere decreverit, semper sub dæmonis pacto operatur, & cum animæ periculo; vel saltem præsumitur, quantumvis ab impotente non sit illud imploratum auxilium: quod sat est, ut secundum Papæ intentionem non possit redire primis nuptiis: cum animæ periculo. Potest tamen oblatum beneficium accipere, sine animæ periculo, si non cooperatur ad malam actionem; præterquam quod dolus videtur latitare in hoc casu, qui semper examinandus est: quare si illo auxilio consequatur potentiam, poterit judex sententiam proferre, ne cum prima cohabitet; quoniam Papa ad primas nuptias redire certe prohibuit ligatum alio vinculo nuptiali, etiam si postea consequatur potentiam, forte ne cum injuria uxoris secundæ fiat.

AR-

ARTICULUS VIII.

An possit dæmon impotentiam inducere, auferendo realiter virilia.

Inter causas impotentiæ ligamine contractas, antea supposuimus, posse dæmonem virilia auferre: quod an vere & realiter sit possibile, an solo apparenti perstigio, non est vulgare dubium.

Pro cujus solutione dicimus, non posse dæmonem vere & realiter membra genitalia auferre; ac illa postea restituere, ut inducat impotentiam ex primo: & ex restitutione, potentiam restituat. Et si forte hoc accidat, est tantum apparenti perstigio; quoniam vita in his membris ablata, & deperdita, non potest reparari à dæmone: nec iterum restitui; quia partes rationales hominis essentialiter informantur ab anima, ac illius influxu vivunt vita rationali; ergo illis ablatis desinunt esse partes rationales, ac per consequens non possunt à dæmone, neque conservari, nec restitui, ad partium rationalium unionem: nam omnis dæmonis actio & influxus est extra essentiam rationalis animæ; & res unica non potest diversas induere essentias sub illa ratione qua constituitur in ratione talis.

Nec valet argumentum, qui valet formam naturalem inducere in animantem, poterit illam auferre; ac iterum restituere; dæmon potest producere serpentes & ranas, ut magi Pharaonis in illius virtute produxerunt, & Simon magus mortuum suscitavit; ergo poterit & hominis virilia auferre, in vita conservare, & reponere. Non valet paritas argumenti, nam magi Pharaonis insectilia, & ranas produxerunt ex putredine terræ, quod motu alterationis consequitur; quod bene potest dæmon activa passivis applicando, & formam, ut causa efficiens æquivoca de potentia materiæ educere, ut influxus cœlestis; non tamen producere valebunt perfecta animalia, quæ ex semine potentia viventi producuntur; in virtute agentis à quo decidit semen: nam illa vis prolifica quæ in semine inest, respicit essentialiter parentes, & sic non potest dæmon ex se ipso producere, quod aliam virtutem essentialem respicit; quoniam illud essentiæ rei producendæ repugnat; ergo non poterit dæmon vitam essentialem partibus ablatis restituere; nec Simon Magus mortuum suscitavit, sed dormientem, aut diaboli spiritum, in cadaver induxit, qui animæ vicem subiret; ut est Patrum sententia.

ARTICULUS IX.

An à dæmone vere & realiter filii producantur.

Quo etiam argumento concludimus, ut quantumvis filii à dæmone incubo producantur, quod tales non sunt dæmonis filii, sed illius parentis à quo ille semen furatum traxit; (quod adhuc dubito an demoni concessum.) quoniam virtus seminis prolifica, est essentialiter decisa & unita semini, potentia viventi in virtute parentis qua dicit essentialem respectum ad humanam naturam, quatenus rationale animal; & A in puro spiritu, non est talis respectus, quoniam essentiam constituit diversam, ex qua constituitur in ratione angeli; licet plura dæmon valeat quam natura producere, ut dixit divinus Augustinus; ille tamen producere non valet, quod essentiæ producendæ repugnat, & etiam principio producenti; & rationalis anima, non est limitatæ potentiæ creatura in suo corpore; & non limitatæ & finitæ qualis dæmonis est in alieno; ergo non cadit sub dæmonis potentia finita illa virtus prolifica velut forma corporea, quæ de potentia materiæ educitur ab agente finito.

de Civitate Dei 18.

B Et ideo est certa cautione legendum quod à plerisque traditur fabulose; *Posse nempe maleficas illa dæmonum arte homines in bestias mutare, ac in formas diversas animalium, & iterum ad humanam formam restituere*; Quod etiam Theologiæ pater Augustinus adnotavit: & sic quando Apulejus, Causidicum in arietem tradidit transmutasse maleficam, & Medæam homines in bestias, ut etiam maleficas abstulisse virilia in causam impotentiæ: hæc omnia apparenti perstigio, & sensuum C illusione accidisse intellige, & non realiter, & vere; si non forte morum præversione homines in bestias, veneficarum arte, credideris conversos.

Citato loco.

Sic dæmones possunt virilia auferre, & ad maleficæ nutum restituere, hoc ludenti & fallaci perstigio: quæ illusio non tantum locum habet in imaginatione patientis: quæ vere & realiter potest rem aliquam non esse præsentem æstimare, ut melancholicis naturaliter accidit, & phreneticis, ut in nostris *Feraliis* adnotavimus; absque D ope sensuum externorum, sola repræsentatione specierum, quæ à dæmone continuo suggeri potest phantasiæ & cæteris potentiis; sed potest etiam perstigio sensus externos ligare, ut videant quæ dæmon per alias species velit repræsentare; unde ex parte imaginationis, vera erit ablatio virilium; & vera impotentia, non tamen physice & realiter; poterit enim dæmon sensus decipere humanos, formas reservatas educendo ad sua principia sensitiva; aut eas in sua operatione naturali impedire, ut fiat invisibile visibile, aut è contra; E & sic per omnes sensus ex immutatione organorum, quibus mutatis, sensus judicium decipitur; nec sit mirum quod dæmon consequatur, quod magicum artificium arte naturali consequitur, ex ipsa Philosophia, quod tripliciter accidere antea adnotavimus; vel per mutationem objecti, vel aëris intermedii, vel ipsius organi; in quibus singularia exempla proposuimus.

ARTICULUS X.

F *Quid perstigium, & quibus mediis operetur.*

Hanc perstigiosæ illusionis artem solemniter observat & docet Doctor Angelicus: cum sese accommodet illusio figuris, coloribus, sonis, & odoribus: possunt enim dæmones virtute propria corpora localiter deducere ad libitum, & varias in figuras adaptare, uti diximus antea; nam *perstigium*, ut dixit Isidorus, *nihil aliud est quam sensuum deceptio, præsertim oculorum, & à perstringo dictum, quia aciem oculorum perstringit; uti esse appareat quod non est; & hæc est ars dæmonis illusoria seu perstigiatoria.*

in 2. 2. dist. 8. art. 5. & 2. 2. qu. 91. & quæst. de malo.

8. etymologiæ.

Hæc valet quinque modis illudere; primo artificiali trajectione, summa dexteritate, quod etiam homines imitantur visibili manuum motione agilissima; secundo per applicationem corporis alicujus, seu interpositionem, ut occultetur alterum, quod juvenis præcedenti historia vidimus; vel omnino hominis phantasiam perturbando, confusis spectris adapplicitis; vel tantum rei illius quæ dæmon velit repræsentare, ad maleficæ nutum: vel in re ipsa apparet quod non est, ut in massa auri Anachoretæ oblata in deserto, & figura mulieris; aut si hominem tegit, & brutum præsupponit; vel si organum visus turbat, ut res clara nebulosa appareat, & ut spurcissima anus videatur juvencula: aut etiam deformissima, pulcra: hac etiam arte quod odium meretur, repræsentat amabile, ut in principe maleficis perstigiis affecto experimur; ultimo, si transmutationem specierum producit in phantasia; seu per humorum corporis commotionem, seu illorum repræsentationem de novo applicatam, ut tunc quasi recentes & novæ apparitiones, potentiis sensitivis appareant: quin etiam & spiritualibus ex hac ipsa repræsentatione, mira & inaudita repræsentantur; unde fœdæ suggestiones immittuntur à Dæmone.

Qua doctus philosophia, non facile crediderim impiis leviterque prolatis historiis, quæ meo judicio plus habent admirationis quam fidei; Dæmones nempe & incubos & succubos, filios de humana prole genuisse: hoc enim nec pium, nec creditu possibile videtur: & si profundius (ut res tanta meretur) cum torno & cothurno perpendatur; facile enim novitas, avido sciendi desiderio, fit plausibilis: non est enim possibile, dæmones, nec semine furato, (si fas est dicere,) generare: bene tamen decipere, sed infante supposito, justo Dei judicio; aut falso & apparenti perstigio oblato: quoniam si hoc daretur dæmoni, ut furato semine generaret, quot monstra inter homines essent, seminis permutatione à feris & animantibus in variis mulieribus facta; cum deceptæ mortalitatis infamia; & indelebili in genus humanum Zelotypia?

Neque satis constat in philosophia, posse dæmonem omnia principia supplere, quæ essentialiter ad generationem concurrunt: nempe virtutem generandi semine derelictam in virtute parentis, & vegetandi actum, & vitalem potentiam, proportionatum & vivificum calorem, ex quo de potentia ad actum, vitæ principium educitur, vitale, animale, & naturale. Ex quo certe judico fabulosum, quod incaute conciliator asserit, adhuc furato semine, posse dæmonem in humana muliere hominem generare; licet in hanc opinionem aliquando ex aliena sententia inclinaverim: nec est ullum principium, ex quo talem permissionem in Deo supponamus: qui nos suo pretioso sanguine redemit: & tantum valuit ista consideratio, cum pio Cassiano, ut absolute neget hoc unquam contigisse; impossibile esse inquit, spiritualem creaturam habere rem cum hominibus posse; neque credi debere: & si hic actus dæmoni esset possibilis, in se mutuo citius converterentur: & quod de Merlino & de aliis fertur, potius in ostentum prodigii & novitatis dictum credimus, quam stabili veritate sancitum: nam similes historiæ, fere semper à levibus aut impiis hominibus proferuntur: ideo caute legendas censeo quas in speculo historiali Vincentius enarrat, *lib. 12. cap. 30. & lib. 3. cap. 26. & 27.* Et quæ magnus Augustinus prodidit de Faunis & Sylvanis, qui mulieres aliquando compresserint, de vulgata aliorum fama, scripta potius intelligimus, quam de propria tanti viri sententia; præterquam quod idem ipse dixit; hanc constantem suis temporibus famam fuisse; si non dicimus hos montium & silvarum cives, brutos & silvestres homines extitisse.

ARTICULUS XI.

De fascinatione, pauca.

Mitto alia maleficia, utpote à viris doctis tractata; nos enim de illis tantum disserere decrevimus, quæ certe pulcriora, aut affectionibus morborum concernentia, ab aliis fortasse non exacte prolata: & licet de fascino pulcriora disputare decreveram, quod parum sperem profutura, pauca dicam, & illa tantum, quæ ad solam differentiam conducunt naturalis fascini, aut illius inducti maleficio.

Naturale Fascinum est corporis venenosa transmutatio per oculos inducta, aut alia parte corporis venenum expirante; Illud est argumentum, quod in fascinato, repente pullulant veneni accidentia, ut malignam & pestilentem febrem æmuletur, interdum præsentanei veneni efficaciam, aliquando tabifici, seu ad tempus etiam propinati.

Causa est venenum ad intra corpus genitum, quod per oculos, aut per corporis poros expirat, & alteratione per continuum facta, simile in corpus dispositum producit, sub debita distantia.

Expirandi occasionem imaginationem esse, Angelicus Thomas existimavit, commotis hac agitatione spiritibus, unde isti latentis veneni contagio afficiuntur, quo expirat per oculos in aërem, ac ex illo in corpus, in debita distantia dispositum. *Sed supra ostensum est*, inquit, *quod materia corporalis non obeditur substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli creatori; & ideo melius est dicendum, quod ex forti imaginatione animi immutantur spiritus corporis conjuncti, quæ quidem immutatio spirituum maxime fit per oculos, ad quos subtiliores spiritus proveniunt; oculi autem inficiunt aërem continuum, usque ad spatium determinatum, &c.* (*part. 1. quæst. 117. art. 3. ad 2.*)

Non puto tantum virum solam imaginationem credidisse tam pravam naturam spiritibus dedisse, ut ex sola illius efficacia sine alio veneno, ad extra producatur fascinatio, quantumvis corpus alienum valeant immutare. Nam longa constat experientia, solo intuitu plerasque fœminas fascinare, absque ulla imaginationis intentione: unde manifestum fit, ex alio principio corporis alieni mutationem advenire. Multam ad hoc valere imaginationis efficaciam, credimus, si cum hac copuletur venenosa corporis dispositio; quatenus nempe ex illa corporis humores, aut venenosi commoventur spiritus: qua certe occasione venenum, quod intra corpus latet, commovetur, ac spiritibus permixtum, pravam & deleteriam qualitatem ad extra in corpus alienum producit.

Ideo fit maxime per oculos fascinatio: natura enim

enim docuit inferre vim aspectui, cum hostes intuetur, quod maxime fortis juvat imaginatio, ut hostili qualitate feriat visualis spiritus. Errare igitur deprehenditur ille qui negat, per extra-missionem fieri visionem, & cominus objectum non attingere; & si ab oculis exiliunt, redargui non potest, in objecto patibili operari. Si enim aspectus diversitas, in subjecto patibili faxit, in cœlesti influxu, ut sit interdum vitalis radius ille invisibilis, aliquando læthalis, variante nempe materia & patibili; quare oculi, hujus etiam astra micocrosmi, affectus etiam, ad suscipientis modum & agentis efficaciam variare non facient? aspectus diversitate variante; Pythiæ enim mulieres in Scythia, ut refert Apollonius, aliæ in Sardinia, si quempiam ira intueantur, ferali fascino interficiunt, ut Solinus est auctor.

de Mirabi-lib. mund. cap. 5.

ARTICULUS XII.

An detur fascini signum pathonogmonicum.

Sed an fascini naturalis detur aliquod signum patonogmonicum peculiare, ex iis quæ proxime affectus essentiam consequuntur; fateor, & ingenue quidem fateor, quod tot annis longa experientia insumptis, nos neque aliquod novimus, nec qui noverit, vidimus; quantumvis longa serie, auctores fascini sacramenta descripserint; quoniam nullum est prorsus signum, quod fascinum in propria differentiæ ratione constituat, à veneni aut malignæ febris ratione distinctum; uti neque veneni intus geniti, ab illo quod extra propinatur; nisi irrefragabili oculorum testimonio comprobetur; cum eadem sint prorsus signa, utrique veneno gentilitia, ut variis in locis Galenus adnotavit; & ex Hippocrate doctissimus Valesius: quibus etiam ipsa juris prudentia acquiescit, *leg. absent. ff. de Pœnis, & leg.* 12. *tit.* 14. *part.* 3.

Gal. l. de Cibis, boni & mali succi, cap. 2. 3 de Loc. 7. 6 de Loc. 5. Val. 3 Epid. Sect. 3. 17. Silvaticus Contr. 77.

ARTICULUS XIII.

An detur ratio differentiæ inter fascinum naturale & maleficum.

An vero sit aliqua ratio differentiæ, inter fascinationem inductam maleficio, & naturalem; ex alia est perquirendum praxi, qua maleficæ artes eruuntur. Est enim malefica fascinatio, peculiare strigibus maleficium, ex pacto sortiario, quo prava corporis commutatio, damnum, aut mors inducitur; visu, aut tactu, in virtute dæmonis: ut notat Pater Suarius & Delrio: nam lamiæ aut homines nefarii cum dæmone paciscuntur, ut quos intueantur iracunde, aut livide, hos fascinent, veluti præsentaneo veneno, aut tabifico, ut notat Springerius & Malderus, quod etiam Plinius & Gellius de quibusdam Africæ familiis enarravit; & Plutarchus de Ponti habitatoribus refert; & de sene Viterbi, qui fruges & arbusta solo oculorum intuitu faciebat marcescere; quod solo veneno naturali contingere, nulla convincit ratio.

7 Disput. 5. 18. sect. cap. 26. Delr. 3 Mag. part. 1. sect. 1. quæst. 4. Spring part. 1. quæst. 2. & part. 2. quæst. 1. c. 1. Mald. dub. 8. Majol. tom. 2. canicul. 3. Plin. 7 Nat. hist. cap. 2. Gell. 16. Noct. Attic. 11. Plutarch. 5 Sympt. quæst. 7. & in leg. Cornel §. 4. Vair. 2. de Fascin. Remig. 2 Dæmon. c. 7.

Solent isti etiam feralia carmina, intuitu miscere, ut notat Imperator: *Fascinum enim à fando dictum* dixit Vairus. Hac etiam veneficii sorte adeo ligantur homines, ut de vita diffidant; neque videntur mente, ut antea, constare, tristes & animi dejecti; alii paulatim contabescentes, emarcescunt; si maxime præcessit alicujus veneficæ suspitio, quæ tactu, osculo, afflatu, aut insolito intuitu, hominem fascinaverit.

Ex hac fascini sorte, à lamiis aborsus concitatur, maxime prægnantis ventris tactu, cum vitæ utriusque periculo; ut notavit Remigius; & comprobat exemplis Lycanthropias: Circem tactu inducere, dixit Ovidius:

Cujus ab attactu, variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt; nulli sua mansit imago.

Quare in venefica fascinatione, seu in productione, seu in effectu producto, semper aliquid elucet extra naturæ ordinem productum, quod nostram veneficii suspitionem confirmet. De cujus differentiæ sorte plura leges investigatione dæmonum; & in veneficii & veneni naturalis differentia.

STATIO IX. ARTICUL. I.

De investigatione dæmonum inter veneficia & causas naturales.

Dæmonis artes & fallacias inter naturæ arcana, occulto latitantes, detegere, majoris artis erit, & non vulgaris prudentiæ artificium; ideo celebriores viri, forte difficultate superati, nullo non pepercere sudori, nec vigiliæ, ut actiones dæmonis, quæ semper in morbis sunt altioris ordinis, à naturæ communi actione discernerent. Quod ut melius consequamur, veneficium, quod est præcipuum primum & ultimum dæmonis instrumentum, placuit definire.

Veneficium est pravum operandi instrumentum, à dæmone edoctum ad veneficæ intentionem adaptatum, in fœderis virtute noxam insignem, aut necem inferens. Alii ita definierunt; *Veneficium est prava quædam corporis commutatio, virtute dæmonis ex pacto cum homine tacite, vel expresse inito; ejusdemque hominis ministerio ad improbam aliquam cupiditatem explendam, justo semper, quamvis occulto permittente divino judicio, facta*; sic Delrio, *lib.* 3. *Mag. quæst.* 1. est enim maleficium magiæ species, qua quis, ope dæmonum, damnum parat; seu illud operetur solo dæmonis ipsius astu, & potestate; seu naturali virtute à dæmone applicita.

Ideo fascinorum insignis apud *Iuris-Consultos* & patres appellantur malefici: nam veneficium in quovis instrumento, aut est veneni particeps, aut constituitur in ratione talis, ex dæmonis malefico concursu, dum ex pacto tenetur. Per varia instrumenta celebratur, & suas vires exerit, pro ut à venefica dirigitur. Lucan. veneficę officinam describit in Pharsalia, & satis quidem eleganter:

L. Nemo cap. de Maleficis & C. nec mirum. 26. quæst. 5 Isid. 8. Etymol. cap. 9. & lib. 6. Spring. part. 2. quæst. 1. cap. 10. per totum.

Huc quidquid fœtu genuit, natura sinistro,
Miscetur: non spuma canum, quibus umbra timori est,
Viscera non lyncis; non diræ nodus hyenæ
Defuit: & cervi pacti serpente medulla;
Non puppim retinens, euro, tendente rudentes,
In medio echenis aquis: oculique draconum,
Quæque sonant fœta, jam facta sub alite saxa;
Non Arabum volucer: serpens innataque rubris,

Æquori-

Æquoribus custos, pretiosæ vipera conchæ:
Et viventis adhuc Libycæ membrana cerastæ;
Et cinis eoa positi phœnicis in ara,
Quæ postquam viles, & habentes nomina pestes
Contulit infando saturatas carmine frondes;
Et quibus os dirum, nascentibus inspuit herbis,
Addidit, & quidquid mundo dedit ipsa veneni.

Sic in l.1. ad leg. Cornel. de Sicariis, & l. 1. Cod. de Malef. & Math. Grilland. de Sortileg. quæst. 22. Nō 14. & quæst. 3. n. 11. & 29. Binsfelt. lib. 16. de Mal. & Math. Majol. tom. 2. coll. 3. Codronch. 3. de Morb. Venef. 2. Delrio, 3 Mag. part. 2. quæst. 4. sect. 2.

Veneficium ergo conficitur aut simplici veneno, aut diversorum mixtione fermentato; aut ex rebus soli dæmonis notis: aut solis naturalibus, ad ostentationem venefica superstitione, aut simulatione conductis; aut solis rebus & carminibus sacris; quoniam (antiqua Zelotypia) ut Deum æmulari videatur, suam etiam architectatur dæmon religionem; ideo conducere imperat, peregrina & rara, & etiam divino cultui dicata, quorum ipse non utitur virtute, sed aut sola qualitate veneni, seu ex simplici actu devovendi, quod est dæmoni datum, homini non concessum, nisi qua sub pacto sortiario subjicitur.

Quare tunc Philtra, & cætera omnia veneficia, operandi actionem sortiuntur, in virtute herbarum, carminis, idolorum, aut sub varia & superstitiosa rerum mixtione, sola virtute fœderis taciti, aut expliciti; seu illa in poculo aut cibo propinentur; seu per applicationem ad externa: ut si corpori dormientium adaptentur; consuantur in vestibus: vel misceantur aëri; seu in via, per quam transire debet; vel in aquis & fontibus commercio communibus; dummodo advertatur, quod aëre & aquis venenum facile dissipatur, nisi dæmonis virtute deferatur.

Illud tamen commune est utrique veneno, ut in actum secundum reduci à nostro naturali calore non necessitet, ut cætera venena naturalia: quoniam illa semper sunt in actu secundo, implicita virtute; nam ibi non tantum operatur, qua venenum, sed qua veneficii instrumentum: & qui dat esse, dat omnia necessaria ad essendum, si à Deo conceditur.

ARTICULUS II.

Inter has operationes incipiunt investigari dæmones.

Remig. 1. Dæmon. cap. 3. 69. Delrio, 3 Mag. part. 2. quæst. 1.

In unguentis & pulveribus veneficis, illud plerique à colore observant, ut quæ nigri coloris, sint omnino ad necem inferendam, quod subito læthiferi: quæ vero cineritii, aut subrufi, sunt venena, quæ dicuntur ad tempus, ad tabem ferendam: si sint instar bituminis, sunt ad fatuitatem; in hoc tamen, non est infallibilis certitudo, cum fræna permutare bene noverit dæmon.

Veneficam virtutem, ex alio principio observant, traduntque experientia exploratam; si ad flammas veneficum projiciatur instrumentum; si fulgorem, strepitum, & nidorem emittat, certum esse veneficii instrumentum.

Illud tamen adverte, quod si dæmon gentilitia & coæva virtute operatur, nullo instrumento necessitat: nam solo actu voluntatis, quæque, quantumvis difficilia, patratur: potest tamen virtutem instrumento impertiri: qua supernaturali virtute, instrumenti virtus supra se ipsam elevatur; ex quo alia virtus super naturalem virtutem in ipso instrumento elucet, ut patet in veneA nis confectis veneficio, idolis, aut strue rerum maleficarum; cum sub certa ceremonia, chlamidi assuuntur, vel sub rebus sacris occultantur; interdum sub capillis, aut sub limine ostii, & sub aliis, quæ notat Springerius; vel dum à dæmone, aut forte à venefica traducitur ad dormientis lectulum; seu dum sub annulo, aut quoque pretioso lapide offertur. Quod si fiat ad captandam principis voluntatem, seu odium, vel amorem inducendum; tunc certe *latet anguis in herba.* & de dæmonis arte suspicari par est: non est enim hæc naturalis ad tales effectus consequendos; si B maxime ad cælandam rem impiam, solicita diligentia inclinet.

In Malleo, part. 2. qu. 1. cap. 11. Gell. 6. Noct. Attic. c. 4. Ponectus, lib. 1. c. 13. Geleot. de Promiss. discipl. cap. 12.

Quomodo tamen maleficæ tales effectus consequantur, non est facile dictu. Hoc est certum, quod dæmon cogitur, vi fœderis iniqui, talia in personam producere, qualia malefica intendit; veluti si principis optat benevolentiam respectu alterius personæ; tales species principis cogitativæ inserit, quas fovet & conservat, quæ ad amorem, vel odium inclinent, respectu hujus aut C illius personæ; (si id Divina Providentia permittit) ac illæ res omnes, ut amabiles, aut aliter, animæ intellectrici repræsentant; quo benevolentia aut odium perseverat, dum veneficæ perdurat instrumentum: ac ideo in principis mente quæ merentur supplicia, præmiis condonantur; quo nullum Reip. est tempus infœlicius; & si forte aliæ naturales species à rebus politicis, quæ contrarium suadent, suggeruntur, hæ facile ab iis superantur, quæ dæmon potiori repræsentationis efficacia conservat; nam istæ nativa & elevata virtute repræsentant: & sola naturali, illæ: D quæ forte à dæmone deletur, quo fortasse exemplo facilime intelliges, quomodo philtra amorem ad insaniam perducant: si tamen inter ista consideres, quod ista veneficia, quantumvis efficacia, *volentes trahunt, nolentes non compellunt:* nam sicut astra inclinant, sed spirituales potentias nullo continent necessitatis vinculo.

Amat. Lus. cent. 2. car. 65. Lubert. Parod. 3. Mercurial. 1. de Venen. cap. 17. Card. 2. Contrad. 9. & 2 de Subtil. Matiol. 6. in Dioscorid. fol. 1399. Grilland. de Sortileg. quæst. 3. n. 30.

In hoc attamen magis dolus dæmonis, & decipiendi calliditas absconditur, dum veneficium sola videtur naturali virtute operari: si venefica E legit herbas à dæmone edocta, quæ nativam & peculiarem habent lædendi rationem; ut si deligantur cantarides ad lædendam vesicam, lepus marinum ad pulmonem: hiosciamum & mandragora, ad fatuitatem inducendam; Satirionem ad proritandam venerem, & similia; nec est necesse illa corpus alienum attingere: nam ad actum secundum reducuntur in dæmonis virtute: quæ vi fœderis venefico instrumento applicatur: sola est necessaria veneficæ intentio, quæ productionem actionis determinat, in hac determinata F persona, non in illa, & in hoc casu dæmonis fallacia detegitur; si ista ut auxilia applicantur, à persona non inculpatæ vitæ, quantumvis finis videatur laudabilis, & in subsidium aliorum malorum; si maxime effectus subito consequatur, aut superet auxilii efficaciam; seu ubi scintillæ eluceant altioris naturæ: de quo plura inferius.

Hic est etiam alia detegenda fallacia: dum agyrtę aut malefici homines, suorum instrumentorum virtutem stellis & planetis attribuunt; nam unicuique metallo, planetam præsidem ac dominum præficiunt, cui adscribunt effectus rerum

rum illarum quæ magia patrantur; impias actiones, aut aliter, horum vita ostendit ac solius ostentationis aut lucri ambitiosa vanitas, ac chimicæ præsumptio: si maxime quid carminum auxiliis immiscent, aut obmurmurant, seu characteribus, aut idolis utuntur; quibus cœlestem virtutem præesse profitentur.

Nec ideo penitus rejiciendos æstimo, qui veram callent Astronomiam, sed qui illa ad impios usus abutuntur; non enim impossibile judico, characteres & imagines in metalli laminas excusas, sub certa & determinata cœli hora & influxu, sub aspectu benevolo, in exaltatione planetæ, & dominio super illud metallum, effectus admirabiles producere; ut postea videbimus; quamvis Codronchus probare nitatur, *cœlum non posse virtutem præstare imaginibus*; hoc enim nos fatemur, qua pura accidentia sunt; non autem qua metallo excusa; sub his conditionibus. Videmus enim influxus cœlestes, sub terra, sub hac aut illa mixtione non tantum mirabilia in substantiis, sed in qualitatibus rarissima producere; velut in adamante, carbunculo, magnete; & hoc ab illa parte cœli, quæ illis correspondet; dum influxus ab illa mixtione, aut à certo patibili determinatur, ad sui effectus productionem; quod idem in imaginibus & characteribus, in metallis, tempore & hora determinatis, fabrefactis, accidere par est: quoniam pari modo, mirabilis effectus determinatur ab artificis opere; ac ab illa naturali patibilium mixtione: nec ideo inficior posse veneficos astrologicas imagines mentiri, magico & impio artificio, sub pacto quod initur, sub hoc aut illo planetarum influxu, aspectu, aut syderum concursu.

3 de Morb. veneficis, cap. 2.

Quemadmodum venenorum artifices, præsentanea & ad tempus conficiunt venena naturalia; quæ subito, vel ad tempus præfinitum interimunt: sic etiam sua veneficia, venefici, seu ut tabem inducant, & mortem differant, ad præfinitum tempus: seu ut dolores inferant, seu subito infatuent; sua etiam parant veneficia; subjecti resistentia ex pacto dementita; cum sit dæmoni nota. Hæc de venenis est recepta sententia; quamvis illam neget Codronchus, ut etiam venenum stapedibus admotum, tam cito naturaliter necare: bene tamen dæmonis ex pacto illud accidisse, fatetur; cui etiam assentitur Cæsalpinus; nam bestiam, virtute naturali, celerius necaret; quam dæmon antidotis præservat, seu sola voluntate; peculiaris illa determinatio ad hominem pactum involvit; ut Delrio observat: quod, meo certe judicio, non obstat: peculiaria cum sint venena homini, & non bruto; & econtra: quorum seriem mox videbimus. Hæc & illa venena patent experientia: præterquam quod apud Indos & Turcas, scimus talia fermentari. Sed unde sumatur ratio differentiæ, dicemus suo titulo.

3 de Morb. venef. c. 6.

de Investig. dæmon. c. 17.

3 Mag. qu. 4. part. 1. sect. 5.

De unguentis & pulveribus maleficis, quibus mors inducitur, & aliquando tabes, nostris temporibus apud Mediolanenses ex pallido timore horrenda vulgata est opinio, pulveribus inspersis & unguentis maleficis per canales aquarum, civitati communium, in aqua benedicta Ecclesiæ, & per publica loca, licet corpus alienum non attingerent, vastissimam populi multitudinem necavisse.

A Re tamen melius pensitata, mihi & viris doctissimis visum est, illam fuisse pestem naturalem, ex aere infecto & corrupto, eamque læthalissimam; cujus causa cum esset à principio ignota, plerique illam pestilentem qualitatem, de pulveribus & unguentis maleficis commenti sunt: est enim inter pestes occultior, & omnibus numeris absolute feralior, quæ ex aëre accidit, ut causa communissima; seu ille corrumpatur in propria substantia, in parte elementata; (nam puro in elemento corruptio repugnat,) seu delato in aëre

B contagio, ut majorum nostrorum ætate experta est Hispania anno 1600. hæc enim absque ulla aëris mutatione, omne mortalium genus, utriusque sexus & ætatis, immaniter depascitur; anno enim 1599. per novem menses neque nubes, nec aqua in cœlo visa est. De hoc est admirandum in Tacito exemplum: *Tot facinoribus*, inquit, *fœdum principis animum, etiam dii tempestatibus & morbis insigni vere, vastata campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges, passim dejecit: pertulitque violentiam ad vicina urbi, in qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulatur, nulla cœli intemperie quæ*

16 Annal. 2.

C *occurreret oculis; sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non ætas periculo vacua: servitia perinde ac ingenua plebs raptim extingui, inter conjugum & libertorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur; equitum senatorumque interitus quamvis promiscui, minus flebiles erant; tanquam communi mortalitate sævitiam principis prævenirent*, &c. hæc de Nerone loquitur.

Neque est novum, ignotum pestilentiæ genus

D ad venena seu veneficia necantia referre, quæ sæpe à nefariis hominibus in aquas communes ingeruntur: hoc enim Aretæus accidisse refert Athenis, *lib. 1. de Sign. acutorum morb. cap. 1.* *succi perdentes*, inquit, *intra corpus etiam generantur, & sunt veneno similes, quocirca, neque à ratione alienum est, in pestilentia quæ Athenas afflixit, nonnullos existimasse in puteos pyræi, à Peloponensibus venena fuisse conjecta: homines enim pestilentis morbi, cum læthalibus medicamentis similitudinem ignorabant*, &c.

Illud etiam nos tacere non decet, pulveres &

E unguenta evadere sub dæmonis pacto læthalissima, adhuc solo inspersa, per vias & per aquas: ut subito vel ad tempus, noxam aut mortem inferant. Id quod gravissimi viri rati sunt: id ipsum ex eo quod plus valeat dæmonis potentia quam artificis; ergo si hoc valet naturalis veneni efficacia; dæmonis artificio comparata plus valebit.

An vero virtute naturali, pulveres & unguenta, possint aërem vestes & terram contagio venenoso coafficere, ut corpori viventi communicetur sola veneni efficacia; mihi discutiendum restat. Pro cujus solutione dico, ideo venenum effectum in corpus alienum producere, quia est sui similis productivum; & ideo etiam alteratione per continuum facta, in corpus dispositum suimet actionem producit; ergo positum in debita distantia, sub quoque instrumento venenosam qualitatem producet; & maxime quia nunquam à nostra natura superatur; ex quo elicimus, non utcunque in aquas, in terram & in vestes projectum, corpora veneno coafficere, si causa productiva infringitur, aut certe ut par est dissipatur; quia effectus causæ efficientis non conservatur, nisi

Grill. de Sortileg. quæst. 5. & 11.

Spring. in Mall. part. 2. quæst. 1.

Remig. lib. 1 Dæmonol. cap. 2. & 3. & lib. 2. c. 8.

Delrio, lib. 3 Mag. part. 1. quæst. 1.

nisi præsente causa: & efficiens causa naturalis habet sphæram suæ activitatis, & ultra illam effectus non producitur: quare, aut distantiæ, aut causalitatis defectu, venenum non producit, neque communicabitur, nisi proximiori corpori: excepto dum dæmonis virtute utrumque suppletur: tunc enim bene poterit aërem virulento contagio coafficere, & ad proximum, vel ad distans communicare.

Hoc enim pleræque nationes sunt perpessæ; quoniam nullum est fere sæculum, quo hujus veneficii non sit feralis & funesta memoria. Nam tempore Moysis, & Pharaonis, magos unguenta & pulveres veneficos Ægypto induxisse, Philon est auctor, ut populum omnino devastarent. Ita, Domitiani & Commodi Impp. temporibus, sub Romano Imperio, pulveribus & unguentis maleficis Romæ vix numerabiles homines periisse, enarrat Xiphilinus. Apostolorum tempore Simonem Magum, unguentis & pulveribus usum, ad illos ex hac vita delendos, qui ab illius falsa doctrina dissentirent, in Delrio est celebris memoria. Et Cardanus meminit alterius pulverulentæ necis: ait enim civitate Salaciæ, pulveribus & unguentis veneficis, millia millium hominum periisse, ut vix minima civitatis pars intacta superesset. Et sub torrida Zona, in inculta Numidia, oppido quod dicitur *Gasola*, pulveribus maleficis quamplures periisse, memorat Episcopus Majolus.

In vita Moysis. *In Domitiano.* *part. 1. qu. 1. Card. 15. Venenorum cap. 80. Majol. ubi supra, anno 1536. Colloq. cit. fol. 300.*

Et hac nostra ætate, variis Italiæ civitatibus, pulveribus & unguentis veneficis, parietibus domorum, & per vias admotis, & sparsis per rivulos, & aquæ ductus fontium, & in templis, sub aqua benedicta, occultatis, millia hominum periisse, vulgatissimum est: adeo ut Quartus Philippus, magnus Rex utriusque orbis, Hispali paterna providentia mandaret, & consuleret, ut summa muniretur civitas vigilantia; ut & ora maritima universæ Hispaniæ ob fatalem ruinam feralis veneficii, quod per Italiæ urbes vagabatur; ne Lutherana rabies, quod armis & potentia non valuit, patraret insidiis.

Anno 1634.

Nec est dubium per naturalia consequi instrumenta hæc horrenda facinora, qui paciscuntur cum dæmone; illa enim in virtute istius operantur, & non in virtute mixtionis quantumvis deleteriæ: idem enim operatur veneficium in forma pulveris & unguenti; quod Philtra, pocula, operantur, & idola; sola veneficæ intentionis directione addita.

Ita tenet Grilland. Spring. Codronch. Cæsalpinus.

Hæc & alia cum extra propriam naturam, & activitatem vires exerunt, nos certiores reddunt de occulto in illis veneficio; ut cum de effectu nulla potest reddi ratio naturalis; & illa instrumenta, ut tesseræ militares deserviunt, quibus positis dæmon concurrit haud aliter, aut signo aut charactere, aut alio, quo posito, dæmon assistere tenetur: sic etiam in illis instrumentis contingit; & non quod illis necessitet ad operandum dæmon, sed ut altius cum deceptæ mortalitatis infamia occultet maleficium; si non in signum fœderis; ideo sæpe illis feralia carmina copulantur, in incantationem, & ut dixit Virgilius:

Miscenturque herbis, & non innoxia verba. *3 Georgic.*

Et ut canit Ovidius, de Dea inferorum incantatrice Hecate;

Protinus horrendis infamia pabula succis
Contegit, & tristes Hecateia carmina miscet;

Dæmon enim sæpe naturæ vim mentitur; aliquando sequitur artificium.

STATIO X. ARTICUL. I.

Dæmonum investigatio prosequitur in venenis; & an detur ratio differentiæ veneni intus geniti, atque ad extra propinati.

ET

An liceat de veneno, aut de veneficio, judicium proferre in judicio, sub illa utriusque veneni differentia?

Vocatum in judicium sæpe vidi, veneficii, aut veneni suspitione interemptum; fere nunquam ad satias probatum; nam æqualibus ita symptomatis ac signis, inter se confunduntur venenum intus genitum, ut extra propinatum, ac magisterio veneficii confectum, ut lynceis oculis fere non innotescat differentia: & hinc patet, quantum conscientiæ & rationi gliscat, judicium proferre in judicio, ob facilimum lapsus & animæ periculum; nisi exactissimo examine utriusque veneni. Fateor profecto, & ingenue fateor, quod ut proferatur sententia, de externo veneno, mihi sola legalis probatio sufficeret; satius est enim in ancipiti alea, impium absolvere quam innocentem damnare: ut habetur in *leg. absent. ff. de pœnis.* quod etiam confirmatur in *leg. 12. tit. 14. ubi æquitas juris probationem luce clariorem desiderat.*

Adeamus ergo Tribunal Medicinæ supremum; sed antequam nostram proferamus sententiam, ex ipsa rei natura differentiam utriusque, cum torno & cothurno perpendamus; naturalis nempe affectus veneni intus geniti, ab illo quem veneficium, aut venenum ad extra propinatum induxit: quod ipsum ex nullo principio melius consequemur, quam ex utriusque veneni definitione, & utriusque divisione.

Venenum in communi, (si credimus Galeno,) *est quod corpus nostrum alterat, natura nostræ, ratione substantiæ, contrarium*; hoc est occulta & venenosa qualitate, quæ à tota substantia operatur, & non primarum qualitatum ratione. Latius apud Juris-Consultos definitur; nempe, *quod plurimum nocere potest*; ut apud Ulpianum Digestorum *lib. 10. tit. 2. 24. & ad leg. 12. tabul. de Verb. signif. tit. 1. leg. 35.* &c.

Veneficium est prava corporis commutatio, dæmonis virtute illata, hominis ope & ministerio: seu magiæ species, qua quis ope dæmonum damnum infert; quo differt à veneno naturali; deinde veneni definitio, venenum intus genitum, & extra propinatum comprehendit; sine eo quod in illata noxa, nec signis, aliqua ratio differentiæ eluceat; quare in hoc omnes conveniunt, ut hujus aut illius virtute, noxa homini inferatur; in illo tamen differunt, quod venenum, seu nativum, seu arte propinatum, à nostro calore naturali comminutum, in actum secundum reducitur; veneficio vero confectum ope dæmonis, actuatur, seu peculiari applicatione, seu propriam venefici

nefici instrumenti virtutem exerendo: ideo enim dicitur *veneficium*, ac si dixeris *veneni factum*; ut *artificium*, seu *artefactum: maleficium*, seu *malefactum*.

Non ignoro veneficia per alia quam venena patrari, ut per *carmina*, per *idola*, per *characteres*, *&c*. Operationes tamen veneficii, sunt in totum similes veneni actionibus; noxam nempe hominibus inferre, & mortem aliquando: sed semper ope dæmonis saltem in applicatione. Quare cum quærimus differentiam inter venena intus genita, & extra propinata, seu veneficio confecta; aut in modo operationis, aut elevatione, aut applicatione, forte inveniemus veneficii signa.

Venenum ergo in internum & externum dividitur, & sub utraque differentia & frigidum & calidum vagatur. De frigido veneno intus alito, est celebris memoria in Galeno, 6. *de Locis* 5. ubi ejus signa proponit; de aliis venenis intus genitis, ex pravis cibis corruptioni & veneno aptis. In *libro de cibis boni & mali succi cap.* 8.

De calido veneno intus genito, est nobilis historia in Hippocrate, in phrenetico, qui virulenta vomuit; in cujus commentario Galenus, ex veneno interiisse æstimavit, 3. *epid. sect.* 3. *agroto* 4. & alia, illius cui pes doluit, & venenum ad caput recurrit, & secunda die mortuus est, 1. *epid. sect.* 3. 27.

De veneno ad extra propinato, tam frigido, quam calido, deque ejus essentia, prava & venenosa qualitate, multa in Galeno legimus, 3. *de Simpl. med. facult. à cap.*18. *usque ad* 23. & *libro de Simplicibus medicamentis per totum*.

ARTICULUS II.

An venenum sola quantitate interficiat, an sola venenosa qualitate.

De frigido est expressa Galeni sententia, *sola quantitate necare*; 3. *de Simpl. medic. facult. cap.* 1. posito exemplo in cicuta & in succo lactucæ; nihilominus tamen 6. *de Locis* 5. venenum frigidum in semine corrupto, quantitate, & aura venenosa, hoc est prava qualitate necare, existimavit; & illud est maximum argumentum, quod velut ictu oculi, hæc venenosa qualitas in parva quantitate totum corpus pervadit, & membra penetrat principalia, quod soli quantitati possibile non est; nec etiam solæ frigiditati; calida vero erodentia, & putrefacientia venena, venenosa etiam qualitate necare, palam est, ut Galenus asseruit, 3. *de Simpl. med. facult. cap.*22. *&* 23. ubi agit de externo veneno; & idem æstimavit de interno, seu intra corpus genito. 4. *Aph.* 22. 23. *&* 24. atræ bilis exemplo, & citati phrenetici.

Est etiam alia veneni species, nec calida, nec frigida, ubi nulla prima qualitas prævalet, sed sola venenosa vires exerit. De hujus etiam specie veneni intus geniti, nobile nobis dedit exemplum Galenus; 3. *de Præsag. ex pulsib.* 4. & de externo hujus sortis veneno, in constitutione & statu Asiæ pestilenti, in primo & secundo epidemiæ. sed illud minime prætereundum duxit, quod illa qualitas venenosa, pariter in veneno interno, ac externo, inflammat, mortificat, urit, putrefacit, & corrumpit, in quacunque specie veneni.

Et si quæras ex quo principio proveniat hæc venenosa qualitas, respondeo, quod hæc occulta proprietas in similibus nihil aliud est, quam relatio perfecti ad imperfectum, ut accidit in magnete & ferro: in contrariis vero, cum principia sunt incommutabilia ad invicem, seu similia sint, seu dissimilia in substantia: nam hic actio per qualitates fit similes, aut dissimiles; quoniam naturale agens agit medio qualitatis quam habet assimilando sibi passum; sed in valde distantibus, idem est assimilare; ac destruere præcedentem formam principiis suis longe diffidentem; & hæc similitudo in materia, cum contrarietate in principiis, vocatur *proprietas occulta*, comparative, licet non absolute: ideo duplex antipathia observatur serpentis ad cervum, ob substantiam, & ad hominem ob substantiam & qualitatem; ideo cervus vincit serpentem, & serpens vincit hominem; nam serpens est in ultimo ordine siccitatis, & cervus similiter; sed cervi natura robustior est, ut qui magis de sanguine participat, ideo serpentem vincit: quia quantumvis conveniant in substantia, diffident in principiis agendi qualitatum; & inde accidit, ut venenum sit interdum alterius veneni amuletum; ut hydrargyrium fascinanti veneno: adamas & hiacinthus pestilentiæ: & theriaca in aspidis venenum.

Quare hæc venena quæ qualitate necant, alia sunt urentia; alia corrodentia; alia putrefacientia; & alia à tota substantia corrumpentia: nam tabem inducentia non omnia, id, sola qualitate efficiunt, sed ipsa corporea substantia. Et quantitate, ut vitrum comminutum, gypsum, &c.

ARTICULUS III.

An detur venenum ad tempus, ut datur subito interficiens.

Illud etiam inter vetustatis auctores est maxime receptum, ut postea videbimus; ideo hæc calida venena, alia sunt ad præsens, alia ad tempus necantia; seu noxam insignem inferentia; (quod pariter de venefico veneno intellige) præsentanea, aut tarda venenosæ qualitatis efficacia; & ista sunt aut paulatim corrodentia, aut sensim putrefacientia; sed sub hac differentia, quod alia cor, alia cerebrum, hepar, renes aut vesicam peculiari antipathia vehementer alterant, corrumpunt, aut intemperant; nec semper interficiunt: est enim inter ista venenum quod infatuat, amorem, aut maniam inducit: pulmones typsi afficit, ulcerat intestina, hepar, aut lienem vehementer intemperat, ut perpetua afficiat icteritia; quod nos Hispali vidimus in viro satis noto, Matthæo Vasques. Sint nobis cantarides exemplum, quæ ardorem in urina inducunt, & vesicam exulcerant, ad sanguinis usque hæmorrhagiam: lepus marinum tabem in pulmone producit, cucumer asininum icteritiam, mandragora infatuat, hydrargyrium nervos & cerebrū peculiari antipathia lædit: & hæc omnia sunt venena ad tempus.

ARTICULUS IV.

An hæc venena possint per odorem, per tactum, & visum penetrare.

An dentur venena odore, tactu, & visu præsentanea activitate necantia, non æque video apud omnes receptum: illud tamen nec experientiæ, nec Philosophicæ rationi glisscit: nam torpedo solo tactu ad distans, alteratione per continuum facta, nervos torpore afficit, vaporibus emissis, ut Galenus testatur *6 de Locis 5*. phalangii etiam & scorpionis exemplo, quæ velut ictu oculi, corpus universum alterant. Quidam Pharmocopola Carmonensis Hispali, cantarides intra ipsius vestis sinum deportabat; cum, en, subito incidit in urinæ ardorem usque ad mictum sanguinis: & cum à nostro consilio curationem peteret, causam in nostro Musæo perquirentes, post varia colloquia, invenimus cantarides in sinu deportare, tum nos potissimam hujus ardoris causam, illas esse prædiximus: novimus enim vapores venenosos, solo tactu posse corpus vicinum coafficere, alterante veneno.

Posse venena etiam per odorem intrare, Cardanus non accepit: sed mihi illius ratio non satisfacit: dicit enim sensibile posse proprium sensum immutare, nullo modo evertere, nec corrumpere. De moderato & non excedente sensibili, hoc fateor; de immoderato autem & excedente, & experientiæ & rationi repugnat: sunt enim quidam odores adeo penetrantes & acuti, ut non tantum sensum odoratus evertant & corrumpant, quin imo & totam cerebri facultatem, cum animi deliquio; ut nos quadam in fœmina vidimus, quæ solo rosæ recentis odore, in lipothymiam incidebat: & dato, quod venenosus vapor non sit sensibile proprium odoratus, id non obstat veneno, quin spiritibus & cerebro communicari possit, alteratione per continuum facta; simile contagium producendo.

Per visum, venenum posse communicari, (mitto fabulam Basilisci) patet in fascinatione naturali & venefica, dum per oculos expirant venenosi vapores, aliti in fascinantis corpore; vel dæmonis fœdere suppositi; & in corpus dispositum recipiuntur. Hoc video jam communi sententia receptum. Solum quis nobis potest objicere; si hæc est ita præsentanea venenorum conditio, quare corpus fascinantis non interimit? si alienum subito contagio inficit.

Breviter rationi dubitandi respondemus, corpus veneno paulatim genito assuescere, ita ut ab illo fere non patiatur: patet in ipsis venenosis animalibus, quorum venenum est illis connaturale, & aliis contrarium: ut etiam in anu Atheniensi Aristoteles dixit; secundo, venenorum analogias esse summe diversas, ut pestilentibus constitutionibus experimur, ubi necantur homines, cæteris animalibus illæsis: quod etiam in diversis complexionibus experiri, par est; nam ut dixit Ausonius:

> *Quam variæ pecudum pestes, nec singula morbi,*
> *Corpora corripiunt?*

Per oculos etiam posse venenum penetrare, manifeste convincitur ex porosa substantia; quoniam si ex hac causa per corporis poros intrat, pari certe ratione per oculos intrabit.

Ex his satis constare arbitror, tam frigidum qua calidum venenum posse intra corpus produci, secundum omnes propositas species & differentias: cujus cum gravis noxa infertur, erit mors inevitabilis, ex Galeni judicio: si vero parva noxa imprimitur, poterit venenum cum ipsis excrementis excerni; aut etiam victus ratione superari: ut patebit legenti, 3 *de Simpl. med. facult. c.* 23.

ARTICULUS V.

De externo veneno.

Descendamus jam ad singulares venenorum species, quæ possunt ad extra propinari, & ad singulares illorum differentias. *An frigidum venenum venefica etiam qualitate interimat*, non deest qui existimet. Dicam prius Galeni judicium in hac veneni sorte; 3. *de Simpl. med. facult. cap.* 19. *frigida venena*, inquit, *non à tota substantia interimunt, sed quantitate quæ à nostro calore comminui postulat, ut penetret, quia terrea sunt*; & *cap.* 18. *ideo citius in calidis naturis interficiunt, sed non antequam cor ipsum refrigerent; & intro comminuta extenuataque ingrediantur, ut quæ crassarum sint partium, & ex se penetrare non valent; ideo succus lactucæ si tempore detinetur, concoquitur, mora calore commutante; si vero cito penetret ad interna, interficit, maxime per venas amplas calore abundante, & cita arteriarum attractione*; Hæc in hoc loco Galenus, de veneno frigido, sed externo.

De frigido vero interno, longe diversum illi fuit judicium; nam 6. *de Locis* 5. seminis in vasis seminalibus corrupti, exemplo, venenum non sola quantitate, sed venenosa qualitate necare existimavit: quoniam à ratione alienum non videtur, utroque modo, hæc ipsa venena interimere, quantitate nempe & qualitate: ideo opium & cicutam, præter frigiditatem, venenosam deleteriam etiam qualitatem possidere, ratum duco: nam præter stuporem & amentiam, hæc venena tenui humiditate, qua constant, & aura venenosa permeant ipsam sanguinis & spirituum substantiam, illamque plane corrumpunt; crassa vero frigiditate, & torpida, sensus omnes in torporem ducuntur: sanguis à motu cessat dum coaluit, inde profundus somnus: ac necessaria consequentia, spiritus extinguuntur obruti, ventilatione præpedita, quæ omnia mors excipit.

Quod si à tanto malo evadere contingat, in cachexiam sæpe delapsos vidimus, abolita interdum depravata coctione; nec tibi mirum sit actionem depravari à calore deminuto, si actio vitiatur per consensum cordis, nempe, aut hepatis, quod tympania patet: hæc venena interdum præsentanee necant, aliquando ad tempus; hujus tamen veneni signa, sunt, præter stuporem & amentiam, ungues, & extrema livescere, & totum reddi lividum corpus, & plumbei coloris, ac torporem corpus universum occupare.

Sunt alia venena quæ non qualitate, sed substantia perimunt, ut sanguis tauri, qui ob crassam substantiam, & concrescentes fibras, ventriculo coalescit, & mole sua cordis calorem suffocat, & pulmonem coarctat; quod etiam lac coagulatum experimur efficere. hæc sunt Galeni signa, *libro de Vtilitate respirationis ad finem.*

Gypsum

Gypsum est venenum ad tempus, & corporea substantia interficiens, dum venas & arterias obstruit, & corpus universum refrigerat; & si venas mesaraei obturat, inde fluxus hepaticus, chylosus, ac inde tympanites; nam fluxu assiduo retento, calor naturalis obruitur, & praeternaturalis intenditur; unde flatuum uberior proventus: si non forte pars tenuis veneni, ad venas vel pulmones defertur, quo lapidis materia suggeritur; aut occasio ulceris, unde sequitur tabes; & si ad venas corporis universi sanguinis distributionem intercipiat, fatalis atrophia subsequitur.

Tabefacientium venenorum peculiaris species non datur, sed omne quod sensim hominem ad tabem ducit, merito dicitur tabefaciens; non tantum quod obstruit, sed quod putrefacit, corrodit, & colliquat; aut id occulta proprietate operatur; ut quod corporis substantiam, & spiritum atterit, aut nimia siccitate, aut intenso calore; aut quod coctionem indelebili vitio depravat, aut membra principalia vehementer intemperat; ut lapis, aut tuberculum efficit, in ventriculo, hepate, pulmone, aut renibus, ut de gallo & simia ab ista causa tabidis, Galenus adnotavit: & ratio certe speciosa est; ideo enim cordis affectus & membrorum nutritioni dicatorum, maxime pericardii, corpus universum tabefaciunt, quia sanguis venarum, non pulsantium, apponi & nutrire non valet, quia ad actum non reducitur ab arteriali & purissimo sanguine, qui actum vitalem impertitur: si ex affectu cordis, aut pericardii intercipitur, fortasse dissipatur.

Putrefacientia venena à tota substantia necare, est Galeni sententia, 3 *de Simpl. med. facult.* 21. sed illa praesentanea sunt, quia mox erysipelata & phlegmonas inducunt; ex quibus virulenta aut depascentia ulcera relinquuntur: quod si pulmone accidat, fiunt tabes, & sanguinis sputa, quae brevissime necant; si in gula, phlegmone, tumentia ulcera; si in jecore, subita icteritia; de quibus est illa *Coacarum* Hippocratis sententia: *Icterici multum foedati pereunt*; si in ventriculo, & intestinis, vomitus virulenti & aeruginosi, & similes dejectiones colliquantes, ab ulceribus veneno derelictis; quae in fatales dysenterias transeunt. sed haec eadem fiunt etiam & ad tempus venena, nec illa perpetuo interimunt, si credimus Galeno, 3 *de Simpl. med. facult.* 23. quando nempe adhaerent membris, & sensim, & exiguo dolore sua ulcera fovent; difficulter ob id, (quod minus intellecta) sanantur; seu quia praeassumpta venena feliciter cum excrementis dejiciuntur, antequam noxam inferant; aut idonea victus ratione domita superantur; quod nobis accidisse civitate Carmonensi, in *D. Leonora de Atiencio*, plures norunt.

Ratio autem, quare venena praesentanea celeritate necant; temporanea autem, mortem, seu noxam insuperabilem ad tempus differunt; inde petenda est, quod in illis qualitas venenosa in tenui substantia defertur, vel in se ipsa fortis activitatis est: in istis vero, crassiori substantia coërcetur; vel longe à membris praecipuis delitescit; seu in se ipsa longe debilis activitatis est; ideo lente tabem vel mortem inducit: vel ad tempus differtur operatio, ut in canis rabidi veneno experimur, ad annos delitescere. Sed illud peculiare habet causae inveteratio, ut, cum sese prodit, noxam insuperabilem derelinquat impressam: de hoc veneno temporaneo est Galeni judicium, 3 *de Simpl. med. facult.* 22. *Quanto diutius*, inquit, *in corpore morantur, tanto magis agunt, ideo longo post tempore sumpta, nonnulla interimunt, maxime quae crassa terreaque sunt; haec enim corporibus nostris inhaerentia, & spatio temporis putrescentia, erodunt, corrumpuntque vicinas corporis partes.* Et illud etiam in variis pestilentiae sortibus legimus observatum, ut in *sudore Anglico* 24 horis interemisse, & Asiae pestilentia ad longiores dies; & per annos 1599. & 600. nam summa agentis violentia passum adhuc ineptitudinem supplente violentia; & per annos 1649. plures subito interemisse, vidimus.

Usque dum veneni intus aliti & extra propinati elucent signa: aliquam tamen, inter illa Galenus invexit differentiam, 6 *de Locis* 5. in mortuo proposito exemplo, ex solo veneno intus genito. In hac re certe incuriosus, quantum aliis diligens: nobis enim semper foret utilius, si viventis intoxicati signa ob oculos proponeret, ad differentiam mortui ex innato veneno: quoniam in mortuo fere est impossibilis differentia, an ab hoc, an ab illo veneno moriatur; nisi viventis adhuc accidentia perpendantur.

Cum hoc tamen judicavit Galenus, si quis antea perfecta sanitate constitutus, & cibis boni succi, absque ullo delicto educatus, repente caderet, interemptus; ac inde corpus lividum, nigrum, seu variis coloribus fucatum, ut verberibus caesum, maxime juxta dorsum permanserit; hunc venenum sumpsisse, ajunt: & hanc mortem veneno tribuendam aestimavit: sed tunc fuisse à veneno intus genito, si antea frequenti syncope animo linqueretur; & corpus frigidum exsudaverit, maxime circa faciem, & collum: & livor ungues, & extrema digitorum occuparet, cum nausea perpetua, & dolore corrodente ventriculi: & capilli postea vel sponte deciderent, vel facile, & sine violentia evellerentur; si caro etiam brevissimo tempore olet; quod veneni putrefacientis est inditium.

Tantum haec difficilis quaestio adhuc illius vetustatis torsit ingenia, ut in hoc loco ipse Galenus dicat; qui hanc solent proponere quaestionem, *utrum propriae sint notae veneni, nec ne? nam qui maxime videntur sub hac ambiguitate disputasse, ii eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione quae à corpore ortum habet, verum illud discernes*, &c. & refert verba quae protulimus antea; ac deinde procedit: *Igitur si hujusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobismet ipsis accepto, suae originis impetu, similes sint iis qui pernitioso epoto veneno eveniunt, nil mirum, si vitiatum semen, aut menstruum hujusmodi cum retinentur, aut putrescunt, corporibus ut afficiantur idoneis, gravia inferant accidentia*, &c. nec his Galeni verbis satis patet utriusque veneni differentia; imo accidentium similitudo in utroque: quare rem altius expendere oportet.

ARTICULUS VI.

Individualia venenorum signa perpenduntur, ad veram differentiam eliciendam.

Signa specifica quæ aliis sat essent, in illa quam intendimus differentia, non concludunt; nisi additis signis cujusque veneni singularis: quare ubi casus instabit; cujusque peculiaris veneni signa, fortasse veneficii æqua lance librata, perpendere debemus; ut, ex quo veneno mors acciderit, innotescat; nam signa communia sunt utrique veneno gentilitia, & adeo similia, ut antea ex Galeno notavimus.

Vitri Pulvis est species notissima veneni; iste, cum devoratur, dolores acutissimos infert in ventriculo, & ipsis intestinis, & sanguinis concitat hæmorrhagiam, vomitu & secessu; ut abcessum illius regionis æmuletur.

Gipsum dentes dealbat, & gingivas, & linguam, anhelitus difficultatem infert, dolores in ventriculo lentos, cum tristi & importuno sensu; ventrem nimis adstringit; nisi obstructis mesaraicis chylosum concitet alvi fluxum; nulli cedentem auxilio.

Cerussa, (quæ frequenter à mulieribus, pro ahyto puerorum depellendo tribuitur, impio abusu.) est etiam venenum, quod citat album vomitum dolore corrodente ventriculi, dentes fucat nigredine, & sanguinem impellit vomitu & secessu.

Hydrargyrium, vulgo *arg. vivum*, ut etiam *argenti spuma*, eadem concitant accidentia veneni; nempe ventriculum & alvum vehementer conturbant; anhelitus difficultatem inferunt, intestina erodunt, usque ad dysenteriam: sed *hydrargyrium* est adeo violentum, ut partium tenuitate, & operandi violentia, corpus penetret universum, & humores partibus adhuc remotissimis imbibitos evellat; quo irritata natura, motu & agitatione, & prava qualitate, humoris jam commoti expulsioni gliscit; ut per vomitum, per alvum, per sudorem, per sputum, humores conturbatos expellat; quo in opere, (meo judicio) soli ægroti illi, qui vires nancisćuntur, violentiæ pares, mihi evadere videntur, non virtute auxilii, (cujus ad morbum nulla est analogia, nec virtus specifica,) sed sola violentia, qua noxia expellit excrementa: ac ideo reor quod est ex illis quæ fortuito curant, & non ex ratione, nisi quis velit in illo contra morbos rebelles adesse analogiam.

Fateor tamen hanc temeritatem venenosi auxilii à summa desperatione indicari, si auxilia debent esse æqualia; illud tamen consultissimum judico, in damnandis ægrotis venenoso auxilio, prospicere nempe, an virtus sit sufficiens, ut obsistere valeat veneni accidentibus, & conturbationi: quoniam in hoc libratur auxilii fœlicitas, si tantam violentiam ferre potest; sin minus, in ipsa virium imbecillitate, aut morti aut damno insuperabili damnabitur; invalidos enim postea omnes fere novimus periisse, seu profusa evacuatione exolutos; seu intus derelicto veneno; (ubi maxime nulla concitatur vacuatio,) tabescentes; seu cerebro & nervis, à nectare vivifico defraudatis: unde summa debilitas, aut arida convulsio, seu tremor corporis universi, nervis ad lapsam intemperiem prolapsis; aut in extrema debilitate positis: unde accidit, ut morbus, qui tanto auxilio non medetur, aliis postea fiat insuperabilis: hoc etiam auxilium peculiari antipathia nervos lædit, & facultatem dejicit animalem, quo fit, ut interdum præsentaneum fiat, aliquando & ad tempus venenum: & utinam hoc posset chirurgorum audaciam compescere.

Rubigo est venenum ad tempus; nam corpus exsiccat universum, ad marasmum perducit, cum modica corporis punctione. *Ærugo* præfocat, & respirationem subito angore intercipit; datum per os, ventriculum, & intestina rodit, dolores & ulcera producit, ad quæ sanguinis dejectio sequitur, & virulenta sanies.

Magnes, seu *Herculeus lapis*, devoratus, ad deliria melancholica perducit, cũ mentis fatua læsione.

Cynabrium inter alia, spirandi difficultate necat, ventris utramque regionem vehementer subvertit, per secessum concitat hæmorrhagiam, & ad dysenteriam hepaticam perducit.

Opium, ut cætera venena frigida, odorem per os de se mittit ebibitum: torporem in sensibus inducit; somnum inexpugnabilem & mentis torporem; respirationem ferme usque ad mortem non immutat: cum summa respirandi necessitas, pectoris & thoracis movet musculos; tunc extrema livescunt; & plumbeum, & lividum redditur totum corpus.

Mandragoræ poma, succus, & radix, & pariunt amentiam, & altam oblivionem sensuum externorum, & mentis stuporem inducunt, & omnes frigidi veneni effectus.

Cicuta vehementer strangulat, convulsione & vertigine interimit; & ungues, & extrema, hac epota, livescunt: corpus & mentem torpore & stupore afficit, & tremor occupat totum corpus, & præcipue manus, non sola quantitate, sed aura & qualitate venenosa.

In his omnibus frigidis venenis idem accidit quod in succo lactucæ, ut Galenus docuit observare, 3 *de Simpl. med. facult.* 18. *Lactucæ succus*, inquit, *si in ventre moratur, aliquando concoquitur; si vero ad cor penetret ut cor ipsum refrigeret, cito interficit; nullum enim animal interire potest, quin cor ab agendi munere cesset: fieri tamen nequit, ut cesset, nisi à vehementi intemperie, & non à moderata; ab hac enim in totum non vacabit; priusquam immensam frigiditatem, aut caliditatem, aut reliquarum qualitatum aliquam acceperit*, &c.

Apium risus cum mentis motione convellendo interficit. *Cucumer agrestis*, *Euphorbium*, *Stibium*, *Coloquintida*, & *Veratrum*, humores per utramque regionem impellunt, usque dum sanguinem violenter exprimant, & exolutis viribus interficiant, ut *Oleandri flores*. In his, & in omnibus vehementer purgantibus, fortuna erit, si cum ipsis excrementis dejiciatur devorata substantia; *Quoniam*, ut Galenus observat, 3 *de Simpl. med. facult.* 24. *si frustratur purgatio, ista in venenum vertuntur*; quod semper attentione perpende.

Napelus, venenum præsentaneum, linguam inflat, ut os illam non capiat, cordis syncopem inducit, corpus totum nigredine perfundit, & venter intumescit, oculos convellit, & strangulando interficit.

Aconitum est venenum ad tempus, & venenorum princeps, vertiginem inducit, lacrimas & spiritus difficultatem movet, & peditus multos emittere cogit; dulce est gustui, leviter subadstringit.

Lepus marinus, lædit pectus & pulmonem speciali antipathia; ideo strangulando necat: vomitum in stomacho, tormina in ventre movet, odorem piscis corrupti refert.

Sanguis menstruus, venenosa qualitate necat, in multa quantitate propinatus; in parva fertur, quod ad amandum provocat, fortasse ex veneficio. *Eluri* cerebrum, & *Lacertarum* corpora, & *Schincorum* cauda; potu, aut cibo data, hæc eadem producunt; & super hæc amentiam, ut tales videantur lunatici: sed *sanguis menstruus* sanguinem venenosa qualitate corrumpit.

Anacardi & *mel anacardinum*, sunt venena urentia, quæ intensum calorem in caput inducendo, alienationem producunt in potentias; quo in aliquibus producitur amentia melancholica, cum tremore manuum, & mentis stupore: & aliquando inducitur fanatica dementia; non subito, sed ad tempus, ex causæ inveteratione; ut quando hæc elucent symptomata, auxilio non sit locus. Considerent igitur studiosi viri, quanta cum cautione & timore ad memoriam excolendam, sumant anacardinam. Dicam ego quod ipse vidi: *Vir quidam chirurgus nobilissimus, & triginta annorum, adaugendæ memoriæ desiderio*, anacardinam *satis correctam accipere decrevit; erat etiam ex adustione biliosus; jam in melancholiæ consinio, is per tres dies sumpsit hujus conditi satis moderatam quantitatem, sed paucis post elapsis diebus incœpit somnia melancholica enarrare, & somniis infœliciter credere: deinde scrupulose de vita desperare, quo in statu manuum tremor incepit, præ arida cerebri siccitate, magna nervoso generi imbecillitate inducta; ac exinde incepit delusæ & falsæ imaginationi credere, quo tandem decidit in maniam, quæ nullis cessit auxiliis, quin paucis elapsis mensibus vitam finiret.*

Salamandræ & *bufonis* ova, valde præsentaneè necant, & dolores ventriculi vehementes inducunt, & toto ventre inflato, moriuntur qui talia accipiunt.

Cantarides, tali violentia urinam provocant, ut ad sanguinem & ulcera ureterum & vesicæ perducant, ilium cum dolore intenso, cum ardore urinæ, & stranguria, & clamoso ventriculi dolore; concitant & abcessus in ventre cum ardore: quæ omnia accidentia affert in vino *Salamandra ebibita*.

Multa alia omittimus venena, quæ à diversis principiis desumuntur: velut ab animalibus, serpentibus, à plantis & ab herbis, & metallis; ut ab upreftibus, pythio campis, rubeta, à lepore marino, à vermibus, etiam ruta nutritis, à felle & saliva serpentum, ab hirudinibus non bene expurgatis, à cauda cervi, à felle leopardi; à carpasio, aconito; colchio, ixia: ab scorpione, vipera, & phalangio; à fungis, taxo, oleandro, sordonio; ab opio silvestri, & solano; ut à metallicis jam supra enarratis: nec sunt inferiora fermentata venena, & quæ arte ab artifice venenorum parantur: inter quæ *pharicum* primas tenet, aqua separationis, & alia quæ à variis venenis permixtis fermentantur.

Horum omnium notitiam callere tenetur, qui judicium præsumit proferre in judicio; nam ut omnis vitetur æquivocatio, in re gravi, & capitali periculo, tam magnis fallaciis exposito, non tantum decet nosse veneni accidentibus periisse, aut veneficii; hæc enim possunt esse communia & æqualia veneno intus genito, ac extra propinato; sed etiam ex qua veneni sorte particulari, si est ex illis quæ extra propinantur; quod certe studio signorum, quæ nos ibi proponimus, fortasse assequetur, ut secura conscientia, quantum res obscurissima tulit, proferatur judicium.

ARTICULUS VII.

Differentia veneni naturalis & inducti veneficio perpenditur.

Si qua inter veneficia naturalia venena est assignabilis differentia, hæc inter morbos inductos, veneficio, & naturales morbos, talis erit, paucis fere mutatis: nam venefica ope dæmonis, aut venenis, aut causis morborum naturalibus utitur, ad noxam seu damnum inferendum.

Differentiæ signa pleraque sunt artifici nota; quando nempe ordinem naturalem excedunt: multa conjecturalia: alia legali probationi proxima. Mitto signa ex colore, odore, natura, & sapore veneni; quoniam ista sunt etiam veneni intus geniti signa, dum à natura per vomitum expellitur; aut per aliam viam.

Veneficii, aut veneni proxima signa, erunt, si ex eadem domo multi simul sine causa perierint; aut noxam insignem patiantur; maxime veneficæ comminatione præcedente, aut infidelis servæ; ut patet ex non paucis historiis: & si cibo aut potu degustato, mox linguæ inflatio sequatur, gutturis inflammatio, morsus ventriculi, cardialgia, continuata nausea, & cordis palpitatio; ut nos vidimus in Doña Leonora, nobili matrona Carmonensi: hæc à potu aquæ hæc omnia pati queritur; à cujus potu paululum superesse audivimus: hoc nos accipientes, aperto ore canis domestici relictam in vase portionem infundere mandavimus, quo accepto, canis intra horæ quadrantem animam exhalavit, admiratione circunstantium, quo veneni suspicio in legalem probationem cessit.

Devorato veneno, mox in lingua & gutture sentitur sed non omne, illud maxime quod ex urentibus aut putrefacientibus assumitur; dulce vero, aut fucatum delectabili cibo, protinus non sentitur, sed ex illo postea ructus olidi, pravi saporis, aut odoris, surgent; quod si postea vomitus & nausea persistunt, cordis palpitatio, & ventriculi dolor, alvi fluxus, extremorum frigiditas, livor unguium, pravus corporis odor, convulsio, syncops, sudor frigidus, cum importuno & rauco singultu; tunc non tantum est veneni suspicio, sed cum vitæ desperatione vera præsumptio. dummodo non sit excusatio in continua & longa cruditate ventriculi, cibi mille modis fœdati; sed si illud in perfecta sanitate contingat, certius veneni est inditium; hæc præsentanei veneni signa sunt.

Temporanei autem veneficii, seu ad tempus propinati veneni alia signa sunt: hæc enim potius ex

ex membri læsione desumuntur, quam ex ipsa veneni qualitate & efficacia; quod non ita manifeste vires exerat, nec palam insidiari videtur, sed lenta & occulta fraudulentia; veluti in ventriculo mala veneni qualitas impressa remanet, lingua, corde, pulmone, cerebro, aut jecore; nam horum unum, aut plura, veneficio aut veneno affici, est omnino necesse; nam si ventriculo venenum commoratur, (seu putrefaciens, seu erodens sit) nausea frequens erit, cum suffocatione; sed vomitus erit peregrinæ qualitatis, & humoris, cum tædiosa vita; & ructus graves, olidi; alvi fluxus nullo auxilio sedabitur; lingua in his ita erit exusta, & nigra fuligine fucata, ut elui non possit, adhuc violento abstergente; neque sitis sedatur, & hi ut plurimum hydropici evadunt, tympanitici, ventre inutili sarcina repigrato; si non forte cachectici, colore maxime defœdato; neque causæ hydropis naturales præcedunt.

Si afficitur jecur, per venas corrumpit colorem linguæ, febres lentas producit; & morbum naturalem mentitur; aliis videtur amphemerina febris, sed lingua adeo nigra & aspera videtur, ut illud accidens longe à febris natura alienum videatur: ego vidi oris ulcera, ex hac forte veneni, adeo importuna, maxime ad dentium radices, ita pravi odoris, ut nullo auxilio sedarentur; usque dum tabidus hic ægrotus deficeret: in quorum principio sanguinem mitti jussi, & erat adeo defœdatus, fibris & substantia corruptus, ut nullo medio coalesceret; quin hinc inde deflueret; sitis erat intensa, & supra febris merita, quæ erat valde lenta: insuperabile fastidium interdum sine febre; usque dum vitæ tædio confectus, cum vehementi veneni suspitione, ex hac vita migraret.

Adhuc in signis ipsis est quædam peculiaris differentia; ut si in dolore ventriculi ex veneno, statim cum dolore adveniat mutatio coloris, in facie, aut in corpore toto, cum cordis palpitatione & vertigine; quæ si à morbi naturalis natura longe distant, est prorsus læthale signum; nisi sit excusatio in ictero, ubi color mutatur alia ratione: quod si his hydrope adveniat sudor frigidus, & strangulatio est ultima & fatalis desperatio.

Peculiaria autem veneficii signa sunt, tumor & ventris inflatio, sine causa: si subito tanta facta est, in vitæ fundamento eversio, ut mox in hydropem transeat, (in flatus nutrimento converso:) nam tam subito causæ naturalis superat efficaciam; & tanto deteriora signa sunt, quantum ex inveteratione causæ sunt longe propagata, seu radicata altius; quia veneno nunquam assuescit natura; quod causis naturalibus morborum accidit aliquando, veluti in quartana: ideo si postea vomitus & alvi fluxus adveniant, sunt prorsus ad pernitiem; & semper in veneno deleteria, quæ in aliis morbis critica esse solent; sed linguam intumescere omni sicco veneno est commune, ut etiam si vires sine causa labantur, & tales perseverent; sed illud veneficii suspitionem auget, symptomata esse prorsus contraria, & morbo non congenea, ex quo reddi causa non possit.

Adhuc se magis simulant veneni seu veneficii temporanei signa, & se sub causa naturali abscondunt; cum nempe, ægroti illorum accidentium reddere causam nequeunt: & à quaque levi causa & à curatione ingravescunt; nec in somno quiescunt, sed in illo variis terrentur imaginibus, & à dæmone vexari conqueruntur, in colore maxime defœdantur, ungues nigrescunt, & cum livore linguæ: quod si in hæc subito incidat mala perfecte sanus & robustus, arguit veneficium; sin minus, venenum; nisi sit excusatio in ordine præpostero vivendi, ac ciborum varia conditura, aut in passionibus animi melancholicis: nam ex antiquatis obstructionibus jecoris & mesaræi, cum frequenti animi deliquio, & virium eclipsi, ex veneno intus genito, nos aliquem vidimus periisse.

ARTICULUS VIII.

Quæ sit præsentanei & temporanei veneni differentia.

In hoc etiam differunt, quod in præsentaneo, vehementia & numerus symptomatum fere tempus auxilii anticipant, cum animi angore, & calore intenso, quia mox membra occupat principalia; quod in temporaneis non ita celeriter contingit, quibus lenta symptomata: ex quibus pleraque non sunt suo jure læthalia; licet alia necessario mortem afferant; ut canis rabidi virus: non læthalia sunt, inductus amor, mania, & ignava fatuitas; & pleraque perstigia, quæ potius insaniam, quam necem afferunt: quia ista membra principalia, nec subito nec vehementer lædunt; nec aliquam vitæ necessariam operationem intercipiunt; ut respirationem, cibum, somnum, & mictum: illud tamen est maximum veneficii argumentum, subita & magna in moribus mutatio in deterius, in homine modesto & prudenti; ut si quis concubinam ad perditionem depereat.

Lente & sensim contabescere, sine causa, veneficii, aut veneni ad tempus est indicium, si ab aliquo potu, aut cibo ortum duxit; ut confestim omnia accidentia in summa intentione advenire, præsentanei; maxime si plura simul complicantur, & confunduntur accidentia, ut respirandi difficultas, suffocatio, vomitus, ventriculi dolor, linguæ tumor, livor unguium, urinæ ardor, ulcera denigrata, vermibus scatentia; aut si vermes insuetatæ figuræ dejiciantur: sed illud erit certioris notitiæ, si hæc ipsa ante morborum præscripta tempora cessent, & subito sanentur; & sine causa iterum revertantur: hoc enim certe de veneficio arguit; quia naturale principium non aderat.

Deinde pleraque accidentia singulari energia id ostendunt, ut strangulatio, linguæ tumor, cum sapore & odore, gravi: si vomitus veneni materiam ostendit, longe à naturali humore peregrinam, & maxime post cibum; ex quo linguæ inflatio, cum ariditate & siti: nulla distillatione præcedente: si dolor ventriculi erodens, & intestinorum difficultas sine febre: & si cum dolore maximo expellit primo, cruorem aqueum, sine aliqua bile, nec alio humore naturali, imo punctio postea manet; & statim à cibo nausea supervenit, cum unguium livore & frigido sudore; hoc à veneno est: si tandem intus uritur sine febre, & cum dolore ventris, & tali anxietate, ut illius reddere causam nequeat: Sed attende an ex Gallica lue, aut hypochondriaca melancholia, aut interno

terno tuberculo hæc ipsa foveantur, an ex unctione argenti vivi; ut ab illo discernas.

Hic animalium venena recensere non placuit, quod illorum ictus, aut morsus signa, & quæ postea sequuntur accidentia, sint hujus argumenti aliena, & per se satis nota, summeque præsentanea: morsus enim aut ictus venenosi signa, sunt tumor durus, circumcirca cum saturato & intenso rubore, & loco inflammato frigus aliquando sentitur, maxime scorpionis ictu; horror & tremor occupat totum corpus; os & labia ictus & frigent, & livescunt, vomitus æruginosus & pallidus occurrit; corporis & faciei coloris & caloris cita in utrumque mutatio apparet, ob molestiam cordis, in quo est palpitatio; quam si occupat syncops, desperata res est: aliis infensissimus dolor, multis nulla sensatio, parte sensitiva moriente.

ARTICULUS IX.

Differentia ex parte instrumenti; & signa veneficii.

Sed quia veneficia possunt fascinatione, carmine, idolis, & imaginibus inferri, differentiam ex parte instrumenti oportet constituere. Fieri ex fascinatione inde nosces, si nulla præcedente causa, in cibo, aut in potu, illitus aut olfactus: subitus faciei & corporis color, ad pallidum & morticinium mutatus; oculi tristes & demissi redduntur, cum irrationali melancholia, & lacrimis frequentibus: & præ imbecillitate capite ad humeros demisso subalbido pallore, insolita vigilia; & ubi sunt insomnia in nocte terrifica, & subiti tremores: atrophia, & corporis macies, cum invicto fastidio illos maxime vexat, quibus splendent oculi: quæ omnia si sequantur ad aspectum mulieris, in qua sit aliqua suspitio naturalis fascini, aut veneficii, fascinationis erit magna præsumptio: fertur quod hiacinthus & coralus in fascino pallescunt, nitoremque amittunt; & si annulum ex asini ungula in digitum immiseris strictum, si aliquot post dies factus latior, jam ex digito decidit, est certius veneficii fascinatione inducti argumentum.

Perstigiatorum veneficio alia signa sunt; quoniam perstigiati vana loquuntur: variis imaginibus & spectris phantasia delusa intra se murmurantes, nemine respondente; & confusis imaginibus turbantur, insomno & vigilia: & pacato delirio dementes, fatuitatem æmulantur; oculos habent lucidos, & ut cogitantium intentos; & inconniventes: vividus color paulatim emarcescit; & carnes flaccescunt, albicantes, flaccidæ & exsangues; mentis stupor quotidie augetur, donec ad sensus refundatur, nam visus & auditus in illis hebetatur, ut nunc Hispali in nobili viro experimur.

Impia devotione affectos importuna curarum solicitat illuvies: nec est ubi quiescant: in moribus maxime mutantur in deterius: semper in extrema delabuntur timoris aut audaciæ, tristes aut iracundi: rationis egeni, & inopes consilii: & continua superstitione aut aspernantur Deum, aut scrupulose, & rustico timore, sacra fugiunt; & nocturnis lemuribus, aut larvis terrentur; rebus in omnibus aspicientes suæ miseriæ imaginem; passionibus variis agitantur; avari, crudeles, tristes, & sibi & aliis odiosi, insidiantes, & diffidentes, seu atro humore adjuvante, seu sub hac hæresi mentis delirantes, seu sub his instrumentis à dæmone obsessi; quod frequentius accidit.

Excantati, alii laborant à dæmone obsessi, alii delusi, alii tandem ex mentis acumine loquuntur mirabilia, quæ nunquam didicerunt, præ humore melancholico, lucido & tenui, & spirituum lucidorum abundantia: ut nos late probavimus in *Feralis*; de quibus dixit Plinius, 7 *Nat. hist.* 50. *Atque est etiam morbus aliquis per sapientiam mori*; hi de scientiis disputant, extra propriæ mentis aleam; ex his qui pactum dæmone inierunt, sibi videntur convivia celebrare; oculi sinistri pupilla, & his, & fascinantibus ex pacto, duplex est, & velut pes bufonis, ut notat Springerius: torvus est aspectus illorum, & crudelis, veluti perduellium; mussitant & inter se loquuntur, hirsuti, & macri contabescentes: & si vis experiri in dubio, an adsit veneficium; *Myexim* in annulo include, & si infixus digito annulus, & modice constrictus, sponte sua decidit, est certum veneficii argumentum; sin aliter, corpus lapidis lucidum colorem non amittit; hoc est imaginatum: hoc etiam habent affecti veneficio, quod se multa & magna posse profitentur.

Philtri amatorii suspitionem probat, si amoris incendia sint longe à ratione aliena: & ultra merita personæ amatæ, & amantis decentiam; si jus & fas gentium, & divinum timorem parvi facit; si honoris gloriam, decus & ornamentum, amittere non pudet; si diu noctuque de alio non cogitat, quam de improbis facibus quibus uri exclamant; in hoc tamen secundum capacitatem est magna latitudo; nam hæc extrema dementia, in homine prudenti & magnorum capaci, est forte veneficii argumentum; ut in Marco Antonio vetustas adnotavit, maxime prolapsus ad quamcunque fortunam; quod certe æstimandum non est in homine communi & vitæ inconstantis; nam est etiam suum cuique peculiare in ipsa pulcritudine veneficium, & est sua cuique dementia; deinde si qua ratione, ab amante abstractus, velut invitus, tacita & occulta violentia, trahitur, quocunque loco, ubi mulieris amatæ recordatur.

Maleficium etiam odia posse in familiam & uxores inducere, mille probant historiæ, quas afferemus postea; quod etiam est creditum à *Cæsonica* factum, in *Caligula*, non tantum dolo, quam necessitate, cum in cunctos quanto essent chariores desæviret acerbius; idque excogitatum pro tutela. Illa tamen hujus veneficii signa erunt, si ubi præmia merentur, subrogantur supplicia; & si beneficiis quibus pacari solebat, furiose irascitur: si vultus dæmonis, aut bestiarum in illis, quos odit, intuetur.

De frigidis, impotentibus, & sterilibus veneficio, suo loco jam diximus. An autem veneficium, seu per venena, per carmina, characteres, & incantationem, sit semper ad mortem inferendam, non quærimus; cum sciamus quatuor venenorum genera veneficiis inservire: *Amatorium*, nempe, *maniacum*, *contagiosum & imbecillitatem inferens*, licet his etiam *lethiferum* addatur; legimus enim

Olympiadem, privignum Arideum aliis fœminis invalidum fecisse, soli sibi potentem: & Cleopatram poculum *amatorium* Marco Antonio dedisse; quo illam insano amore deperiret: & Agrippinam, Locustæ, famosæ veneficæ, ope, ad tabem & mortem Claudium adegisse: in hoc tamen assistit differentia utriusque veneni; quod quæ perimunt, vim suam proferunt; alia autem continent, & non lædunt membra vitæ apprime necessaria, velut cor & jecur; nam ista membra læsa, vitam incolumen diu servare nequeunt; sed cerebrum levi affectione diu potest persistere, dummodo alia membra non trahat in consensum; ut in fatuis & maniacis patet. Res autem, ex quibus desumuntur venena, & ars, & natura invexit: ars autem plusquam natura, pollet in hoc venenorum magisterio, contra natura in conservatione.

ARTICULUS X.

Hujus argumenti Conclusio.

Ex hac venenorum notitia, primo elicitur hæc conclusio: *Venenosa & maligna qualitas veneni intus aliti, & extra propinati, sive veneficio confecti, nec essentia, nec operandi efficacia differt posita paritate; ac ideo in perempto à quocunque veneno, non est ulla ratio differentiæ.*

Hæc conclusio patet paritate affectus, qui producitur ab ista qualitate in utroque veneno; nam pariter in uno ac in altero, mortificat, inflammat, putrefacit, urit, corrumpit, & tabefacit: patet etiam in signis, quæ ab utroque veneno, in mortuo corpore relinquuntur: in utraque enim corpus lividum redditur, nigrum, ut verberibus cæsum; animo in utraque linquuntur sic affecti: corpus exudat frigidum, & maculis perfunditur; cum ventriculi dolore corrodente, vel alvi etiam fluxu colliquante, & caro tempore brevissimo corrumpitur, maxime in putrefaciente veneno. Patet etiam in ipsa veneni definitione, quæ utrumque venenum comprehendit; nempe quod nostrum corpus alterat, cum sit naturæ nostræ ratione substantiæ contrarium, hoc est occulta qualitate malefica, seu à tota substantia; ultimo ista confirmatur conclusio, ex Hippocrate & Galeno, libro de *Ciborum bonitate & vitio, cap.* 8. *&* 3 *de Locis* 7. 6 *de Locis* 5. *&* 3 *Epid. Sect.* 3. *ægrot.* 4. *&* 2 *Epid. Sect.* 3. 17. *& tandem* 4 *Aph.* 22. 23. *&* 24. ac postremo Philosophica ratione fulcitur. Ejusdem causæ, in se, si ex alio principio non mutatur, idem semper est effectus; sed ex hac causa semper idem producitur; ergo si est æqualis in producendo effectu, qualitas venenosa in utroque producta, est æqualis effectus absque ulla ratione differentiæ; & hæc in sua formali ratione idem semper producit; licet secundum patibilis varietatem, actio aliquando varietur, dummodo non sit in essentiali ratione operandi, actione contraria; ergo non est in utroque ulla ratio differentiæ, si idem effectus ab utroque producitur; qui est alteratio, ad corrumpendum; & materia in utroque veneno, est æque proportionatum instrumentum hujus qualitatis ad talem effectum producendum.

Neque limitatio Galeni, 6 *de Locis* 5. *de Veneno interno & externo*, facit contra conclusionem; nam solum ibi considerat, corporis statum in perfecta salute, ut ex subita ab illo decidentia, de illato, aut intus genito veneno, suspicetur; non tamen de ulla veneni differentia in modo operandi.

CONCLUSIO II.

In corpore viventi intoxicato, potest judicium proferri in judicio, de veneno ad extra propinato; ac in illo potest ratio differentiæ assignari, etiam à veneno intus genito, per singularia cujusque signa, sed ita difficulter, ut solis viris peritissimis in Arte innotescat. Hujus conclusionis fundamentalis ratio patet in venenorum signis, quæ à classicis auctoribus celebrantur; & nos in medium adduximus. Nam Galenus, *libro de Simplicibus medicamentis*, venena enumerat non pauca, ubi adducit signa cujusque singularia: ut *cantarides, arsenicum, auri pigmentum, cerussam*, &c. ut etiam *tauri sanguinem*; & libro de *Vtilitate respirat. ad finem*; *& de Simpl. med. facult. lib.* 3. *cap.* 18. 19. *&* 24. à quo ratio differentiæ desumitur; difficultatis ratio inde maxime comprobatur, quod externa venena alia communicantur visu, alia tactu, olfactu, aut illitu, ut per corporis poros, venas, & arterias penetret; alia in potu aut in cibo. Sunt item alia *necantia*, alia *insignem læsionem inducentia*; alia *ope dæmonis operantur*, per *carmina, characteres, idola*; alia sunt *frigida, & partium crassarum*, & alia *tenuium*; non pauca *calida, corrodentia, putrefacientia*, &c. alia tandem *ad præsens*, vel *ad tempus necantia*; & qui profert judicium in judicio, summa dexteritate de illa veneni specie singulari, aut saltem de veneno notissimo tenetur reddere rationem; & signa: sin minus, incertum judicium haberi debet. Quod quantum difficultatis præ se ferat, satis quilibet conjectari potest. Signa tamen venenosæ substantiæ, & veneni cujusque singularis à nobis proposita invenies; quantum difficultas, & quod satis ad judicium proferendum esse possit.

CONCLUSIO III.

Si major pars signorum, forte validiora signa, (licet numero pauciora) *deponunt de veneno interno, facta collatione inter illa, de illo est certe proferendũ judicium: si vero de externo*, (forte de *veneficio*,) *tunc non tantum signa debent perpendi & æqua lance librari, sed ad legalem probationem, ad personæ qualitatem, præsumptionem, attendendũ existimo, ut ex omnibus simul, non tantum scientifica, sed legalis etiam fiat comprobatio.* Hæc conclusio, non tantum à *Medicinæ* principiis deducitur, quæ satis scrupulose signa distinctiva proponit utriusque; sed à *Iurisprudentia*, quæ in hoc casu probationem luce clariorem desiderat; ne in judicii periculo innocens damnetur; ut habetur in *leg. Absentium ff. de pœnis & leg.* 12. *tit.* 14. *part.* 3. & est secundum omnia præcepta Christiana, & politica, quæ consulto omittimus, ne longior fiat enarratio.

STATIO XI. ARTICUL. I.

An detur ratio differentiæ, inter morbum, à venefica veneficii instrumento inductum, & morbum naturalem.

Illud est ante omnia inquirendum; *An dæmones propria virtute morbos valeant in homines inferre?*

quoniam

quoniam non est illud apud omnes receptum. Avicenna enim *capite de melancholia. Et quibusdam Medicorum*, inquit, *visum est quod melancholia contingat à dæmonio: sed nos de illo non curamus, cum physicam doceamus: quod si contingat à dæmonio, tunc contingit, ita ut convertat complexionem ad choleram nigram; & sit causa ejus propinqua, cholera nigra.* Et hanc fuisse Hippocratis mentem, puto in illa *primi prognosticorum sententia*, 4. quando dixit, *& si quid divinum est in morbis, illius etiam oportet ediscere providentiam, hoc est an à dæmone sint.*

Illud tamen mihi videtur in hac re sentiendum, quod sentit & sacra *Theologia*; *quod dæmones*, nempe, *ut cæteri Angeli* (sic Deo permittente) *possunt morbos, aut necem inferre, seu solo proprio voluntatis actu, ut causa per accidens, & remota, quatenus nempe influxu invisibili, proximam & physicam morbi, aut necis causam, aut impedit, aut intendit, in proprio influxu, nam voluntatis actus non potest esse causa proxima morbi, ex qua effectus physice producatur:* quoniam spiritualis actus, per se materialem actum non producit, sed per accidens.

Illud etiam poterunt naturalibus & morbosis instrumentis efficere, activa passivis applicando, seu complexionem alterando, ut Avicenna dixit. Possunt etiam hæc ipsa instrumenta naturalia, superiori virtute elevare, ita ut hæc elevatio omnia naturalia superet auxilia; quantumvis causa sit pure naturalis: nam auxilium, seu removens morbi causam, morbo potest esse æqualis, sed non virtuti superiori dæmonis; ut tollatur quædam æquivocatio illorum, qui præsumunt posse morbos inductos veneficio, & etiam à dæmone illatos, ablata causa, qua dæmon ut instrumento utitur, solis auxiliis naturalibus mederi: quod sic perinde accidit, ubi dæmon elevatam actionem suspendit; non vero, ubi illam conservat.

De hoc tamen, pleraque libuit afferre Medicorum illustrium testimonia. *Alsaravius cap. de epilepsia: signa ex causa dæmonum*, inquit, *semper dubitavi, donec mihi nuper demonstrative patuit: vidi enim hanc ægritudinem multis modis, ut me docuit Hamen, filius Izac: inveni enim in hoc libro quod ægritudines accidunt quatuor modis: nempe ex malitia regiminis cibi & potus; ex peccatis & prævaricationibus; & ex maledictis dæmonibus qui dicuntur, Alahin, Ablis, in quorum curatione, si nostra ingeniatio defecerit, & ipsarum causæ à nobis decisæ sint, relinquite opus creatori eorum; & quia occulta est Medicis causa hujus ægritudinis, & eorum cognitio circa eam deficit: sed non est dubium penes me, quod hoc est de antiquis scientiis quæ hodie occultatæ sunt hominibus.* Hoc sequitur dictamen Serapio, dum etiam de hac loquitur epilepsia, ubi dixit, quod illa vocatur *Alchabeni*, quia provenit ex *opere dæmonum.*

Procopius, libro *de bello Persico* sub Justiniano Imperatore, inquit, grassatam pestilentiam quæ incipiebat hoc modo: *Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt; quot enim in ipsa inciderunt, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat.* Hoc etiam de eadem pestilentia enarrat Cœlius Rodiginus *lib. 2. antiquarum Lect. cap. 6.* Olaus Magnus, etiam libro 3. *suæ historiæ* refert, Bethnicos homines, septentrionis magicis incantationibus inimicos, etiam absentes ita petere, ut triduo oborto carcinomate, pereant. Hoc ipsum etiam variis in historiis in hoc Magico Theatro comprobatum passim videbimus. Nec Aristoteles; *Dæmones morbos inferre*, abnuit. Jamblichus Platonicus hoc etiam diffuse probat: & scimus ex sacro sancta fide, Christum Dominum, languentes à dæmone curasse, non corpore tantum, sed & animo patientes.

Benevenius etiam in suo libro *de abditis rerum causis cap. 8.* Duas profert historias de morbis à dæmone inductis, quæ plus certe merentur admirationis, quam fidei: Alias refert Langius *epistola 38.* sed longe certe admirabilem Cornelius Gemma, *lib. 2. de naturæ divinis characterismis cap. 4.* De muliere, *quæ dæmonis astu, seu morbo, à Dæmone inflicto, mirabilia & contraria passa est accidentia; dum inter illa ejiceret è ventre spitamos, lapides, & ligna perpolita, æris frustra & ossa, & capillos; & mille alia, quæ omnem pene superant fidem: & concludit, hanc lustrandam sacris, omnino & sacerdotum precibus asserebam; atque divinis missarum officiis rite peractis, collatisque eleemosynis, statim illæ portentosæ excretiones & tempestates conquieverunt.*

An vero inter hæc infausta veneficia, & morbos, qui illis producuntur, & inter morbos similes à natura productos, differentiæ ratio constituatur palam, & ad medentis captum, veluti inter tabem veneficam, & naturalem tabem, & inter alios, qui stigia lamiarum, & sagarum opera mentiuntur; mens agitat molem, sed fere victa cadit, velut ad impossibile: nos hoc dubium primo traximus in arenam, & propter hoc fortasse universas magiæ differentias.

Illud patet apud cautos & solertes in Medicina viros, esse de veneficio suspectum, dum morbus egreditur extra naturæ limites, & ultra vires exerit; si maxime illa fert accidentia, quæ nec morbo propria, nec naturæ congenea; nec formali morborum rationi congruentia: quoniam cum communem naturæ ordinem egreditur, aliud adorat principium altioris sphæræ; quia naturali principio consentit: in hoc casu, non sola est opinio veneficii, sed certa evidentia.

Si vero ægritudo, in qua de veneficio suspicamur, in illis tribus morborum speciebus continetur; & accidentia quantumvis confusa, naturalem magnitudinem non supergrediuntur; nec extra tres celebres accidentium differentias supersaliunt; nempe *in actione læsa, qualitate mutata, suppressis, aut solutis excrementis*: in hoc casu, quis nobis rationem differentiæ assignabit?

In hoc forte Hippocrates, in ancipiti anceps, obscuram illam sententiam produxit; *Et si quid divinum est in morbis, illius etiam oportet ediscere providentiam*: sed quid per *divinum* intelligat, nullo in loco postea declaravit: sed Galenus, fidelis Hippocratis interpres; *Non quod tibi verum videtur*, inquit, *debet semper in enarratione proferri, sed quod magis est consonum auctoris menti: non ignoro, divinum illud plerosque referre ad supremi Numinis iram: sed par non est, veram prænotionem tradere, de qua nulla ratio reddi potest; nec ex aliis libris comprobatio; itaque illud mihi probabilius videtur; per divinum, Hippocratem, aërem intelligere, quatenus variis affectionibus alteratur; seu ad morbos communes ut 3. Aph. morum 11. & lib. de aëre, aquis, & locis, cap. 6.* dixit; seu mutetur qualitate indicibili ad morbos pestilentes, ut 3. *epid.* 38. in variis constitutionibus adnotavit: *Et hæc mihi videtur*, inquit Galenus, *magis ad præ-*

ceptoris mentem enarratio: qui illos etiam arguit, qui amorem, epilepsiam & dierum decretoriorum rationem divinum quid existimabant.

In hujus prænotionis commentario; *Ego vero*, inquit Valesius, *rem aliter intelligo, per illam nempe dictionem*. Et si quid divinum est in morbis, *admiranda omnia Hippocratem voluisse recensere, seu à Deo, seu ab astris, aut denique ignota causa haberi possunt in morbis, quæ ad prænotionem faciant, &c.* Cui expositioni assentior libenter; quia in illa mihi videntur comprehendi etiam admiranda, quæ *à dæmone* in morbis producuntur, extra illa omnia quæ natura producit: ideo forte admirabilia, & quia ad prænotionem sunt utilia, & ad curationem congruentia: & quod nobis altiorem præstent notitiam rerum quæ contingunt rarissime: quod avidius expetit semper humanus intellectus.

Plures vidimus fascinatos perire, & plures ex tabe & atrophia: ex fatuitate, rabie & furore: & plures ex internis doloribus, & per chronicos morbos, omni pene auxilio destitutos; quos nec ratio, nec temeritas adjuvat; & plerosque cum suspitione veneficii, imo fere semper hujus adaugetur suspitio, quando exactissimæ curationi non cedunt; & nihilominus ratio differentiæ nec lynceis oculis innotescit: quia hujus veneficii operatio, (si forte datur) sub hac confusa similitudine, venefici & naturalis morbi delitescit; quando vires non exerit, extra morbi & accidentis naturalis virtutem; & dæmon operatur ut naturale agens, peculiari astu, ne ejus palam fiat iniquitas: ex supposito enim dæmon & morbus operantur ut quatuor, ad quod vis naturalis extenditur. In hoc statu nulla mihi videtur ratio differentiæ assignabilis; nihilominus tamen diffidimus ad hujus & illius differentiam, rationales conjecturas afferre, & conatus assumere, quibus ratio differentiæ innotescat.

Neque veneficii præsumptio rationalis erit, hoc solo argumento, quod morbus auxiliis naturalibus non cedit; quod dæmonis actio sit altioris ordinis; à qua si foveatur morbus, auxilio naturali non patitur. Hæc enim est futilis & inanis evasio; nam morbi contumaces, rebelles, & indomiti, ut etiam natura sua læthales, auxilio naturali non cedunt, absque ulla veneficii suspitione; veluti Zaratanes, & ulcera pulmonis, hectica confirmata, & marasmus Philippi, & ulcera cancrosa uterina.

Veneficii historia peregrinæ; ubi morbus naturalis mentitur.

Videamus an inter peculiares observationes, aliquid claritatis eluceat in re plane difficili, ne dicam impossibili, antequam ad alias conjecturas accedamus. Anno Domini 1634. mulier nobili civitate Carmonensi, neque noto neque publico genere, juvencula ex bis decem annorum, ignoto morbi genere, & fere desperato, hinc inde jactabatur; cum mater sedula diligentia nos ad ipsam vocavit: hanc primo ignava quædam fatuitas exercuit; insolita & profunda tristitia; inconcinne & parum loquebatur: hæc accidentia paucis post diebus, *anaudia* excepit, hoc est *vocis privatio*; & omnimoda surditas: sed hæc omnia, (dictu sane mirabile) postea sequebatur utriusque brachii simul perennis & indefessus motus, certa quadam harmonia & concentu libratus: utrinque enim bracchia simul æquali ita motu, ad dextram & sinistram movebantur, ut hæc motus proportio videretur; vel ad pondus librata: & hoc ita perenniter & universa die, ut nec paululum quiesceret; & si forte externa violentia comprimerentur brachia, tota mulier erat veluti tremula, & pavida: sed soluta, ad pristinam motus perennitatem vertebantur eadem porportione motus; haud ullo tempore, nec mora interrupti: sed noctem universam in lectulo sub placida quiete transigebat, pacato somno, & omnimoda cessatione motus: qui luce oriente redibat, velut ab ipsa luce convocatus: (nec in tali muliere ulla malitiæ, nec cavillationis erat suspicio) nec cibi, nec potus, illi cura erat, neque reluctabatur offerenti; sed oblati cibi suscipiebat parum: & bis septem diebus jam elapsis, absque ullo notabili præsidio, contentus levioribus, in hanc veni sententiam, ut hic morbi character, & symptomatum syndrome, à quacunque causa proveniret; (nulla enim antea nota fuit) essent extra naturæ metas, & aliquid divinum continere, quod pervium non esset Medicinæ arcanis. sed potissimum perennis ille motus brachiorum, quoniam neque soboles erat tremulæ motionis, neque convulsionem æmulabatur, neque paralysim; nulla enim ex istis perennem æqualitatem servat, sed motum inæqualem; neque dolor ægrotam exercebat; neque sensus, neque motus privatio.

Afflicta mater, & filiæ compatiens, arcano silentio & intempesta nocte, eam Hispali defert; & Trianam ingressa (celebre suburbanum Hispalense) inquirit habitaculum veneficæ famosæ, cujus fama jam erat late patens: & hujus piaculi supplicio notissima: hæc illam solita humanitate excepit, perinde consolatur, & filiam spe salutis lactat; & mercede jam pacta, dexteram ad aurem ægrotantis, lento susurramine obmurmurat, & paucis verbis alloquitur, quo cessit altissimæ quieti, & continuo subsistit motus ille brachiorum, antea indefessus & perennis; quo mater consolationem cœpit: & vespere obmurmurans, & secundo alloquitur; auris à contrario latere, quo illam incantavit, *anaudiam*, & vocem, & auditum restituit; & ad pristinam sanitatem mulierem solo ferali carmine ablato veneficio; quod intulit, (ut mihi postea relatum) malesuada mulier, quæ hujus laborantis maritum insano amore deperibat; hæc vidi & fideli diligentia observavi; ac ultimum hujus casus, à matre & filia revelatum audivi.

HISTORIA. II.

Dum postea animum altius attritum curis, varia inter medendum, in hac Hispalensi civitate exercent, anno Domini 1639. sese nobis obtulit alterius similis casus consideratio, morbi satis confusi, & inter mille dubia implicati, ut potius dixeris morborum labyrinthum; ubi fere naturalia gigantisant, & videntur mentita veneficio; nam ibi tantum scintillant acutissimi radii altioris naturæ, sed ita naturali actione fucati, ut pene

pene dixerim, *indigere Delio natatore*; nam lumen intellectus effugiunt tales morbi.

Famosa mulier Hispalensis, & inter meretrices non inferior, juvencula habitu & colore venusta, temperie sanguinea, paulatim decidit de prospera salute, & fere apyretos, semper sibi & aliiis implacida, profundissime mœsta; (misera fragilitatis humanæ conditio, quam nemo prope mortalium effugit: hæc enim omnibus natura est, ut sua cuique calamitas præcipue misera atque intoleranda videatur;) hoc accessit tali calamitati, ut repente ab hoc statu decideret in stoliditatem, tam simplicem & nudam ab omni ratione, ut nulla certe major: nec enim illi ulla erat memoria rerum præteritarum, ut proprii nominis adhuc esset oblita; & matrem non agnosceret: ut alta oblivio teneret mentem & rationem adeo occupatam, ut muliebrem apparatum; quem tantopere antea faciebat, omnino parvi faceret: inter hæc jacebat lectulo paraplectica, hoc est paralysi unius lateris occupata, & sub linguæ torpore erat dialecticæ articulationis omnimoda confusio, & voces medio interruptæ, alta oblivione: resipiscebat interdum repente sine causa, & clare loquebatur, & ad mentem redibat, cum integra memoria, & apte ad omnia quæsita respondebat; à paralysi repente levabatur, sensu & motu ad membra restituto: in die subsequenti, iterum paraplectica: interdum fatuus erat risus; ac in coloris mutatione frequens vicissitudo; sed ad tempus anxio cordis dolore premebatur; & tristissimo suspirio, ex imo pectore dolorem explicabat, adeo ut illi cor à visceribus avelli videretur, ac inde vitæ continuus amaror: hæc erant partim, altæ frigiditatis & torpidi humoris consectaria; partim succo à melancholico; sed à contrario, maculis repente rubris per corpus universum vexabatur; & tuberculosis eminentiis veluti vola manus; & pleræque illarum, subito vertebantur ad nigredinem, evanescentes aliæ; sed (mirabile dictu,) ex nigris, rupta cuticula quæ exurenti aqua scatebat, gangrænam, ex quaque ruptione videris pullulare: & ex his duo sordidiora ulcera relicta sunt in natibus, & hoc per longum tempus, vermibus scatentia; cum dolore squiadis, jam dextro, jam sinistro; ciborum pene resupinato appetitu; interdum restituto sine causa: vomitus interdum citabatur; qui sine auxilio subsistebat; & hæc omnia versabantur perenniter, ad pejus, vel ad melius.

Hæc sunt mihi à matre fideliter narrata; multa à nobis fideli examine comprobata: & rogatus ut crisim interponerem, & nostram in re ancipiti sententiam, fateor quod pondus libenter validioribus humeris rejecissem; sed fretus in divino auxilio, non sum veritus curationem aggredi. Illud prius alta mente repositum cogitavi; an *hic esset aliqua veneficii suspitio*: de quo nulla erat fidelis conjectura: sed sola illa vitæ licentiosæ præsumptio: & communis hujus artis invidia, quæ nemini non invidet; quocunque in statu, vel etiam infelicissimo: sciscitor ab amasio, (qui me ad illam detulit,) de hac præsumptione, & aliquid præsumptioni addit, sed nugis Milesiis, & seriis fabellarum similimum; & erat forte clarioris inditii apud illos.

Revertamur ad casum. Bis, & ter, mitto sanguinem ex talo, (ventre exonerato) ac postea ex bracchio; postea sanguinem melancholicum pituitoso mixtum, sub prava cacochymia, tenuare, calfacere, ac coquere curavi; in medio venas hæmorrhoïdales, sanguisugis aperire mandavi; ac postea hos succos expurgare; quorum erat uberior proventus; non semel, sed repurgare jussi sæpius. postea per epicrasim, Fernelii apocimate, corpus expurgabatur, reserabantur viæ; tandem illi fonticulos in crure & in bracchio aperire curavi, ob timorem recursus; nec interim de capite oblitus; hoc enim topicis vacuare, ac postea roborare, non destiti.

Quid inter tot & tam magna præsidia, ad artem adapplicita? nos interim solatur desideratæ salutis spei modicum; & aliquantulum ægrota resipiscit, ut jam melius habere videretur, animalibus potentiis fere redintegratis, validiori & fere appetentia restituta: à paralysi nervis validioribus, sana mente constabat.

Quid ni? cum en subito morbus, velut hostis, (absque ulla nota causa) intrepide revertitur; & novas colligens copias, velut indignabundus pollicitæ salutis, omnes, ut antea, corporis potentias, & membra principalia aggreditur: mens obstupescit iterum, & interruptæ voces, paralysis revertitur, ac deleta memoria, sub inerti desidia, obliviosa, revertitur fatuitas, cordis dolor & anxius alisinus; nec ideo in nobis extinguitur, sed amplius accenditur animosus conatus: non ut incendat plausus, sed commiserationis affectus; ac ad artis præcepta prolicere sudores, sarsæ & chinæ aqua, pia sedulitate præcepimus: sed nec inter ista moror; nam aliquot diebus elapsis, paulatim ægrotantem quieti, & naturæ subsidio committo; ut si forte natura suis etiam internis conatibus reviviscat; quod est etiam chronicis in morbis Præceptoris sententia; nam quod ars ob rebellem conditionem morborum non assequitur, natura consequitur, auxiliorum gnara.

Pluribus exinde diebus jam elapsis, spem & excubias subito, falsa salus mentitur, ac omnes præfati morbi intenduntur sponte; quin esset ulla erroris excusatio: ac subito paralysis dexterã corporis regionem adoritur; haud mediocris febris, altus sopor, & intensa oblivio, & maculis rubentibus grandioribus totum corpus inficitur; & ad nates ulcus sordidum vertitur in gangrænam: sed quod magis hujus historiæ mirabile illud extitit, quod hæc omnia intra bis decem horas evanescunt, præter ulcus & ischiæ dolores, absque ullo naturæ aut artis beneficio, subito recursu, ad pristinum statum, si non integræ moderatæ salutis.

Hoc nobis majorem veneficii suspitionem intulit; & quid ni, tam magna & tam cito ludentia, quid tam fallax & præceps rerum vicissitudo, in morbis diuturnis & radicatis, altius nisi infami veneficio adscribatur? quis unquam vidit paralysim ex atro aut frigido humore, quin imo nec ex crasso vapore; (hanc etiam nos vidimus) tam fugacis naturæ, quæ tam brevi sanetur? & inertis oblivionis frigidior conditio abolita tam breviter? omitto resistentiam magnis, etiam ipsius artis auxiliis, & loco & tempore applicitis, ac morborum contrarietatem, quæ saltem curationem protrahit, observatam in extremorum ultimo frigoris & caloris.

Dum talia in hoc statu erant, en mulier accedit curatrix, & fortasse venefica; quæ inter verba sacra, pleraque susurranter immiscet occultius prolata; nec interim auxiliis naturalibus uti abhorret: (quibus sane mentitur venefica suspicio, aut fallitur) & dum hæc exercentur, melicratum simplicissimum parat, sed nescio quot verbis super ipsum prolatis; & nescio quod conditum secum detulit; & de his ægrotantem parum accipere mandavit, vespere & mane; ac vomitibus aliqua violentia exinde concitatis, mulier melius habere cœpit, ac salus instaurari; & hæc omnia mala evanescere: ut sit plane mirabile, quam multa in tam brevi spatio peregerit; quoniam convalescere cœpit; & intra breves dies fatuitas medetur: aboletur paralysis: & ex gangræna pars ad perfectam sanitatem restituitur: quando solum sordidum ulcus, ad abstersionem, mundificationem, & cicatricem tam longa spatia desiderat; & tam longam curationem paralysis: & tam seriam & attentam fatuitas. Testor Deum, quod intra solos tres dies, mulierem vidi veluti ab orco ad lucem restitutam; qua vero arte talia gesta sint, non est nostri judicii; nec remur hoc humano auxilio consequutum.

Dum hæc iterum atque iterum cum torno & cothurno perpendo, ad limam & lineam reddo, quia tantum habet utilitas excusationis, quantum dignitas difficultatis, acrius horum differentiam extorquere desidero; nihilominus tamen, quantumvis dæmon in ipso veneficio satagat, oculatissime actionem naturalem mentiri, & exactissime imitari, intra naturæ limites, adhuc in hoc casu, radii invisibiles altioris naturæ, in ipsomet opere scintillant, quibus fere actio venefica detegitur; ut oculatissimis pateat veneficium.

Detur ergo, quod dæmon operetur illa omnia quæ valet per motum localem, & alterationis, aut activa passivis applicando, seu perstigio & illusione; quæ etiam ars & natura operatur; in hoc ipso opere, est singularis ratio differentiæ: quod pleraque ex istis, sola applicatione peculiaris modi, à dæmone præstantiora sive efficaciora redduntur, quam illa quæ ars, aut natura confingit: in quo talia adhuc in opere naturali, impio magiæ artificio fieri dignoscuntur: nam sunt quidam effectus in causis naturalibus, qui pendent ex applicatione quam ars non assequitur, nec valet attingere; quæ si non fieret, secundum communem cursum non producerentur. Hic tamen modus applicandi, dignoscitur in modo peculiari præter naturæ modum: nempe in superstitione applicandi, in numero determinato, & in aliis quæ excedunt communem naturæ cursum, quantumvis effectus sit solius causæ naturalis: in his enim non est solus considerandus effectus, sed illa applicatio, nec sola applicatio, sed vis naturalis applicata, si superat causæ naturalis facultatem; quoniam tunc est actio damnanda.

Sint nobis exempla perstigia illa, quæ sunt pervia dæmoni, & arti, & naturæ. Hæc tripliciter fiunt, vel mutatione objecti, vel aëris intermedii, vel organi: causas naturales scimus, posse jam operari, ut quatuor ex suppositione: sed hæc causa naturalis elevata, sæpe vincit naturalem affectum, & producit, ut sex aut octo, effectum prodigiosum vel supernaturalem, respectu nostri; & respectu elevationis, naturalem: quando in imaginatione & phantasia videntium, quædam repræsentantur quæ non sunt; aut si in mensa vasa mero plena moventur, alia locum mutant, vel alia figura videntur quam sint, quod plerosque legimus factitasse: vel si aliquis fiat invisibilis, seu appareat in figura brutorum, &c. Et in nostro casu, dum hæc mulier à gravissimis morbis oppressa subito ad sanitatem vertitur, à morbis, qui ne dum per longum tempus & exactissima curatione mederi valent; & quomodo ex simplici melicrato, & condito, sola actione naturali potuit, intra solos tres dies, instaurari? in tali auxilio magis elucet actio elevata, quam naturalis. Hæc omnia debemus in morborum syndrome adnotare, & in ipsa symptomatum sævitia, confusione & complicatione: an hæc ipsa sint effectus solius causæ naturalis, aut causæ naturalis elevatæ; aut modo supernaturali applicatæ: nam si communem naturæ cursum superant, prodigiosa sunt, & de maleficio suspecta; si non, forte inducta maleficio.

ARTICULUS II.

Hujus differentiæ argumentum prosequitur.

Videamus quid alii dixerint in hac confusione; plerique protulerunt inde maxime petenda veneficii signa, si accidentia in morbis altius à natura, secedant; & modo peregrino sese prodant: velut illa quæ nuper recitavimus; si maxime naturali contrario penitus reluctentur: quin imo, si morbi ad auxilii naturalis applicationem intenduntur. Hæc est juris Canonici sententia; hæc Cæsalpini crisis, & Codronchi. Illud tamen majorem lucem addit, si morbi à venefica inflicti, dissimiles sui, (dum plane naturales) & amant progressus & tempora ostentant: inopinato desinunt, pari facilitate revertuntur: altius radicata, in momento desistunt; evaporationes, excretiones, vomitus & dolores, si sunt dissimiles aliorum morborum, naturalium: gravissime enim præter solitum in his conflictantur ægroti, atque efflictim dolent: situm autem doloris indicare non valent; ac eorum mæstitia superat aliorum tristitiam; raptim suspiria emittunt, sine causa: ac viscera sibi comburi ac corrodi videntur, cor etiam de corpore evelli; vermium germina vomitu & secessu rejici, observatur; veluti in crumena interclusa; perpetui & intolerabiles sunt dolores supra quam dici potest; serpentes, & pleraque animalia varia, & monstrosa, è corpore rejici visa sunt; quarum generatio est semper extra virtutem corporis naturalem: cultros, & alia ferramenta & ligna perpolita rejici, plerique observarunt, ac varias metallorum substantias, veluti dum enascuntur bruta, aut arte expolita; crines rejectos, setas, spinas, ligni frusta, lapides, ossa ac vitrea fragmenta, suis temporibus, varii auctores varia retulerunt; veluti à veneficio & dæmonis magisterio excusa.

in cap. fraternitatis de frig. & malef. Cæsal. de invest. Dæm. c. 12. & sequenti. Codronch. 3. de morb. venef. cap. 9. 11. 12. & 13. Delrio 6. mag. part. 2. sect. 2. qu. 3. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. Raphaël de la Torre de vit. oppos. relig. quæst. 96. art. 2. disput. 11. Spring. in malleo part. 2. quæst. 1. cap. 13. Petrus Lolier de Dæmon. part. 1. c. 13. Spring. citato loco. Remig. l. 3. Dæmonol. cap. 1. Lang. lib. 1. qu. 38. Agrippa lib. de occult. Philosoph.

Nam quæ ars configit ferrea instrumenta, haud ulla vi natura valet ita polita reddere; & si fas est nostrum etiam judicium proferre, neque bruta metalla; quidquid Lemnius dicat: nam illa longo ævo, in visceribus terræ cœlestis archite-

Card. 11. Variar. lect. cap. 80. Grilland. de Sortileg. quæſt. 3. n. 27. VVier. lib. de Perſtig. cap. 7. & lib. 4. cap. 2.

ctatur calor, influxu inviſibili, contingit, & purificat à ſordibus incultis, determinato illo in patibili: neque ita in humana fornace apta ſemper materia invenitur, diſpoſitiones, accidentia, & alia præciſa ad metalli formam introducendam, adeſſe, & coincidere, par eſt: & naturalis calor, artifex hujus determinati inſtrumenti, non eſt ita communis cauſa, veluti calor ſolis, nec tot continet virtutes imminenter, quatenus ad hoc opus, ut ille qui media luce & motu, ſuos mittit influxus inviſibiles, ad tam multa & varia, quibus hoc indiget univerſum; ſeu ad pulcritudinem, ſeu conſervationem; quare illa in corpore humano invenire, illa quibus fabrica indiget, impoſſibile judico; nec corpore humano viæ patent per quas communicetur, niſi ars diabolica has reddat tantæ molis capaces; ut rati ſunt, Agrippa, Remigius, divus Thomas, Scotus, & Durandus: in his enim expulſis dæmon phantaſiam vehementer illudit in colore & forma, uti ſentit Cardanus & Grillandus: poteſt enim hæc omnia dæmon mira arte configere, tenuare, mentiri, præpolire, ad atomos redigere, ac poſtea ſolidiora reddere; ac horrida, per avia & inculta adigere; quorum ſemitas haud unquam ſatis notas, nec lynceus intellectus aſſequitur; ut de cultro, in os opilionis à latrone immiſſo, enarravit Pareus, quem poſt ſex menſes extraxiſſe, per quoddam latus inguinis teſtatur; & de villico agricola, qui ſibi mortem præ dolore conſcivit, cujus reperta ſunt in ventre quatuor ferrea inſtrumenta, acuta & dentata, ut enarravit Langius & Majolus. & in illa mentita & falſa gravidatione mulieris, quæ dæmoni ſuccubuit, cum inſtaret jam tempus pariendi, monſtroſa ſane peperit & bruta & arte præpolita, partes enſis confracti, clavos, cultros & oſſa, & levigata ligna, lapides & ſtuparum globulos, ut dixit Zuingerius, & Rufus enarravit, & alii.

lib. 2. Chirurg. 17.

Epiſtol. 38. Majol. tom. 2. Canicul. colleg. 3 fol. 304.

Zuing. in Theatro vitæ hum. lib. 38. Ruf. lib. 5. de Inform. cap. 6. VVier. lib. 3. cap. 7. Binsfelt. quæſt. 7. concluſ. 7. Card. lib. 11. Variar. lect. cap. 8. Cæſar. Bariſel in Hortulo genial. pag. 361. Schenck. lib. 7. Obſerv. Cornel. Gemma, lib. 2. de Divin. Charact. cap. 4.

ARTICULUS III.

Naturalium morborum exempla, quibus facile tribuitur veneficii ſuſpitio.

Ne tam facile, (ut vulgo ſolet,) rebelles & occulti morbi, de quibus ratio naturalis reddi nequit, dæmonis maleficio tribuantur; aut veneficii ſuſpitione infamentur: noſtri conſilii dignum exiſtimavimus, ut deceptionis lapſus præcaveatur, illorum exempla in Theatrum proferre; quoniam ſunt plerique morbi adeo ſimiles inductis maleficio, ut artificis animum acrioribus ſtimulis explorent.

de hoc Theophraſt. de Hiſt. plant. lib. 9. Dioſcorid. lib. 4. c. 32. Avicenna 2 Canon. Galen. 2. de Antid. fol. 330. Paul. lib. 1. cap. 43.

De præſentaneo & ad tempus veneno propinato, ad intus geniti etiam differentiam, late diximus; & de quaque ſingulari differentia: & inter tabefacientia numeravimus, quod inſigniter ſiccat: & etiam quod corpus univerſum & obſtruit, & ſiccat, quibus hominem tabefieri monſtrat experientia, & ratio ſuadet; ſed ſub hac differentia, ut quæ tabem inducunt, cum calore & frigore dolorem ſemper inferunt; tabes vero, quæ ſola ſiccitate conſequitur, ſine dolore eſt; quia lente inducitur.

Tabem etiam inducit hepar intemperatum ad calorem, & ſiccitatem maxime, dum alibilem ſubſtantiam diſſipat, & exolvit; aut ſanguinem alimento inutilem producit: & hinc fere accidere videmus, quod temperamento bilioſiſſimi, in nativa corporis conformatione fere videntur tabidi.

Idem etiam & culpa cordis accidit, ſi in illo ſanguis arterialis nutritioni, ob altam ſiccitatem, fit inutilis; & eo ipſo magis, quod ad actum reducit ſanguinem alimenti; qua certe ſiccitate eximia depravatur nutritio: & chyloſa converſio in ventriculo. Neque minus illa tabes inducitur; ſi ſanguis, aut ſpiritus, indicibili & prava fœdatur qualitate, qua corporis alimentum omnino corrumpatur.

Pectoris & pericardii tuberculo, totum corpus abſumi, Galenus obſervavit, 5 *de Locis* 2. Idem pulmoni accidit, non ex hac cauſa tantum, ſed illo ſuppurato, nec bene expurgato à derelicto ulcere; à puris acrimonia, ſeu vaſorum ruptione contracto, ſeu à divulſione violenta, ſeu flava bile acriore, ut ſanguine pulmone putreſcente; ſeu ex abdito vitio interno, carnoſæ ſubſtantiæ pulmonis, quod ex flaccida ſubſtantiæ corruptione accidit; mitto qui ex continua & exurenti febre contabeſcunt, hectica colliquantur, in inſenſilem halitum, ut maraſmo Philippi morboſo aut ſenili: hæc enim ita eſt nota cauſa, ut illa abdita & occulta.

Illud etiam eſt tabis conſectarium, ſputum nempe, quod grandinis globulos æmulatur, ubi æger per ſeptem durat annos, per novem aliquando, niſi præveniatur ſedula diligentia, ut Hippocrates tradidit obſervatum.

Hipp. 2 de Morb. text. 107. 108. 109. 111. 112. 115. 117. 119. 120. & 166.

Eſt tabes alia ſponſis gentilitia, quæ fere ſemper veneficii ſuſpitione damnatur, nec juſta ratione. Hæc ex medulla incipit recenter uxoratis, dum veneri extra metas rationis indulgent: in illis humido primigenio defraudatur medulla, & fere reſiccatur: *Sunt autem iſti ſine febre,* dixit Hippocrates, *& lautæ menſæ in medio, & ſub fœliciori appetitu, conſumpti contabeſcunt, quoniam illis non proſunt alimenta; & illis per ſpinam veluti formicæ deſcendere videntur, acri diſtillatione vivificum nectar abſumente, ac ſponte ſemine prolabente.* Hos tandem febres lypiriæ conſumunt, ac perdunt.

Tabes alia incipit ab ſputo craſſo, & fuliginoſo, à ſucco nempe melancholico, pulmonis ſubſtantiam latenter corrodente; quod jam olim præceptor adnotavit: ſeu ulcere aſpera ſub arteria inflicto, ut corrodat ſubſtantiam ad bronchia pulmonis; nam ex levi & ſuperficiali, facile vertitur ad corrodens & ſordidum, cum macerata tabe.

Nec eſt minus obſcura, quæ convulſis & ſolutis membranis comparatur, quibus pulmo thoraci alligatur; quo in affectu, ſpiritum incipit album, ſed mox excipit cruentum; quod eſt certe deceptionis cauſa, quoniam falſam mentitur pleuritidem; & decipientiam febris ſequitur, & in pectore dolor, qui vertitur ad dorſum & ad latus: & tuſſis convulſionem ſequitur harum membranarum, & ſternutatio; tandem in tabem deſinit, niſi curetur ſedula diligentia. Omnes has

tabis

tabis species invenies in Hippocrate, diligentissimo naturæ scrutatore, *lib. 2. de Morbis, text.* 107. 8. 9. 11. 12. 15. 17. & 29. 121. & 166.

In mulieribus etiam pleraque suo tempore observavit Hippocrates symptomata, de quibus vix ratio naturalis reddi potest; & hoc ex pura melancholia, absque ulla suspitione veneficii; quid ni? ut illæ videantur à dæmone obsessæ, hæc sunt prudentis senis verba, *libro de Virginum morbis: Fiunt tales*, inquit, *fastidiosæ, languentes, sitibundæ, tædiosæ, consilii inopes, desperatæ, mæstissimæ, timentes, lacrimosæ: animus mærens, anxius, malum trahit; sed & aliam horribiliter compellit, & in puteos prosilire, ac injicere jubet, & strangulari; tanquam meliora sint hæc: interdum mortem appetunt: & quibus adeo ferociter pavent homines, ut delirent, & dæmones quosdam videre se putent; ipsis noctu quandoque infestos, quandoque interdiu: aliquando vero utroque tempore*; en, Hippocrates, ex sola morbosa melancholia symptomata enarrat, quæ dæmonum obsessi patiuntur; ut quanta cautione sit in hac re judicandum, discamus & caveamus semper.

lib. de Virg. morb.

In hoc etiam est aliqua ratio differentiæ assignanda: nam vere incantati, aut dæmone obsessi, enarrant mirabilia, & nomina dæmonum memorantur; disputant de scientiis, & in linguis loquuntur, quas nunquam didicere: hi occulta fatentur celebrare convivia; & his est torvus vultus, & fortasse sigillum in uno oculorum, aut utroque; ac dæmones adorant, saltem de illis magnifice loquuntur; & mussitant interdiu, aut noctu, quæ nullus audientium intelligit: & fere semper sunt isti hirsuti, macri, contabescentes, scintillantibus oculis.

Deinde maleficium à principio summos habet labores, contra naturalium morborum constitutionem, qui quatuor tempora percurrunt ex ordine naturæ: alii pondus in ventriculo portant, & cruciatus, ac si perforarentur, ut de Florentina muliere enarrat Benevenius *lib. 2. de Admirand. morborum causis*; quæ dum intolerabilibus doloribus divelleretur, nec Medici opem ferre valeret; en subito oblongos & recurvos clavos, æneasque lacus, una cum cera & capillis conglomeratos evomuit; frustum postea carnis, quale nec gigantis fauces deglutirent; frusta & fragmenta vitrorum, urceolorum, ossiumque de piscibus, quæ humana gula, nec stomachus capere, nec deglutire posset: pleraque alia alios evomuisse, refert Langius *Epistola* 38. sed illud fidem superat, quod de villico narrat, qui cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum conficeretur; subito clavum ferreum, sub illæsa cute apprehendit: nec cessarunt dolores; quin imo sæviebant crudelius. Quare cum sub illis jam mortem expectaret, impatiens & desperatus, cultello miser sibi guttur abscidit; cujus ventriculum chirurgi inciderunt, casus novitate perculsi, quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera reperta sunt; quorum singula spitami longitudinem excedebant: aderat etiam & capillorum instar globi veluti involucrum: quæ certe diabolica solis divinis carminibus curantur.

His etiam conditis maleficio res quædam per œsophagum ascendere videtur, & descendere, quando videbatur gravius adhæsisse: cor intra viscera dilaniari clamant, cum dolore punctorio: & in collo arterias manifeste pulsare, & tremore concuti, observatur: alii dolore sævissimo renum cruciantur; lumborum, ventris, & universi corporis absque ullo solatio: emittunt aliquando frigidissimum flatum, quo cito evanescunt dolores sed cito revertuntur: interdum vapores, veluti flamma ignis, visceribus ascendunt, & descendunt: attonitus stupor, ignavus mentis languor, ignota & peregrina deliria producit, interdum cum furore, & singulari odio, in viros maxime Christiana pietate devotos: in febrium confusione, motibus epilepticis, & in convulsionibus semper aliquid energiæ elucet; quæ videtur causas naturales elevare.

Facies his suffunditur flavo, aut citrino colore, & plumbeo; plerunque palpebræ aliis sunt adstrictæ, præter naturæ ordinem, oculi scintillantes, pellucidi & torvi: aliis velut nubes ante oculos volitat. Illud etiam observant exorcistæ, tales vix ferre posse faciem sacerdotis; & oculorum album in varios colores permutari: hoc tamen de obsessis à dæmone intellige.

Etsi forte veneficii instrumenta reperiantur, ægroti crudelius torquentur, & deterius degunt, & præ dolorum & impatientiæ sævitia, rugitus & clamores edere compelluntur: quod si tunc nullam novam læsionem percipiant, est de salute certius sperandum: at semper, maleficii instrumenta comburere, est tutior, securior, & brevior curatio, ut periti exorcistæ testantur.

Quod si forte venefica in conspectum ægrotantis accedat, angor subito totum corpus quatere compellit, & indicibilis mœstitia occupat, tremor concutit: & si puer existit fascinatus, subito exhorrescit, exterminata facie, & exulando plorat, & fusco colore oculi defœdantur: aut alia accidit insignis & subita mutatio: & ubi à sacerdote sacro, sacra lenimenta adaptantur, aut oculis, aut auribus, aut fronti, aut cuique parti corporis; si in illa sudor, aut alia conspicua mutatio compareat, ibi adesse maleficium certificat. Illud etiam plerique ut observatum tradunt, si decocto verbenæ abluatur ægrotus, & decoctio valde in colore mutatur, & capilli ægroti à capite descissi, decocto misceantur. Hoc etiam est veneficii argumentum; sed omnino nequissimi, si ad nigredinem color decocti permutetur: è contra vero, si pauci ægroti pili decocto misceantur, & colorem non mutet, brevi indicat revaliturum.

Codroneh. l. 3 de Morb. venef. c. 13.

ARTICULUS IV.

Historiis maleficorum notitia illustratur.

Springerius fidelis veneficiorum inquisitor, hoc enarrat exemplum: *Objurgata malefica ab honesta matrona, inde acta in furias, cessit in ultionem maleficium; nam tertia die nobilis illa mulier, me sedente*, inquit, *tantus dolor incessit, ut corpus meum universum pervaderet, & primo in visceribus, ut non esset pars corporis, qua non punctiones horribiles sentirem: ac non mihi aliter videbatur, ac si capiti meo affatim igniti carbones super affunderentur: tertio loco universa cutis subito est affusa albis quibusdam pustulis, & scaturientibus pruriginosa sanie: & illis exulando & doloribus mortem*

in Malleo, part. 2. qu. 1. cap. 12.

mortem in solatium expectabam, usque ad quartam diem; hæc omnia delevit petia involuta, stabuli sub limine inventa, & in ignem projecta: ubi erant recondita quædam alba grana quæ pustulas illas æmulabantur; semina & legumina cum ossibus serpentum; ac inaspectabilibus ossibus animalium; nam illis combustis, est momento recuperata salus.

Sic habet in secundo exemplo: *Indignata vicina cum murmure abscessit, dixit nobilis mulier: & verbis quæ protulit, licet audirem, intelligere tamen non valui; post paucos vero dies infirmitas mihi valida accessit, cum doloribus ventris acutissimis à latere sinistro, versus dextrum, & vice versa, quasi duo gladii aut cultri essent meo pectore infixi, & sic die noctuque, dies ac noctes clamoribus transegi, importunis & validis: ut hinc inde vicinis confluentibus, pro consolatione accessit forte figulus, malefica adulter, & mei valde compatiens, inter alia consolatoria hæc subjunxit; si vis experimentum, faciam, an ex maleficio vobis infirmitas accesserit; quod si repertum fuerit, sanitatem vobis recuperabo: accepto ergo plumbo liquefacto, & me in lecto decumbente, plumbũ in scutellam aqua plenam, supra corpus meum appodiando infudit: & ubi quædam imago & figuræ diversarum rerum, ex plumbo congelato apparuissent; ecce, inquit, vobis ex maleficio infirmitas accessit, & super limen ostii domus una pars maleficii continetur; accedamus ergo, & illis amotis melius sentietis, & ostii limine elevato, primo extracta est imago quædam cerea, palmæ unius longitudine undique perforata, & habens duos acus, per latera transfusos admodum, quo ipsa punctiones, à sinistro latere ad dextrum & converso persenserat; quibus extractis, mox dolores cessarunt. Demum petias panniculorum diversas ac plurimas, tam granis, quam seminibus, & ossibus continentes: sed in ignem projectis, ego quidem convalui: non protinus ex toto, quod alia veneficis instrumenta reperiri fas non esset: & inquirens ab illo, quare illa protinus reperisset, respondit: ex amore quo amicus amico solet pleraque revelare, hæc cognovi.*

Sic enarrat in tertio exemplo: *Imprudens & cervicosa mulier, maritum provocavit ut in ipsam irrueret, ac ille expansis manibus, cum illam vel levissime tangeret, subito in terram collisus, omnem perdidit sensum, vitalitate omnino jam collapsa, ac per plures dies in lectulo decumbens, & ad vitæ periculum, per plures septimanas laboravit, donec illa tantæ miseriæ compatiens, maritum persanavit.*

STATIO XII. ARTICUL. I.

De variis maleficarum instrumentis quibus variæ læsiones inducuntur.

Sub variis instrumentis varia maleficæ patrant maleficia, veluti visu, & tactu, & olfactu, per feralia carmina concitant tempestates, & homines incantant, & varias illius actiones, odium, amorem, livorem, & invidiam concitando: ac virtutem generandi impediunt: inducunt impotentiam, abortum & infanticidium procurant: horribiles læsiones in corpora inducunt: usum rationis aut revera, aut falso & apparente perstigio auferunt; ac tandem mortem inferunt. Hæc & plura alia, adducit Springerius, usu & ratione comprobata; ubi adducit veneficii comprobationem inter hæc ipsa dubia: *Sunt qui per certam practicam, inquit, rei hujus experientiam desumunt in hunc modum; nam plumbum liquefactum super infirmum tenent, ac in scutellam aqua plenam infundunt, & si qua cernitur imago condensata, tunc ex maleficio accidisse infirmitatem, judicant: & an virtute dæmonis talis fiat imago, si ab illis quæratur, intrepide respondent, quod hoc accidit in virtute Saturni, qui super hoc metallum dominatur; qui malus cum existat, hæc producit: sicut Sol super aurum, ut peculiari efficacia, absconditum detegat maleficium.*

Citato loco.

Illud etiam refert, confessione maleficarum constare, serpentibus pro instrumento uti, dum odium concitare intendunt. Antiquum & à longinquo ævo dæmonis instrumentum: symbolum ideo inimicitiæ, & maledictionis inter hanc & mulierem, ut est in *libro Genesis*; ideo forte dæmon serpentes odia criminatur ex capite, aut illius exuviis.

part. 2. qu. 2. cap. 4.

Quare in veneficii suspitione, sunt sedulo perquirenda stabula, & omnes domus anguli, ut & omnia loca abstrusa, & abscondita, ut sub limine ostii, & portarum cardinibus; aut est altera domus inhabitanda.

ARTICULUS II.

De instrumento imaginum & idolorum; quibus maleficium inducitur.

Sub imaginibus & idolis, sub pacto fabrefactis, à maleficis homines dæmoni devoventur: Nobilis est illa Grillandi, de Magicis idolis, sententia: *Imagines fabricabant, inquit, quas spinis, acubus, clavis, vel aliis certe rebus acutis, in gutture, renibus, pectore, fœmore, costis, vel ventre, vel aliis in locis perforabant, deprecantes ut verum corpus, ex fœdere illius maleficii easdem patiantur puncturas, & pœnas, ac si in ejus corpore realiter perforare contigerit.*

de Sortileg. lib. 2. qu. 5. n. 11. Salicet. & Angel. in L. multi, C. de Malef. & Mathemat.

Nec semper eadem deligitur materia pro idolorum fabrica; quoniam fit ex cera, fimo, pice, aut plumbo: ex stupa, aut lana, cum pice & resina conflatis, seu sulfure permixto, quæ ad ignem effingunt ferali ceremonia, sub nomine dæmonis, cui fœdus adscribitur: illa parte imaginis perforata quam magis in maleficato pati amant; vel ad tabem, vel mortem, vel noxam insignem inferendam, inexplicabili morborum cruciatu: ut in *Medea* introducit Ovidius:

Spring. part. 2. qu. 1. cap. 12. Codronch. lib. 3. de Morb. venef. cap. 3. Tolet. in Summ. l. 4. cap. 16. n. 17.

> *Devovet absentes, simulacraque cerea finxit,*
> *Et miserum tenues in jecur urget acus.*

Et secundo Fastorum:

> *Quodque pice adstringit, quod acu trajecit ahena,*
> *oblutum mentha torret in igne caput.*

Quorum vim adhuc lacus stygios penetrare, auctor fuit Horatius.

l. 1. Satyr. 8.

ARTICULUS III.

De Maleficio Sagittario.

Maleficium *Sagittarium* plerique cum maleficio idolorum confundunt. De illo est celebris memoria in jure Pontificio: de hoc late disseruit Martinus Delrio, & alii. In hoc enim non sola imaginis figura operatur; nam imagines illæ Sagittarii sub hac determinata figura sunt maleficæ, velut in signum fœderis. Fabricabant enim famosi necromantici cereum simulacrum, ac si arcum & sagittam intenderet, ut sub hac figura, ad maleficæ mentionem fabrefacta, læsio

lib. 3. Mag. part. 1. qu. 4. sect. 4.

aut insignis alteratio in persona, cui maleficium dirigitur, infligitur, ex dæmonis concursu, & virtute fœderis, ut Zonaras & Majolus asseruit.

Zon. tom. 3. Glisias part. 4. Majol. tom. 2. Canicul. coll. 3. Delrio citato loco. Buleng. cap. 16. Petr. Greg. tom. 3.

Hoc maleficii genere ferunt gravissimi auctores, Dufum Regem Scotorum, periisse, inventumque illius morte *Sagittarii* simulacrum; ut legitur in ipsis Scotiæ annalibus. Plerisque aliis hoc idem accidisse, legimus variis nationibus, ut Gallia, Germania, & Italia; adeo ut nec hoc mortis genus magno cuidam Pontifici pepercerit Avenioni, ut auctor est Crespetus.

Syntax. lib. 34. cap. 11. ex n. 4. & cap. 1. n. 12. Crespet. de Odio Satanæ discurs. 10. Hect. Boët. de Rebus Scotorum, lib. 11. Card. lib. 15. Rerum variar. cap. 8. Tullius, lib. de Fato.

ARTICULUS IV.

De fatalium imaginum cultu & origine.

Ideo forte vetustas has magicas imagines inter fatales numerat, quod essent ultimi fati præsagæ; ut etiam Petrus Gregorius adnotavit: antiquis enim fatum pro morte fuit: pro ultima calamitate aliis: ut adnotavit Tullius: unde illæ fatidicæ mulieres erant honore habitæ, quod fati diem ultimum hominibus indicerent; inferrent animantibus; ut legitur in jure; ac ideo illi dies sunt in causa fatales, ubi finitur causa.

In cap. si per Sortiar. 33. quæst. 1. lib. 3. de Fund. instruct. Livius ab Vrbe condit. decad. 1.

Unde apud veteres etiam fuere fatalia simulacra, ex quibus augurabantur Regni fata; & metæ imperio fatales: quæ divinis coluerunt honoribus, ut Livius est auctor; non tantum dum Romanum Imperium viguit, floruitque, sed ab aliis antea nationibus; uti *parcas*, velut fati ministras, quas veteres Ægyptii designarunt per *Alpha* & *Omega*; ac si rerum omnium essent principium & finis. *Septem Planetas* etiam fatorum ministros æstimarunt, ex septemplici motu & influxu: quod res humanas sub illis & nasci & mori crediderit Vetustas: & ob id fortasse Dei imaginem per numerum *septenarium*, Ægyptiorum antiquissimi designarunt, utpote quo incipit & finitur harmonia perfectissima; ut auctor est Pythagoras & Plato; ac inde tres *Parcas*, fati arbitras, Platonica constituit Theologia; prima ut sustineat *colum*, & secunda ut *neat*; tertia fila ut forcipe *abscindat*; ut per hæc designarent rerum ortum, progressum, & interitum.

Pierius, lib. 37. fol. 352. & lib. 28. fol. 356. Hierolog.

Imago etiam *Caducei*, non tantum quod Mercucurii sceptrum, sed quod sita esset in illo vis & potestas fati, divinos promeruit honores, quod quidem divinus videretur afflatus, ductusque, quo non modo mentes nostræ, verum creata omnia moverentur, starentque; & quod certe vinculum videretur inter Numen & nos; utpote ipsa fati necessitas; quæ omnia perstringit, peculiari lege; ut ille princeps cecinit Poëtarum *Caduceo* alludens.

Tum virgam capit, ille animas hac divocat Orco;
Palentesque alias sub tristia tartara mittit;
Dat somnos, adimitq; & lumina morte resignat,
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Sic etiam ab Ægyptiis *caduceus* describitur, ut observat Macrobius, in Draconis speciem, & utriusque sexus, ut sub perfecto circulo, ut extrema se ipsa complectantur, ut Cælius Aug. Curio adnotavit; ideo forte in Trojano excidio, pro fato fuit ille *equus Palladii*, quod fatalis imago Deæ Palladi Sacra, si non forte Neptuno; aut Apollini, ut voluerunt alii.

Apud Pierium, lib. 49. de Sacris Ægypt. Curio. f. 429.

In Regni fatum etiam *Palladis* imaginem Romæ Trajanus Imperator erexit, ut Pierius dixit: inde fatales imagines erant inter penates Deos. Scutum fatale Numæ Pompilio è cœlo prolapsum celebratur; & Theseum caput fatale Medusæ secum vexisse; & Solis Rhodio simulacrum: ex his enim vetustas fata augurabatur; ut auctor est Majolus.

Tom. 2. Canicul. colleg. 2.

His etiam utebantur simulacris fatalibus antiqui Amorrhæi, & Græci vetustissimi, ut eventus & rerum vicissitudines portenderent, ceu Philon & Nicetas docuerunt. Et nostro Hispaniæ Imperio, ac fatali monarchia, velut apud alias Europæ nationes, repertæ sunt *imagines* à Dæmone aut magico confictæ, dum Regni jam exitium immineret, sub Roderico Rege: olim enim in Toletana urbe quodam in antro *area* inventa est *statua*, quæ malleo percuriens, armatos intuebatur homines, horrendo & feroci aspectu, in ipso pariete depictos; & hoc repertum est ante miseram cladem, ut bene adnotavit Rasis, hujus temporis auctor, in cladis Hispaniæ historia. Simile Byzantii obsidione accidisse, per *Magicas imagines*, auctor est Bulengerus, & adnotavit Delrio cum ad alias nationes translatum est Imperium, tunc fatales erutæ sunt statuæ, à magicis confictæ; quibus adscripta est misera Imperii translatio.

Philon. de Antiq. Babylonia. Nicet. in Annalibus ad fin. in histor. Clad. Hispaniæ. Bul. lib. 2. Mag. c. 16. Delrio lib. 3. Mag. part. 1. quæst. 3. sect. 4.

Has etiam *imagines* impii necromantici confingunt, in regnorum exitium à dæmone edocti, sub illa lege fœderis, cum paciscuntur dæmone; ab illo enim ad lineam & limam regnorum impotentia, morum corruptio, & hominum malitia, si non ultima desidies, fatali opulentia consequuta: Regis ignavia, (præcipua Monarchiæ debellandæ instrumenta) impetus, & vigor hostium invadentium, vel ad pondus libratur; & sic valet, prudenti conjectura, clades & regnorum exitia portendere; & Deo permittente infligere.

O leones Hispaniæ, olim cæteris nationibus horribiles, nunc domiti, non aliarum nationum ferocitate, non adversa fortuna, sed indigena morum corruptione & opulentia; si non barbaro cultu infœlicis arbitrii, ut ad summam paupertatem subditi reducantur, quo non potest esse aliud infœlicius; sola ferocitate Hispaniæ confisi! sed eo res devenit, ut quod ferocitatis deficit cæteris nationibus, suppleant cautissimo consilio: quo sæpius superare contingit, quam valore.

Per has certe *imagines Magicas* & fatales, videntur veneficia non tantum hominibus induci, sed regnis etiam & imperiis; si ob illas, ut vita hominis, sic regnorum ætates fatales experiuntur climacteras. Inde mihi videtur ortum traxisse *fatalium imaginum* traditio, quod primæ Deo inferorum, Plutoni, fuerint consecratæ: Parcæ enim fatales Plutoni dabant operam, ut Vincentius dixit in suis imaginibus Deorum; & in raptu Proserpinæ cecinit Claudianus.

de Imagin. Deorum, fol. 201. lib. 1. de Raptu Proserp.

— — maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina: qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendique vices, alterna morte rependis.
Qui vitam lethumque regis.

Ideo

Ideo enim *Parcas* vetuſtas Plutoni credidit miniſtrare, quod ea vitam humanam quaſi è colo ducere credebantur: quæ erat certe brevis, aut diuturna, pro ut corpus ſolidiori aut infirmiori eſſet fabrefactum ſtamine; materiam autem Pluto repræſentabat: Parcas tres eſſe deſignarunt antiqui; prima quæ hominis generationi præeſſet; vitæ humanæ ſecunda; ferali morti tertia; ideo junior penſa trahit: colligit fila major: anus ſcindit collecta fila.

Altius philoſophantes dicunt, Parcarum vim in res inferiores dominari; Plutonem terræ eſſe ſymbolum, ut Fulgentius dixit: multi philoſophorum ſenſerunt, divinam providentiam ſemel cunctas res hujus mundi ita diſpoſuiſſe, ut ulla ratione amplius mutari nequeant: quandoquidem earum cauſæ ita inter ſe per ſeriem quandam ſint connexæ, ut non poſſint non omnia neceſſario ab eis proficiſci: hinc *Fati* nomen oritur apud illos, quod Poëtæ, ſub *Parcarum* fictione deumbrarunt; eaſque tres conſtituunt, à rerum principio, medio, & fine: & illas ex chao emerſiſſe confingunt: ſunt qui illas ab Erebo & Nocte voluerint progenitas, velut ex illa tenebrarum caligine.

lib. 10. de Rep. Plato illas fecit neceſſitatis filias, interque earum genua magnum illum fuſum adamantinum collocat, qui ambos polos attingit, ut nulli mortalium peperciſſe videantur: has Plato, in Throno æquali diſtantia ſedentes conſtituit, veſtibus albis, capite coronato, aureo diademate, canentes ad Sirenarum harmoniam: *Lacheſis* quidem præterita: præſentia *Clotho*, *Atropos* vero futura prædicebat. quarum ſuperior *Neceßitas* ſtabat: ac ideo earum matri *Neceßitati*, atque *Violentiæ* templum apud Corinthios dicatum eſſe, refert Pauſanias, quod ingredi nulli fas erat hominum.

Homerus in Mercurii Hymno, Parcas tres ſorores, virgines, alataſque facit, ac eas capita farina conſperſa habere dixit. In Pauſania legitur, *Venerem* à Græcis inter Parcas adnumeratam fuiſſe, ut ab Athenienſibus, qui huic Deæ ſimulacrum, ut *Hermæ* quadratum dicaverunt: ideo olim fertur Romanos, in *Veneris Libitinæ* templo, feretrum repoſuiſſe, ut etiam refert Plutarchus: quod nempe Libitina Venus eſſet, in cujus templo ſepulcralia inſignia cuſtodirentur; ut in illius Deæ templo, quæ vitæ principio & fini præeſſe credebatur. Hæc omnia Vincentii imaginibus leguntur exarata; & conſpiciuntur depicta. Sic veteres Stygię familiæ deſcripſerunt imagines, & has certe *fatales*; ad quarum exempla hodie ſimiles nefarii necromantici confingunt, ad atrocia maleficia inferenda. *lib. de Imag. fol. 204.*

ARTICULUS V.

An futura præſagire, & alieno loqui idiomate, ſit ſignum à dæmone poſſeßi.

Non eſt protinus levi ſuſpicione aggravandus inſons, nec dæmonis maleficio damnandus, qui à naturæ majeſtate, & ejus inaſpectabili ſapientia (quæ omnibus momentis fide caret,) edoctus loquitur mirabilia; quæ eo ſolo titulo ab inſipientibus damnantur, quod illorum notitiam non calleant, & cauſas arcanorum ignorent: mox enim illa quæ ſub illorum judicium non cadunt, aut dæmonis maleficio, aut Numinis miraculo judicant apponenda.

Ideo nos iſta, ſeveriori calculo duximus collimanda; nam plura nobis reſtant, haud minus certe admiranda intra naturæ metas; (fortaſſe etiam communia energumenis, naturam enim dæmon conatur æmulari, ne ejus palam fiat calliditas) eſt enim quoddam melancholiæ genus, calidæ, flavæ, tenuis, & lucidæ ſubſtantiæ, quæ homines reddit collimando perennes, ac ſpiritus agiles & puriſſimos reddit, ex forti mixtione tenaces, minime reſolubiles; cerebrum à lutulentis purgat, ac ejus ſubſtantiam puram ac diaphanam reddit. Cujus mira vis humores concitat, ac ex illa ardor modificatus mentem agitat; ac æſtimativam & memoriam ſupra ſe ipſas elevat; ut proloqui faciat admiranda; producat vaticinia; & rerum altam cognitionem creet, ex iis quæ ſub hominis mentem cadunt, & quæ rerum humanarum ſpeciebus panduntur, animaque eminenter continet.

Hoc poſſe homini ex duplici principio evenire, conſtat & veterum teſtimonio, & alta philoſophia; cœleſti nempe & ſublunari, de hoc eſt illuſtris Jamblici Platonici ſententia: *Verum,* inquit, *Deorum* (cœlorum intellige) *aſpectus elargitur nobis, corporis ſanitatem, animi virtutem, mentis puritatem, & ut ſummo conficiam, quidquid in nobis eſt, elevat in ſua primordia propria; hoc eſt inprimam animæ puritatem: ſi quid eſt intra nos frigidum, ſi quid tabificum, funditus delet: caloreminterea auget, robuſtiorem ac efficaciorem efficit; præſtat & illud, ut omnia animi ac mentis modulo remetiamur; adde quod intelligibili harmonia lumen effundit; nam latio ſuperna cum his infernis lationibus, eſt quædam colligatio & conjunctio individua, per actiones intellectuales ſuimet: eſt enim vinculum eorumdem commune, per quaſdam communiones idearum: quoniam nihil intercipit, nihil interea medium intercolunium ſtat.* *de Myſt Ægypt. Segment. 1. cap. 1. & Segment. 2. cap. 6. Segment. 3. c. 9. & 27.*

Haud certe minor eſt cœlorum quam Muſicæ virtus: hæc enim ex harmonia in corpus, quid motivum efficit & paſſivum, ut præverſis medeatur affectibus, & transformet corporis temperaturas diſpoſitioneſve: nam quod aliis carminibus faciat debacchari; aliis vero ſiſtat debacchantes; non ſunt hæc divinæ afflationis, ſed humanæ, & noſtræ opis arte conſequutæ: nec quidquam divinitatis his elucet.

Quædam eſt etiam præſenſio animalibus, cum terræ motus & imbres augurantur: ad hoc enim animalia quædam concitantur portionibus quibuſdam univerſi, ac viribus, ut membra corporis illius; vel quoties perſentiunt ob aliquod ſenſuum acumen; præſentiunt enim res quæ jam circa aërem accidunt, non dum eas quæ ſimul feruntur, cum locis poſitis circa terram: eſt tamen illud futuræ palpitationis æmulatio. Nautica vero & Medicina probabilibus ventura colligit, & ſignis quibuſdam conjicit; hiſque non ſemper fidis.

Poſſe etiam futura naturaliter præſciri, Aretæus eſt auctor: hæc ſunt illius verba *lib. 2. de ſignis & cauſis acut. cap. 3. de ſyncopa. Illi præterea,* inquit, *quibus cor laborat, ſenſus aciem exquiſitiorem habent, ut videant aut audiant, pluſquam antea, mente etiam ſunt firmiore, & animo puriori: proinde non tantum* *lib. 2. de Sig. & cauſ. acut. cap. 3. & 4.*

tum præsentia declarant, verum etiam futura verißima divinatione prædicunt. Et *cap.* 4. *sequenti de febre ustoria* sic eloquitur. *In ultimo hujus febris,* inquit, *animus stabilis & constans est, sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primo quidem se ipsos de vita migraturos persentiunt; deinde præsentibus futura denuntiant; cum alibi non credantur: dictorum eventus homines in eorum admirationem concitat: alii præterea ex his, cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse ipsi soli, præ sensus acumine & puritate eos adesse cernentes; aut forte ipsorum animo, viros, cum quibus versaturi sunt prænoscente, atque enarrante: quippe ante in lutulentis humoribus & caligine demersus erat: quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt, prædicant, exutoque sordibus animo, veracißimi vates efficiuntur: sed quorum succi & ingenium adeo extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cum vitalis potentia jamjam in aërem cesserit, atque abierit.*

Val. lib. 1. *cap.* 7. *Tull. lib.* 1. *de Divinat.*

Non ab hoc argumento alienus Ludovicus Bonaciolus *in sua muliebri Æneade, cap.* 3. ex Valerii Maximi & Tullii sententia, in hæc prorupit verba; *Neque abs re est, cum Simonides, quod ignotum quendam humavisset, haberetque in animo navem conscendere, ne id faceret, ab eo quem humi dederat, moneri visus est: alioquin naufragio periturum: rediit Simonides, cæteri naufragio interempti fuere: magnus hic diversisque refertus documentis, locus obiter invitaret; utrum ne aliqua quiescentis animi præscita sint, quaque ratione fiant, an fortuita, (ut per quam multa) res sit; & hercule si exemplis agatur, illic & paria fient; & quamquam in unum, à vino, & à cibis proxima atque in dormitione, irrita esse visa, prope convenire palam sit, cæterum fortaßis contrariam esse rationem non eam inficias. quandoque & per somni quietem, & aliam quamvis à corpore alienationem, sensibus sopitis, phantasmatumque nubibus expulsis, animum aut sua natura, suique speculatione (quod Platonici facile dabunt) aut superiorum corporum impreßione, aut divinæ virtutis, angelorum ministerio illuminatione; (quod recentiores Theologi fatentur) pleraque futura, quasi tunc illa supernis numinibus præscripta, oculataque fide intueantur, vaticinari vel ex iis apertißime inclaret; tum quia Socrates, à falsis in judicium accusatoribus tractus, futuram primo judicibus pœnitentiam prædixerit, accusatoribus ruinam; civitati seditionem, exindeque suæ internecionis diem à Numine per quietem monstratum præsignaverit. Mille denique id genus vaticiniorum sunt, quæ iis quid ni in miraculo esse poßunt; quibus intellectum (utpote corpori repugnantem) ultra corporalia sponteque sua despicere abditum est: etenim intellectus tunc sincere discernit claretque maxime, undeque sibi futurorum agnitionem asciverit, neque difficile, neque impoßibile arbitrandum, &c.*

2 *de Occult. nat. miracul. cap.* 2.

Hoc Levinus Lemnius quamplurimis & variis confirmat argumentis: *Sunt enim humores,* inquit, *tam violenti atque atroces, ubi vel inflammati sint, vel corrupti, ut eorum fuligo in cerebrum delata, quod in meracißimo quoque vino affluenter hausto, observamus, peregrinam linguam extorqueant: quod si à malis geniis proficisceretur, non consilescerent morbi, purgantibus medicamentis, nec iis quæ somnum conciliant, discuterentur; iis enim restitutos illos vidimus: atque ad consuetum loquendi usum mentemque restitui, exacto morbo saniorem.* Cum itaque ferventissima sit humorum ebullitio, vehemens quoque & spirituum agitatio, mentisque humanæ concitatissimus motus & concussio, quæ voces quasdam inauditas, linguamque prius incognitam extundit, & secus ac attritu & collisione silicis, emicantes ignitasque scintillas elici videmus.

Quando igitur divina hæc potiorque hominis pars, anima nempe, concutitur, morbisque agitatur, ea profert, quæ in intimo recessu latitabant, insitasque vires palam exerit. Est enim illud homini insitum, ut mens sit humanarum & divinarum capax, ad percipiendam rerum cognitionem: illud tamen Deus indidit agenti intellectui, ut in scientiis adipiscendis postea laboraret: imbutus tamen nihilominus est artibus ante illarum usum, ob altissimam rerum cognitionem, capacitatemque, ut patet inventoribus artium.

Sic enim intelligitur illud Platonis dictum; *Nostrum scire nihil aliud est quam reminisci:* agens enim intellectus species concitat à memoria, & varia confingit, & quæ forte non vidit, nec sub particularem rerum cognitionem ceciderunt. Quis unquam montem aureum vidit? quis aspexit chimæram? species auri & montis, nullus non in memoria retinuit: nec partium singularum chymæræ, ut capitis, manus, & oculorum, alterius animalium. Ex illis ergo intellectus progreditur ad altam rerum cognitionem, quas nec vidit, nec ipsa mens concepit: & licet in sensu non fuerit mons auri, nec chymæræ effigies, fuere tamen partium illarum species, ex quibus hæc ipsa componuntur: & adhuc licet in actu nullæ essent species actuales, sufficit in animæ capacitate eas contineri; ut verum sit illud philosophi dictum; *Nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* saltem per species ab anima refusas, vel per se, vel per partes.

Sic ergo ex eisdemmet speciebus memoria reservatis, ex rebus ante actis; (non, ut voluit Plato, per transmutationem animarum) altissimis scientiis, vel saltem ex iis quæ unusquisque vidit, vel audivit, peculiari cerebri lumine illustratis; aut lucida & flava melancholia concitatis, æthera siccitate & lucido calore, ineffabili energia, poterit ope animæ varia intellectus effingere, & miscere; ut illa quæ ipsa mens concepit, quantumvis aliena proloquatur: & insperata forte vaticinia: si hæc aut illa causa violenter intellectum super se ipsum elevat: non enim sese proferunt facultates ingenitæ, nisi ulla extorqueantur, aut necessitate, aut arte; velut in cote, lapideque Lydio exploratur.

Dialog. 10. *& furore poëtico.*

Musa Poëtas divino instinctu concitat, dixit Plato, veluti Eraclea annulos; ac ita omnes carminum Poëtæ insignes, non arte, sed divino afflatu, præclara canunt poëmata, ut Corybantes non sana mente saltant: res enim sacra Poëtica est; neque Poëta prius canere potest, quam intus illustratus & à mente alienus: ac ideo sunt Deorum interpretes dum furore correpti canunt. Quis non mirabilia in herbis, lapidibus, & plantis experitur, si de potentia ad actum reducantur; miro naturæ aut artis magisterio. Sic homines interdum aptiores sunt ad differendum; & in arte, in hac aut illa die operantur fœlicius. *Acuti, sagaces, memoriosi, & dociles,* dixit Plato, *ut plurimum in iracundiam impetusque feruntur, atque ita raptantur, ut sine retinaculis naves, & furiosi potius, quam fortes existere videantur. Ideo forte prodigiosa & rara*

Dialog. Theætetus sen de Scientia.

& rara consequuntur. Graves autem, sæpe cum ad disciplinas se conferunt, segnes, torpentes, & obliviosi sunt; & alii altißimas assequuntur scientias, velut inopinato, quando clarius redditur instrumentum; & alius ad lumen obcæcatur; confusis caligine spiritibus. Est enim dementia quædam animæ ignorantia, quæ dum ad veritatem nititur, intelligentia ipsa prævaricatur: ut idem Plato hujus rei auctor est.

Vbi supra. *Vidimus enim*, dixit Levinus Lemnius, *non nullos æstuosis febribus copiosos promptosque in disserendo fuisse, & supra spem oratione & idiomate cultos, quod morbo perfuncti, exprimere haud ullo artificio potuerunt: quos ego pronuntiavi, non malo infestoque genio divexari, nec dæmonis instinctu, impulsuque illos ita peragere, sed vi morbi, humorumque ferocia; qua tanquam face subdita mens exardescit hominis inflammaturque: illos siquidem admotis capiti fomentis exhibitaque somnifera potione, à morbo mentisque errore, vendicavi; quæ postea alta cœpit oblivio, ut adhuc illis recitatis erubesceret; fuisseque admiratum, in tantum sibi mentem excidisse.* Hoc etiam accidit moribundis, ut nuper ex Aretæo vidimus, cum in illis excitatur ardens animi vigor; quo mens à terrenis abstracta, vaticinari solet, & quæ eventura sunt, certo prædicere: idque ita diserte & ita oratione meditata, ut inde gravior prorumpat admiratio: anima enim est cœlestis originis, ac illius divinitatis particeps, & præsaga futuri: & cum ab iis lutulentis exuitur, adhuc in hac mortali vita, fit, non tantum vaticinii capax, sed admirabilium etiam actionum.

Quare non est protinus miraculo, nec dæmonis maleficio apponendum supra expectationem vaticinium, nec ultra capacitatem graviora proloquia, nisi his misceantur quæ certo dæmonem adesse contestantur: quorum signa pleraque antea proposuimus; alia mox dicemus, ne eadem repetere absque necessitate videamur.

ARTICULUS VI.

An quæ intra corpus monstrosa generantur, sint certa maleficii signa.

Marcell. Donat. l. 2. de hist. Mirabil. cap. 1.

Quæ in arcanis naturæ non latent admiranda; quæ pene fidem superant, nec ullo modo redolent maleficia? Marcus Damascenus mulierem filiam peperisse enarrat, pilis camelorum hirsutam, habitu & colore silvestrem, quod sic fuerit imaginem *Baptistæ* in thalamo nuptiali intuita. Scaliger historiam de puero scribit, in Hispaniam ex India transvecto, qui totus erat candidis circundatus capillis, quod mater in conceptu illius pilosum quoddam imaginata fuerit. Tanta est enim imaginationis efficacia, ut similitudinem calleat in corpus alienum sub debita distantia imprimere, dum corporis formatricem modificat, & certa commotione humores propriæ intentioni disponit: ideo in Scythia & Norvegia, passim aves & animalia reperiri albissima, quod fere semper nivem intueantur. *Mulier*, scribit Cornelius Gemma, *tres simul dedit in lucem filios, alterum ut Æthiopem, quod inter Magos Reges nigri coloris regem intueretur.* Et *Erastus* enarrat de generosa fœmina, solo felis timore, semel impresso à matre, quam dum illam ventre gestaret, perculsa cœpit, ut tam magno & subito pavore, animo penitus linqueretur: ac ideo characterem timoris in filiam impressam reliquisse: ut quoties filia felem videret, etiam animo subito pavore deficeret. Nec est novum, genitos matris etiam portare passiones; hoc enim est etiam à Præceptore traditum: *Quoniam si qua prægnans*, inquit, *terram edere concupiscat, aut carbones, eaque edit, in capite pueri, ubi natus fuerit, signum à talibus apparet.* Si non dicimus quod auctores ut enarrent ostenta & prodigia, non dubitant adhuc creditu difficilima, ne dum nugis Milesiis simillima ostentare, & quæ non tantum veritati, sed ipsimet naturæ videantur aperte gliscere.

Scalig. de Subtilit. Exerc. 14. Num. 2. & Exerc. 52.

de Admirand. spectac. cap. 6.

de Occult. pharmac. propriet. cap. 3.

lib. de Superfœtat. ante med.

Sed in hac rerum serie, pleraque sub maleficii opinione feruntur vulgatissime, quæ talia non sunt, veluti animalia ad intra corpus genita, ligni, ferri, & lapidis fragmenta; & illa quæ configere natura haud ulla lege posse, communiter jactatur. Inter ista differentiam oportet constituere: nam pleraque rarissimo miraculo componuntur; ad leges naturæ fœcundissimæ progerminant, proferuntur ad tempus, & se videntibus præbent naturalia in ostentationem majestatis & virium naturæ: ex his producit pleraque ex sordido aliquo excremento, ut vermes, non tantum communes, sed figuræ interdum peregrinæ: ex pituitæ speciebus aliqua melancholia aliquando permixta, ut durissimi lapides, si efficiens caloris causa materialem comprehendit æqualiter: ex quo certe infero, quod non est impossibile, naturam quæ durissimum producit lapidem, posse etiam brutum effingere metallum; licet mihi semper creditu difficilimum videatur, posse intra corpus humanum aurum purissimum effingi, ut Lemnius affirmat; quoniam dispositiones causæ materialis, & gradus actionis causæ efficientis, sunt longe altioris ordinis in auro, omnium metallorum nobilissimo, quam in quovis alio bruto metallo.

Citat. loco.

Ex errante naturæ actione productiva, aut uberiori materiæ quantitate quam par sit, aut minore etiam moderata, si non forte inepta natura rudius quid effingit: dum enim perfectius non valet, quod assequitur, efficit: ideo monstrum aliquando producit: *Ego bis & ter vidi*, dicit Marcellus Donatus, *frustum carnis*, (de molæ speciebus loquebatur) *figuratum, & movebatur*; sed horribiles sunt admirandæque magis animatæ molæ, & formatæ: quorum plura leguntur apud Scriptores exempla, veluti sunt bufones, lacertæ, aves, ranæ, & similia monstra, quod vitium agro Pisano & Apuliæ, familiarissimum esse, Savanarola dixit. Mulierem serpentem enixam Romæ, Alexandrinus Appianus auctor est; Matthæus de Gradi scribit se vidisse animal generatum in matrice, cum alis, quod cum jam ad auras & lucem prodiisset, evolarit. Enarrat Gatinaria animal peperisse Papiensem mulierem, ad tinconis piscis speciem, à tergo subviridis & obscuri coloris, ad ventrem valde rubri, prædurissimo corio, cum subsultante motu, ut palpitare omnino videretur. Amatus Lusitanus commemorat, mulierem quatuor animalia ranis simillima peperisse. Et illud, quod longe admirabilius, Levinus Lemnius scripsit: *Mulier insularis ex Nautici generis homine concepit: in tantam tamque insuetatam molem illi venter intumuit, ut non videretur tanto oneri gestando suffectura: exactoque tempore pariendi, quod novem complet menses,*

de hist. Mirab. cap. 25.

in cap. de Mola.

lib. 1. & 10. de Bello Civili Romanorum.

cap. de Mola.

Cent. 1. Cur. 27.

de Occul. naturæ miracul. c. 8.

menses, accersita obstetrice, primo magno conatu informem carnem peperit, cui utrinque erant duæ ansæ annexæ in modum brachiorum exporrectæ, quæ moles palpitabat, ut marina spongia; postmodum vero monstrum dilapsum est ex utero, adunco rostro, tereteque collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate; & post primum lucis intuitum, conclave stridoribus implet, atque ultro citroque discurrens, latebras persequitur: tandem mulieres pulveres impetunt, ac suffocando perimunt; postremo mulier hæc plus satis delassata, haud procul à discrimine prolem masculam edidit, à monstro ita excarnificatam, ut à sacra lotione quam minimum vitæ superesset.

lib. 5. Annalium Ianuensium anno 1491.

Hoc horribile monstrum aliud imitatur, quod Justinianus episcopus enarrat: dixit ille, Januæ, Margaritam, Laurensi Valestari uxorem, serpentem peperisse, alas eo habentem loco, quo manus esse consueverunt.

lib. 24. de Monst. & Prodig.

Quid moror in enarrandis monstris? est enim illorum prodigiosa series in Pareo & Schenckio, Medicis.

Hæc natura produxit ostenta, & prodigia, quæ etiam sunt *fatales imagines*, quia quando talia eveniunt, fere semper cedunt in ruinam Monarchiæ principis, aut imperii; quoniam interdum natura videtur esse saga. Anno 1254. sub Julio II, Ecclesiæ pontifice, & Ludovico Francorum Rege, legimus horribilia monstra fatalem ruinam ostentasse. Aliud etiam Veronæ accidisse, historiæ enarrant, cum bellum inter Turcas & Pisanos exarsit. *Cum Persæ Babylonem obsiderent*, enarrat Herodotus, *vigesimo quam vallati sunt mense, Sopiro Megabisi filio, hoc contigit portentum*; ut quædam mularum *ejus pepererit*: (licet Theophrastus passim parere mulas dicat in Cappadocia, auctoritate Plinii) *quod tam impossibile judicabant, ut miles quidam in obsidione diceret, istinc discedetis ô Persæ, tunc nos expugnaturi cum pepererint mulæ; & ita factum est, ut post illius partum Babylonem vastarent, quia tunc visum est, fatale esse jam Babylonem capi.*

lib. 3. Thalia:

lib. 3. Nat. Hist. c. 44.

12. Annalium c. 13.

Crebris prodigiis, dixit Tacitus, *mutationem rerum in deterius portendi cognitum est: signa enim ac tentoria militum igni cœlesti exarsere: fastigio Capitolii examen apum insedit: biformes hominum partus, & suis fœtus editos, cui accipitrum ungues erant, quod forte præoccuparent necem Claudii & Illustrium aliorum senatorum.* Pugnam Canensem prodigia etiam cecinerunt, ut Silius Italicus annotat.

lib. 8.

Obsedit frequens castrorum limina Bubo,
Nec densæ trepidis absunt, se involvere nubes,
Cessaruntque aquilis: non unus, crine corusco,
Regnorum cursor tribuit letale cometes.

Hic est vox illa corrigenda (*absunt*) & ejus loco legendum *apium* vel *apum*: nam *nubes apum* examina vocat.

Deus etiam omnipotens, Arcam, ut fatalem imaginem, Noæ, singulari suo amico, facere imperavit, ut portenderet totius universi ruinam: qua servavit posteritatem gentium, & animalium: ad cujus fabricam sequutum est diluvium aquarum in universam terram.

Hæc & illa prodigia & natura produxit, & valet dæmonis artificium imitari: ideo sunt oculatissima circunspectione discernenda, quia quanto magis abdita, majorem in artifice solertiam exoptant. Et ingenue fateor, quod quanto magis ad illorum nitimur differentiam, tanto profundior obscuritas quod eluceat.

lib. 8. hist. Scotiæ.

Adhuc contra nostrum judicium, recitabimus quæ referuntur ab Hectore Boëtio, *lib. 8. de hist. Scotiæ*; ut aliquid differentiæ assequamur: *Monstrosos enim partus*, inquit, *quandoque nasci, observatum est; muliere à dæmone compressa, quod per dæmones incubos & succubos peragitur, seu furati seminis efficacia, seu ratione alia sub masculi, aut fœminæ specie: sic enim coire cum mortalibus solent: & licet illud sit à pluribus traditum, referam quod puellæ contigit, & forma conspicua & natalibus altis. Hæc cum plurium nobilium aversata connubium, in nefandam cum dæmone consuetudinem incidit: quæ cum uterum gereret, jam palenter, & parentum rigore coacta stupratorem edere: dixit, adolescentulum miræ pulcritudinis frequentius secum nocte, interdiu nonnunquam, convenisse: sed unde venisset, quo vero abiisset, nescire se respondit; inde patres rem accuratius advertentes, explorandi consilio, ancillam præfecerunt; quæ tertio die, stupratorem jam adesse, renuntiavit, & foribus reclusis & tædibus accensis cubiculum ingressi, horrendum & terribile monstrum inter filiæ amplexus conspicantur: complures cucurrere ad fœdum spectaculum, quale fortasse antea nunquam inter mortales visum: inter illos sacerdos probatæ vitæ, & sacræ disciplinæ haud ignarus, mox Ioannis Evangelium incœpit recitare super monstrum, & cum huc pervenisset;* (Verbum Caro Factum Est) *malus dæmon horrendo cum clamore cubiculi tectum secum portans, omni incensa abiit supellectile: fœmina vero periculo servata, post triduum, monstrum est enixa horrendum, nusquam tale inter mortales visum, quod ingenti pyra parentes jusserunt concremari.* Ex Dæmone etiam progenitum Merlinum Britannicum, historiæ affirmant: & Olympiadem Magni Alexandri matrem à Dracone compressam, ut & Galerii armentarii genitricem, ac si esset à Jove sub serpentis figura, credidit fabulosa vetustas: & Quintus Curtius & alii tradiderunt. Quod si ita res esset, à dæmone incubo factum esse, est creditu facilius. Inter monstra; (naturalia nempe, & dæmonis magisterio producta) ratio differentiæ est potius petenda ex aliqua supernaturali actione, aut legali certe probatione; quam ex ipsa monstrorum rara & peregrina configuratione: quoniam nulla tam magna potest considerari, quam ipsa natura non producat, si non absolute ordinem naturalem excedit.

ARTICULUS VII.

Pleraque alia proponuntur suspecta veneficii.

Nec sunt semper præsaga maleficii, & lapides, & vermes, & animalium species mirabiles, figuræ peregrinæ, quæ natura produxit, ex putredine hujus aut illius corrupti alimenti, aut excrementi mille modis fœdati, aut mixtura seminis reptilium, serpentum, aut alterius impuri animalis, aut ex illis vescuntur, ut super panem, caseum, carnes, legumina, aut alia obsonia: quæ certe illorum impuro excremento maculata & à nostro calore actuata possunt sui similem in generatione effingere, ex innata virtute animalis. De hoc certe mihi videntur esse historiæ mirabiles, quas plerique referunt cum Marcello Donato, quas tu leges per otium, *lib. de med. hist. mirabili cap. 14. & 30.*

Neque

ARTICULUS VIII.

De sudore sanguinis.

Bond. lib. de Morb. cogn. cap. 11. & 18. Fernel. l. 6. Pathol. c. 4. Arist. 3 de Part. anim. 5. & 3 de Hist. anim. 18. Theophrast. l. de Sudor. Gal. de Vtil. respiration. Aretæus, 2 Chronic. cap. 6. Lev. Lem. de Occult. mirac. c. 7.

Neque prodigiosus ille sudor sanguineus, qui omnem videtur naturam superasse, prolicitur extra naturæ metas; nam illum prorsus naturalem fatetur Rondoletius & Fernelius, & evenisse ait, anno 1597. & ex antiquis Aristoteles, Theophrastus & Galenus, posse naturaliter evenire, profitentur. *Est hoc vitium familiare illis*, dixit Aretæus, *qui tenui & duriori victu coacti sunt uti: qui impense & absque fine studiis laborant: quibus est divinæ scientiæ inexhausta cupiditas: qui vigiliis & cibi parsimonia macerantur: qui semper gravia meditantur & seria: & qui famem pro alimento habent: pro potu aquam, vigiliam pro somno; à quo enim amor disciplinæ non revocat, à patria, à parentibus, & ab omni voluptate, ad mortem usque revocabit; continuata jejunia sanguinem tenuiorem reddiderunt; hi macie consumpti in juventa senescunt; nec illud est semper apponendum miraculo, nec semper maleficio.*

ARTICULUS IX.

An sanguis occisi petat naturaliter occisorem.

Visum & observatum est, (ut gravissimorum auctorum fide constat,) *in violenta morte interempto, sanguinem ab emortuo corpore ad occisorem cominus intuentem prosiliisse.* Sed quo genio illud accidisset, à nemine video comprobatum. Plerique rati sunt, quod si adhuc remanet in emortuo corpore aliquid vegetantis virtutis, hostili quadam antipathia sanguinem faciat ebullire, ut in conspectu occisoris prosiliat; in facinoris aut sceleris patrati pœnam. Dixerunt alii, quod sicut dantur spiritus benevoli, qui oculis in ipsis gratitudinis benevolentiam, aut amorem ostentant, quod oculari patet experientia: sic etiam dantur spiritus hostiles, qui expirant per oculos, cum aliquem odio, horrore, aut inimicitia intuemur: quod torvo vultu, scintillantibus oculis, fere patet: quo posito, in illam devenere sententiam, ut existimarent, quod in mortuo corpore, qui remanent spiritus hostiles, (antequam ex toto evanescant) dissensione tacitaque discordia, sanguinem faciunt effervescere, dum occisor incidit in conspectum, ut, quodam veluti impetu, compellant sanguinem jam jam ebullientem erumpere per vulnus, aut alia certe corporis parte.

Aliorum tamen sententia fuit; quod illi spiritus malefici odio fascinati, dum sub ira, impetu, & furore concitantur, irruentes ad invicem in hostem; hostiles illi ab occisore expulsi, in corpus occisi recipiuntur, (ut etiam è contra potest accidere;) quare isti, dum in conspectum venit interemptor, ad suum veluti progenitorem facile revertuntur ut ad suammet causam & principium, seu ad cognatum centrum: cum vero jam sunt permixti & confusi, cum sanguine occisi, dum appetunt exire & reverti, secum movent & ferunt sanguinem cadaveris, sub illa motus ferali concitatione: & tunc maxime cum ex adverso sese ipsum ostentat adversarius; & cominus intuetur occisum.

A Non ab hac & illa sententia alieni, alii rati sunt, quod tam valida est imaginationis efficacia, ut quandam latentem energiam spiritibus imprimat; odii aut furoris, dum adhuc vita superest: ut si adhuc remanent animati spiritus, dum venit in conspectum interemptor; illi faciant & corpus incalescere & ebullire sanguinem; bile, ira effervescente circa cor, ex ipso furore derelicta, ut sub id tempus faciat sanguinem petere occisorem; si non distat ab agentis sphæra: huc videtur alludere Lucretius, quando dixit:

B
> *Namque homines plerunque cadunt in vulnus, & illam*
> *Emicat in partem sanguis unde icimur ictu,*
> *Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.*

De hoc est celebris memoria in Nicolo Boëtio, & in Bipartita mirabili historia, *de Sanguine occisi, sepulti jam post 30 dies, qui subito peremptus occisorem damnavit.*

Plato, sententiam longe à pietate alienam sequutus, dixit, quod defunctorum animæ, in corpora nostra quid occultius agunt; ac illorum animas qui occisi sunt, hostiliter interfectores petere: & inde C forte existimabat, ut occisi hominis vulnus, jacente etiamnum cadavere, in eum qui vulnera infixit, si cominus aspexerit, sanguinem subito faciat eructare vindictæ desiderio. Sed hæc sententia magis redolet magiam damnatam, quam justam naturæ actionem.

Hoc etiam *Vtroque Iure* video observatum, ac si esset inditiū, quod legali probationi conduceret, & à jure peritis mille etiam historiis fulcitur, quibus evolvendis jam hoc loco mihi non datur D otium: unicam tantum referam, quæ ut rara à Bonaciolo recitatur in sua *Æneade, cap. 3.* quæ duobus amicis in Megera contigit: quorum alter cum ad cauponem divertisset, interemptus ante obitus horam in somnis, ejus animam amico appulisse enarrat, & rogasse, ut ejus haud inultam mortem pateretur; seque à caupone interfectum, & in plaustrum conjectum, & desuper stercus; donec mane ad cauponis portam amicus divertisset; amici miseria perculsus: sic evenisse vidit, ut illi inter somnia est narratum: & cum E quid in plaustro adesset, quæsisset; ille caupo perterritus, fugam cœpit; at eruto cadavere, sanguinem emittere cœpit; unde caupo re illa patefacta pœnas dedit. Hæc tamen abdita & occulta, sunt soli Deo gnara.

ARTICULUS X.

An animalia à corpore excreta sit certa veneficii comprobatio.

F Grandiora animalia in corpore produci, semper apud vulgus maleficii extitit suspitiosa præsumptio, ut si bufones, serpentes, aut mures producantur; judicant enim & merito, animalia quæ ex semine amant produci, non posse aliter generari; de hoc aliquid paulo antea diximus, quod nunc prosequimur: illud enim certe admirabilius in hoc rerum concursu mihi semper est visum, naturali de causa serpentes, bufones, mures, & pleraque extranea animalia posse intra corpus humanum generationem sortiri; sed desinet mirari, qui sciverit hæc ipsa ex putredine terræ,

terræ, aut excrementorum, aliquando produci; & dato, quod apta excrementa ad talium generationem in corpore humano non darentur, (quod non omnes facile dabunt) hæc poterunt produci ex sordido aliquo excremento, in iis alimentis quibus alimur derelicto, quo erant inquinata & imbuta alimenta, dum super illa similia animalia vagarentur, aut comederent: calor siquidem nativus, in materia illa elaboranda occupatus, non aliter speciem, quam pro subjectæ materiæ ratione effingere potest.

Itaque insita vis naturæ, forte seminali excremento derelicta, suę speciei animalculũ efformat, humida illa substantia & sequaci calori architecto obsequente: compertum est enim, domestica hæc nostra animalia, feles nempe & catillos, mures, glires, bufones, & rubetas, cum passim oberrant promptuarias cellas, aliquando excremento seminali commaculasse esculenta quæ vescimur; quæ cum homines à sordibus non abluant, vel fructibus arbuteis putamina membranasque ambientes non adimant, ex illa uligine, quæ cibariis incumbit, dapesque polluit, ac fœdavit, tale quidem certe progeneratur.

Quo fit ut si ex putredine limaces, cochleæ, mures, ex bubulo stercore scarabæi; & vespæ ex aëreo madore roscidoque humore, erucæ, formicæ, & locustæ, & cicadæ progerminant: cui absurdum videri poterit, in corporibus hominum ex simili causa, tale quidpiam etiam generari; si maxime subsit infectum seminarium? nam quæ in humani corporis latebris animantur, ex vitali humore vivoque animante profluxerunt: sicut illa ex cœlesti influxu, utpote à causa universali æquivoca, ab his sane patibilibus determinata; nempe ex putrida materia, ad hoc, aut illud animal producendum.

Observatum est enim nostra memoria, dixit Levinus Lemnius, *dissecto cujusdam corpore, bestiolas exemptas, soricibus* (quas *glires* vocant) *muribusque non absimiles, quas natura ex sordido aliquo excremento, quo erant imbuta alimenta, produxisse, par est.* Cum itaque multa atque admiranda, natura rerum, cujus vis Dei munere, undique diffusa est, moliatur; nemo anile deliramentum existimabit, prodigiosa quædam in corporibus effigiari: cum rebus etiam inanimatis, ut in ligno vermiculi nascantur, & in caseo vermis, ex sordidis ulceribus & vomicis, unguium, pilorum, testarum, officulorum, & lapidum fragmenta eximantur, ex humorum putridorum, concretu coalita: quin & vermiculos caudatos atque insolita forma bestiolas vomitu ejectas, novimus, & per ventrem excretas: & in iis præsertim, qui morbis erant oppressi contagiosis; in quorum lotiis multoties innatare conspexi minuta animalia, & formicis similia.

lib. 2. de Occult. nat. miracul. cap. 40.

Hæc sunt & ipsi naturæ naturalisanti gentilitia: & possunt esse magica confecta veneficio, seu dæmonum perstigio apposita: seu ab ipso realiter producta. Solet enim dæmon rerum species immutare, & res ad illam quam amat apparentiam ostentare; unde hujus perstigio mille metamorphoseis adnotantur; hominum, animaliumque conversiones, delationesque, ut homines illudat, aut fortius constringat cautissima solertia: quod si talia, ut agens naturale intra naturæ metas operatur, difficilimum judico, ne dicam impossibile, differentiæ rationem constituere inter illa quæ natura produxit, & quæ maleficio dæmon effinxit; nisi in ipsa actionis elevatione aut applicatione, ut dicebamus antea, aliqua ratio differentiæ innotescat: aut in veneficii ante acta præsumptione verisimili conjectura comprobata; pleraque enim & legimus & vidimus de maleficio suspecta vocari in judicium, neque posse ulla ratione comprobari; ad Romanos judices etiam hæc veneficii præsumptio delata est, nec ideo reum damnatum vidimus; nam Piso de Germanici morte accusatur, satis evidentibus veneficii signis, nec ideo damnatur: unde fortasse Numantina, prior Sylvani uxor, accusata injecisse carminibus & veneficiis vecordiam marito, insons judicatur, ut Tacitus est auctor.

4 Annal. cap. 6.

Si vero fortioribus argumentis veneficii suspitioni credimus, vel etiam jam patet veneficium; hoc unum nobis restat auxilium, non ab nostra Medicina petitum, (hæc enim pares vires non habet) sed ab nostra Sacro-sancta Ecclesia Romana: quare mox debemus personam maleficio implicitam, sacris Sacerdotum precibus tradere lustrandam: atque divinis missarum officiis, rite peractis, collatisque eleemosynis, magna semper fiducia, & integra fide à Christo domino, ut à piissimo Salvatore, salutem expectare. Quod si contendat aliquis, quod dæmon aliquo corporis humore ut instrumento utitur, ut in illo conservet maleficium, non contra rationem existimo, & talem humorem vacuare, & contra productam intemperiem, aut aliam affectionem naturalibus auxiliis pugnare, ut contraria actione medeantur contrariis auxiliis; ut forte ablato instrumento, veneficum conservare desistat dæmon, qui illud ope veneficæ induxit.

STATIO XIII. ARTICUL. I.

Naturalis Necromantiæ eutrapeliæ, & veterum Philosophorum experimenta; an sint de veneficio suspecta.

Necromantia est magiæ species, quæ definitur, *Divinatio per mortuorum corpora*; impia est, & merito damnanda, quia sub dæmonis pacto celebratur: cum hoc tamen sub hac magiæ specie sunt pleraque abstrusa in arcanis naturæ; quæ incredibilia videntur imperitis, & secretorum insciis; quia damnatam magiam videntur redolere: at illa certe patent peritissimis qui abstrusa rimantur, & agnoscunt ut mere naturalia, absque ulla fœderis iniqui suspitione; quorum pleraque narrare non pigebit, ut quæ impie magica ab eis quæ ars, aut natura magico artificio confingit, facile discernantur.

Hanc etiam Martinus Delrio, acerrimus hujus Magiæ censor, graviori censura designavit, & ab impia & damnata distinxit, *lib. 1. Mag. cap. 3. de Naturali magia*: *Hæc enim*, inquit, *nihil est aliud, quam exactior quædam arcanorum naturæ cognitio, qua cœlorum ac syderum cursu & influxu, & sympathiis atque antipathiis, rerum singularum observatis, suo tempore & loco, ac modo, res rebus applicantur, & mirifica hoc pacto quædam perficiuntur, quæ causarum ignaris perstigiosa, vel miraculosa videntur, ut cæcitas Tobiæ, restituta*

restituta felle piscis Calinomii, medio & virtute naturali: quod etiam mille probat exemplis.

Magna est profecto humani intellectus ambitio, ardor vix satiabilis sapientiæ: ac ideo in naturæ arcana cæco impetu ruit: homines enim communi rerum notitia non contenti, aliam naturam rebus quærere inhiarunt: & materiali rerum sapientia satiati, immaterialem rerum ipsarum essentiam perquirentes, primas rerum qualitates quæ in elementis latent, pondus & levitatem, ac notas inclinationes nosse, non magni æstimarunt; ideo ad contemplationem essentiæ abstrusæ, secundæ vitæ, viventis spiritus, formæ immaterialis rerum ipsarum; quam dixere cœlum Philosophorum, ignem cœlestem, cœlestem & vivificum nectar, calorem insitum, nunquam extinctum ignem, potabile aurum; ac tandem materiam primam universale dissolvens, insatiabili cupiditate exarserunt: ac inde invenerunt in rebus & formam specialem rei quæ informat materiam, & aliam vitam corpoream & sensibilem, quæ cum huic magis quam illi parti materiæ inhæreat, eaque delectetur, aliam essentiam, aliam vitam constituit, non veram quidem qua mixta vivunt sibi, sed cujus causa nobis vivunt, & utili & vitæ communi serviunt; qua divina contemplatione invenerunt in rebus homines abstrusas sympathias, ignotas antipathias, notas nulli alteri sæculo; & virtutes lapidibus, herbis, plantis & animalibus quæsierunt, quæ inerti mortalium ignavia diu delituerunt; & nunc patent labori immortali; de rebus materialibus substraxerunt spiritus, & aliam certe in rebus ipsis naturam invenerunt.

Ideo non est mirum, si tot eutrapeliæ, mirabiles effectus reconditæ & abstrusæ naturæ, tam varia, tamque mirabilia nobis quotidie obversentur, quæ impossibilia humano artificio videntur imperitis; aut saltem damnatam magiam redolere; iis maxime qui otio inerti, sub umbra vitam degunt, aut insulsis studiis distracta, vitæ fabulam agunt; nihil de Naturæ majestate promeriti, nihil de Nobili Rep. nec de rebus politicis; sed illud omnem superat nobilem patientiam, quod isti inertes & stupidi, qui nec sibi, nec civibus suis prosunt, ambitiosa vanitate, damnare audeant pretiosa arcana, quæ nec extimis labiis degustarunt; dum, *Mithæcus cum sit, Agamenonem simulat*, ut est in parœmia Græcorum; nam omnia isti solo suo vano criterio metiuntur; sed illorum illud cedit in pœnam, quod perit memoria eorum cum gemitu, & in ipsa imperitia sepelitur; sed non est stultitia, supplicium æquale: deberent enim talione damnari, in pœnas nempe infamiæ, quam aliis intendunt.

Hujus animæ peregrinæ extractio, pro rerum varietate à quibus elicitur, comparatur; alio enim modo ex plantis, alio ex animalibus, alio ex mineralibus educitur; alio tandem ex variis compositis activa passivis applicando, veluti in theriaca; & talia ex quibus hic aut ille effectus speratur, permiscendo ex arte, ut effectum impedientia separentur; metalla enim aliam vitam continent, in colore, sapore, & odore: animalia in modo substantiæ & applicationis, veluti in lucernis: & plantæ in odore, colore, sapore, & tinctura: partes enim unumquodque mixtum continet, longissime distantes: methodus autem essentias extrahendi, ignoratur: nam secretior ac nobilior adhuc desideratur; nec ideo involvere contendo cum arte naturali diabolicam. Absint profecto & illa certe absint à calamo, à cogitatione & à mente nostra, quæ absolute implicita & explicita sub pacto, prolata, aut quomodolibet aliter renunciamus: & sola & simpliciter naturalia proponimus, illa tantum, quæ ex secretioribus Philosophiæ arcanis eruenda curavimus.

Ut ergo magicum artificium consequamur, & sympathias rerum & effectus, absconditos & in causis naturalibus, pleraque in secretiori Philosophia abstrusa, contemplari ac rimari debemus.

Est veluti primum hujus magisterii principium, ut sicut validum agens, (si à fortiori impeditur,) in patiens recte dispositum imprimit actionem, & producit effectum: sic pariter in influxu cœlesti, & in forti imaginatione, ex animæ imperio, & virtute ab interno principio: in illis maxime quæ necessaria connexione, eorum causalitatem accipiunt; si enim corpus ubi habet producere, est in illa dispositione ut impressionem adæquate accipiat, producitur in integrum effectus: si vero dimidiam dispositionem sortitur, dimidius effectus comparatur; si penitus actioni agentis reluctatur, nihil inde producitur; & sicut efficacia auxilia, ubi agens supplet indispositionem patientis, ut accipiat actionem, elevant actione valida patientem, & quadam veluti violentia rapiunt, (nam supplent actionis magnitudine indispositionem patientis, aut illud celerius disponunt;) sic in fortissimo imperio influxus stellarum, aut etiam animæ imperantis, solent etiam producere effectum in corpora aliena & extranea, ad nutum imperii, plus minusve, prout est disposita materia, aut ex se, aut ex causalitate, cum magnitudo aut efficacia actionis suppleat indispositionem patientis; dummodo non sit inepta penitus.

Ideo cum materia primo sit subjecta corporibus cœlestibus, necesse est quod accipiat formam alicujus speciei determinatam, sed ligatam tali, aut tali nexu, ab illa parte speciali cœli, ut inde hæc aut illa proprietas resultet à tali mixtione, & non à toto cœlo, quod indifferenter respicit & formam & materiam: vel etiam ab illa portione quam accepit à parte determinata cœli, quam in prima formatione accepit; dummodo actionem liberi arbitrii immunem tueatur; hoc enim semper est sui juris, sub quolibet influxu, & qualibet dispositione materiæ, utcumque hominem deferat: non subjicitur enim spiritus corporeo influxui, ut impressionis impatiens peregrine.

Forma tamen qua corpori ligata, suas etiam à cœlo impressiones recipit; ac inde variæ in rebus elucent sympathiæ, & permulti consensus; ut & antipathiæ in aliquibus: quibus non erit mirum, si variæ ad extra actiones producantur mirabiles, supra materiæ & formæ actiones communes, utpote ab alio principio orientes: ideo lapis Herculeus peculiari sympathia trahit ferrum, actionem ad extra producendo, in extractionis motu, & ab antartico polo non discedit: adamas & electrum trahit surculos & paleas: pixis navigatoria magnete temperata nativa proportione sese

ad polos vertit: Leo, animalium princeps, à pullo gallinaceo terretur: taurus fico alligatus, mansuescit: & inter homines, hos simplici intuitu aversamur, illos benevole diligimus: echenis parvus pisciculus, navem velis tumentem remoratur. Unde tam mirabiles naturæ actiones? ex communi principio; sunt enim in rebus consensus admirabiles, seu derivati ex illo communi universi consensu, in quo sunt corpora ita ad invicem connexa, fortiter inhærentia, ut nulla vi, quæ ad invicem extrema copulantur, separentur, ne locus vacuus inter illa intersit: levia & sursum feruntur, & gravia deorsum; quæ prius interire patientur, quam communi consensui deficere. hic enim est finis universi, *omnia esse ut sint, & conserventur*; conservantur autem per nexum & mutuum contactum extremorum inter se.

Alius consensus inter elementa invenitur; qui primum maximum præsupponit, qui est etiam nexus determinatus, & propria locatio elementorum, prout cuique debetur; quo fit ut cum propriis locis consensum habeant elementa; non enim tantum, qua talia, amant convenientem locum, sed certas sedes exposcunt, & certos quorundam corporum nexus: ac ideo unumquodque adhuc sub alterius mixtione suam appetit sedem, proprium locum petit, si valet consortem secum ducere. Quare duas sortiuntur inclinationes elementa: alteram, quatenus unumquodque una natura est: & alteram, qua partes universi, & naturæ totius. Quatenus una natura sunt, certum ubi, certumque locum habent, ad quem per se nativo appetitu feruntur: cum igitur ignis locus sit; (si in illa regione est ignis elementum, quod critici hujus temporis negant) linea media inter concavum orbis Lunæ, & convexam aëris superficiem, ad illum certe totus ignis, & pars quælibet ejus, & per se movetur, & illuc ut centrum petit: velut aër, cujus linea media inter ignem & aquam constituitur; ut & aqua & terra ad propria loca, ut ad centrum feruntur; non alia de causa, nisi quia sic melius collocantur elementa ad perfectionem sui & universi: ac ideo est in illis suus cuique consensus, ad conservationem.

Tertius adnotatur consensus inter illorum partes quatenus in toto sunt, quo fit ut rarefactæ partes, condensentur, & densæ rarefiant, donec ad eum situm veniant, qui toti pro natura debetur: quo fit ut partes ascendant aliæ, & aliæ descendant; & aliæ ut in latus ferantur: sic species quædam amant aëris rarum, & quædam lucis densum, ut auditus; hinc pulvis tormentarius maximum edit sonitum.

Inter ista quartus etiam observatur consensus, inter illa nempe, quæ in communi principio sunt affinia, & inter se similia; quo fit ut afficiantur sympathiis; nam unum quodque ad aliud movetur, ut unum fiat: hinc parva flamma, à magna velocissime trahitur: fumus ab igne: sed id maxime cernitur in electro, in herculeo lapide & adamante, & plerisque animalibus atque plantis: quod illis certe accidit per quandam ingenitam virtutem, à primis contractam elementis per species spirituales in agendo, (seu dixeris ignotas) quæ sunt ejusdem rationis cum formis, quarum sunt species: quæ à tota substantia operari est credendum, quatenus sunt affinia in communi principio: ac ideo dum à proprio principio moventur, in termino proportionato movent.

Est ultimus consensus elementis qualitatum contrariarum proprius: videmus enim certos unius contrarii gradus, cum certis alterius stare, & gaudere, cum aliis non posse, quasi non sint contraria: ut cum frigiditate caliditas refracta: & illud certe accidit, quod certus gradus certam ferunt harmoniam, & concentum, ut nulla ab alia separetur; tunc enim unum non est alteri contrarium, licet adsit communis contrarietas: nam solus ille gradus, qui ut octo producitur, cæteris adversatur: qui vero ut septem, non cum omnibus pugnat, sed iis tantum qui supra unum sunt, cum uno autem & stat & concordat; qui vero est ut sex, cum duobus consentit, contrariatur reliquis, qui supra duos sunt: & sic in cæteris concordia aut dissensio observatur.

Sicut in elementis, sic in mixtis, peregrinæ observantur sympathiæ, mirabiles consensus, ex virtute fortasse elementorum in ipsis derelicta: si non formæ tribuitur, aut agendi principio aut nexui, quo mixta copulantur; pleræque enim proprietates emergunt, ex illa mixtione, quæ sunt instrumentorum: aliæ totam substantiam insequuntur, quia nec sunt solius materiæ, neque formæ abstractæ, gentilitiæ: participant tamen de communi consensu, sicut elementa, ut in locatione & nexu universi; & de illo etiam participant quem habent partes inter se, & in toto: nam hæc etiam, plus minusve rarefacta, aut densata, ad loca elementorum in his prædominantium moventur; quo affinia sibi trahunt affinia, similia, similia; & in coloribus hæc aut illa maxime repræsentant, de quo umbras accipiunt, seu de hac aut illa mixtione, plus aut minus, ut patet in coloribus, qui magis aut minus de extremis participant; sunt enim extrema album & nigrum, ex quorum mixtione diversa, cæruleus resultat viridis, aut alius ex mediis coloribus.

Unde quæ trahunt, ut adamas, magnes, & electrum, conveniunt in communi principio, per quod sunt actu talia; in spirituali virtute nempe tractiva quæ est prorsus ignota; non enim talia operantur, per notas qualitates, sed per latens aliud in ipsis principium, quod hanc similitudinem attractionis parit, non in substantia, sed in eo principio: ideo forte ferrum non trahit ferrum, nec adamas adamantem, quantumvis sint in substantia simillima; sic est philosophandum de mira eutrapeliæ forte, mixtum nempe tale, aut tale, apparere, pro ut magis de hoc aut illo colore participat, in mixto aut in medio, per quam repræsentatur, sub hac aut illa locatione; sic viride vitrum omnia viridia repræsentat; idem facit elychnium in oleo viridi accensum, & ex varia albi & nigri mixtione, & varii colores, sicut ex varia gravium & levium proportione, eutrapeliæ variæ & diversæ.

Pleraque etiam præter generalem consensum, & peculiarem sympathiam, ad actionem eliciendam prærequiruntur, si maxime alterius gratia fiant: ut facultas agentis, materiæ aptitudo, & debita & conveniens applicatio, ac justa miscibilium permixtio: nam si plura, aut unum horum deficiat, actio quidem frustratur, aut simpliciter,

aut

aut pro fine proposito; & aliquando major est agentis potentia, interdum minor quam postulat necessitas: ut prius quam inducat formam intentam, aut subjectum absumit aut liquat, aut in vaporem vertit, ut in magia chrysopœia notavimus; ideo magna flamma pabulum moderatum in se ipsam convertit, aquam moderatam absorbet, aut in fumum vertit.

Impediunt etiam actionem quæ sunt natura aut ex eventu contraria, aut aliena: talia sunt quæ ob qualitates contrarias longe distant, aut ob spirituales & occultas, quæ contrariæ sunt; quæ refugere animam faciunt, ut quædam singularis aversio hujus aut illius cibi nobis monstrat: quare oportet illud non ignorare, quod contrariarum mixtionum, contrariæ quoque sunt formæ, & contrariarum formarum, contrariæ quoque sunt spirituales species in repræsentando. Deinde alia inepta sunt, ob substantiæ modum, ut durities, crassities, & mollities, & lentor; quæ certe tractionem aut expulsionem impediunt; & fortasse mixtionem: cumque conveniunt inter se, & agens & materia, sæpe applicationis modus deficit, seu quia ignoratur, aut ob figuram, vias aut foramina impeditur, aut laxa aut angusta; interdum contactum prohibet spiritualis contraria species aut vacui necessitas: mora interdum contactum impedit, & transit actionis occasio: sæpe actioni obstat partium situs, cum applicari nequeunt: propter hæc igitur, non omnia patiuntur.

Mirabiles tamen eutropeliæ ex debita agentis applicatione emergunt; mira est vis argenti vivi, & aëris inclusi in stricto: liquidorum nulli miscetur hydrargyrium, ob pondus fortasse, sed tantum durioribus, & non omnibus illis, sed auro, argento, plumbo, & stanno, quæ sola penetratione liquidiora reddit, de liquidis non curat, sed propter pondus residet: est enim tam fortis mixtionis, ut ad minima reduci queat, quod est plane necesse, ut continuum cum aliis fiat; est enim mirabilis illius compositio & mixtio; in illo enim partes calidissimæ, & urentes, cum frigidissimis, ita inter se in illa mixtione fermentantur, ut possibilem faciant unionem extremorum inter se dissimilium; nam reductis ad tam minimam quantitatem, & ita ordinatis, ut pene sese omnia tangant, & similia juxta similia, & juxta dissimilia sint: quod valde ad continendam mixtionem conducit; & propter ista durioribus miscetur argentum vivum, non liquidis: nam validam duritiem liquefaciunt partes calidissimæ, & penetrationem operantur; pondus autem frigidorum liquidis permisceri non permittit: quare natura symbolisat in communi principio cum auro, & argento, & plumbo, & in eorum poros, & minimas particulas inseritur: & insito & naturali motu & agitatione & movet, & movetur interclusis in stricto.

Ex hoc ipso principio, sanguis hirci mollescere facit adamantem; penetrat enim & se inserit in illius foramina stricta usque ad partes minimas: si non certa analogia, aut spiritu, qui est in ipso principio communi, aut in aëre qui in foraminibus continetur; nam etiam adamas habet aliam sympathiam in eodem principio, qua paleas & surculos trahit: hæc tamen spiritualis virtus in mixtis latet, forte ex mixtione, aut mirabili stellarum influxu, aliis in actu, aliis in potentia.

ARTICULUS II.

Horum consensuum exempla expenduntur.

Postquam ergo philosophis innotuit, quod universæ species rerum movent & inclinant ad se ipsas, ulterius progredientes, experti sunt, quod virtus activa in eis agit, & movet, tam ad se ipsas, quam ad diversas, ut cum ignis movet ad ignem, aqua ad aquam; ex quo Avicenna infert, quod dum aliquid stat in sale, fit sal, & quod stat cum aliquo audace, fit audax, si cum timido, timidus: & animal cum hominum conversatione fit humanum, & domesticum; & generaliter verificatum est, ratione & experimento comprobatum, quod omnis natura movet ad suam speciem: & harum rerum fit nota specificatio in qualitatibus primis, in secundis, & tertiis, & in omnibus dispositionibus; nihil enim quod non movet ad se ipsum, potest secundum totum esse suum; & hæc est radix & principium rerum, & est causa omnium secretorum; quod postquam in mentibus philosophorum fuit insitum, & invenerunt dispositiones entium naturalium, invenerunt postea quod quibusdam entibus inest; insita frigiditas excellens, aliis iracundia, timor aliis, & plerisque audacia, aliis sterilitas, multis innatus amoris ardor; & omnibus innata aliqua virtus, aut secundum totam speciem, aut totum individuum; velut in meretricibus audacia, non per totam speciem humanam. Ex hoc philosophi venerunt super secreta, & grandia mirabilia, cum viderent quod simile simili gaudet, & ad illud movetur, diligit & amplectitur illud; ideo dicunt Medici, quod hepar juvat hepatem, & quodlibet membrum suum simile; & Chymici illud manifeste invenerunt, quomodo natura suo simili gaudet, & illi condolet, & conspirat: & in hoc stat naturæ major mirabilitas operum.

Hoc etiam experimento & scientia constat, quod omnis species naturalis, & omnis tam generalis, quam specifica natura amicitiam aut inimicitiam cum aliis sortitur: & quod omnis species habet aliquid timendum, aut horribile inimicum, vel destructivum: similiter & aliquid exultans vel lætificans, & concordans; nam ovis lupum agnoscit, non tantum vivum sed mortuum, non tantum per visum, sed per tactum: lepus canem, cata murem: & omnia quadrupedia leonem timent, aquilam volatilia, & omnia animalia hominem; homo etiam, serpente repente viso, exhorrescit: & illud est natura comparatum, ut quædam secundum totam speciem, & secundum omne tempus, & alia tantum secundum individuum, & secundum certum tempus; & nativa antipathia est etiam ad totum, & ad partem, in vita & in morte, ut patet in pelle ovis & lupi: nam lupi tympanum, facit tympanum ovis obmutescere, & raucum edere sonitum: & lupi pellis pellem ovis consumit.

Illud etiam patet in illo generali consensu, in quo finis rerum omnium naturalium est homo, propter quem omnia facta sunt, & ipse vincit omnia: ideo homini habent insitam obedientiam omnia naturalia: quia totus homo est mirabilis:

in eo enim sunt omnes conditiones harmoniæ,& calidi & frigidi elementorum temperati; in eo imperat anima immortalis, in qua residet prope divina mens: ideo continet imminenter omnes virtutes rerum, quas ad tempora profert; & adhuc dæmones humanam naturam venerantur; & in humano corpore operantur, omnes secretæ artes,& omne mirabile est in ipso; sed non habet homo omnia secundum idem tempus, sed diversis temporibus, ac diversis individuis; ideo invenitur in eo efficacia omnium rerum naturalium, insensibilium & vegetabilium, quarum virtutes continet imminenter, in verbis,operibus,& imaginationis efficacia; sed quæ sunt partis ad partem, non declarantur ratione, sed experientia; illa tamen quæ potest operari, non operatur, quia nescit quando illam diligenter mens certificat; & ideo rem contemnit de qua usum non habet; nec omnis sapiens omnes rerum proprietates callet: tot enim mirabilia sunt in aqua quot in terra,sed sunt plane diversa;& tot in hyoschiamo, quot in pipere.

Est etiam mirabilitas rerum ab stellis,& aspectibus, à quibus virtutes occultas contrahunt admirabiles secundum diversas mixtiones patibilium,& interdum efficaciam operandi rem mirabilem; nam res omnis habet propriam figuram cœlestem sibi convenientem, ex qua ei mirabilitas accidit operandi; inde est amicitia & dissensio rerum; inde philosophis cœperunt omnes experientiæ; sed non omnibus, dixit Plato, sed clarissimo ingenio expeditis, & entium naturalium scientibus,& figuris stellarum peritissimis. Nam qui doctus non fuerit scientia naturali, Necromantiæ, qua immaterialis substantiæ,& spirituales proprietates & species noscuntur,quod est in rebus de bono & de malo, artem nequibit intelligere, neque philosophorum experimenta verificare. quia hæc omnia pendent à figura cœlesti, quæ cuique correspondet; in hora generationis & interitus, secundum victoriam, gaudium, aut tristitiam rerum; jubent enim isti viri omnia ista fieri certis diebus, certis conjunctionibus & separationibus aut ascendentibus, à quibus virtutis efficacia, sermonibus & præparationibus herbarum, impartitur: quin etiam & imaginationis imperio.

Plato, mirabilitas rerum,dixit,exit à rebus secundum modos valde diversos: plerunq; per utilitates cœlestes, ipsis rebus impressas: interdum per calidum & frigidum, amicum & contrarium: interdum per dæmonum virtutes & geniorum; aliquando per artem Necromantiarum naturalium; per artem, nempe, applicandi eas ad opus necessarium: plerunque per virtutes alias rebus insitas, cum suis formis substantialibus; ac tandem per relationes, quæ sunt in rebus invicem, veluti per specula, certa lege opposita, & per opus mirabile Telescopii; per quæ in rebus apparent mirabilia: & verum æmulantes eutropoliæ: quæ res plerunque per se faciunt unum: per accidens, contrarium: aliquando directe, interdum indirecte, per veram dialecticam & astrologiam; quas qui ignorat, philosophorum thesaurum non communicat, ut asseruit Plato: debet enim arcanas agnoscere virtutes, quæ consistunt in mobilitate, constructione, in modo substantiæ, & in convenientia cum aliis; ex quibus rebus naturalibus est principium mirabilis effectus; hæc si teneas, tibi patebit aditus ad mirabilia Medicinæ, ad arcana magica & Necromantica; & secundum diversum modum tuæ excogitationis & solertiæ, varia etiam tu poteris effingere; & intromittam te ut te ipsum adjuves, & præpares ad recipienda quæ dicam, aggregata & collecta ex philosophis & diversis antiquis. Et illa mente tene, gnarus, quod res calida calidas passiones per se movet, & adjuvat, & per accidens & indirecte, frigidas.

Quare ut varia tibi innotescant experimenta, primo illud attendas decet, de rebus quæ parantur an calida, an frigida sint: & quæ proprietas & dispositio illis sit naturalis & coæva; & utrum in agente sit audacia, timiditas,amor,odium,fœcunditas, aut sterilitas; quia qualem naturam unum quodque entium sortitur, talem actionem imprimit, & communicat iis quibus associatur; nam illa sibi assimilat:ut leo,qui habet audaciam naturalem, & maxime in fronte & in corde; ideo qui associat sibi oculos leonis,aut cor, aut pellem quæ est inter duos oculos; vadit ubique audax & intimidus: & incutit timorem cæteris animalibus; nam in leone est virtus communicandi audaciam, & magnanimitatem; similiter in meretrice est audacia interminata individui ratione, non ex natura: ideo dicunt philosophi, quod si quis induat camisiam meretricis publicæ, aut se inspexerit speculo, aut illum secum duxerit, quo se ipsam speculatur, quod mirabili audacia fulcitur, & omnem timiditatem excutit: similiter in gallo est audacia magna, ut philosophi dicunt, quod leo in illius aspectu obstupescit,& pavet,& ideo si quis illius cor portet, vadit audax: idem considera in quocunque animali audaci: idem etiam suo modo communicat & sterile animal per naturam, & est efficax ad sterilitatem inducendam, aut per se, aut per accidens: ideo pellis muli aut mulæ, associata, steriles facit & viros & mulieres: idem parit & fœtus abortivus, & homo ex natura aut eventu eunuchus; quoniam omnibus his est insita & nativa sterilitas; & assimilant sibi in hoc aut virum aut mulierem,quam associant sibi, seu intus sumpta, seu ad extra supposita; veluti si corio muli renes, aut corpus per transversum alligatur, aut pulvis renum masculi, aut matricis fœminæ in aqua propinentur.

Si vero est animus amorem concitare, philosophi attendunt quod maxime diligit animalium; & qua maxime hora, aut tempore stimulis incitatur concupiscentiæ, quia in ea est potentior vigor, ut illum, cui associatur ad amorem, provocet; & sic ex illo animali accipiunt testiculos, aut partem in qua maxime viget appetitus amoris, seu sit cor, testiculi aut matrix; & de his partem exhibent illis, in quibus intendunt amorem provocare; ex masculo ad fœminam, ex fœmina ad virum, ut fœminæ masculi testiculos; cor & matricem viris: alii exhibent menstrua & secundinas; (fœda sane auxilia, & non à veneni suspitione aliena.) Et si quæras, an virtus mortuo animali remaneat; illud non dubitabis,si consideras, quod proprietas illa sequitur mixtionem elementorum, cœlesti influxu coagmentatam, quæ remanet in mixto mortuo animali. Patet, nam hepar

hepar juvat hepatem, pulmo pulmonem mortuo animali; chelidonia juvat oculos è terra avulsa,& exsiccata: & morsis à crocodilo, est auxilium adeps ipsius animalis, & à phalangio emortuum applicitum phalangium, si credimus Galeno *de Theriaca ad Pisonem*, 10. quia etiam hirundo multum diligit, ut dixere philosophi, ideo quoque ad amorem concitandum deligitur, ut turtur & columba; sed omnium maxime passer, in illa maxime hora quando illa capiuntur amore; tunc enim maxime provocant, & inserunt amorem, forte ex influxu cœlesti, qui tunc temporis species, quas in prima mixtione inseruit, concitat, & ad actum deducit.

Idem etiam considerant in herbis, nam illas evellunt & propinari imperant, cum vigorem potiorem accipiunt ab influxu cælesti, qui illis correspondet ex motu peculiari stellæ, aut planetæ in exaltatione: & hoc per tempus noscitur, quo hujus herbæ virtus, vigor, & splendor, elucet; habent enim sua tempora herbæ: & hinc forte ortum traxit, ut Hypericon, verbena, & filicis semen, (nostro idiomate *el grano de helecho*) in die Sancti Joannis Baptistæ, apud omnes nationes festivo colligantur, & ad amorem inducendum propinentur.

In hac linea etiam illud experimentum protulerunt: ut faciant loquacem hominem, de corde, aut de lingua canis parum bibere imperant: ut faciant delectabilem, & fœcundum, philomelam associant: judicant enim virtutem seu proprietatem naturalem, quæ in aliquo entium reperitur, secundum excessum naturalem assimilare, promovere aut inclinare dispositum ad illud, ad quod vigor naturalis inclinat; & illud posse magis juvare quam nocere, si hora exultationis & influxus applicentur: est enim illud insitum à natura, & omnis virtus quantum est in se, movet ad simile, quando fortiores exerit vires.

Dixit Plato *lib.* 1. *regiminis*, quædam sunt, sensibus manifesta, de quibus non est ratio inquirenda; & quædam sic rationi patent, à contrario, ut sensuum adminiculo non indigeant: in primo genere entium, nulli nisi experientiæ est credendum; nec ibi est inquirenda ratio, nec experientiæ satisfactio deneganda: in secundo entium genere, sensuum suffragia non expecta, quia neque possunt, nec valent persentiri: quare quæ sola monstrat experientia, illis sine ratione est credendum, cum omnes humanos sensus lateant; & quæ sola ratio demonstravit, soli est credendum rationi, quia illa omnem superat sensum. Hoc patet in magnetis exemplo; ita enim manifeste trahit ferrum, ut nulla hæc experientia ratione indigeat. Sic pariter in aliis debemus judicare, quantumvis mirabilia videantur, nec omnino negare quod videtur extra nostram capacitatem exultare; licet nulla sit ratio assignabilis: quia causæ omnium mirabilium sunt latentes; nec omnes patent humano intellectui: videmus quod magnes trahit ferrum, charabe paleas, alius quidam lapis trahit vitrum: sic in aliis entibus sunt sua mirabilia, jam per experientiam comprobata, quæ nullus prudens negabit, & tamen illorum causas ignoramus: in palma est masculus & fœmina; & si prope ferantur, fœmina ad masculum inclinat, & certo tempore folia cum ramis molliora, redduntur, certa amoris lege: & si per funes ad invicem ligantur, erecta supra seipsam fœmina mascula adaptatur, quasi per funis continuationem ad illam communicetur virtus masculi: hoc etiam in omni vegetabili considera; quis hæc mirabilia negabit; si vel ad sensum patent; quædam tibi narrabo ut credas quæ nulla ratio comprehendere valet, & alia quæ nullus sensus non percipit.

Dixit filius Mesue, *libro de animalibus* Si induit vestimentum viri mulier fœta, deinde induat ipsum vir, antequam ipsum abluat, recedit ab ipso febris quartana: & si qua mulier te ligavit veneficiis, inquit, ad amorem suum, & vis illud dissolvere, accipe camisiam suam, & per capitium ejus minge foras, & per manicam ejus dexteram: & non curabis de ea; hæc Mesues. si quis illa de superstitione suspecta judicaverit, pactum renuntiando, (ut nos antea fecimus) peregit partes suas; & in eodem libro de animalibus legitur, quod leopardus fugit ab hominis cranio ut ab hoste, & *in lib.* Galeni *de Theriaca* legimus, quod regulus, (serpens venenosus,) solo visu & sibilo, omne animal & hominem interficit. Rhabarbarum scimus trahere bilem; agaricus pituitam singulari sympathia & analogia: parvus pisciculus echenis navem detinet: chelidonia juvat oculos; Galenus *lib. de Simpl. facult. cap.* 4. mirabilem historiam enarrat de quadam herba, quæ singulari analogia sanguinem attrahebat, quod nullum antea nec postea expertum legimus. Auctor est Aristoteles, ut qui sedet super pellem leonis, quod recedunt ab eo hæmorrhoïdes: & si tumentes adhuc mero vino lavantur, & pulvere priapi & testium tauri aspergantur, quod desiccantur adeo, ut brevi persanentur; non sola siccitate, sed peculiari etiam analogia.

Plerique philosophi dixerunt, si annularem digitum abortivi pueri suspendat super se mulier, quod non concipit, donec super ipsam permaneat: nec etiam concipiet, si bibit arietis urinam, aut leporis sanguinem; & si stercus leporis suspendatur super mulierem, non concipiet donec permaneat super eam: dixerunt alii, si caput capræ super habentem scrophulas suspendatur, quod sanatur per ipsam; & si rarum arsenicum accipias, & alumen, & bene triturata cum succo sempervivæ, & felle taurino excipiantur, & hoc manus illinas, ignem sine læsione tractare, & portare facile poteris; ut & ferrum ignitum, ita illæsa carne, ut illud manus tuas non comburat.

Ex principiis naturalibus etiam mirabiles necromantiæ eutrapeliæ, sub variis apparentiis tibi videre dabitur. Et primo ut homines in domo sedentes, aut stantes sine capitibus appareant; accipe sulfur citrinum cum oleo, & pone ipsum in lampade, & illumina cum eo in medio hominum, & videbis mirabilia. Dixit Balbinus, qui posuerit portulacam super lectum suum, non videbit somnia nec visiones. Dixit Tabariensis, si lingua upupæ suspendatur super patientem oblivionem, quod reddit illum memoriosum. Et legitur in libro Cleopatræ; Si mulier non delectatur viro suo, accipe medullam lupi, de pede sinistro, & portet eam vir, & nullam diliget præter eum. Ibi etiam legitur, quod si accipitur coxa strutionis masculi, sinistra, & bulletur cum oleo,

deinde liniuntur cum eo origines pilorum, quod nunquam renaſcentur: deinde ſi ſpolium ſerpentis ſtringatur ſuper ancham mulieris fœtæ; quod accelerat partum. dicunt alii, quod ſi quis gerit oculum lupi, hoc juvet ad victoriam & audaciam; & ad debellationem & timorem contrarii.

Si vis ut tibi referat, quod fecit vigilans mulier, aut puella, inter ſomnia; accipe cor columbæ, & caput ranæ, & exſicca illa, & ad pulverem redige, & pulveres ſparge ſuper pectus dormientis; & narrabit tibi omnia. Scripſerunt philoſophi, quod ſi quis ponit adamantem ſuper caput dormientis mulieris, quod manifeſtat ſi ſit adultera: quoniam ſi ita eſt, reſilit territa de lecto, & non amplexatur virum ſuum cum gaudio. Et ſi ſuſpendatur cor upupæ, aut oculus, aut cerebrum ſupra ſe ad collum, confert oblivioni, & hominis intellectum ſubtiliat. Et ſi ſuffummigetur domus cum ungula muli ſiniſtra, fugiunt muſcæ è domo.

Si mulier non valet concipere, accipiat de cornu corvino pulveriſato, & miſceatur cum felle vaccino, & teneat mulier in actu matrimonii, & ſtatim concipiet. Si vis ſcribere literas quæ non leguntur niſi nocte, ſcribe cum felle teſtudinis aut lacte ficus, aut cum aqua vermis illius quæ in nocte & in obſcuro lucet; & pone cartam ad ignem, & leges illam.

Si te delectant Eutropeliæ & has velis effingere, ut homines ſine capitibus appareant, accipe ſpolium ſerpentis, auripigmentum & picem græcam, reuponticum, & ceram novam apum, & ſanguine aſini, tere omnia & mitte in rudi olla & aqua plena, & ebullire facies ad lentum ignem, & poſtea demitte frigeſcere, aqua conſumpta, & facies cereum ex illis quæ in fundo ollæ relinquuntur, & accende illud; nam omnes quos illuminat, apparent ſine capite.

Ut homines capita animalium habere videantur, accipe ſulfur vivum & lithargyrium, & iſtis ſimul pulveriſatis, ſparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virgine quæ permixta ſit cum felle illius animalis, cujus caput vis ut appareat, & qui habent candelas, accendant de lampadis igne; & capita illius animalis habere videbuntur.

Præpara vinum cum valdimonia, infuſione nempe, per horas 24. de quo vino qui biberint, ſuadentur ſe habere capita animalis. Ut homines videantur habere vultum canis, accipe adipem de aure canis, unge ex eo parum de bombicino novo, pone in lampade nova de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernent vultum canis. Si vis ut ampulla ſaltet, aut vas ſtricti oris; accipe argentum vivum, & pulverem calamintæ, & mitte in ampullam vitream, ligatam & ſigillatam, & illam pone intra rem calidam, & mox argentum ſe movet, & facit ampullam ſaltare.

In nido upupæ invenitur lapis diverſorum colorum, hanc, dixere veteres ſapientes, ſi tecum deferas, quod te reddat omnino inviſibilem. Ut homo invalidus reddatur, & eunuchus, accipe vermiculum qui noctu in æſtate lucet, & in aqua & ſucco limonum diſſolutum da ei bibere. Ut mulier loquatur totum quod die fecit; ranam aquaticam comprehende vivam, & tolle ejus linguam, & demitte illam ut ad aquam ſuam revertatur, & pone illam linguam ſuper latus cordis fœminæ dormientis, & interroga illam, & omnia narrabit quæ in die peregit. Si vis aliquem in ſomno expaveſcere, capiti ejus impone pellem ſimiæ.

Ut homines videantur elephantes, aut equi, accipe de alchechengi parum, & tere & miſce cum pinguedine delphini, & fac ex eo grana ſicut citri; Deinde ſuffumiga ex eis ſuper ignem ſtercoris vaccæ quæ mulgetur, & non ſit in domo locus per quem egrediatur fumus, niſi porta, & ſit larga de intus; nam omnes qui ſunt in manſione, quaſi elephantes videbuntur, aut equi. Ut videantur formæ multiformes & alia mirabilia appareant; accipe tima, id eſt, vermilium & lapidem laſuli; & pulegium montanum, & pulveriſa totum, & cribilare facies, & confice cum pinguedine delphini, vel equi, vel elephantis, & fac grana in modum ciceris, & in umbra exſiccari permittes, & ſuffumiga, quando volueris apparentias videre.

Ad prænoſcenda quæ ventura ſunt, alia ſuffumigatio imperatur: accipe ſanguinem aſini coagulatum, & pinguedinem lupi cervini, & ſtiracem calaminthain, & miſce ponderibus æqualibus, & confice grana, & ſuffumigetur cum eis domus, & in ſomno, mira videbis de futuro ventura.

Lichinium, ad videndum homines in alia figura, & qua forma deſideras, accipe oculos bubonis, oculos etiam piſcis qui dicitur *aſſeres*, & oculos piſcis qui dicitur *libinitis*, & fel luporum, contrita illa omnia manibus commiſce, & pone ea in vaſe vitreo, & cum vis operari, accipe pinguedinem cujuſcunque beſtiæ, quod fiat hoc in forma ejus: liquefac eam & permiſce cum ea medicina, & inunge ea elychinium quodcunque vis; deinde accende ipſum in medio domus, & videbuntur homines in forma beſtiæ cujus pinguedinem accepiſti.

Lichinium aliud ut homines appareant in forma angelorum; accipe oculos piſcis, & oculos *filoë*, id eſt frangentis oſſa; & contrita eos in manibus malaxando, & pone eos in vaſe vitreo ſeptem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipſum coram hominibus qui ſunt in cubiculo, & apparebunt angeli. Ut appareant homines nigræ faciei, accipe lampadem nigram & in funde in illa oleum ſambucinum, vel argentum vivuum, & infunde in iſto aut in illa parum de ſanguine phlebotomantium, & accende lampadem cum pannis nigris intinctis in illo, & videbis mirabilia cum ſe ad invicem aſpiciant. Ut appareat homo terribilis cum virga in manu ſua, accipe ranam vivam, & decolla eam ſuper pannum exequiarum viridem, madefac ipſum in oleo ſambucino, & pone ipſum elychnium, & illumina cum eo in lampade viridi, & videbis nigrum infantem, inter cujus manus ſit lampas.

Lampas alia, faciens apparere homines in forma horrenda, quæ terrorem incutiat; Sic conficies: accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non ſit albedo, & aliquid ex pinguedine ejus, liquefac pinguedinem, deinde accipe pannum exequiarum, & fac ex eo lychinium, & illine ipſum cum eo quod feciſti, & illumina cum illo in lampade

pade viridi, cum oleo ſambucino: & accende ipſam in domo, & videbis magna.

Aliud ut videatur tota domus plena ſerpentibus, & imaginibus, accipe pinguedinem ſerpentis nigri, & ſpolium ſerpentis nigri, & pannum exequiarum, & fac lichinium ex illo, deinde line ipſum cum illa pinguedine, & pone ſpolium ſerpentis in concavo lichinii, & illumina cum oleo ſambucino, in lampade viridi, aut nigra.

Lampas alia quæ accenditur & oleo extinguitur; accipe calcem vivam, & æquali pondere ex cera, & medietatis ejus ex oleo balſami, & nepeta citrina, cum æquali portione ſulfuris, & fac lichinium, & deſuper irorabis cum aqua, & accendetur ignis; poſtea projice ſuper illud oleum, & extinguetur.

Ut omnia alba vel argentea videantur, accipe lacertam, abſcinde caudam ejus, & accipe quod exit ſimile argenti vivi, deinde accipe lichinium & madefac cum oleo, & pone ipſum in lampade nova & accende; & domus tota argentea videbitur.

Lampas quam quis tenuerit non ceſſabit pedere, dum eam tenet: accipe ſanguinem teſtudinis, & exſicca illum ſuper pannum lichinii, & fac ex ipſo lichinium, & accende ipſum in lampade, & dabis ipſum cui vis, dicens *illumina*, & non ceſſabit pedere, donec tenuerit.

Si vis ut ranę omnes ſileant, in ſtagno aut fluvio, accipe pinguedinem crocodili & confice ipſum cum cera ad ſolem, alba, & fac ex eo lichnium, & in lampade illumina cum illo in loco ranarum, & tacebunt omnes.

Ut appareant homines ceu imagines & lampades, accipe Zimat, & tere bene, & accipe pannum funeris & madefac ipſum in pinguedine piſcis, cum oleo ſeſamino puro, & pone ipſum in lampade viridi, & pone ſuper ipſum ex illo medicamine contrito rem parvam, & fit mirabile.

Aliud ut cum accenditur, faciat ſtantes ſaltare, exultare, & prę gaudio inſanire, accipe ſanguinem leporis, & avis quæ dicitur *Solon*, & eſt ſimilis turturi, & æquale medietatis ejus, de ſanguine turturis maris, infunde in eum lichinium, & illumina cum eo in medio domus, ubi ſint cantatrices puellæ.

Ut ſtantes & ſedentes in domo, extenuati ac macilenti appareant; accipe locuſtam citrinam, & exſicca ipſam, & pone in panno exequiarum, & incende ipſum oleo ſambucino, in domo ubi ſunt omnes illi.

Ut domus univerſa, aut corpus, aut pars illius ignis flamma accendatur, abſque ulla læſione, accipe malvaviſcum album, confice cum albumine ovorum, deinde line cum eo aut corpus aut partem aliquam, & demitte donec exſiccetur; deinde line te cum albumine, & poſtea pulveriſa ſuper ipſum ſulfur ſubtile, cum igne accende: & non comburetur corpus, nec te lædet: vel accipe gluten piſcis, partem unam aluminis æqualem, miſceantur, & fundatur ſuper illa acetum vini, & conficiatur cum eo quod vis; & cum hoc lenimento leniatur, & non comburetur in igne; vel addito etiam de ſanguine Salamandræ, & in vola manus ignem portabis abſque læſione, neque res ad ignem projecta comburetur.

Ut lampadem aperta manu extinguas, & clauſa accendas ſuper illam; accipe ſpeciem quæ dicitur ſpuma inda, tere eam, & confice cum aqua camphuræ, & line cum ea manus tuas, deinde aperi eam in facie lampadis accenſæ, in debita diſtantia, & extinguetur lumen ejus; claude deinde manum, & reaccendetur.

Si vis libros clariſſime legere in nocte obſcuriſſima, & quæcunque aſpicere clara diſtinctione, unge faciem tuam cum ſanguine veſpertilionis.

Si vis ut fructus ſponte ſua decidant de arbore ſua, ut de citro, aut alio: accipe ſulfuris citrini quinque partes, totidem nigri, duas albi, hæc omnia cum cinabrio miſce, & contere, & fiat ſuffumigium, & ad truncum arboris ſuppone, & omnes cadent fructus.

Si vis manu tua portare ignem ſine damno, & ferrum ardens tractare; accipe calcem diſſolutam in aqua fabarum, calida malvaciſci parum cum albumine ovi, & aliquantulum magrunculis, line volam manus, permitte exſiccare & pone ignem ſuper eam, & non tibi nocebit: vel accipe gluten piſcis, alumen jumenum, ſanguinem ſalamandræ, foliginem furni, vel lebetis, & cum albumine ovorum & malviviſco permiſce, aut ejus ſucco, ut fiat lenimentum, quo ungatur pars, & non nocebit ignis.

Ut domus aut cubiculum appareant ſerpentibus plena, accipe de pinguedine ſerpentis, & parum ſalis pone in ea, & accipe pannum exequiarum, & ſcinde ipſum in quatuor fruſta, & in totidem pinguedinem, & pone ipſam in omni panno; & ſic facies quatuor lichinia; quæ accendes in quatuor angulis domus cum oleo ſambucino in lampade nova, & fiet quod dixi.

Ut res mirabiles appareant in domo, veluti viridaria, res virides, & paſſeres, & aves: accipe pannum exequiarum recentem, & pone eo cerebrum avis & pennas caudæ avis, & involvendo, fac ex eis lichinium, & pone ipſum in lampade nova viridi, accende ipſam in domo, cum oleo olivæ, & res domi fient virides, & nigræ.

Ut domus plena imaginibus terrificis, & ſerpentibus plena videatur; accipe cutem ſerpentis, & ſanguinem alterius ſerpentis maſculi, & adipem alterius ſerpentis, & aggrega illa tria, & pone ea in panno exequiarum, & accende ipſa in lucerna nova & videbis magna.

Ut facias lucem ambulantem, accipe cutem lupi & cutem canis, & fac ex utriſquę lichinium, & accende ipſum cum oleo olivæ, & ſtatim movebitur.

Aliud pene mirabile, ut ferrum ignitum portes, & ſuper ambules ſine læſione; accipe ſuccum bis malvæ, albumen ovi, ſemen pſylii, & calcem, & pulveriſa, & confice cum ſucco rafani, ad modum lenimenti; quo totum corpus illine aut volam manus, aut pedum plantas, & permitte ſiccari; & poſtea iterum illines, & audacter poteris ignem, aut ignitum ferrum ſuſtinere: & ſi vis ut videatur ardere illud ignitum, ſparge ſupra de ſulfure vivo bene pulveriſato, & videbis comburi ſine noxa: vel cum aqua fabarum calida calx diſſolvatur, & modicum terræ rubræ de Meſina, poſtea parum malvaviſci adjicies, quibus ſimul mixtis, palmam illines, & ſiccari permittes; & ignem portare poteris.

Si vis ignem Græcum parare qui non extinguitur, nisi urina, aceto, aut arena: accipe, sulfur vivum, tartarum, sarcocolam, picolam, sal coctum, petreolum, & oleum commune, fac bullire bene; & postea quidquid in eo imposueris, accendetur, seu lignum, seu ferrum sit.

Ad varios usus, aquam ardentem hoc modo parare facies; accipe vinum nigris potens, & vetus, & in quarta parte ipsius distempera calcis vivæ, sulfuris vivi, pulverisati, tartari, vini albi, salis communis grossi, cujusque parum pone in cucurbita bene obturata cum luto, & desuper posito alambico, aquam ardentissimam distillabis, quam vase serva vitreo.

Libri omnes, in membranis scripti, in quibus rerum naruralium mirabilia ab Adamo, ut infusa sapientia adornato, posteritati erant deposita; omnes pene diluvio universali periere: si quos postea Noa filiis commendavit, qui potius in orbe reparando studuit, hos temporum & cladium ruina alta oblivione sepelivit: postea Philosophi, & clariores viri, in rerum naturalium contemplatione defessi, ceciderunt; ex illis parvæ tantum quædam luces, veluti à longinquo scintillant; ex quibus hæc haud certe mediocri labore colligere decrevimus; & qualia ab illis accepimus damus talia: nec in illis deficit ratio naturalis: nam maxima radix experimentorum naturalium stat in hoc, ut eligatur materia paratissima ad illum quem optamus effectum, & agnoscatur agens aut debilis, aut fortis, ut etiam rerum proprietates & analogiæ; agentis & patientis efficacia, & debita distantia: ut cum videmus quod aqua accendit ignem, causam talis effectus debemus perpendere; ut activitatem agentis & passi dispositionem, ut talem actionem recipiat, aut per se, aut per accidens. quod si prius attendas, non miraberis.

Hæc omnia mirabilia hoc unico exemplo palam fient; si vis facere carbunculum aut rem lucentem in nocte; accipe de rebus quæ majorem lucem participant, ut nocticulas lucentes multas, & ipsas contritas pone in ampulla vitrea, & claude & sepeli illam in fimo equino calido, & demitte per 15 dies, postea distillabis ex illis aquam, per alambicũ, quam in vitro chrystallino depone; hæc aqua talem claritatem affert, ut in noctis obscuro, & legere & scribere possis illius sola luce. Similis fit etiam ex nocticulis felle testudinis, felle mustelæ, furonis & canis aquatici, & in fimo distillantur. Volans ignis sic agitur; accipe sulfuris, carbonis, salis communis & petrosi, & in tunica de papyro volanti in pulvere ponantur; sed hæc omnia mirabilius facit tormentarius pulvis. Multa excogitavit Paracelsus; & tam nova quotidie videntur pullulare, ab hujus fœlicissimi sæculi studiorum ingeniis; ut hæc jam pene obsoleta videantur.

ARTICULUS III.

De admirabili imaginationis efficacia, & potentiarum magica sympathia.

Mira est etiam imaginationis vis & efficacia, non tantum ad producendos mirabiles effectus ad intus, sed etiam ad extra: omnis illius cognitio per spirituales species celebratur; spirituales dico respective, respectu aliarum, quæ sunt magis corporeæ; repræsentant enim illæ non tantum res quarum sunt species, sed etiam rerum modos & figuram, situm, locum, magnitudinem, motum, & quietem, simile aut dissimile: sed inter modos illos, sunt maxime intrinseci, convenientia & disconvenientia ejus quod animæ offertur: res enim oblata in anima recipitur, ut amica & conveniens, seu veluti ingrata & disconveniens: & hi sunt primi & simplicissimi consensus, & dissensus phantasiæ, & imaginationis: è quibus duo etiam effectus primi & simplicissimi producuntur in anima; rationes nempe convenientiæ, aut disconvenientiæ.

Ex quibus etiam duo alii effectus ab anima in corpus producuntur: constrictionem nempe & dilatationem; quippe recepta ingrati & disconvenientis specie, fit animæ constrictio, & in membro ex animæ imperio, quod magis ab illa disconvenientia lacessitur, eadem experitur; recepta vero grati, & convenientis specie, laxatio & dilatatio animæ accidit & in membris maxime, quæ illi delectationi serviunt; sed hi motus ab anima incipiunt, & in membris certe recipiuntur; anima enim est principium motus, quia forma; & illi est coævus, quod spiritualis, in Platonis doctrina: *Nam quidquid à se movetur*, inquit, *& principium motus ab alio non sortitur, spirituale est: quo animæ immortalitatem probare nititur.* Non ergo repugnat habere varias habitudines ad motum; continet enim virtute & imminentia, quod in prædominio elementum; & qua forma cognoscens dirigit, ad cognitionem motus, semper ad conservationem, seu fugiat, seu amplectatur, conveniens, seu disconveniens.

Dilatatio autem, & constrictio membri, seu quomodolibet motus imperetur ab anima, debet fieri mediis spiritibus ad noxam fugiendam, seu amplexandum utile; quo in opere est certe concitanda irascibilis, aut concupiscibilis potentia, quæ corpora conservant & tuentur, in quarum concitatione, & sanguis & cæteri corporis humores commoventur; quo cernimus miras in corpore passiones concitari, tristitiæ, gaudii, odii, aut amoris: & inde varias ægritudines ab anima in corpus refluere, ut etiam animadvertit Plato, temperiem everti: ac varias fieri transmutationes in rebus, varii docuerunt eventus, & enarrant historiæ, quibus otium non suppetit: tu vero has per otium leges in Marcello Donato, *lib. 2. de Hist. mirabil. cap.1.*

Omnis species quæ in anima recipitur, aut est sub ratione convenientis, aut disconvenientis: ad has autem, aut constrictione aut dilatatione corpus movetur: ab his etiam & alii deinceps fiunt, & admirandi motus, in eodem membro aut aliis annexis, quibus maxime species dirigitur; quippe accepta nocentis specie, & facta constrictione, sæpe paulo post dilatatio quoque fit, & sæpe tam vehemens & subita, ut inde admirandi & sæpe contrarii effectus pariantur; siquidem constrictione fit, ut tangatur nocens, secundum minimum quod potest: dilatatio vero mox fit, quoniam illud quod tangit, diu ferre non valet illum contactum: tum quia ut mixtum vim patitur nimis adstrictum, tum quia ut sentiens eo

in situ

in situ persistere non potest; quibus de causis repentina laxatio fit, & sæpe tanta, ut excutiatur nocens: quod si excuti non datur, sed necessario instet & insistat, tunc alternatim fit nunc dilatatio, nunc constrictio: & sic aut membrum movetur, & quiescit, aut motu tremulo agitatur, composito ex dilatatione & constrictione; ac ideo mirabilia in timore observantur: & varia in delectatione: diversa in verecundia; quibus & sanguis & spiritus, & cæteri humores quadam veluti necessaria consequentia, aut foras expanduntur: aut ad intus repulsi in cordis involucris, in sinubus, & vasis coërcentur; ut non sit mirum, si sibi miseram asciscat mortem, aut noxam inferat, qui rem cogitat miserabilem, aut futuram prævideat miseriam, aut mortem, ad vehementis passionis excessum.

Pleraque etiam phantasia confingit, ex animæ imperio, veluti in vehementis passionis, aut desiderii excessu, ut prægnantibus accidit, quarum in filiis delinquuntur veteris vestigia mali, ante desiderati: & signa rerum quas vehementer cupierunt: sic enim perinde accidisse adnotavit Hippocrates; (horum nec vana fides) *libro de Superfœtatione* ante medium; *si qua prægnans*, inquit, *terram edere concupiscat, aut carbones, eaque vehementer edat, in capite pueri, ubi natus fuerit, signum à talibus apparet*. Videtur enim labem in sanguine contractam, in pueri membra medio facultatis formatricis descendere. Siquidem percepta à cogitatrice convenientia, anima imperat appetitui, is, ex illis quæ in corpore sunt, quod novit proportionatum, movet, præcipue in sanguine, ex quo cum nutriatur fœtus, signa infecti alimenti relinquuntur, & maxime coloris, quo fit, ut signa maxime rubentia in corpore supersint: ut & alia signa ex patre, aut ex matre, in forma aut figura, aut forte rei conceptæ vehementer, quam facultas formatrix, in hoc aut illo semine derelicta, ex forma appetitus delineat; & impressa demittit ex animæ imperio.

Nec illud erit mirum sapienti, cum videat, ex sola imaginationis efficacia, castissimam mulierem intuentem Æthiopem depictũ, filium veluti Æthiopem genuisse: nam hæc, & pleraque alia mirabilia, formatrix facultas delineat in semine deposita in virtute parentum, prout excessus imperat, & intenta cogit imaginatio; hæc enim videtur in corpore talem mixtionem producere in sanguine, & cæteris humoribus, ut non ad colorem tantum, sed ad formam & figuram, quam intendit, disponat; non in proprio subjecto tantum, ubi anima imperat, sed actiones ad extra producendo: hæc enim omnia habent præexistentiam in naturæ arcanis, sub hac aut illa mixtione, prout enti producendo conducit; naturæ enim vis atque majestas in omnibus momentis fide caret.

Nec est minus mirabile quomodo phantasia cæteris membris imperet, & consentiat; sub convenientia aut disconvenientia rei perceptæ: hoc enim accidit non tantum ex generali & communi consensu, sed ex peculiari hujus animæ in hoc corpore, cujus conservationem intendit: est enim hic consensus, quædam veluti invitantia potentiarum, & maxime cum corde & cum cerebro; cor enim eisdem speciebus afficitur, quibus ipsa phantasia movetur; non quod illas agnoscat, sed quod ab anima cognoscitiva ab illis informata imperetur; cui certe imperio, cor, convocatis spiritibus cum propria attractiva potentia, aut expulsis ab expellente, supra quam credi potest, consentit, & ad opus imperatum concurrit, atque iis, uti suo ministerio famulantibus, utitur: intellectus enim actiones, cordis actionibus consentire, ac illas peculiari consensu movere, quatenus propriæ conservationi conducit, manifestum est. Patet enim, iræ aut odii manifesto exemplo; concitatur ex suppositione intellectus, vindictæ desiderio, ex cognitione injuriæ illatæ; mox cordi communicat species inferentis injuriam, quo protinus sanguis circa cor effervescit, & ira concitatur, & odio vindictæ desiderium; cognito ab intellectu objecto ut disconveniente: nam illa solo consensu cor bona aut mala æstimat, quæ intellectus novit: & auderem asserere, in iis quæ vitæ & cordis necessitati serviunt, phantasiam & intellectum cordi obediri; nam intellectus & cæteræ corporis facultates, in cor velut in finem ultimum ordinatæ sunt, ut Aristoteli placuit & Platoni: videmus enim cum cor à timore terretur, intellectum, & cæteras cerebri facultates, trahere in consensum, & velut ad consilium; ut præcaveatur periculum convocare; nam in suis partibus totum animal & corpus universum movetur variis & contrariis motibus: & tunc intellectus & omnes intellectuales potentiæ in cæca confusione fluctuant, consilii inopes & egenæ: ac nulla interdum operatur, cum vita est in dubio.

Potens est etiam cogitatrix potentia, cum phantasia fascinum inferre, & ad extra producere dispositiones tali humorum commotione, ut potentissime producantur in alio, sub debita distantia, sed non à quocunque subjecto, sed à certis quibusdam viris & mulieribus, quibus à natura datum est tales succas in corpore producere, quorum natura ad venenum inclinat, seu ex corruptione, seu ustione prava; seu indicibili maligna qualitate; nam tales sola vehementia imaginationis succos movent, quibus spiritus ipsi coinquinati, simplici oculorum intuitu, per aërem alteratione per continuum facta venenum deferunt, & imprimunt in corpus alienum; seu visio per intus susceptionem, seu per extra missionem celebretur; seu ex corpore toto (quod vero similius est) spiritus quidam expirent, veneni consortio inquinati, ut facile conceptam labem imprimant, & in corpus dispositum producant; sed magis & valentius odio aut amore intuentes; nam illa intentione longius & intentius spiritus emittunt, & in corpore suo exagitant venenum, ut facile ad actum secundum illa commotione reducatur; nam tales spiritus infecti, certa cognatione & sympathia, alienos spiritus inficiunt, quo elucent, (fere inopinato) in alieno corpore venenosi fascini effectus; in corporis pallore repentina virium concidentia, & invicta tristitia, & in subito & præcipiti casu à prospera salute; quo fataliter postea contabescunt, frustra medicinæ auxiliis tentatis.

Et si adhuc dubitas, posse spiritus contagium deferre, attende quod venenosus aër tempore pestilentiæ, spiritus primo infecit, dum inspira-

tur, quia prima per os defertur ad pulmonem, inde per arterias leves ad cor ducitur, quo primo in spiritibus cordis concipitur contagium; ac ad humores inde communicatur; si non dicimus, non tantum per oculos, sed ex corpore toto venenum exhalare, per insensibilia corpuscula & exhalationes, quæ per poros expirant quibus aër inficitur, inde ad cor pervadit; quorum primum patet experientia in speculo, in quo se intuentur menstruatæ mulieres, quorum intuitu, nitidissimus splendor maculatur; & virentes herbæ menstrui contactu exarescunt; quasdam familias esse in Creta refert Plinius, quæ fascinum *laudando* inferebant, & subito necabant.

Posse etiam virtutes rerum ligari sola imaginationis efficacia, dixit Avicenna, *lib. 6. Natural. parte* 4. quod etiam clare sentit Alguaseli; quod hominum animis inesset quædam virtus, res ipsas immutandi, & quando res aliæ essent obedientes ei, quando nempe hominis animus, fertur in magnum amoris, aut odii, excessum, alicujus talium; *Cum igitur*, inquit, *anima alicujus fertur in grandem excessum alicujus passionis, invenitur experimento manifesto, quod ipsa ligat res, & alterat ad idem quod desiderat*; idem constanter Albertus Magnus, & affirmat & probat, *libro de Mirabilibus mundi in principio*; quem nos totum perlegimus: *Et diu non credidi illud*, inquit, *sed postquam legi libros imaginum, inveni, quod affectio animæ hominis est radix maxima omnium harum rerum; seu propter grandem affectionem alteret suum corpus, & alia quæ intendit: sive propter dignitatem ejus obediant ei res illæ viliores: seu cum tali affectione exterminata concurrat hora conveniens, aut ordo cœlestis: aut alia virtus, quæ quamvis faciat illud, reputamus tamen animam facere.*

Hoc enim facile observavimus, iratos, animæ impetu, homines videmus alios ad iram provocare: & concitatum populum, cæteros in suam opinionem trahere, communi veluti spirituum, aut specierum contagio: & fascinantes mulieres solo intuitu, amore, vel odio, fascinare, ut faciunt *laudantes*; infœlicitas virtute quadam insita misericordiam conciliat: pavor pavorem movet, metus metum; & sicut spiritus benevolos nobis natura dedit in amore, ut amatum moveant ad amandum; sic contrarios in odio produxit, qui contrarias concitant passiones.

Quare clare patet, ligationes, incantationes, promotiones ad iram, amorem, odium, amicitiam, gaudium, aut mærorem, esse consequentes ad grandes affectiones, quas sola interdum parit imaginatio, ex animæ imperio: quod patet vel ad sensum. Videmus enim quod vulgus naturaliter fertur, vel refugit, super res maxime electarum personarum, seu benedictiones, aut maledictiones, tanquam in eis sit virtus, aut qualitas virtuti annexa, quam fugit, aut prosequitur: *Quis ergo, vult scire hujus rei secretum*, (dixit Albertus) *ut operetur illud & dissolvat, intelligat quod ligare potest omnis omnia quæ veniunt in grandem excessum, & ultimatum illius, in tantum, ut superet eos quos ligat; & debet facere hoc in illa hora, in qua invadit eum ille excessus, & cum illis rebus quas tunc sibi dictat anima.* Ipsa enim anima cum sic est avida rei, quam vult operari accipit ex se super horam majorem & meliorem, quæ est super res magis convenientes, ad illud. Ligari maxime possunt, quicunque minus sunt invicem fervidi in amore; si quis sit invicem ligans eos in odio: tunc enim anima ligantis non potest subvincere animum illorum, cum fortius trahant in contrarium quam ipsa: solvunt enim omnia hæc illi qui sunt fortiores in contrario, quam fuerit ligans eos; & hoc in illa hora in qua invadit ipsum appetitus extraneus, & cum illis rebus quas tunc dictat animus; quia semper major excessus animorum ligat, & prohibet alium minorem, aut solvit: quod patet interdum cum electis personis quæ alios inferiores ligant, ut fere illorum in conspectu obstupescant in animo & verbis, ut sæpius legimus accidisse cum Philippo II. severissimo Rege; cum personis inferioris sortis.

Scimus tamen ex hoc, quod quidam ligari non valent, quando sunt magis fervidi invicem, quam aliquis contra eos. Quidam autem solvi non possunt, cum sit contra eos ligantis major excessus, interdum maximus: quidam autem ligantur atque solvuntur, quia inveniuntur aliqui maximi excessus in ligando; quidam vero maximi in solvendo; & universaliter ille potior est in ligando, qui avidius ardet, & ille magis solvit, qui fortius capitur; sive intendit se in illud: faciunt ergo hoc cum iis quæ sibi dictat animus, & tunc in illa hora, & ad illos. Et tu nota illud ad omnia maleficia dissolvenda, sive facienda; nullus tamen ad hoc aptus existit, nisi quem instigat ad hoc faciendum inclinatio naturalis, aut aliquod urgens in eo: ii sunt magis apti ad hoc, quam alii: hoc enim nobis monstravit scientia & experientia, dixit Albertus Magnus.

Hæc enim nos edocuit characterum quinque, & sermonum efficaciam, ad omnem rem quam vult homo, & sunt secundum duos modos: uno nempe jam dicto, scilicet secundum affectionem animæ operantis & ipsius horæ in qua fiunt: & virtutis cœlestis, quæ tunc fit, de necessitate habent efficaciam ad similitudinem animi: & movent quod animus desiderat. Sunt ergo characterum quinque sermones, & omnia juvantia opus animæ: ipsa sunt quæ animus in illa hora, quæ fortius appetit, dictat fieri.

Quidquid igitur dictat animus, fortissime amantis in illa hora de loquelis, de characteribus quinque, & habent efficaciam ad illud. similiter quidquid instigat animus ferociter audientis in illa hora, sive cum consilio & deliberatione, est habens efficaciam destructionis, & discordiæ; & acquirit illud ab anima facientis, seu ab hora, seu à signo cœlesti illius horæ: quia penitus omnis hora in qua tractatur alicui malum, est illi mala & nociva; & quod in ea fit contra ipsum, offendit eum: & econtra in bonis. At tu in hoc caute delibera, in iis quæ pro te, & pro aliis agere volueris; omnia enim super quæ arripit animus inebriatus, destructio rei sunt acquirendæ ad illud, secundum desideria animæ operantis: & secundum hoc est artificium characterum quinque sermonum mirabilium: & iste est modus in quo inventa est efficacia ipsorum omnium.

Mens enim affectat grandi desiderio, sicut arripitur super multiplices sermones, colores & gestus; sic & super characteres & figuras diversas; unde nec ad idem inveniuntur similes omnes characteres, secundum diversam affectionem facientium

cientium eos: & ideo parum aut nihil, nisi auctori eorum, aut ei qui jam incipit inebriari in illo, si esset auctor illorum, prosunt; aut saltem nisi scribatur, super eis intentio operantis ipsorum.

Secundus vero characterum quinque modus, est intendens secundum viam naturalem & probabilem, & habet quandam similitudinem cum eo quod quærit operans: ut si velit amorem, facit figuras amplectentes se, invicem mixtas, invicem aspicientes, se humiliantes, invicem applicatas: sicut anima desiderat res applicare, & unire per amorem: & si desiderat odium, per eas facit ipsas avertentes se, invicem dispares, dissolutas & in contrarium trahentes; quia semper ipsę correspondent intentioni operantis cujus sunt effigies, & vestigia animæ. Et sic anima quæ est magis desiderans rem ipsam, facit eas magis efficaces; & magis habentes similitudinem ejus quod quærit: nam scientia est factio characteris; sunt enim quinque male dearticulatæ, quinque vero sunt characteres bene complexæ & dearticulatæ; unde virtuosiores sunt, magis scientiales atque rationales.

Similiter eorum operatio est in omnibus quæ desiderat anima forti desiderio: omnia enim quæ tunc agit, illud intendens, movent, & efficaciam habent ad id quod anima desiderat. Et secundum hoc verificantur experimenta multorum auctorum, quæ cum audiuntur, reputantur incredibilia; omnino, quæ illi per scientiam didicerunt indefesso labore. Quid simile Festus Pompejus de Sabinis scripsit, *de verborum significatione fol.* 230. verba *Sabini*; quod optant, nempe somniare: unde vetus proverbium; *Sabini quod volunt somniant*: & inde manasse, ait Sinnius Capito, quod quotiescunque sacrificium propter viam fieret, hominem Sabinum ad illud adhibere solebant: nam is promittebat se pro eis somniare; idemque postquam evigilasset, sacra facientibus enarrabat, omne quidquid in quiete vidisset; quod quidem esse ex sacrificii religione: ideo forte Sabini à *Cultura Deorum* dicti sunt: unde venisse videtur in proverbium; *Sabinos solitos quod velint somniare*: sed quia propter aviditatem bibendi, quædam anus mulieres id somnium captabant, vulgatum est illud, quod *anus vult somniat*: fere enim quod vigilantes animo volumus, id dormientibus parere solet. Hæc nobis tradiderunt auctores æternæ famæ desiderio: quæ nisi vera ipsis viderentur, hæc potius illis essent vituperationi, quam nullus libenter intendit; & ubi nulla cogit scribendi necessitas; & eo quod hæc non assequamur, non protinus damnemus: sæpe enim nostrum est vitium, non in rebus, *nec omnibus datur adire Corinthum*, ut est in parœmia. Ignorantia enim causarum, sæpe parit effectus ignorantiæ: ideo tales sæpe negant effectus: rerum tamen difficilium aliquid scire, nulli potest nocere; multum tamen illis abuti. Neque Marcelli Donati rationes aliquid concludunt contra tam ratam experimentisque confirmatam philosophiam, nec contra viros in naturæ arcanis peritissimos. Et dato quod hæc non facile possent ad practicam reduci, non ideo sunt veneficii suspitione damnanda, quando nulla in illis iniqui fœderis suspitio elucet.

ARTICULUS IV.

An characteres & imagines, ab imaginationis efficacia, seu à cœli influxu, operandi efficaciam sortiantur.

Figuras, imagines, & characteres, magicam virtutem sortiri non à sola imaginationis efficacia, sed à superiori influxu, radio invisibili, plerique rati sunt; quos merito Martinus Delrio, vir doctus in sacra Theologia, refutavit: quod pura accidentia influxum recipere non valeant, seu ab imaginatione, seu ab aliqua stella, aut planetarum aliquo: neque cœli influant quid aliud, præter primas qualitates medio motu & luce. Neque enim anima pollet quod cœlum, cujus medio ad nos veniat radius invisibilis, nec ulla alia analogia: nam omnia quæ de cœlis dicuntur, per metaphoram, vel ob aliquam analogiam dici, intelligenda sunt.

lib. 1. Mag. cap. 3. qu. 1. & 2.

Fateor, profecto fateor, quod superstitio de infidelitate periclitatur; ac ideo est omnino de medio tollenda: nec inficior inventores characterum periculosis scopulis allidere; sed Martinus Delrio hos de superstione convincit, nec de impossibilitate efficaciæ; dicendo, quod cœlestes influxus non recipiuntur in puro accidenti, velut in figura, charactere, aut imagine, quibus cœlestis virtus impressa maneat; aut ulla ex arte fabricæ analogia, seu occulta virtus, ex qua mirabiles proveniant effectus, quos auctores promittunt.

Illud est receptum inter Medicinæ patres, & communi doctrina, dies criticos virtutem morbos discernendi accipere ab influxu cœlesti, quibus luna maxime præsidet, radio invisibili, ad bonum vel ad malum judicium, legite Galenum, 3. *de diebus decretoriis* 6. sic dicentem: *Porro illud denuo repetendum est, quod nos quoque observantes verissimum semper esse comperimus ab Ægyptiis Astronomis inventum, lunam non modo ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sint, posse prænuntiare; si etenim ad planetas temperatos steterit, faustos, aut bonos dies producere, si ad intemperatos, graves molestosque.* Quamobrem Hippocrates etiam damnat maxime immutationes quæ in diebus decretoriis ad pejora declinant; quippe quod læthalis morbi symptoma sit, ut benigni, contrarium; & in *cap.* 3. *antecedenti*: *Vehementiores itaque*, (inquit) *mutationes eveniunt, ubi ipsa cum sole coit; insuper in apparitionibus plenilunii, minores his contingunt*: Hoc idem *capite* 4. prosequitur, & usque ad *caput septimum*; manifeste confirmat: Et tamen dies est quantitas discreta, seu pars temporis, & certus numerus, motus hominis ad libitum impositus; nec ideo nos hanc actionem in puro recipi accidenti existimamus: sed quod virtus cœlestis à rebus quæ hoc numero fiunt, determinatur, ad bonum vel ad malum, ut in septimo fœlix accidat crisis, & in sexto infœlix, saltem recidivæ periculo, à materia nempe morbifica, quæ in hac aut illa die commovetur; seu propria irritatione naturam impellente; seu naturæ impulsu & magisterio, jam super illam materiam, pro ut cum benevolo Planeta copulatur, aut aliter, ut ex Galeno antea vidimus. Quoniam tunc cœlestis influxus qui dominatur super talem humorem, qui movetur, deter-

1. epid. sect. 2. text. 25.

determinatur ad talem actionem, non à virtute numeri, septimi aut octavi, sed rei quæ tunc agitur in tali numero; ut etiam determinatur à patibili, sub illa certa materiæ putredine, ex qua vermis producitur; seu à certa elementorum mixtione, ex qua aurum resultat, aut virtus in magnete & echenide; quas non tantum produci æstimamus ex virtute patibilis sed influxus cœlestis, ut ex causa communi & æquivoca.

Nec ideo putamus corpora cœlestia, anima moventi informari, sed forma informanti, hanc incorruptibilem materiam; quæ sit principium & causa hujus peculiaris & invisibilis influxus, præter calorem, lucem, & motum. Qui de hac influxus à patibili determinatione velit ampliorem notitiam, legat *titulum de Natura*, & *de causa dierum criticorum in libro nostro de prognosis fallacia*: ideo enim fausti aut infœlices dies hominibus contingunt, ab influxu cœlesti, ut à causa secunda, quæ à divina providentia hoc accepit; non quod certus dierum numerus quid conferat ad talem actionem, sed quod influxus determinatur à mala aut bona dispositione rerum, quæ his diebus accidunt: nec est omnino Astrologiæ derogandum, quod corpora cœlestia super hæc inferiora dominentur & influant: nec quod illud contingat fortius, aut debilius sub variis figuris, aut conjunctionibus Planetarum, faustis aut infœlicibus in hac aut illa Domo exaltationis, aut detrimenti, in figura, aut trina, aut sextili, aut aliis, sub quibus virtutem invisibilem ad res humanas diffundi, aperte probant. Nec est ulla in hac figura virtus, sed in rebus quæ sub illa figurantur; verum tunc fortiorem virtutem accipit, cum plures sub illa figura syderum configurationes copulantur, felices, aut infaustæ.

Pythagoras & Plato, mirabilem virtutem Musicæ consonantiæ detulerunt, propter numeros: ad hoc etiam hominis climacteras reduxere; fatali lege occidua: morbos nempe inducere, ac illos sanare æstimarunt. Plutarchus & Empedocles iram contemperare tradiderunt, & plura alia, quæ *nostro* in *Theseo* adnotavimus: virtutem tamen in numero harmoniæ præfinito non esse, demonstravimus: sed in ipsa harmoniæ dulcedine, quæ varios affectus in hominum corpora inducit, ut etiam probat Marcilius Ficinus.

Quare si non solus cœlestis influxus ad hanc communicandam virtutem sat esse visum sit; saltem artem & cœlestem influxum, in hora magis convenienti & electa, posse imagines & characteres conficere, ex quibus producantur mirabilia, probabile videtur: ut ex certa fabrica mixtionis resultet, in tempore & hora convenienti, sympathia, quæ ad amandum inclinet, vel ad odium antipathia; ut in fabrica naturali experimur, in qua ex determinata mixtione elementorum, cum influxus cœlestis radio invisibili, talis interdum resultat sympathia, quæ hunc reddit amabilem naturaliter, alium odibilem; fœlicem unum, alium infœlicem: ex hac lapis herculeus trahit ferrum, charabe paleas; ideo ille sine causa deligitur adhuc repente visus: alius aversione intuetur. Cujus rei non potest alia reddi causa: quare ergo ars hoc etiam non valebit conficere, ut ex opere suo ad naturæ imitationem, hæc qualitas mirabilis resultet; hoc nec probari, nec improbari potest à priori; à posteriori tamen videmus mirabiles effectus, ab artis solertia, mirabili artificio productos, quorum non penitus causa ignoratur.

Nec tibi obstet, in imagine, figura, & charactere, solas lineas reperiri, ut sonitus in voce, aut hæc aut illa forma; nam in solis lineis chiromanticis, ipsa natura docuit: (sub vario & diverso influxu planetarum, fausto aut infœlici aspectu,) felicitatem aut infelicitatem, & varios vitæ humanæ casus, arte; prædicere, quos illa sub istis lineis deputavit; ut chiromantiam edocti viri non vulgares docuerunt: sic enim de hac loquitur, *Robertus de Fluctibus, Armiger. Hæc est*, inquit, *scientia naturalis per quam, ex docta manuum inspectione, de rebus præsentibus, præteritis, & futuris divinatio fieri solet; vel est scientia ex qua per manuum lineamenta felicitatem, aut infelicitatem præsagiunt artistæ, sicut astrologia & physionomia, per oris figuram: est enim naturæ & complexionis geniti quasi tabula, in qua occulto magisterio nativitatis mysteria sculpuntur, & delineantur; cum sub physionomiæ & hujus artis characteribus à natura formatis fatalia hominis, tam in bonis quam in malis, referantur, ut manifeste & luculenter doctis revelentur.* Hæc Robertus.

tom. 2. lib. 2. Microcosmi sect. 2. part. 5. cap. 1.

Quare principiis philosophiæ non repugnat, virtutes cœlestes, recipi ac terminari, à figuris, imaginibus, & characteribus, non qua sunt accidentia, sed res quædam arte & scientia fabrefactæ, ad ipsius naturæ imitationem: & si à simili valet argumentum, eo jam dudum ars majestatis pervenit, ut non tantum naturam imitetur, sed superet in multis. Mirabilis est natura in avium harmonia & locutione; seu articulatione dialectica: sed ars est mirabilior, dum illam imitatur: si mutas statuas, & aves ligneas, loqui & ambulare facit, & artificiales feras sibilare: in musicis instrumentis mirabilem harmoniam ars invenit; & qui ex naturæ arcanis sympathias & antipathias rerum novit, tot mirabilia patrabit arte, quot vidistis in nostris eutropeliis Necromanticis, quæ pene fidem superant. In Optica scientia & Geometrica, & adhuc Astrologica, quæ non inventa? quæ plus habent admirationis, quam fidei, & vidimus & legimus. Non ergo repugnat altissimo Artis magisterio, figuras, characteres, & imagines, mirabili artificio conficere, quæ peculiarem & mirabilem virtutem sortiantur; patibilibus taliter ad influxus cœlestes dispositis, ut illorum actiones, non tantum accipiant, sed terminent, ad peculiarem quam ars intendit sympathiam, aut aliam actionem inducendam, amoris, nempe, aut odii, si non benevolentiæ.

Non est in hoc maxima difficultas, sed supposito, quod sub arte & magisterio cœlestes accipiant influxus, ad talem actionem producendam, an illam possint inducere in alienas potentias naturaliter, ut concitent odium, aut amorem; quoniam amor aut odium fiunt, non tantum per cognitionem rei amabilis, quo voluntas ad amandum inclinat, sed per reflexionem potentiarum, super species, rem amabilem aut odibilem, repræsentantes: hæ enim in memoria reservantur, & continuo à phantasia percipiuntur, ab æstimativa judicantur, ac inde ad spiritualem intellectum referuntur, quo ille rem ut amabilem, aut odibilem

odibilem judicat, mox voluntas cæca diligit, & amplectitur, aut forte averſatur, quod intellectus odio, aut amore, dignum exiſtimavit, & continua reflexione, ſeu ſpeciebus novo advenientibus intenditur, aut minuitur amor.

Videamus nunc an imagines, figuræ, & characteres, ullam habeant naturalem virtutem ex arte aut figura cœleſti, ut ſuggerant ſpecies continuo rei amabilis, aut odibilis, potentiis, corporibus, aut ſpiritualibus: quod ſi accidat, tunc credemus poſſe fieri.

Illud mihi ſemper extitit maxima ratio dubitandi: quod ſpecies ſunt ſimulacra rerum, & objectorum repræſentativa, à quibus illæ objiciuntur: neque poſſunt aliud per ſe repræſentare, ſed in figura & charactere, nec in actu, nec in potentia eſt amor, aut odium alterius rei, cujus gratia fiunt; ergo non poterunt imprimere quod in ſe non habent. Patet, nam amor fit ex repræſentatione rei amabilis, pulcritudinis nempe, aut alterius rei, quæ amorem meretur, ſed in charactere nulla eſt identitas cum perſona, in qua eſt pulcritudo; ergo non poteſt ad amorem inclinare: quod nec poſſit illud etiam arte conſequi, aut influxu cœleſti, patet etiam: quoniam ars, nec cœleſtis influxus, nullam habet virtutem imprimendi ſpecies amabiles in corpus alienum, nec illud immutandi; (hoc enim eſt proprium objectorum;) quoniam ſpecies ſunt repræſentativæ individualis pulcritudinis; & in hoc eſſentia illarum conſiſtit: ergo immediate debent procedere ab objecto amabili; & non ab arte nec influxu cœleſti; quantum vis iſta ſympathiam ad amandum producant. Si ergo immutatio eſſentialiter ſpeciebus competit, non poterit hæc eadem eſſentialis actio, arti, nec influxui competere; quoniam inde ſequeretur, quod eſſentia unius, poſſit eſſe eſſentialiter in alio contra omnem rationalem Philoſophiam, quod non eſt admittendum: ergo non eſt dicendum, quod ars in hac fabrica valeat per imagines, figuras, & characteres, odium aut amorem inducere.

Ergo ſaltem, (dicet aliquis) ex virtute imaginationis hoc poſſe conſequi, rationabile videtur; cum ex imaginationis vehementia, poſſe immutationes accidere, antea probatum reliquerimus. Hanc illationem Martinus Delrio improbare non audet, in ſecunda concluſione loci in margine citati; quæ talis eſt: *Satis veriſimile eſt*, inquit, *per accidens poſſe aliquid imaginationem in corpus vicinum & alienum, arcta quapiam conjunctione, & contactu ei copulatum; ſi tamen imaginatio ſit valde intenſa, & vicinum corpus ad eam affectionem valde diſpoſitum.* De quo etiam poſtea varia producit exempla. Albertus Magnus, *libro de mirabilibus*, non tantum multa poſſe imaginationis efficaciam producere æſtimavit, ſed ſi illa hora concitetur, qua ad fabricam characteris impellitur, & ſub illo cœli ordine, qui fortiter ad talem actionem inclinet, poſſe judicat tales characteres & imagines ad amorem aut odium inclinare, & alia mirabilia producere. Nec illud eſt tantum Alberti Magni inventum, quando illud viri graviſſimi, & teſtantur & probant, non tantum ut poſſibile, ſed de facto mirabile; ut probat *Michaël de Medina*; *Marſilius Ficinus*, *Benedictus Pereira*, *Mirandulanus*, *Toſtatus*, *Vairus*, *Valles*, *Cæſalpinus*, *Avicenna & Alchindus*, *Pomponatius*, *Paracelſus*, *Andreas Cataneus*, *Augerius*, *Ferrer*, *Tomas Morus*, *Cajetanus*, *Divus Thomas*, & alii, quos citat *Martinus Delrio*.

lib. 1. Mag. part. 3. qu. 3. concluſ. 2.

Quare cum tales imagines & characteres in alicujus gratia fiunt, in hora electa & influxu convenienti, videntur ex imaginationis efficacia ſpecies repræſentativas accidere rei deſideratæ, aut averſæ, aut aliam virtutem, occultam licet, ex qua hos affectus mirabiles producant, aut quandam naturalem ſympathiam, aut antipathiam; illud certe videtur poſſe conſequi, per medium characteris & imaginis; hoc, unico demonſtrabo exemplo, in avibus, aut ſtatuis, aut ligneis, aut æreis, arte fabrefactis; quibus virtutes mirabiles ars mirabili artificio impreſſit, ad ſaltum & ad cantum; quibus etiam noſtras potentias immutant, per occultas ſpecies, ad admirationem, ad amorem, aut horrorem talium actionum; hoc illud invenitur. Et antea hominum mirabiles hiſtorias vidimus, qui perdite mutas ſtatuas deperibant, forte ex harmonia occulta virtute, in fabrica artificioſa latitante. Scimus etiam fœlicem ex natura, in prima formatione, ex virtute ultimę individuationis, virtutem quandam occultam contraxiſſe, qua non tantum in occaſione & tempore fœlicitatis commovetur, ſed alios etiam ad extra movet, ut illius fœlicitatem augeat aut nobilitet: commoti ex illa ſympathia, ſeu quodam naturali conſenſu, quo ſunt membra hujus corporis univerſi connexa: quod invenire in artificioſa fabrica non repugnat. Imaginationem etiam antea vidimus, Alberti Magni teſtimonio, ſeu per ſpiritus, aut ſpecies, aut occultam virtutem, corpus alienum immutare, & conturbare, per quandam mirabilem virtutem, quæ à corpore exit, radio inviſibili.

Mich. lib. 2. de recta fide. cap. 7. Marſ. lib. 1. Theolog. Platonicæ, & in comment. Priſciani. Per. cap. 3. Geneſ. Mirand. lib. 29. de ſingul. certamine. Vair. lib. 2. de Faſcinat. cap. 3. Vall. de Sacra Philoſ. c. 1. Cæſalpin. lib. 5. quæſt. peripat. cap. ult. Avicenn. citato. Alchind. libro de Imaginibus. Paracel. libro de Imagin. Pompon. lib. de Incant. cap. 3. & 4. Catan. de mirabil effectuum cauſis Sibyllarum c. 8. quæſt. 3. Ferr. lib. 2. Meth. c. 11. Mart. Delrio citato loco.

Hæc omnia, metaphyſico ordine, exceſſus paſſionum, & potentiarum, poſſibilia eſſe, non dubito: ſed in opere practico ſimul concurrere, animus nempe inebriatus fortiter imperans, hora electa, & influxus cœleſtis, omnino impoſſibile; ſi eliciendæ actioni, omnia ſimul concurrere tenentur.

FINIS TRIBUNALIS MEDICO-MAGICI.

CASPARIS CALDERÆ DE HEREDIA,
Civitatis Hispalensis Medici Ordinarii,

TRIBVNAL POLITICVM.

Omnibus ingenuis ingeniis, scitu utilissimum, & lectu perquam jucundum.

TRIBVNAL POLITICUM, ET APOLLINI SACRUM.

In Publico orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI.

LIBER PRIMVS.

Cornelii Taciti Oratio, in Parnassi Consilio.

Non Apollo tantum, sed omnes Academiæ, & Principes, æque Zoroastis libertatem, ut scientiarum principium admirantur, à primo veluti orbis initio deductum; sed tunc Admeti Pastor, majestuoso Imperio Cornelio Tacito imperavit, ut POLITICÆ *principia & præcepta, à* MEDICINÆ *principiis deducta, in hoc orbis Theatro, suo critico & imperioso magisterio, in medium proferret: cum* TACITUS *solita libertate, compta oratione & conciso stylo, sic incœpit:*

Vnicum est hominibus negotium, (ô clarissimi Principes, & viri Purpurati, & Vos ô Laureatæ Academiæ,) sua cuique utilitas: quod si bene dirigitur, in hoc consistit omnis summa Politicæ Reip. status, honoris, & vitæ conservatio, divitiarum, & æstimationis comparatio: & quando fortuna Dea, cæcis oculis promiscue largitur beneficia, vigilanti solertia, & valore audaci fit Fortuna.

In hoc Medicinæ scientia, & Magica Politica conveniunt, ut hac & illa hominis; aut Reip. sanitas conservetur, aut perdita valetudo instauretur: & sicut sanitas conservatur similibus, contraria contrariis medentur, in statu morboso: ita in Politica præmia sunt auxilia conservantia, supplicia contraria, medentia. Ideo forte fœlicius æstimabatur, ut præmia sub principe essent, & sub judice pœnæ, æqua lance librata, *Annalium 17.*

MEDICINA versatur circa corpus humanum, qua morbis est obnoxium: circa corpus Reip. POLITICA, quatenus alterabile: quare utraque medendo exercetur, dum altera corporibus, & animis altera medeatur. Et hoc primum Deorum fuisse curæ, (si nos non fallit apocrypha Traditio) Plato docuit, *Dialogo Protagoras.* Te, nempe (Phœbe Pater,) Æsculapium & Platonem genuisse, hic, ut animis, & corporibus ille mederetur: ac Socratem

cratem pro animis purgandis missum fuisse. Leges Græcorum, Lycurgi, Solonis, & Platonis, ac postea Romanæ, ambitioso imperio, pro languoribus Reip. medendis, ab omnibus fere nationibus leguntur. Quid aliud fuere legislatores isti, & prætores postea Tribunalium, quam Reip. Medici?

Nec moror in Reip. morbis numerandis. Quis enim dubitat, ambitionem & secreta colloquia, in corpus Reip. tyrannidem inducere, & odium in principem ministri insolentiam; ignaviam in cives, opulentiam? quæ non induxit latrocinia, male in Reip. meriti supplicii impunitas: plures enim ad nefaria seduxit scelerum toleratio, quo plures exemplo, quam ingenio peccant: nulli tandem non est gratior potestate libertas; bellorum licentia vix numerabiles morbos in corpus Reip. induxit. Quantum hoc sibi negotium facesserit in sui imperii principio, dicat Augustus Cæsar: ad ossium medullas penetravit, otium & ignavia, vanitas, ambitio, luxuria, auri sacra cupiditas, ac ex illis infinita pene accidentia emersere; quæ impossibilem curationem postea reddiderunt; dum in supplicio, ac sceleris tolerantia æque periclitatur.

Lege Suetonium in Octaviano.

Hæc sunt, ô Purpurati viri, Reip. vitia, quæ mederi exoptant contrariis auxiliis. hanc nos docuit artem sapiens Medicina, illo communi sed nobili principio, *contraria contrariis medentur.* Illud tamen alta mente explicari optat, longa experientia & observatione præteritarum rerum; (ne magis periclitemur in auxiliis, quam in morbi discrimine.) hæc sumitur curatio ex tempore, morbi conditione, quantitate auxilii, qualitate contraria, sed ad pondus librata: ac tandem ab ipsa virtutis tolerantia: in hoc enim stat omne pondus Politicæ, ut sit plus virium in latore, quam in onere; tempus occasionem operandi præscribit: est enim præceps & rapida occasio, qua elapsa, redduntur auxilia invalida, & validior morbus; morbi magnitudo auxilii quantitatem præmonstrat: periculi urgentia in auxiliando properantiam, ad pondus morbo & viribus libratis: cujus certe præcepti negligentia, parœmiam invexit Hispaniæ auxilium: in auxilio tamen illa major adhibeatur cautio, ut si non prosit, saltem non noceat; nam virtutis tolerantia est prima omnium indicatio, quod ea sit vitalis, unde vitæ principium: quid enim proderit, languoribus Reip. mederi, si vitalis vigor una cum ipso auxilio exhalet?

At illa contrarietatis cognitio maxime artificem nobilitat, quando æqua lance libratur; nempe demere superfluum & defectum supplere: hæc enim principis officium, aut perdit aut commendat, ne subditorum divitiæ, & imperiosa libertas ita crescant, ut principi & regno curæ sint, aut ita graviter atterantur, ut principis indigeant patrimonio: ideo forte in Pallante Claudii liberto, & Seneca magistro, Nero Imperator, scissis corporis venis, sanguinem effluere permisit, ut cum illo divitiarum superfluum hauriret. Tyrannidem non laudo, nec avaritiam, actionem, cum res poscit, imitandam non improbo; sed in electione auxiliorum, nec principia valent, nec præcepta; hæc enim aut medentis prudentia invexit, aut temporum conditio monstravit: ideo forte luxus Reip. magis exemplis, quam legibus coërcetur. Inde Romæ præcipuus stricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque, obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metu; econtra in delicto-

rum

rum proſcriptione leges debent excedere ſupplicia; quoniam in hoc miſero Reip. ſtatu, ſupplicii defectus & patientia ſceleris inſolentiores efficit impunitos, audacia contumaces. Sit vobis exemplum Seianus, qui ubi vidit mortem Druſi inultam interfectoribus, ſine mærore publico eſſe, ferox ſcelerum volutare cœpit, quomodo Germanici filios præverteret.

Demitto varias rerum confuſiones inter ſe complicatas, quando æqualiter medentis animum acrioribus ſtimulis explorant: hæc enim raro valent ſub his præceptis comprehendi, ſed ſub animo valore præmunito, longa experientia confirmato: & ſi fas eſt dicere, in hoc rerum ſtatu, plus ſemper experimur fortunæ auxilia, valore præmunita, quam prudentiæ, cujus præmeditatam occaſionem auxilia effugiunt: ad hoc enim non ſat eſt illud Hippocratis præceptum; *Ad id quod magis urget, curantis conſilium dirigi debet;* quoniam ſolent duo magna negotia æqualiter urgere: quorum illud eſſe noveris potioris urgentiæ, quod citius & brevius periculum minatur: & huic eſt profecto citius ſuccurrendum, utcunque methodus prævertatur: extrema enim deſperatio ultimam temeritatem promeretur; ut Celſi Medici notum fuit conſilium; nam quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat.

Brevius tamen & ſecurius Plato exiſtimavit, ſi prius Reip. corpori mederetur: hoc enim etiam nos Medicina docet: *Nam,* inquit, *ſicut caput ſolum curari nequit, niſi totius corporis præcedat Medicina: ideo dicebat Xamolxis, Medicus Thracius, ita neque ſine anima corpus; eaque cauſa eſt, cur Medicos Græcos morbi corporis multi lateant, quia totum ipſum ignorant, quod imprimis curari oporteret: quo male affecto impoſſibile eſt partem aliquam bene valere; animæ vero medelas, incantationes quaſdam eſſe dicebat, eaſque præclaris rationibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur: ſed non prius caput eſſe medendum, niſi prius animam incantationibus purgandam commiſerit: & ſi verum eſt dicere, illud temperantiam eſſe arbitror. Eſt enim temperantia, cognoſcendi ſcientia qua ſapimus, & quæ ignoramus, ſine errore vitam tranſigere, & nos & alios gubernare: hæc Plato in Dialogo Carmides;* ſed nos temporum ſeries, & principum ſine fine dominandi ambitio, aliam Politicam edocuit, ſemper nempe ambire aliena, & utilia cæteris omnibus anteferre: illud enim regiam laudem eſſe, ipſi Reges exclamant; nam privatam domum cuſtodire, privati & incurioſi hominis eſſe: quoniam bellum & armorum potentia ſemper fuit ultima Regum ratio; nam jus civium viduis & pupillis legibus continetur: ut homines enim, ita mores & leges, ad tempora mutantur: nec ſit mirum, ſi mundi in ſimplici infantia eſſent ſimplices leges, quia in illa unuſquiſque ſibi moderabatur: at in hoc noſtro ſæculo, neque immenſæ leges valent unius intemperantiam coërcere. Hoc eſt, ô Clariſſimi principes, hujus operis nobile argumentum.

OPERIS INTRODUCTIO.

Non vagas quæstiones, quibus eruditissimorum hominum ingenia defessa ceciderunt, agitare decrevi, cum in disputatione cæca vagarentur, loquacibus magis quam certis argumentis: sed Hispaniæ mores, pericula, & scandala in hoc rerum statu. Necessitas enim nostri sæculi, in procelloso invidiosi lucri, ambitionis sacræ, domesticæ Rebellionis, & luxuriæ mari tumultuantis, (inevitabilis externæ, & civilis seditionis occasio) ab indoctis erroribus animum abductum, intima conditionis humanæ, ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coëgit: ut virtus Belli occasione lacerata, opulentia obruta, per se ipsam æstimetur, & splendorem consequatur obliteratus valor; non per fraudes Politicas, sophistico splendore fucatas, ex impia Machiavelli officina, verbis repulsa, operibus amplexa; & Taciti, non satis ab impiis laudata: quas vastissimæ Monarchiæ, lucrum, auri sacra fames, luxus & opulentia fatali necessitati invexit: ut nostra discat caveatque posteritas; nec eisdem scopulis allidat.

Non sunt hæc velut in Theatrum producta, sed aut, ut à vitiis deterreant, seu ad virtutis studium extimulent non omnino deplorata ingenia, & si quæ sunt hujus mensæ bellaria: attende Lector, quod quædam proponuntur ut tollas, quædam ut gustes, pleraque ut spectes tantum, non nulla ut mireris, ceu quædam facta nec Scythis, nec Cyclopibus digna, quæ referimus, ut sæculi hujus portenta in aliquibus, quibus summa rerum commissa erat, seu quod talia temeritas acciret, aut immodica dominandi libido, aut præceps dignitatis ambitio: licet adhuc in rebus prodigiose malis non desit excusatio, nec adhuc injusta imitatio. Hæc servient ut cautos reddant principes, subditos obsequentes. Hæc & illa brevi asterisco notabo: malo enim te suaviter affectum, quam saturum onustumque dimittere; & si quæ tibi videantur minus gravia, quam virum prudentem deceant, talia certe promitto quæ nemo sapiens contemnat.

Ad UTOPIAM constituendam, Politicæ præcepta plerique tradiderunt, ad utile proprium, non commune, (lucri, an naturæ peccato:) & omnes fere publicam salutem despexere, quæ est unica UTOPIÆ imago, in quo salus, vita, & hominum societas consistit, & communis & propria. Sagacitatem propriæ convenientiæ, POLITICAM dixere: nulli enim pro rebus gerendis deest convenientia; facile aliorum vitia imitanda censemus, non virtutes, si nos à proprio utili deterrent. Hæc naturæ ambitio in ambitu totius universi, est omnium artium nobilissima, & maxime plausibilis; nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius quam eam artem discere, qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipse securus? speciosa sane erit ista Politica, imo si non ipsius impietatis vitiis inquinetur.

Sunt certe (fateor) Politica consilia ad temporum mutationem, hominum varietatem, & principum studia, & ad necessitatem permutanda, nec semper antiqua imitanda, si excipias fundamenta Reip. quoniam hæc semper in ipsa virtute jaciuntur: nam sicut leges quæ olim videbantur justissimæ, ad hominum & studiorum mutationem mutantur; sic hominum consilia & studia solet numerosa Resp. & temporum varietas mutare.

Eo tamen nostra & aliorum consilia dirigantur, ut effrænem cupiditatem temperent,

perent, ambitionem frænent, lucri cupiditatem moderentur; ac tandem fortunam fugientem alliciant, prudentia, æquitate, justitia & solertia. Libros omnes, quos variis è provinciis indefesso labore, & liberali pecunia comparavi, pro unico tantum commutarem; quid dicam libros, nobilem supellectilem, & lectulum, (vitæ unica requies) & omne quod possideo, pro illo nempe, qui doceat operationes fœliciter dirigere, & in summa, qui propriam fœlicitatem doceat. Hæc enim sola humana dirigit auxilia, operatur salutem, occasionem præstat, plausum comparat, auctoritatem conciliat, & venerationem: humilem & abjectum erigit, ignavum docet, erudit imperitum, in angulo sedentem promovet, ac promeretur præconia: non est enim opus præmii capax, nisi illius quem fœlicitas dirigit: sed ubi est talis liber? illum adhuc desidero.

TITULUS I.

Quid Vtopia.

3 Polit. 4.

VTopia, dixit Aristoteles, *est ordinatio civitatis, & circa magistratus alios, & maxime circa id quod summam in civitate auctoritatem habet, seu sit principalissimum: tale autem erit, quod ubique gubernat & regit civitatem: seu in populari quidem, populus: in potentia vero paucorum, pauci, sicut Rex in Monarchia. Harum optima*, porro dixit idem, *est Regnum, deterrima vero censu potestas: transgressio autem regni, Tyrannis est.* Rex tamen ex se ipso, non constituit optimum dominatum, nec imperium fœlicius, nisi regiis virtutibus ornatus; non est enim Rex, dixit ille, nisi sit ex sese sufficiens, & bonis moribus antecellat; quoniam talis nullius rei indigus est: ac ideo non suas ipse, sed eorum qui regendi sunt, utilitates considerat: qui namque talis non est, forte potius quidam est princeps, quam Rex; ac ideo facile decidit in tyrannidem; qui eo tantum à Rege differt, quod tyrannus quidem suam; Rex autem eorum qui ab ipso reguntur, utilitatem appendit: ac ideo vitio principum, ad paucorum potentiam fit transgressio; & ad defectiones: quia res civitatis præter dignitatem tribuunt; & cuncta bona sibi vel suis attribuunt: & eisdem semper magistratus, quos favor erexit, extulit adulatio: tributa supra vires imponunt: ac fœdera pro levi delictorum imagine rescindunt: plurimi divitias facientes, pro nihilo justitiam & auctoritatem Reip. quo in statu, pravi, & pauci pro optimis dominantur: nec interest an principis ignavia, an privi amici Regis ambitione, & solertia id eveniat: ab utroque est enim par fortuna: exempla reticere majorum consulit veneratio; in his attamen discat caveatque posteritas.

8 Ethic. 10.

Illud alte perpende, quod in filios imperium, Regni repræsentat imaginem. Hinc Homerus Jovem, non Regem, Patrem appellat; quippe regnum imperium est suapte natura paternum.

Vtopia ergo seu bene constituta Resp. forma & materia constat, ceu quoddam corpus vivens. Res ipsæ publicæ, magistratus, purpurati & populus, circa quæ versatur gubernatio & imperium, sunt materia; princeps est anima regni, non quod homo, sed quia viva lex; sub divina & naturali lege: si ergo princeps deficit in principis officio; regnum non erit corpus vivens, sed cadaver; quod morum corruptione facilime corrumpitur; & novas formas appetit; ut materia prima. Plura docet hæc alta Philosophia.

Res circa quas versatur Gubernatio, aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ, divinæ & humanæ; civitates, oppida, imperia, & Regna, & quæ ista componunt, sunt corporea: res publicæ, leges, religio, mores civium & jura civitatis, incorporea. Circa omnia versatur & principis prudentia & solertia; nam hæc omnia amplectitur imperium. Si placet, attendamus quod est Regi possibile; nam omnia complecti, divinæ potius, quam humanæ capacitatis est.

6 Ethic. 5.

Prudentia est opinionis habitus, dixit Aristoteles, *qui circa res illas versatur quæ possunt aliter evenire: Et prudens est*, inquit, *qui est ad consultandum aptus:* Forte quia procul videns; nemo enim consultat de iis quæ aliter evenire non possunt; nec de iis quæ ipse agere nequit. Si ergo Prudentia non est ars, quod comes actionis non sit; neque scientia; quia non demonstratur à principiis; seu quia quod sub actionem non cadit, aliter sese habere potest; restat esse agendi habitum vera cum ratione circa ea quæ homini aut sunt bona aut mala. Nullus ergo mortalium poterit exactam gubernationem instituere, in tam vaga rerum, & hominum differentia: nam pondus rerum non ita exacte libratur, ut penitus sub humana concidat providentia: pleraque enim gentilitia rerum mutatione, aliter evenire possunt & eveniunt: ac non pauca, hominum nativæ passiones confundunt, veluti amor, timor, libido & ambitio: *Omnia colit, præter Deum, humanus intellectus*, dixit Tertullianus, cum videret proprium cujusque utile veluti Deum colere.

Rerum ergo eventus sub principis prudentia non cadit; sed tenetur vera cum ratione, circa res dubias, utrinque libratis rationibus, opinionem rerum quæ subditis aut sunt bona, vel mala, prudentia perpendere: quod si & ipse fecit, peregit partes suas: non sunt enim omnia reip. & civium, aliis deleganda judiciis: operandi exempla facile imitanda proponimus in *titulo de consultandi ratione*, quæ nemo sapiens contemnat. *Quare si non scientia*, dixit Plato, *restat ut opinione recta utentes, civiles viri civitates gubernent, haud secus ad prudentiam se habentes, ac vates divinoque furore correpti:* nec

Dialog. Carmides. Dialog. Alcibiades.

nec enim mænibus, nec navibus triremibusque, nec multitudine, nec amplitudine, sine virtute, civitas ad fœlicitatem indiget: nec recte imperabit, sine virtute prudens: quod si eventus sit bene consulenti contrarius, nihilominus bene consultum est; quoniam in fortunæ libidinem, & naturæ necessitatem nullum, nisi parendi jus, habemus.

TITULUS II.

Utopia, in vera Politicæ, & Poliatriæ notione consistit.

Sub obedientia, & imperio tota moles Utopiæ consistit: est enim inter principem & subditum fœdus initum: ille tenetur subditum tueri in pace & justitia, sub illa conditione fœderis, qua se illi commisit: subditus autem & legum & principis imperio tenetur: & regalem principis majestatem tributis conservare, sub illa lege fœderis.

Hæc omnia Politica conservat, evertit Poliatria. Est enim *Politica* rerum præsentium connexio cum rebus transactis & futuris, prudenti solertia. Hanc scientiam cautioni & exemplo commendavit Natura. Hæc ars stabilibus etiam constat præceptis, & veluti scientia, principiis: & circa objectum versatur propriæ conservationis, aut Reip. nempe circa corpus gubernandum: ad vitam in communi degendam. Est illius principium: *Quod tibi non vis, alteri ne facias*: Illa vere dicitur ars, cujus facultas illius cujus tractat objectum, & naturam, considerat, & eorum quæ agit, reddit causam; potestque omnium quæ sub illa continentur, reddere rationem: sed pleraque quæ ex præmissis necessaria videbantur, rerum fatalis & necessaria transmutatio, aut liberi arbitrii invertit libertas.

Quare oportet per multiplices rerum vicissitudines pervagari; nam alia Politica propriæ conservationi conducit, in regno, in statu, aut propria cujusque sorte; aut alienis alliciendis voluntatibus, seu illustrium, sive inferiorum aut variis expeditionibus; aut in subsidium necessitatis propriæ; seu ad domesticas turbationes coërcendas: aut ut cujusque affectus, & maxime proprii, temperentur, veluti ira, avaritia, & ambitio; aut demulceantur alieni; aut ut in alios temperetur ambitio: ut virtutes exerceantur, maxime necessariæ ad hoc aut illud utile: & uno verbo, ut media proprio fini necessaria comparentur, pro ut petit urgentia in negotio, aut exigit celeritas; ob cujus defectum jam cessit in parœmiam, *Hispania auxilium.*

Necessitas suam etiam attentionem petit: est enim sæpe licentiosa, quæ multa licere cogit; & si est vera necessitas, legem mutat, & ut est in parœmia, *lege caret*: non quod sit extra legem; nam liberum agens est homo, nihil illum necessitat, sed compellit externa violentia: at in hoc casu necessitatem, quæ à lege absolvitur, lex fecit, cum sit illa necessaria consequentia, ex suppositione, deducta ex præmissis conditionalibus; sed illa non valent præsupposita, quæ lex non authenticat: aliter enim omnes humanæ actiones licerent, quia omnes necessariæ, & ab antecedenti conditionali possint dimanare, ex quo necessaria consequentia oriatur: falso ergo deducitur, quod omnis *necessitas lege caret*: & illa quæ lege non caruerit, est inimica legi; nam qui ex necessitate petit injusta, prius à necessitate patitur violentiam.

Impie tibi dico Machiavelle, quod *lex authenticat, impietas non derogat*. Patrem nulla cogit necessitas ut interimat filium, nec adhuc in honore deperdito: quoniam est patris supra filium disciputoticum, non absolutum jus, in vita civili & politica, non autem in vita naturali; quoniam anima non cadit sub potestatem hujus juris politici; si ergo non potest in jure naturali, neque jure divino (nam jus divinum adimplet naturale) nullo in jure poterit interimere filium.

Pleraque tamen necessitas excusat impossibilitatis lege; velut in his exemplis: cum Græci, Thessalis ut Persis obsisterent, postularent, (in invasione Artaxeris) libenter obsistemus dixerunt, sed non possumus; vos copias mittite; non enim licet solos pro vobis occumbere; quibus opem ferre si recusatis, nullam potestis injungere necessitatem; nulla namque fortior necessitas est, quam imbecillitatis.

Herodot. lib. 8. Vrania.

Primi ex Insulanis Andrii (in eadem expeditione) pecunias poscenti Themistocli, eadem necessitate, denegarunt: eique alleganti, Athenienses illuc ire, duobus maxime numinibus fretos, Suadela nempe & Necessitate; & ita sibi dandas utique pecunias: responderunt, Athenas proportione magnas esse atque fœlices, & Diis propitiis bene processisse, & se esse ad maximam soli tenuitatem redactos: Andriorumque insulam, totidem propitia numina numquam derelinquere, imo semper incolere, inopiam & impossibilitatem, quibus Diis obnoxios, Andros pecunias non daturos; nunquam enim Andriorum impossibilitate, validiorem fore Atheniensium potentiam, sperabant.

Quare qui necessitatis legem violat, jus naturæ convellit, & homines immerita violentia præcipitat; & contra jus & fas gentium, subditorum arcum patientiæ abrumpit; inde etenim seditiones, tumultus, defectiones parant, principis amorem minuunt, aut abolent ex toto. Sint posteris exempla, Barchinonenses viri, Lusitanorum proceres; quorum illi coacti, patriis institutis violatis; isti vero ad summam inopiam redacti, impia infidelitatis nota, & quod immeritis præmia largirentur, defecerunt; non Catholici & piissimi principis, sed privi amici Regis solita violentia; qui principem velut alter Seianus, variis artibus devinxit: adeo ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret; si non (quod propius veritati accedit) gentis malignitati id tribuitur.

Et si dicas quod subditi in principis necessitate etiam servire tenentur lege fœderis: & si libenter non obsequuntur, coacti debent cedere; vera dicis: utilia tamen media non proponis: hæc enim fini proportionata debent esse, non semper violenta; sed omnium quæ in hoc rerum statu contigerunt, reddere rationem, nec est facile, neque forte possibile; illud tantum dicam, quod non est Politica incomprehensibilis Metaphysica, nec quinta intellectus substantia, per sublimationem

mationem extracta, de illarum sorte, quarum virtutem ignis vanissimi ingenii vertit in fumum; hæc enim medicamenta sublimata in hoc differunt ab comprobatis usu, & experientia; quod licet apparenter in usum & necessitatem operentur; latenter humidum radicale, & vivificum nectar depascuntur: & morbus & vita una concidunt; ut paucissimis hercle, hæc medicamenta veneni conditionem effugerint: quod in nostra Hispania hodie experimur, attritis patrimoniis & hominibus ad extremam soli tenuitatem redactis.

Haud sane aliter operatur empyricus, qui extra communes regulas operatur, extra quatuor notas qualitates: hoc enim dicit quinta essentia quintum esse. Quod si foret apprime necessarium, hoc natura produceret, & quintum simul ad conservationem elementorum; quod si illa non fecit, uti nos remediis naturalibus consulit, non violentis: quæ quantitate, qualitate, temperie, gradu, intentione, celeritate, aut mora, contraria, amica, & refracta dissonantia pugnent & operentur; studeantque conservationi & vitæ; & morbum debellando, & fovendo naturam: morbus enim debellatur contrariis; natura similibus servatur & fovetur.

Sic enim scientiæ concordiam sapiens operatur contrariis auxiliis; nam ab inæquali consonantia diapason in musica resultat: proportio ex inæquali numero, in arithmetica: ex qualitatum inæqualium refracta actione, pullulat animata temperies, bene dixit Eraclitus: *Universum discordi harmonia conservatur.* Contrariis motibus, admirabili consonantia, & concentu, agitantur sphæræ: inter contraria fluctuant elementa, ac æterna perennitate conservantur; ut variis sympathiis & antipathiis animantia; in fluxu & refluxu mare turget: & intra seipsum homo contrariis passionibus agitatur; & inter contraria alitur conservatio: corporis utriusque, hominis & Reip.

Quare temeraria auxilia, non nisi extremis & desperatis morbis, & aliis prius pertentatis auxiliis, sapiens experitur: caute ideo remedia sublimata considera, nam vi ignis intus latet venenum, ex quo prius considera, an in omnibus partibus vis, quam in quolibet medicamento quærimus, insit; an aliquibus tantum: & an in parte terrea, aquea, vel aërea: multa namque sic habent facultates suas per omnes partes diffusas, ut eas vi ignis, vel omnino, vel magna ex parte amittant, si separentur: multa in succo proficuam virtutem possident, & quovis ingenio elicita, vix vestigium retinent operandi. Multa chimicam virtutem non requirunt, imo viribus ab ea suis spoliantur; ex quibus sola maceratione vires extrahuntur; nam ab uno ignis gradu, pati solitum, à majori deperditur; & aliud non patitur; ac ideo alia auxilia exhauriunt terram populi, & illius humidum radicale depascuntur: alia nobilium aquam nempe, divitias, quibus aluntur; alia, extraneum calorem inducunt, quæ si vitam non perdunt, agunt in furias auxilii eupyreumate efferatos humores, quo forte corpus universum Reip. retorrido marasmo consumitur.

Ego sane plerisque morbis ægris minus nocere judico, qui pharmacis consueto modo apparatis utitur; quam qui virtute ignis extenuata & ex calfacta parat: sententiam nostram confirmat omnium sæculorum experientia: nam fœliciter curati sunt omnes morbi sanabiles usitatis auxiliis; extincti pene omnes infirmi, qui novis illis chimicis uti maluerunt; nam vi ignis extracta, à calore nostro non vincuntur, ac ideo parum tuta, si non forte hostilia redduntur ex contracto veneno, & forte veneficio.

Hæc non per Theoriam Politica docetur, sed in plateis inter ipsa discrimina ediscitur. Politici discursus fere nihil ad practicam conducunt. Non possum non mirari quod apud nostros, belli & pacis discrimina Bartolo & Baldo commendentur promiscue. In hoc stat major Utopiæ confusio: Metellis & Scipionibus apud Romanos bella commendabantur; Curiis, Fabiis & Coruncanis pacis discrimina; quo ita æquissimis legibus temperata Resp. atque plebe omnium rerum in societatem vocata, magna Italiæ pars devicta est. Cum Tharentinis & cum Pyrrho Rege bellum susceptum est; ex quo tempore præclara atque ad omnis posteritatis famam, illustria abstinentiæ, modestiæ, justitiæ, fortitudinis civilis denique concordiæ, usque ad tertium bellum Punicum, exempla edita sunt. Hinc fœlix status (labente veteri disciplina) incœpit declinare. Caveant igitur posteri nostris periculis, & discant exemplis alienis mirabilis Reip. Romanæ.

Politicam animantium potius, quam chimicæ rationis docent exempla; rerum continua & indefessa series; & uniuscujusque in proprio statu experientia; (nam Remp. ambitiosis ministris commendare, est perdere Remp.) multa per tempora mutantur, & ad tempus: politicorum multa antiquæ rationi non parent: multa gliscunt antiquorum præceptis: nam illa, (Rep. ad naturam composita) edita sunt: hæc morum corruptione lacerata non patitur; neque nostris temporibus, nec hominibus sunt utilia.

Quare omnia metiri debemus ad prudentiam, non ad leges antiquas, pro ut nostrum fert sæculum; id Platonem consuluisse remur, quando dixit, *opinione recta utentes civiles viri civitates gubernent, haud secus ad prudentiam se habentes ac vates, divinoque furore correpti.* *Dialog. Carmides.*

Nec priscis sæculis defuit nova rerum accretio, quam humana prudentia à solis naturalibus principiis eduxit, rectisque regulis gubernationis à propria cujusque experientia.

Hanc artem commendavit natura, exemplo, cautioni, experientiæ, & rerum providentiæ.

Hominis institutioni Deus talem rerum varietatem creavit: tot animalium species, tot peculiares rerum conditiones: tot antipathias & sympathias rerum; alia in exemplum, & in doctrinam alia.

Pastor peculiari providentia gregem pascit, & ad fluenta ducit, ne siti exarescant: & noctu in abdita & tuta loca recondit; & ad securitatem & tutelam, alit familiares canes: & si illi lupinos mores induunt, cedit fustibus: & si hoc sine fructu experitur, ut lupos, sine misericordia extremo supplicio destinat.

Lanam tondet ex pecude, sed pellem non evellit, in futuræ liberalitatis expectationem: trans-

transfacto rigore hiemis, lac emulget, non ad sanguinem usque, ut sit reliquiarum fomes, & fœturæ sufficiat; quod sane alacri spe pastorem consolatur.

Humeris fert pecudem labentem, & invalidam, ne lupis cedat in prædam.

Terram scindit ruricola, & colit & recolit; in terram frumenta liberaliter projicit; glebas scindit, noxias evellit herbas, ne obruant segetem, in spem futuræ retributionis generosus.

Hortorum cultor, optimi consiliarii exemplar, in principis gloriam semina fœcundiora eligit; & arbores transponit in utilius & fœcundius solum: vites amputat ne in immensum crescant; & à vermibus & horrida tinea expurgat, quia fructus absumunt, vel detinent: arboris peregrini stipites, quia rari, & mirabiles, ingerit in suo peculiari hortulo; mira securitate in herbam falcem mittit, sine germinationis timore.

Mercator & nauta, negotio & vita simile, usuris & jactura in eo tantum differunt; quod vela is per aërem dedit, per aquam ille; æquale tamen illos vexat periculum: forte quia communes egrediuntur regulas quintum esse, aut quintum elementum perquirendo.

Has propriæ conservationis natura docet regulas: plures experimenta, non paucas necessitas invexit: *Præcipitis necessitatis morsus, acutissimi sunt*, dixit Porcius, acuminat inopia ignaviam, erudit paupertas mentem: ac ita plura homini denegavit natura, ut necessitas industriam ad melius excitaret: ideo forte Spartæ indumenta negabant filiis, ut necessitas extorqueret industriam, compensante arte curas & officia pietatis.

Hæc possunt prævideri quæ sunt in manu hominis, nam ab insperato impetu, nec fortitudo defendit nec prudentia: sola enim divina providentia, in oppositis & contrariis elucet: quæ faxit ut experrecti dormiant, confundantur prudentes, & timeant fortissimi: in hoc enim lyncei oculi divinam potentiam agnovere: quia in ordinaria providentia causis naturalibus utitur: quando enim decrevit perdere domum, familiam, gubernationem, & regnum, fortissimos, & prudentes transtulit, ne divino obsisterent decreto; vel ipsos suismet passionibus confundit, ut propriæ necessitati, vel regni conservationi contraria operentur; ac si error esset prima intentio; ut apud nostros hodie experimur; seu ira Numinis, seu scelerum vindicta, noveris Deum assistere, non ex magna prudentia aut valore, sed ex oblatis auxiliis, à rebus naturalibus: ut ex nebula, aëre, igne, grandine, pluvia & tempestate: hæc enim divina mandata exequuntur; cum media proportionata in medio exactissimæ prudentiæ deficiunt.

Jamjam aggredimur Poliatriam: *Iusque datum sceleri canimus populumque potentem.* Est hæc falsa Politica, procellosum mare & tempestas, quæ omnes fere principes ad Syrtes allidit; est genus quoddam architecturæ & fabricæ peccatum; quod ut molem universi sustineat, necessariam semper comitatur ruinam: & adhuc in medio auxiliorum periclitatur, justa Dei vindicta: est hujus sæculi prudentia, quæ vero & honesto fidem dempsit, est lex sub necessitatis specie, divinæ & humanæ contraria; est falsa hypocrisis sub pallio virtutis, quæ apparenti alitur splendore; & occulta tyrannis, Babylonis scientia: est lex imperio utilis, sed omnibus in aliis gentium juri contraria: est recta mediorum cognitio, quæ regno stabiliendo, parando, & conservando, conducit; ubi quod ambitione hauritur, per scelera suppletur: qua summa facinora incipiunt cum periculo, peraguntur cum præmio; est major principis adulatio; & est sacra superbia: palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido: ejusque causa modo largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxia, quoties parando regno finguntur; interdum cum res haud tutæ, dolus malevolis intervalla scelerum poscit; est tandem insatiabilis lucri ambitiosa lex, quæ cum potentia & oritur & occidit; & semper judicat id æquius.

De his aliqua afferamus exempla: Numitorem Amulius interfecit; Remum Romulus: Regni sacra cupidine ille: hic, Romanæ posteritatis ambitione, postuma & nefaria politica, & fide: quoniam socium non patitur Gubernatio; Tiberius Phraatem ornat, accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens consiliis: & astu res externas moliri, arma procul habere. Hoc etiam valuit utilitas, ut Abduum specie amicitiæ, ad epulas vocatum, lento veneno inligaret Artabanus: Ludovicus II. Francorum Rex, primæ uxoris (cujus unico beneficio vixit) irritat matrimonium, at Caroli viduam traxit ad sponsalia, falsa compellationis apparentia, ob solam utilitatem Burgundiæ Regnum adipiscendi; contra gentium jura & divina decreta. Causas belli quotidie principes fucato splendore exornant; propriæ enim convenientiæ, nullæ unquam principi rationes defecerunt, tali solertia veritatis splendore fucatæ, ut facile credantur: ô lamenti nunquam explendi funus; ut Veritas in aulis sit semper falso splendore fucata: *Monstrabo tibi*, dixit Seneca, *cujus inopia laborent magna fastigia, quid omnia possibentibus desit, qui verum dicat?*

Tac. 6 Annal. 8.

4 Annal. 5.

6 de Benef. 3.

Hoc chaos non admittit publica pax, quoniam si quæ Rex adimit civibus, facit sua: & quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia & omnia confundit; sed impossibile est mala penitus à radice evelli; nam bono oppositum aliquid esse semper necesse est: & in rebus humanis, majorem sibi partem vendicat lucrum, non bonitas: hæc enim in Politicis non invenitur, & fallitur qui illam præsupponit, ac ideo in Politicis errat; non qui cautione utitur post experientiam: sunt enim plerique homines sine pudore flagitii, sine cura Deûm; pavidi in adversis; inter secunda, non divini, non humani juris memores. Sed quid moror in tradendis præceptis; nam velle furiosum præceptis admonere, & curare insanum, est ipso furioso insanius: est enim bilis nigra curanda, & ipsa furoris causa removenda; sed non omnes furiosi elleboro curantur.

2 Annal. 4.

TITULUS III.

Quid stabiliat & conservet Vtopiam.

Summum & unicum medium, est Romana Catholica Religio: apud nostros. *Vobis summum jus dii dedere, nobis autem obsequii gloria relicta est.*

est, dixit Tacitus. Contractus inter principem & populum, in exactione utriusque, sit æqualis; nam ad statum popularem conservandum ex jure gentium ad communem societatem, distribuuntur jura, ut quisque seorsim imperet & laboret: id principes attendant: quod si ad alios deferantur judicia, jam videtur paucorum gubernatio, non monarchia: inde seditiones; nam præmium & supplicium à Rege, ut à patre accipitur; non interpelletur ab otioso, qui curam rerum agit; neque res & rerum cultura negligantur; honorentur agricolæ, foveantur artifices; ditentur milites; Regii ministri honoribus cumulentur, non divitiis; ad numerum redigatur multitudo: coërceatur libertas popularis; nobilibus neque summa potentia deferatur, neque servitus vilis: agris & litibus termini imponantur; distinctis dominiis distribuantur leges de commutandis rebus, domino volente latæ; de contractibus licitis, ut commercia securiora fiant, in comparandis necessariis, distrahendis superfluis, absque alterius injuria, & pacifice: negotioso lucro & usuris sit meta, pro tempore librata, ne in immensum crescant; ne legibus infinitis necessitet Resp. Educationis juventutis maxima cura sit: in hoc enim fœlicitas Reip. consistit: *Quia*, ut dixit divinus Plato, *ad ædificia construenda, solent artifices lapides & ligna perpolire, quadrare ac dolare, ut communi serviant ædificio*; sed proh dolor hoc sæculo fortuna, aut prava legum interpretatio, rerum necessitatem invertit, & commutat altissima pro vilissimis rerum; nam pro equis severa disciplina continendis, equisos quærunt principes, & maxime solertes, pro educandis filiis ne pædagogum quidem.

Alcamenes, Thelacri filius, cuidam percontanti, quo pacto quis optime regnum servare possit; si lucrum, inquit, non magni fecerit. longe lateque dissentiens à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum stabilire student, quam attenuandis civium, suis augendis opibus; cum justitia & æquitas maxime reddat diuturnum imperium. Quid ni admirandum, idem dixit rogatus, cur à Messeniis oblata munera recusasset; quoniam si recepissem, inquit, cum legibus pacem habere non possem. Et ubi sunt interim qui clamant, quod principi placuit, legis vigorem habet; & principem dare quidem leges, sed non teneri legibus: in illos invehitur Archidamus Zeuxidami filius, qui roganti, qui nam essent Spartanæ civitatis præfecti? leges, inquit, ac legitimi magistratus; in Utopia enim supremam auctoritatem esse legibus deferendam; nec illi magistratui, nec principis amico fas esse quidquam: contra leges publicas tentare; quid si ad nutum unius omnia gubernentur? & si daretur, quod esset venalis magistratus, quis tuebitur leges? absit ut suprema auctoritas in lucro; non in legibus, non in magistratibus; quia præmio & pretio emerentur delicta. Quid inde vidimus accidisse; Regnum alternatis injuriis & impiis sceleribus fluctuasse; quid ergo tanto malo medebitur, quod in Principis corde, & Aulæ porticis hi affigantur versus, quos suis Arcadius Imperator affigere mandavit:

Crescite virtutes, fœcundaque floreat ætas,
Ingeniis patuit campus; certusque merenti,
Stat favor; ornatur propriis industria donis;
Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes:
Nil licet Invidiæ.

Adhuc sub bono principe plauditur & favetur iniquitas, si privi amici artibus devincitur; tunc enim imperio plauditur, non principi; sed hujus amor æqua lance minuitur: *Multa siquidem*, dixit Tacitus, *excogitavit metus, sed quæ appareant quæsita ab invictis*; nam aliud solicitudinis, aliud securitatis ingenium est; alia tristium inventio, alia gaudentium, neutrum simulationes expresserint; habent sua verba miseri, sua verba fœlices, ut quæ jam maxime eadem ab utrisque dicantur. Ideo in provinciis gesta princeps debet agnoscere, æstimare & pendere proprio, non alieno judicio: ne promiscue præmia & supplicia largiantur; nam utrumque præstat princeps sine invidia; & desidiosa oblivio non illos à crimine, hos deterret à laude: & sub propriis artibus, armato principe, crescit in immensum gloriæ æmulatio; ut sub Carolo Imperatore, sub Rege Catholico, & Philippo secundo. Illud maxime caveat, ne carius constent verba, quam præmia: hoc enim militum impatientiam maxime demolitur, si præmia & supplicia sint probata à principis consilio; nam venalis merces tribuitur, emeritus præmio defraudatur.

Et si dicas, quod humana capacitas non valet omnia comprehendere; principem non pudeat consilia probatorum audire, quæ adhuc à longinquis provinciis exquirat, & à civibus suis: nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ; neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam ab humilitate.

Theopompus interroganti, quo pacto quis regnum tuto possit tueri; si amicis, inquit, concedat justam libertatem; pro viribus advigilans, ne interim subditi afficiantur injuria: multis enim principibus exitio fuit, quod amicis nihil permitterent: cives injuria affectos negligerent. De hoc infandum exemplum tulit nostra ætas in defectione Lusitaniæ, & Barchinonensis principatus. Nec princeps debet amicum inexorabili severitate alienare, nec pati regia familiaritate abuti; *Nam principis facilitas, & indulgentia*, dixit Tacitus, *in amicos, interdum in purpuratos, & incauta in eos profusio, prodidit semper præcipuas imperii vires: aperuitque injuriis despectam dignitatem: & quandiu magis poterunt illi, nunquam satis poterunt Reges; quanto magis vires illorum adultæ sunt, principis minuuntur.*

In amici animo passiones abstrusas rimari, altum petit judicium; obsequiosis enim majestatis officiis principi inservire, non est obsequium, sed ambitio: (gentili majestatis privilegio,) nam ambitioso imperio inservire, est principem exauctorare: abuti amicitia: quid inde? Utopiæ leges despectabiles fiunt, amor principis aboletur, nec minuitur tantum; imperii pertensores ipsius imperii redduntur grassatores, per occulta colloquia; promptissime enim jus regnandi gratia violatur: exemplum posteritati Lusitania tulit.

Nec quidvis audendum præter jus adversum plebejos, dixit Tacitus, qui nimium irati, sæpe Reges

Reges suos exusserunt: civile hoc est, & parenti publico consultissimum, nihil cogere: semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas.

Illud natura comparatum est, dixit Seneca, *ut altius injuriæ quam merita descendant.*

Multum momenti habet principis cauta prudentia, sed multo plus subditorum fidelitas, & recta civium institutio; dicente quodam, ideo servari Remp. Spartanorum, quod Reges scirent imperare, imo potius, inquit, quod cives sciant parere: nulla est enim ars quæ nos securos reddat rebellionis populorum.

Quid ni, si eo deveniat Reip. status, non principis, sed privi amici metu, ut omnes simul paveant, & horrore promiscuo alto pavore sileant; quis de periculo principem admonebit? quis loqui, quis hiscere audebit, dixit Tacitus, præter miseros illos qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi & attoniti, ipsam illam mutam ac sedentariam adsentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur; solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, imprimis ipse quidem censuerat; adeo nulla magis omnibus displicent quam quæ sic fiunt, licet omnibus placeant. Hæc apud nostros publicæ cladis, promiscuæ jacturæ in bello, & in pace maxima causa fuit; hinc gemitus & lamenta imperii: discant principes adclamationes veras falsasque discernere: nec enim est facile, neque semper possibile, adulationem fucatam publicæ utilitatis zelo à sincera veritate separare.

Syderis velocissimi more, debet princeps omnia perlustrare: ac invocatus statim velut Numen adesse, instar mundi rectoris; ut stetit ad Albim, Quintus Cæsar Carolus Imperator; quando suis rescripsit, *Veni, Vidi, & Vicit Deus*; quod præceptum, quod nostrorum insana securitas, & vana fiducia neglexerit, adhuc admonita universam perdidit Lusitaniam: nam si levissimis principiis obstaret; illius in ancipiti anceps nutaret sceptrum: potissimum auxiliorum est celeritas, ubi maximus hostium est tempus. Ad summum fastigium Romanum Imperium devenit inerti Sabinorum desidia: in principe refectionis instar, sit laboris mutatio.

Olim apud nostros & principes & nobiles, hæc juventutis experimenta, & hæc voluptas erat: *Certare cum fugacibus feris, cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; his artibus futuri duces imbuebantur.* Usurpabant quoque principes nostri gloriam istam; nec illa ab ullo superari patiebantur; quia his validior animus imperabat, qui talis debet esse in principe, natura aut educatione, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, nec copiæ principales ad segnitiem luxumque detorqueant: debent esse principum voluptates sitæ in magnanimitate & valore.

Artes liberales ornant principem, sed minuit æstimationem ars imperio inutilis. Neronem vile nomen fœdavit citharœdus, histrio & auriga: non enim principem decet seriarum laxamenta curarum, vitiorum contentione supplere. Habet enim illud magna fortuna, ut nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: illaque non modo domos, sed cubicula ipsa, intimos secessus recludit; omniaque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat; ut dubitare cogar, utrum sit efficacius ad recte vivendum, bene institui, an fœliciter nasci.

Nihil æque principem de vilitate arguit, ac splendorem minuit quam animus servilis, & obsequens alterius imperio: plerique principes Romæ cum essent civium domini, libertorum erant servi, dixit Tacitus, horum consiliis, horum nutu regebantur, per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos præturæ etiam ac sacerdotia, & consulatus, imo ab his petebantur. Illud princeps alta mente consideret, amico sat esse, principis amicitiæ dignum videri: quod Philippus Secundus solita prudentia æstimavit: id enim est in principe divinius, absoluta Majestas.

Nobile dedit Plinius de Trajano exemplum: *Tu libertis tuis*, inquit, *summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes, abundeque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur: scis enim præcipuum esse inditium, non magni principis magnos libertos: ac primum neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuiquam principum dilecto; statimque hos ipsos quotidie, deinde ita formas, ut se non tua fortuna, sed sua metiantur; & tanto magis digni, quibus honor omnis præstetur à nobis, quia non est necesse.*

Regis amicus debet ante electionem præmonstrari, ut olim frugalitate Pisones, sapientia Lælii, pietate Metelli, monstrabantur: nec enim videri potest optimus, nisi qui ex optimis in sua cujusque laude est præstantior: nec ulla amici est potior electio, nisi cum patent ad honores compendia: nam in malis temporibus inter mæstos & paventes occulto jacent boni; & inter securos, & gaudentes insidiosi hominum delatores & opulentia affluentes ministri; de quo certe non memoria, sed lacrimis dignum exemplum dedit nostra ætas.

Nil æque Utopiam conservat, stabilit, firmat, ac diuturnam reddit, ac pacis conservatio, in ancipiti, vel adversa fortuna, aut principis aut regni: non est eadem ratio in prospera, tunc enim & valore & armis, annuenti fortunæ oportet dare nomen: Sit adversæ exemplum Romulus, qui nutante fortuna, raptis mulieribus Sabinorum, & teneris puellis, à Sabinis pacem extorsit: è contra Carolus Quintus Cæsar, & Ludovicus Undecimus, Francorum Rex, valore & fortuna in armorum strepitu, facti sunt orbis belli, & pacis arbitri.

Nil æque Utopiæ harmoniam confundit, hominum societatem perdit, ac morum generalis corruptio vulgaris & ingenuæ plebis; fatalis & necessaria, ubi Resp. in immensum crevit: nam omnia fortunæ indulgentia prævertit. *Vetus jam pridem* (est Taciti sententia) *insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit erupitque; nam rebus modicis æqualitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus regibusque excisis, securas opes concupiscere fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere.* [2 Hist. 7.]

Mores Reip. eversos pragmaticis & legibus apud nostros manu ministrorum armata, sacra ambitione principes, ad pristinum æquitatis & justitiæ statum, redigere conantur; ac sine fructu omnia pene auxilia experiuntur; forte quia corrigendis

rigendis moribus delectus, idem est & subversor, ipsa morum corruptione defœdatus; seu quia ut Pompejus olim etiam moribus corrigendis electus, gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quæ armis amisit; ex hinc enim per viginti annos discordia, non mos, non jus, deterrima quæque impune, ac multa honesto exitio fuere.

3 Annal. 5. Hæc irrepserunt adhuc in Romana Potentia, belli occasione, luxus & opulentiæ & non per ministros tantũ, sed manu & principis exemplo, qui pleraq; pravi moris depellere curavit: multa propria manu egit princeps; nam Augustus (dicit Suetonius,) civili discordia exacta, pleraque pessimi exempli correxit, quæ in pernitiem publicam, aut ex consuetudine licentiaque bellorum civilium irrepserant, duraverantque, aut per pacem etiam præextiterant; depulso prioris sæculi malo, inertia & contumacia, & dedignatione parendi; igitur imperator grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit; ergastula recognovit, collegia præter antiqua & legitima dissolvit; tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam excussit; homines longis stipendiis & laboribus defessos in propria & quieta supellectilis possessione permisit respirare; diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit; conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret: ne quod autem maleficium negotiumve impunitate, vel mora elaberetur; in negotiis publicis die ac nocte laboravit, nullo labore, occupatione, aut solatio avocatus: nulli vices judicandi, ac æstimandi merita & supplicia elargiens; divitiis modum imposuit; ac tandem neminem summa vigilantia super imperatoriam majestatem passus est dominari; cuicumque actioni, vel privatæ, vel publicæ perpetuo assistens, semper severitate Aristarchus; nec parcus fuit in publica virtute honoranda, super triginta ducibus, justos triumphos, & aliquanto pluribus, triumphalia ornamenta discernenda curavit, &c.

in Augusto.

De Gallis apud nostros, his diebus Castellæ, maris generalis præfectus triumphavit, in veteri & invicta Cantabria, in obsidione civitatis *Fontis Rabiæ*: & Comiti-Duci à principe discernitur Triumphus, gloria & præmium expeditionis: quid inde? illud certe vidimus accidisse; (quod præmia non lege meriti largirentur,) quod *Villæ-Francæ* Marchio, & Maquatæ Dux, utriusque Regalis classis Imperatores, Gallorum classem, sinu Barchinonensi adactam & compulsam, libenter & impune dimisisset: ne hujus etiam periculi præmia, Comiti Duci, ut poculum aureum, secundo largirentur. In maximo periculo est principis imperium, si præmia, qui periculis non affuerint, consequantur; tunc enim lapsus Monarchiæ præsentaneo periculo laborat, cum præmia emeriti Achillis, linguæ fraudulentæ Ulyssis decipientis dulciter subrogantur.

Simile idem Tacitus enarrat in Tiberio; nam fine dato in Numidia triumphalibus armis, Dolabellæ petenti Triumphalia; illa Blæso elargiens: emerito Dolabellæ denegavit Tiberius, quod Sejani avunculus; ne Blæsi laus obsolesceret; sed neque Blæsus ideo illustrior, & huic negatus honor gloriam intendit.

Redeamus ad Augustum, militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit; & nunc servis ministri magis validis, non defessis & confossis militibus militiæ præmia decernuntur; equitum turmas frequenter recognovit; ac unumquemque civem rationem vitæ reddere coëgit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit; alios mulctavit, quod pecunias levioribus usuris mutuari solitas, graviori fœnore collocassent; equites attrito patrimonio non coëgit altioribus negotiis incumbere; populi recensum vicatim egit; parcissime dedit, & manu mittendi modum terminavit; Tiberio, pro cliente Græco petenti, rescripsit, non aliter se daturum, quam si præsens sibi persuasisset, quam justas petendi causas haberet: & Liviæ Augustæ, pro quodam Tribunario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans se facilius jus passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem. Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies taxavit, supplevitque non habentibus; ne emi aut vendi justitia pateretur; pro merito certantium quemque honoravit. Clementiæ civilitatisque ejus multa & magna documenta sunt: probra Æmiliani generose despexit: Tiberio quoque, de eadem re sedulo violentius apud se per epistolam conquerenti; ita rescripsit; Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hoc indulgere, & nimium indignari, quemquam esse qui de me male loquatur; satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit; tutum est reverentiam, tutum charitatem mereri.

TITULUS IV.

De exactione Tributorum.

Exigere tributa, & Principis necessitas, & antiqua regni institutio petit; & fœdus initum inter regnum & principem; & est sane de jure gentium naturali; at sæva ministrorum ambitio in illis exigendis, vertit illam principis necessitatem in tyrannidem abutens delegata potentia; ac inde subditi efferantur; nam populus ignarus non appendet necessitatem principis: sed ministri sæva executione excandescit, cum maxime videt lucrari ministros principis gratiam, crudeli tributi comparandi exactione, & principalis tributi bonam partem, attrita substantia subditi infœlicis; & compatitur, quod princeps sine præcipuo defraudetur, dum exhauritur subditus, qui patientiæ & substantiæ exhaustus, sese in desperationem præcipitat; & præceps non considerat, nec æstimat tam grande periculum jacturæ in rebellione, horum occasione concitata, quam commodum ex illa pecunia comparata; non sic Tiberius, quoniam ut dicit Tacitus, ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. *4 Annal. 2.*

Ideo nova tributa, aut recens donativum, pro subsidio illius quæ succrescit, necessitatis, semper novum periculum rebellionis afferunt; aut quia difficilius tolerantur insueta; aut quod impruden-

prudentes ministri, imperio inflati, subditi patientiam abrumpunt.

Audite duo Taciti Politici exempla : In Germania: Ideo Drusus Frisiis auro deficiente, quod coria boum pro usu militari penderent; postulavit; quod Olenius non servans causam, dedit, ut pacem exuerent, & milites tributa postulantes patibulo affigerent : quam impares effectus hi duo ministri consequuntur: Drusus nobilis, ex Cæsarum familia, societatem & pacem stabilivit, quia appendit pie, subditi & principis necessitatem in auri & argenti inopia; at crudelis Olenius, forte quia ignobilis, sævissimo imperio, subditos perduxit ad desperationem, defectionem, & suorum interitum.

Exemplum clementissimæ pietatis dedit Darius, Xerxis Pater; cum tributum indixisset subditis, accersitos provinciarum præfectos percontatus est, cum de aliis rebus, tum de tributis; essent ne gravia? cum illi respondissent, esse mediocria; jussit, ut singuli dimidium exigerent, quod præfectis moderatum videbatur; Regis æquitati visum est; *dimidio plus satis:* maluit enim suos beneficio conciliare, quam exarmatos subigere: & hoc fecit ne quemquam latuisset benignitas nunc exacta, dimidians effecit, ut omnes sentirent beneficium. Ubi est illa politica, quæ principem fere cogit subditos substantia exhaustos subigere; dicant sui tumultus & defectionis causam Barchinonenses, & Lusitani proceres; & Neapoli populares; qui adhuc sub tumultuosa seditione fluctuant, oppressi servitute & ministrorum imperiosa exactione; sub anno 1647. quorum infortunium jure vicinitatis, seu servitutis jure, ad eos subigendos nos consequitur; nam sicut in familia recentissimus quisque servorum; & conservis ludibrio est; sic in hoc orbis terrarum veteri famulatu; nos obsequio illustres, sed servitio viles in excidium petimur.

Considerent pietate & justitia principes & ministri, quod plus debet esse virium in latore, quam in onere; sed natura infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quam mala; illud nunc experimur; ut quod ambitione hauritur, per scelera suppletur; hodie enim præmia meruerunt ministrorum delicta; quoniam præmiis ministrorum gratiæ ad alia delicta emercantur; & illis emerunt inferiores ministri peccandi libertatem; hinc scandala, populi atrocitates, emerserunt; hæc seduxere populum per insecura & infida consilia; inde parum tutæ præcedentiæ; quæ omnia excipiunt Principis immeritam & recentem invidiam.

Dicet fortasse aliquis, tributa fore per manus hominum exigenda, non angelorum; & hominem avaritia & sacra auri cupiditate exuere, est æque impossibile, ac subditum postulata tribuere gratuito; quo princeps facto necessitatis obruetur, cum Regni & subditi jactura; non dico, haud fore tributa exigenda & comparanda; sed fore seditionis occasionem depellendam, & tanto magis, quanto subditum acuminat inopia; in hoc casu consulerem eligere ministros, qui pia charitate & principis amore, æqua lance, perpendat, necessitatem principis, ac subditi obligationem & substantiam, & distributionem imperati tributi, in regni & subditi custodiam; ut & fructus reddat principi: & qui energia altissimi judicii eligant minus malum in subditi salutem, & imperii gratiam; quando optimum eligere est pene impossibile: & non illos crudeles vitæ, & necis arbitros, qui tantum suo vili lucro sunt obnoxii, & non principis utili.

O Hispaniæ principes, nec vestræ Majestatis, neque nostri importuni laboris maxima cura sit, in rebellium cervice subigenda, nec excelsis construendis pyramidibus; nec perditi patrimonii instaurandi cupiditas: nec tandem sacra dominandi ambitio: id sit maximæ curæ, infideles ministros amputare, coërcere, repellere, ac divitiis affluentes male partis cum deceptæ majestatis æquitate deperdita, orbare. Horum enim sacra ac nefaria cupiditas, nec publica necessitate coërcetur, nec perditi principis patrimonii, nec vastati imperii (ut experimur hodie) compatitur; sibi uni tantum prospicit vel adhuc in extreme lamentabili clade: dummodo ejus & sacra & crudelis cupiditas satietur: cedant utique omnia in utile nostrum; operibus & verbis dicunt; ô utinam hæc veritas non esset in hac publica clade apud nostros tot exemplis fulcita: ideo forte rebellium temeritas adhuc annis exactis pro meritis non vapulat : & impune imperat Lusitania. unico verbo dicam; quod unica & sola ministrorum impunitas, & amorem principis abolevit in subditis; & invictum Hispaniæ valorem despectabilem fecit: ignavos reddidit Hispaniæ Leones; publicam societatem perdidit: imbelles ac inermes cives reddidit; ac ideo invictos fecit hostes ignavos; non enim illi valore & armis in nos pugnant, sed sola infidelium ministrorum cupiditate sacra: quæ omnes principis machinas diu noctuque diruit, ac expugnat; hæc nostra desidia palam facit, hostes docet & armat; ac de nostra fragilitate hostes; nec est mirum ut nos ignavus superet miles, si armis infidelis ministri in nos superior evadit; numerosos perdidimus exercitus, armatum militem dedimus in ruinam, alimenti, commeatus, & bellici apparatus defectu, rebus male dispositis ad militem; bene tamen ad utile ministri; suppressis undique ministrorum avaritia, & impia fraude rivulis alimenti; & auri & argenti commeatibus: ne pugnantibus pro fide & pro patria militibus adveniat: hinc ruina imperii Romani dixit Tacitus: ideo forte Augustus Imperium ingressus, primo cogitavit quos terminos imperio imponeret; quoniam quod propria virtus non comprehendit, brachiis non amplectitur, neque valet justitia & æquitate coërceri; & quod maximum est, ministrorum infidelis crudelitas non valet sub vastissimo coërceri imperio.

TITULUS V.

An princeps promissis stare teneatur?

Plerique Politici, empti principum favore & avaritia, non vera, neque catholica Religione, dixere, *Principem non teneri jure fidelitatis, nec stare promissis, nisi qua proprio utili conducit, & conservationi*; aliter enim fataliter & necessario, brevi tempore ruerent imperia.

A contrario reor, hoc unico infideli præcepto, stare universalis imperii ruinam; quoniam primo,

primo, infidelitatem docet subditos, ut par pari occasione referant; nam principis insidias metuendo, principi parant insidias; hæc ipsa simulando quæ antea dare gratissimi solebant, & detrahunt de justo & injusto: ac nemini minus credunt quam principi; & promissis in tempore acrioris necessitatis minus securi, minus fidunt, nec credunt, ac in ipsa deficiunt; & cum de principis veritate diffidant, principem justis emolumentis defraudare non verentur; & fortunæ potius, & periculis credere, manifesto discrimine student, quam principis promissis, regia majestate juratis, quę parum secura antea sunt experti; ut ea quæ principis fidei antea committere solebant, nunc potius committant infidissimis hominum, ac maris terræque periculis in ipsa infidelitate securiores. Sit hujus veritatis exemplum, auri & argenti Indiarum prodiga liberalitas, quæ clam invito principe, per occultum ad varias provincias transfertur: hæc apud nostros vidimus accidisse: nescio an temporum injuria, an hominum parum secura fide.

Et sane, si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur; at illud attendat princeps, quod ingeniosior est, ad excogitandum fraudes callida simulatio, veritate; servitus libertate; metus amore; ingenuitate calliditas; quanto magis necessitas acrioribus stimulis animum explorat. Illud ergo consultissimum reor, fidem pollicitis servare: ut enim fœlicitatis est, quantum velles, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis: & illud vincit animum, & manus subditorum, ut possit quantum velit, in ipsorum potentia, non extremo languore.

O Scylla, ô Charibdis populorum, in qua nullus non princeps periclitatur; fidem nullus non pollicetur, primo die quo ingreditur aulam; hæc singuli dixere, at creditum est nemini: erant enim sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat: quod enim tam infidum mare, quam blanditiæ principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, ut facilius esset iratis, quam propitiis credere?

Nos enim terror, & metus, & misera ex periculis facta prudentia, admonet & hortatur, ut à Rep. oculos, aures, & animos avertamus: nam in strage communi, unusquisque spoliis incumbit miserabilis regni, in prædam fere dati hominibus ex furore provectis.

At, si principes veraces & securi, quo nos vocant, sequimur; ab aliis allicimur invicti; est enim virtus adhuc grassatoribus pulcra; quo fit ut principem gratuito sequamur; ac ejus dextera, ejusque promissis freti, & innixi, obserata diuturna servitute ora reseremus, frænatamque tot malis linguam resolvamus: vis tales nos esse quales jubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, sustine in promissis veritatem: nulla te superet necessitas: non enim deceptus est princeps, nisi qui subditos decepit; ideo à Nerone defecerunt Gallia Cisalpina, & Armenia, Babylon à Dario; nemo subditos incautos putet, nisi dum fidelitatem temporum constanter experitur.

Quanto foret securius Principem fidem promissis, negotiosis hominibus servare; nam illud saltem lucratur, (quod est vix numerabile) ut quod est Cæsaris, reddant Cæsari: & reliquum fortasse in urgentiæ necessitatem obtulerint: & homines illi (quibus pondus Monarchiæ consistit) neque suo utili fraudarentur; & ipsa fidelitate securi, fidelius assisterent, & regno; & principi: nec aurum & argentum in hostes transferrent, cum regni & principis periculo: nec leviter sentientes seducat, quod morosus populus semper est infidelis: is enim semper occasione seducitur; nam Barchinonenses, antiquæ libertatis occasione, fluctuant, ac petunt, ut immunitates illas à Regibus antiquis irrogatas, princeps noster observet, firmet, & stabiliat; sed illud in illis non potest excusari; barbara violentia, extrema desperatio.

Ac ideo caute legenda censeo quæ impii Politici de principis necessitate & lucro tradiderunt: in hoc enim principum dignitatem plerique posuerunt, ut fidem non servare, ni qua proprio utili conducit, sit maxime regium & excelsum. Hæc sunt impii Machiavelli verba. *Num putas, nos eum magnum hominem appellare, qui societatem humanam, & nimiam in colenda fide religionem, emolumentis suis anteponit; & non eum potius qui omnia ad suam amplitudinem dirigit?* Hæc fortasse ad suum peculiare dogma transtulit ex alia impia Taciti politici sententia: *Non enim ignavia*, inquit, *magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna æquius, quod validius: & sua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse.* (*lib. 15. Annal. cap. 1.*)

Mitto hos non colere societatis fidem, neque religionem, quibus regni fundamenta consistunt; ut etiam placuit Tacito; dimitto etiam fœdam principis turpitudinem, impia solertia, & astuta fallacia contractam: quæ tot principes deturbavit imperio; dimitto tandem profugia bonorum, præcipua Reip. munimenta esse; sunt enim nervi validissimi, Reip. subditorum divitiæ: nonne princeps firmavit clavum in potestate aulæ, an in brachio subditorum & regni; cui unquam fidem servare placuit, sibi violata fide; aut ergo inveterata dominandi consuetudo principum, & subditorum naturam permutavit, ut illos à legibus disciplinæ, & naturæ absolvat: aut adigit adhuc sub ipso jugo legum. Si primum, cedimus quæstionem Machiavello: si secundum, aut princeps tenetur fœderi quod cum populo iniit; aut à consuetudine dominandi absolvitur.

Fœdus erat, populum in pace tueri & justitia: & opes populum ministrare, ut auctoritas regia armis, si opus esset, tueretur: nulla consuetudine legimus principes esse à fœdere absolutos: cum adhuc populus non cesset à contractu. Est ne populum in justitia & pace continere, fidem non servare, nec stare promissis, & populum decipere; hoc dicat ipse Machiavellus; ergo deficit princeps in regia virtute, in qua consistit omnis essentia contractus, quæ aut est certe justitia, aut nulla prorsus est; propter cujus defectum tot seditiones, tumultus, & defectiones adhuc vidimus à naturali principe in variis provinciis.

A principio enim illa regia virtus Reges in solio constituit, auxit, & ad summum fastigium dignitatis evexit: & dicere, principem justitiæ non teneri, hominis dementis est, & maximis in re-

bus turpissime delirantis: cum sit justitia regnorum & publicæ utilitatis unica conservatrix, ut politicæ, & barbaræ nationes fatentur.

Præterquam quod si princeps dirimit essentiam contractus, subditum à jure obedientiæ absolvit; nisi sit excusatio de violata fide: si illud, in utile commune, & publicam utilitatem cedit: nam sicut in rebus quæ natura constant, ejus perfectio, est earum virtus: sic in iis quæ arte & studio consistunt, erit virtus, artificis perfectio: cum nulla ergo magis principis perfectionem, in summo gradu collocet, quam justitia, & æquitas, illa erit hujus artis perfectio; nil enim ad summam perfectionem venit, quod propria virtute careat: imo, omnis perfectio corrumpitur à virtutis contrario: ergo si perfidia & injuria, est justitiæ contraria, necessario regiam perfectionem destruet, quæ in illa consistit; ac per consequens, princeps, qui nec justitiam, nec honestatem colit, se orbat regia dignitate: ac illum ne principem, sed ne hominem quidem appellare fas erit.

Neque dicas, quod sicut Olympus est extra nostram aëris regionem, sic regia majestas auram popularem supergreditur; ac propria consilia populo non tenetur detegere, ne vilescant: nam quæ à populo judicantur injusta, poterunt esse circa subjectam principis materiam, justissima. Hæc altius involvunt labyrinthum: illud tantum attende, quod Regum & justitiæ princeps, Christus Dominus, suo populo satisfacere etiam dignatus est, quando dixit, Popule meus, quid feci tibi, aut quid in tui gratiam non feci; nam sicut homines justum imperium sequuntur libentissime, sic injusto penitus reluctantur.

Illustria exempla hujus necessitatis inviolatæ fidei, posteritati consecravit Vetustas, Regulus, ne fidem hosti datam falleret, ad exquisitissima supplicia subeunda Carthaginem profectus est, libenter & nullo compellente. Æmilius Paulus se optare, mortem subire potius, dixit, quam fidem amico datam violare. Pomponius, vir insignis; (ne fidem patriæ datam violaret) multis vulneribus in bello acceptis, ductus ad Mithridatem, cum ab eo quæreretur, an curatus vellet sibi esse amicus; si tu, inquit, Romanis amicus eris, me quoque amicum habebis! Cum quidam fugiens Alexandrum, rupem inexpugnabilem occuparet; fidem libertatis Alexander promisit, si se traderet; quod ille ocius & sedulo fecit; tunc Alexander, ne fidem datam falleret, dixit, vir iste mihi videtur prudens, qui se maluit bono viro quam loco munito concredere. Cæsarea majestas Caroli Quinti imperatoris maximi, Lutherum, hæresiarcham impium, indemnem & immunem Concilio Tridentino reservavit: regiam ne fidem datam falleret, homini summa vanitate insolentissimo, luxuria, ebrietate, ac omni vitiorum impuritate scelestissimo, adhuc sub illo notissimo periculo, late vagantis hæresis per orbem universum: sunt enim Regis verba, veritatis asylum: turpius judicans promissis Regiæ majestatis deficere, quam periculum religionem pati; quod sibi plerique viri antea prædixere: quis enim inquit postea principis fidei se concredere audebit; si nostra nunc promissa fides deficit: & ita factum est, ut postea hæresis impii insolentis pestilentia universam Germaniam vastaverit, excepto imperio Romano & Austriæ Catholicæ.

Victa Pœnorum classe, ad Siciliam, Pœnorum duces de petenda pace, à Romanis, consulunt inter se, (paucis ante diebus legato Romano interfecto) quorum Amilchar noluit ad consules ire, ne sibi quod Cornelio ab ipsis interfecto contigisset. Annon autem certior Romani animi æstimator, nil tale timendum ratus, maxima cum fiducia, Romanorum colloquio accessit: & cum, de fine belli ageret, & Tribunus militum ei dixisset, posse illi merito evenire quod Cornelio accidisset apud suos, tunc consul imperato silentio, Tribuno, Isto te, inquit, metu, Anno, fides civitatis nostræ liberat. Cui responso addit & merito Valerius; claros illos fecerat tantum hostium ducem vincere potuisse, sed multo clariores fecit voluisse. *lib. 6. de fide publica.*

Hæc & alia exempla superior Africanus sequutus, cum onustam multis, & illustrium Carthaginensium viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant, licet non ita esset, ut Romani imperatoris potius decepta fides, quam frusta implorata videretur.

Nobiles Hispani Saguntini, ne data fide Romanis deficerent, victricibus Annibalis armis, intra mænia urbis suæ compulsi; collatis in forum quæ unicuique erant carissima, publico & communi rogo semet ipsos superjecerunt. *Crediderim*, inquit Valerius, *tunc ipsam fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum: perseverantissimum sui cultum, iniquæ fortunæ judicio, tam acerbo exitu damnatum cernentem.*

Simile accidisse legimus Petilinis obsessis à gentibus Pænorum, qui ne fidem Romanæ societatis exuerent, permiserunt antea totam eorum civitatem expirare, ut Annibali non Petiliam, sed fidei Petillinæ sepulcrum capere contigisset.

Bella Romani principes, nisi lacessiti injuria, inferebant, ne fidem datam fallerent: nec ad arma currere fas erat; nisi aliis auxiliis sine fructu tentatis, & solemni ritu bello antea denuntiato: & tali fide etiam promissis stabant, adhuc subactis Regibus, ut ipsi patroni fierent postea more majorum, & præsiderent Regnis, quos ubi semel in fidem recepissent, tutati sunt adhuc sub armorum discrimine.

Quandiu igitur Resp. Romana justitia & æquitate floruit, fuitque cunctarum gentium commune perfugium, altera manu tenuit Orientem, altera Occidentem: at postquam fides & justitia defecerunt, & principes invasit sine fine ambitio, & misera & infelix avaritia: & postquam subditas gentes deprædari cœperunt, exhaurire provincias & jura subditorum violare: mox cœpit majestatis altitudo decrescere, & cœperunt inter gentes & populos tumultus, ac seditiones excitari, alternatæ & promiscuæ defectiones, donec omnis potentia tam vasti & nobilis imperii, in ignobilem servitutem verteretur: evanuit enim illorum, sicut fumus, imperium.

O principes, cavete & discite capite alieno! tam indissolubili enim nexu devincta est cum Religione Fides, ut Romanos, Politicæ disciplinæ sapientes, licet vanæ religionis homines, impulerit,

pulerit, ut fidem in Capitolio prope Jovem summa religione consecrarent: nam sapienter noverant, diu Remp. haud posse Fide violata permanere.

Furor ergo est, profectò furor, perfidiam summis viris utilem prædicare.

Et si dixeris illud hodie in maximis imperiis practicari, neque principem ex violata fide infamiam incurrere, imo opes augere & potentiam; hoc tibi fateor perlibenter; si vir tam improbus inter homines esset, qui in magna amicorum inopia, hominibus infensis velit opibus, per injuriam partis, diu & sine cura frui; & illud judicaret posse per longum tempus permanere: sed illud non excusat amentiam, quæ est una species furoris: *Nullum enim violentum est perpetuum*, dixit Aristoteles: & sunt inter homines tot furoris species, quot hominum depravata judicia: & furor politicam disciplinam non constituit, sed prudentia inaspectabili, rerum observatione confirmata.

Quis enim erit vir animi generosi, qui velit ob utile incertum fidei & honestatis laude spoliari, & qui divitias virtutis ornamentis ante ponere: quis non vellet odium & infamiam apud suos cum maximo vitæ periculo declinare: si plerique, ut illa fugerent, vitam libenter obtulerunt; ne splendorem honestatis amitterent: tanta est enim hodie apud nobiles nostros sacrosancti jurisjurandi fides, quæ in manibus principis, aut alterius nobilis celebratur, ut vitam ensi libentius obtulerint, quam fidem datam fallere; ne promissis deficere viderentur cum honoris jactura.

Sed jam video quid mihi Politici respondeant; hæc sunt illius aurei antiquissimi sæculi; & illud erat *olim*; & homines, ut sæcula, ad tempora mutantur, & temporibus serviunt, & moribus hujus & illius sæculi adaptantur: & hæc politica summis placuit viris. O sophisticæ rationes, splendore utilitatis fucatæ! non ne vitia sunt hominum, an temporum? *Erunt enim vitia, donec homines*, dixit Tacit: & talis est hæc politica, ut nullus principum palam eam fateri audeat, sed illam per occultum in tenebris exercet, & in occasione nullus non ad practicam reducit, & palam detestatur: nobis sat est, si illud ut detestabile vitium æstimetur; quod in orbem induxit principum sine fine ambitio, & sacra dominandi libido, & orta suis principiis attestantur; hæc est belli occasio, malorum ultimum, & ultima Reip. pernities.

Attamen compulsus, promissis stare non tenetur, quoniam tunc violentiæ cedit, non obligationi, ut Carolus Quintus, maximus imperator, Parisiis adactus in promissis status Mediolani: ut etiam non tenetur Franciscus Francorum Rex hujus nominis primus: à nostris Viennæ captus sub aquilis & signis, ac in Hispaniam transvectus, ubi etiam compulsus, promissis stare non tenetur.

Hanc artem super omnes hodie impie coluerunt duo viri Politici, apud suos principes validissimi, ad invicem imperio & potentia certantes.

TITULUS VI.

De artibus privi amici Regis.

Vim retinendi principis amicitiam, Ælius Seianus posteritati docuit; sed non impune tulit, non enim favoris rotam suffluminare valuit.

Maxima & prima imperii instrumenta, sunt venenorum artifices, ac deinde venefici; delatores non ultima; adulatores, ac validi proclamatores; sunt extrema: illud attendant principes; quod validus nullum quod gratiam tuebitur facinus recusabit.

Ea ira Numinum in res Romanas fuit, (dixit Tacitus) ut in desolationem imperii excessum charitatis Tiberii in Seianum permitteret; ut alio excessu ad illius ruinam non indigeret: imperii Romani desolatio summam potentiam Seiano comparavit: at illa pariter fatalem illius animavit ruinam: initio imperii in principis & Reip. utilitatem omnia referenda curavit: nam incipiente adhuc potentia, bonis consiliis innotescere volebat, habitus & vitæ moderatione, intus ambitione, cohibita: is Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret: non tam solertia (quippe eisdem artibus victus est) quam Deûm ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque.

Vir iste erat laborum patiens, animo audax, sui tegens, in alios criminator, justa adulatio, & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, ejusque causa modo largitio & luxus, sæpius industria & vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando regno fingebantur.

Is Liviam Drusi uxorem, ut amore incensus, adulterio pellexit, & postquam primi flagitii potitus est, neque fœmina amissa pudicitia alia abnuerit, ad conjugii spem, consortium regni, & necem mariti impulit; sumitur in conscientiam Eudemus, & Medicus Liviæ, specie artis, frequens secretis; pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres libros susceperat, ne pellici suspectaretur: sed magnitudo facinoris metum prolationis diversa interdum consilia adferebat! Seianus igitur maturandum ratus, deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adsimilaretur; id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annis cognitum est; ordo alioquin sceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est.

Postea vero Seianus ubi vidit mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mærore publico esse; ferox scelerum, & quia prima provenerant, volutare secum cœpit, quo nam modo Germanici liberos perverteret; quorum non dubia successio; neque spargi venenum in tres poterat: egregia custodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili: igitur contumaciam, insectare vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare: ut superbiam fœcunditate subnixam popularibus studiis, inhiare dominationi, apud Cæsarem arguerent, quæ callidis criminationibus per familiares intendebat.

Hæ sunt, ô principes, privi amici artes: & summa est stultitia, credere esse plus quam unicum negotium in orbe, *sua cuique utilitas*. Et

summos imperii pati labores, in fastigio gratiæ, ob solam principis gratiam, credat alius; prima enim validi amici politica, principem muris & vallis obsidet, ne lux quidem solis valeat penetrare, ne principem de artibus furati imperii admoneat; quoniam in astu & calliditate consistit conservatio; & quod magis est, principis gratia, laboribus lucratur, ut fucato fidelitatis zelo, tyrannidis species; quæ ad sui tutelam amat graviora præsidia, & nulli parcit, licet violentissimo, si illi fini conducit: ad hoc enim super omnia palliata adjuvat simulatio, & subtilis suadendi rhetorica, res variis coloribus vestire solita: hæc machinas primo intendit, in res illas principis favore & gratia munitas, illas prius exarmat, ac postea dejicit & quatit: ac præmiis (meritorum supplicia) in alias provincias transmittit ab aula, & à Regis charitate avertit; (amor enim familiari consortio conservatur;) usque dum principi dominetur, inter confusam curarum multitudinem; quam leni calliditate satagit sublevare; ut majorem principis gratiam mereatur; & Regalis majestas ob nobilitatis gratitudinem, adhuc cognitam deceptionem patitur, non ita grave judicans decepta fides, quam frustra implorata; ac rubori est principi, quod charitate præcipuus, non fortuna alios antecellat.

Facile est principem ad mores validi amici declinare, consuetudine, amicitia, & tempore, imbutis moribus; sit exemplum Tiberius. Is enim ad nonum usque annum recte imperavit, dixit Tacitus, cum repente, (post consuetudinem Seiani) turbari fortuna cœpit, sævire ipse, ac sævientibus vires præbere, initium, & causa, penes Ælium Seianum, qui Tiberium variis artibus devinxit: è contra in Augusto ideo forte Mæcenas, ætate jam provecta, speciem magis in amicitia principis, quam vim retinuit; idque & Mæcenati acciderat fato potentiæ, raro sempiternæ.

4. Annal. 1. *3 Annal. 6.*

Principi id sit maxime curæ, populi libertatem à privi validi tyrannide liberare, ne se populus fatali servituti consideret addictum, & alio quam principis imperio: adhuc legati Barchinonenses hanc servitutem lugent; & abnegatam libertatem, in principis colloquium: Tullius ab Androne quodam Laodiceo salutatus, cum adventus causam percontatus, intellexisset illum pro patriæ libertate ad Cæsarem venisse, Græcis verbis expressit publicam servitutem: si impetras, inquit, etiam pro nobis legatus esto, sive pro nobis orato.

Vis, ô princeps, esse summis ac infimis charus; fac ut omnes te norint principem: & ut ministri, non auribus tuis, sed oculis probentur: clamores populi apud te publica necessitate, non vago rumore metiantur, sciant futuri principes, velint nolint, perinde de moribus suis, conjecturam homines esse facturos, prout publica fama vitii aut virtutis spargitur in populos, non prout vagus clamor adulantum: quoniam arcus, statuas, imagines & alta ædificia, demolitur & obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas: contemptor contra, ambitionis & infinitæ posteritatis domitor, ac frænator animus, ipsa vetustate florescit: nec ab illis magis laudatur, quam quibus minime necesse est: & laudari, nisi optimus, vere non potest. Nomen nostrum universæ nationes timuerunt, rebus gestis perculsæ: nunc forte nos conservat posterorum fœlicitas, & valor: aliquid nos etiam faciamus, ut de nobis dicant etiam posteri nostri: ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis quam audientibus insidiantes susurros: nam melius omnibus, quam singulis creditur: ac favor unius deceptionis periculo laborat: singuli enim decipere & decipi possunt, nemo, omnes: neminem omnes fefellerunt: & principis exemplum debet esse quod boni sequantur, & mali mirentur. Non ibimus inficias, esse aliquem privum Regis amicum, qui bonis innotescere consiliis incipiat; sed est talis conditionis favor, ut si prorsus naturam non mutaverit, in illo oculorum aciem in fastigio turbet, ut pericula in profundo non videat; nec inficior, pollicita, pro statu præsenti, se semper præstiturum existimare; sed hoc aut humana fragilitas non patitur, aut ipsarum passionum excessus; qui, cum superiorem non agnoscat, alterius naturæ se considerat: hoc omnes pollicentur, (animo decipiendi potius quam præstandi;) quod Mamertinus vir consularis in Panegyrico ad Julianum principem, sub amici Regis persona dixit; sed illud neminem vidimus præstitisse: *Hoc tibi polliceor, ô princeps,* (dixit ille) *semperque præstabo, mihi nec in suggerendis consiliis veritati, nec in adeundis (si res poposcerit) periculis animum; nec in sententia simpliciter ferenda, fidem: nec in hominum voluntatibus, pro Rep. teque lædendis, libertatem: nec in augendis imperii tui commodis, grati animi benevolentiam defuturam, &c.* Dic nobis ô prudens, Mamertinus quid principi & populo polliciturus erat, ad favorem eventus; furem aut perduellium; impium aut latronem; quod principis gratiam mereatur, pollicetur; ac præstat postea quod consulit, politica, tuendi & conservandi gratiam; licet jus & fas gentium violetur.

TITULUS VII.

De Vtopiæ civili disciplina, ac animorum cultu.

Civilis disciplina instruxit homines ad vitam in communi degendam: hæc hominum societatem copulavit: & quæ homines dissociare facit, est incivilis; & barbara: ad illud varia instrumenta homines invenerunt, quæ illos aut recta via ducerent, aut cogerent. Nam duplex est animorum cultus; primum docuit philosophia, qua nobilia ingenia sapientiæ opinionibus excoluntur: secundum, sunt leges, & severa urbium instituta, quibus imperfecti & mediocres homines, ad officium, vel ad artem erudiuntur; sive sub militari disciplina continentur: nam id quod præstat animis nobilissimis, rerum altissimarum cognitio; hoc præstat multitudini, civilis disciplinæ institutio. Utriusque enim ea facultas est, ut coërceat ratio, aut supplicii metus impetum passionum. Quare in Utopia amantes sapientiam debent laudibus adjuvari, & præmiis extolli; ut illam sapientiam ediscant, ad quam inclinat genium: sic enim evadunt præclare sapientes: qui sunt moribus non bene instituti, ad illum artis aut officii locum sunt ducendi, ubi præclaræ artes excoluntur, ut eligant secundum mentis impetum,

petum, ut evadant excellentes artifices: qui vero sunt propensi ad honestatem, & diligunt quietem, sub legibus viventes, indies honestiores fiunt; & hi cives erunt Reip. gubernandæ aptissimi: illi vero qui quietem non amant, turbulenti; hi sunt bellico exercitio deserendi: interdum impellendi ne Remp. turbent; ut fecit Dux Hetruriæ, Hieronymo Galarso Flavio Picolomini; qui præclari duces postea evaserunt.

Sunt etiam nefarii & scelerati homines de medio tollendi: mediocres vero & spectatæ indolis, licet nondum consistant, sunt ad honestatis laudem & honoris præmium incitandi: nam ii multitudinem bonam & obsequentem faciunt: omnes tamen decet à principio severa disciplina continere; ut obsequio tantopere necessario assuescant.

Leges sunt præscripta rationis, ad officium impellentia, & à flagitio quantum viribus consequi potest, avocantia: hæ etiam ut medicina resecat partes quas sanare non valet, ne corpus universum corrumpant: ac ideo scelus inexpiabile extremo supplicio medentur, ut Reip. integritatem tueantur; ne ubi desperata est salus, infamentur remedia, quæ aliis fuere saluti.

Nec vos seducat, flagitiosos homines impia solertia, & virtutis simulatione, aut amicorum ambitu, opes consequi, plausum, honores, & imperia, & ab omnibus laudari & timeri; dum in angulo sedent præstantes & generosi viri; qui in occulto clamant, & se loquaci silentio ostendunt: quia illos aut fortuna conservat, ut præcipitet; aut ipsi vitiis superant vitia: nam arcana mentis indicant nefaria consilia, & vapulant fortuna; & licet plausum & laudem consequantur, non consequuntur gloriam: nihil enim est virtute & honestate plausibilius: præclare dixit Socrates: *Ea sola est ad gloriam via, quæ candida veritate munitur.* Graviter dixit Cyrus, nil est utilius opinione veræ sapientiæ ad milites imperio continendos. Quomodo igitur id assequar, dixit Cambyses, ut me omnes vere sapientem opinentur? una est, inquit, via, ô fili ad illustre SAPIENTIÆ nomen, in quovis genere consequendum, nempe Sapientiam ipsam complecti: quod quidem in res singulas inquirens verum esse deprehendes; aliter enim tui periculo facto, & defecta inscitia, omnium conscientia convicta, tuam certe arguent insolentiam, & nomen sapientiæ peribit apud omnes; nam sola virtus & sapientia firmam & stabilem gloriam, & diu permansuram conciliat; quoniam est multitudini grata, jucunda bonis, improbis admiranda, & omnibus laudabilis.

TITULUS VIII.

De necessitate Temperantiæ ad Utopiam.

Temperantia in principe, civium & regni passiones moderatur, ut valor cives incitat ad majora facinora; severitas coërcet, prudentia temperat, solertia provider: avaritia perdit; ignavia emollit; otiatur desidia: principis præsentia gloriæ cupiditatem auget; crudelitas timidos & cautos reddit, ac libertatem adimit; nam periculi timor animos acrioribus stimulis explorat: illiberalis servitus, secreta colloquia inter cives & principes alienos inducit. O utinam hujus calamitatis non essent tot infœlicia exempla.

Illa tamen inter principis ornamenta gigantizat modesta Temperantia: est enim *alpha* & *omega* aliarum virtutum, in hac omne decus honestatis consistit: est enim præclarum lumen intelligentiæ, clara intellectus illustratio, intra limites continet cæteras passiones; sed maxime prudentiam illustrat & conservat, de periculis admonet; & in futurum providet: & est rationis ministra, passionibus imperat; libidinem coërcet, voluptati obsistit; imperat vanitati: iram fœnat, ac motus animi turbulentos propium ad nutum dirigit; ac super omnia regium munus implet: ideo Prudentia & Justitia nomine Modestiæ continentur: nec generosus animus res arduas & excelsas valet absque Temperantia moderari: quin excedat ad extremum furoris: est unicum fœlicitatis ornamentum, infœlicitatis solatium; in omni officio & munere, modum tenere facit; excessum non tantum passionum, sed virtutem coërcet, & in mensura continet: ac ideo est primum hominis ornamentum, sine quo Utopia consistere non valet; in ordine enim vitæ, constantia sita est & honestas; omnis in confusione turpitudo.

Ideo forte morales virtutes illustrium virorum non meruere gloriam defectu temperantiæ, ut Cæsaris, Annibalis, Alexandri, Pausaniæ. Plato omnem vitæ dignitatem in animi moderatione collocavit. Plura Seneca de Animi temperantia disseruit, sed divitias animo non æquavit: non est enim facile bene temperantiam fœlicitate uti: *Qui se ipsum sufficientem probat*, dixit Plato, *se, domum, universamque patriam funditus evertit.* *lib. 4. de Legib.*

TITULUS IX.

Veræ Gloriæ æmulatio Utopiam conservat.

Nil æque Remp. reddit inexpugnabilem, nil æque Utopiam adornat, quam laudabilis civium, ad Gloriam æmulatio: & nulla est temporum major invidia; nec ullum efficacius contra vitiorum illuviem auxilium; nam subditorum qualitas potius, quam numerosa quantitas Utopiam reddidit Gloriosam; nil enim æque valet ad præsentes ampla dignitatis specie commovendos, nec ad omnem posteritatem exemplo virtutis inflammandam; nec certe est credendum fieri potuisse, in tanta scelerum omnium colluvie, crescente subinde luxuria, ambitione, avaritia, & hominum torpore, mentes humanas obruente, ut aliquod virtutis & industriæ vestigium in hominum vita resideret, nisi quorundam animi virtutis egregiæ monimentis excitati, sese ad virtutis studium applicuissent.

Laus & valore nobilitata gloria, hominum dignitate florentium, communi plausu, celebrata & monumentis annalium conservata, animos in otio languentes suscitat; segnitie torpentes elevat & amore dignitatis incendit: & tandem efficit, ut aspera quantumvis difficilia contemnat; & honestatem in maximis laboribus & periculis acri studio, consequi non desistat; ad quid quæso, nobis illustrium virorum facinora proposuit vetustas, nisi ut animos ad gloriam excitaret; aut ut vitia, quæ hæc aut illa ætas, longa fœlicitate, aut variarum nationum dominatione, in animos inse-

inseruit, è radice evelleret; & ad virtutis pulcritudinem impelleret; cum maxime illud ratum habemus, quod homines hodie magis exemplo quam ingenio peccant.

Quare ad homines in officio continendos nil utilius, nec ad communis vitæ cultum salutarius invenies, quam præclara exempla, gloriosæ virtutis ornamenta; nam omnes certe juvant; plerosq; incitat illorum gloria æternis monimentis celebrata; quanto magis est communi saluti consulendum? quoniam gloriam non intendere, est se ipsum vita & honore privare, & utili communi, patriam; & communem naturam, nobili hominis attributo: cum non sit homo sibi soli natus, sed patriæ, ac Reip. etiam universæ: cum hominis generosi sit officium, consulere utilitati publicæ, ut communis natura, & ipsum universum conservetur.

Si ergo te laudis pulcritudo non allicit, alliciat te utilitas communis ad gloriã amandam; quoniam si ipsam nobilitatem despicis, aut non assequeris qualem fructum rebus humanis afferat: aut si id quidem calles, sed ad te pertinere non putas, desine esse homo; cole sylvas brutorum; nam inhumanus & ferus existimandus es: hominis enim divinitatem despicis, & communem salutem: quæ nemo potest sine gravi discrimine abjicere.

Mortalium bonorum hoc est summum, cui sunt omnia studia & officia, & vitæ consilia referenda: in hoc nobiliores exercentur virtutes: & maxime possumus in illis summo placere Numini; si per illud Numen inaspectabile, magnifice apud omnes nationes illustratur. Quid enim Dei gloriam clariorem efficiet, quam hominis Christiani, & gloria & dignitas, & divinæ virtutis æmulatio, in claritate nominis? taliter enim gentes à nostris alienæ, nostram Religionem venerantur, & Christum Dominum Redemptorem, qualiter mores nostros considerant, Christianæ Religioni, & divino cultui consecratos: & tales fieri concupiscunt, quales nos gloria & dignitate præditos existimant, & nobilis virtutis amatores.

Nec illud est præclarum, quod inani virtutis specie simulatur, & in hominum gloria; nam qui ultimum vitæ finem in humana laude constituunt, neque virtutem colunt, neque veram gloriam assequuntur: sed virtutem veram simulando, impium scelus in se ipsos ascifcunt: impium enim est, summum Bonum in gloria, in laude, ne dum in ipsa virtute collocare; cum solus Deus altissimus, sit ultimum bonorum, cui sunt omnia vitæ consilia dirigenda, & ad illius gloriam referenda. qui enim gloriam, ut summum bonum, respicit, & fructum virtutis, & virtutem amittit: nulla enim virtus esse potest, nisi ad Deum, virtutis auctorem, referatur; & pereunte virtute, gloriam una perire, est necesse: & ita natura comparatum est, ut nulla gloriæ celsitudo possit consistere, nisi apud illos qui in Deum respiciunt; & omnem nominis celebritatem, & famæ gloriam, ad divini nominis amplitudinem, & gloriam dirigenda existimant.

Et quando Christus Dominus nos à gloriæ studio deterret, non à vera Gloria revocare contendit, sed ab illa inanitate laudis, quæ gloriæ pulcritudinem æmulatur; nam gloriæ splendor tantus est, ut illius etiam species homines honestatis amore flagrantes, commoveat, illisque sæpe ruinæ periculum intendat: sunt enim vitia in virtutis confinio collocata: ac ideo plerisque solius gloriæ laude inebriati, suum bonum in illa posuere, non attendentes ad laudis & gloriæ originem.

Ne igitur insita laudis cupiditate prolapsi corruamus, illa cautio adhibenda est; ne scilicet opes nostras ostentemus; dein illum assequamur statum in quo tuto eas explicare possimus: fructum tantum nobis laudis quærentes: veram laudem & gloriam in solum Deum, & publicam salutem referentes: utrumque Christo Domino placere scimus, qui cum nos videret lubrico loco natos, vanitati resistere haud ullo pacto posse, ab ostentatione periculosa, & omni lapsus occasione, voluit deterrendos; at illos, qui sunt adversus omnes laudis insidias salutari præsidio præmuniti, impulit ad virtutum exempla proferenda; ut debiliores ad virtutis gloriam excitaret: sed illos tantum odit, qui, ut summum bonum, Gloriam intuentur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, dixit, *ut videant opera vestra bona.*

Si ergo is, qui tradit veræ Gloriæ disciplinam, & qui nobis certam viam veritatis ostendit, nos à vera Gloria deterret, sed potius ad illius studium incitat & incendit; clare patet, hanc esse non tantum vitæ Politicæ, sed etiam Christianæ maximum ornamentum; si nos hac Catholica disciplina abuti vanitas non seducit.

Illud tandem considera, nullum esse aptius virtutis instrumentum (est enim Gloria divinum beneficium) nec ad vitam recte instituendam salutarius, quam hic Gloriæ amor, & nominis celebritas: ob hoc fortasse conditor Christianæ disciplinæ discipulos universam terram penetrare mandavit, ut homines, suæ dignitatis oblitos, vitiorum vilitate consopitos, ad Virtutem & Gloriam amandam excitarent. Non est igitur gloria negligenda, sed aptandum (hoc proposito fine) ut omnes Universi nationes fama penetret nostra, & claritatis nomen, ne unquam deleatur: est enim votum illud & valore illustre, pietate sanctissimum: & Gloriam despicere, non tantum animum de abjecta arguit vilitate, sed omnibus naturæ legibus, ac divinis institutis repugnat: nec est aliud Gloriam à Virtute repellere, quam orbare solem luce, & munera divina aspernari, communem utilitatem pro nihilo habere, ac de Gloria nominis Divini non curare.

TITULUS X.

De vera & fucata nobilitate, quantum Vtopiæ conducit.

Tale est ad mores alliciendos exemplum, ut illa quæ multitudo concipit vitia, summis viris censeam adscribenda: nunquam enim populus se tantis flagitiis inquinasset, nisi illum nobilitas perverteret; ni etiam fuisset ad immensam luxuriam & infinitam cupiditatem, nobilitatis exemplo incitati: quo fere accidit, ut civium libidines quas amplissimi viri, vel solo continentiæ exemplo, frangere debuissent, vitæ turpitudine augeant; vehementer incendant; quæ ubi plebs conce-

concepit, neque legum autoritate, nec hominum supplicio, neque pallido metu poterunt cohiberi, ne in Reip. pernitiem erumpant: hæc tamen omnia poterant unico continentiæ & virtutis exemplo, severa principis & magistratus disciplina, sub mediocritate contineri: G. Volusio, & P. Scipione Coss. dixit Tacitus, otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera urbis, & lupanaria, & diverticula veste servili, in dissimulationem sui, compositus, pererrabat; comitantibus qui raperent, ad venditionem composita, & obviis vulnera inferrent adversus ignaros: adeo ut ipse quoque acciperet ictus & ore præferret; deinde ubi Cæsarem esse, qui grassaretur pernotuit; augebanturque injuriæ adversus viros fœminasque insignes: & quidam simili licentia sub nomine Neronis, multi propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur. Nollem in periculosa navigatione vela solvere, dum maxime cominus instat portus: nam severitatem, ut audio, his annis depulit, de summa sede Clementia: tu etiam noli, ad credulam spei perplexæ auram antennas solvere: ego enim cum Stratonico dixerim, ex omnibus navigiis tutissima esse quæ in terram nauta subduxit. Pelagus immensum, & inextricabilis labyrinthus est, de recenti nobilitate disputare: quoniam nummaria nobilitas hodie magis valida est: is enim hodie princeps est, qui requiem non tantum orbis sui medio, sed & Metis indulsit: in hoc tamen primum te scire oportet, nihil tam sanctum esse, quod diuturnitas temporis non corrumpat, multaque probe a majoribus instituta, uno senectutis vitio deflexisse in turpissimos ritus, qui tempore dulcescunt; & à viris temperatis tolerantur. Ferunt, olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis nota discriminatam: hinc magnates constitui, hinc honores & cultus in ipsos delati, ab iis qui ad tam sanctum splendorem obstupescebant: hoc, priscis temporibus, unicum medium erat emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares esse natura jussisset: hodie rara sunt, & valde incerta vestigia quæ nos ducant ad venerabiles antiquitatis stirpes: plerisque enim increscit vel in familias casus, vel error in cognomina: & si bene rationem ponis, virtutis jam opus agunt nummi; & ut quisque ad decies centena pervenit, facillime de plebis tabula nomen suum eruit; & vel emptis fascibus colitur, vel indigno conjugio superbit, & illustrem sanguinem fœda rusticitate maculat, aut vilitate fœdiori: nec huic serpenti malo obsistere facile tibi erit; nam hodie non ingenii, non naturæ, sed conditionis & temporum vitio peccatur: modestus enim sua sponte animus, inclinatione sæculi rapitur in solutiora consilia; nunquam enim effusior libido, nec ambitus amentior, nunquam denique se latius effudit male dicendi licentia, non impudentior calumnia; nec arena crudelior: his tamen vulgi conditionibus statera libratis, animum debemus ad tempora componere: magna est sapientia interdum decedere, vel per speciem de recto sapientiæ cursu; tibi vero etiam necessitatem fortuna imponit: finge ad tempus amentiam, prudentior, cum voles, recesseris de concepto per simulationem morbo; multis profuit commento versatili omnem speciem induisse.

Non Paridi nocuit Idæum pascuum, non Apollini pastoris effigies, neque Jovi tauri: Deos Ægyptus humilibus formis abscondit: *Nec magnum ambigui fregerunt Canea sexus*; nec semper æque tutum, æquabilium morum integritatem afferre inter proceres, quæ vel reliquorum vitam notet, arguat, aut contemnat, vel ut insolens & multis jam extensa, sæculis notetur; & si instat necessitas ferendi, constantia iræ pertinacia est vincenda.

His autem temporum infœlicitati derelictis; nil Utopiam æque fœlicem reddit, ac in Rep. ordines separare; merita compartiri, ac in suas classes viros per honores deducere: sic enim homines laborem non recusant, patriæ opem ferunt, & periculis obstant, nec pati servitutem erubescunt: nam generis splendor talis est apud homines ipso jure naturæ, ut eum summis honoribus decorandum, & omnibus ornamentis afficiendum esse putent: hoc enim videtur sæculorum privilegio vim legis retinere; nam omnium gentium in re aliqua consensio, lex natura putanda est; hoc etiam legem universi imitatur, in quo si sydera consideras, alia dignitatem obtinent & imperium; alia impertiuntur lucem, & alia virtutem; & summus rerum auctor, Angelos hierarchiis disposuit; & elementa agunt alia, alia patiuntur.

Lex naturà agentium consensu.

Nulla est inter nationes quæ peculiarem virtutis indolem non adoret, nec est ulla quæ suam animi concitationem non ferat, quo reddatur illustrior, aut vilescat; & hi vere sunt icones animorum. Gallorum gentes furore & iracundia concitantur in aciem, & in vita communi facile sociantur: Germani truculenti, in mortem intrepidi feruntur; ac servitutis jugum ferre nequeunt: Hispani, gloriæ cupidi, res arduas intentant, & ad certamen alacriter feruntur, & alacrius militant longe à patria, sub aliena disciplina, quam in sua: Italos summo natura decoravit ingenio, & insigni facundia. Et hoc videtur apud nationes hereditario jure in homines descendere.

Illud pariter plerisque in familiis observatur, ut qui familia illustri nati sunt, eas virtutes studiose colant quibus sui majores claruerunt: unde alii liberales evadunt & munifici: alii generosi & clari in armorum discrimine: plerique rerum civilium prudentia excellunt: alii in publicæ utilitatis zelo: alii tandem magnanimitate in prospera & adversa fortuna: quare virtutes illæ, non tantum moribus & studio, sed natura & genio comparantur.

Inter has virtutes comparatur *Nobilitas: quæ nihil aliud est quam generosus ardor, & virtutis præstantia, in aliqua gente constituta*; non enim in opinione, sed in ipsa natura continetur; egregia educatione exculta: quoniam nobilitas est generis splendor, in quo frequenter magnæ virtutes & generosus ardor innituerant in communem salutem: ideo viri quavis sapientia admirabiles, hanc nobilitatem non assequuntur in otio degentes: nam civilis nobilitas debet in publicam utilitatem conferri: ideo Physicus, Geometra, Legum peritus, Medicus & Theologus, clarus & illustris ex sola sapientia non redditur, licet reddatur nobilis: illa etenim tantum nobilitas politica splen-

didis titulis exornatur, dum in communem utilitatem diffunditur: licet viri tales nominis celebritatem mereantur.

Hæc civilis nobilitas alia eſt civitatis, aut provinciæ propria, & alia eſt civium. Clara & nobilis ea civitas dicitur, quæ viros permultos dedit conſilio, ſapientia, & valore claros, ut Roma & Athenæ. Quo in officio non mediocrem meruit claritatem Hiſpania, quæ adhuc ex tuguriis, ne dicam civitatibus, viros protulit valore & gloria illuſtres, in bello & in pace.

Familia autem hæc dicitur *illuſtris*, quæ clariſſimorum hominum frequentia illuſtratur: & eſt certe naturæ beneficium, naſci è patria quæ claritate floruit, aut nobili familia. Illud tamen cuivis nobilitati ineſt, ne animo deſpondeat in rebus turbulentis: nec ullo vitæ periculo obliviſcatur propriæ dignitatis; nil enim magis indicat generis claritatem, quam infracta animi celſitudo; quæ periculis & laboribus magis enituit; & ſtat ut contra pondus palma: nam *Degeneres animos timor arguit.*

Duplex Nobilitas apud omnes gentes celebratur: alia perfecta & abſoluta, quæ tum patriæ tum generis claritate commendatur, & ubique retinet claritatem, & animi generoſo ſtemmate dignoſcitur: alia localis, apud gentes illius civitatis comparata, quæ oritur & finitur in loco ubi nobilis naſcitur. Hæc etiam genus nobilitat, & tempore etiam commendatur: & ſolet nobilitatis faſtigia conſcendere, ſi viri illuſtres præmia aſſequantur nobilia, quæ animi generoſo ardore conſequuntur.

Sed accire viros è populo promiſcue è ſervitia & ingenua plebe, & ad militaris diſciplinæ, & nobilitatis honores promovere, non Utopiam, at Reip. confuſionem parit: Viros è ſervitia plebe generoſo ardore concitatos, & animi alta elatione, nobili ſtemmate inſignire, eſt alios ad virtutis exemplum incitare: & virtutem præmiis exornare, in Utopiæ & Reip. gloriam cedit; nam ſi cumulata pecunia, præmia meritorum venduntur, pauperes ſed emeriti, præmiis neceſſario fraudarentur: quo generoſa peribit æmulatio; & generoſi viri aliis miniſteriis incumbent; quo militaris diſciplinæ imperatores, aut ſedentes in angulo vileſcent, aut omnino deficient, ut apud noſtros hodie experimur.

Non ſola nobilitas Utopiam inſtituit: ſunt enim artes innumerabiles, ad communis vitæ cultum, & incolumitatem maxime neceſſariæ inventæ: aliæ ſerviles, & aliæ illuſtres; cum, non poſſit unus homo omnibus inſervire: divinitus excogitatum puto; ut natura alios ad hanc, & alios ad alteram præficeret, alios donaret ſapientia, alios prudentia inſtrueret, valore alios illuſtraret: ut dum quiſque operam ſuam præſtitiſſet, & in communem utilitatem conferret; ipſe viciſſim indigentiam, quam ſuis non potuiſſet, alienis opibus ſuſtentaret: non poteſt enim unus homo tam multa ſtrenue navare; quare oportuit ut alii quidem principes eſſent, alii rectores, duces alii, qui ſapientia & æquitate omnium ſaluti proſpicerent; alii diſciplinam militarem exercerent, ut patriam defenderent; alii poſtremo ut mechanicas artes tractarent, ut communi utili conſulerent: hæc enim omnia ſunt communi vitæ cultui neceſſaria; ideo diſſimilia ingenia, ut diſſimiles natura ſingulari architectavit homines: ut quod communi expediret, & videre prudenter, ſagaciter diſponere & conſtanter perficere potuiſſent: hos ideo ſolertiſſime, ſummo loco dignitatis & æſtimationis collocavit Natura: illos, quos valore ornavit, non tanta virtute excellentes: hos ad imperata ſtrenue peragenda perfecit, invicto & generoſo animo: & pacis & quietis amantes, ut in maximis rebus patriam adjuvarent, ſub legum obſervantia imperavit; humiles vero animo & depreſſos, ad ſordidas & mechanicas artes abjecit; qui ſunt opifices, operarii, & miniſtri Reip.

Hoc & illud communi quodam conſenſu natura docuit; nam in orbis principio, (dum homines diſperſi) qui cæteros prudentia excelluit, valore & præſtantia, animi diſperſam multitudinem unum in locum ad communem vitam congregavit, & legibus naturæ ad communem ſocietatem inſtituit, & mores ad honeſtos copulavit; ut Orpheus qui cantu & melodia feras ſylvas & ſaxa poſt ſe traxiſſe; & unum in locum collegiſſe; hoc eſt, homines barbaros & incultos lege ſocietatis devinxiſſe; ſic fertur Amphionem, cantus ſuavitate lapides dimoviſſe, ut quo vellet deduceret; nempe homines ſine cultu inciviles, civilibus moribus & humana doctrina inſtruxiſſe; Theſeus etiam, Græcorum nobiliſſimus primus, per ſylvas & per montes diſperſos Athenienſes in unum locum compulit, ac legibus & civilibus inſtitutis erudivit; ac inde immortalem eſt conſequutus gloriam, tantaque illis ſæculis extitit virtutis admiratio; ut non tantum ſe traderent regendos libenter generoſis hominibus, ſed illos divinis honoribus afficerent; & ut Deos immortales certe colerent.

Quare nobilitas ab illis antiquiſſimis ſæculis incœpit; cum homines cœperunt viros valore & ſapientia admirari; & ſe illorum imperio ſubmittere: & non tantum recens memoria beneficii illos ad nobiles colendos excitavit, ſed ad gratiam poſteritati, & filiis eorum referendam: putabant enim imaginem patris in filiis manere, & animi indolem evidenter expreſſam; ut non tantum parentum memoria, ſed etiam indolis admiratione provocarentur: ideo gentem illam maxime colendam & ad Reip. aptiſſimam æſtimabant in poſterum. Equeſtris dignitatis origo jam olim videtur originem traxiſſe, ab initio fundationis Romæ, in Romulo, qui illam dignitatem ordinavit: & ſi plus fidei meretur, qui de patriis moribus ſcribit, Juſto Sexto Pompejo tribuenda fides, nam *lib. 1. de Verborum ſignificat. fol.* 32. verbo *celeres*, ſic ait: *celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo, iis præpoſitus fuit, qui primitus electi fuerunt, ex ſingulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.*

Quo ſummo loco nati, duplici ratione ad nobilitatis faſtigia aſcenderunt; & meritis parentum, & propria virtute; quæ indolis ſpectatione cernebatur: quibus ſe homines & Remp. tutam exiſtimabant; ac ſi dii tutelares eſſent illi.

Ab hinc inter homines cœperunt dignitatis & honoris certamina; pleroſque enim ita ſeduxit vanitas, ut ſe non ſanguine humano ortos exclamarent; ſed ſatu divino progenitos, vanitas effingebat:

fingebat: Nobilis est illa Achillis in Axis fluminis nepotem Asteropæum contentio; hæc sunt Homeri carmina:

Sic morere, Astoropæe, grave est, & flumine natis
Progeniem, Iovis in bello contendere contra,
Sis licet ipse satus tam lato flumine, nobis
Cede tamen: quando genus est nostrum ab Iove summo;
Me genuit Peleus, illi est pater Eacus ingens,
Quem genuit quondam summi regnator Olympi.

Ideo ea nobilis & antiqua vetustas in illa opinione fuit, ut viros magnos crederet, non nisi divino consilio ortos, atque adeo semine divino susceptos æstimavit; veluti Theseum à Neptuno, Romulum à Marte, ab Jove Alexandrum, & Scipionem illum Africanum; à Venere Æneam. In hoc illud ea vetustas voluit, Veram Nobilitatem à Generosa Virtute ortam fuisse: inde nobiles Deorum filios effinxit; est enim perspicuum, virtutem esse cum vera nobilitate copulatam: nam clarum gentis nomen, non alio quam à virtutis laude ortum duxit; ideo virtutis splendor, à gentis claritate in nos descendit.

Illud medius fidius nobilitatem ornat, generis clarum nomen commendat, & in animos nobilem dignitatis gradum inserit: seculorum nobilis & antiqua dignitatis æstimatio, in familia; nam vetustas rebus omnibus hominum memoriæ commendatis majestatem constituit incredibilem, & venerationem: est enim ex se venerabilis vetustas: & de illa semper quid majus suspicamur, & credimus, quam possint viri nostri, singulari studio aut robusto judicio imitari.

Inde orta est inter vetustissimas nationes celebrata contentio, quæ illius & nostræ ætatis monimentis continetur; dum aliæ se ante omnes mortales in lucem editas esse contendant; aliæ antiquitatis gloriam aliis non cessisse: Ægyptii solis Phrygiis cesserunt antiquitatis gloriam; & se aliorum hominum vetustissimos crediderunt: Arcades se ante Lunam progenitos jactabant: Athenienses sibi immortale nomen detulerunt, ex eo quod cum aliquod principium suis literarum monimentis non extaret, & se ipsos omni memoria antiquiores cernerent; in eam opinionem devenere, se non aliude delapsos, sed ex Attica terra in principio genitos, ac in unum locum confluxisse: ideo reticulo quodam aureis cicadis distincto caput ornabant; ut ostenderent se instar cicadarum, è terra quam incolerent fuisse progenitos.

Ideo orta est nobilis inter familias contentio, utra illarum memoretur antiquior; in contentione antiquitatis magni interesse, in virtutis gloria excellere judicantes. Videtur enim maxime consonum rationi, ut illæ potiori jure habeantur illustres, quæ per longa sæcula decoris atque dignitatis possessionem, virtute perpetua tuerentur: in hoc consistit, ut novitatem generis insolenti quodam fastidio à plerisque contemni videamus; tanquam non assequatur celebritatem nominis: si tamen illa & est virtutis comes, & valoris coæva, illud judicium est superbæ elationis vanitas: nam illustrius familiæ ornamentum veteris, aut recentis, est Virtutis; secundum vetustatis; ob illam quam sæcula antiqua autoritatem comparant, quam insita quadam ratione veneramur: ideo in nobilitate claræ gentis celebratur antiquitas; si non est extrema vetustate abolita nobilitas: Quoniam ut extrema senectus mentis vim & virtutem consilii labefactat; sic antiquitatis adimit dignitatem: sic pariter nobilitatis splendor, mediocri vetustate augetur, & florescit, & extrema senecta obsolescit; quia vitalis vigor deficit, ubi calor emoritur.

Videmus enim suas etiam ætatis familias, ut reliqua ad interitum nascentia, sortiri: & est nobilitas moralis inter naturæ bona numeranda: & ut in illis, est etiam in illa quidam flos & juventa: quam maturior ætas excepit, hanc consequitur senium, quæ mors postremo occupat, ut ne vestigium quidem priscæ nobilitatis relinquatur. Illud etiam tulit rerum vicissitudo, nempe ignobiles familias, alias ad laudem excitari, & ad gloriam incendi: alias majorum gloriam vix tueri: alias tandem de gloria decidere, & ad ima præcipites devolvi; plerasque inerti oblivione deleri. Ubi sunt illustres illæ Romanorum familiæ, ubi nobilis illa progenies Gotthorum: qui de virtutis gloria deciderunt, & nobilitatis dignitatem amiserunt: nec existimo eos tantum ad celebritatem natos, quos vulgus appellat, sed quos extollit Virtus, aut valor illustrat: ad laudem enim omnibus via patet: non omnes Resp. fecit nobiles, sed invenit, qui res magnas valore & virtute expetendas cupierunt.

Illud attamen natura comparatum est, ut sicut est nobilis quædam progenies equorum, certa nobilitatis indole: sic majorum fatu generari plerunque posteris egregiæ cujusdam Virtutis indolem, quæ ut pretiosus adamas scintillas nobilitatis mittit; ut in Darii infantia inter suos æquales Vetustas observavit. In generis enim splendore frequenter virtus emicat, quam ut nobilitatis effectricem colendam arbitramur: illa tamen necessitat, laudabili studio nobili & generosa educatione, ut de potentia ad actum reducatur. Est enim consopita hæc ingenita virtus animo impolito.

Generosam tamen nobilitatem, à novis hominibus nulla majorum commendatione notis, magna contentione suscipi videmus, quo fiunt certe nobiles. Generosus enim ille animi ardor, quo qui præditi sunt, in laudis studium ardenter incitantur, non semper à clara progenie nobilibus innascitur: & ab obscuris & ignotis interdum comparatur: quo fere accidit, ut *novus homo*, virtute & generoso ardore illustris, in studio dignitatis versetur, ut inter generosos excellat.

De hoc viro plerique Politici dixere; *Quia in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium, erit tamen Familiæ principium*: postquam vero familia illius exemplis incitata, in gloriæ cupiditatem incubuerit, dum domum elucere incipiet, & illud nobilitatis lumen & gloriæ decus, Familiam constituit Generosam: primus attamen Generosus & Magnificus, non tamen Nobilis appellari solet: nam sicut primum, non numerum, sed numeri principium dicimus; sic illum primum omnibus honoribus dignissimum; non nobilem, sed auctorem & principium Nobilitatis existimamus.

Mihi semper aliter in hac re censendum æstimatur: Virum nempe, Familiæ principium, non tantum Nobilitati initium dedisse, sed esse Nobilem,

bilem, & potiori jure, & certe Nobilissimum: nam Virtus, quæ Familiam in Nobilem splendorem constituit, in illo cernitur cumulata, & Gloriæ dignitas ab illo in alios diffunditur; ut non tantum luceat, sed illuminet: non debet enim Apollinis splendor orbari nobilitatis gloria, quod sit lucis principium: illud certe deducitur ex illo philosophiæ principio, veritatis certissimæ: *Propter quod unum quodque tale est, & illud magis tale*: ergo ille Nobilitatis parens, est certe Nobilis numerandus.

Quibus autem artibus generis ornamentum, & familiæ decus ab illo principe generis comparetur, Aristoteles dixit: ab iis nempe à quibus conservatur: & istæ sunt virtutes inter omnes eximiæ, quæ civilem statum tuentur, & communi saluti prospiciunt: quibus hominum societas & unitas civilis comparatur; & permanet. Quare domestica instituta & mores selectissimi, & omnis viri probitas ad laudem faciunt hujus præstantis viri; non tamen ad dignitatis gloriam, nec ad laudem, quæ sola nobilitate comparatur, si illas virtutes non contulerit in communem salutem, & Reip. gloriam, defensionem patriæ, ac tandem communis vitæ societatem: non est enim sibi soli natus vir egregius, sed patriæ, ac universæ Reip. & ad universi ornamentum, & ad humanam naturam excolendam, augendamque; ideo tenemur adjuvare Remp. valore & consilio: decet enim virtutes ad hæc conferre munia: nam dum Resp. hominum societas, & salus adjuvatur; communitati prospicitur: quoniam quantum virtus magis diffunditur, tantum est capax majoris dignitatis, & magis splendescit, & plausus in seipsam conciliat: & hoc natura docuit illo communi consensu, ad paucorum virtutem divinis laudibus exornandam, cum se sentit maximis in rebus adjutam, illorum ope: ergo civili tantum disciplina ad istam nominis claritatem possumus pervenire.

TITULUS XI.

Virtutes, Quarum splendore Nobilitas fastigia conscendit.

Non est illa Nobilitas in aula vanitatis educata, nec vanæ elationis alumna; sed nobilium Virtutum splendore & gloria comparata, in Palæstra & pulvere *Laboris* immortalis; Inter Virtutes, quæ majorem splendorem Nobilitati comparant, est *Iustitia*, quoniam communem salutem præcipue tuetur, auget & firmat Remp. ac illam muris & vallis munit, hominum societatem firmat, regitque; nam ejus admiratione primævi homines, nondum politica disciplina exculti opes vitam & communem salutem generosis hominibus detulerunt, ac illos in summo dignitatis fastigio & gradu constituerunt; ut super illos obtinerent imperium. In Justitia enim est vitæ salutare præsidium, & communis societatis firmamentum; atque ideo à Justitiæ fonte Regia potestas orta est: hinc principes & optimates emerserunt: hinc prima Nobilitatis germina; hoc nullum omnino claritatis genus, aut antiquius aut præstantius, hac Optimatum ratione reperitur; eorum nempe qui primi Æquitate & Justitia humanam vitam excoluerunt. Horum divinitatem admiratus Hesiodus, Reges & principes ab Jove progenitos, in *Theogonia* dixit; quod plerique mortalium de se ipsis vana præsumptione crediderunt: Æacus enim, Minos, & Rhadamantus, Justitiæ præstantia sunt inter Deorum filios numerati; qui etiam, ut in fabulis legimus, *umbris jure dare* dicuntur; nec tantum apud homines, sed ne apud inferos quidem multitudinem absque gravitate legum, & severitate judiciorum, posse permanere, Vetustas credidit; Pythacus Mitylenæus hac æquitate ad imperii fastigium pervenit: Numa Pompilius super gentem Romanam clavum tenuit, Romuli imperio exacto, electione, non fortuna. Hæc enim virtus aliis decus & ornamentum comparat, & à reliquis abstracta, suam semper retinet dignitatem: Aristides Justitia Themistoclis valorem superavit, ut clarus illo apud Athenienses haberetur. Nulla ergo virtutum, neque artium ad nominis claritatem, neque ad gloriæ & honoris amplitudinem, inter reliqua hominis ornamenta, est *Iustitia* præstantior.

Post illam commendat honoris claritatem & gloriam consequitur, generosa animi *Fortitudo*; quæ periculis cernitur: Hæc contemnit discrimina, & mortem, ut nobilem tueatur dignitatem & publicam salutem: patriæ libertatem omnibus vitæ commodis anteponit: Hoc incenditur generosis exemplis, & Virtutis studio. Ideo forte apud Macedones lege sancitum erat, ut qui nullum hostem in acie vicisset, capistro publice cingeretur: & apud Scythas poculum circumlatum non licebat accipere, nisi illis, qui grande facinus ediderint in acie. Solon inter leges statuit, ut eorum liberi, qui pro patria dimicando oppetierint mortem, de publico alerentur. Erat enim olim præmium dignitatis, illa fortitudinis gloria: nam hinc Nobilitatis splendori via patet. Quot facinora nobiles Romani edidere illecti sola *Laudis* imagine? quot coronas murales, castrenses, civicas, triumphales, est generosa illa Animi Fortitudo consequuta? quid non dedit nobilis splendoris & honoris magnifici Martialis valor apud nostros; quæ non subiere discrimina viri fortes, ne dedecoris infamiam subirent; Hæc animi invicta Fortitudo instauravit Hispaniam: novas gentes, & ignotas, & novum certe orbem nobis dedit *Ferdinandi Cortes* Valor, & Fortitudo. Duo Decii Romani, neque noto neque publico genere, ob singularem animi fortitudinem, (vita & salute patrię oblata,) nobilitatis gloriam, & laudis ornamentum sunt immortali valore consequuti: Lucius Marcius, eo quod Remp. Romanam Hispania jam collapsam, restituit, amplissimæ gloriæ ornamenta promeruit: ut Cato Censorinus singulari prudentia & valore: & Q. Marcellus, quod impetum Annibalis compresserit: Fabius Maximus, quod Romam obsidione liberaverit, trans Alpes jam progresso, cum milite Annibale.

Haud minus nobilitatem ornat, & illustrat liberalis & munifica magnificentia; quia animum arguit generosum, dum amplissima largitur beneficia, in utile commune, & publicam salutem: hæc enim gratitudine cives obligat ad retributionem beneficii, dignitatis & laudis: & ad æstimationem

mationem generosæ virtutis; Hac generosa virtute, Priscus ille Tarquinius, exul, & ignotus apud Romanos, clarum sibi nomen comparavit, & ad sceptri fastigium pervenit: & Medicis familia nobilissima in Latini patris ditione, prodiga, nec tantum liberali munificentia, nominis claritatem, ac summum dignitatis gradum, & summum tandem imperii fastigium in patria obtinuit. Hæc enim virtus tacita eloquentia, secretiora animi studia conciliat, & acrioribus stimulis explorat: nec est ullum ad nobilitatem aptius instrumentum: ideo forte apud nostros olim primum dignitatis & honoris gradum obtinuerunt homines divites appellati, nostro idiomate antiquo, *ricos homes*; quia in publicam utilitatem divitias & opes liberali munificentia largiebantur: & tantam vim hodie, ad splendorem nobilitatis divitias obtinere videmus, ut sint illæ ad honores compendium; & apud omnes nationes nobilitates sunt antiquæ, divitiæ; aut sine illis omnino non consistunt. Illud est axioma omnium nationum, *esse nobilitatis materiam divitias*: & formam, dignitatis antiquitatem: quoniam sine illis, nec facinus egregium, nec nominis splendor, nec antiqua familia, nec domibus nec civibus ornatus, potest diu consistere, quin temporis edaci dente cedat.

Pari celebritate civilis status, scientiarum splendore adornatur nobilitas: non tantum quod opera impendant in communem salutem; sed quia illæ docent virtutum excellentiam, quibus nobilitatis splendor comparatur, & dignitas: nam æquitatem & justitiam docet *Iuris prudentia*: animi fortitudinem *Theologia: Philosophia & Medicina*, pericula contemnere, & omnium virtutum altitudinem: suadere quod optimum, *Eloquentia*: liberalem magnificentiam sola Natura docet: interdum comparandæ dignitatis occasio: ac per varias rerum vicissitudines prudentiam, sola Experientia, quæ inter ipsa discrimina ediscitur; sunt tamen inter hos quidam docti, non vere sapientes, nec sibi nec Reip. utiles, & hi sæculum transierunt insulsi.

Inter Togas & Arma fuit olim celebrata contentio: *Vtra nobiliorem comparet claritatem, & dignitatis gloriam*; *Cedant arma togæ*, dixit Tullius, *concedant laurea linguæ*; Illud nobilis & antiqua vetustas ratum duxit; erant enim res publicæ Utopiæ per classes distributæ: nec ulli viro fas erat res publicas extra classes deducere: ne ulla rerum confusio, nobilitatis ornamenta confunderet; æstimantes quod æque pacem & Utopiam consilium conservat, quam arma consequuntur & tuentur: olim togæ & arma vicissim & per classes civili disciplina, operam & auxilium præstiterunt Utopiæ: nunc apud nostros & toga præliatur, & miles præficitur litterarum studiis summa confusione civilis disciplinæ; principis nulla in eo culpa, sed temporum infœlici fortuna.

His alio dimissis, plerique liberæ civitatis consensu, aut principis favore ad nobilitatis fastigia ascenderunt: quoniam alia nobilitas nititur sola opinione, alia virtute & valore; & alia tandem natura & industria continetur: opinionis levitatem semper prudentes viri pro nihilo habendam putavere; virtutis laus & gloria nobis ipsis aperienda est, non tamen aliunde sumenda: generis dignitas & splendor, si illis vis naturæ accessit, principum imperio minime flecti potest: bene possunt principes opinionem dare, nulla tamen valet virtutis ornamenta imprimere. Quare illuc debent leges respicere, & civitates attendere, ut cives potius ad laudem, ad gloriam, ad virtutis ornamenta incitentur, quam ad fucatam celebritatem nominis, quam nec patriæ prodesse, nec utili communi, experimur.

Præmia assequantur qui meruere præmia: turbat enim Utopiam, si præmia, qui periculis non affuerint, favore & pecunia consequantur: sic enim melius & civitatis opes, & juris æquabilitas conservantur, si præmia largiantur meritis & laboribus æqualia; non enim confusa largitione præmiorum, principis servitio, & Reip. defensioni viri comparantur; sed præmia vilescunt, neque generosi viri ad gloriam incitantur; & vera cum fucata nobilitate confunditur: & promiscue viri omnes & universa Resp. pravo exemplo, ad desidiam prolapsi, luxu inerti, ac otio torpentes, in communi morum corruptione vilescunt; ut nostra Monarchia hodie experitur.

Emeriti viri, in angulo sedentes, scientia aut martiali disciplina præclari, præmiis provocentur; & de potentia ad actum reducantur; aut principis favore, aut calore fortunæ: homines enim propter finem maxime generosum, inhiant & ascendunt; ac ideo ornandi sunt, qui elatiori animo ad virtutem, honoris, & gloriæ cupiditate, incenduntur; ex quacunque gente & natione sint: nam si gloriæ & honoris campus intercipitur, virtutis studia marcescunt, præmiorum defectu: nil enim paribus studiis civili disciplinæ adversatur.

Hoc certe, ut maxime necessarium, sibi proposuere urbium conditores. Hoc bene novit Romulus; & postea universa Resp. Romana, dum viguit floruitque: cum gentes ex omni natione honoribus, magistratibus & gloriosis præmiis afficerent, ut ad virtutis gloriam advenas, & indigenas gentes incitarent; nil est enim æque & principi magnificum, gloriosum Reip. quam titulis dignitatem honestare, ac valorem & scientiarum ornamenta extollere: hoc enim artificio dignitas & justitia, virtus & æstimatio augetur, ac conservatur: nam si præmia largiantur indignis, dignitatis & virtutis studium infringitur: neque præmiis potest consequi princeps, ut vilis & abjectus animus ad nobilitatis claritatem perveniat: quando tenetur generosum animum & invictum splendidis titulis adornare, ut plures alii ad virtutis studium acrius incitentur: non ad fallendi artes, & solertiam, ut principis favorem consequantur; ut hodie Vetustatis exemplo practicatur; *Seiani enim voluntas*, dixit Tacitus, *nisi scelere & pecunia quærebatur*. (4 Annal. 14.)

In magnis exemplis stabilitas & salus Reip. consistit, quod bene novit Tacitus; *Peribit Resp.* inquit, *si præmia assequantur qui periculis non affuerint*: Hoc singulari energia Plato dixit, in fabula de armatis hominibus: *Deus*, inquit, *homines ad imperandum ex auro fabrefecit; qui Reip. salutem intuentur ex argento; opifices autem ex ferro: ac ita fit, ut cum ab eodem principio ortum habeatis, vobis similes plerunque generetis: evenit tamen ut ex aureo parente, inter-* (lib. 3. de Resp.)

interdum argentea soboles nascatur; ex argento aurea: & aliquando ferrea ex utroque: nam vicissim omnia ab aliis oriuntur. Iubet itaque Deus ut principes inspiciant, quid in animis liberorum suorum immixtum sit: quod si æneum aliquod, aut ferreum insitum in sensibus eorum inspexerint, munus eorum naturæ conveniens assignent, & ad opifices, aut agricolas dimittant: sin ex illis aliquod aureum aut argenteum extiterit, honoribus afficiant: & alios quidem mittant ad urbis custodiam, & imperium; insideatque in eorum mentibus, fuisse olim oraculo prædictum, civitatem, tunc omnibus bonis evertendam, cum ea ferri aut æris custodiæ commissa fuerit. Hæc Plato de principis officio in Socratis persona disputavit.

Ex hac doctrina patet, non tantum homines industria præstantes, ex aratro ad urbis custodiam evocandos, & nobilitatis ornamentis afficiendos, & dignitatis gloria provocandos; sed etiam nobilissime natos, si degeneres & ignavi, aut vitiorum colluvie polluti, in infimam plebem conjiciendos, ut illa nobilis vetustas credidit: quod magnis exemplis Romana Resp. nos docuit; in Villico Danubii Deciis & Tarquinis; nec apud nostros ita gloriosus extitit Reip. status, nisi cum ex aratro ad sceptrum duxit Principem; & exteræ nationis generosos fecit cives.

11 Annal. 8. *Majores mei*, dixit Claudius imperator, (*quorum antiquissimus clausus origine Sabina in civitatem Romanam scitus est*) *hortantur, ut paribus consiliis, Remp. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit: neque enim ignoro, Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tusculo, in senatum ascitos: tunc solida domi quies, & adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, & additis provinciarum validissimis, fesso imperio subventum est: num pænitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transivisse? manent posteri eorum, nec amore in patriam nobis cedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant; at conditor noster Romulus, tanta sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Orationem principis secuto Patrum consulto, primi Ædui senatorum, in urbe jus adepti sunt; alienigeni è Gallia sunt officiis omnibus firmati.

Hæ sunt virtutes, quarum Polis nobilitas augetur, & consistit: & ab illis decidere, nobilitatis decus, & ornamentum penitus aboletur: sicut enim cives & æquitatis laude, & virtutis studio & beneficentia, iis artibus, bene moratis animis, floruerunt, & sunt nominis claritatem consequuti: clare patet, quod vitiis contrariis obsolescet nobilitas: ea enim nobilitatis indoles, aut prava educatione, aut malorum exemplo, si non insita ad malum propensione doletur: aut inter fluctuantes juventutis passiones confunditur, si non est ad honesta excultus animus: sed mea sententia, prava institutione comparatur: Quare sicut æquitatis studium multis nobilitatem comparavit: sic iniquitas, injuriæ indignæ, & in multos hominum contumeliæ, plures honoris possessione dejecerunt; cujus calamitatis sunt testes oculati, miserabiles exitus hominum insolentium & tyrannorum: nec enim illi tantum pœnas luebant vita propria; sed & eorum filii sunt orbati propria dignitate, & illustribus avorum imaginibus.

Quare illud erat severissime lege sanciendum, hos degeneres homines ab illustri familia fore ad infimam plebem relegandos, ut luerent infamiam, quod vitiorum dedecore perdiderunt: ut discat caveatque posteritas: sed apud omnes, isti licet dedecoris fugiant ignominiam, nominis celebritatem non assequuntur.

Magnanimitati generosæ est contraria, ignavia & timiditas animi: hæc auget, illa perdit nominis claritatem: quid enim est miserius formidine perterritum, ab statu mentis decidere, ut ne valeat quidem dignitatem tueri. Quot honoris occasiones illabuntur è manibus, inter ignavam formidinem animo fluctuante? non sapit enim ubi possit consistere.

Regiæ liberalitati est illiberalis avaritia contraria: illiberalis animus dignitatis clavum, & gloriæ celsitudinem de manibus extorquet: quoties animum à generose operando seduxit, avaritiæ sordes: quantum attulit vilitatis livor alienæ fortunæ; quoties generis ornamentum deturbavit lucri sacra cupiditas, per illicita media, & vilia & sordida: non aliter comparantur divitiæ, (dicet aliquis) quibus tuetur honor. Illud alte perpende, quod nobilitas cum animo generoso, & nascitur & occidit inter polos generosæ fortitudinis & liberalitatis; quare illi sola vanitate elati, & fatua arrogantia superbi: nudo nobilitatis nomine sunt odio dignissimi, quorum celebritatis vilitatis & vitiorum turpitudine defœdatur: quando neque generis indole, nec majorum exemplo ad virtutem excitari potuerunt; voluptatis illecebris, vecordia, aut vitiorum vinculis præpediti: hos ego ad hospitia furentium relegarem: aut construerem stultorum hospitium, ubi degerent à nobilium consortio separati: non est enim elata vanitas, & ignava stultitia digna misericordiæ; quod ingratitudinis species; nam homines isti inflati, imperiti, ignavi, & animi abjecti, sola vanitate tumentes, cum nulla floreant ingenii dignitate, nec ulla vitæ laude; nec ullo amplitudinis fructu tueantur Remp. non merentur dignitatem Reip. nec adhuc nomen civium; nam in istis vanitas est vanitatis præmium; ita enim inani nobilitatis nomine sibi blandiuntur & complacent, ac si de cœlo delapsi fuissent, & ex Deorum satu progeniti.

Hæc furoris species erat certe veratro eluenda & curanda, sed non omnes stulti elleboro curantur: nam se beatos & florentes existimant, sub tam altius radicata animi ægritudine: quem enim fructum feret nudum illud nobilitatis nomen, inter Reip. furentes seditiones, inter belli tumultus, & publica & privata discrimina; domesticis aut externis intelligentiis agitata Rep. in hoc enim statu, virtute & consilio res geruntur: non fumosis parentum imaginibus: illud certe vanitas ignava devitare non poterit, quod sedebit in angulo, quando novus, at generosus homo Remp. valore, divitiis, sanguine, & consilio tuetur: sed nec illam illi sentient ignominiam: nulla enim sub timida ignavia animi potentia operatur, cum vita est in dubio: & communi discrimine omnes errori cedunt: & isti, sua opinione beati, illam imaginem dignitatis adorant, & majores suos in ore semper habent: sed quis, (ut Isiodorus Træsenius dicebat) patrem lauda-

laudabit, nisi liberi infœlices! nam illi solam fabulam agunt dignitatis in hoc orbis Theatro: nos autem ad virtutem animo generoso contendamus; nam veteri proverbio admonemur; ut ad rerum fastigia nitamur, si *media tenere* cupimus.

TITULUS XII.

An paupertas nobilitatis splendorem obscuret, & illustrent divitiæ.

Paupertatem ut obscuram & ignobilem judicat, qui divitiis caret, animi generosi, quibus possit fortunæ injuriam compensare; at ubi virtus præest, paupertas non obscurat virtutis splendorem, imo nomen clarius & illustrius reddit: *Præcipitis necessitatis morsus acutissimi sunt*, dixit Porcius, *acuminat inopia ignaviam, erudit paupertas mentem.* Ac ita plura homini denegavit natura, ut necessitas industriam ad melius excitaret; & videtur auctorem naturæ Deum, in ipsa nuditate adorationem posuisse: adoraverat natura arbitrii gloriam, & ideo nuditatem induxit; illam cavet violari, hoc hominibus injuria putatur; hic livor, hæc contumelia; forte favor naturæ est, forte reverentia, noluit hominem sese rebus humanis misceri, ut cœlestia potius intenderet, & meriti privilegio solaretur; nudum & inermem natura produxit hominem, munitum utrumque brutorum genus; at insita reverentia hominis nuditatem adoraverunt bruta: Phaonem nudum coluerunt hyenæ: Favorinus quatuordecim inter feras annos montium & sylvarum civis deguit. Didymus pedibus colubros compressit, & ipsi illius pedum nuditatem venerabantur; infantes nudos ab animantibus sæpe alitos legimus; ut Romulum à lupa, Cyrum à cane: Thelephum à cerva: Jovem à capra: Parasium & Licastrum propriis rejectis catulis lupa nutrivit: quo in opere videtur nuditatem innocentiam antecellere: quare prius sibi deficiet misericordia, quam in nudum charitas.

Quid Epaminondæ de gloria detraxit rei familiaris angustia? Quid Quinto Carolo, invictissimo Cæsari, se à tanta Monarchia abdicasse, ut se voluntariæ paupertati submitteret? sola ignavia & sordida desidies infamat paupertatem; nil enim animum æque excelsum reddit, quam opes animo generoso contemnere: hæc enim virtus in publicam utilitatem cedit, & sola illa quæ sunt virtutis generosæ, sunt non tantum honesta, sed decora, ideo imitanda: seu nobilis paupertas, seu justitia, seu legum observantia, pecuniarum aut ambitus contemptio; sed ita natura comparatum est, ut homines vehementius irritentur ab objecto præsenti divitiarum, vanæ ambitionis & infœlicis avaritiæ, cum hæc sensus vehementer pulsaverint: & interim splendorem virtutis & gloriæ non videant: ideo fere accidit ut majorem æstimationem divitiis detulerint, quam æstiment virtutis splendorem: ideo etiam jura rerum & vitæ, homines in lucro posuerunt, quod super omnes gentes dominatur. Nam plerique homines, cum magnorum virorum virtutes assequi non valerent, eorum vitia sequi decreverunt, si per illa ascenderunt fastigia: vident enim summos honores Remp. deferre opulentissimis hominibus, & divitiis affluentibus: ac ideo in illis cumulandis omnem curam locant, ac virtutem despiciunt: nec ideo dubito, divites melius gubernare Remp. si ex alio principio generosi.

Sed debemus attendere, quod heroës valore & justitia sunt immortalem gloriam, in nominis claritate consequuti, pariter & divitias: & quod honores sunt certe amplissimis hominibus deferendi, quod sint illi magis industriosi homines & sagaces, & ad præferendos Reip. labores magis apti; ac ideo ipso jure dignitate dignissimi: præterquam ad imperia & magistratus, auctoritate & divitiis tuentur: quod non valent inopes & egeni, dum summa rerum inopia premuntur; ubi colere eas artes non valent, quibus patriæ maximis in rebus usui esse possunt; & quia debent necessario victui comparando incumbere: ii enim tantum sunt deputandi ad vitam moderate & honeste degendam.

Si vero infimæ classis homo, præclaros ex familia, virtute & nobili industria antecelleret, ut solertia è tenebris emergeret: tali viro noluerunt nobilissimæ Resp. esse aditum ad summos honores interclusum, (ut apud nostros etiam practicatur;) tunc enim optime Reip. consuli putabant, cum virtus & frugalitas inerti nobilitati esset antelata: non enim divitiis abundare, tenuiores affligere, neque in Remp. dominari sed cæteros justitia, valore, prudentia, & aliis animi dotibus superare, carum omnibus esse, patrem patriæ salutarem Reip. existimari, illud est certe gloriosum dignitate, & gloria dignissimum, ac summis honoribus illustrandum; est enim honor, divinum quoddam præmium, virtuti, labori & honestati constitutum, omnem turpitudinis labem à se pellens.

Quare divites solis fortunæ bonis quandam honoris umbram assequuntur; quæ infamiam nunquam potest delere: vidimus enim apud nostros plerosque variis ornamentis illustratos, qui nunquam sordidam originis labem potuerunt eluere: non enim illa domus gloria floret, in qua innumerabilis pecunia congesta est, sed quæ multis valoris & abstinentiæ exemplis abundat; nec qui opibus & potentia præstant, sed qui sunt virtute & dignitate principes; splendide solent ac magnifice laudari; nec illi qui propriæ vitæ consulunt, sed qui eam pro patriæ salute obtulerunt, in gloria sunt: hanc certe gloriam videtur Senecam adfectasse vitę moderatione, quando de Nerone dixit: *Hoc quoque in tuam gloriam cedet illos ad summa vexisse, qui & modica tolerassent.* Sed aliud in verbis, aliud in operibus legimus.

Nec vos terreat nomen miseræ paupertatis, si illam animi bonitate compensare velitis; nam ille omnium est vitæ statuum fœlicior, in quo nec invidere, nec invideri possis; nec ad mortis aspectum terrearis, si vitam à vobis patria postulaverit; pro illa enim gloriam immortalem consequemini; amate, colite quam non videtis gloriæ immortalis pulcritudinem, quæ in summa virtutum dignitate sita est, veluti in Olympo hujus humanæ vitæ: & non illam divitiarum gloriam, quæ perit cum divitiis: horum enim perit memoria cum gemitu: & excellentem industriam in virtutis studio consumite: justitiam & pietatem colite, universum genus humanum beneficiis vestris

ſtris obligate; patria vos acclamet ob charitatem mutuam: ſic enim illam honeſtatis & gloriæ amplitudinem & nominis celebritatem conſequemini; quam præſentes admirentur, & memorentur poſteri memoria gratiſſima. Romani Codri pietas nunquam excidet ab hominum memoria, qui ſe in medios hoſtes injecit, ut morte ſua patriam conſervaret; neque fœlix Scævolæ recordatio, ut patriam obſidione liberaret: clariſſimam Leonidæ mortem pro ſalute Græciæ oppetitam miris laudibus poſteritas exornat: Decii virtutem, in generoſo animi valore propriæ & exteræ nationes admirantur; neque noſtrorum gloria, aliis nationibus, in valore & pietate cedit: nos etiam pleraque glorioſa operemur, ut de nobis dicant poſteri noſtri.

TITULUS XIII.

De iis quæ in Remp. neceſſitatis ſpecie, irrepſerunt.

Si illa omnia, quæ bellorum licentia, vitia irrepſerunt, & in pace à regni opulentia, prava conſuetudine, & dedignatione parendi, expendere velimus, coërcere intendimus, prius nos inſania vinciet, quam commendet prudentia: ideo illa prudentibus toleranda, juventuti fugienda proponimus.

De monetæ mutatione.

In extrema principis & Regni neceſſitate, utile viſum eſt, Monetæ valorem mutare intendere, aliquando minuere, aut nova excudere metalla: alterationis pericula docuerunt, rerum experientiæ & obſervationes; nam Philoſophiæ præcepta regulas generales conſtituunt, quas ſingularis urgentia quotidie invertit: nec dubito, ſi urgentia utraque manu angit, in hoc rerum ſtatu, ubi ipſa celeritas mora eſt, inevitabilis periculi extremo, quod monetæ valorem mutare, aut intendere fas ſit, aliis auxiliis ſine fructu tentatis: quod morbi in extremo prudentiores conſulunt; & maxime ubi majus eſt quod lucratur, quam jacturæ periculum; quod in extremis auxiliis cum torno & cothurno, conſiderandum puto, & ante executionem collimandum, ne conſilium arguat contrarius eventus: quoniam, ſicut magnas & ſubitas mutationes non tolerat natura abſque vitæ periculo, ita nec Reip. corpus, quod quavis alteratione graviter commovetur; unde graviſſima accidentia, præter omnium expectationem concitantur: quæ non facile poſtea compeſcueris, adhuc ablata cauſa: hæc enim potius ſunt maligni apparatus conſectaria, quam commoventis cauſæ gentilitia: ac ideo, in ſumma corporis Reip. morum corruptione, cautius eſt agendum; nam prudentius erit, periculoſa accidentia præcavere, quam quavis levi alteratione, (nulla enim eſt parva in corpore Reip.) corpus inſalubre, adhuc præſumpto periculo exponere.

Sit nobis in exemplum quod his diebus vidimus, ſub catholico & piiſſimo principe Philippo IV. per annos 1628. & 1642. ubi valores monetæ intenduntur; & ob alias conſiderationes poſtea de valore detrahitur; ſi illa quæ inde graviſſima emerſerunt pericula perpendimus, nos hoc tempore populorum nutantem fidelitatem vidimus: & ſub clade ingentiſſima Regni ſubſtantiam attritam, hominum ſocietatem perditam, & omnem nervi ſubſtantiam exhauſtam; vidimus etiam regalia principis ſigilla, lucri ſacra cupiditate falſa; & negotiorum alteratis commerciis, commeatus rerum omnino præpeditos: & quod magis eſt, neque neceſſitati urgentiſſimæ, neque communis vitæ, nec conſervationi tumultuantis & ſtridentis belli, ſat fuiſſe; nec inde in poſterum ſperatum auxilium, in valoribus rerum ex hac mutatione experimur: imo ex abyſſo in mille alias vidimus incidiſſe, nec ullo ingenio damna erroris jam exacti compenſata: illud tamen illa occaſione notavimus, parum abfuiſſe, quin Regnum, & Monarchia, initium ruinæ perſentiret: quod non ceſſit, quia magna Monarchia conſervatur ponderibus librata ſuis.

TITULUS XIV.

De callida & ſtridenti forenſium multitudine in ſimplicitatem populorum armata.

Ætates ante actæ ſimplicibus vivebant legibus, quia homines ad naturam vivebant, non ad artem: poſtea dominandi libidine pro pudore dominatur ambitio: aucta eſt opulentia, & vitia, paupertate ſuppreſſa, repullulant; ambitione & licentia: ex hac morum corruptione, talis legum multitudo irrepſit, ad coërcenda vitia, quæ ex illa quotidie emergunt, & in tam magnum numerum jurgiorum fautores, ut vix ignem ambitionis tota maris aqua extinguat: ex noſtris provinciis olim nulla non expers fuit eorum qui ſe litibus doctos jactitabant; quietem agebant oppida, & quidquid diſcordiæ inter cives exarſerat, rudis, ſed beata æquitas compeſcebat per arbitros: & ignari ſalutis paſſi deinde ſunt, ex illis hominibus apud ſe unum, ſaltem duos relinqui, ut judices Caſtellæ, in inſtauratione primitiva: illico ortæ ſunt contentiones validæ, & diffidia per ætatem tulerunt inquieta ingenia: & inde orta eſt tanta litium multitudo, ut in foro exerciti, ſæpius lites excuderent, quam invenirent: & talem poſtea librorum multitudinem ambitio invexit ſuper ſimplices leges, ut ſolis titulis legendis Neſtoris vita longæva non ſufficiat: inde etiam in tam magnam multitudinem crevit multitudo forenſium, ut hac occaſione Advocati, patroni, ſcriptores, lectoreſque (nam judices, quod eos princeps creat, vereor nominare) adeo numerum ſuperant, ut pauciores ſint agricolæ, & qui in mercatura verſantur pauciores, & qui regnum cuſtodiunt: unde tanta gens vivit; & tam magna miniſtrorum auctoritas tuetur? niſi injuria populi, & clade & ſanguine miſerorum: eo majori Reip. periculo, quo in majori numero, quam ſi inter pauciores, ſed ſpectati candoris, miniſtrorum & Advocatorum munus eſſet; & tot illa ingenia quæ noxia calliditate ſe corrumpunt, melioribus ſtudiis ornarent patriam: cultura terram fertiliorem redderent, diſciplinas & artes, aut proderent novas, aut inventas excolerent.

At excuſabis hujus factionis multitudinem, & hos jurgiorum præceptores, & inductores litium, ex ipſo litigantium numero, & vivendi prava conſuetudine, & vitiorum quæ quotidie nova repullulant, quibus omnia fere tribunalia non ſuffi-

sufficiunt, & in vasta Monarchia, & variis provinciis, quorum expediendis negotiis adhuc cuique dicata tribunalia suppetias non ferunt; ne homines negotiorum dilatione, ministrorum inopia conficerentur: per pauciores enim tot causas agi, tot explicari negotia non posse: imo judico, quod ex judicum & patronorum numero crescunt lites, ut morbi ex medicorum numero: adde nova tribunalia, non deerunt quibus placeant novæ leges: quod si de veteribus adimas, ita cadet pars litium, ac de morbo decedat, si de hodierna medicina substraxeris.

Forensis hujus æstus causa est, quia judices adfectata principis dignitate, in summo jure semper inveniunt, quos submittant fascibus suis: nec rabulæ deerunt, & his quoque deterius genus homines, quidam scientes formularum, omnisque ad litigandum, articuli, qui alios, inter se committant: vel ipsi reperta litigandi materia, hujus ludi ignaros exerceant: cum hoc, quod sicut meretrices clientes spoliatos, absque misericordia projiciunt. Quare si pauci, & electi Reip. utili, negotiorum laboribus incumberent, brevius, & securius expedirent negotia, quam plures proprio lucro æstuantes, & adfectato labore delassati: plus enim valet unius labor, quam multorum inexhausta cupiditas.

Sed utcunque numerosi, justi forent, si brevi saltem supplicio contenti, mulctatos dimitterent, illud omnem calumniam superaret: quippe nunc æterna sunt jurgia: ut si cum sumptibus sit molestiarum ratio, & pudoris, gravius putes sic vincere, quam confestim damnari: illud hodie potissimum principis curam exigit, has amputare ambages, spatiumque constituere, ultra quod nullis litibus fas sit senescere; nam & modum, & numerum prægressæ sunt artes & nomina, quibus miserrimos clientes, patronos, & judices frustrantur; articulatim, & lente, hos discerpunt, qui semel mori potuerant; sæpe itur ad judices, sæpe narratur causa, & dilatatis articulis aliquot anni abeunt, & ne dum *contestatio litis* (ut dicitur) audita est; judices alio distracti, interdum negotio non vacant: & omisso quod litem facit negotio, hærent patroni in causis minoribus, quæ nunc sponte, nunc eorum studio nascuntur è prima; hæc adornant præludia, his proclamant inauditis iter ad verum judicibus esse non posse; sic dubia ex dubiis nascuntur, & ante pereunt litigantes, quam finiantur lites: & si his addatur pagina suprema auctoritate sigillata, nec sumptibus immensæ divitiæ sufficient; nam inde fere accidit, ut pupilli, viduæ, & pauperes, causas præ inopia deserant, magna in insontes, & inopes injuria. Nam qui in divitem inimicum pauper incideret, tam longo & sumptuoso itinere conficitur, procumbitque, utcunque delassatus: neque recuperato jure inultus, æmuloque minus suo, quam huic prolixæ æquitati irascitur: nec quære, cur tam diu judicibus placeat, & patronis, ad se delatos cruciari? quia nempe ex mora, & tempore sua opera æstimatur: sic enim utriusque crescit merces: multa scripsisse, multa addidisse, (quæ poterant compendio fieri) acerrime vendunt; eo pejores, quod quæ peccant, justitiæ imputant; & consuetudine videndi miseros, deinde faciendi exuunt humanitatis sensum: an potius, miserum esse non credunt, litigare; ita duri ad quæstus, parum supplicibus moventur: & ab ipsis tam culti, saltem amant longiora in ipsis exercere imperia.

Querelæ istæ non audiuntur à principe; aut si repræsentantur, fucatis ministrorum coloribus à principis mente decidunt: sic semper fuisse exclamant, & sic semper futurum: & his principem etiam indigere, (ultima convenientiæ, non rationis ratio) præstaret enim de remediis in eam cladem videre, quæ fortasse ab ejusmodi sanctione non incommode incipiet, prospiciendo, in miserorum clade adjuvanda, & inutilis factionis invidia coërcenda.

Labentibus sæculis specie æqui, & iniquitatum, novo scaturientium numero, in reorum auxilium, inventæ sunt cautiones novissimæ, ex quibus simplicitas legum occubuit, frustrationes rescriptæ, & quæ semel constitui poterant, velut religioso ordine, in varios dies dilata, tanquam ut perpendantur melius: hæc vero, quia judicibus & patronis ad lucrum sunt, jam neglecto reorum commodo, tam sancte observantur, quasi judiciis cives, non hæc illis inventa sint.

Ex istis & multis aliis deceret resecare quod justi temporis mensuram excesserit; nam & sex mensium studia, ac diligentia, nulla causa effugiet: & si illo spatio exacto, adhuc deliberabitis, juste à tribunali discedetis; neque religiosa scrupulositas nimii juris, cunctationem injiciat ex animi vestri sententia: quod tunc liquebit, discernite: quandoquidem, & sæpe post annos, & lustra, haud minus turbide, & si fas est dicere, inconsulto causæ principio obliti, statuitis; non enim tempore, sed diligentia veritas constat.

Dimitto stridentes tribunalium competentias, quæ toto egent principe: & nec adhuc sumptibus disceptantium, longo tempore finiuntur; hi sunt nodi, quos Magnus Alexander, cum arte & prudentia non valeret absolvere, gladio explicuit. Quid multum, & illa responsa ministrorum sunt sicut Apollinis oracula, quæ contraria postulantes spe dubia tenebant in ancipiti, sed eventu contrario; in moram erat potius ira, quam in damnationem. respicite ergo in majores, ubi magis ad naturam, minus ad artem degebatur.

TITULUS XV.

De inutili sarcina Medicorum.

Illa tandem Medicorum congeries in consultationibus veritatem confundunt; nam ubi multa judicia, ibi major confusio: lapidum enim congeries geometricam altitudinem condit, non unitatem physicam: sic ingeniorum multitudo non unum facit egregium; imo se mutuo impediunt, non juvant. Præsumptione unus, alius audacia, & alter cavillatione; quæ cæteros in propriam sententiam allicere, speciose magis, quam vere satagit: nullus enim simplicis veritatis inveniendæ modestia contendit; nam sæpe ex illorum simplicitate & istorum astu, ad ingenium causæ disceptatores non perveniunt; & callidæ eloquentiæ fuco, & simulata relatione, sententiam ad majorem solutionem vendunt; testibus adaptatis pro ut solventis necessitas exoptat, aut ipsi placet: & ubi causam adhuc nudam conspexerint,

rint, penes unum vel alterum est arbitrium: sed non an ad sententiam sat liqueat. Non ita est certe discernendum, sed ipsa perspecta veritate, licet à potentioribus violenter contorta: æqui bonique judicium est; nam contradicendo nunquam rationes defecerunt: quod si hanc fidem fefellisse constiterit, præter infamiam, aliud genus supplicii accipiunt, ut de ponte illorum suffragia dejiciantur: seu aliud quod aliis terrorem incutere maximum videatur: sed hæc omnia videntur in terroris imaginem adornata, nam qui prævalebunt in potentia, facile illos trahent in propriam sententiam; qui sperabunt sub tali imperio regnare: de quo populus queritur, & sine fructu dolet: nec putetis hæc levia esse, non enim dubito quam ampla factione, ista mala minentur: nec dubito etiam multitudinem inutilium novis malis occasionem dare; nam ita cadit pars litium, si de patronis inutilibus detrahas, ac si de hodierna medicina substraxeris: demitto noxiam & inutilem Medicorum colluviem, quæ mercenario potius stipendio vivit, quam honesta & nobili literarum mercede; nam apud illos potior est negotiosi quæstus diligentia, quam Reip. salus: sed hoc gentis genus semper erit vetitum, semper admissum: an sub necessitatis specie, libertate permissa, laudabili principio, incurioso fine.

TITULUS XVI.

Utopiæ Romanæ facies crescentis, florentis, & cadentis, per varios status; Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ.

Ad optimam instituendam Remp. illud profecto maxime interesse, rati sunt omnes viri Politici; severa nempe, civium disciplina, virtutis studium, & honesta paupertas: & si valent exempla, quibus maxime alliciuntur homines, patet, si faciem Romani Imperii quo tempore viguit floruitque, æquo perpendas animo, & si pariter vitia, quibus ab illa fœlicitate decidit.

Nam licet præceps & lubrica natura sit, & sponte ad vitia feratur, tam nitidus formosusque est honestatis & virtutis splendor, ut ejus amor non tantum à fraude, sed à flagitio viros, adhuc sui oblitos, revocet: & ad honestas atque præclaras res obeundas facilime traducat: quod profecto in gloriæ studio, quo quisque aureis funibus allicitur, situm est; quæ cum aliorum de nostra virtute opinionem intueatur, mirum est quibus quasi facibus generosas animi virtutes ad res ne tantum difficiles aggrediendas, sed ad maxima adeunda pericula; exigui sæpe fructus spei, uno famæ & gloriæ ardore inflammet, accendatque; nam gloriosa virtus adorat generosa facinora; ut quam caduco corpore æternitatem assequi non valemus, immortali animi actione consequamur: æternitas enim nostrarum actionum, in honesta hominum, qui futuri sunt, prædicatione & memoria libratur; quæ quo à puriori virtutum fonte, & honesta paupertate ducuntur, eo ad nos uberior gloriæ affluentia permanabit; quæ profecto præclara agendi ratio, licet variis studiis patere videtur, ea tamen est animi generosi gentilitia: quæ nescio quomodo omnium judicio excellere, ac proxime ad Divini Numinis imitationem accedere existimatur; quæ tota in juvandis hominibus est occupata, non tantum in actione, sed exemplo: ut merito quondam ii, qui hac gloriæ laude floruerunt sint inter Deos habiti, ac divinis honoribus aucti & cumulati.

Inter eos qui in hoc studio cum laude versati sunt, ii mihi præcelluisse videntur, qui civitates suas sancte administrarunt, & cives in severa disciplina, & honesta paupertate continuerunt; & exteris & suis fidelitatis jura integra præstiterunt: quorum, quo magis virtus in hominum genere sublevando enituit; & in tuenda pace; eo commendatior extitit in hominum memoria sempiterna.

Priscis sæculis gloria floruerunt, Romulus, Numa Pompilius, Camillus, Themistocles, Augustus: & corrigendis moribus & Socrates & Plato: apud nostros uterque Ferdinandus & Secundus Philippus; ego vero non tantum horum hominum, qui suis olim civibus regendis virtute & gloria præstiterunt, quam eorum qui admirabili postea sapientia Remp. legibus atque opibus munierunt, incorruptis hominibus, admiror: non potest enim civilibus studiis virtus ad majorem gloriam pervenire.

Tantum Resp. persistit, conservatur, & durat, quantum civium utilia ad Reip. commoda referuntur: mox perit, cum peculiare utile anteponitur; cum bene ac juste res geritur, sive ab uno Rege, seu à populo ipso, Utopia quidem recta erit; è contra modo vitiosa Resp. sed ne quidem Resp. existimanda est, sed civium confusio.

Et si Romanam Remp. ob oculos proponimus per varios status, vix eam fœliciorem æstimabis sub unius imperio, cum illam fœliciter auctam legas sub Consulibus & Senatoribus: sed omnium fœlicissimam, dum popularis viguit gubernatio, quod nec Polybius nec Tullius satis videntur mente comprehendisse, nec oratione expressisse; cum illam optimam tradiderunt; optima enim extitit, cum æquissimis legibus temperata: tunc sancta, cum summus in ea paupertati ac parsimoniæ honos habebatur: & illud viguit in Romana Rep. à Pyrrhi Regis bello usque ad tertium bellum Punicum: quo tempore nulla nobilium dissensio, nullus populi motus, summa honorum, ac rerum omnium inter eos communio fuit; merita præmia sequebantur; nullum in re privata cumulanda, atque augenda studium: omne omnium in amplificando ac propagando imperio locatum erat: hæc fuit sub populo Reip. facies; nam reliqua tempora, quo ab hac ætate magis, eo ab optimæ Reip. specie longius abfuerunt; siquidem extremis temporibus partim Regum, partim Imperatorum; mediis autem modo optimatum, modo populi, parum moderatum imperium civitas pertulit.

Illud inter hæc tempora perpendi, quod justi Reges publicæ pacis studiosi, qui legibus ac justis institutis Remp. Romanam fundasse video, ita firmiter illam morum severitate stabilisse, ut ab iis primordiis ac certissimum exterarum omnium gentium ac populorum bello paceque principatum, eam pervenire postea non difficile fuerit, pace quam bello, pluribus illectis civitatibus, fidei Romanæ admiratione potius quam armorum strepitu.

Post-

Postquam vero plerique eorum patricios, quorum ipsi è corpore erant, plurimum extulerunt, plebemque vehementius depresserunt; aut regnum per vim partum, imperiosius quam decebat administrarunt: ex hinc incipit odiosum imperium, (gliscit enim libertatis memoria) ut plerique populi jugum excutere præsumerent: nam injustum dominatum sequitur populorum seditio; quippe exactis propter immoderantiam, eorum in cives libidinem, atque audaciam Regibus; (non enim moderata videbatur Reip. forma instituta) facile in Remp. decidit Monarchia; quæ postea à paucis optimatibus, iis ambitione corruptis, haud minus oppressa videbatur; etenim quid tam non dicam injustum, sed à temperata Rep. alienum esse potuit, quam universam Remp. paucorum patriciorum imperio committi, ac plebem omni prorsus Reip. munere excludi; patricios solos consulatum, regium nempe imperium sacra comitia ferre, atque omnem in plebem necis & vitæ potestatem habere, ac plebem ipsam, non modo omnis expertem honoris, optimatibus obedire, sed diremptis connubiis, vitæ etiam ipsius prope communione privatam, maxima cum indignitate servire.

Quare ut aliqua moderatio induceretur, factum est, ut tenuiores cum principibus etiam æquarentur; & plebs, pari cum patriciis in civitate jure uteretur: sacrosanctus ei Tribunatus fuit à patribus concedendus: quo etiam contra optimatum potentiam atque libidinem, se libertatem ac pudicitiam suam tueretur, atque defenderet, connubia communicanda fuerunt; ne pars civium, tanquam contaminata ac indigna, à nobilibus contemni videretur; ne soli optimates in Rep. dominarentur.

Cum ergo plebs consulatum; (quæ firmissima semper prope arx patriciorum fuerat) præterea dictaturam, censuram, imperium, sacra sacerdotia, quæ unius ante nobilitatis fuerant; non sine magnis Reip. motibus ipsa sibi vendicasset; nihilque ad jus totius Reip. adæquandum deficeret, quam ut plebiscita quibus tunc sola plebs tenebatur, omnes Quirites adstringerent, quæretur, tum denique hoc etiam lege Hortensia consequuta est.

Quid inde? ita æquissimis demum legibus temperata Resp. atque plebe, omnium rerum in societatem vocata; magna Italiæ pars devicta, cum Tharentinis & cum Pyrrho Rege bellum susceptum est: ex quo tempore præclara atque ad omnis posteritatis famam, illustria abstinentiæ, modestiæ, justitiæ, fortitudinis, civilis denique concordiæ, usque ad tertium bellum Punicum, exempla edita sunt. Tunc enim Curii, tum Fabii, tum Caruncani viguerunt: tum Metelli, Scipiones, Pauli & Lepidi floruerunt: quorum cum eximiam in bello magnitudinem ac prudentiam, tum incredibilem in pace Justitiam ac moderationem, & juste admireris, & facile coleres: tunc enim viguit floruitque Romana Resp.

Hic fœlix status (labente veteri disciplina) incœpit declinare, totiusque civitatis mores corrumpi, & ad levitatem atque ambitionem decidere; præsertim vero luxuria, per Asiaticos Triumphos in civitatem invecta: atque exterarum gentium metu amoto, Pyrrho jam Rege pulso, Pœnis, duobus asperis bellis devictis, tertio etiam funditus deletis: Philippo, Perseo, & Antiocho, potentissimis Regibus superatis; Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyria, Macedonia, Græcia, provinciis in ditionem populi Romani redactis, Principatum orbis terrarum, atque imperii confessionem extorserunt.

Qui usque eo vere optimus Reip. status, Polybii & Ciceronis sententia, fuit, cum primum sensim ac leviter tentatus, deinde aperte translata jam ad injustum populi dominatum Resp. funditus labefactatus atque eversus est. Quem certe statum duo Gracchi, Saturninus & Drusus Tribuni Plebis furiosi, & amentes, partim Agrariis & Judiciariis legibus, quibus optimam tum potentiam frangerent, partim insolenti audacia, præstantissimum illum optimæ Reip. consensum perturbarunt: ab eo enim tempore majores in Rep. plebis, quam optimatum opes extitere: quippe quæ omnium jam honorum, quos soli antea Patricii obtinerent, particeps facta: præterea Tribunatum tributa ac comitia inter se partiti sunt sociorum suffragiis, quibus plebs aucta & locupletata, universam Remp. in potestate habuit; atque ex libidine administravit.

Postea vero hunc plebis dominatum Lucius Sulla dictator sustulit, qui etiam imperio à Caio Mario spoliatus, extorta ex inimicorum manibus Rep. Tribunorum plebis potestate imminuta, plebe agris pulsa, ac trucidata, judiciis senatui redditis, optimatum Remp. stabilivit, popularemque convellit.

Verum ne hic quidem status diuturnus admodum fuit; nam paucis post annis; Cn. Pompejus in primo consulatu, antiqua Tribunis plebis potestate, atque dignitate restituta, plebe ad judicia, cum senatoribus & equitibus, lege Aurelia advocata, vetus illud optimæ Reip. quæsisse temperamentum videtur: quod certe mutatis, imo corruptis jam penitus totius civitatis studiis, atque avaritia jam, & ambitione latissime grassantibus, assequi nullo modo potuit.

Ita perturbato sæpe Reip. statu, à paucis de universa occupanda Rep. cogitatum: Tum enim Piso, tum Catilina, cum aliis ejusdem furoris sociis adversum Remp. conspirarunt: tum Cæsar & Crassus, & ipsa mutata mente credo, Pompejus inita societate, extraordinarias opes (quæ liberæ civitati jure formidabiles sunt) sibi quæsierunt: qua sine societate dirempta, civilis repente discordia, ac totius Reip. perturbatio consequuta est, cum Cæsaris potentiam senatus, Pompeive populus ferre non posset.

Victo autem fatali prælio Pompejo, atque optimatum factione afflicta, rursus ad injustum Cæsaris dominatum Resp. recidit: quo ab his, qui libertati studebant interfecto, cum reviviscere prisca Patrum gravitas, ad spem autoritatis pristinæ, quodammodo respirare videretur; haud multo post, in ipsomet recuperandæ Reip. apparatu, à populo, cui Antonius, & postea Octavius, qui Cæsaris partes ambo susceperant, sublata, funditus, atque oppressa est; cum in Remp. inauditum ante Triumviratum intulissent; ac nefariam optimatum, atque inimicorum suorum proscriptionem & cædem fecissent.

Triumviris autem duobus sublatis, tertius

Q 2 Octa-

Octavius, tanquam bellorum civilium, quæ ipse confecerat, præmium, totius ad se Reip. vim, potestatem, atque imperium, quod ab initio Regum, post magistratuum, senatus, ac populi fuerat, in perpetuum transtulit.

Quibus ex rebus satis intelligi posse arbitror, vix Reip. formam, qualis fuerit, posse exponi; & quæ inter illos optima Reip. constitutio: nam pro rerum humanarum vicissitudine, iterum atque iterum commutata est Reip. forma; illud autem constans & immutabile fuit, ut sicut militari studio conservato, pariter & justitia, æquitate, concordia, constantia, gravitate, ad publicam utilitatem collatis; subacta intra quingentos annos Italia, facile, ac brevi temporis spatio, magnam orbis terrarum partem sub suo imperio subjecit: ita neglecta civili disciplina, postposita utilitate publica, relictam à majoribus libertatem atque imperium amisit.

LIBER SECVNDVS

CHAOS UNIVERSI.

TITULUS I.

3 Annal. 3.

Mihi quanto plura recentium, seu veterum revolvo, dixit Tacitus, *tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur*: quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio: quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat: vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probo scelere eoque sine pœna, aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, at postquam exui æqualitas, ac pro modestia & pudore ambitio, & vis incedebant, provenere dominationes, & parum tutæ præcedentiæ; hinc *Chaos Vniversi*.

Nam res humanæ in orbem per tempora feruntur: sed in summa rerum infœlicitate, citatiori motu raptantur nefariis exemplis: quare sibi non constant homines, neque jus, nec fas gentium, non veritas: lucrum & injustitia dominatur: *Vnicum est omnibus hominibus negotium, sua cuique Vtilitas*. Et si adhuc studia ad rerum superfluitates convertuntur, hæc etiam ut vitæ necessaria æstimantur, hoc præverso judicio, fiunt acriores necessitatis morsus; ideo prævertunt omnes naturæ, & honestatis leges.

Plerique tamen aut principis incuria, aut Reip. permissione tacita, ad insolentem licentiam devenerunt: nam populi temeritas eam interdū licentiosam intulit libertatem, ut funditus Remp. everteret: cum eo deventum est, ut cuique licuisset de publico sumere quod in privatos usus converteret: ut plerisque in liberis civitatibus experiuntur alii. Tunc omnes, ab industria ad desidiam vocati, ad theatra & fabulas conversi, & reliquas animi voluptates, quæ Virtutis nervos incidunt, omnem Reip. antiquæ dignitatis memoriam deposuerunt: ac per varias illecebras seducti, peccandi licentiam assumpserunt: nescio an nobilium improbitate, an plebis petulantia; ut postea regressus ad pristinam Reip. dignitatem, morum severitatem, legum, & justitiæ observantiam, fit pene impossibilis: quod extremam fere imperii senectutem consequitur: nam se ipsam longa dominatio debilitat; cum etiam Reip. calor, per varias rerum cadentias repatiatur: & radicale humidum pabuli defectu, consumatur, dum non tantum reponitur de principis valore, & justitia, ac de Reip. vigilanti solertia, quantum civium insolenti libertate absumitur, aut tyrannidis arte populatur: quo accidit fataliter, ut omnis Resp. senescat, & pereat monarchia: quare fatalis necessitatis erit, ut renascens inter belli tumultus ~~in aliis hominibus incipiat~~, veteribus attritis & consumptis vitiis, & hominibus, aut sub novo advenientis principis dominatu. Nos valorem & artem præliandi docuimus cæteras nationes, dum vitæ moderatio nos sub militari disciplina fecit insuperabiles: nunc vero sub otio inerti opulentiæ, summa enervavit desidia; nam licentia suas opes præcipitat, atque urget: neque unquam immodica duravere: illud multarum urbium ostendit eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt. Nunquam tali periculo laboravit Resp. Romana, quam cum summa sentitur fœlicitas; hæc enim non consistit, sed ad fatales labitur climacteras, scansili lege occidua; (sunt enim in monarchiæ duratione gradus, velut in vita hominum) quoniam quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit, hominum vitio, non temporum. Alexander & Annibal vicerunt armis, vitiis victi sunt: quorum occasione fortasse eorum imperia ceciderunt.

Illud constat in hominum memoria, ex nobilis vetustatis monimentis, Romanam potentiam funditus periisse ob temeritatem multitudinis, in nobilitatem concitatam, forte ob insolentiam imperantium, qui populum sibi alliciebant, per licentiam, libertatem, & varia facinora; ut inter Marium & Syllam, Cæsarem & Pompejum, legimus accidisse: bellis civilibus, antiqua disciplinâ, & morum severitate, abolitis: quo imperium illud, quod per Reges primo, dein per optimates & principes partum, & amplificatum erat, brevi fuit vulgi furore & amentia dissipatum: nam plebis semel licentia comparata ita crescit, ut nulla ratione rescindatur; aut metu valeat coërceri: hoc Spartam delevit; Athenas dissipavit; Thebas attrivit; ut nil de his superstit in hominum memoria, quam rumor potentiæ inanis, & fucatum gloriæ simulacrum.

Apud nostros extremæ valetudinis imperii com-

compendium, est propria utilitas, & lucrum, quo ministri infimæ & ingenuæ plebi insolentem libertatem & docent, & permittunt, licentia & civium injuria; ideo nemini in hoc sæculo, libertatis impunitas & peccandi licentia non licet, hujus fatalis calamitatis illud tantum reor superesse auxilium, ô suprema Majestas, si minister, populus, insolentia, audacia, temeritas, ac tandem ministrorum impunitas, omnes te norint, principem: & si nobiles & egregii viri, filios in severa contineant disciplina; ac illos generosas edoceant virtutes, sub quibus labori assuescant, & alii militari disciplinæ obsequantur: quo fiant vivæ leges, quas adoret & admiretur populus: sunt enim nobiles & generosi viri, virtute & exemplo fundamenta Reip. in his stat Reip. status; nam licet discrimina quamplurima sint per egregios viros populo importata, in illis tamen semper extitit Reip. defensio: nam & honor, & valor, Remp. tuetur; & conservat: animus enim generosus, & excelsus ingenio, fortitudine, valore, & industria, est Reip. murus: quibus si populus caret, temerarius, improvidus, abjectus dicendus: quo patriam perdere, non conservare valet: nec collapsam in pristinam dignitatem restituere: quo perspicue patet, quam male sit iis civitatibus consultum, ubi claris hominibus infimi præferuntur; & ad pudendam & extremam inopiam, fallaci politica reducuntur.

Nec ideo cogitent infimæ plebis homines, illud esse libertatem amittere, & nobilibus tradere libertatem: quoniam illud est libertatem tueri: liberi enim hominis est officium, iis certe parere, quos noverunt ingenio, valore & industria, Remp. & publicam salutem conservare, aut in pristinam dignitatem restituere: ægrotus enim non obsequitur Medico libertatis defectu, sed quia id sibi judicat salutare; neque imperatori miles, nec civis gubernatori, sed quia fructum obsequii consequitur: illi enim mala depellunt jam illata, avertunt imminentia.

Luxus magis exemplis quam legibus coërcetur; ideo Romæ præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit: antiquo ipse cultu, victuque: obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metus; quare irritum judico, mores pragmaticis & legibus coërcere, sed principis exemplo: inest enim cunctis in rebus quidam veluti orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nam singulis centum annis omnia sursum deorsumque vertuntur.

Errat, qui judicat nostri sæculi esse vitium, luxuriam & negligentiam boni moris, & alia quæ objicit suis quisque temporibus: hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacavit culpa: erunt enim vitia, donec homines; nec omnia apud priores meliora fuere; nostra enim ætas, multa laudis & artium imitanda posteris tulit: verum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant: nam una quæque ætas, sui familiares defectus morosa conditione notat; & acriter sugillat: sed tempore obliterantur maculæ, ut vilissimæ crescant in immensum familiæ, & Regiæ vilescant, ad servorum familias, contrario descensu: nam illæ opulentia, fortuna & valore ascendunt: has præcipitant vitia & ignavia: vitiorum enim tulit exemplaria omnis ætas, non omnis ætas virtutis: *Quoniam*, ut bene dixit Tacitus, *omnis ætas feret Clodios, non omnis ætas Catones.*

Hæc delicta, quæ nos conturbant hodie, respectu vastissimæ monarchiæ, non sunt gravia, forent talia respectu moderatæ; at unaquæque ætas sua vulnera sentit, calamitates luget; & ante actæ fœlicitatis memoria, tempus fœlix recolit, præteritum desiderat, ac dicit, *summum infœlicitatis genus est fuisse fœlicem*: ideo tempus præteritum præsenti anteponit, fœlicius considerat, ut melius adorat; nam in opinione tempus melius judicatur præteritum, in re tamen non est; nam una quæque ætas gentes suas vitiis vacuas esse non sinit: sed sua una quæque vitia lamentatur; laborum præteritorum jam oblita, & præsenti tristitia vulnerata.

Licet vitia hominum sint, non temporum, una quæque ætas tulit sibi peculiaria, in illo orbis circulo gentilitia: in nostra enim ætate vitia mercantur opulentia: nam emerunt meretrices ministrorum tolerantiam lucro pecuniæ infami; juvenes peccandi libertatem: & virgines nefaria exempla: prodiga rerum luxurie, nequissimi hominum atrocitates: fidelitatem corrupit avaritia: inter nos, olim corona extitit nationum fidelitas & valor; quod sub mediocritate essent sui juris virtutes: nunc Hispaniæ cives sunt principis obsequio fidelissimi, sed omnium infideles ministri; forte quod avaritia, fidelitatem & æquitatem superat, auri sacra cupiditate.

Hinc irrepsit illa species Poliatriæ sub hac confusione universi; qua (ut dixit Magnus Gregorius) justi simplicitas deridetur: hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere: sensum verbis velare: quæ falsa sunt, vera ostendere: quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio ediscitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo, superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi, in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur: dum mentis præversitas, humanitas vocatur; hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere; adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere; irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

Quid ergo? si publicæ necessitatis prætextu, ab auctoritate suprema emerentur delicta, quæ hominum securitas, quæ legum auctoritas inde erit; quid supremam majestatem indemnem conservabit, quis timor grassatoribus? & quod frenum erit transgressoribus legum, si emitur & venditur justitia? hoc non admittit publica pax: hoc certe monarchiæ enervabit potentiam, & illam dabit in fatalem ruinam: fateor quod nos debemus iis, quæ nova ferunt tempora adaptari; sed non justitiam & æquitatem perdere: originalis justitiæ nuditas necessitavit veste; hæc ad corporis defectus operiendos est inventa: purpura olim justitiam operuit, nunc animi defectus aperit; nostram ambitionem & vanitatem detegit: homo cum originalem exueret justitiam, se ipsum ornavit veste, nuditatis forte pudor;

dor; postea cum peccavit, de propria servitute gloriatur, ac si victoriæ nessiteria reportaret; ô inauditus furor; non dico ministros esse passim mutandos, hoc enim supremam majestatem non decet: fore tamen super illos cautissima solertia invigilandum, & in timore exemplari supplicio continendos: id quoque morum Tiberii fuit, dixit Tacitus, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ, in eisdem exercitibus ac jurisdictionibus habere: nam ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat; edifcant illi ex principis integritate justitiam: illud enim tantum legum transgressores timuerunt: Nullo enim magis Piso est exterritus, (in Germanici morte,) quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira obstinatum, clausumque vidit; ne quo adfectu prorumperet; nam supplicii defectus, & patientia sceleris, insolentiores audaciaque contumaces, adhuc ignavos reddit: Ubi enim Seianus vidit mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mœrore publico esse, ferox scelerum volutare cœpit, quomodo Germanici liberos præverteret, dissimulante Tiberio, neque senatus in eo cura: & princeps, an imperii extrema dehonestarentur, non curat.

1 Annal. 15. *3 Annal. 2.* *4 Annal. 4.*

Hæc etiam discrimina nostra ætate vidimus, quæ lamentatur Tacitus in similis opulentiæ Monarchia: pudet referre vitia antiquorum, & Reip. statum illis temporibus lamentabilem: sed in solatium vitiorum, quæ nostris temporibus aliquibus eximia videntur, illa referam: tunc enim, inquit, summæ infœlicitatis tempus erat, cum primores senatus infimas delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos à conjunctis, amicos ab ignotis: quid repens, aut vetustate obscurum, perinde in foro, in convivio, quaque de re locuti incusabantur, ut quis prævenire, & reum destinare poterat: pars in subsidium sui, plures infecti, quasi valetudine & contactu: quid multum? Nomen Matrimonii Messalina; (vivente marito) cum alio concupivit, & consequuta est, ob magnitudinem infamiæ; cujus apud prodigos novissima voluptas est: nolunt enim solita peccare, quibus peccandi præmium infamia est: & perditis hominibus, projectis ad flagitia, infamia voluptas est: proceres Romani specie oratorum & carminum scena polluebantur: quid superest, nisi ut eas pugnas pro militia & armis meditentur.

In hoc tamen vitiorum contagio, nullus ordo metu, & periculo vacuus, quanto magis occultare & abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi; multis afflicta fides; non metu, non amore, sed ex libidine servitii, alii incitabantur, ut in familiis privata cuique stimulatio, & vile jam decus publicum: nemo in aula Vitellii industria certavit, unum ad potentiam iter, prodigis epulis & sumptu satiare inexplebiles Vitellii libidines: maximum discrimen erat, penes quos aurum & opes, præcipue bellorum causæ; magna & misera urbs eodem anno, inter Vineos, Fabios, Isselos Asiaticos varia & pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus & Marcellus, & potius alii homines, quam alii mores. Neque hujus generis apud nostros defuere exempla; tunc enim præcipuum in aula adulatorii dedecoris certamen erat: ideo præstantes viri in occasionem defuerunt consilio & industria in pace; disciplina militari, in bello: quando enim eo miseriæ ventum est, non quærit ambitiosa cupiditas, an ad satias capiat, sed an sat sit quod capiat: illud tamen est miseris ultimum, cum ita adulta vitia, ut opus sit punire veritatem; ut vix credas, in delictis puniendis, an tolerandis, sit gravius discrimen, in hoc rerum statu, ubi cives nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre possunt.

Quo in statu & populi & urbes exarsere, veluti valetudine & contagio, vicinæ seditionis incendio; & nobis id evenit, quod olim Romæ; nam facinus incendii scelus instaurationis induxit, in conferendis pecuniis, devastata Italia, & eversis provinciis, sociisque populis, & quæ civitates liberæ vocabantur; inque eam prædam etiam Diis cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis ætas prospere, aut in metu sacraverat; hæc Tacitus.

Quoniam in hoc infœlici statu rerum, deligebantur ministri scelerum, ad puniendam modestiam & nobilitatis libertatem, sub specie largitionis necessariæ, non divini, non humani juris memores: ubi palam erat delictum, antiquas aut recentes possidere divitias; ac nulli impune erat, aut domus aut familiæ gratiosa supellex; nam præmia sub dominis & pœnæ sub arbitrio erant; (res enim scelere & pecunia vendebantur.) Et talem formam vitæ inierunt, quam postea celebrem miseriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt; dum charissimo cuique periculum facessunt: quia potentia erat penes unum, apud quem mos erat, privatum odium falsis criminibus tegere: quo pleraque deterrima impune, & honesta exitio fuere; (vinclum & necessitas silendi) erat enim palam compositus pudor; intus summa adipiscendi libido & ambitio: sæpius industria & vigilantia: quæ fortasse parando regno fingebantur.

Ab anno 1640. & 1643.

Is tamen magnæ fortunæ pericula non effugit; nam pari exitio viguit ceciditque; repente enim cecidit illud humani favoris simulacrum Hispanus Ganimedes: nam favor ipse fatalem animavit ruinam; cessit rerum vicissitudini fœlicitas; & alternatæ novitati principis amor: ac favor implacidæ invidiæ; & omnia tandem imperii ruinæ; occidentem solem plures deseruerunt: nam plures gentes nascentem adorant solem; ac repente favoris machina, antequam ruinam minaretur, se præcipitem dedit; (quidquid in contrarium plures dicant) & hoc illius infœlicitati cessit, ut omnes impellerent cadentem: (fatalis infœlicitas cadentium;) *Est enim summum humanæ fœlicitatis periculum, fœlicitas, maxime cum ad summum pervenit.*

Anno 1643. 6 Calend. Ianuarii.

Dicet aliquis, hoc tantum miri esse inexpertis Monarchiarum, & regnorum Peritiæ; quoniam illa morum corruptio est, & necessario fatalis in immensa Monarchia, quam ullum ingenium coërcere non valet, nec principis exemplum: quippe illa sunt huic rerum statui gentilitia, hominibus coæva. Huic objectioni duobus tantum principibus respondetur, & peritis Monarchiarum fit satis; Trajano nempe & catholico Ferdinando: non potest enim imperii statum,

eo

eo miseriarum esse magis perductam, ac illum exceperunt dicti principes; in Romano imperio, post Tiberium, Cajum Neronem, Othonem & Caligulam: in Hispania post Henricum Ignavum, Petrum Injustum, & Prodigum Henriquum, ut clavum firmaret in Imperio: & in hoc statu uterque princeps, nescio an valore, an fortuna, prisca morum gravitate, severitate legum, modestiæ exemplo, ac tandem labore immortali; tam severa disciplina instituerunt regna, ut jam non quæ exceperunt corrupta, sed alia posteris dare viderentur, tali æquitate & justitia complanata, ut forent vicinis æmulatio, & posteris invidia: ergo principis valor, & exemplum, & validus in principem æmulandi amor; valebit non tantum vitia coërcere, sed etiam in æquitate & justitia populos continere.

Incœperunt postea homines respirare: rerum auxilium in spe quærebatur; libertas incœpit resipiscere; illa etenim antea summa miseriarum fuerat, quod notæ & ignotæ aures vitabantur: & muta & inanimata, tecta & parietes, circumspiciebantur: interciderat fortis humanæ commercium: neque enim erat loqui, neque silere tutum: nam pavor internus occupaverat animos: cujus remedium in adulatione quærebatur; cum nulla ex honesto spes esset; nam pessimus quisque, diffidentia præsentium, mutationem pavens, adversus publicum odium gratiam præparat; unde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitas.

Illud erat maxime violentum, quod ministri plura quam jussum erat confingerent: sed nefanda scelera, execranda odia, pepererunt: nullus quippe ordo erat à calumnia liber: unde misera Resp. varia & pudenda forte agebat, inter adulationem & avaritiam, ista in occulto, adulatio in aperto erat.

Hæc tamen quæ patimur miseranda; quæ lamentabilia lugemus, inter alia non ita deplorata, futuris in laude & invidia erunt; nam præterita tempora iis qui postea sequuntur, semper æstimantur meliora, licet talia sola opinione reddantur; quoniam memoria præsentibus afflicta, præteritas fœlicitates cum dolore recolit.

Hæc omnia excepit justa Dei benignitas: patet hoc ex eo, quod nullum sat erat ab homine hominibus auxilium; quantumvis multa & varia sæpe machinarentur: id tamen sibi nunquam humana potentia persuasit: in hoc enim conveniunt habituales, & desperati morbi, ut quo quis pejus habet, minus sentit: ac ideo res in summa desperatione non timentur: illa tamen est divinæ clementiæ conditio, ut quando sibi homines non medentur, secando & urendo medeantur ante ultimum & extremum supplicium: *Nec unquam*, dixit Tacitus, *atrocioribus populi Romani cladibus, magisque justis judiciis approbatum est, non esse curæ Diis populi illius securitatem, esse ultionem.* Iis suppliciis nos admonet, nec attendimus; forte vitiorum caligine: satius esset supplicio quam ruinæ credere: nondum abolevit memoria antiquæ lamentabilis Hispaniæ cladis, per Saracenos à Divina justitia immissæ: Ideo forte jus Romani imperii Stephanus Secundus, Romanus Pontifex, (dextera divinæ clementiæ, & justitiæ manus) à Græcis ad Gallos transtulit, cum Orientalium Imperatorum absentia & ignavia, Occidentalium rerum statum defensoris indigere præsentia & cura, expertum est. Jus postea Gregorius Quintus, extincta magni Caroli Sobole, eadem causa transtulit ad Germanos, licet electivo jure, & non hæreditario, ut spe tantæ dignitatis consequendæ, cæteri principes, virtute, valore & industria certarent; & ut talem subditi libentius ferrent imperatorem; ut qui optime calluit religione & valore imperia tueri.

TITULUS II.

De alio hujus Chaos principio ex publico errore.

Eo vitæ hominum communis error, ubi publicus factus est, vitæ politicæ necessitatem egit, ut errori plaudere, sit omnino necesse, adhuc illis hominibus, qui veritatem, justitiam & pietatem colunt; nam veritatem plausibili quadam violentia mentitur, ubi publicus factus terror: in hoc enim Chaos universi, unusquisque illius personam induit, quæ magis proprio utili conducit: facile enim quivis in tanta populi cæcitate, viri boni personam tueri potest; & amentis populi oculos fallaci splendore perstringere: constantia vero, quæ non in nostra potestate consistit, & pleræque vitæ politicæ directiones in amentia populari sita sunt, ut fere illa inevitabiliter impetus & dementia populares gubernet: nam lucri catena omnis vita hominum constringitur, ut virtutes adhuc recti judicii extra lucrum exercere, incivile & stupidum judicetur: omnia enim hodie opinione potius, quam veritate pollent; cum maxime major hominum pars sit in plausu hujus rei, aut illius consentiente; & tunc certe graviori periculo erratur, cum magis communis est opinio: hæc enim potiori dignatione occultat veritatem; quantumvis *opinio sit imbecilla animi assensio, nulla certa ratione munita, sed obscura quadam imagine veritatis excitata; falsa sæpe & incognita, pro veris & perceptis apprehendens; &, quantumvis sapientia, semper errorem fugiat.*

Quare ea quæ in publica *opinione* consistunt, necessario amplectimur, quantumvis nostræ intelligentiæ reclamant; ut communi consensui serviamus; nam unusquisq; cupit gloriam, honores, divitias, & stemmata illustria, ac tandem in ore hominum versari: & hæc omnia in hominum opinione consistunt. Demosthenes, Plato, & Aristoteles desererent fortasse Academias, si populi plausu fraudarentur: quis non cupit extolli in ipsa cupiditate gloriæ? adhuc illi animo fracto mærentes cecidissent, quoniam egregia facinora laudabili plausu coronantur, & plausu illustriora fiunt: est Gloria consentiens populi laus, opinione excellentis decoris excitata: ideo Ulysses ab Homero laudatur, quod sagaci solertia se mentibus hominum illius sæculi adaptaret: Antilochum & Sylenium eisdem etiam artibus ornatos celebravit vetustas.

Eo certe antiquis assimilatur nostra ætas, ut sicut illis temporibus, ita nostris: in variis Europæ Regionibus; neque latrociniis maria & terras infestas reddere; neque insidiis & perfidia, generis humani societatem violari: neque impia fraude perjurioque cœleste Numen offendere, infamiam

infamiam ullam habere; sed potius eos qui ea scelera scienter & callide suscepissent, magnam fuisse laudem eo artificio consequutos. Ubi sunt tot à majoribus repertæ leges? tot quas nostra tulit ætas? illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ: quid in leges ipsæ ansam impuris hominibus (favore ministrorum tutati) latrociniis & fraudibus præbuerunt; cum magis in ore hominum essent callidi & sagaces; longe lateque alliciunt exempla,& vitæ communis instituta; facile enim exemplis commovemur: hæc homines laudant,hæc vituperant, pro ut insiti mores.

Neque enim potest, is qui pudorem amisit, honestatis specie commoveri; nec qui omne studium ad fallendum adhibuit, vera simpliciaque laudare: neque qui diuturna cædis consuetudine efferatus est, humanitate & clementia delectari; nemo denique exprobrabit unquam,quæ suis abhorrent institutis.

Olim facile erat omnes esse in vitæ probitate laudabiles, quoniam omnes sequebantur vitæ laudabile studium, ad naturam compositi: hodie difficilimum, quod sit certa in vitiis honestatis apparentia, qua homines tuentur avaritiam, fallendi artes, vanitatem, ac ambitionem insolentem: nec stimulis honoris incitantur; neque fœda & turpia pudori sunt hominibus; longe aliter ac in aureo sæculo, quo Hesiodus dixit.

Vt dii, vivebant homines, neque tristibus ægri,
Curis, nec pressi, ærumnis durove labore;
Omne malum cunctis aberat.

Illo vero exacto, neque juris neque religionis vestigium relictum; periit lex hospitii, societas & fœdus amicitiæ: deserta est probitas & justitia; timentur & laudantur insolentes,impii & injusti: nec est relictus pudor; est Nemesis in exilium acta; cætus hominum deseruit justitia, in cœlum evolavit; homines cæco animi impetu, prava consuetudine, & exemplo, salutaria declinant, & impia sequuntur; nam passionum impetu sine delectu ruunt; sunt tandem homines in vitiis antipodæ illo aureo sæculo.

Nam pro veteri, ac generosa constantia & valore, sunt viri nostri sub quavis afflictione humiles: in prospera fortuna elati,vanitate tumentes, timidi in armorum discrimine, in bello inconstantes, præfidentes in pace, in inopia supplices & abjecti; opibus affluentes ingrati; quovis levi periculo implorantes auxilium optimorum,quos antea despexerant; ac illos postea timore liberati, à patriæ finibus expellunt.

Est populi conditio, odio habere virtutis excellentiam,vitiorum infamia delectari; ideo Democratis Abderitæ severitatem populus Atheniensis non tulit; neque Socratis generosam constantiam; neque Roma Catonis libertatem; neque Belisarii fortitudinem; Hermodorum Ephesii ob virtutis excellentiam expulerunt; Aristidem, Simonem,& Themistoclem, Athenienses; Hermocratem, quod patriam obsidione liberavit; Dionem, quod Tyrannum & Tyrannidem expulit: haud impari causa parem calamitatem passi sunt, Camillus, Coriolanus, Rutilius, Metellus, Tullius, Brutus, & Cassius: hæc enim est conditio beneficii; nam populus (est humana conditio) beneficum ut creditorem adspicit, cujus conspectum cum tolerare nequeat, aut velut hostem fugit, aut à se ipso pellit; nam cum æquare beneficio non valeat, rubori ipsi est, beneficum aspicere,cum beneficium de vilitate arguat, aut de ingratitudine: ideo creditor fastidio & contumacia efferatur; & populus nec vitium,nec virtutem ferre potest: quo fit,ut nec totam servitutem, nec totam libertatem ferat; nam furor & audacia, in ipso levitatis studio, quotidie populum ad res novas solicitat.

Dum æquitas & justitia bona malaque populi erant in utile commune, floruit viguitque Roma; dum crevit in immensum Monarchia, lucro & avaritiæ cessit valor; ambitioni pietas & justitia: hæc est facies, hæc est vera effigies Hispaniæ; nam dum fœlices Reges, pari justitia ac valore certabant, divino freti auxilio, floruit & valor & Monarchia, ut apud nobiles reliquias Gothorum; Pelagium, Ramirum, Idelfonsum, utrumque Ferdinandum, & ad nostra fere usque sæcula: sed apud nostros creverunt etiam vitia cum Monarchia: nunc enim lucrum cum justitia certat, certat cum ambitione avaritia, cum valore luxuries, quia crevit in immensum Monarchia.

Quid ergo expectare par erit ex illo senectutis delirio? senescunt homines, familiæ senescunt, cedunt etiam temporibus imperia, ac tandem fatis cedunt Monarchiæ: nam omnia tempus,edaci dente consumit, & cum ipsis temporibus res ipsæ transmutantur, fluunt & revertuntur. Quid nostræ memoriæ, reliquit Phœniciæ Monarchia? quid Assyriæ, Græcorum, & Medorum Imperium? quid Persarum, quid Carthaginensium indefessus & importunus labor? ut fere Romanorum Monarchiam deleret? quid de illa vastissima Romanorum potentia, ad ultimos fines terræ protracta? quid tandem de immensa illuvie Gothorum, quæ fere terram universam inundavit; ac ultimo de Barbaro Imperio Mauritaniæ, quod pari exitio apud nostros viguit ceciditque? sed quid in istis moror, ut quæ fatalem imperii ruinam consequantur; nam illa deliria senectutis Monarchiæ, quæ illam naturali rerum transmutatione, ne dicam præversione indicant interire; sunt enim temporibus insitæ & fatales rerum vicissitudines; nam imperia etiam ut homines præ senio deficiunt; si non antea mortem prævenit violentia: non dubito quin perennis stellarum influxus, ad homines & mores permutandos, per varias rerum vicissitudines decurrens, sit magnæ efficaciæ, ut qui mutat Monarchias & Imperia; nam ut dixit Horatius:

Stellæ ducunt volentes, nolentes trahunt.

Nos conservat Romana Catholica Religio; & notos fecit valor: sed sacra imperandi libido, & nominis gloriosi ambitio, nos reddidit cæteris nationibus exosos: quia finem ubi desinat non habet: neque miror, cum certet valor cum ipsa laborum patientia, & gloriæ cupiditas cum magnanimitate: ô utinam non omnia cederent avaritiæ; nam hodie viri nostri, citra animi cultum, vitiis vastæ & opulentissimæ Monarchiæ addicti imperant, obsequuntur: sed nec populus crudelem avaritiam imperantium ferre potest: neque gubernatores populi petulantiam; servato semper veræ Religionis cultu; at semper politicæ disciplinæ ignari, ut qui minus illius observantiæ incum-

incumbunt, gentilitio valore, & antiquæ gentis ferocitate præfidentes.

Ideo hostes nostri sagaci in nos calliditate potius certant quam armorum strepitu, magis confidentia nostri, quam viribus suis freti; quod cum pleræque nationes norint, se fraudibus exornant: & solertia pro fortuna utuntur: veluti his temporibus Galli: qui in bello à valore Hispano superati in horrida Cantabria, fraudibus potius & sagaci solertia, seditiones & tumultus in nostros intulerunt, & in illa antiqua Celtiberia, & apud Lusitanos, quos ad defectionem excitarunt; ut quos armis superare non valent, in civili certamine consumerent: nacta occasione à populo implacido, oneribus oppresso, impium pectoris vulnus ægre dissimulante: quod tunc facile fuit, quod nefarii homines delictis impune manus darent, nec ab ulla improbitate abstinerent, semper novitatum cupidi: tum etiam laudabantur ære alieno oppressi, non tantum cum suis creditoribus necem inferebant, verum & propinquis & amicis; cum hæc & alia delicta redimerent pecunia.

Anno 1638.

Hæc & plæraque alia, amaram reddiderunt servitutem, libertatem optabilem, in iis maxime qui erant adeo ingenio violenti, & obsequio ignari, insita ferocitate, ut potius mori quam servire cuperent; nam ex iis permulti, pro honestis & præsentibus flagitiosa & incerta expectabant; ut mutarent fortunam; eo enim ventum erat, ut nullum dedecus imprimeret malitia, nec facinoris fœditas; imo res male gestas extollebant, ut mallent plerique homines se in sua improbitate callidos, quam probos & innocentes existimari; cum in cœtibus hominum innocentiæ nomen erubescat; insolentiæ autem efferatur: nemini enim erat vitiorum indecens æmulatio.

Hoc est maximum imperii præcipitium, hic Reip. lapsus, hæc extrema imperii senectus; hinc omnis incœpit fatalis Monarchiæ ruina: nec est mirum; cum gens illa sceleribus divulsa, funditus interierit: plures enim civili discordia, quam hostium armis ceciderunt: hoc extitit fatale imperio Granatensi Maurorum; hic populorum furor Atheniensium imperium delevit Thebas, & Spartam devastavit, dejecit Romanorum potentiam: hic furor Barchinonensem principatum ad Gallos transtulit; & Lusitaniæ imperium à nostra Monarchia seduxit; nam populus adhuc juris vinculis constrictus, si implacidus & ministrorum avaritia vulneratus, iram condit, & novitatum cupidus motus turbulentos requirit: & qua data porta ruit; & cum vires temeritatis colligit, omnia juris repagula confringit; nam id semper optat populus, ut illum in statum perveniat, quo impune per omnia pervadat maleficia; ut paucis ante defectionem annis Lusitaniæ tumultus notum fecit; qui legum severitate, & militis potentia fractus, conquievit; nam inopes illo in statu Lusitani, & imbelles, metu legum & judicum, armato milite perterriti, sunt à flagitio revocati: sed pleræque nationes, licet omni præsidio destitutæ, quietem ferre nequeunt, & novitatum cupidæ, flagrantes, libertatis flammas in animos populares immittunt: & facinoribus (ut transeant impune) seditiones moliuntur; veluti Barchinonensis populus; in hoc etiam rerum statu, alia fallacior occulitur politica; quam non attendunt principes, sive sui fiducia, sive majoribus negotiis distracti; nam contraria, aut aliena regni vicinitas, periclitantibus utilis; ideo inter summa, & ancipitia purpuratis asylum, ab illis facile inquietari patitur: & sub specioso moderamine inculpatæ tutelæ, fidem fallit, quia illa civilia ingenia, lucro commoditatis potius, quam æquitati parent.

Nam dum animus pecuniæ cupiditate exardescit, inflammatur libidine, odio & iracundia efferatur, magis ad terrorem legis obdurescit; & nullum est tam grande facinus, quod non aggrediatur: fit inde ut primum nefaria cupiditas ad facinus impellat: deinde spes celandi & occultandi animum audacia confirmet: si vero perfricta fronte jam pudorem amisit, & legibus timorem, jam facinoribus facinora contegit, & socios facinorum solicitat, & alios conducit, ut propria tueatur facinora, quo socios male operandi conciliat, cum ex legibus norit, *fore multitudini parcendum*: (impiorum certe spes unica.) nam populi audaces, & jam tumultuantes, qua data porta ruunt: ideo conantur à juris & legum custodia emitti; ac ita leges, paulo severius nefariam libidinem resecantes, abrogare contendunt; & ambitiosos homines, & facinoribus proscriptos, in suam sententiam reducere: hac enim via plerique opes & gloriam quæsiere: & ut publicæ libertatis custodes in ore publico laudabantur; & prudentes viros, qui ad præcavendas insidias, quas ex illis timebant, salutare magis quam jucundum consilium offerebant, ut communis utilitatis eversores de medio tollere curarent: sed illud assequuntur, quod Barchinonensibus evenisse comperimus, ut dum propriam libertatem tuerentur, hanc penitus amitterent, & in vilem & miseram servitutem deciderent; nam veræ libertatis propugnatores, seditiosi alii, aut multitudine opprimebant, aut in exilium mitti existimabant: sed est illis in sola desperatione excusatio.

Eodem Monarchia & Resp. periculo laborat, valida opulentia, ac egestate ultima; illa enim ambitionem concitat insolentem; hæc res novas solicitat; ideo Solon suorum deplorabat insaniam, atque cupiditatem, dum videret opes Atticas atteri & consumi: potentum insolentiam, & perditorum hominum egestatem: quoniam hinc timebant stupra, adulteria, convitia, & Reip. ambitus avaritiam, ambitionem, legum transgressiones; ex inopia, furta, latrocinia; proditiones, & secreta cum hostibus colloquia, & defectiones à naturali principe; ac tandem patriæ eversionem verebatur.

Quid ergo tot calamitatibus auxiliabitur, & tot malis medebitur; præmium & supplicium; nam hoc unico auxilio Romanorum Imperium viguit, floruitque sub Romulo, Pompilio, Augusto, & Trajano: & apud nostros sub Ferdinando Secundo, & Secundo Philippo. At tunc dirui cœperunt gloria & potestas, cum avara crudelitas subditorum libertatem, in utramque aurem dormientem suscitavit; incorportabilibus imperiis & impia solertia, in violenta exactione tributorum.

Nullus populus fuit Romano prudentiæ opi-

nione gravior: nec rebus geſtis illuſtrior: nec ſevera diſciplina florentior: & adhuc ſub tali diſciplina, neſcio an fuerit magis virtutibus & induſtriæ laudibus efferendus; an vix numerabilibus ſceleribus inquinatus: ut plus valerent ſcelera ad ruinam, quam virtutes & induſtria ad conſervationem. Nam principes eripere libertatem populo conabantur; populus, iracundia furens, ad nobilitatis imperium reſcindendum ſtimulis invidiæ ferebatur: & in hac pugna Cadmica uterque cecidit: nam fatale eſt, rebus cunctis ſeneſcere, & omnino perire, dum ſenio deficiunt: ſed ſæpe violentia ſenectutem anticipat; aut cogit ocius advenire; principis ignavia populorum temeritate concitata.

Plerique placuit, univerſam Hiſpaniam egeſtate & inopia coërcere, & nobilitatis valorem generoſum infringere, ne opulentia elati inſurgerent in principem, & leges; ut olim haud ſine diſcrimine experta eſt Hiſpania. Illud practicatum invenio à Catholico Ferdinando, prudentiſſimo Rege; & ab illo Hiſpaniæ potentiam & valorem declinare comperio: forte quod ad ſummum potentiæ pervenit: non video cur egeſtas magis Monarchiam, quam opes tueatur: ſunt enim divitię, bellorum nervi, populorum audacia, valoris alimentum, gentium fortitudo, hoſtium terror, & murus inexpugnabilis contra incurſionem invadentium: nam civis æque pro patria ac divitiis pugnat: miles præmio alit audaciam; & ubi divitiæ deficiunt, neque reſtitit animus, neque valor: imo omnia concedunt egeſtati, ac extremæ deſperationi cedunt; animus enim non operatur, cum vita eſt in dubio: inopia vileſcunt animi, & nec ſibi, nec aliis ſufficiunt; & corpora etiam, ubi deficit alimentum, deficiunt: & Hiſpaniæ valor & nobilitas in abundantia, (qua generoſa nobilitatis ſtemmata tuentur) ſpe æqualis retributionis potius concitatur, quam in deſperatione paupertatis: ſunt enim noſtri homines ut animi generoſi & invicti, ita gloriæ cupidi; quos mediocritas non ſatiat, ſed ſola gloriæ aut honoris, aut nobilis affluentiæ magnitudo: ideo heroum Hiſpanorum animos non cœpit orbis: & qui hos velit in patientia continere, illos ab egeſtate arceat, & inopia; quia quo major animus, eo illum inopiæ impatientia præcipitat ad majora flagitia, quam ambitio divitiis comparata; illud enim pertendit libertatem ſervituti contrariam: hæc glorioſum nomen: ideo viri noſtri nomen ſummæ adrogantiæ ſubiere & vanitatis, non quod inſatiabiles in divitiis, ſed quod illud judicent maxime ad gloriam immortalem conducere; honorem enim divitiæ tuentur: quod plerique nobiles illo ſæculo ante acto, in principes ſuos conſpiraſſent, illud facile fuit; quia nondum Hiſpania ad Monarchiæ imperium pervenerat: & principes æque inopia & bellis premebantur: neque illis ſat erat majeſtatis ad nobilitatis inſolentiam coërcendã, quod noſtro ſæculo non valet, cum ad ſummam potentiam & majeſtatem principes devenere.

Populi ſtudia in plauſu plerique aucupari conantur; id aliter quam morum ſimilitudine non conſequitur, illud eſt argumentum, quod ſumma Chriſti bonitas hominibus non placuit; nam qui placere populo cupit, ſimilem oportet ut ineat vivendi rationem; & qui vivit ad populum, ut ſit neceſſario humilis populi & paſſionum ſervus; amens & ſceleratus oportet, non placet enim populo moderatio.

Sed illud orbis Chaos induxit, ut clarus eſſe nequeat; & ſummos honores adipiſci, niſi qui popularis ſit: & ille talis erit, qui nil facit aut dicit, quod populo placere non cognoverit: quare qui induſtria valet & ſolertia, & calliditate cæteros antecellit, ſi animum gloriæ populari inclinat, tanto communi hominum ſocietati erit deterior, quanto excellentior in judicio; & tanto dexteriora facinora ſuſcipiet; quantum favor inſpirat: ô utinam tales eſſent tardi & hebetis judicii: ut enim nihil eſt Reip. ſalutarius ingenio claro & excellenti, ſi eſt honeſtis artibus excultum: ita nihil Reip. peſtilentius, quam excellens judicium pravis opinionibus imbutum! nam libertatem favor conciliat, & judicium machinatur flagitia: quæ ſi impune & parta libertate ſuſcipiantur, validiſſimam adhuc Remp. præcipitat; viris diſſociatis, ſecretis colloquiis inductis inter primores populi.

Et talis eſt hujus ſæculi livor, ut pleroſque compellat ad operandum, ut communi hominum æſtimationi ſe accommodent & ſerviant; cum hos elatos ut videant, ex favore provectos; nil enim eſt humilius innocentia, veritate abjectius, neque magis abolitum juſtitia; ut quæ cives contemnant, & deſpiciant ſervi, & aufugiant filii: omnes enim exiſtimant, eos qui leges ſanctas colunt, & æquali juſtitia omnia metiuntur, non conſilio, ſed imbecillitate, ab injuria, & violentia abſtinere: ignavum & amentem, qui ad honoris gradum per ſcelera nefaria non aſcendit; nam omnes fere hodie in vi & audacia nominis & honoris gloriam poſuere; cum videant æquitatem & juſtitiam contemni, & ipſum jus naturæ incredibili audacia conculcari.

Ideo contendunt communi via civium ad honores optare, & aſcendere, & ſi aliter non valent, leges, & jura divina & humana convellunt; publicum conſilium, ac omnem Reip. vivendi rationem, ſi obſtare videntur; licet publicæ ſalutis immineat diſcrimen; nam qui princeps eſſe cupit ut maxime neceſſariam ducit avaritiam, quę poſtea finitur in tyrannidem: quoniam ad dignitatis amplitudinem pertinere exiſtimat, ſplendidi cultus elegantiam, & ad voluntates civium alliciendas, opes immenſas indefeſſo ſtudio comparare; & ita pecuniis cumulandis incumbit; ut quancunque furti occaſionem omnibus rectis artibus anteponat, licet ad hoc conducat templa ſpoliare; ac nullum ſibi non licere jus putant; ut adhuc naturalis defenſio multum de majeſtuoſa auctoritate illis detrectare exiſtiment: ut ſi homines liberi & opes alienæ eorum ambitioni non ſerviant; & adhuc politicorum plerique illorum ambitioni ſervire cupientes, jus principum in armis poſuere; ac ſi idem eſſet, rectum & fas gentium, ac principum inſatiabilis cupiditas, & ſacra dominandi ambitio.

Illud tamen communis hominum conſenſus excuſat: quid enim miri eſt, ſi tot gradus gloriæ & honoris homines detulerunt divitiis: & ipſæ mutuo hominibus paribus honoribus rependunt? quoniam primævi illi urbium conditores, & quibus curæ fuit magiſtratus diſponere, ordines ſeparare,

parare, & legibus civilem disciplinam constituere, tantum honoris & splendidi cultus, nec non & præcellentiæ cuique statuerunt, quantum illi divitiarum esset; censibus enim constitutis, omnique populo in suas classes pro pecuniæ ratione distributo, penes eos honores summi fuere, qui summis etiam opibus affluebant; & ita factum est, ut egentibus à Reip. moderatione dejectis, divites, ore vulgi fælices, res communes administrarent.

Neque potest negari divitiis comparandis, & in publicum usum adaptandis, industriam & solertiam cum valore fore omnino necessariam; quibus carere monstrant egeni & abjecti, utpote viles animo, & fortunæ ope non adjuti; & nec publico, nec civili negotio conducunt infœlices; qui certe mos, omnium gentium consensu, per ipsas rerum series confirmatus apparet: nam in nostra Hispania primarios viros, ab instauratione divites homines appellatos, monstrant omnia illius vetustatis monimenta: hos, Reges de majoribus rebus consulebant, & ii vocabantur in comitia; & summa belli & pacis iis committebatur; ab iis familiæ nostræ nobilissimæ descendunt: hic est illorum ortus & principium; & apud nostros omnes fere principes, & purpurati viri, ab his divitibus hominibus traxere ortum, licet non solis opibus, virtute & industria comparatis, sed invicto valore, & tot egregiis facinoribus, ut essent gloria immortali dignissimi; nam per eorum manus, Hispaniæ libertas est à Saracenorum tyrannide vindicata: sed opibus ad principem locum ascenderunt: & nobilem stirpem in multa secula postea exornarunt.

Nec immerito; nam cultus elegantia, hominum æstimatio, & uno verbo, omnis honor, omnis vitæ decor, familiæ splendor, neque valet absque divitiarum ope conservari, neque diu consistere: & tantum plerosque coëgit hæc necessitas opum, ut honorem, divitias inveteratas dicerent: sunt enim apprime necessariæ vitæ cultui, & splendidi sumptus & convivia: est etiam alenda amplissima familia: sunt muneribus & beneficiis alliciendi homines: & in communem salutem, & propriam æstimationem elargienda multa; ac ultimo sunt pleraque ad universi populi voluptatem & plausum facienda: illa tamen difficilime possunt sub integritate & justitia conservari; nullus enim divitum nomen suum immortalitati consecravit, cum vitæ splendore magnifico, quin multa contra juris præcepta & publicam salutem moliatur, & cum præda aut privatorum civium, aut publici ærarii, aut ipsius etiam Regni.

Neque deest ad male operandum excusatio: veluti ad arma capessenda inter principes; illi enim, qui propter animi magnitudinem, nihil abjectum aut humile cogitarunt, indigne patiuntur, ulla legum formidine conturbari: nam semper ad dignitatem & gloriam intuentur, cum vilis plebeculæ despectu, ut prius omnia jura violari patiantur: & universæ patriæ statum convelli, quam admittere dedecus paupertatis: & antiqui patrimonii nec momentum imminui; cum maxime videant, nobiles & antiquas familias non tantum senescere præ sæculorum cursu, quam paupertate & pudenda inopia abolitas; & ab hominum memoria obliteratas: quo in statu, non sunt omnes damnandæ hominum actiones, licet paululum videantur à justo declinare; sunt enim tumultuosis temporibus, validæ actiones necessariæ; nam pleraque necessitas immutat, & alia prævertit, leges derogat, & novas inducit vivendi rationes; si enim vir justitia & pietate præditus, velit opes partas tueri, & illud nisi sagaci solertia, & fraudibus consuetis non valeat, nonne inultus ut puer flebit? Catholicum est illud Theorema, *propria defensio est de jure naturæ*: &, *licet nemini liceat injustitia, licet tamen inimicum solertia, in suismet fraudibus decipere; & omnem injustitiam illidere, & à contumelia se ipsum vendicare.*

Illud tamen multos impulit mortalium ad facinus nefarium, ut ex scelere laudem aucuparentur, cum videant egregiis laudibus efferri qui in cives & patriam conspirant, sub apparenti principis necessitate: & nec principi serviunt, nec publico utili prospiciunt, sed suo tantum in scelere nefario; ut expleant sacram cupiditatem, aut inferendi mala, aut dominandi, aut opes immensas comparandi; & non contenti privata vivendi ratione, hac tyrannide principis gratiam occupare nituntur: & in hac dominandi privata potestate tanto majorem laudem consequuntur, quanto magis crudelia facinora suscipiunt, contra suos concives, publicam libertatem, & salutem Reip. hac enim sola ratione spoliata Rep. summis honoribus usi, in civitatibus suis dominantur; & adhuc super principis avaritiam, quæ iniqua exactione alitur.

Quid inde principes consequuntur? ex illis imperiosis ministris, (ô utinam hæc populi & principes attenderent) populorum furiam concitare: hominum prævertere societatem, seditiones & tumultus inducere: quærere principes alienos, & ab illis auxilia pro consequenda libertate implorare; nec furoris caligine attendunt, quod principes alieni, dum illorum necessitati prospicere conantur, suo consulunt utili, & libertate & opibus spoliant auxiliatos, ut experti sunt Barchinonenses viri ascito principe Ludovico II. in auxilium contra suum & naturalem principem: sed in ipso facinore pœnas luunt, opibus, honore, & libertate spoliati; ac sub illo prætextu principes, tenuiores invadunt: dein occasione victarum gentium, viribus duplicatis potentiores adoriuntur: & si vicini seditionibus atteruntur, attenti ad discordiam, se præparant ad prædam; nam si victi auxilium implorant, accurrunt in auxilium, ea intentione, ut tam victos, quam victores libertate & opibus spolient, aut saltem bello jam attritos aggrediantur: nam eo solo nomine principes gloriantur *bellatoris* & *invicti*, solo armorum jure: & de nomine *Iusti* nemo curat: nec illud est mirandum, cum publici moris ea sit insolentia, ut quos æquitas & comitas delectat, despiciat & reputet ut viles & abjectos; quos vero furiosa violentia irruentes communi laude celebrat; & inde fit ut populus ignavus celebret intrepidos concitatores populi, amentes, & audaces: *Iustos* & magnanimos despiciat.

TITULUS III.

Causarum Chaos compendium.

Recolligamus dicta brevi acoluthya: tanta vis inest in originis labe, ut honestæ adhuc actiones ab insitis passionibus corrumpantur; nec ad eam depellendam homines erroribus & mentis vanitate inflati, divinum auxilium implorandum existimant; & ita nobis accidit, ut falsa dignitatis imagine capti, fere semper delusi, in perpetuo flagitio volutemur; nam ipsa nobis adulatur deceptio; neque libenter ferimus ab ipsa illusione liberari: cum non tantum libenter sed voluptuose in ipsa deceptione sedeamus: neque volumus ab errore abduci; imo si quis nos cupit ab illo liberare, ut inimicum acrius insectamur: est enim in Medicum & auxilia, mentis error; & inde certe ultima desperatio; nisi ope Divina liberemur.

Dein cum homines laudem vehementer appeterent, eamque, in tantis tenebris, nec ubi, nec qualis esset, intelligerent; quidquid primo illorum animos alliciebat, inani specie pulcritudinis, in illud ferebantur; neque vitia occulta perspiciebant; neque quid esset ex illa temeritate proventurum, suspicantes; hinc animi elatio, vanitatis superbia, animorum ambitio, infœlix avaritia & morum insolentia, quæ homines extra viam rationis seduxit; vitæ rationem conturbavit, ac mille calamitatibus exposuit.

Levissimis enim rebus homines efferuntur; alii fluxa corporis forma, alii valetudine, mille corporis & animi periculis confracta; plerique virium corporis amentia delirant, ut Milo ille Crotoniensis; aliis aspirante fortuna efferantur; permulti pecunia & ampla supellectile, quo avaritia & infinita ambitione inquinantur; plerique inani nobilitatis nomine infatuantur, ut fumosas progenitorum imagines adorent, & fucato illo generis splendore, ac si in illorum gloriam vixerint: permulti splendidis titulis & honoris insignibus erecti, se extra hominum choros esse putant; & se somniant divinæ gentis sobolem: nam illud & vana mente æstimant, à multis ambitiose salutari, & majoribus negotiis interesse; & in istis tam infimæ naturæ muneribus, & temeritatis & fortunæ ludibriis, veræ dignitatis adorant ornamentum: sunt enim ista ut splendores quidam & imagines falsæ, quæ ante oculos delirantium obversantur; quæ furore sedato, nihil re vera fuisse, palam faciunt; nisi quasdam mentis illusiones.

Haud minus inflat scientiæ præsumptio, inscitiæ soboles illorum nempe, qui se tenere altissimarum rerum cognitionem, & omnem regnorum, & Reip. politicam profitentur: sunt enim isti chymici rationum, quarum scientia in fumum vertitur dum rationes sublimare contendunt; fateor sane quod fracta animi vis, impetum ad recte operandum assumit: at libidinis œstrum miseros mortales ab instituto honestatis studio abducit, ut non veram virtutem, sed apparens virtutis simulacrum flagitiis involutum insequantur; nam alius animi magnitudine elatus, eam elationem superbia confundit; alius frugalitati deditus, illam frugalitatis laudem avaritiæ fœditate inquinavit: & ita per omnes virtutes & vitia philosophari licet, ut fere nullum in hominum memoria invenias, quem non hæc vitiorum æmulatio superaverit, aut levis dignitatis apparentia; nec illi modo qui nobilem dignitatem venerantur, cum illam etiam è rebus levissimis petendam existiment. Sed qui gravem etiam sapientiam admirantur, & in virtute omnia dignitatis præsidia sita esse constituunt; omnibus gloriæ ornamentis spoliati jacent; & in summo dedecore versantur; quod quidem illis accidit, quia veram virtutis viam aut non vident, aut penitus ignorant; non enim opem divinam implorant, sed in se ipsis se compotes virtutis, & omnis sapientiæ esse credunt.

Quid ergo erit hac amentia turpius; & quid amentius quam rerum imaginibus illudi? isti sunt ut phrenitici, qui se valentes & sanos esse putant; & decepti umbris & imaginibus efferuntur; & interim inclamant, & se sapientes & beatos prædicant; fortasse cum magis desperati, valetudine in habitu contracta, causæ inveteratione, quam ægroti non sentiunt, quoniam alterationem inæqualem non parit; hos sanos fortasse appellabimus; non insani modo, sed etiam furentes sunt æstimandi tales. Et est certe tam fatalis deceptio, ut ego dum hæc scribo, quanto magis resisto, & altius disciplinam perpendo, in graviora vitia, invitum me ipsum ferre video; est enim illud insitum & ingenitum, in animis mortalium, (ad hoc nati sunt omnes) ut illam illusionem mentis & corporis subirent; ideo ad nos venit summus ille humanæ gentis conditor, & redemptor, ut sanguine suo hanc elueret labem, & ut nos à tenebris in lucem clariorem perduceret; & veram doceret virtutis differentiam, gloriæ splendorem & laudis ornamentum: illud enim humanis viribus assequi non valemus: cujus sane adventu, omnem vitæ caliginem mundo depulit: & nos à contractis sceleribus labis originalis expiavit; regni cœlestis ut nos capaces redderet; veræ virtutis gloria illustravit; ac in pristinam dignitatem multis ornamentis illustratam restituit: sacramentorum medio, quæ in subsidium reliquit & solatium.

Nam cum Gloria à vera Virtute oriatur, ille tantum, qui est auctor virtutis, veram docebit gloriam; hoc Christus Dominus non verbis & operibus tantum, sed etiam suo sanguine docuit pretioso; si ergo vera dignitas è veræ virtutis opibus emanat, nullumque virtutis genus aut specie pulcrius, aut fructu salutarius, aut amplitudine magnificentius esse potest; quod erit tandem in omni natura decus, quod sit cum decore Christi, & Regis & magistri, in cruce pro hominum salute sublati, aliqua ex parte conferendum?

Illud certe est unicum & irrefragabile argumentum, quod homines (Christi morte audita) quos neque ratio, neque leges, neque disciplinæ, neque postremo ullum auxilium, humanæ rationis opibus & industria excogitatum, & inventum, à flagitiis poterat revocare, neque ab antiquo Deorum cultu; divina Christi gloria & doctrina incensi, illiusque numine concitati, mox ad veram virtutem viritim mirabili incendio raperentur.

Ab illo ergo est petenda veræ & vanæ laudis & glo-

& gloriæ differentia, & ut à fonte puriſſimo eſt vera haurienda, & repellenda falſa: eſt enim Gloria, cœleſte decus animi, atque divinum donum, & beneficium, apud homines propriam imbecillitatem agnoſcentes, atque divinam opem perquirentes, divina benignitate collocatum: ac ideo tam breviter, dignitatem & gloriam corruere videmus quam homines in nobilitate, divitiarum affluentia, fortunæ pulcritudine, aut corporis robore, ſolita inſolentia poſuere.

CAPUT I.

De Generoſa Tolerantia, quantum fert æſtimatio.

Altior artium, fortaſſe difficilior inter politicas, eſt juſta & generoſa *Tolerantia*, in medio hujus humanæ militiæ pugnaturo, integra ſemper æſtimatione manente, inter ipſa diſcrimina; nec eſt profecto ferendo quæ honeſta, illuſtris, niſi quem longa domuit laborum patientia: ut virtus generoſa magnanimi illuſtrat.

Hanc difficilem reddunt millia inter ſe pugnantia: propria æſtimatio, & aliena vanitas: deſpectus, & propria elatio: ingrata beneficii oblivio; & livor alienæ fortunæ: propriæ æſtimationis meritum, & vana alterius præſumptio; tot hominum mores diverſi: divitiæ, paupertas, nobilitas antiqua: ſed omnium maxime inflata ignobilis ſuperbia, non ſua vi enixa, ſed populi favore, aut pecuniis ſub vili uſura comparatis.

Animi firmitatem, fidem, ſinceram veritatem, veram eſſe philoſophiam exiſtimo, reliquæ vero ſcientiæ ornamenta: omnia lucrum invertit, & propria utilitas: nobilem & generoſam Tolerantiam, voluntatis frenum moderatur, prudentia dirigit, imperat intellectus, majeſtuoſa gravitas: pleræque virtutes generoſæ ſerviunt Tolerantiæ, magnanimitas, modeſtia, manſuetudo; mos ferendi labores; nihil refert, an habitum dixeris, an opus generoſum; *Eſt enim magnanimus*, ut dixit Ariſtoteles, *qui magnis eſt dignus, & dignum ſeſe magnis exiſtimat:* qui namque non pro dignitate hoc facit, ſtolidus eſt: at eorum qui præditi ſunt virtute, nemo amens, nemo ſtolidus eſt; ideo generoſe occaſiones tulit, quoniam non ſe deſpectum æſtimavit; ſolus enim humilis à propria vilitate ſuperatur.

lib. 4. Ethicorum c. 4.

Qui namque parva meretur (procedit Ariſtoteles) *& hiſce dignum ſe ipſum cenſet, modeſtus quidem, at non magnanimus eſt; magnanimitas enim in magnitudine, ut pulcritudo in partium harmonia conſiſtit. Is autem qui eſt indignus, & magnis ſe dignum cenſet, eſt lentus; at is qui ſe dignum minoribus, quam dignus ſit, cenſet, puſillanimus eſt; ſive magna, ſive mediocria mereatur; ſive parva quidem.*

Eſt igitur ipſe magnanimus, magnitudine quidem extremus: ratione tamen ejus quod oportet, medius.

Circa unum maxime verſatur Generoſus; circa præmium nempe, quod dari ob res pulcherrimas ſolet; tale autem eſt Honor: hoc enim eſt bonorum externorum maximum: quare circa honores & inhonorationes, magnanimus, ut oportet, verſabitur; ſed aliquando res ipſas in æſtimatione ad ſe ipſum metitur; & non ut ſunt in ſe; viri namque magnanimi maxime ſe ipſos dignos eſſe honore pro dignitate cenſent; at cum ſit maximis dignus, ut ſit optimus in aliis virtutibus par eſt: melior enim majora ſemper meretur, optimus maxima: bonus ergo ut ſit oportet, qui magni eſt animi: & magnanimo competit, quod eſt in una quaque virtute magnum: ideo turpiſſimum eſt generoſo periculum aggreſſo, fugere ob timorem; aut injuriam facere ob inſolentiam; nam ſi magnanimus bonus non ſit, omnino ridiculus videbitur; nec etiam dignus erit honore, ſi pravus eſt: quippe quod honor præmium ſit virtutis; & bonis hominibus tribuatur.

Eſt enim animi celſitudo tanquam ornamentum virtutum: nam majores efficit ipſas; & ſine illis, ipſa non fit: ac ideo tam difficile eſt, vere eſſe magnanimum; quoniam vere illum omnis commendat probitas.

Non tantum circa honores verſatur animi magnitudo, ſed circa illa quæ honori conducunt; velut circa divitias, auctoritatem, poteſtatem, proſperitatem, adverſitatemque, ut in hac fortiter, in illis moderate ſe habeat magnanimus: poteſtates enim & divitiæ ab illo propter honorem expetuntur, non ob inexplebiles animi paſſiones; aliter enim parvula ſunt omnia, cui parvulus honor: nam vere magnanimi, contemptores omnium eſſe videntur.

Magnanimitas non ſemper eſt à natura inſita: hanc enim etiam fortuna creat, nobilitas, poteſtas & divitiæ: ideo dixit Ariſtoteles, *quod ſunt honore digni divites, & in excellentia conſtituti; in excellentia namque conſiſtunt; & omne bonum quod excellit, eſt dignum honore ſuo jure: quoniam talia*, inquit, *magnanimos faciunt:* Illud tamen intelligit de bono & de juſto; non de omnibus, qui divitiis affluunt; nam illi quibus ambo hæc ſunt, ſunt honore digniſſimi; neque ſemper magnanimi; nam ſine virtute divites fortunati, contemptores petulanteſque fiunt; vanitate ſua cæteros ſomniant antecellere.

In hujus virtutis fundamento, generoſa alitur Tolerantia; fert enim magnanimus, quia rerum magnarum capax: nec timore ſuccumbit; nec facile ab aliis ſuperatum ire credit: & pacato animo incurſiones accipit: nec præcipiti iracundia turbatur: ſed vultus ſerenitate majora demolitur pericula: nec eſt animi generoſi, prævisa non habere, quæ ſunt illi eventura pericula.

Non eſt periculorum cupidus magnanimus: at in periculo vitæ ſuæ non parcit; largitur generoſe beneficia: at pudet ipſum ab alio accipere: quod hoc de animi vilitate arguit: quare cum voluptate audit quæ ipſe contulit, moleſte quæ accepit: ideo Thetis Dea non enarrat quæ in Jovem contulit beneficia, ut notavit Homerus; glorioſum reputat, abjectos, & humiles tueri; ſola præclara æſtimat, & quæ honori ſunt; eſt in ſola libertate & veritate nimius, cum omni opinione ſuperior conſiderat; vanitatis & æmulationis contemptor; non illum humilia delectant; nec ſervilia loqui, nec ſimulare; ni id petat occaſio, & prudens ſimulatio; ideo adulatores odit.

Non eſt proclivis ad mirandum, quia nihil apud ipſum eſt magnum: nec eſt illati mali memor, nec injuriæ: nec res ſuas extollit, nec aliorum minuit: laudator, non maledicus; de parvu-

lis non queritur; pulcra potius, quam fructuosa quærit.

Est magnanimi motus tardus, vox gravis, locutio expedita, sed tarda, quia non properat qui circa pauca studet; nec est vehemens, qui nihil magnum æstimat.

Qui deficit in his, pusillanimus est; qui exuperat vanitate, inflatus non lentus, ut male transtulit Argyropylus; neuter tamen ipso jure est malus, sed uterque aberrat: pusillanimus quia seipsum privat bonis, quibus est certe dignus, & seipsum ignorat, cum se talem non censet: & in hoc se à præclaris artibus & officiis dimovet, quasi esset indignus: haud minus se inflati ignorant, cum se majoribus dignos esse censeant, quam sunt; nam de se ipsis magnifice loquuntur, sed mox illos redarguit mendacium, aut vanitas; quo se honore orbant.

Est enim illud viri fortis officium, ut cum honestatem ratione duce prospexerit, eam omnibus vitæ commodis anteponat, illiusque retinendæ gratia, vitæ discrimen subeat; nam sicut in bene constituta Rep. omnes leges sunt in armorum tutela; sic in bene moratis animis, omnia justitiæ præscripta fortitudinis præsidio muniuntur: fuit enim necessaria, ad firmissimam justitiæ custodiam, generosa animi celsitudo, quæ superet discrimina, & animi motus coërceat, ab ipsa ratione alienos; ut illos rationi obtemperare faciat; ut juris æquitatem divina constantia tueatur.

Qui enim *fortis* est, idem est & *magnanimus*, & qui talis, & *animi excelsi*, qui fucatam gloriam, & apparentem dignitatem contemnit: nam qui frangitur quo vis animi motu; & quærit ex populi plausu, dignitatem, *magnanimus* non est; imo populo supplex obnoxius: quoniam animi excelsa magnitudo servitutem non patitur: bene potest animi celsitudo simulari in generosa tolerantia & audacia; bene potest imitari justitia in fallaci virtutis imagine; & laus sapientiæ adipisci & prudentiæ in animi moderatione naturali aut invalida; animi autem moderationem nemo unquam flagitiosus & improbus potuit imitari: habet quidem prudentia acumen ad mala præcavenda, id tamen sibi malitiosa calliditas assumit; clemens & generosus animus & benigna justitia, mentitur largitione & fallaci liberalitatis specie: fortitudo etiam falsa animi elatione fucatur, ab audacissimis improbis hominibus. Temperantia vero, cum totius honesti formam induat, ex consensu cæterarum virtutum, sapientiæ scilicet constantiæ & fortitudinis, nihil insipientibus relinquit quod possint simulare.

Verum tam hoc Chaos universi omnem civilis atque domesticæ disciplinæ rationem evertit; juris æquitatem expugnat: fidei sanctitatem violat; amicitiæ fœdus & legem labefactat, & honorem fucatis coloribus adornat; contentionem ambitiosam suscitat; animos libertate spoliat; concutit formidine infamiæ, & variis perturbationibus exagitat, ac tandem furenti libidine, ad omne facinus inflammat.

Vir tamen fortis & magnanimus flagrat etiam cupiditate gloriæ, (maximum ad justa ferendum instrumentum) sed id velim advertas, hanc non esse sitam in errante vulgi opinione, sed insitam in ipsis visceribus naturæ; illud est argumentum quod omnibus ingenitum & radicatum est; illius desiderium quod est commune barbaris, & cultis nationibus, quæ ad laudis studium naturali impulsu concitantur; omnes certe & pueri & senes laudis gloria delectantur, omnes vincendi studio efferuntur; & sibi in laborum patientia complacent.

Cyrus, dum adhuc puer, inter suos æquales nobilem dedit indolem cupiditate gloriæ: Regulus patienter tulit Chartaginis labores pro immortali gloria consequenda: ille erit certe alendus ambitu, quem excitat honor, & mordet objurgatio: Plato, quantum ad virtutem ferendi, gloriæ cupiditas valeat, in se ipso monstravit, & docuit in Socratis exemplo: nam laudem bonum quidem esse cœleste, dixit, & divinum quasi præmium, ac ideo ad excellentes artes instrumentum, quo maxime delectatur patientia: Philosophi, sapientiæ splendore non contenti, laborum patientia inhiarunt ad gloriam: hanc Diogenes apparenter despexit ut majorem inde consequeretur gloriam; hoc dignitatis desiderio, res ad laudem insignes ab oblivionis injuria vindicantur: mortemque ipsam omnia delentem ingenio comprimere videtur: quod viri illustres per medios labores consequuntur.

Hoc gloriæ desiderium est nobilius ad generosam Tolerantiam incitamentum, cum omne humile & abjectum ab animo propulset; & ad omne difficile accendit: Quidquid ergo non est humile & abjectum, à forti & generoso debet ferri: quod in schola fœlicitatis non ediscitur: frequens enim consuetudo non ferendi, & delicate & prave judicandi de rebus ipsis, inter homines semper male sentientes, vertitur in quendam habitum semper male judicandi, de iis quæ æstimantur à tali præjudicio pravis opinionibus informato & imbuto; quo fit ut contrahatur quædam insaniæ species, quæ clara judicat ut obscura, dulcia ut amara, generosa ut vilia; quia illorum intellectus judicat, delicate aut prave, à prava consuetudine abductus, aut fœlicitatis mollitie enervatus.

Ideo viri nostri non ferunt hodie nobili & generosa tolerantia militiæ labores, sicut olim in illo splendore virtutis nobiles & generosi viri, quos admirantur hodie, & illustribus inter se consentientibus honestatis ornamentis plures amant, & laudibus extollunt; est enim illa quædam gloriæ species quæ est publica virtutis excellentis admiratio, cum insigni benevolentia conjuncta: non enim quod vis virtutis ornamentum gloriam gignit, sed excellens & admirandum: nec omnia admiranda gloriam meruere, sed quæ ab animi decore & honestate ducuntur; sola enim dignitatis amplitudo hanc habuit sortem, ut perspicua & amabilis sit; cum sui admiratio homines rapiat, & amore inflammet pulcritudo.

Unde plane colligitur, omnem laudis excellentiam esse in virtutis splendore constitutam; quæ populi consensum quadam necessitate allicit, in laudem generosæ virtutis, non voluntate libera tantum, sed naturæ quadam necessitate: illud enim natura comparatum est, ut virtutis lumen celebris opinio consequatur.

Nec illud opinionis nomen semper intelligas, rem

rem indicare dubiam: non enim verum est, omnes opiniones dubias & incertas esse: siquidem multæ sunt ita graves, veræ, & constantes, ut omne dubium & incertum excludant, velut illæ quibus ad religionem, ad amorem patriæ, ad virtutis æstimationem, & ad omnem denique virtutem incitamur; nam hæ opiniones; (sic viri doctissimi communes sententias animis nostris impressas vocant) licet nec ratione conclusæ, nec ulla disciplina confirmatæ sint, nullam patiuntur varietatem; sunt enim naturales & insitæ, nec ad illas confirmandas ullis rationibus est opus, quam ipsius naturæ magisterio.

Nec ideo Chrysippi opinionem sequimur, qui nihil præclarum in opinione locatum existimavit; nil enim magis perspicuum, quam universas gentes magnifice de virtutis laude consentire; & illud neque more, neque lege, sed insito à natura judicio: & qui Antilochum & Ulyssem laudarunt, de sagaci solertia non honestis artibus copulata, non vanitatem & sapientiæ simulacrum collaudant, sed solertiæ artem & industriam: sapientis enim hominis est, prospicere longinqua & futura: multa dissimulare; & pleraque hostilibus insidiis pro defensione propria prævenire.

CAPUT II.

An principes ferre debeant populum.

Nulla est prudentia quæ primum populi impetum valeat coërcere: pleraque auxilia sine fructu experta legimus apud Romanum populum, & magnæ auctoritatis viros, à furia populari occisos: ex alio principio vidimus transferre principatum popularis tumultus; ut nulla sit securitas, nec inferendo populo, nec injuria populari coërcenda.

Illud dicam quod longa sæculorum docet experientia: in populo ferendo non ita præsentanea discrimina, occasio objecit, quam in coërcitione. Patet, nam dandum est rumoribus tempus quo senescant; aut in melius mutentur; nec ulla valet auctoritas cum furiosa est insania: & populi injuriæ non sunt voluntatis delicta, quæ veniam ideo merentur, ignorantiæ jure & necessitatis; ideo multitudini parcendum rati sunt & principes & conditores legum: nullum enim est utilius humanæ vitæ præsidium inventum, quam populus; unico præsidio populi furia & tumultus sedatur, frumenti abundantia, & libertatis gratia, usque dum securior puniendi occasio principis auctoritatem tueatur.

Quid enim, si multitudinis labor, & manus defuissent? terræ cultura, ædium extructiones, nutritiones urbium, & publici muneris opera, navigationes, & mechanicæ artes, ad vitam sine cura degendam, populi ipsius ope & diligentia constitutæ, cessassent, nisi hominum multitudo humanitate & jure sociata, unum in locum convenissent.

Dicit aliquis, si violatur jus, unde vitæ præsidium? recte profecto: vivendi disciplina mores & constituta nulla fuissent, unde humanitatis cultus & politica oritur disciplina elicita, jure necessitatis, præterquam quod deficeret omnino militaris: id fateor, sed impetu exacto postea auctoritate hujus aut illius magni viri, promptissime sedantur; hoc Virgilius eleganter describit; dum sic canit:

> *Magno in populo cum sæpe coorta est*
> *Seditio; sævitque nimis ignobile vulgus,*
> *Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem*
> *Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.*
> *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Ideo civitates indolem adolescentum excitarunt, & paulatim hominum ingenia excolentes ad honestatis splendorem instruxerunt; nam à viris de populo excultis omnis progenies illustris dimanavit, & inde ortum traxit nobilitas: *Quoniam*, ut dixit Plato, *è servitia plebe Reges & servos produxit alterna series:* in illis est Religio, ab eis officiorum ministeria sunt inventa: iis lumen justitiæ eluxit, cum cœperunt in communi vitam degere: ibi animi magnitudo, modestia, & reliquæ virtutes extitere; artium maximarum studia & rerum occultarum inventio; quæ nulla prorsus essent, nisi summorum hominum ingenia fuissent civilibus institutis mansueta; & ad rerum naturam acriori mentis acie exculta.

Hinc homines ad humanarum divinarumque rerum cognitionem ducti sunt, ut commoda naturæ invenirent; nullo enim pacto summi viri sapientiæ studia colere potuissent, nisi multitudinis ope eorum vita muniretur; nec ad naturæ arcana lux & via pateret: omnes igitur artes, quarum ope & præsidio vivimus, & violentiam bestiarum, imbrium, tempestatum, & hostium arcemus, & animum sapientia ac disciplinis excolimus, ac tandem homines sumus, ipsius multitudinis ope inventæ atque perfectæ sunt: hoc est unicum contra tyrannidem auxilium, legum & publicæ libertatis, unica conservatio: hæ, & aliæ publicæ utilitates non possent usquam consistere, nisi fuisset innatus omnibus populis nobilis quidam pudor, & publicæ incolumitatis appetitus; naturæ ergo & necessitatis jure, princeps debet populum ferre, adhuc exterminatum, extra juris & æquitatis leges, & causam furiosi impetus quærere, & pacato animo sedare; cujus consilii defectu, Barchinonenses viri à naturali principe defecerunt.

Quando tumultus & seditiones concitantur in populo, illæ certe à nefariis quibusdam hominibus agitantur: & turba novitate seducta (spiritibus veluti contagio commotis,) irruit imprudenter, & tunc omnes communem sequuntur vocem; quousque lux consilii has tenebras illuminet.

Quis enim est, quæso, in populo legibus ac moribus constituto, qui à charitate humani generis abhorreat? omnes vidimus cives uno amoris fœdere sociatos, incomportabilia tributa ferentes; & quod magis miri est, summa violentia exacta: quod certe non fieret nisi dociles essent ad omnem vivendi disciplinam, si modo rectores habeant prudentia graves, & publicæ utilitatis amantes; (hoc præstat apud nostros Romana Catholica Religio) quæ inter eximia bona, homines in societate mirifice conciliat, recte instituta vivendi disciplina: mirum enim est, quantum populus principes & magistratus colat, ac viros virtute & præstantia excellentes observet,

quorum

quorum conspectu mox deponit furorem, ac seditionis incendium commutat in obsequium: ut cum Quinto Carolo, Cæsare, legimus accidisse, cujus valor & splendor, nubes publicæ seditionis dissipavit Germania; postea in Hispania.

Si quas vero calamitates viri excellentes passi sunt, in liberis populis, illud certe paucorum perfidia accidisse, multitudine reclamante, comperies: obiit in carcere Miltiades, non populo accusante, sed Xantippo, imo populum propitium expertus. Theremanes, triginta tyrannorum jussu, est veneno damnatus, invito populo, necemq; ejus ægerrime ferente. Phocio est etiam à sua civitate damnatus, sed paucorum calumnia, Regibus Macedoniæ adulantium, universa civitate reclamante: ob Socratis necem indoluere populi Athenarum; ut ob immeritum Xenophontis exilium: hic & ille damnatus, ob impiam inimici solertiam: ac omnes pene exitus miserabiles virorum industria præstantium, populi luctus excepit; nam ægre Roma tulit exilium Cæcilii, & Metelli Numidici: fuit ductus in exilium Tullius Clodii nefaria solertia; & populi universi plausu restitutus; populus enim summa benevolentia excepit viros à quibus accepit beneficia; ideo Catones, Paulos, Marcellos & Scipiones mirabili plausu coronavit; omnis populus sæpe honestatis tuendæ gratia summum discrimen subiit: illustres contentiones pro justitiæ defensione & Græciæ libertate, & Romanæ Reip. à populo susceptas legimus; impetu & ardore utraque cum summo fortunarum periculo, supplicibus opem tulit. Apud Spartanos puerorum institutionem admiraberis, studia juventutis, senectutis gravitatem, & populi universi in virtutis studio consensum: Romanæ gentis mores populum cæteris clariorem fecerunt. Quæ enim tanta fides, tanta juris jurandi religio, tantum honestatis studium, & disciplinæ militaris Academia unquam fuit? nec est facile creditu, tam longe lateque imperium augere potuisse, & conservare per tam antiqua lustra, ni tot præclaris artibus floruisset: hoc non esset possibile, si plus apud eum libidinis & ignaviæ turpitudo, quam industriæ laus & continentiæ valuisset: ô pudor nostræ gentis, quæ tot præclaris Paganorum exemplis, non valet coërceri ab ignava desidia, nec ad honestatis exempla excitari: nil enim est quod sine virtutis & modestiæ præsidio, diu possit consistere.

Si non valent externorum exempla, valeant gentilitia. Quam egregia virtute olim nostri, pro Religione & patria decertarunt, ut Saracenos pellerent, quam indefesso & importuno labore, hostes à finibus Hispaniæ depulerunt. Quam magna contentione armis suscepta, his temporibus Religionis hostes subegerunt: & alium egregia virtute nobis orbem dederunt, apud quem leges & vitæ instituta liberi populi susceperunt: homines enim non vis, sed ratio compellit, ad illa quæ valet quavis levi violentia dejicere; quæ vis sat esse potuit vastæ populorum multitudini, aut quo supplicii metu potuit coërceri, ut obsequatur legibus, nisi illos nobilis disciplina coërceat.

CAPUT III.

Quale nobilius ad labores ferendos incitamentum.

Utinam essent scholæ disciplinæ ferendi, ubi mitescerent indomiti, & delicatæ mentes obdurescerent: & assuescerent laboribus fœlices, ut ita redderentur ferendi consuetudine robusti, ut continua disciplina sapientes, & artis usu excellentes artifices! Nullum enim aptius instrumentum, ad ferendam disciplinam invenies, quam *honorem* cum *pudore*; est enim *pudor* vehemens ignominiæ & dedecoris timor: quam Plato *divinum* appellavit, quia custos est valoris & virtutis: id enim natura peculiari, indidit privilegio nobilibus hominibus, & brutis, quæ infamiæ potius, & metu turpitudinis, quam doloris timore commoventur, ut de leone & elephante legimus; nam ille honoris metus, & hic pudoris timor, homines acuit ad ferendos labores; & ad ferendi studia efficit vigilantes, inertes acuminat, erudit generosos: dum enim ab æqualibus vinci turpe judicant, omnem laborem perferunt: nec ulla ferendi occasio est ingrata, ut nobilitentur excellentiæ gloria; & inde fere accidit, ut dum dedecus fugiunt; honestatem sequantur; nam acriori morsu virtutis & naturæ concitantur.

Plerique etiam jam pudore perculsi, præclaræ artis studia sequuntur; alii militarem disciplinam avidissime colunt: alii Reip. laboriosa munia, patriæ amore exequuntur; & alii denique, ne subeant infamiam, honorem commodis vitæ præferunt; & illam majoribus periculis exponunt, cum maxime noverunt nil esse effæminati animi languore fœdius, nil turpius languidi & abjecti, insito turpitudinis & vilitatis odio.

Quid inde sub ista disciplina consequemur? ut quos adornat pudor, non in umbra & otio languescant, neque diffluant mollitia & luxuria; nec fugiant ad hostium conspectum, vili timore pulsi; nec ullum exhorrescant discrimen: imo illud semper optabunt, *pro patria pugnantes potius generose mori, quam vitam cum rerum omnium affluentia, & sine dignitate, ad extremam senectutem perducere.* Est enim semper mors clara, & illustris, obscuræ vitæ anteferenda: quoniam uti nihil est in vita tetrius *Impudentia*, ita nihil ad virtutem excolendam, excogitari potest utilius *Pudore*: est enim ille gloriæ comes, & omne honestatis studium gloria continetur; quando extremus dolor & insana voluptas hominem ad extremam vilitatem depressit: ita enim cum natura effæminatæ carnis, comparatum est, dum super nobilem spiritum dominatur, ut dolorem vili dedecore vitemus, & voluptatem insito appetitu asciscamus; quo cedit necessario, ut major hominum pars omne vitæ studium, ipsa voluptate, non honesta institutione metiatur.

Tu vero illud alta mente perpende, quod nec valor, nec sapientia, nec ipsa honestatis pulcritudo, in sola voluptate consistit: præclare dixit Plato: *Unica est præclaræ institutionis ratio; sed hæc in recto dolore, & honesta voluptate consistit:* sic enim non omnis est fugiendus dolor, sic nec omnis voluptas insequenda: rectus enim est tolerandus dolor,

dolor, licet inde tristitia consequatur: & ignava voluptas depellenda, licet contra appetitus acrius explorantes insistas; & sola est honesta voluptas colenda & amanda, quam offert sapientia & virtutis splendor, valoris dignitas, aut honestatis gloria: & est ferendus dolor, ad hæc adipiscenda; *Nam hic est rectus dolor*, inquit ille, *qui à turpitudinis infamia capi solet: honestus vero & voluptas, quam laudis excitat pulcritudo*: ac ideo illam fore optimam institutionem puerorum, adolescentumve, quæ commonet, ut quam maxime doleant ignominiam, & laudis pulcritudine & gloria delectentur; ut majorum suorum facinora insequantur. Magnum est certe, *voluptatem* despicere, naturæ blandimenta & fortunæ obsequia renuere; vitæ cursum in corporis labore & animi contentione, conficere: hæc tamen honoris celsitudo consequitur, an pudore, an honestatis gloria: cujus illecebris opus fuit, ut animi à flagitiosa voluptate ad honestam traducti, nec doloris tristitiam, nec molestiam aufugerent; nec tantam animi contentionem homines ferre possent, nisi amor laudis & honoris gloriæ spectatione: cujus splendore adeo omnia spreverunt pericula, ut ad mortem per tot rerum discrimina, alacri & fidenti animo irent: *Hic enim laudis amor*, ut dicebat Cambyses, *labores efficit immortales, non optabiles tantum, sed jucundos.*

Illud tamen non subito, sed tempore consequimur: sic enim primam ætatem honor allicit, & in virtutis studium incendit, ut honestatis & rerum magnarum consuetudine, paulatim animos ad disciplinam & virtutem generosam excolendam, & amandam perducat; nam *virtus laudata crescit, incendit æmulata*, ut honestatis amor, qui alit generosum ardorem, qui acrioribus stimulis languentem animum explorat, & concitat ad virtutis certamen; non ut livore alienæ virtutis, principem locum obtineat; detrahendo de aliena gloria; sed ut animo generoso, æmulatione laudabili, parem aut majorem gloriam assequatur: sic legimus Themistoclem, ducem Atheniensem, Miltiadis gloria excitatum, ut omnem ætatem in virtute consumeret: sic Theseum, Herculis æmulatione, bellum contra omnia monstra suscepisse. In Platonis Academia acrius incitamentum ad virtutem erat, solius gloriæ & honoris decor; nam licet pars illa nostri animi, illustris & cœlestis, sit vitiis depressa, caligine passionum submersa, ubi primum honestatis specimen, virtutisve pulcritudinem intuetur, ad altissimæ naturæ memoriam revocata, amore honestatis incenditur, ac laudabili æmulatione flagrat amore gloriæ; quam si non assequatur, percellitur tristitia; est enim honor & generosa virtus humanæ menti gentilitia, & magis naturalis quam vitium; inde enim oritur hæc præclara contentio, inter generosos & sapientes viros, dum nemo aliis æquo animo cedit, ut singuli evadant excellentes; nam dum nituntur ad virtutis certamen, unusquisque superare contendit: illa enim contentio animum in angulo jacentem excitat, & instruit necessitatis arte, & inflammat cupiditate gloriæ, ac faxit labores pati, & oblivisci: ac ab omni vanitate abducit, ut ad magnorum virorum imitationem vitam honestiorem ducat; hic est ferendus dolor, hic tolerandus labor, virtute & constantia; sub hac severa disciplina sunt educandi principes: sub hac nobiles & generosi viri debent filios suos continere, ne torpore languescant; nam delicatas mentes solet enervare longa fœlicitas; præstat enim, (si Crœsi incertæ fœlicitati credimus) nunc prospere ire, nunc offendere.

Ad juste & honeste ferendum, prudentia fortitudo necessitat; est enim indecorum, supra decorem ferre; delicati nec generosi animi, omnia impatientia præcipitare; prudentia enim virtutibus novum decorem comparat: & ipsa per se munia amplissima dignitatis sustinet, & tuetur; spectatæ mentis est præcavere futura, & obscura prænoscere; non est humanæ mentis nunquam decipi; sed facilis est lapsus imprudentiæ; tanta est enim prudentiæ celsitudo & dignitas, ut adhuc qui omni caret honesti disciplina, viros prudentia illustres summo imperio dignos æstimet, ac illis facilime obtemperat; intelligit enim in cæco hujus communis vitæ præcipitio, salutem publicam illius auctoritate & judicio contineri; dum perpendit quod est omnibus utile, posse fidenter ab illo prævideri; ideo ægroti libentius obtemperant prudentiori medico; milites duci spectatæ prudentiæ, militaris disciplinæ præclaro; periit Hector, quod salutare Polidamantis consilium non probavit, licet esset apud populum nominis splendorem consequutus, mentita animi magnitudine potius, quam valore, qua vitam pro patria offerebat; nam elatus ex vanissimo plausu, in eam temeritatem incidit, quæ morte tristissima & acerbissimo patriæ funere reluenda erat; quod adhuc pro meritis non flevit Lusitanorum patria, in acerba & immatura morte *Sebastiani* Regis, ob temerariam principis imprudentiam; non est enim generosa virtus mediocri consilio præferenda; ideo à vetustate magis probatam legimus, Hannonis moderatam prudentiam cauta cum solertia copulatam, quam generosam Annibalis temeritatem, cum invicta animi fortitudine. Gravis animi constantia animos in sui laudem trahit, sed prudentia animorum consiliatione plausum comparat; si virtutis splendor homines sui amore allicit, nihil est virtute illustrius; si decus honestatis amorem conciliat, nihil est illa pulcrius: si utilitatis magnitudo mortales in illius studium incendit, nihil est prudentia salutarius; quod est enim officium civile, bellicum, aut privatum publicumve, seu ad honestatis cultum, seu ad vitæ commoda dirigatur, quod illius tutela non indigeat? ingenium enim si prudentia caret, quo excelsius, eo erit magis omnibus suspectum & invisum; magnus enim animus si prudentia vacuus, quo fuerit erectior, eo majorem pernitiem ex illo formidabimus: utinam apud nostros non essent tot exempla hujus calamitatis.

Prudentiæ tantum veteres detulerunt, ut omnia vitæ præsidia, in bonorum fide constituenda existimarent: principio enim, cum nondum essent homines certo jure devincti, & politica disciplina exculti, omnisque vita mutuis esset injuriis & cædibus exposita, ii qui à potentioribus indigne premebantur, confugiebant ad aliquem prudentia præstantem virum, qui ab eis injuriam propulsaret; is autem aliorum vim & impetum

reprimendo, aliorum miserias sublevando, saluti publicæ consulebat; quod cum videret populus, illum cujus prudentia tuebatur, in summo rerum imperio collocabat; inde Regum initium & potestas à populo tributa.

Unde plane colligitur, hanc esse munitissimam viam ad regiæ potestatis amplitudinem, quæ non tantum justitia & prudentia, ac beneficentia continetur, sed in ferendo, prudenti & generosa tolerantia, subditorum defectus: nam si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter, cito intermiserit; non est ergo laudanda temeraria animi fortitudo, qua omnes injuriæ, veræ & apparentes, citra omnem justitiam, & gravitatem prudentiæ, propulsantur: sed illa quam adornat prudentia, solertia, & justitia; licet ex illa generosa tolerantia quid decoris fortitudo perdere videatur; nam re vera non perdit, sed in summo honestatis gradu continetur.

Quare qui ad montem Gloriæ ascendere nituntur, illud sibi necessario patiendum proponant, non modo perditorum hominum furore & invidia, immensos labores subituros, & vitæ discrimina subeunda, sed etiam hypocrisi simulata, virorum adhuc qui zelum æmulantur, per pudorem & infamiæ vices transituros. Quæsitus Sixtus Quintus, Pontifex Maximus, (vir sui sæculi nobilis & acerrimi judicii) *quomodo, beatissime pater, summi pontificatus ascendisti fastigia*, respondit, *per summam patientiam*. Illa tamen discrimina & pudor, valore & virtute in valoris catino depurata, post breve certe tempus evanescunt; nisi omnia furiosa tempestas è radice evellat; tanta enim est vis veritatis, tantum virtutis decus & ornamentum, ut omnem infamiam & pudorem, aut scelere nefario imposita, livore aut errore contracta, deleat extinguatque; illud etenim, licet sero assequantur, est in causa, ut ab impiis & imperitis postea pleno ore tales laudentur; id tamen fortitudo civili disciplina non consequitur, sed insita natura; & in eo maxime Chaos universi spectare par est, ut qui omnia effrænata libidine metiuntur, qui virtutem odio persequuntur, ii ipsi illius splendore superati, illam omni ætate celebrandam & æterna memoria consecrandam existiment; & post mortem, aut exilium, ablatis stimulis invidiæ, homines spectatæ virtutis & valoris, & laudibus extollunt, & publicæ necessitati, si vere potuissent, revocassent absentes; in illis enim virtutem amissam lugent, & se bonorum præsidio orbatos, misera afflictione plorant; & optant postea illos quos occiderunt, ad vitam revocare; nam ita natura comparatum est, ut viri ipsi qui valore & gloria floruerunt, laude immortali post mortem efferantur, quam livor & invidia coërcuerunt in vita; nam mortis ultimum, est meriti principium; quoniam in vita alii solam meriti fœlicitatem consequuntur; alii laudis privilegio solantur, alii tandem in lucro præmia meruerunt; nam imperitum vulgus multos falsa virtutis & valoris opinione commendat: ac multos valore & virtute excellentes pari errore, æterna oblivione diversari compellit; & interdum sepelit ignominia, & quod magis lamentabile est, quod sapientes viri cum populo in virtutis probatione consentiunt; illud tamen inter utrosque interest, quod sapientes viri nebula populari dissipata, postea judicant vere & incorrupte, nisi illos aut retardet ambitio, aut livor alienæ fortunæ; insipientes vero id assequuntur tardius, dum valor gloriæ, & virtutis ornamentum, immeritas tardæ insipientiæ pœnas luit.

CAPUT IV.

Acrius ad non ferendum irritamentum ira.

Circa honores & inhonorationes fortitudo versatur, quæ sic perinde se habet ad valorem ut ad magnificentiam liberalitas; utraque enim virtus est animi magnitudinis soboles, & circa magna & mediocria nos aptiores reddunt, ut excusetur exsuperatio & defectio; in dando accipiendoque, veluti in honore appetendo; ne magis aut minus quam oporteat, sed unde & ut decet, appetantur honores; nam æqualiter peccat ambitiosus, quam pusillanimus, quia hic deficit quando ille excedit; nec ob res honestas inhiat ad honores; & nos quadam virtutis apparentia decipimur; quod illum tanquam virilem, & rei cupidum pulcræ, hunc tanquam moderatum modestumque laudamus; forte quod sint virtutes in vitii confinio; cum enim nomine careat mediocritas, de ipsa tanquam de regione vacua, extrema contendere videntur; non quod non sit medium inter illa, sed quod illum assignare sit difficile; hæc est virtutis habitus, qui mediat inter ambitionem & vacuitatem appetitus honoris; sed medio nullum est certe nomen, cum participet de utroque extremo; sed hic apud omnes dicitur mediocritas; dum nec magis nec minus, sed unde & ut oportet, appetuntur honores, meritorum & personæ respectu.

Sic mansuetudo est quædam circa iram mediocritas inter duo extrema, nempe inter iræ defectum, & iracundiam; sed animadverte, quod ira dum naturalis passio, cum mansuetudine compatitur; nam is qui loco, jure & tempore irascitur, non est tantum laudabilis sed mansuetus, quoniam perturbatione caret ira; nam tantum irascitur quando ratio dictat; ideo quando Homerus, Ulyssem, iratum introducit: *Ejus affectus*, inquit, *dulcior est melle jugiter instillante*; deflectit enim ad mansuetudinis extremum; non ad iræ carentiam; nam omnino non irasci, & sensationis defectum & animi vilitatem arguit, quo sibi ipsi deficit & communi naturæ; quoniam naturalis tutela honestat ultionem propriam seu communem; & ferre contumelias, ut & suos negligere, & animum de vilitate arguit; & communi societati gliscit.

Iracundia vero in ipso passionis extremo, hominem ad furorem præcipitat; nam in fervore sanguinis circa cor, duæ maxime elucent actiones, & excandescentia irascibilis, quæ obtinet imperium in corde, & æstimativæ depravatio, quæ imperat in cerebro, ab acri & mordaci exhalatione lacessita; quo in statu ira brevis intellectus parenthesis; ac ideo est acrius ad non ferendum irritamentum ira; quia quadam necessaria violentia totum hominem trahit, & rectrices potentias tyrannidis imperio subjicit: usque dum ebulliens bilis evaporet, & deferveat; nam antea ultionis desiderium ea omnia, quæ ratio aut convenientia proponit, pari violentia & furore excludit:

cludit: quoniam tunc cogitatricis depravationi, & irascibilis errori cedunt omnia; quæ exuperatio quanto magis distat, tanto mansuetudini opponitur, quæ est aptius ferendi instrumentum: nec est facile terminum præscribere, quem iratum præterire non liceat: illud foret utilius, pacatum semper animum conservare, & rerum incursionibus valore generoso obsistere: hydriam enim pectore fovet, qui irascibili primo impetu non obstat, nam qui corporis passiones alit, animum ferire permittit.

Iracundus in obvium furiam evaporat, si iræ objectum non offendit; Taurus in circo, cum provocatorem ferire non valet, terram pedibus ferit, & manibus attrectat, naturali instinctu, ut spiritus, & ferventem bilem, quæ cor opprimunt dissipentur, ut à suffocatione & angore liberetur; sic homines in ira de sola cogitant ultione, ut cor ab angenti angore liberetur; & iræ dolorem in voluptatem vertant.

Laudabile est, primum iræ incitamentum, ad injurias propulsandas inditum à natura; difficile secundum; detestabile tertium; quia jus iracundiæ à voluntate nostra datum est, nec facile postea coërcetur, electionem consilii confundit; tempus generosæ tolerantiæ, ne juste operetur præcipitat; animi magnitudinem & valorem, in ipsa violentia repræsentat & simulat, ut incautos decipiat; & omnibus apparenter imponit: ipso jure naturæ, injurias propulsandi: nec attendere sinit quod non est virtus vitio adjuvanda: nec ratio debet ad vitia confugere, falsa necessitatis compellatione: est enim iracundia temeritati prona.

Ferre in iracundia magnum virum desiderat, plerisque videtur impossibile; mihi valde difficile; quoniam sapiens non omnino perturbationibus vacat, sed perturbatus modice: hoc tamen, quod nunc dico, non ejusmodi est, ut fieri non possit, si modo quis exercere seipsum velit, & longiori tempore assidua exercitatione periculum facere; nam ab ira prorsus liberari, simul ac quis velit, non est semper possibile: comprimere autem iræ perturbationes, intemperantiam & insolentiam iracundiæ, valet cum valore prudentia: illud in libro de *temperatione iræ*, Plutarchus ad practicam reduxit; & docuit exemplis; illud exclamat Seneca, & est primũ principium in Cynicorum Secta, quod plerosque legimus factitasse philosophos & Reges, & adhuc homines moderatæ fortunæ: Rex (dixit Cambysi Crœsus) noli, cuncta ætati aut iræ indulgere, sed cohibe & compesce te ipsum, conducit tibi providum esse; & sapientis est prospicere; quod hominibus pœnitentiæ fuit iracundia, & quibus non cessit in supplicium.

Tolerantiam adornat fortitudo, præoccupat constantia, virtus illustrat, tutatur patientia, ac tandem prudentia commendat; quem non commovet ad amandum, modesta & nunquam fracta tolerantia, & quam venerationem non sollicitat; errores sensuum oportet prævenire, ac primos irascibilis impetus superiori modestia comprimere; ne in actum prorumpant: ego etiam aliquando injuste lacessitus errorem nominis veritus, curiose quæsivi, sed vocem aliquandiu continui ne in tanto animi tumultu quidquam excideret in modestiam, aut amicum indigne: ex hoc enim summa veneratio comparatur; & talia discrimina ex ira sæpe pullulant quæ vix obliteravit sæculum: *Pessimo sane loco sumus*, dixit Seneca, *nisi ita injurias pati possimus, ut videamur non sensisse*, (si ita fari licet:) nam si pondere quod nunc urget flecti nolumus, fortasse frangemur; cuncta enim sunt incerta, & in rerum confusione, plura sunt consilio, quam vi peragenda; nec est omnino ingloriam injuriam, ut tempestatem ferre, quando est supra vires. Nobile tolerantiæ genus est ferre sine invidia & sine decoris timore; sicut non magni animi est, dare & perdere, sed perdere & dare: sic non magni valoris est, æquo animo ferre, sed inimicum beneficiis & benevolentia superare; nam agricultura sterilitatem vincit.

Fortis es, (dixit Barbarus quidam, sed cultissimus) *quia brevi speras futurum ut tempestas tranquilletur? & qui modo te oderunt, ament & amplectantur.* Nihil hoc cogito, nihil me spes in lætiorem exitum collata sublevat: non est fortis, qui fortis est spe: fortis est qui præsentia mala sentit, & perfert; ut etiam si duratura viderit, contemnat, in futurum nihil respiciat; alioquin si præsentia incommoda expectatione commodorum tolerat, compensatio est, non fortitudo; at si fortitudo, non ingenua, certe illa & absoluta, sed mercenaria plane atque mutila. Cum spem à fortitudine submoveo, non illam spem intelligo de qua dicitur, *bonum est sperare in Domino.* Sed illam de qua legitur, *maledictus homo qui confidit in homine.*

CAPUT V.

Quantum ad ferendum generosa conducat fortitudo.

Fortitudo est metuendorum aut non metuendorum habitus virtutis generosæ, qua quis obstat periculis; hanc indidit natura non tantum ad timores doloresque superandos, sed adversus voluptates cupiditatesque excessus irascibilis & concupiscibilis appetitus, ac contra illecebras, & hominum delicatas blanditias, quæ eorum etiam, qui honesti videntur, animos flectunt & quasi cereos faciunt. *An ille qui dolore frangitur, an qui voluptate superatur, habeatur deterior*, vetustas in quæstionem duxit. *Ille arbitror*, dixit Plato, *qui à voluptate prosternitur: omnes enim voluptate illaqueatum hominem inferiorem se ipso magis, & quidem cum opprobrio, quam dolore demolitum putant.* Ideo nobilis & antiqua vetustas, Fortitudinem *erectam* & non *claudam* depinxit; ut ad *sinistram* quidem *adversis resistere posit*: ad *dextram*, *ne rebus secundis lætisque blandientibus succumberet*; imo ad utramque sufficeret. Miræ fortitudinis exemplum duo viri in eodem negotio tulerunt; Adrastus ex Crœsi Regia familia, Atium Crœsi Regis filium læta venatione sequitur; ac ille cum sagittam in bestiam intenderet, infœlici fortuna, principem Atym transfodit, ac peremit: & nihilominus tristis principis corpus sequebatur: ac stans ante Crœsum dixit, macta me super cadaver, ô Rex, ut qui occidi principem: cui Cræsus hæc dixit; tibi, ô hospes, indulgeo, quod te ipsum morte condemnes; desperati & pusilli animi est, & viri generosi indignum, ad mortem currere tædio vitæ; vir enim fortis non fugere debet è vita,

Dialog. 1. de legibus.

Fortitudo quasi non clauda pingitur.

Herodotus lib. 1. Clio.

vita, sed exire: *Non video quid habeat in terra Iupiter pulcrius*, dixit Seneca, *si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Nullum enim infœlicitatis genus est, quod patientia non superet, aut necessitas toleret: intolerabile est carere patria, & maxima pars urbis immensæ caret illa: nam alios abducit ambitio: alios seducit auri sacra cupiditas: multos cogit necessitas: alios amicorum fœlicitas seducit: ac ideo *omnis terra est viri fortis patria*: magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animalibus calliditatem dedit, quibusdam cor pavidum, aliis subdolum; ita nobis gloriosum & excelsum spiritum, quærentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivamus: ideo Socrates morti damnatus, cum esset qui fugam permitteret, noluit, ne fortitudinem vili timore pollueret.

lib. de Providentia.

Si videris hominem interritum periculi, intactum cupiditatibus, inter adversa fortem, fœlicitate moderatum, in mediis tempestatibus placidum, ex superiori loco homines intuentem, ex quo Deos, non subibit te fortasse veneratio ejus? quis dubitat; est enim virtuti indita veneratio: ubi ergo est illa generosa fortitudo, ubi nostrorum valor; qui pluris æstimant violentiam quam moderationem; hoc etiam accersivit hujus sæculi temporis infœlicitas, ut vitia potius æmulentur virtutes: forte vicinitate aut operis jactantia: nam temeritas sub titulo fortitudinis latet: ignavia dicitur moderatio; timidus pro cauto reputatur: & in his magno periculo erratur; nam perditis quoque recti similitudo est: sic mentitur prodigus liberalem, negligentia severitatem: negotiosus homo dicitur prudentissimus: plerique bene incipiunt, male peragunt cursum; cum finis totum cursum commendet; quid enim oportuit belle cucurrisse, si male constitit?

Sit tibi regula ad ferendos alienos defectus, necessitas ferendi proprios; tutus & in tuto ab adverso littore æmulationem respicias absque supercilio: nam ferendum est à forti si quid grave acciderit; nec sit excusatio, præmiorum defectus; nam virtus ob sui pulcritudinem colitur & amatur; nec putes sanctum Numen, à quo omnia eximia velut ab origine processerunt, Deum inquam, qui omnium origo virtutum, fas rectumque mortalium animis, ingenerata ratione, præscripsit, generosis hominibus deficere; quare constantia in ferendo non sit fortunæ comes: (si id præstat fortuna) sed cuicunque incursioni impenetrabilis, ne sit nobis in arcto & inglorius labor: nam generosis hominibus solet fortuna magis quam virtus deficere: nec minus miretur Græcia Xenophontem, qui in ipso sacrificio, (nuntiata morte filii) tibicinem tantum compescuit, coronam deposuit, cætera rite peregit; quam Hispania, suos qui valore in ferendis laboribus, pro religione & patria susceptis, nobis novum orbem dederunt.

Avida est periculi generosa animi fortitudo, & quo tendat, non quid passura sit cogitat: quoniam quod passura est, & gloriæ pars est: gubernatorem in tempestate, in acie militem, noscit; fugite delitias, fugite, labor improbus optimos excit, fortes commendat; ignis aurum probat, miseria fortes viros, alte ascendit virtus, & monte in Olympo consequitur.

Ardua prima via est, & qua vix mane recentes,
Innituntur equi, medio est altissima cœlo.

Simul cogita, (dixit Arius philosophus Liviæ Augustæ in morte Drusi Cæsaris) non esse magnum se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita procedit; nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare, & obsequens ventus ostendit; adversi aliquid occurrat oportet, quod animum probet: proinde ne submiseris te: imo contra fige stabilem gradum, & quidquid onerum supra cecidit, sustine primo dumtaxat strepitu conterrita; nulla enim re major invidia fortunæ fit, quam æquo animo; virtus laboriosa mortalium generi, honestissimum vitæ humanæ incitamentum est; pro fortuna sua suavis est laborum patientia, fructum mortalibus auro præstantiorem inserit, ut Aiaci Thelemonio, Herculi, Lædæ filio; ideo miles bellum optat in gloriam; agricolam annonę caritas exigit, eloquentię exoptat pretium litium numerus: Medicis gravis annus in quæstu est, institores delicatorum mercium corrupta juventus locupletat; non laudo corporis fortitudinem, ambitiosam gloriæ, sed quę virtus ex dignitate rerum ad temporum sumit utilitatem; hanc enim pro injuriis propulsandis, & ad loco & tempore ferendum, ordinavit natura; illa vero infœlicis aliquando interitus Miloni Crotoniensi causa fuit, qui vitam inter brachia quercus antiquæ deponit temerarius.

Nec timeas quod nobilis & generosa tolerantia judicetur ignavia; nam vilis fortitudinem non minuit detractio; est enim *Virtus repulsæ nescia sordidæ*, ut Horatius dixit; sit tibi exemplum supremum luminare; nobilissimo Apollini millia millium æmulantur meteora, terræ voragines insurgunt, accurrunt agminatim vapores: certatim nubes caligine obscura lucem bibunt, ut saltem per momenta obscurior videatur mentita; nec irascitur, nec maledicit tenebris luminare, placidissime cernit, nec iratus patitur violentiam: fert mira fortitudine, ac tandem regia vultus serenitas, importunam hostium demolitur protervíam: & sicut aqua certatim se præcipitat, crystallos per lapides allidens, ut sitim viatoris deliniat, sic Apollinis candor & fortitudo, tenebras, (deposita immeritæ æmulationis memoria) generosus illuminat; neque credas quod aliquis unquam tulit sine fructu: quoniam est animi fortitudo, tacita eloquentia; quæ occulta sympathia homines illicit, aut veneratione, aut amore, ut olim veteres Herculem valore, Amphionem harmonia, homines allicere tradiderunt.

Dicis fortasse, quod plerique vitam generosæ obtulerunt tolerantiæ non tantum sine fructu, sed futuro dedecore: ita cessit ætati infœlici; nulli enim ætati defuerunt fideles, ideo infœlices Belisarii: quæ vitare non possumus constantia & valore toleremus, ut mille infortunia, & improvisi casus, quæ cuique ferre licet, nemo vitare potest; insita rerum necessitate; res enim securius moderatione, quam vi componuntur; in animi tumultu, pauca secure dixeris, multa silentio tueberis; nil æque animum præcipitat quam lucrum; nil æque ferre docet; lucro incœpit orbis, idem lucro peribit: à sublimi incœpit, jam pastorum tuguria penetravit; unicum est hominibus negotium, lucrum nempe; est enim orbis ethica orbis lucrum;

lucrum; quoniam solidas adhuc penetrat partes, nec se ab hoc periculo liberat œconomica, ut universum eo quo incœpit lucro, lucro pereat.

Labores immortales sub fructus expectatione dulcescunt, ne sub amaritudine aversentur; multum enim laboris, parum securitatis habet civilis gubernatio; hæc humana conditio aversatur, voluptate dulciora prosequitur; non decere quempiam petere principatum, magistratus ambire, dixit Plato, ideo malos non esse admittendos: cives vero non malos, qui libenter grave onus suscipiant, invitandos præmio & honore; probos vero, qui nec avaritia nec ambitione moventur, uno dumtaxat discrimine metuque provocandos, ne ipsi, & universa Resp. malorum injustæ gubernationi subjiciantur; nam patriæ gubernande officium à justo debet sponte suscipi, sin minus, debet impelli, si id petat necessitas; peccatur enim in utroque extremo, & cupiditatis & desidiæ; nec enim minus damnosam esse quietem desidem (dixit Thucydides 1. historiarum) quam operam laboriosam, usque adeo, ut brevi complectar, si quis dicat, illos hoc ingenio natos esse, ut neque ipsi queant, neque alios sinant quiescere, is recte dixerit.

Epist. ad Archiam.

CAPUT VI.

Quantum valor ad ferendum conducat.

Ignobile familiæ principium, & pastorum tuguria, virtus generosa nobilitat, claram fecit originem valoris ardor, qui sursum velut ignis ascendit, de quo mille extant exempla; non ignobile tulit Ægypto Rex Amasis, de ignobili familia à populo notatus; quem ad justum obsequium perduxit solerti tolerantia, pelvi aurea in idolum mutata: *Hæc erat* (inquit) *vili servitio dicata, nunc ex illa Dei simulacrum adoratur*; & non antea beatior Ægyptus quam sub Amasi Rege, quod leges beatissimas condiderit, & urbes redderet fœlicissimas. Despicit abjectus animus honoris læsionem, pendit ad æquilibrium generosus; sed hac nostra ætate, omnia sola lucri regula metiuntur; quia jam exolevit memoria injuriæ, neque flagitia dedecoris nomen meruere; Unica est injuria paupertas, ideo forte Marcellus, avorum clarus moribus, generosus paupertatem præcipuum malorum credidit.

Herodotus lib. 2. Euterpe.

Origo nec laudat nec vituperat, nec valor metitur ortu, vitiis vilescit Catilina, generosa virtute nobilitatur Tullius; fortuna est nasci principem; fieri generosum valor; *Inæquales nascimur, pares morimur*, dixit Bias; nos dicimus è contra, *æquales nascimur, impares morimur*: nam natura æqualis ascendit, aut descendit, vitio, aut valore; aut animi virtute bene fit dives aliena fortuna, non generosus alieno valore.

Spurii & nothi viri, ut plurimum, strenui, & heroës, quia amoris filii: quos nec parentium domus, nec familiæ luxus enervavit, nec opum abundantia, vitiorum illecebris seduxit; quæ majora ingeniorum sepeliunt talenta; aut antiquorum glorias obscurant; hos à domo & familia pellunt ignobilis paupertas, jam vulgaris infamia, si non livor alienæ fortunæ: aliquando licentiosa libertas hos præcipitat; ac concitati à magnis parentum spiritibus, desperati in patria, & tædio repulsi, per confragra & præcipitia, per varia discrimina montem ascendunt Gloriæ: eo magis, quod perculsi ex originis labe, (perpetua confusio animi generosi) calcaria, morsus acrioris injuriæ immeritæ non ferunt; imo hac repulsa concitantur, ut generoso ardore montem superent Gloriæ: aut è contra si inerti vilitate obdormiscunt narcotico infamiæ soporati, nec honoris calcar sentiunt, nec stimulis gloriæ concitantur; ut nec numerari, nec inter homines vivere mereantur; *Quoniam talis vivens moritur, & cum vere deficit, desinit tantum videri vivens*; ut de Claudio imperatore dixit acute Seneca. Inde oritur, quod spurii ad alterum extremorum relabantur, aut infamis ignaviæ, aut strenui valoris: & hinc optimis fortuna plaudit, pessimos comitatur infamia: illi & valorem educunt de fortunæ potentia, aut valoris ingeniti; nam generosus ardor hæc producit, non creat; plerique tamen ad superbiam prolapsi, cum se ipsos ignorent, fiunt fortunæ Icari, Phaëtontes insaniæ.

Qui tamen alios gloria & valore antecellit, ut fiat adamantinus oportet: amarulenter enim ab æqualibus fertur gloriæ antelatio. Superbia insolentem Goliat, David puer singulare provocat ad certamen: gloriam & valorem indigne tulit frater, temeritatem ratus, ne frater illum gloria anteiret: defectus naturæ inter speciem & individuum non discernens. Pictor est lividus qui atra malignitate, generosas imagines obscurat; perfectiones minuit: imperfectiones apponit & delineat; deinde in imagine vituperat quod ipse nefanda manu ademit vel adjecit: & quam fecit imaginem aliis conspiciendam proponit, sacra intentione, ut omnibus fieret odiosa; (ultimum miseriarum ac sævitiæ exemplum) sed tales quasi exprobrantes aspiciuntur, & sola sceleris conscientia in ipso facinore pœnas luunt.

Facile viri nostri inter ancipitia claruerunt, dum erat ingrata Hispanæ genti quies: nulla quippe nationum, ob immortalem gloriam, tot laborum congeries toleravit; ab occidente usque ad orientem, ubi debellatis vastissimæ Indiæ nationibus; superbo titulo monumenta Deo Trino & uno sacraverunt: ac nihil de se ipsis addiderunt, rati conscientiam facti satis esse: dicant etiam illud Germanorum Paludes, & inter lacus horribilis Gorgonia, inter Rhenum & Albim sub Carolo Quinto, imperatore maximo, ubi terdecim viri, vitæ amabili, vix credibiles labores prætulerunt, ob claritatem nominis.

Ob hæc & plura alia, quæ Seneca de Generosa Tolerantia disseruit, mihi semper habui persuasum, quod *mors non est ultimum rerum terribilissimum*: nec in illa est ferendi extremum, (quantumvis ad perfectionem universi necessaria) nam si nihil horribilius morte datur, quam animi & corporis angores sequuntur, illa quæ subito hæc omnia prævenit, erit bona: hoc omnia hujus universi antecellit, quod est in individuo deterius, supra quod orbis collosus cum se elevet, omnis ejus pulcritudo detegitur: & hoc est illa mors, ut pars harmoniæ superior, ubi omnis universi harmonia consistit; quid esset, si originali deperdita justitia, homines non deficerent; mortis timor homines in summa fœlicitate coërcet; ad numerosi exercitus aspectum, Artaxerxem exterruit

terruit sola mortis memoria; spes cito venturæ, infœlices contra iniquitatem fati, fecit inexpugnabiles; qui à fabrica universi mortem toleret, lapidem angularem adimeret, harmoniam & concentum universi confunderet: est enim harmonia individuorum contraria; illa in unisona consonantia consistit, ista in multitudine confusa; mors non potest esse cum dolore, neque mala, si vere est naturale mori; quoniam res naturales sunt etiam natura bonæ; & *decrepito mori est dormire:* & licet inter deteriora numeretur, sine dubio una ex melioribus est bene mori; juvat semper mortis consideratio: semper est bona mors; videtur interdum mala, quia sæpe non est bonus qui moritur; sed illi neque boni neque mali inest, ut plurimum; Cato enim illa honestissime usus est, turpissime Brutus.

Ferre leges & obediri principi, beatissimam constituit Remp. nam regnum inobedientia præcipitat, sed princeps non debet ferre facinora impunita dimitti: illud enim legum institutioni contradicit, institutoris auctoritatem convellit: est enim obedientia cum justitia comparata, anima regni; quæ si deficit, hæc pars perit justitiæ, quæ Remp. fovet & vivificat; vitalis nempe spiritus justitiæ, in plebem & potentes distributus, in quo vita consistit; si vero supplicia pecunia venduntur, tacite irrogatur à principis ministro licentia peccandi; quo princeps tenetur ferre graviora facinora, si illa sub pretio emercari permittit: ideo forte prompti semperque mobiles & inquieti animi, in hac nostra ætate, sub libertatis licentiosæ nomine, seditiones induxere: nam cum essent assueti peccandi libertati, justitiæ jugum facile excusserunt.

Et si quæras hujus status infœlicis auxilium, par fere nullum invenies: nulla est enim politica quæ nos securos reddat rebellionis animorum; & illos securitas præcipitat, neque favor coërcet; sed insolentiores reddit indulgentia; quare à principio hos decet instituere, in legum observantia, juxta severitatem quæ in metu filiorum coërceat, & contineat potius in principis amore, quam odioso & extremo supplicio; nec sit talis criminum indulgentia, ut viam paret peccandi libertati; sed præmia super omnem politicam, & principis amorem conciliant, & regna stabiliunt, si meritis æqualia, æqua lance librantur; nil enim æque fortes, & generosos viros à principis amore, & à regni custodia abducit, quam si præmia assequantur qui periculis non affuerint: quod nobis hodie mille monstrant exempla; & maxime plerosque insignire, generoso stemmate ordinum militarium: valoris immortalis olim præmium, nunc pretium favoris.

Consultissimum erit populorum libertatem majestuoso imperio tali moderatione temperare, ne acrius irritata patientia exballistet: illa gravis Taciti sententia non excidat à principis memoria: *Nunquam tibi, ô princeps, talem jurisdictionem dare potuimus, quin non sit nobis gratior servitute libertas.* Semper enim subditus in libertatem inhiat, tunc maxime quo acrior est servitus: ideo prudentissimum erit, illam temperare ad subditorum genium, ne acerbitatis attingat extremum, aut licentiæ; illud tamen maxime ingrate toleratur, patrias consuetudines à longinquo ævo altius radicatas, recentibus everti & confundi; nisi summa necessitatis urgentia; nil enim turbulentius communem societatem præcipitat, & in furorem agit universam Remp. ideo nostris temporibus Barchinonenses viri, & Lusitani, dicunt, jugum servitutis à cervicibus suis depulerunt; inde tamen graviora pericula gliscivere; (nulla in eo principis culpa) subditos inauditos damnare: illud enim animos concitavit elatos; & seduxit emeritos in bello & in pace, ut in seditionem audaci novitate immodeste conspirarent; nam qui inter libertatem & servitutem degunt, nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre possunt; & inter seditiones regnum pertendentes, qua data porta ruunt; infinita est homini dominandi libido, nec lex illam coërcet; nam imperium cupientibus nihil est medium inter summa & præcipitia. Illud, Pausaniam & Phisistratum seduxit ad horrenda facinora: sint nobis in exempla primus & quartus Juanes Lusitaniæ; nec nos valor excusat. *Improbe enim,* dixit probe Cyrus, *Neptunum accusat, qui secundo naufragium facit.*

2 *Hist.* 4.

CAPUT VII.

Quæ honorem non minuunt injuriæ, & quæ duelli certamen mercantur.

Injuria est dictum aut factum contra jus, quod honorem minuere, aut perdere intendit: Sub duplici facie spectantur injuriæ, seu pro ut vulgus æstimat, falso honoris pretio; seu prout summo honoris bono opponuntur, clarum honorem destruunt: sunt etiam mediæ quædam injuriæ; quarum labem opinio constituit; pro ut ab hoc aut illo æstimantur: ad meritorum & honoris regulam etiam metiuntur injuriæ; personæ item & officii, seu illius qui fecit, aut accepit.

Honor etiam (pro ut est hominis generosi ornamentum & justum separat à vulgari:) est virtus animi generosi, quæ ad heroïce & juste operandum inclinat, generoso ardore, de se lumen immittit, quo æstimationem creat in illo, qui attendit ad generosum opus: hujus veritas & essentia in animo consistit, ab ipsa natura ordinato: alius est spurius, qui honoris claritatem æmulatur, falsa æstimationis apparentia: hic est elata vanitas, sui ambitiosa æstimatio absque ullo fundamento virtutis; & cordatis hominibus ad despectum inclinat.

Illa tamen quæ cadunt sub hominis judicio, pleraque consuetudine & tempore æstimationem consequuntur, despectum & vilitatem alia; illa potius dixeris honoris accidentia si illa cum tempore mutantur: nam verus honor est semper immutabilis.

Præclaram nominis claritatem honori homines detulerunt, cum viderent insitum esse visceribus naturæ: jam olim Roma delubrum Deæ Virtuti sacratum adoravit, per quod erat introitus ad Dei Honoris templum; ut inde homines intelligerent, quod honor non nisi per virtutem consequitur; hæc duo dicavit templa Marius ex spoliis Cimbrorum & Teutonum, in nota via Appia, per quam mos erat olim milites in bella proficisci; ut illos edocerent, quod per solam Virtutem sit via ad Honorem.

Tanti pretii est honor inter homines, ut honore

nore carentem, pro mortuo veteres æstimarent, in sepulcro infamiæ, & dedecoris; ac ideo duelli legem invexere; pro recuperatione jam perditi honoris, seu ut mortuum honorem suscitarent: ingratum reputantes, hominem absque honore vivere; nam si caderet singulari certamine, mortem illam vitæ sine honore ante ire ducebant.

Virtutes quæ honori nominis claritatem addiderunt, sunt ita generosæ, ut splendorem Reip. concilient, in ordines & classes hominibus divisis; nam splendidis titulis honorati, Remp. tuentur valore & consilio; artifices conservant,& publicæ prospiciunt saluti: sunt virtutes honori servientes, veritas, justitia, magnanimitas, animi generosa fortitudo, illustris liberalitas; non tantum generosæ virtuti, sed omnibus & singulis opponitur injuria: ideo honorem aut minuit aut perdit tam magna Reip. jactura, ut honorem omnibus vitæ commodis homines anteponant; quare ita ingrate ferunt ignaviæ & vilitatis nomen, injusti & mendacis, ac omnes familiæ defectus, quod sint notæ injuriæ; ideo tot auxilia pro honore recuperando homines invexere.

Regulam igitur instituere quoad usque ferendum, honore non deperdito, quantum fert æstimatio, nullus unquam Politicorum instituit; cuncta invadentia æquo animo ferre, citra naturæ cultum Cynici Philosophi præceptis tradiderunt; honorem tueri, immeritam injuriam propulsare, sub definita lege, catholica docuit Theologia: quo præfinito ordine, quibus conditionibus id fiat, nos latius docuimus: *In exhortatione ad honorem & Honoris tutelam, quam patrio idiomate, pro filiis edidimus America degentibus*; revertamur ad ferendi præludia.

Videri patienti injuriam & violentiam à necessitate non timere, hominis incuriosi furor est, fortasse imprudentis: curiositas illa, quæ in solam sensuum delectationem cadit, laudari non meretur: si cum periculo, vituperio digna est; & ubi à nihilo, vel à nimio pendet, fragilitatis est inditium; tanto deterius est fraude, quam violentia perdere, quanto optabilius animo, quam corpore vincere; extra nos enim operatur; violentia autem ex aliena calliditate fabricatur sagaciter, supra nostræ inconsiderationis columnas; violentiæ vulnera dulcedine occasionis mitescunt, ingenii autem ipsa occasione, ex nostra inconsideratione oriente, ingrate tolerantur; sæpe necessitas excusat violentiam; quare sæpe est magis timenda valoris patientia, quam minacis loquacitatis ardor: hic enim exhalat conversus in vapores: at in illa vindicta intus alitur, & arma in ultionem condit.

Id tamen grave tulit ignava & infœlix tolerantia, ut tristiora sint pace, quam bello discrimina: nam qui semel offendit, sæpe lædit, multiplicat injurias, ut securior ab antiqua injuria reddatur; nec ad veram reddidit amicitiam qui intulit injuriam, (si vera est parœmia) quoniam injuriato non credit, nec aliter se judicat securum, quam inimico omnino debellato; nec inde ulla comparatur securitas; nam læsus & impatiens vires colligit, & tanquam desperatus se præcipitat; quare ubi non speratur amicitia, timeatur vindicta: quæ si moratur ad proportionem, periculum aget, cum non obsolescit fabrica ad vindictam.

A Ne igitur sub opinione periclitetur honor, non semper conducit tolerantia, interdum proportionata est opus violentia; ferre convenit, quando supra fortunam, supra vires, nec insigni honoris jactura toleratur, ut inevitabilis tempestas: quo in tempore reducere in memoriam ea quæ deberent esse in occulto, est inutilis labor; ubi fœlicitas esset oblivisci; potissimum ubi harum injuriarum auxilium est oblivio: & honestum est pati quod emendare non possumus; magni animi est, injurias despicere: sæpe satius fuit dissimulare, quam ulcisci: sæpe adeo vindicare injuriam B expedit, ut ne fateri quidem expediat: *Quoniam*, ut belle dixit Seneca, *proprium magnitudinis veræ est, non se sentire percussum*.

Lib. de Ira.

Quare oportet iracundiam à principio cohibere, sive par sit qui lacessit: sive superior, aut inferior; nam cum pare contendere, anceps est, cum superiori, furiosum, cum inferiori, sordidum: itaque decet si quid in te imbecillum agnoscas, ut id maxime protegas: non expedit omnia videre, omnia audire; multæ nos injuriæ transeant; tanquam non audiantur, ex quibus plerasque non C accepit qui nescit: non vis esse iracundus, ne sis curiosus; imo semper patientiæ prodigus; alia differenda sunt, ridenda alia, pleraque in lusum jocumque vertantur: & plerisque dandum est rumoribus tempus quo senescant, pacato & generoso animo: æmulationem semper ex adverso littore superior despicias; & adhuc contumelias contemnere oportet, tanquam à pueris jocos, si demens est qui intulit; dementia est enim iisdem modo delectari, modo offendi: quid autem est, quare hanc animi firmitatem non credas in vi-D rum sapientem & generosum cadere; quis enim phrenitico medicus irascitur?

Si nos ad rationem componimur, nobis rationes sat erunt; si ad appetituum libidinem, nec ultio, nec ratio sufficient; & hæc qualia deberent esse judicabimus, non qualia necessaria duximus; nam iracundia sola in vindicta sibi placet; in omnibus implacida quæ huic appetitui non serviunt; nebula ergo passionum deposita, Senecam audimus, & rationi, non Senecæ credamus: maxima E est enim, dixit Seneca, factæ injuriæ pœna, illam fecisse nempe: nec gravius quisquam afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentia traditur; illud tamen est illatæ injuriæ solatium, quod ex alieno infortunio quisque cœpit in suo: quemadmodum enim æquiori animo filium in angulo flevit, qui vidit acerba funera etiam ex regia duci: sic animo æquiori ferret ab aliquo lædi, ab aliquo contemni; cuicunque venit in mentem, nullam esse tantam potentiam, in quam non incurrat injuria: quisquis igitur sum, cujus aures lædi nefas sit? F ignoverunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, & garrulis? puerum ætas excusat, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas, imprudentem fatuitas: num primum offendit, cogitemus quam diu placuerit: sæpe & alias offendit; feramus quod diu tulimus: amicus est, fecit quod voluit: inimicus est, fecit quod debuit: prudentiori cedamus: stultiori remittamus: pro quocunque illud respondeamus, nobis sapientissimos quoque viros multa delinquere.

Et si hoc non placet, respiciamus eorum exempla,

pla, quorum laudavimus patientiam: hæc semper à summis viris laudatur, ab omnibus extollitur; ergo est per se bona: non ergo erit in te minus laudabilis: & licet aliquid honoris videatur obscurari, id ad solem patientiæ dissipatur; hoc enim adversus virtutem possunt, & calamitates & damna, quod adversus solem potest nebula; ideo forte injuriarum remedium est oblivio; nam injuriæ, ut rumores, spatio & tempore senescunt, forte in melius mutantur: magnanimi enim proprium est, offensiones injuriasque despicere; quod objectas non valet, præ imbecillitate, adhuc nec ipsis auxiliis adjutus; ne te ergo præcipitet injuria: passionis violentiæ viriliter obsiste; donec transeat impetus, & animus in quiete te doceat, justitiam & merita vindictæ: aut fructum patientiæ: & postea de securiori convenientia delibera prudentius, securius, ut res ardua petit, &c.

Pudeat animum tot miseriarum victorem ægre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoso; fleant igitur diutius & gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa fœlicitas, & ad levissimarum injuriarum motus collabuntur; at quorum omnes anni per calamitates transierunt, (veluti in hoc sæculo) gravissima quæque, forti, & non superata constantia perferant: nam unum habet assidua infœlicitas boni, ut quos sepe vexat generose, induret; & magnus vir, si cadit, magnus jacet; & si contemnitur, etiam sacrarum rerum ruinæ calcantur; quibus antea grata extitit adoratio. Sola docet divina Philosophia, ut sequaris Deum, & feras casum; rubori tibi sit, homines sine fide, sine lege, illud exactissime peregisse, in hoc te superare Senecam, Socratem & Diogenem, solo naturali lumine Philosophiæ.

Potentum injuriæ non tantum patientia, sed hilari vultu sunt ferendæ, ab illo qui necessitat, sperans an mutetur fortuna; cum quidam interrogaret aulicum, quomodo rem rarissimam esset in *aula* consequutus, nempe *Senectutem? gratias reddendo*, inquit, *pro injuriis.* Magni animi est placidum esse, sed generosi, tranquillum offensiones, injuriasque despicere: muliebre tamen & invalidum, furias in ira ostentare: ferarum est urgere, & mordere projectos, interdum vilis timiditatis argumentum: iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; illarum tamen Rex, pro aculeo utitur patientia: sævissimi & potentes domini, manus fortunæ sunt, sæpe Dei flagellum, illos ergo feramus velut Dei supplicium, ut hyemis rigorem, velut intemperantiam, ut tempestates & morbos, ut & cætera quæ nos fortuna pati cogit: Stilphon, victa patria, Demetrio victori generose respondit, non est quod me victum, & te victorem credas; vicit fortuna tua fortunam meam; caduca illa & dominum mutantia ubi sint nescio; quoad res meas attinet, mecum sunt; perdiderunt divites patrimonia, ambitiosi curiam, feneratores tabellas suas, quibus avaritia falso læta imaginatur, divitias: ego quidem omnia, integra & illibata possideo; servitus enim non in totum hominem descendit, corpus quod domino fortuna tradidit, hoc emit, hoc vendit, pars nobilis mancipio dari non potest: ab hac enim quidquid venit, liberum est, quamvis servus, ut placuit Chrysippo, perpetuus mercenarius sit.

A Maximum igitur solatium est, cogitare id tibi accidisse, quod ante te passi sunt omnes, omnesque passuri; ideo mihi videtur rerum naturam, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati solaretur æqualitas; laudanti mihi cujusdam politici viri nobilem tolerantiam; nunquid, dixi, talem virum, aliquam fortunæ tempestatem hilari, & non demisso vultu, ferre vidisti? nam ut ignis aurum probat, sic miseria fortes viros.

B Pleraque valore patimur: multa fati infœlicitas pati compellit: non pauca ferre ratio naturalis suadet: quia immutabilem fati legem necessitas non violat: *Si te tristis orbitas affligit*, (Liviæ Augustæ dixit Seneca) *puta ereptum tibi amplius quam ulla unquam mater amiserit; non permulceo nec extenuo calamitatem tuam; si fletibus fata vincuntur, conferamus: eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno tristitia consumat, atque omni se genere sævitiæ, profecturus mæror exerceat; sed si nullis planctibus defuncta revocantur, si mors immota & in æternum fixa, nulla miseria mutatur, & mors tenet quidquid abstulit,* C *desinat dolor qui perit, & cedat generosæ tolerantiæ infœlicitas.*

Antigonus, Julius Cæsar, & Magnus Alexander, à militibus & sociis injurias æquo tulerunt animo: serena fronte adversam fortunam tulit Cato: ferant principes animo generoso pleraque vel etiam subditorum ingrata: est enim excelsa animi fortitudo, cum virtus regia, tum aptius moderationis instrumentum: legite Xenophontis sententiam; ego vero arbitror, inquit, illos quibus prudentia curæ est, quique putant posse D civibus suis quæ eis conducunt admonendo ostendere, minime violentos esse debere, cum sciant, ad vim quidem inimicitias atque pericula; persuadendo autem sine periculis cum amicitia eadem posse fieri: qui enim coguntur, tanquam expoliati oderunt; quibus vero persuasum est, tanquam gratum aliquod acceperint, amant: nequaquam itaque illorum qui prudentiam exercent, proprium est, vim cuiquam inferre, sed illorum qui sine ratione potentiam habent: præterea qui quidem audet vim inferre, non paucis E indiget adjutoribus, qui vero persuadet, nullo: ne ergo ferantur fatali exemplo & imperio, redditi sunt ministri insolentes, crudeles impii sine Dei misericordia, nec hominum timore.

Lib. 1. de dictis & factis Socratis.

Lata & plana est vitiorum via: angustum iter & arduum ad Virtutem; quod sola prodiga tolerantia superatur; pravitatem simul totam licet eligere, dixit Hesiodus: *Virtuti sudorem Dii præposuerunt immortalem:* arduum enim & difficile est iter ad Virtutem: & cum asperum sit, amænum postea redditur; cum ad ultimam recentes F nitimur; *Laboribus omnia Dii vendunt*, dixit Epicharmus: sic Herculem fertur extra urbem egressum, duplicæ viæ obviasse, ac nutanti, sese obtulisse Virtutem, & alio ex latere Voluptatem, ac illas inter se contendisse, de Hercule ferendo: Virtus horridam & incultam Virtutis viam intrare suadebat, nam supra compita montium stare Gloriam immortalem exclamabat: Voluptas vitiorum illecebris Herculem seducebat, plana & lata via, ubi favor aspirat & fortuna; ac tandem Virtutem superasse voluptatem, & Herculem duxisse per omnem laboris tolerantiã.

Omnes

Omnes fere nationes, non à famæ tantum celebritate, sed à præclaro nomine, valore & armis comparato, inerti otio & opum affluentia decidisse nulla non ætas novit; inde enim viri vocati ad Theatra, ad fabulas conversi, se ipsos nescientes obliviosa inertia, omnem animi cultum perdidere; ac mollitie & luxuria enervati, militaris disciplinæ labores, (occasione tracti) ferre postea nequiverunt invalidi: hos postea rerum clare gestarum fiducia deturbavit: nam heroum præteritorum memoria, quibus fortuna paruit, præfidentes, res suas gerere decreverunt, & cum jam esset potentia non sua vi enixa, facile fatis, & rerum fatali mutationi cessit: quo isti perdiderunt ignavia, illa omnia, quæ claro & invicto valore majores sui acquisierunt; sit nobis exemplum & Romana potentia & fortuna: sit & nostrorum valor, quibus cessit vastissimæ Monarchiæ imperium, nunc desidiosa sui oblivione, & ignava luxuria sepultus: & adhuc omnia ad pedes Hispanorum non subjici, solo nomine Hispaniæ audito, ægre ferunt; nos inflat, non roborat præsumptio: quoniam gloriæ nomen ferunt nostræ gentes, non valorem antiquum: *Quia*, ut belle dixit Xenophon, *fiducia negligentiam, inertiam & inobedientiam parit*; timor autem circunspectos ac ordinatos homines reddit. Magnum argumentum nautæ præbent, qui quandiu nihil timent, nullo ordine cuncta peragunt; cum autem tempestatem aut bella suspicantur, non tantum facilime perficiunt, sed magno cum silentio attendunt quod eis præcipiatur.

lib. 3. de Dictis & factis Socratis.

Anno 1648. Iulii 22.

Hæc nos incauta fiducia in manus hostium inopinato traxit, in improvisa & confusa Naumachia, haud procul à littore Gadensi, classis nostræ cum Gallica: ubi hostis non impune elabitur: ubi filius noster Laurentius ætate 18. annorum, dum pro patria & pro Rege pugnaret, occubuit exanimis ad ictum hostilis globuli tormentarii, fere capite universo dilacerato, cranei fractura altius penetrante vitæ cum extremo periculo:

> — *quaque ipse miserrima vidi,*
> *Et quorum pars magna fui.* —
> *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,*
> *Et breviter geniti extremum audire laborem,*
> *Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit.*
> *Incipiam.*

Dum ergo classis Gallica adstitit improviso ante nostram; nostræ gentes & classis confuso rumore se immiscent: nostræ mercibus naves erant onustæ; nec prælio dispositæ, neque milites disciplina militari ordinati: quare novitate perculsi, omnes ad arma ruunt, ac velut desperati, absque ordine, armis percincti obstant, & unusquisque satagit alterius prævenire periculum, & hostiles naves provocare ad prælium: (licet non omnes periculo obsisterent) & cum incipit horribilis Naumachia, Laur. (miles nondũ expertus) jam puppi, jam prora magnæ navis intrepido animo & securo bellica instrumenta exercebat, jam hinc inde decurrens Gallorum hostium invadentium conatui, cum paucis qui perstiterant obsistens; cum, en, hostiles naves igne potius fraudulento, quam valore onustæ, à prora se immiscent navi nostrę prætoriæ, qua ferebatur juvenis, cum nautæ fere omnes, ac bellicis instrumentis dicati, & milites emeriti, se ad mare projiciunt; (ne sociorum fatis obruerentur, intimius fatali discrimine perculsi, navis alterius quæ brevissime hoc igne fraudulento, horribili spectaculo exarsit, ubi *Marchio de Cardeñoso* periit infœliciter, (licet Gloria cæteros anteiret;) pietatem in mari conquirentes, potius quam inter suæ sortis homines expectantes, & viri adhuc qui propriæ æstimationi altius prospicere fas esset; in tanta ergo virorum jactura & inopia, paucissimi, (qui vix navis gubernationi sufficerent) crebro alternatis officiis mittebantur: ex quibus sorte Laurentio contingit, (post varias bellici certaminis fortunas) ut bellicis tormentis infra tabulata præesset pro executione mandatorum: quo in officio animo intrepido assistens, ab adverso & hostili tormento, ignitus penetrat globulus, navis latera furiose rumpendo, quo partes abietis furiosa quatit violentia, & hinc inde demittit, cujus pars fataliter delecta, caput juvenis læthali ictu rumpit, in alta parte capitis ad lævam declinante, & totum fere caput dilacerat & dirumpit, profusa & fatali hæmorrhagia; sed diligenter postea, & perite curatur, à clinicæ artis peritissimo viro: quo (licet lente) consequitur curatio, ut ad 64 diem veniret ad salutem; cum jam Pater Anchises, classis Palinuro fatis vela dare jubebat: quo tempore puer, adhuc invalidus, iterum æquori insecuro & implacidis ventis totus arbitrii factus est fortunæ; nam fato profugus in Indiarum littora iterum navigavit: *Cum socii vela dabant læti & spumas salis ære ruebant.*

Catholicum esset semper ferre injurias, Christiano & generoso viro dignum; sed id semper nobilitatis & honoris integritas non sinit, nec in Rep. virorum & ordinum divisio: id enim sæpe obstat, & honori tuendo & consequendo: ut plerosque coëgerit seipsos tueri ab injuria, illatam violentiam vindicare, ac vitam honoris pretio, singulari certamine exponere: qua cautione, quibus conditionibus, nos alio notavimus in honoris tutela: plerisque enim ad nihil aliud conducit injuriæ tolerantia, quam ad insolentis audaciam, cum ex illa ignobilem timiditatem arguit: si injuriæ tolerantia quietem ferret, supra vires prudentiæ foret dissimulare: sed injuriatum facit frustra vivere, ignobilem aut fatuum, ac si injuriæ qualitatem aut animi fortitudinem non assequatur; quare injuria palam quam nullum occuluit ingenium, nec sagacitas, est ipso vitæ jure vindicanda: est enim turpi vita mors generosa potior; cum honor politicam antecellat, & injuria sit sacrati honoris interitus: quoniam patitur injuriam, nec inter mortuos est, nec inter vivos; Divina Numinis Patientia archicreaturæ injuriam extremo supplicio punivit, quo in æternum vapulat; nos adhuc primi parentis supplicia experimur, vix crediti unius tantum verbi, *eritis sicut Dii:* antiquissimum est ergo, immeritam injuriam propulsare, si cum orbe incœpit; nec Christus Dominus patris & suæ æstimationi non prospexit, nec de bono & glorioso nomine est oblitus; nam parcere injuriæ, pro consilio dedit, ut gradus charitatis altissimæ, inimicos diligere mandavit; sed nobilis Theologia quousque ferendum nobis dixit.

Plerisque in supplicium cessit injuriæ oblivio: nam periculum qui vidit & contemnit, occubuit periculo: multi enim anteponunt præsentia dubiis & honestis, ut grande facinus plerique audiant; plures velint, & omnes patiantur: quare periculo in principiis obsta; melius est enim occurrere in tempore, quam post exitum vindicare; Valentini Theodosii & Arcadii Imperatorum refertur: *L. 1. C. quando liceat, unicuique sine judice vindicare*; concordat illud Justiniani, in *L. finali*, & in *quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*; melius est enim intacta jura servare, quam post causam vulneratam remedium quærere: nec ita facile injuria exacta, honori & familiæ fit satis; nam in principio omnes periculo intenti, nullus obsistit, ac si nulli minaretur, & in communi miseria hic aut ille non timet, & in futurum auxilium à tempore, aut à fortuna speratur: interim casus novitas caligine suffundit intellectum, ut oculus novitate perculsus, non videat periculum, usque dum sit necessario pereundum in illo; tunc enim insipientes pigritiæ sese produnt errores, cum pœnitentiæ jam non datur regressus; nec aliqua solicitudo valet, ad perditum honorem recuperandum. hi soporati dormiunt, & solum expergiscuntur cum mori appetunt.

Qui quærit, occasione, loco, & tempore honorem restituere, excusationem meretur, nec debet infamiæ damnari: nemo enim ad impossibile tenetur; nec est de vilitate arguendus; sed illud alte perpendat, quod nil est festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto est opus: virtus enim fortitudinis est honestis consiliis rubor; sine hac omnia, quamvis egregia, invalida; stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala differuntur; consilium deliberatio excipiat; nam omnia quantumvis valido conatu, incepta initiis valida temporis spatio languescunt; prudentia docet occasionem; nam morosæ cunctationi dare nomen prudentiæ falsa opinione, melancholici consueverunt; pars potior honoris confuso naufragio, popularis sententiæ submergitur, nam confusionis voragine absumitur; præceps elabitur occasio, dum insana ignavia hominem occupavit; cum enim de occurrenti discurrit, jam præteriit: *Quoniam*, ut belle dixit Bion, *in idem flumen bis non descendimus*: nec debent momenta parvi pendi, cum ex illis fortuna æternitatis pendeat; qui ab origine fluvii viator cœpit iter, illum parvo in alveo, & torrenti, antequam altam miretur profunditatem, transcendat; fortassis enim postea transitus periculum obstabit, si non impossibilitas; sæpe convenit hostiliter pugnare, & non ad arma currere, nec speciosa rationum audire; honor enim filo rationum non sarcitur, est enim sicut vitrum honor, quod rumpitur, non finditur: hoc Romulo consilium cessit fœliciter; mora sine fructu Sabinis: sed neque sine lacrimis; potissimum remediorum est celeritas, ubi hostium potissimus est tempus.

Sunt plerique morbi adeo desperati, ut nec extremis auxiliis medeantur: quo in statu, in temeritate elucet spes unica; *Nam quos ratio non restituit, temeritas adjuvat*; dixit Celsus: ideo plerique viri, honore jam deperdito, temerario certaminis auxilio, exposuerunt, (postuma fide & fatali exemplo) vitam & honoris salutem.

A Singulare certamen provocare, nulla honestat ratio, si utili communi non conducit, aut sub honesta lege: communis tamen error ubi publicus factus est, impellit quadam veluti necessitate ab hominibus ficta: non enim existimat qui verbo violatus est, aut exprobrante opere; posse in pristinam dignitatem restitui, nisi prius contumeliæ illatorem provocet in armorum certamen, ut ibi aut illum confiteri compellat, in justitiam facti; sin minus, interficiat; neque honestum ducit, injuriam persequi in judicio: non est, inquit, viri fortis, cum eo jure contendere, quem manu & ferro possis opprimere: B nullum est enim in legibus honestum virtuti præsidium, sed quoddam subsidium imbecillitati, necessario constitutum: ideo ne ætatem in armorum studio consumpsi, & tam multa facinora edidi militaris virtutis, ut post tantas res valore & laude gestas, sit mihi instar cujusdam viduæ, judicum auxilium implorandum? tum certe majus dedecus in me ipsum acuerem quam illud ipsum cujus macula mihi, vel cum vitæ periculo, diluenda est.

C Certum est enim vitæ non parcere debere, dum dignitati consulam, neque valeo in statu vindictę tantum ad præcepta Ecclesiæ attendere, quam ad id quod exploratum habeo; nihil nempe esse viro indignius, quam pati contumeliam, & ab ulciscendi studio, religione aliqua dimoveri; nam me omnes ut divini honoris oblitum æstimabunt vilem, abjectum & infamem; quid multum, nunc intendo egregium honorem adipisci ordinis militaris; & mihi denegabitur, nisi ultus injuriæ; quæ ergo lex, me poterit damnare, si me D lex honoris & ordinis militaris absolvit: aut ergo se ad pedes meos abjiciat, erratique veniam supplex petat, ut ipse subeat infamiam; ego dignitatem meam recuperem; aut si hanc conditionem renuat, ad pugnam se accingat; vitari enim summa contentio non potest, in qua si se prius non dederit, in gladio peribit, & ego veritatem ostendam; aut fortiter & honeste occumbam.

Si forte non compareat, illum provocat literis & libellis per omnia compita muris & plateis affixis, & multorum testimoniis consignatis: proE vocatus autem, tyrannicis populi legibus coactus, oblati certaminis conditiones recusare non valet. Hæc est horrida facies tam barbari certaminis: hæ speciosæ magis, quam veræ rationes, fortissimos, ne dum prudentes viros commoverunt, ut communem errorem sequerentur.

De hoc etiam extant pleraque nobilis vetustatis monimenta: lege quomodo Pallas, apud Homerum, Telemachum incendat; & Orestis incitet exemplo, qui singulari certamine patris necem vindicavit:

F *Nec jam res tantas puerili mente retractes,*
Nonne vides quantum nomen sit adeptus Orestes,
Cum patrem ulciscens, vita spoliaverit illum,
Qui scelere infando patrem demiserat Orco,
Te decus eximium præstanti in corpore tandem
Excitet, ut magno laudum capiaris amore.

Quid mirum, aliam contentionem susceptam honoris ratione, in vetustate legimus, in medio armorum discrimine: Tlepolemus Lysium Sarpedona convitiis insectatur, quod falso Jovem sibi patrem asciret; quam vanitatis maculam Sarpedon ille, non tam dictis quam factis delevit, egregio

egregio valore; à Tlepolemo enim viro fortissimo & Herculis filio, vitam singulari certamine eripuit, ut perditum honorem instauraret, ac in se infamiam deleret: nec ulla re, magis judicavit se posse egregii generis celebritatem tueri, quam illo virtutis & nobilis valoris documento.

Primus qui legitur singulare certamen permisisse, sub definita lege, quam dicimus *Duellum* inter duos; est Africanus Scipio, ut refert Titus Livius: Is cum feralia, patris & avunculi Scipionum, Hispaniæ Carthagine obiret, quos tegit unicum aræ pavimentum Tharacona, unica urna capit, duos excepit juvenes in Hispania ex nobili & antiqua Celtiberia, apud nostros hodie *Cataluña*; unus erat Ursua, alter Corbis: ille urgebat illum super jus majoratus: quod cum alter ab altero ullo ingenio consequi non valeret, nec per judices arbitros: ad invicem ambo jus hæreditatis armorum judicio detulerunt; & judicem constituunt Scipionem, ut viritim singulari certamine jus finirent: in cujus conspectu, omni solemnitate uterque decertavit, lato & brevi gladio, & ancili rotundo, (arma Hispaniæ antiqua.) ac tandem Orsua concidit in barbaro certamine, licet heres legitimus; qua fortuna Corbis obtinuit in pace majoratum, (barbara & injusta lege.) legitimo enim hæredi nec profuerunt arma, nec justitia: & hinc in posterum invaluit singulare certamen; sed illis tantum in rebus, ubi honor jacturæ periculo laborat: & non potest aliter honestius, nec justius componi, aut restitui; id tamen nullis præscriptis legibus: usque dum postea in tempore Gothorum, Longobardi, sub legibus tam barbaro certamini viros suos immolare cœperunt, (nefanda piaculi consuetudo) & ab iis orta crudelitate moris nefandi, Italis colonis suis & aliis provinciis tradiderunt; externamque & barbaram devotionem in Deos territi, nec minus terribiles, & nostri, & plerique Gallorum usurparunt; quia miseri aut anxii mortales, terribilia & incognita remedia, arcanam vim habere existimabant, fœdæ sævitiæ auxilium implorantes, & sævioris numinis, quod tam turpiter placari amat, cum deceptæ mortalitatis infamia: inde prava exempla, (hæc enim ab hominibus avidius sectantur) in orbem dimanarunt; quæ ut breviter cognosci possint, ab illustribus selecta auctoribus, deligere constitui, ex domestica peregrinaque historia: hæc enim belli consuetudo ab iis temporibus Italia celebratur, & viget apud nostros & Gallos: illa omnia quæ ad *Duellum* pertinent, & leges & exempla, si tibi placet legere, vide *nostram exhortationem ad honorem pro filiis in America degentibus.*

Decade 3.

Optimæ resolutiones, magna expedientia, raro ad necessitatem repente decernuntur: nec res magnæ ex prima vice fiunt: sua cuique pericula circundant: si tibi non datur eligere quod optimum pari securitate, sit consilium tibi, minus malum eligere, sive boni dimidium, si bonum divisionem patitur: hostem debellare sæpe convenit, (saltem cum propria defensio id permittit) nunquam sine periculo potest: ac ideo sagacitas tempus eligit, occasionem & media, & non præceps vindictæ desiderium; nisi repente securior sese ferat occasio; solebat dicere Fabianus; rebus in seriis non esse subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem, sugillationem esse evellendam, non vellicandam; quare, imminens periculum, antequam adveniat, præoccupa: est enim pars victoriæ, primus qui præoccupat valor.

Omnes accurrunt, ubi majus se ostentat periculum: interdum id præ timore accidit, in quo ad cor refugiunt spiritus & sanguis, qui concitant, non ducunt; sed repentino, & non præmeditato auxilio sæpe offendunt, aut mortem aut periculum: ac ideo antiquos ignavæ cunctationis errores recentibus & majoribus impatientiæ, compensare non laudo: nec ob honoris zelum imprudenter cœco impetu ruere: currunt enim sæpe homines ad vindictam præcedentis injuriæ, ac in novas miserias se præcipitant: nam cum non valeant iræ suæ inimicum destinare, irruunt imprudenter in alios, quos pœnituit aggredi: tunc enim vehementissimæ passionis insolentia totum hominem rapit: est enim intolerabilis vindictæ desiderium: quoniam tres miræ profunditatis affectus in animo producit; primo enim ex animo abolet amicitiam; secundo, honoris concitat stimulum; tandem cor solicitat lucrum: non foret grande malum necessitate compelli ad vindictam; hanc plurimi necessitatem optant, & illam honor ex tempore solicitat; & ex parvo principio occasionem fingit: vindictam, gloriam dixere, furiosi gloriosum victorem; sed isti ad solam vanitatem attendunt: hanc illi artem homines docuerunt, quos gloriæ vanitas, & non virtus solicitat; qui cum honestæ rationis talenta non assequantur, appetunt inter sæviores bestias numerari; non enim ob honoris æstimationem operantur, cum illius cognitione careant, sed ob quoddam splendoris simulacrum, aut ob innatum genium: vulgus plausu hoc genus gentis creat, at plausibilem gloriam excipiunt, prava Reip. exempla: nam quos vana extollit elatio, validius ad fœda facinora præcipitat. Sed vana æstimatione elati, nunquam à civitatibus deficient, donec falsæ gloriæ præpediatur iter, adversus veram pateat: quod tunc videbunt principes, cum valori præmia largiantur, & honorem extollant: sed illud gentis genus in Rep. semper erit vetitum, semper admissum: non multos detineret obstinatio, si indulgentia generosi valoris, in vulgari sententia, honoris æstimationem non minueret, cum minuit delicta: quæ divino Tribunali graviora redduntur; sed cum ignoscimus Humano Tribunali, in divino dolentur, si hæc dolet justitia.

Impatientiæ errores deteriores judico quam cunctationis; tutius est enim malorum principia excusare, quam obsistere: neque minus consultum, astu res externas moliri, arma procul habere: nam inconsulti impetus, capta nihilominus mala sunt æstimanda, licet fœlicem exitum sortiantur. Quoniam impetus semper amant extrema; nec habitat prudentia, ubi discursus deficit: frigoris & non caloris filia est prudentia: non præoccupentur animo concitato occasiones semper, sed pacato spectentur: qui enim in furore oppugnat bellum, à jactura incipit, affectui satisfacit, non obligationi: nam prius à propria fragilitate expugnatur, quam ab aliena fortitudine: quare impetum generosa tolerantia in occasionem

nem cohibere, generosi animi est; ideo est potius verenda, quam despicienda valoris tolerantia: superior est cæteris hominibus ferendo generosus; quoniam generosi animi ferunt præsentes injurias; aut sola vindictæ spectatione, videntur non sensisse: furorem in ultionem condunt, non ut furor exhalet, sed ut repressus rumpat, ceu pulvis tormentarius: tunc enim simulatio non meretur opprobium, si in oblivionem non mutatur, sed ad tempus differtur: nec illa pejor erit, quam dum erit oblivio, nec melior, quam cum talis appareat.

Iram natura indidit ut nos ad meliora excitaret, & se ab injuriis tueretur, periculis obsisteret; id nos *Ibidæ* docent; parvi serpentes, (ut retulit Solinus,) sed præsentis veneni, ad Arabiæ fines, certo tempore anni, ex limo concretarum paludum enascuntur, & magno in agmine volitantes littus petunt Ægypti: hos tamen adverso agmine *Ibidæ* Ægyptiæ excipiunt, & rostris ad prælium provocare non dubitant, ne illarum veneno polluantur, ac tandem illas importuno certamine & validis congressibus conficiunt: nam vim vi repellere licet: est enim hominibus & brutis naturalis tutela: quare cum nos adoritur vitæ, aut honoris injuria, non semper ferre licet: honorem semper augere decet, & claritatem nominis: non enim datur augmentum, ubi non datur motus; nec in pace aluntur civitates, neque crescunt, sed veterum ruina, recentes plantæ ex radicibus & umbra vicinarum detinentur, ne efferantur sursum: sæpe facilius est, universos impelli, quam singulos vitare: res non ad nutum cessere meliori usis fide, quam fortuna.

Vindictæ desiderium superat cæcum amoris ignem: comitatur audaciam, complanat præcipitia, valles & montes difficilis & ardui certaminis, & superat & æquat: non timet furiosus, quia vindictæ objectum aspicit, tantum qua potest lædere: non media considerat, semper finem intendit: cœco impetu ruit, quia præcipitem non agnoscit ruinam: auxilio in cor ruunt spiritus, & suadent se supra vires posse, & cum confuse ruant, minus solito valent; de solo furore cogitat qui exarsit injuria, sola aqua vindictæ satiatur; remedium in præcipitio quærit: sanguine, ignis ardorem extinguere conatur, naturali fortasse sympathia; ac sola in spe vindictæ delectabilis quiescit, si non frigore timoris contabescit: non est ferendo fortis, qui ab hoc desiderio superatur: quoniam sub undis inconsiderationis, fluxu & refluxu perenni, agitatur: nam temeritas se ipsam acrioribus stimulis, & sine fine provocat, & animum tristioribus lacessit & explorat: hæc prava generatio inundationem super terram induxit, & in individuis invenitur semper luciferinis: nam iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscuntur.

Nullam nominis celebritatem vindices meruere: adhuc celebrat plausu nostra ætas viros illos illustres, quos nobilis & antiqua vetustas, ex generosa Tolerantia extollit; & commendat posterorum exemplo. Mirabili animi fortitudine, Otho, imperator libellos epistolasque studio erga se aut Vitellium, contumeliis insignes abolet; ut fecit excelsa, & exemplari patientia Antigonus, & primus ille Cæsar, quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad ulciscendum potestas: cum Antigonus male dicentes audiret, longius, inquit, discedite, ne vos Rex audiat. Idem etiam cum quadam tempestuosa nocte, male deprecantes audiret, in lutoso cœno, pluvia & caligine oppressos sublevare accessit: nunc, inquit, male dicite Antigono, cujus occasione in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos à tanta voragine eduxit: illa autem fuit vera & incomparabilis animi sublimitas, ubi captis apud Pharsaliam Pompeji magni scriniis epistolarum, iterumque apud Tapsum Scipionis, concremasse ea optima fide, atque non legisse. Haud dissimile Lepidum temporibus illis gravem & sapientem virum, fecisse comperio; nam pleraque ab sævis adulatoribus aliorum in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit: habet enim hoc optimum in se generosus animus: quod concitatur ad honesta; neminem excelsi genii virum humilia delectant, neque sordida: magnorum virorum species ad se vocat, & extollit, sicut flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest; ut nec contra pondus palma. Rogatus Aristippus, quid sibi ex philosophia comparasset, omnibus, inquit, fidenter loqui. Fateor quod ferre sine amaritudine est ultimæ perfectionis gradus: sed illa generosis in ipsa patientia dulcescit.

Pro Deo, pro fide, pro Rege, pro patria, pro honore, & amico est tolerandus labor: & ne palam fiat quod secreto mandavit, si in hoc periclitatur vita aut amici æstimatio: hic enim est actus tolerantiæ, non amoris, virtutis generosæ, & non benevolentiæ: nam qui judicat, amicum plus se ipso diligere, in se ipso decipitur, licet vitam & honorem pro amico exponat: hoc enim non est amicum anteponere; sed quod sola virtutis bona ut talia considerat: & ista melius consequuntur, quando fortunæ bona pro amico perduntur: quare semper tolerantiæ virtus in hoc amoris actu antecellit; (ni id prævertat noster insitus amor;) si lucri imperfectionem non admittit: nam hic tantum ab imperfecto distat, quantum à bonitate lucrum. Hæc eadem illusio comparavit, (proprii nempe amoris,) ut super mortuos flere, sit injustius cum videtur clementius, & tunc magis, quando minus debetur; nos debet lætari mors justorum, & contristat, & malorum lætatur, quæ nos debet magis contristari; (sic enim omnia noster amor confundit,) actus est invidiæ, non amoris, amici mortem flere; cujus merita in salvatoris sanguine gloriam meruere: vera tamen illa pietas erit, pias lacrimas fundere super impios, si æterna tormenta delictis æquavere; universus orbis laqueis implicatur; & si vitam non decet desiderare justis, ne forte ruant in pejus: hanc pium erit optare impiis, ut evadant tempore meliores; si propter lucrum flemus, majus est in Deum, quam homines flagitium; omnis illusio, à sensibus corporeis emanat: in terra omnia lucri cupiditas confundit; est omnis fœlicitas caduca; adhuc supra se animus elevatus, animam non ut decet considerat, quia non ut decet cognoscit: & voluntas falsa illusione non appetit, quod optimum & pulcrum sed apparens; intellectus consuetudine patiendi à falso,

ſo, non patitur à vero: nam tempus rerum perennitate, quando illius pulcritudinem minuere non valet, ſaltem admirationem tollit; quia habitum fingit, & hic actus facilitat, ut intellectus, ſine reſiſtentia operetur: quia ſine reflexione, amor, aut rerum æſtimatio minuitur, aut deficit: ob hoc fortaſſe pulcriores fœminæ fiunt minus fœlices; vel forte quod ſatis illis fœlicitatis ipſa natura dedit in pulcritudine, ut res humanæ ad pondus partirentur.

Multum patitur privus amicus Regis in pondere curarum, ſed illa tolerantia, ut plurimum non eſt actus virtutis; nam plus valet majeſtatis illecebra, ambitio, ſive lucri cupiditas, ad inliciendum animum gubernantis, quam ipſa nuda virtus, quæ actum benevolentiæ præſupponit, altius radicatæ, aut inſiti amoris qui non conſequitur niſi temporis ante acti longa conſuetudine, in animo multis aliis virtutibus adornato; præterquam quod ſemel acceptus labor non ſemper ob clarum virtutis ſplendorem ſuſcipitur; frequenter ob æſtimationem vanitatis, ne (ſi ab incepto deſiſteret) de vilitate animus arguatur: ſi vero privus vita ſua principem ſperat ſuperare, in futurum aſpiciens, ſe præcipitat, & benevolentiam non meretur iſta conſideratio; nam intendit ſolo proprio utili: hos tamen ſolus principis amor deſtruit, nec cadunt ſuper amicorum brachia, ſed ſuper lanceæ mucrones, & linguas triſulcas popularis nequitiæ, incautæ inſolentiæ: non minus enim affectus corrupti animi ruinam parant, quam corporis: non ſunt motus naturæ, ſed interitus, nec prius corrumpantur; nulli mortem licet eligere: eſſet fœlicitas, ſi uterque deficeret in puncto, & princeps & amicus; durum certamen eſt mori, ſed durius principis mortem experiri; nam cuncta mortalium incerta: & multa fœlici conſenſu audiuntur, quibus omnia principis & amici honeſta aut inhoneſta laudare mos eſt; ſed plures iſta poſtea excipiunt, pro ut conſulit labentis infœlicitas non pro fortuna vitæ antecedentis: nam cadente illa fœlicitate, qua nitebatur plauſus (fallax humani favoris ſimulacrum,) ruunt fortunæ opes, honores & divitiæ: hominum æſtimatio & acclamationes vertuntur in opprobria: qui antea plaudebant, hodie terga vertunt, & ignorant; amicitiæ & ſacri hoſpitii leges violantur: nam quos fœlicitas & favor amicos comparavit, tot facit inimicos exoſæ ruinæ infœlicitas.

Heroum cum plauſu decet adjuvare facinora, (utpote viri in ferendo illuſtres) ne illa alta aboleat oblivio: nam mirabilia adorat reverentia, & opera plauſu & collaudatione illuſtriora fiunt; virtus etiam apparentia commendatur: & hæc non fruſtra, ſi ad exempla fiunt: parva nobilitare, puerilia, & obſcura, riſum provocat: media quæ valor de potentia æſtimationis educit, conducunt ad exemplum: & maxima ad gloriam: nil æque virum reddet plauſibilem, quam nobilis & generoſa tolerantia: nihil æque domitorem fortunæ, quam conatus undique imperterritus: nulla enim major invidia fortunæ fit, quam æquo animo; nam qui ante conflictum belli congreſſum timet, à propria perſuaſione victus cadit, & victoria quæcunque vox hoſtilis reputatur: & inter ſuos quicunque motus fuga; animum infringit aut intendit perſuaſio: qui de propria æſtimatione pugnat, ante congreſſum ſuperat: ſed cadit ante illum, ſpe anceps: illa tamen eſt omnis politicæ & omnis œconomiæ exceptio: hic præcepta deficiunt, nulla valent exempla; nempe ubi fortuna deficit: aut ubi hominem extra communes regulas ducit lucrum: in hoc enim ſtatu neque valet conatus, nec generoſus animus; nam ille ſibi in ipſo valore mortem parat: hoc autem ſolo timore cruciat, aut ad incerta ducit, & impellit, neque ſinit attendere quæ in occulto latent: ſit exemplum Amulius Latinæ ditionis heres, qui ab oraculo augurium accepit, ſe à nepote orbatum iri imperio, & juriſdictione: ideo ille Numitorem fratrem interfecit, ac filiam inter Veſtales condit, ne ex illis ſucceſſio haberetur: ſed fatum adhuc inter Veſtales ſuperat lucri cupiditatem, Amulii Tyrannidem; quoniam ad manus nefariæ prudentiæ ceſſit lucrum, vel ad Martis libidinem: oritur enim Romulus ab inceſto, ex Marte cum Amulii filia Veſtali: (fœdere & jure divino violatis) ut Numitorem & matrem vindicaret; nam Amulium avum de imperio & poteſtate orbat.

Inter columnas ferendi & imperandi longe difficilis verſatur gubernatio, veluti in cardinibus politicæ, parum ſecura, minus fida, ſemper ingrata, & ubi quævis infœlix actio multis nobiliſſimis præponderat: ut ſit ſemper ſibi gloria, ſibi ſemper ſupplicium; ſi eſt nimis acris imperandi licentia, irritata patientia exbaliſtat; ſi ignava, licentioſa, Remp. vitiorum congerie corrumpit; ſemper vulgum ad deteriora videbis declinantem; nam quem hodie dilexit, die ſequenti odit; erit fortaſſe in principe ſecuritas; hanc prius inconſtans mare dabit; princeps enim voluptatis regula actiones metitur: nonne plerique principes amicos elevant ut præcipitent? ne forte ſucceſſori contingat, ad nihilum redigere quæ ipſe generoſa manu creavit, vel adjecit: & ſic zelo præcipitat, quod vana oſtentatione & regia majeſtate majeſtuoſum dedit: & quod calore fovit, per hiemis rigorem zeli ſui abſcindit.

Reip. barbara diſſonantia confuſæ, divina harmonia & perfecta ſymmetria, intellectus politice inſtructi, & placido genio moderati medebitur; nam ſicut pulcritudo, (harmonia perfectiſſima) ex proportione & ſymmetria membrorum oculos allicit, quia bella, voluntatem, quia bona, intellectum, quia vera; ſic intellectus harmonia, (perfecta animi pulcritudo,) obedientiam inſita pulcritudine conciliat, ſocietatem fovet, & barbaram ferociam demolitur: ſic fertur, Amphionem & Herculem harmoniæ ſuavitate lapides dimoviſſe, & in unum locum conduxiſſe, hoc eſt homines barbaros & incultos, in communem ſocietatem reduxiſſe, ſola intellectus harmoniæ dulcedine; ſic Herculis imaginem à Vincentio Cartario videmus exaratam, quam refert Lucianus, ubi ſenex videbatur decrepitus, calvus, paucis capillis, coloratus, fuſcus, & rugoſus, leonis pelle indutus, cum rhopalo id eſt, clava, dextera, ſiniſtra arcum tenens, pharetra ex humeris pendente: catenulis vero ex auro & electro, admodum tenuibus linguæ ſuæ extremitate perforata, inſertis, maximam hominum multitudinem non invitam, ſed ſponte ſequentem

fol. 228.

quentem auribus alligatis trahens: quo eloquentiæ vires adumbrari est perspicuum, quam Galli Herculi tribuebant; qua magis quam corporis viribus eum pollere credebant. Homerus orbes cœlestes cum luna, sole & stellis appellat pulcritudinem; & est certe pars harmoniæ divinæ, quam æternæ circulationis sphærarum aspectus, cum stellis inducunt, ob æternam obedientiam & imperium; nam animos (nobis ignota causa) si non compellunt, alliciunt & inclinant; raro divina providentia, perfectiori corpori pulcriorem animam destinavit, ne forte animi pulcritudo naturalis harmonia crederetur, aut cœlestis influxus, aut corporis perfectio; nisi dicamus, quod est fere semper infœlix pulcritudo, deformitas fœlicior; quod sat sit fœlicitatis in harmonia: in ipsa pulcritudine, & quod fœlicitate suppleatur deformitas; ut res humanæ ad pondus partirentur: partite enim juvat fortuna & natura, quæ interdum majoribus deservit; ita quantum valida Augusto fortuna in Remp. ita domi improspera, ob filiæ & neptis impudicitiam, quas urbe depulit, adulterosque earum morte punivit. Nam contrariis studiis, rebus humanis, natura & fortuna incumbunt, & quadam veluti Zelotypia, imperii & æstimationis, (dum utraque sibi jus arbitrii vindicare conatur;) efferantur; nam quos natura ditat, & donis præclaræ excellentiæ exornat, hos fortuna persequitur, inopia infœlici in angulo sedere cogit, obscurat, ac dolere de hominum memoria intendit; si hos fortuna beat, & suis lactat donis, aut solatur, grata fœlicitate, illos natura destituit, rerum æstimatione & judicio; & facit aut inopes ingenii, aut omnis humanæ pulcritudinis egenos: illos enim natura contumacia efficit insolentes, aut vili timore, seu execrabili avaritia miserabiles, aut claudos, aut deformes; hujus rei causam viri Athenienses enixe quæsierunt, quam ab Apollinis oraculo mirabili acceperunt emblemate, quem tu leges (si tibi cura est) *nostro Anti-theseo*, non longe à principio.

Tacit. 3. Annal. 5.

Musica Dæmonem pelleret, si corporeus; harmoniam enim non feret illius dissonantia; hanc induxit peccatum, & turbavit harmonicam symmetriam, & inter utramque proportionem induxit dissonantiam, portas malis aperuit, ac mortem tandem intulit, inter dissonantias ultima; salus in temperamenti harmonia consistit, & in illius destructione morbus: in ætatibus per septena climacteras temperamenti induxit dissonantia: à medicamentis etiam non sanamur, si major dissonantia quam proportio: omnibus malis musica mederetur, si eorum proportiones ad unguem consequi valeremus: & si illis daretur consonantia, quæ è diametro pugnaret dissonantiæ; si musica acroamatica commovet atram bilem, & ad furorem ducit, quare contraria furorem non frænabit; Thracium Cytharœdum, ad inferos descendisse fertur, ut sub umbris harmonia Eurydicis animam secum duceret: suavitate cytharæ animas delinivit, Tartari potestates harmonia suspendit: quo illi tantæ miseriæ condolentes consortem pia dissimulatione tradi jubent: admirationem celebriorem fecit postulatio, rei novitas plusquam harmonia: uxorem nempe maritum ab inferis repetere; non potuit enim uxoris desiderium in turpiorem locum Cytharœdum perducere: tortores & contorti novitati perculsi, immoti constiterunt; & Ixionis rota ad postulationem constitit obstupescens: & solus Cytharœdo sua & omnium tormenta patiebatur; at in communi ecstasi, uxorem delusus apprehendit: an sana mente constans umbram amplecteretur, non vidit, sed umbræ simulacrum disparuit; nam infœlix Thracius protinus uxorem amissam deploravit, ut uterque perditus videretur.

Si malorum peculiaris natura, suammet consonantiam persentiret, sic pariter concitaretur, ut nervi à temperata ad perfectum unisonum: hanc nos docuit veritatem, natura in morsis à tarantula, venenoso araneo, cujus venenum non antea infringitur, quam à propria consonantia excitetur ad sonum cytharæ saliendo; quæ peculiari consonantia illud valet depellere: nam morsi sono audito, tripudio concitantur, quo illud excitatur, & pellitur venenum: non solus iste morbus, sed omnes alii mederentur, si omnium consonantias ad unguem noverimus; profecto si quis tanta musarum arte diligentiaque concentus offerret auditui, quanta naturæ artisve circa vel sapores gustui, vel mollia tactui offerrentur, proculdubio noverimus Apollinem multo magis animum rapere melodia, quam vel Bacchus vino gustum, vel Venus proritu tactum soleat occupare; sed peccatum naturam non ad miseriæ tantum, sed ad ultimum ignorantiæ reduxit, quæ faxit ut Medicum consulat, qui musico necessitat; sic etiam in politicis, si perfectam noverimus symmetriam, morum dissonantiæ oppositam, perfecte moribus mederemur corruptis: sed ut plurimum deficit rerum intelligentia, excessu vel defectu, nempe passionum excessu, intellectus defectu, seu seducente lucro; ut Socrates, nec Plato, illud excelsa intellectus harmonia consequi non valerent.

Laborum patientia plerique in periculis validi, valore proprio arma aliena, ut strutii, in propriam substantiam converterunt: sic Gustavus Adolphus, Sueciæ Rex, sibi exercituum devotionem alliciebat; hæc tamen non est fida politica; nam Patroclum exitio Achillis destinavere arma, & fortasse Gustavum aliena.

Anno 1631. usq; ad 40.

Virtute adornat fortuna parvulum, ut superet Gigantis fortitudinem: forte quod in minori cordis spatio magis unita virtus; nam breve corpus cito penetrat ignis, quantumvis moderatus, cum fere à majori sparsum non tepescat; hæc vulgo à philosophis accepta referuntur: nobis ista non placent, quoniam animi fortitudo formaliter in corde non consistit, sed in cerebro; illam enim alit imaginatio, in qua insidet timor & audacia: nam ira temeritatem alit, non fortitudinem, dum est fervor sanguinis circa cor; nec est idem, temeritas ac fortitudo; illam enim producit cordis impetus, sub ardore flagrantis, dum rectrices potentias præcipitat, ista vero versatur circa metus mediocritatem, & fiduciæ, ut dixit Aristoteles: utraque vero consistit in imaginatione, non in corde; illa dum depravatur, hæc dum à moderato non excedit; metum enim mali expectationem vetustas definivit, malū expectat animalis potentia, cerebri, non cordis gentilitia; prænuntia furioso temeritatis est longa tristitia, longus

2 & 3 Ethicorum utrobique cap. 6.

longus timor furoris, ut dixit ille maximus Medicorum, quia cerebrum ad calorem disponit, calidis fuliginibus, punctionibus lacerat; quo ejus potentiæ depravantur; calore cerebro, non corde lacessito: illud est argumentum quod cerebri rectrices potentiæ depravantur; nam si solus cordis calor sufficeret; febrientes semper forent audaces, irati valentissimi.

Nihilominus ad fortitudinem duo prærequiruntur, antecedens cognitio, & imperium animalis potentiæ, quæ in cerebro residet, & concitatæ irascibilis impetus generoso ardore, quo ferantur periculi labores; qui affectus in corde moratur; quid enim aliud reddit homines ad ferendum idoneos; forte parvulum cor? quod magis incalescat; non ædepol, sed certa intellectus suasio, periculi despectus, & mali expectatio, quo suadetur, se aliter non posse devitare periculum; quam obviam morti & periculo ire: quare timidis conducerent exhortationes, in valoris eclipsi? cor fortasse validis rationibus incalescit; an persuadent mentem rationes? quis dubitat, quod ignarus periculi, est audacior? ideo sapientes, non sunt validiores; hæc tamen per gradus metitur fortitudo; nam quæ ad audaciam declinat, est furoris species, quam cerebri, non cordis calor concitat, cum rationis adimit libertatem, in discriminis aut in mortis periculo; nam qui discurrit in prælio, omnem perdit audaciam, si omnia pensat quæ evenire possunt: quidquid dicant Philosophi, quod animosus est qui periculа novit, ut illis obviaret; in justi aut honesti tutelam: hoc enim intelligitur, cum ante conflictum à longe intuentur pericula; invalida fortasse inter illa; ut de gladiatoribus nobis dixit vetustas: quia multo antea agnoverunt pericula: cerebrum ergo & cor simul sunt audaciæ fortitudinisque & causa & principium: forte quod vegetantis & animalis actionis origines.

Si vero ad rationis extremum fortitudo declinat, tum ratio imperat generoso ardori, tum coërcet quæ metam rationis excedunt: sed quia raro simul assistunt, rerum intelligentia & generosus ardor, raro virum fortem & sapientem una ætas acclamat, licet pleræque ætates illustrium virorum sint feraces; quod tunc maxime accidit, cum hos creat aut cœlestis influxus, aut principis exemplum: vidimus enim sub Carolo Quinto, Imperatore maximo, viros militari disciplina illustres, valore, & sapientia floruisse: sub Secundo Philippo, sapientia clara, Politicæ & civilis sapientiæ præmia emeritos: hac exacta ætate, sub Tertio Philippo, Olympiacis Ludis, in otio fœlici, haud inglorie plerique enituere viri: sed sub Quarto Philippo, lucralis arbitrii gloriam adoraverunt homines; nullo enim illustri certamine floruit nostra ætas, usque ad annum 1643. quod invalida & oppressa Resp. sub unius arbitrio; postea vero principis exemplum, viros nostros, (licet non omnes, quod essent otio inerti enervati) ut alios exteræ nationis, ad nominis celebritatem & gloriam excitavit, sub duro Palladis & Martis exercitio.

Non circa omnia difficilia ardor generosus versatur; sunt enim pleraque mala, quæ vir fortis metuere oportet; & est certe honestum, formidare; non metuere, turpe est, ut dixit Aristoteles, infamiam: nam qui timet, probus & verecundus est; qui non timet, impudens: ideo à viro forti majori animo adversa tolerantur, quam relinquuntur; neque si quis pro filiorum atque uxoris pudicitia timet, aut invidiam metuit, aut aliquid tale, timidus est: neque etiam fortis, si cum est verberibus cædendus, confidit: circa quæ igitur vir erit fortis? nemo etenim tolerantior est malorum viro forti: erit fortasse circa mortem? est enim illa omnium maxime terribilis: non circa omnem mortem est vir fortis: non enim circa illam quæ in mari contingit, aut in morbis; sed circa eam quæ pulcherrima est, qualis in bello accidit: in maximo namque fit, & pulcherrimo profecto periculo, quo etiam pulcherrimi consequuntur honores à civitatibus, & à Regibus constituti. Is igitur homo proprie *fortis* erit, qui circa honestam mortem, & ea omnia quæ repente eveniunt, atque afferunt ipsam, interritus est: talia vero sunt quæ in bello contingunt, & circa honores & inhonorationes versantur: quin etiam in mari & in ipsis morbis vir fortis timore vacat: ii etiam fortiter ac viriliter agunt, in quibus vires aut valor habet locum, aut honestum est mori.

Dicet fortasse aliquis, non est idem universis terribile, quin imo pleraque superant hominis facultatem: nos hominem dicimus juste ferre, quod est homini sanæ mentis terribile: quare fortis impavidus debet esse ut homo: & is timebit quidem quæ formidari debent, verum ut oportet & ut ratio dictat, si honestatis causa tolerat, quod est virtutis finis: qui ergo sub hac regula & metuit & tolerat, is etiam confidit & fortis est; fortis enim pro dignitate patitur & agit, ad ipsam fortitudinem pertinentia; nam qui non metuit formidanda, aut insanus, aut stupidus est; veluti terræ motus, tempestates, & principū potentiam: sed is qui circa res formidolosas exuperat, audax est, cum arrogantia, & simulatione fortitudinis: at isti præcipites sunt ante ipsa pericula, sed in ipsis quidem operibus fervidi sunt, antea vero quieti; nam fortitudo mediocritas est circa ea quibus confidimus, & ea quæ vere terribilia sunt; quia illa honestum est, aut turpe non subire, atque perferre; mortem autem sibi conscire, ob fugiendam paupertatem, injuriam, amorem, aut aliquid molestum, neque fortis, nec sanæ mentis est: sed fragilis & timidi: est enim fragilitatis & invalidæ mentis, laboriosa fugere: non enim ob honestum mortem appetit, sed quia malum fugit, quod omnem exuit fortitudinem.

Non est æqualis fortitudinis gloria, neque dignitas; non enim circa rem unam versatur fortitudo; nam alia est fortitudo civilis, alia militaris: quædam ob iracundiam; alia ob spem; postrema ob ignorantiam periculi: prima & secunda fortitudinis gloriam promerentur; sunt enim illarum fundamenta in virtute; cæteræ vero, animæ & corporis passionibus agitantur.

In illa civili fortitudine, cives ob increpationes quas ex legibus metuunt; si inde opprobria verentur, honoris pericula subire non recusant, ac ideo fortissimi, apud quos timidi, infames reputantur: Diomedem & Hectorem Homerus introducit, ex hac fortitudine gloriam perquirentes.

Nam me Polydamas ante omnes ipse repen det,

Et Dio-

Et Diomedes,

Inter enim dicet Trojanos optimus Hector;

Titydes metuens, puppes confugit ad altas.

Hanc enim fortitudinem pudor firmat, & rei honestæ gloria, nempe appetitus honoris; reprehensionis, qui consequitur fuga: ad hoc alii legum timore compelluntur; sed ob metum id faciunt, qui licet non fugiant rem turpem, abhorrent rem molestam; ideo non sunt tam magna laude digni.

Est etiam fortitudo rerum singularum peritia: ideo forte Socrates scientiam fortitudinem esse existimavit, qui hac nobili fortitudine excelluit, adhuc morti damnatus; ut Plato etiam in sua disciplina existimat: hanc docuit Æneus Seneca fortitudinem: hanc Cato Censorinus practicavit, adhuc everso Reip. statu, inter ruinas publicas rectus: ad hoc maxime valet experientia, qua se ipsos tuentur, & improvisis conatibus obsistunt; at hoc magis creat solertia, quam fortitudo, non sunt enim pugnacissimi, qui magis fortes, sed qui calliditate & valore solertissimi.

Alia etiam ob iram fortitudo: irati enim veluti feræ ruunt, & in præceps feruntur in illos, qui eos injuria afficiunt; quia fortes iracundia concitantur; iram enim ad pericula ipsa natura indidit, ideo in periculis sanguis retrocedit ad cor; ut sentit Aristoteles; ideo forte dixit Homerus; *Cor vires injecit iræ & ira animum concitavit, vis per nares expirat, ut cor ab angore liberetur.* Hæc sunt impetus soboles & generosi ardoris consectaria; hæc fortes ob honestatem agunt, & est ira ipsius fortitudinis instrumentum; feræ tamen ob dolorem feruntur, seu quod timeant, seu quod vulnus acceperint: sed illa est maxime naturalis fortitudo, quæ ob iram suscipitur, licet sit ob dolorem; nam homines etiam cum irascuntur, dolent: si vero ulciscuntur, capiunt voluptatem: hi *pugnaces* dicuntur, sed non *fortes*; non enim ob honestatem agunt, nec ut ratio præcipit, sed ob solam iræ concitationem, sunt tamen fortibus similes.

Ob spem plerique etiam fortes evaserunt; nam eo quod multos in palæstra vicerunt, fiduciam in periculis habent: nec ista est vera fortitudo, quod utrique confidant; nam ebrii id faciunt: at si illis res prospere non eant, facile terga vertunt, contra veram & honestam fortitudinem: cum honestum sit ferre, turpe & inhonestum periculo succumbere: quare fortis animi erit, interritum fortuitis, quam prævisis persistere, sine turbatione.

Est ultima ob ignorantiam fortitudo; & hi non longe absunt ab iis qui spe freti confidunt; sunt tamen illis deteriores; nam isti sine prævisione in pericula ruunt: & postea decepti, cum aliud esse noscant quam putabant, terga vertunt, primo impetu fortes, postea invalidi, periculo præterriti: hæc est apparentia fortitudinis, quæ circa fiducias metusque versatur; nam vere fortis non turbatur, nec nutat qui confidit.

Suos etiam dolores affert fortitudo; ideo non injuria laudatur; nam illos & docet superare & perferre: difficilius est enim dolores ferre, quam a voluptatibus abstinere: mors enim injuria, & vulnera forti viro molesta sunt: fert tamen quod honestum est ferre, & nominis dignitatem tuetur: & quo major est dignitas, eo dolet acerbius; aut quo bonum fœlicius: illa tamen est nobilis patientia, quæ honestatem ferendo anteponit: non tantum ergo est indita homini fortitudo, ad aggredienda gloriosa facinora, sed ad ferendum quod ratio præcipit, & honestas in bello & in pace civili; at superbam ignaviam tolerare, est plane difficilimum, sed insipientem, omnino impossibile: ad hoc enim nobilem ferendi artem nondum inveni; nam crudelius tormentum est insipientem ferre, quam cætera quæ crudelitas tyrannorum invexit: aboleant jam horribiles tormentorum congeries; fatuis torqueantur prudentes, biliosi phlegmaticis, præcipites inertibus: reor enim quod brevius & securius, hoc, quam alio ex tormentorum genere, fatebuntur delicta.

Valori & fortitudini sępe fortuna deficit, ut plurimum prudentia: quod à contemptu accidere plerique crediderunt: fortis enim nihili facit hostem, ac veluti certo superaturus, vires omnes non colligit, dum invalidus omnibus collectis viribus præliatur, & vita in angustum adacta, æquat validi fortitudinem; nam quem natura destituit valore, sæpe fortuna fœlicitate juvat; semper enim contrariis studiis operantur: ideo valorem ut plurimum sequitur infœlicitas: nil ergo mirum, si superet invalidus, superbia minuente, fortitudinis gloriam, superaturæ aliter.

Nullibi tamen magis fortunæ & naturæ oppositio observatur, quam meritorum præmiis: præmia enim emeritis denegavit fortuna, quanto emeritum natura præclaris virtutis donis cumulavit, forte quod sat sit præmii, generosæ virtutis ipsa virtus; id non attendunt homines, sed exclamant impios, & ignavos, fortunam perenni fœlicitate lactare, ac vulgi opinione fœlicissimos reddere, cum sit illa fœlicitas defectus naturæ compensatio, & generosi infœlicis obscuritas & labor, continentiæ frænum, ne virtutis excellentia, fœlicitatis vitiis maculetur.

Ipsa rerum mutatione fortuna contra naturam utitur: momento enim fortuna vertitur, quia momento res ipsæ transmutantur: inest enim rebus cunctis quidam veluti orbis: iis pravis exemplis hominis solertia edocta, est etiam fortunæ manus, quoniam illa fortuna utitur, cum hominem deprimere aut extollere nititur. Nulli enim fere ascenderunt fastigia, quos non oppositio, aut protectio alterius magni viri commendavit; nec infrequenter accidit, ut quem favor evexit in sublime, sola favoris abstractio confirmet in hac fælicitate, quantumvis jam favoris pœniteat, adjuvantem: seu quia in subsidium infœlicitatis natura compassionem dedit; seu quia jam tempus opprimendi transivit, cum humiliandi frustra quæruntur artificia; quoniam inter illa haud sane humiliantur, sed clarescunt; qui valore plauduntur, aut fortuna; ad violentiam enim manus non extendunt isti pseudopolitici delusi, usque dum omnis impleatur vafrities, & omnis violentia reddatur insecura.

Nec ideo laudo in populo plausibili blandiri: Catilinam enim Cæsar omnino deturbavit, antequam plausus aut contrarietas victoriam difficiliorem redderet, quia ubi victoria erat dubia, erat certa jactura. Exemplis politici utuntur, non ut rationes stabiliant, sed ut faciant: Napelus nisi attri-

attritus non interficit; hostilitas (si convenit) sit omnino ad debellandum, aut intra metas prudentiæ consistat: nam extollere in ruinæ auspicium, parum securitatis habet: difficulter comprimitur, qui multum antecellit; nam favor fœlicitatem sequitur; hoc est inter politica supremum; illud foret securum, si natura grandiori periculo, majorem gloriam non offerret; sani esset consilii, periculo exponere quem perdere desideras; sed quia circa profundiora præcipitia imminent altiora cacumina, parum securitatis habet generosos ad montis gloriæ fastigia promovere: exinde enim possunt pariter præmuniri ac præcipitari.

Occasio ingenuos & fortes fecit homines, & plerosque fœlices, si maxime æstimant stemma honoris generosum, ne sub honore fucato blanditia vilescant; voluptatis illecebris seducti; vir generosus honoris lumen laboris ferro, à silice patientiæ extrahit; semina inter gemmas & aurea vasa, æstimationem non fœcunditatem nanciscuntur; palmas producunt in terra macerata; quibus datur in honore proficere, quies est imperfectio; est enim soli Deo perfectissima quies, quod augmenti non capax; summum attingere celsitudinis nobis non datur gratiæ; nam dimidium actionum nostrarum, in manu aliena libratur, & alterum in nostra; quot celsitudini habiles bustum operuit, ante animi generosi ostentationem: bonorum virorum ruina ex numero malorum oritur, non quod mali semper, sed quod imprudens zelus sub hypocrisi falsa hos præcipitet; nam falsum à vero palliato difficulter distinguitur.

Cæteris hominibus vehementius principes suis passionibus agitantur, quantum potestate & imperio excellunt; nam imperium subditos adulatione, libidine, & obsequiosa majestate metiuntur; ideo ægre ferunt, si homines, & feræ servitutis ignaræ, & adhuc elementa, imperiosæ majestati non cedant; est hydropis species imperium, cujus indigentia, nec omnis aquarum servitutis illuvie satiatur; & subditus è contra, nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre potest; sed hoc medio utitur, non ut serviat, sed ut secure vivat, semper memor pristinæ & gratæ libertatis. Quomodo enim pessimis imperatoribus, dixit Tacitus, sine fine dominationem, sic etiam cuivis egregio modum libertatis placere: non tantum hominum corpori & divitiis mali principes dominari affectant, sed omnis servitutis impatienti animo, jure naturali violato. servitus enim non in totum hominem descendit: corpus est, quod emitur & venditur, animus imperiosæ libertatis domitor mancipio dari non potest.

Hoc libertatis nomen plerosque incautos ad ingrata præcipitia seduxit; nam subditus non sibi suam, sed principis libertati, libertatem metitur, contra jus servitutis, & nobilis majestatis privilegium: quare qui re in aliqua, aut nobili virtute, principem subditus antecellit, & libertate suam ostentat præcellentiam, semper habeat sua suspecta bona, & timore vivat; inde tamen majora egregiis viris gliscivere pericula, si à populo majores æstimentur, aut à principe, glorioso valore aut ingenio: quoniam quem favor popularis evexit, zelus præcipitat; nam princeps quod possibile judicat, mox credit, & ab ipso timore suadetur, & majestas ne re in aliqua videatur inferior, ad nihilum redigit, quod judicat æquale; hoc ideo in statu subdito, inertia pro sapientia erit, obsequium pro libertate, obsequiosa obedientia pro ostentatione: ô infœlix conditio animi generosi, qui semper in aula inter duo fortissima contraria agitatur, livorem scilicet & timorem: aliud vinci difficile, aliud impossibile: quin imo primi victoria est secundi Triumphus; livor enim adsimilatur monti; si valoris aquæ crescunt, submergitur in illis: est sicut navis timor, qui ut æstuant, unda elevatur: quid ergo inter hæc difficilima faciendum? præsumptionem sui, sagaci solertia, demoliri, donec meliori obviemus fortunæ: sin aliter, improsperæ cedamus; nam procelloso mari, si portus cominus instat, votis & ventis obsistere viriliter oportet; si vero procul, violentiæ ventorum obediri, ne in procella fatis cedat fortuna; nam interdum illustres & magnanimos superat infœlicitas; livorem enim superat solo in principe valor, quoniam meruit adorationem inter homines; si hanc non exuit vitiorum dedecore; si virtutum eminentia posset ad nutum exui, fortasse inter homines quidam mediocritatem affectarent, ut saltem tuti viverent ab æmulatione, à livore ignoti: sed ita est formosa virtus, dum consequitur, quam noxia, dum non potest amitti; à livore sectatus ostreum imitetur, pateat ad ros cœli, ad venatores clausus; constantia & fortitudine Catones & Brutos decet æquare, sed solertia principis æmulationem fugere, & quendam modum libertatis appetere, quo plausibilis, non odiosus fiat; fortuna primum poterit offerre periculum; si autem secundum ejusdem conditionis offeratur, quod incautum præcipitet, imprudentiæ, non fato tribuatur.

Non abhorrent principes virtutis, nec valoris pulcritudinem in subdito, sed illius incontinentiam ferre nequeunt, si valorem & virtutem præcipitat ambitiosa vanitas: & illud non injuria, cum maxime præsumit, illum principis sævitiam, aut ignaviam in opere glorioso damnare; neque enim decorum fuerit, nobili aut sapienti viro, unde amico aut principi infamiam parat, inde gloriam sibi recipere; ideo non laudo, ut ministri fucatis coloribus adornent, & principis servitium, & alta judicis ministeria, solo proprio utili servientes, sub pallio necessitatis & principis & publicæ: forte principis nulla in eo culpa, sed majoris ministri, qui sola crudelis exactionis & avaritiæ facinora extollit, æstimat, & præmiis honorificis retribuit, quo nec sibi, nec principi gloriosus honor comparatur; & inde accidere compertum habeo, ut adfectatæ severitatis ministri, jus præcipitent, ad extremum injuriæ; unde ministri boni sunt interdum optimis meliores; nam isti solent evadere æque periculosi atque pessimi; nam qui ad nutum violentiæ operatur, plura quam jussum erat confingit, societatem perdit, tumultus ac seditiones excitat, ac pacem subditorum deturbat: & nostro judicio, hi sunt pejores hostes quam alieni.

Fœlicitas esset, nancisci ministros provincia æquales, nam superiores occupat negligentia, inter-

interdum avaritia: inferiores, non bona gubernatio; nec est regula, quæ necessitatem ministri & provinciæ metiatur; multa fecit Vitellius (dum minister) ostentui potius quam mensura: alios seducit ambitio, adipiscendi ditiorem provinciam, quo merces & justitia negotiantur; nulla non est venalis injustitia: sunt divitiæ, delictum & impunitas.

Inde orta est apud nostros politicæ confusio, quod defuissent ministri provincia æquales, (omnes enim ætates virorum illustrium non sunt æque feraces.) quo prætulerunt milites in pace præsidere, togas bellorum certaminibus, quia defuit militaris disciplinæ Academia in ingenuis, ex otio inerti: & utrique erant solo suo judicio sapientes: hi favore & fortuna elati, facti sunt vitæ & necis arbitri, divitiarum domini; viros cuique ministerio necessarios, æque nobiles in bello & in pace solet offerre servitia & ingenua plebs; sed favor confundit ministeria; nec enim his temporibus omnino viri illustres defuere & ardentis valoris; sed unius imperium Reip. munia permutavit; an quod illorum valor, & militaris ardor, vitam aulæ sedentariam & ignavam argueret? fecit enim illa virtutem & ferociam subditorum, ingratam imperantibus: exteris nationibus erunt exempla militaris disciplinæ, illustris *Gondicalus de Cordoua*, Feriæ Dux, illustris *Figueroa*, & Dux de Alcala, æqualis valore & prudentia; & nemini secundus Marchio *Federicus de Toledo*; ac tandem *Vrsaonæ* Dux, hujus sæculi gloria, quem natura erexit ut fortuna deprimeret, quidquid æmuli dicant: nam præmium servitio minuitur, quantum excellit valor & gloriosum nomen; creditor enim tantum gloriæ lumen intueri non valet, ideo lucem fugit, non solis culpa sed depravatæ aut debilis potentiæ defectu; inde confusus rumor, ut libertatem & vitam hominis tuerentur, Rep. ad ultimum servitutis adacta, ne dum tributis incomportabilibus oppressa, quorum occasione nec vitæ ulla erat securitas.

Anno 1638.

Hæc apud nostros extitit parum fida Politica; tutius est enim nobiles & generosos viros, quorum valore potentia consistit, præmiis, honoribus, ac beneficiis allicere; & in principis gloriam & utile Reip. nam domiti & grati miti alliciuntur genio; parum securæ inclinationes in seditionibus aluntur, & tumultu bellorum: & si valent exempla, nostris periculis, nostri & caveant & discant proprio, non alieno capite, in defectione Celtiberiæ & Lusitaniæ, occasione illustrium virorum, qui se læsos honore existimabant.

Plures sagaci fortuna, quam valore his temporibus ascenderunt fastigia, quia facilius assequitur calliditas quam valor: ideo plures arbitrii & lucri fortunam sequebantur, quia major inde proventus oriebatur: inde inter milites & ministros lites insuperabiles: quoniam antiquum Hispaniæ valorem & præmia laboris immortalis valore comparata, fortuna commutavit, fortasse rerum alterna series pro otio inerti: ne dicam, pro adulatorii dedecoris infamia, & crudelis arbitrii.

Eo rerum perennis mutatio devenit, (rebus tumultuantibus) ut æstimationes confundantur, in lucro & æmulatione, ut non assequamur ubi sit æstimatio; nam mercatorem æmulatur agricola: ille civem, hic procerem: militem artifex, illius æstimatio in valore consistit, hujus in æquitate & justitia: in moderatione fortunæ mercatoris; hic militis agitat libertatem, principis inexplebiles cupiditates induit, ingenui & proceris vanitas: ut inter miserum Chaos homines confundantur: & electionis armis nudetur æstimatio; cum ad propriæ fortunæ leges nemo consistat. Quot in abyssos inciderunt mulieres, hac ipsa opinione delusæ, propriam egredientes sphæram, & fortasse pudorem; nam cultus vanitate viros provocant: & pro cultu muliebri honorem vendunt, & pudicitiam ut fere non agnoscas ubi pudor consistat, in hoc sexu. Neque honoris æstimatio in nostro: sunt enim multæ ut scytharum communes: in viris nulla fides, nullum juris jurandi sacramentum: sunt multi transgressores nobilis veritatis & virtutis; nam amicitiæ fœdus, commutant pro infidelitate, & amicitias sibi fide commissas, negotiantur; ac experimenta uxoris alienæ per infideles iniquitates agunt; ac nulli non datur impune vivere, in hujus sæculi vitiorum colluvie; ut fere extra iniquitatem æstimentur adulteria: extra potentiæ nobilitatem se judicat, qui contra immunitatem publicam, legum severitatem, non ostendit potentiam.

Mulieris virtus est domum gubernare, honestam pudicitiam conservare, ad nutum domesticæ virtutis custodire domestica, & obedire viro: mulieri est honesta domorum habitatio, æque periculosa deambulatio extra chorum: interjectiones debent esse cum marito communes: has leges quas longa parcimonia, & honoris æstimatio induxit, subita opulentia, & sexus licentiosa libertas derogavit, permisit virorum indulgentia. Rogatus Socrates, melius an esset uxorem ducere, ad utrumque inquit, sedulo adveniet pænitentia: illas publicis spectaculis inferre, si deformes, ad despectum movet; ad concupicentiam, si pulcræ; quos illæ amicos conciliant, tot viris suis comparant inimicos: domo juvare possunt, extra domum nocere: quo magis est alienis grata familiaritas, eo magis est ingrata marito: si propria cupiditas non offendit, maculat aliena. O mulieres, si fugitis eos qui vos desiderant infœlices, quare illos qui vos amant inhonestas perquiritis; ô fera & importuna virorum patientia; hæc est hominum vana insipientia, non mulierum, cum præsumunt fieri invidiæ capaces, loco invidiæ accedit compassionis infœlicitas; nec aëris obnubilitati accessum patitur lucidissimus color: ex solo infecti animi contagio, lucidissimum maculatur cryſtallum: in hoc honor vitro ad simulatur, ut prius rumpi, quam findi patiatur: occasionem periculi semper fuge, ubi semper periculum est honoris: *Cæsaris Thalamus*, dixit probe Cæsar, *non extra adulterii modo infamiam, sed citra omnem suspitionem debet consistere.*

Vitii & virtutis fœminæ semper amant extrema: maxime cupiditatibus efferantur, in vetita nituntur; mulieris suasio est ante petitorum consequutio: qui illas prohibuit docere, magis timuit suadendi periculum, quam ingeniosæ doctrinæ imperitiam; callidior illis ut instrumento utitur, ut consequatur quod aliter non valet: est enim magica incantatio, illarum pulcritudo: hominum

minum mentem ligat chara amoris illectio: hæc eſt una, qua datur inter fallendi artes; lucrum enim amandi novam artem invexit: leges præſcripſit indicibiles, ſua cuique utilitas; ſi non ligant mulieres intellectum, voluntatem alliciunt; omnia conſequuntur, aut ſexus privilegio, aut veneratione, ne illis ſaltem moleſtia inferatur: ſunt lacrimæ illarum argumenta: pulcritudo domeſticum imperium; ubi benevolentiam non conciliant, compaſſionem movent; & dulci melius interdum ſilentio ſuadent, quam ſevera modeſtia præcipiant; nec artificium præſupponitur, ubi artificioſa calliditas non timetur; nam pulcritudinis artificia, rethoricæ artem excellunt, ut homines vinci, quam ſuperare æſtiment glorioſius: omnis cedit Ariſtarchus blandæ illectioni: ac illarum fragilitas irati vultum compellit erubeſcere; mortem & ſalutem utraque manu portant; familias, regna, & civitates devaſtatas legimus per mulieres: illud conſtat, ex Græcorum hiſtoria, primo Phœnices à mari rubro ad Græciam transfretaſſe, onuſta mercium multitudine navi, ac appuliſſe Argos, & cum ad merces fœminæ conveniſſent, & inter illas, Io, Inachi Regis filia; omnes ſimul rapuere Phœnices. Poſtea Græcorũ quidam Tyrum appulere; ac Europam Regis filiam rapuerunt, ut par pari ſuarum raptus penderetur. Cretenſes poſtea, longa vecti navi, cum ad oram Colchidis, ad Phaſim fluvium tranſegiſſent, filiam Regis Medeam rapina deduxerunt; dein Rex illam per caduceatorem poſtulavit; hanc illi denegarunt Cretenſes, allegantes illos adhuc de rapta Io pœnas non dediſſe. Secunda hinc ætate, Priami filius Alexander cupide accenſus, per rapinam uxoris adipiſcendi, rapinam pœnæ inſontem judicans, Helenam rapuit, quæ tam vaſtæ civitatis Priami familiæ, & Regni Teucrorum fatalis ruina cauſa extitit.

Herodotus lib. 1. Clio.

Pari etiam conſtantia fœminæ virtutis adorant pulcritudinem; par *Eſt illis, mihi crede, vigor, par ad honeſta facultas*; Laborem, doloremque ex æquo patiuntur. Lucretia & Brutus, Reges à Romanis capitibus dejecerunt, Bruto libertatem, Lucretiæ Brutum debemus, dixit Tacitus. Quare (meo judicio) errat, qui mulierem *errorem naturæ* eſſe dixit; eſt enim perfecta in natura, perfectiſſimi opus, materia nobiliori genita, & in forma virili ſexui æqualis. Perfectionem & eſſentiam, civitatis, familiarumque nobilitatem conſtituunt; naſcitur à matre filius, pater in filio renaſcetur: nec majus deſiderium, nec neceſſitas major, in natura exiſtit: nec illuſtrium mulierum per ætatum decurſus illuſtria defuerunt exempla. Apud Lycios, nobilius maternum genus erat, dixit Solinus: indeque ſi qua ingenua ſervo nupſerit, liberi æſtimabantur nobiles, & ingenui: ſin autem vir, licet primus inter cives, uxorem externam duxerit, liberi putabantur non ingenui: tantum apud nobilem vetuſtatem valuit generis ſplendor, ut Plato dixerit; *O fili, qui ex bonis parentibus ortus es, eas nuptias ſequi debes quas prudentes viri honeſtas ducunt, qui ſane te monerent nec pauperem fugere, neque divitem quærere, ſed honeſtam eligere: quippe quod moderatum eſt, & mediocre, moderato & excedente, mirum in modum, ad virtutem præſtat; ſi maxime illam comitatur prudentia.* Eſt enim illa ignis quæ venena convertit in antidota, & faxit ut deformis appareat gratiſſima & pulcra; ut bene feratur pauper: pulcra in quiete fruatur, & ſicut bezaar, venenum quod ſub illa pulcritudine latet, corrigit; majeſtuoſam facit non veneream; radiorum Jovis, & non Veneris filiam venerationem movet, & non cupiditatem: & cum in illa potius veneretur impoſſibile, voluntas dum allicitur, infringitur; non enim amat niſi qui in objectum reflectit; quoniam aſſiduæ reflectiones ſunt etiam amoris cauſalitates: quare in uxore bona tanto major eſt laus, quanto in mala plus culpæ eſt; cujus conſiderationis defectu, plerique apud noſtros ut etiam apud exteras nationes, ſunt de nobilitate ac valore ſuſpecti, ob ſervorum miſcellam, & externarum gentium, quibus non curæ eſt nominis claritatem tueri.

de legibus. Dialog. 6.

Non laudo utcunque tolerantiam: hanc enim prudentia modificat, quoniam *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, Quos ultra citraque*, res ipſæ, recte non conſiſtant: nam contra decus & veritatem ferre, de vilitate arguit: non ferre toleranda, barbarum & incivile eſt: ideo forte Pontifex Romanus *quadam regula*, dixit, *Noli eſſe nimis humilis.* Sunt etiam pleræque naturales paſſiones quas ferre ipſa natura docet, velut inexcuſabiles: ferantur ideo alieni defectus ad divinum exemplar: ſic ſe tuliſſe moroſam uxorem, dixit Socrates, ſicuti equites animoſos equos: *Sic mihi*, inquit, *poſt Xantippis uſum reliquorum mortalium facilis toleratio obveniet*; Ideo forte Pythiæ teſtimonio laudatur; præterquam quod tolerantia demolitur ſuperbiam, ſi avaro non copulatur lucro: nam barbara lucri avaritia nullo ingenio demolitur; ideo in Davide tolerantia Saulem provocat, quod eſſet Davidis patientiæ, & fortitudinis creditor: & agreſtis ſuperbia humilitate agitur in furorem, dum magnanimitatis defectu affligitur & confunditur: at generoſa patientia occaſioni cedit, cum humilitas pro æſtimatione commutatur: in antro Sauli parcit David non vilitate, reverentia potius, an ob timorem Dei? quis ex tempore hanc politicam novit; hæc eſt valde ſubtilis, hanc oculi caligine paſſionis obducti, non viderunt, ſuperbiæ occulitur; alias non dignoſcitur. Hæc divina clementia antecedentem attentionem poſtulat; antequam ſtrages labis originalis fatalem calamitatem portet.

Alios obſtinatio, (ſi patientia deficit) in Dæmones convertit. Ideo David homines pacare non intendit, livore laceſſitus, quando ſacrificio Deum pacat; quoniam novit, quod hominum malitia extinguitur, non pacatur; & ſicut eadem actione finitur agendo & patiendo calor, ſic ſe ipſam interficit malitia, ac ſola ſceleris conſcientia pœnas luit: livor animum ad non ferendum acrioribus ſtimulis explorat, & iram ſuper omnes paſſiones ſolicitat: eſt enim livor triſtitia quædam & injuſta lætitia; hæc ad iram prona, illa ad iracundiam: ut maculas in ſole, & montes tenebrarum in luna *Chriſtophorus Scainer* videret, tubum invenit opticum; ô vivaciſſimi ingenii *Scainer*; ad hoc fortaſſe livoris teleſcopium non ſufficeret.

Puſilli cordis eſt qui artem malignandi exercet; non eſt prudentis propria, ſed iniqui: eſt anceps gladius quo ſuccumbit armatus in alieno vulnere: hac ſola funditus perditur æſtimatio:

vilescit avorum clarum nomen antiquum: quæritur nihilominus, & auditur: quare & ad quid nescio; & docere, nec ediscere volo: quoniam indecens disciplina: nam si modos malignandi docerem, ante tribunal Bonitatis damnarer: artem malignandi docere, infanda est iniquitas, furor esset in me: & gladium, cujus vulnera adhuc sanguine madent, in me ipsum acuerem: & artis illius hactenus magister essem, quam solum passive practicavi.

Occasio ferendi alios, non deficiet; deficiet fortasse patientia; quare talenta tolerantiæ in longam navigationem oportet cumulare; hæc enim durabit donec vita; occasiones passim offeret æmulus; nam ejus telescopium lincem superat; sunt apud illum alieni defectus mensura, animi sævientis malitia, ut bene novit Job; qui feram prius in mari inveniet, cætum Jonas, quam in ejus naturæ homine mansuetudinem: *Nauta feritatem præbuit*, dixit Sedulius, *fera misericordiam, & navigium ministravit:* Vidit Jesus hominem sedentem in Telonio, peccatorem non vidit; hominem, ut misereatur naturæ, dixit Chrysologus, non Matthæum, ne se peccatorem vidisse crederetur: ideo dixit Propheta, *melius est incidere in manus Dei, quam in manus hominum: miseretur enim qui nescit errare, non miseretur, qui erroris est particeps:* Quam belle dixit Seneca, expedit vobis neminem videre bonum, quasi aliena innocentia vestræ sit improbitatis exprobatio, nudum & inermem natura produxit hominem, munitum utrumque brutorum genus, cornuis mansueta, pennis volatilia, feriora veneno & furore; pro armis animalium, miserationis affectum vestit homo; qui dicitur humanitas, ut se in vita sociali constituat; quod aliter quam ferendo non valet: ô quantum nos illudimus, cum ultimam vitæ fabulam agimus, genesim vitiorum insequimur, ac lucem nictapoli, noctuæ instar, fugimus. Sit nobis regula ad ferendos alienos defectus, necessitas ferendi proprios; nam *propter quod unum quodque tale, & illud magis, tale est.*

Malignæ æmulationis sirtes prætergrediatur modesta tolerantia, ne nos præcipitet quævis falsa politica, seu lucri avaritia: nam illa in his rebus humanis primas partes obtinuit, non bonitas: hæc enim non datur in politicis; & fallitur qui illam præsupponit: nam hominibus dominatur fallacia; hanc colunt, ut lucri & omnis vitæ politicæ nutricem, & propriæ conservationis alumnam: iracundia facimus quem non habemus hostem: bene dixit Rex musicus, *& peccatum meum contra me est semper:* quoniam si hostis deficiat, nos inimicum facimus, ne solus Saul ad manus peccati moriatur, quod postquam mortem induxit, in speciem individua etiam depopulatur.

Regis in aula, (palæstra nobilis patientiæ) ad lucem hominum, corda intuentur; sapientes & fortes depurantur in catino tolerantiæ; vitia à virtutibus facile discernuntur; ibi vera docetur tolerantia: hæc est militiæ illius disciplina: hic freno indomiti mitescunt, perficiuntur mites: aulam non recusent homines generosi, & magnæ sapientiæ: nam ibi gloria exercentur; est enim aula politicum emporium, ubi artis sapientiæ & valoris excellentia comparatur; nec illos terreat continua aulici implacidi querimonia, cujus semper fortuna meritis non respondet: hos enim si consideres, alios prudentiæ defectu laborantes videbis, alios serviles animo, laborem non ferentes, otio ignavia inertes: sublatos alios vana præsumptione, ut merita altiori pretio sua venditent, & pluris genus æstiment, ut nobilia avorum stemmata, nunquam ab ore cadant: hæc sunt præcipua convivarum obsonia in prandio & cœna; excellens in arte aut scientia, semper implacidus, de vili virtutis æstimatione queritur: at principes ut plurimum ad mensuram meritorum compensant, sed non ambitionum, cum magis queritur ambitiosus quam emeritus; si omnia non confundit adulatio, aut privi amici Regis domesticum imperium.

Sed in aula inde major confusio, Chaos inexplicabilis, non quod alter nolit majori cedere, sed quod superiorem nemo novit, nec ista facile assequitur notitia, cum in æquivocatione homines confundantur, negotiis inter se confusis: quia majoritatem generis unius, cum majoritate absoluta & universali confundunt peculiarem æstimationem in re quapiam, pro absoluta æstimatione judicantes; illud est aulicorum principium, ut gravis professione primogenitus, & excellens, majorem æstimationem assequatur, quantum ars sua fuerit cæteris plausibilior; quo fit ut omnes plausibilem sequantur, licet alios æstimatione non excellat; plausus tamen non subito, sed longa temporis tolerantia consequitur; novo ingressus Hispalem in quodam porticu civitatis, illud inscriptum legi: ***Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.***

Id altius perpende, quod plausus, temporis filius, si repente consequitur, est fortunæ profusissimæ comes; si vero per gradus comparatur, luce splendescit sua, usque dum admiratio nomen clarissimum diffundat, aut volitet, in resonante fama: nam clarissimi viri velut orbis lumina, non egent adscititiis, sed lucent & illuminant: ac ideo ab omnibus plauduntur celebritate nominis, fama late diffusa: nam plausus unus legitur, unus canitur, unus auditur; sed claritatem gloriæ, non nisi grande genium, magnum opus consequitur in utile commune: illorum maxime quibus mascula dictio, plus in recessu, quam in fronte gerit: hos certe oculata decurrentis ætatis memoria, & admirabunda posteritas reverebitur: quos semper Mausoleum in posterorum animis expectat, mutui amoris monumentum; quod fama posthuma coronantur, & plauditur super omnia sapientium monimenta; in quibus extat plausus, nunquam peritura memoria.

Si vis bene de omnibus audire, de omnibus bene loqui oportet: natura nos edocuit à pulvere homines elevare, ac potentes deprimere, & coërcere: invisa est enim hominibus superbia, & omnes ad has sirtes allidunt. Hoc etiam Deus edocuit, cum à pastoris tugurio ad regale solium, humiles, sed emeritos in principes & populi pastores conduceret: hoc etiam monstrant influxus astrologici, qui tunc fortuna major, cum transferunt homines, ab humili ad majorem fortunam: hoc tandem terra monstrat, quæ altiores producit ab stercore plantas, & ex depressis

vallibus, quam è terra, quæ pretioso abundavit metallo.

Nemo te integrum legat, prudens te ipsum condat simulatio, major inde veneratio comparatur: nam omne ignotum pro magnifico est; silentium ut fidissimum amicorum cole; designia & decreta futura, consilio aut calliditate, intra carceres silentii coërce; secreta tibi soli velanda, alii non committes: vix enim amicum æque fidum invenies ac prudentem: magnus ille Scipio Africanus, quærenti filio quo nam castra duceret, severissime dixit, & tu solus tubarum clamores non exaudies? unicum est hominibus negotium; & hoc est cuique proprium; & si adhuc amici proprio non conducit, est æque peregrinum ac extorrens: semper sis caute suspitiosus, nunquam maligne fallax: *Sermonem quidem silentio, silentium vero tempore signari*, dixit Solon: rogatus Chilo quo differrent ab imperitis sapientes? *Quod isti valeant*, inquit, *arcana reticere, otium disponere, ac injurias fortiter tolerare.*

Quare tibi non deficiant in hujus vitæ militia; ad ferendum honesta, Geometrica architectura, Arithmetica unitas, Musica consonantia, Philosophiæ præcepta, Medicinæ antidota, Theologiæ documenta, Legum æquitas & justitia, militiæ severitas, Ethicarum prudentia, ac tandem Astrologiæ præscientia; quoniam illum tantum Politicæ peritum dixeris, qui tanquam in aciem, omnibus armis instructus, sic in forum, sic in civitatem, cunctis armis armatus, cauta præscientia, sese ab incursionibus tueatur; si tamen tibi rerum deficiat experientia, & te lateant tot hominum fallaciæ, & inexplicabiles mentis humanæ labyrinthi, non valebis nisi cauta solertia, tot reconditas ac varias rerum vicissitudines, & artes lucrandi & fallendi, comprehendere: nec si scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis & acrimonia ingenii, neque adhuc si eloquentiæ incantatio accedat: quare in media luce debemus studere & inter ipsa discrimina: quæ omnia fere præcepta & documenta sub hac unica sententia Seneca comprehendit: (a Epist. 18.) *Considera, quæ sint quæ hominem in hominis pernitiem instigent; invenies spem, invidiam, odium, metum, contemptum: & ex omnibus istis adeo levissimum est contemptus, ut multis in illo remedii causæ delituerint: quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit; spem improborum vitabis, si nihil habueris quod cupiditatem alienam & improbam irritet, si nihil insigne possederis: sic raro invidiam effugies, si te injeceris oculis, si bona tua jactaveris; si non scieris in sinu gaudere; odium aut ex offensa sic vitabis, neminem lacessendo, aut gratificando, à quo te sensus communis tuebatur; hoc enim fuit multis periculosum: quidam odium habuerunt, nec inimicum; timeri enim tam domi molestum est, quam foris, tam à servis, quam à liberis: nulli non ad nocendum satis virium est: adjice nunc quod qui timetur, timet; nemo potuit terribilis esse secure; cæterum inter hæc omnia, nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum.*

De ingenua libertate in comitiis.

Libertatem olim adoravit Hispania, cum arbitrii gloriam æstimabat, nec erat adulterinus, nec spurius valor: cum vero æstimatio cessit lucro, cesserunt prima postremis in curioso fine; sed interim attende quod alia est nobilis libertas, & ingenua, quæ valorem adornat, & virtutem; & hæc principem & magistratum decet, purpuratos & nobiles, & primos in Rep. viros: quæ si in Reip. & regni præcipitio non occurrat, ærumnisve publicis auxiliari properetur, de vilitate arguit ingenuos & nobiles: nec erit excusatio in principis, aut amici tyrannide, nec in fatali veritatis exilio: non est enim inglorium, pro religione & patria occumbere, in opere laudationis capace: imo sordidum & vile putaretur, in illo qui ob nobile familiæ ornamentum, aut officii, aut nominis claritatem, publicæ custodiæ tenetur: ideo hæc libertas in gloriam cessit, Democrito, Socrati & Soloni: & Roma Catoni & Aruleno Rustico, Peto Thrasea, Herennio & Heluidio Prisco.

Nec hujus libertatis pericula ignoro; sed illa sub gloriæ pretio emercantur; ideo forte Socrates poculo veneni damnatur: Democritus nomen subit insani: Aruntius temporum tædio vita abiit; illud tamen posteritas rependit gloria immortali.

Hæc pati noluerunt nostro sæculo nobiles & purpurati viri: seu quod sit redditum vile jam decus publicum, seu valoris defectu, seu desperatione proventus, positis rebus Hispaniæ in ultimo discrimine, Anno 1640.

Est alia libertas soboles vanitatis, adrogantiæ comes, quæ fumosis alitur imaginibus, & avorum generosa familia, sed aliena gloria, non propria: nemo enim in nostram gloriam vixit, neque quod ante nos fuit, nostrum est: & hanc, ut prorsus vitiosam, & magnis periculis expositam, damnamus: non quærimus enim ex vitio virtutem: quoniam in hac non operatur valor, sed sine consilio temeritas, aut importuna vanitas, quæ semper sibi maxime placet, illiberalis, cum velit omnia, ad nutum propriæ voluntatis metiri: sed illa ut plurimum, ignorantem præcipitat: nam despicit consilia illustrium virorum, quos longa domuit experientia; & auctoritas populi fecit arbitrum.

Nec justa, & necessaria libertas, adhuc in desperatione proventus, nobilem & generosum excusat, ubi instat necessitas: illum tamen poterit excusare nobilis honoris timor, aut jacturæ antiqui patrimonii, ut libertas sub limites silentii obseretur: nullum est tamen peculiare utile, in discrimine civium & regnorum, quod sit universali anteponendum: illud tamen his temporibus sine fructu Hispania ploravit, quod in curiæ comitiis, & apud Regni proceres sit omnino abolita libertas, ut ne scintilla quidem Hispani valoris, inter ictus imperiosæ libertatis priori amici Regis eluceat: principis necessitas valorem non excusat, nec senatoris gloriam; quam abolevit lucrum, aut valoris defectus: lucro enim apud nostros extorquentur suffragia, non feruntur; & ad votum unius moderantur, arbitrii gloria omnino denegata; ut sit penitus libertati imposita necessitas: quod altissima Numinis providentia cavet vigilantissime, ut ex hac libertate in finali judicio, æstimarentur merita & supplicia.

In aula cujusdam principis casu se libertati obtulit adulatio: serenissima libertas, inquit, quod nam fatum, quæ profusa tempestas, quod naufra-

naufragium, ab Sylla & Charybdi liberavit, ut ad occultas haud minus insecuras ignotæ rerum novitate tumultuantis aulæ, sirtes allideret: quæ te anceps fortuna horrenda ad præcipitia deturbavit, & rupes ad infaustas allisit: Horrores nemorum, & inculta silvarum te tutius civem solitudinis occulerent, & tutiori fortuna ab infami livore conservaret: me homines adorant, meas amant blanditias; ut unicum temporis infœlicis solatium; non alio quæsieris: domi habes exempla. Tertius, quam uterque adorat orbis, Philippus: D. Franciscum de Gusman y Zuniga; tertium Aiamonte Marchionem novæ Hispaniæ Indiarum provinciæ præposuit, vice-Regem creavit, extemplo provinciam accepit: at irretito postea desiderio inter contrarios affectus anceps pœnates Deos incepit agitare: & interim D. Gondicalvum, Guaxardo, spectatæ prudentiæ virum, vocavit ad consilium; arctissimaque benevolentia constrinxit: non ut clientem, sed amicum rogavit, quod sibi optimum ancipiti in provincia consuleret; hinc domini imperium obversatur, illinc libertatis periculum in mari procelloso politicæ; ô domine, inquit, tantæ provinciæ pondus nostris humeris impar sustinere non valeo; ac vulpis fabulam simulans, sese à consilio decrevit abdicare: sed illum iterum dominus arctioribus votis compulit, & constrinxit, ut amoto timore, & omni sincera libertate, quod sibi optimum eligeret; at ille, fatis potius quam domino obtemperans, fatalem sibi libertatem elegit, ac domino invisam & ingratam, decori tamen ac æstimationi nobilem; obligationi servio, inquit, & famulatui; accipias consulo, domine, provinciam, si propriæ consulis æstimationi; cum Marchio, jam te, & tuam deseruit senectutem sapientia; jam deliras implacidus, ac domino ingratus, voluptati nostræ potius deberes inservire, quam tuæ insanæ libertati: non tua moderatio, si odisti avaritiam, nec quies, si reliqueris dominum, sed aut ignavia aut periculi timor in ore hominum versabitur: quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere: eme politicorum psittacum, si in aula vivere in posterum decreveris: nam ingressus olim politicorum officinam; illustrissimus Poëta Brisianus Indiæ psittacum attente contemplatur, loquentem avidius audivit: & an fœlicem alitem venirent, & loquacem perquirit, institores anuunt, & centum & quinquaginta aureorum numorum pretii convenerunt: hoc tantum Poëtæ obstitit, pecuniæ paupertas, (fatalis magni ingenii calamitas) nec quantitas displicuit: hanc tamen pro lectulo (requies ærumnarum) pulvinaribus, & domi supellectile commutavit, nec illi abnuerunt, quin acciperent; ille accepit psittacum, & conduxit: hæc attente contemplatur Menante Poeta perillustris, ô Gambera, inquit, (sic erat Poëtæ nomen) te semper admiratus, nunc admiror, dubius an emeres insaniam, an ista compassionem moveat; quid psittacus, cum lectulo & supellectile, ut pro illo corporis & animi requiem compensares; charissime Menante, inquit, jam olim fœlicitatem istam adfectavi, quam docet iste psittacus, & pro hac non mea solum, sed cætera universi donarem, ac me ipsum: quoniam ego, (ut scis,) natione Longobardus, communi nostræ gentis miseria educatus, illius insignis libertatis, ex qua quæ nascuntur pericula experior, (virtus licet olim celebris & antiqua, nunc culpa & occasio graviorum malorum, & non satis compensandi laboris) his omnibus finem impono, hujus pretiosi psittaci exemplo, qui mihi fœliciter virtutem doceat adulandi, Longobardis penitus ignotam, at fœliciter ab aliis nationibus practicatam; vera scilicet in animo recondere, & ore proloqui ad nutum & voluntatem imperantis illa, quæ ad hoc solum memoria mandavit. Memento infœlicitatis Demarati legati olim Græci apud Xerxem, hominum potentissimum: cum enim oculis Xerxes perlustraret exercitum, dixit Demarato, nunquid Græci sustinebunt manus contra me levare? cui legatus: utra, Rex, inquit, apud te utar; veritate, an jucunditate? veritate, inquit; Græcia ergo, dixit, semper alumna fuit paupertatis, hospes virtutis, quam à sapientia ascivit; & à severa disciplina paupertatem tuetur & dominatum; ac ideo tuam non admittent servitutem, sed venient obviam licet pauciores: cui Xerxes, si pauci sunt, agedum, tu solus decem dimicaberis? sin minus, blaterare videberis: nam sub uno apud nos imperatore, milites illius metu, etiam contra ipsorummet naturam, meliores efficiuntur, & sic multi non erunt inferiores vestris paucis: cui Demaratus, intelligebam, Rex, me vera dicentem non jucundum tibi futurum, sed non est credibile, virum prudentem respuere benevolentiam exploratam, sed observare maxime: ego enim neque cum decem promittam me posse dimicare, neque cum duobus, ac ne singulari quidem certamine, volens, certaverim: nam licet simus liberi, non tamen usque quaque; quippe quibus præest domina Lex, quam multo magis nostri metuunt, quam tui te faciunt; namque quæcunque illa coëgit, cogit autem idem semper ut scilicet vincant, aut occumbant; hæc ego loquens si tibi blaterare videor, volo post hæc in cæteris silentium agere.

Simul stare nequeunt, & Princeps, & Libertas; nam quo magis ille imperio crescit, libertatem excludit: senatum servire, & esse liberum, non patitur; sicut principem non imperando dominari: principem dicet libertas imperandi; nobilitati licet, & purpuratis, & principem, admonere & advertere de illis quæ regno parando & conservando conducunt: quoniam principem præcogitat interdum avaritia, inordinatus amor, aut effrenis cupiditas. Ideo forte quatuor pædagogos Persarum Reges filiis imponebant, ut eorum juventuti præessent, ut instituta Regia edoceret; secundus, ut solam veritatem erudiret; tertius, ne ulla superentur cupidine, ne servis fierent viliores; quartus, ut intrepidos redderet & impavidos: ac inter politica liberrimos. Non potest enim honestum esse quod non est liberum: quoniam qui servit, timet, qui obsequitur, mutat: principes, sapientes honorent; principipibus libere consulant sapientes; nam *sapientia absque potentia prodest paucis, & potentia remota sapientia obest multis:* potentia quidem expers sapientiæ, quo major est, eo perniciosior; *gladium in manu furentis*, dixit Socrates: sapientia vero procul

procul à ſapientia manca videtur; nihil enim peſtilentius eſt, ignoranti audacia, ex qua mala omnia omnibus hæc & radicibus hærent, & repullulant, & in poſterum producunt fructum iis qui naſcentur, amariſſimum, ut poſteri experientur noſtri: at ex ſola vera contingit libertas Philoſophica, aut ex valore generoſo. Cum inter alios legatum ageret ad Philippum, Xenocrates; donis cæteros majeſtas demollivit; Xenocratem non valuit; quare illo deſpecto, cæteris celebravit convivia, (quod apud noſtros hoc ſæculo reticuit modeſtia, ne poſteris gliſcat invidia) poſtea vero ſuis dixit Philippus, ſolum Xenocratem munera ſpreviſſe: qua propter illum civitas ſua multiplici honore decoravit; hic legatus iterum ad Antipatrum, ut captos redderet in Lyſimacho bello, ab eo ad cœnam invitatus hoc illi reſpondit metro.

Quis cupiat Circe prudens vel ſanior unquam
Suſtineat bibere, atque cibum guſtare priuſquam
Solvantur ſocii, mihi vel reddantur ad unum.

Seque ad cœnam non venire renunciavit, antequam ſocios abſolutos videret: cujus dexteritatem princeps perlibenter amplexus, omnes continuo abſolvit, & remiſit.

Mediatorum paupertas ſuperat provocantium numerum, quia libertatem ſuperat adulatio: plures dejecit Principes retroceſſus verecundia, & liberi conſilii defectus, quam vindictæ neceſſitas, quos dedit furor præcipites, ut apud noſtros hodie in Barchinonenſi tumultu experimur: calor & frigus in tepido junguntur, quia contraria medio copulantur: & illius defectu, alter alterum perdit: in rebus ardius quæ in pugna deficient, prudentes mediant occaſione potius, quam cauſa concordiæ: quia non difficulter ſuadetur qui ab alio ſuaderi deſiderat; nam elementa contraria in mixto jam defeſſa quieſcunt. O hominum fraudulenta deceptio, quæ ut deſiderium fabricet dominandi, vindictæ neceſſitatem induit, ut rerum honeſtarum averſio, ſtabilem poſſeſſionem periculo exponat, legitima ab apparenti occaſione longe diſtat, illa ſiſtit in vero; hæc vaneſcit in falſo; altera obſtinata perſiſtit; ut poſteritati fiat hereditaria; pacem ſupplices petierunt Barchinonenſes viri; (fateor quod perculſi ex horrendo facinore) miſericordia denegatur obſtinata politica, inde orta eſt æterna bellorum viciſſitudo, Bataviæ ſimilima; & inſuperabilis neceſſitas vindictæ, ex illa neceſſaria ſeditione; (nam bella incipiunt, cum neceſſitas imperat, ſed deſinunt, quando victores velint.) fateor facinus execrandum in comitem Sanctæ Colomæ Vice-regem; & hujus gentis crudelitatem fateor; ſed erat relinquendum rumoribus tempus, & tribuendum ſpatium pœnitentiæ, differenda ſupplicia, in majorem potentiam, ut crudelitatem fati conſolaretur tempus, & ſpes melioris conſilii; nihil enim crudelius ipſa impatientia præcipitat. In re gravi ancipiti ſenatu, olim Junius Ruſticus fatali quodam motu ſive cauta ſolertia ſenatum ſuſpendit, diſcrebatque brevibus momentis ſumma verti poſſe, dandunque interſtitium aut pœnitentiæ aut temporis. At noſtra vanitas nos ſeduxit, ut majora crederemus quam poſſumus: nam factum ad noſtrum deſiderium metitur, cum fine ut principio utimur, quod interdum in medium convertimus, ut talem orbis vanitatem non capiat; ad legem humani intellectus, qui cum finem adæquatum non habeat in hoc mundo, omne quod illi objicitur appetibile, ut finem appetit, & cum illo potitur, in medium convertit, in alium finem, qui in hoc latebat medio, & tantum perſiſtit in ratione finis quantum in conſequutione: omnis parva poſſeſſio pro magna, (ſi nihil obtinetur) reputatur, ſed ubi aliquid, ſi non totum, pro nihilo: nos ipſi noſtra perdimus deſideria; quoniam in conſequutione finem cum mediis confundimus, in humano affectu, inhumani; & inhumatos relinquimus affectus: victoriam affectamus, & cauſam victoriæ illudimus, ſi gentes debellemus: & in ipſa quiete motum quærimus, ſemper in paſſionibus contrarii; omnibus dominatur dominandi libido, ut uni imperium laborioſum reddatur: quod forte non accideret, ſi unuſquiſque victoriam facilem redderet in ſe ipſo: in victoria ſcilicet, amoris gentilitii: de inimico triumphare neſcimus, ſine amicorum jactura: id illa fatalis neceſſitas effecit, cum morbos adhuc cum jactura caloris naturalis ſuperemus; ac tandem tali facilitate perdimus quantum violentia ſuperamus: eadem vi conſequuntur ſtatus & ſervantur, *nec facilius eſt parere, quam parta tueri*: populi vincuntur ſanguine: & illi obedientia victorem ſuperant, & in ipſa jactura dominatum impediunt, & retardant victoriam, ut nulla detur æternitas in rebus, quæ ſub Luna verſantur: nam omne quod agit patiendo agit, & agendo repatitur; hæc ipſa illiberalis vanitas hominem, quem inter alios conſiderat ſupremum, deïficat, quia majorem vanitatem in illo admiratur, aut adorat fortunam: & ubi hæc magna proprio non aſſequitur oculo, judicat infinita argumento ſuperioris poteſtatis, aut naturæ, ut in Belo & Nino Babylonia, Romulo in Italia; qui inter illuſtriſſimas actiones ſolus moritur glorioſe, quin adverſam experiatur fortunam. Hoc tamen humano non gliſcit aſpiratui, quoniam æternitatem appetit: *Optimos quippe mortalium altiſsima cupere*, dixit Tacitus: ſic Herculem & Liberum apud Græcos, apud Romam Quirinum, Deorum numero additos, cætera principibus ſtatim adeſſe, unum inſatiabiliter parandum ſui memoriam; nam *contemptu famæ, contemni vertutes*, vetuſtas judicavit. Hæc tamen idealia apud noſtros ceſſere in deſperationem, apud unos, & in vile ſervitium apud alios; nam ſpecioſa verbis, re inania aut ſubdola, quantoque majori libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infenſius ſervitium experiebamur.

Pleroſque principes hoc ſæculo, augures ad bella impulerunt, & pudenda fallacia, ut Ludovicum Francorum Regem: hic nobis libertas liceat; nam illi ſuammet neceſſitatem implicant, & confingunt, in lucro aut in principis genio, fortaſſe defectu libertatis conſulentium; ſed hæc ſunt ſicut pleraque alia deſperata. Nam augures, fallax hominum genus, ſeparantibus & imperantibus infidele, ſemper erit vetitum, ſemper admiſſum, ob neceſſitatem gubernantium: licet poſtea damni experientia illos ipſa neceſſitas expellat. Inter principes olim, ſub eadem fortuna, vagabantur, venenorum artifices, & augures; ſed hodie inter privos amicos, illos Prin-

cipes

cipes illi ob occultam malignitatem admiserunt, & ob ipsam postea expulerunt: ne talione postea damnarentur, hos consulebant, ut illi astra consulerent, de magnatum imperio, ut gladio superarent vim astrorum, hos expellebant postea, ne ad idem illis postea successor uteretur, insatiabili dominandi libidine: an ad belli Mars militem, an negotium in quæstu Mercurius exceperit, an blanda annuerit nascenti Venus, an ex humili in sublime, Jupiter tulerit; tot circa unum caput, tumultuantes Dii futura nuntiant; plerisque dixere victuros; at nihil metuentes oppressit dies: aliis dedere finem propinquum, & illi superfuere egentes inutilis animæ: fœlices nascentibus spondere annos, at fortuna in omnem properavit injuriam: unicuique ista pro ingenio finguntur, non ex sententiæ vi. Futura præscire velle, à dæmone aut Astrologia, error, aut vanitas est: ab illo enim notitias apocalypsis petimus, ab ista scientificas: illas Deo permittente assequemur: istæ genii humani metas excedunt, & ex illis ad futura intendere, est Deum similari, cui soli præscienria sine revelatione conducit: sed utraque solo nomine differt; in una enim dæmonem voluntarie consulimus, inscienter in alia: quis novit, an sint figuræ illæ astrologicæ, circuli Necromantici, & illa astrorum signa, characteres, sequentia, quorum medio dæmon inclinat, ad futuri præsagium, & semper ad fallaciam! & si forte per has artes dæmon futura revelavit, quare quærimus illa, si ad malum? erit profecto furor: si ad bonum? ignava sane fatuitas, illum bonitatis auctorem acclamare: sed principes plerique sectam Atheorum colunt; Libo Drusus capite damnatur, quod Chaldæorum promissa, Magorum sacra, somniorum interpretes consuleret; factum est inde senatus consultum de Mathematicis Italia pellendis, quorum è numero Lucius Pytuanius Saxo dejectus est.

Unius favor, & principis delegata potentia, non tantum minuit, sed in totum abolet libertatem: tum inter Regni proceres, tum inter aulas Regum; at extrema necessitas extremam adorat libertatem; nam extremo discrimini est extremum auxilium: sunt enim tentanda remedia, adhuc ipso morbo graviora, si levia non possunt: est enim aliquando temeritas auxilium; quoniam satius est anceps remedium experiri, quam nullum: ideo uruntur & secantur necroses & gangrenæ: & animadverte quod pars sana uritur & secatur, adhuc cum dolore clamoso, ne partem sanam necrosis afficiat contagio; & corpus universum corrumpat. Illud hodie apud nostros dixerim lamentabile, abolitam esse omnino libertatem Hispanici valoris, & cessisse ad manus violentiæ, & crudelis politicæ, nempe ut nobilitas, adhuc cum valoris injuria; obedientia exactissima conservetur; at nunquam immodica & violenta duravere: id enim tutius morum severitas, & legum justitia consequitur: id suæ invalidæ Fortunæ dixit valor, non fore auxilia sine fructu tentanda; hoc non valoris est, sed prudentis invalidi; sæpe enim applicita remedia sunt æqualia, uni validiori: *Nec est de ægroto omnino desperandum*, dixit Seneca. *si contra intemperantiam steteris, & multa pati & facere cogeris.* Fateor ut qui principem, sine amico optat, illum omni humanitate privare

A quid erit sine amore princeps, super quem struet columnas celsitudinis suę, & magnificentię ornamenta; jucunda possessio nulla sine amico est: cui curas suffocantes aperiet? super quem angens exonerabit pondus? *Nullum majus boni imperii instrumentum esse*, dixit Tacitus, *quam bonos amicos, non multitudo equorum, non alius belli apparatus, nec auri multitudo usque adeo vires auget, quantum amicorum constantia & fidelitas.* Arcus gubernationis ne extrema tensione rumpatur, majestatem postulat humaniorem fieri; non uni enim tantum, sed multis & sapientibus est impar gubernatio; quare si debet curas Regias alteri aperire, privum B necessario comparabit amicum: quoniam si cor omnibus aperiret, fieret despectabilis, & multis sacra velanda, omnibus paterent indecora, quæ si uni traduntur, & ille privus amicus erit; Regiam majestatem conservare, & omnibus placere, est impossibile: minus dilecti vellent, nutum ad proprium principis amorem compartiri: hoc æqualiter non patitur felicitas, neq; principis amor, aut occulta fortuna, seu nobilis capacitas hujus aut C illius ministri: fidelis satagat servus, alios potius amore anteire, quam principis amorem sugillare, & ad nutum dirigere: seu illustres principis actiones tyrannide potius, aut lucri aut ambitionis comprimere, quam veneratione observare: superet in amore qui cupit antecellere: sed lucrum virtutem superavit, rationem utilitas, dum velit amorem debiliorem reddere: nam si familiaris damnatur amicitia, salvator noster damnabitur, cujus primus fuit amicus sanctissimus Joannes. Sed universam potentiam amico dele-D gare, nec est illud pro majestate Regia; nec Procerum concordiæ conducit; & seditiones concitat populorum, si maxime privus Regis amicus, ambitione, aut sacra imperandi cupidine, abutitur potentia. Sed neque gratis tulerit illam fœlicitatem; nullam enim fortuna dedit laboribus & periculis vacuam: nam si privus amicus principem vita superat, scopulis infaustis & syrtibus allidit: alter melioris consilii inopia, Monarchiam & seipsum, (ne inimici illius jactura exultarent,) scopulo cui obviavit allisit: alius orien-E tem adspiciens, occidentem deseruit, (nam hominum plerique nascentem adorant solem; & lethales illi forent aspectus, si sol antea sub terra orientis non stetisset. Mecenas provecta jam ætate, speciem magis in amicitia principis, quam vim retinuit; (quod aliis etiam accidisse nostra in ætate observavimus; non ascendunt enim ad talem fortunam privi, nisi cum princeps illis indigere fatetur, aut laboris impatiens, aut imperio impar;) idque & Mæcenati acciderat, dixit Tacitus, fato potentiæ raro sempiternæ: an satias ca-F pit, aut illos cum omnia tribuerunt, aut hos cum jam nihil relictum est quod capiant; unde dubitare cogor, fato & forte nascendi, ut cætera, ita principum inclinationes in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium peragere iter, ambitione & periculis vacuum.

Si vero privus Regis amicus, vano sapientiæ simulacro, imperium præcipitat, sola propria sententia confisus, & sacra imperandi libidine, tenetur Nobilitas & Valor, omnia irrumpere difficilia, perorare principem, ut audiat, & videat quæ in

in occulto latent, antequam reddatur auxilium difficilius; sed vitio fragilitatis humanæ, tardiora sunt remedia quam mala; & si inde gliscant egregia pericula, est publica utilitas peculiari damno anteponenda: & satias capit valor, si partes suas peragit, quantumvis inde non consequatur ærumnarum solatium. Si privus principem judicat vitæ spatio transcendere, in futurum prospiciens, fatali ruina se præcipitat; & benevolentiam non meretur, qui dominum intendit superare: hos principis amor destruit, & potius fecit odii quam amoris capaces; nam destruit livor quantum amor ædificat; non minus enim affectus corrupti animi, ruinam parant quam corporis: non sunt motus naturæ, sed interitus; nec prius corrumpunt, quam corrumpantur: mortem eligere nemini licet, fœlicitas esset, si uterque & amicus, & princeps, deficeret in puncto: durum certamen est mori, sed durius principis mortem experiri; nam cuncta mortalium incerta: multa fœlici consensu audiuntur, quibus omnia principum, honesta aut inhonesta laudare mos est: sed illud plures per silentium & murmur excipiunt: hoc tamen magis est usitatum, blandis & simulatis verbis decipere, aut adulari. Hæc tibi erit securior Politica, quæ & Sejano fuit incipiente adhuc potentia bonis consiliis, ut notescere cupiat, & ut bona malaque tuam ad dominam pertineant.

4 Annal. 2.

Nec etiam defuerunt exempla invictæ libertatis, quantumvis illam gravissima pericula circundent: quia sunt plerique adeo ingenio violenti, & obsequii ignari, ferocitate insita, ut potius mori quam servire cupiant, incultam libertatem sectantes: alii adeo serviles animo, ut adhuc servilia ministeria exercere non renuant: neutrum probo, alter enim vanitatis & alter vilitatis periculo laborat: nuda & majestuosa libertas gravissimis periculis exponit, adhuc justissimos hominum, quo severius veritatem affectant, sed nobilitas aut lucro, aut ignava formidine, ad extremum vilitatis declinat. Discat ab illo Aruntio, Romano libertatem, qui temporum tædio, vita abiit, non eadem omnibus decora: dixit; *Sibi satis ætatis, neque aliud pœnitendum, nisi quod inter ludibria & pericula, anxiam senectam toleravisset, diu Sejano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed flagitiorum impatiens: sane paucos & supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum, imminentis Neronis juventam? an cum Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis, convulsus & mutatus sit: C. Cæsarem vix finita pueritia ignarum omnium pessimis nutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior, ad Sejanum opprimendum dilectus, plura per scelera Remp. conflictavisset? prospectare se jam acrius servitium, eoque fugere acta & instantia, hæc vatis in modum dictans, venas resolvit.*

Tacit. 6. Annal. 11.

Democritus, Græcorum severissimus, cum severiora quam ferrent Abderitani viri, imperaret, libertatem senis non ferentes, Democritum ut insanum, detulerunt Hippocrati, ut illum ab insania liberaret, absurda dicebant loqui, & à communi hominum consensu aliena; cum ipsi potius insanirent: ob hoc Socrates, criminibus aggressus capite damnatur: *Iura violat*, dicunt Athenienses, *quæ ex majorum instituto accepit civitas, Deos esse negans, alia vero dæmonia inducens, contra jus & fas juventutem corrumpit*; *pœna illi mors*: ac tandem illum poculo venenosæ & frigidæ cicutæ damnaverunt. Homerum, velut insanientem, drachmis quinquaginta multarunt. Tirtheum, ob nobilem & ingenuam libertatem, mentis dixerunt impotentem; ac tandem lapidarunt. Ob nobilem libertatem, Romanus Cato, septies in judicium delatus est. Sed mira libertate, ex nostris, generosus & nobilis Comes secundus de Olivares, Dominus Joanes de Gusman, Beatissimo Pontifici Sixto Quinto, loquitur: Legatus sacræ curiæ, sub secundo, Philippo & sub principe pacis: sed sub Philippo IV. grave tulit exilium, generosa libertas, Cardinalis de Borja, ab Urbano Octavo, magno Ecclesiæ Pontifice; alii communem libertatem excedunt, sacra libertatis cupidine, & fortasse jactantiæ. Inter angustias fortunæ, ad ultimam miseriam & pudendam inopiam, illustrissima *Hortensiana* domus delapsa est, ut Tiberio, apud Senatum, diurnum victum Hortalus peteret, quem Tiberius indigna principis vilitate denegavit, sed insolenti libertate, ad quod Hortalus siluit, an pavore nobilis verecundiæ, an auctę nobilitatis memoria; mancipii unius audacia, Posthumum Agrippam interfecit, ut se dominum simularet; sed hunc accepta idonea manu in palatium traxere, & quærenti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur, quomodo & tu Cæsar. Alexandro, orbis Imperatori, sic Scytharum legati proloquuntur: *Abhorrentia forsitan moribus nostris, & tempora & ingenia cultiora sortitis, si Dii habitum corporis tui, aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet; altera manu orientem, alia occidentem contingeres: & hoc assequutus, scire velles ubi tanti Numinis fulgor conderetur: sic quoque concupiscis quæ non capis: ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam; deinde si humanum genus omne superaveris, cum solibus & nivibus, & fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum: quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? stultus est, qui fructus eorum spectat, altitudinem non metitur: vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehenderis, decidas; leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: & ferri duritiem rubigo consumit: nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido. Quid nobis tecum est, nunquam terram tuam attigimus: quid scis unde venias, licet ne ignorare, in vastis silvis viventibus? nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus: dona à nobis data sunt, ne Scytharum gentes ignores*; jugum boum, aratrum, sagitta, & hasta, & patera: *his utimur cum amicis, & in hostes; fruges amicis damus, boum labore quæsitas, patera cum eisdem vinum Diis libamus: inimicos sagitta emimus, hasta cominus petimus: sic Scythiæ Regem & postea Persarum Medorumque superavimus: patuitque nobis iter usque ad Ægyptum: at tu qui te gloriaris ad latrones venire, jam etiam ad pecora nostra avaras, & instabiles manus porrigis; omnium gentium quas adisti latro es: Lydiam accepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos in potestate habes, Indos petisti: quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt: primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberes, acrius quæ non habes cuperes: dum hos subigi cupis, alii bellare cœperunt, bellum tibi ex victoria nascitur: paupertas nostra velocior erit quam exercitas tuus, tot nationum præda onustus: eadem enim velocitate & sequimur & fugimus: Scytharum solitudines*

Græcis etiam proverbiis audio illudi: nos deserta & humano cultu vacua, magis quam urbes & opulentos agros, sequimur; proinde fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec invita teneri potest; impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. Sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet, cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit: denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter quæ tui obliviscaris: quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti; nam & firmissima est inter pares amicitia; & videntur pares qui non fecerunt inter se periculum virium: quos viceris, amicos tibi esse non credas; inter dominum & servum nulla est amicitia, etiam in pace; belli tamen jura servantur: jurando gratiam Scythas sancire ne crediderís, colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant; nos religionem in ipsa fide novimus; qui non reverentur homines, fallunt Deos: nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Cæterum & nos, & Asiæ, & Europæ custodes habebis, utrique imperio tuo finitimos: hostes, an amicos esse nos tibi velis, considera: hæc Alexandro, hæc libere dixit Barbarus. Haud absimilem libertatem in summa Romanorum potentia Danubii villicus adfectavit; ideo adscitur postea nobilibus Romanorum familiis: *Quæ amentia*, dixit Alexander Poro Regi, *te coëgit rerum mearum cognita fama belli fortunam experiri: at illi neminem me fortiorem esse credebam; meas enim noveram vires, nondum tuas expertus; fortiorem te esse belli docet eventus; sed nec sic quidem parum fœlix, sum tibi secundus.* Rursus interrogatus quid ipse victorem statuere debere censeret? *Quod hic*, inquit, *dies tibi suadet, quo expertus es quam caduca fœlicitas esset.* Plus monendo profecit, quam si precatus esset; quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo, sed etiam honore excipere dignatus, ægrum curavit, ac secus quam si pro ipso pugnasset, confirmatum, contra spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliori regno quam ante tenuerat. Nec sane quidquam ingenium ejus solidius aut constantius habuit, quam admirationem veræ laudis, & gloriæ. Nullum tamen legimus generosæ libertatis exemplum quam Flavii Tribuni; quod in Tacito legitur, 15 *Annalium* 15. *Flavius Tribunus*, inquit, *confessionis gloriam amplexus, interrogatusque à Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset; oderam te*, inquit, *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida matris & uxoris, auriga, histrio & incendiarius extitisti.* Nihil in illa conjuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit: quia ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, insolens erat. Proximum constantiæ exemplum Sulpitius Asper, centurio, præbuit, percontanti Neroni, cur in cædem suam conspiravisset; breviter respondens, *non aliter tot flagitiis ejus subvenire potuisse.* Politicam sane sectam suo utili unusquisque sequitur; tu autem inter illos, sequere meliores; nam in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima.

Curt. lib. 8. cap. 14.

Non sit comes jactantiæ libertas, sed sit à metu procul, in iis quæ firmã frontem desiderant; semper libera & semper ingenua; illud tamen ad tempus moderatur prudentia, quando nocet libertas; sed plerisque accidit quod Tiberii temporibus, ne quis juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinclum & necessitas silendi; ut aliis accidat commendatio ex injuria, aliis odium ex invidia. multi pro honestis & præsentibus, flagitiosa & incerta expectant, quos aliquando juvant tempora infœlicia: & fortuna, quæ conatus fœlicium faciliores reddit, & ad majorem libertatem disponit; quæ sane temeritatem sequitur: ac ex illa prorumpit in audaciam, quæ ad inobedientiam disponit; hinc majorum despectus, legum transgressiones: *Ac in ipso facinore*, dixit Plato, *jus jurandum, fidem, & omnino Deos neglexerunt*: in hoc statu, pro libertate pugnare paratus; *Viri Athenienses*, dixit Solon, *aliis quidem sapientior, aliis quidem fortior sum: sapientior enim illis, qui Pisistrati conatus non advertunt; fortior autem illis, qui sciunt illum quidem, sed metu silent.* O lamentabilis libertatis nobilium proscriptio! Senatus Solonem insanire proclamavit: at ille, *Mea*, inquit, *insania, cives brevi tempus ostendet, cum lux veritatem aperit:* mox enim Pisistrato, jam rerum potito, *ô patria*, dixit, *tibi quidem verbo & opere auxiliatus sum, auxiliari tamen non potui.*

3 Ann. 14.

Sub duplici cardine libertas Politica versatur: sub libera scilicet, sed effreni quæ sequitur potentiam, aut adfectatæ impetum vanitatis; aut quæ sequitur valoris, officii, aut decani prærogativam. Primæ sit exemplum Tiberius, qui vivente matre, & Druso, Seianum timuit, aut dilexit, objectis libidinibus, vixit ambiguus; postremo in scelera aut dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum genio utebatur: sed falso libertatis vocabulum obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi; nihil spei nisi per discordias habent. Sit exemplum secundæ, Claudius, qui famosos probris quo nam modo senatu pelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex severitate prisca rationem adhibuit, ut judicium censorum, ac pudor sponte cedentium, permixti ignominiam mollirent, ob quod Dipsanius eum patrem patriæ appellavit, & senatus. Est enim semper materia sceleri detrahenda: vere enim decanum, sapientem & principem ingenuum, & nobilem civitatis gubernatorem in populum, aut parasitum in principem alta decet libertas: quo nulla est necessitas major: sed illud infamem superat libertatem, in pudendo Messalinę facinore, quando ista vivente marito Claudio non tantum nomen matrimonii concupivit, sed in actum prorupit; (ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est,) Sylio enim nupsit vivente Claudio intra civitatem; sed illud summũ dedecus superat, ignavia scilicet Claudium trepidare, ad uxoris scelus, impotens ad supplicium, & ideo libertis clientibus committitur: sed in libertate non omnibus par exitus; illis tamen bene cedit libertas, qui pronis auribus audiuntur; nam audit quem amat populus, animum maxime si rebus aptum tulit. Initio principatus Neronis, Senecæ oratio pronis auditur animis, erat enim composita, ut quæ multum cultus præ se ferebat, ut fuit illi viro ingenium amænum, & temporis illius auribus accommodatum. Tulit etiam fœliciter Burrhus militiæ decreta, quia semper impavidus.

pavidus. Omnem ſupergreditur Cato libertatem, quia populo gratus, periculis intrepidus, & per varias rerum cadentias immutatus: quare res ipſæ modum libertatis diſcernunt, ut hanc aſſequeremur cum locus videretur virtuti patefactus: quod ſi princeps neceſſariam libertatem non aſſequitur peculiari genio, aut ætatis defectu, illud virorum electione ſuppleat, virorum dico non ambitionum: nam daturum ſe promiſit documentum Nero, ſi honeſtis, an ſecus amicis uteretur; ſi ducem amota invidia egregium, quam ſi pecunioſum & gratia ſubnixum, per ambitum deligeret. Severa ſemper libertas illa priſca ætate ante ibat, adhuc in ipſo Deorum cultu: nam Caſſius ſi pro fortuna & benignitate Diis grates agerentur, neque totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere diſſeruit; ideoque oportere dividi ſacros & negotioſos dies, quibus divina colerentur, & humana non impedirent. Publius Suilius ſe nocentem videri, quam ſupplicem maluit, ob animi ferociam ac libertatem: crimen, periculum, omnia potius toleraturum, dixit, quam veterem ac olim partam dignationem ſubitæ fœlicitati ſubmitteret: in hac oratione Senecam ſtudiis inertibus incuſavit, de fœdoque adulterio: quod intra quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies ſeſtertium paraviſſet; (ô tempora inter infœlicitates fœlicia, ubi ſaltem erat libera hominum reſpiratio) licet populi rumor, neminem ſine æmulo ſinit; ſed ſolus dives, pondere divitiarum mergitur, (ſemper grave Reip. delictum) ſicut Domitius Balbus orbitate & pecunia, inſidiis civilibus redditur obnoxius; in quo noſtræ ætati aſſimilatur illa ætas, ubi *gravius delictum ſunt divitiæ.*

13 *Annal.* 9.

24 *Annal.* 33.

Crudam non laudo libertatem, ſed damno inſolentem. Libertas enim in vitia & pro honore patriæ, pro gloria erit; quoniam rerum magnarum curam non diſſimulant, qui animum etiam leviſſimis advertunt. Alios ad famam libertas promovet, plures præcipitat; nam hos ſeducit imprudentia, vanitas & ambitio; illos movet utilitas communis: non ſunt enim omnibus omnia decora, nec ſimiles circunſtantiæ in omnibus. Romanam libertatem vendicare olim, Marcus Brutus ſtuduit, ſumma libertate, in Cæſare Tyranno; ſed libertate frui, illi fati fœlicitas non permiſit. Poſt obitum cum hic forte Lucio Bruto obviaret Elyſeis, illum rogavit, quare non fuit par fortuna utrique noſtrum, ſi par facinus, haud inæqualis gloria, & generoſa libertatis intentio? Cui Senior Brutus ſic loquitur; *Non ſufficit, amice Marce, ad Glorioſum facinus par fama, par libertas, glorioſa intentio: decet enim hæc omnia ſumma prudentia, & circunſpecta judicii integritate complanare: hoc etiam, adverte Marce, quod fœlicem ac prudentem medicum deberes imitari: cum ſe tibi libertas obtulit, & patriæ & populi Romani, quod nos mature fecimus, cum imperium à pravis tyrannidis humoribus expurgavimus; primo enim in ægrotum imperii Romani corpus mentem intendimus, perpendimus quantitatem, qualitatem humorum qui illud obruebant, inter triſtia ac mortalia ſervitutis: ac prudens & expertus, tyrannum ſyrupis odii popularis præparavi; & exitio etiam deſtinavi, quibus quotidie in populum reddebatur inviſus, ad ſummam uſque gentis deſperationem, quo nihil mihi erat optabilius: agnitoque jam morbi ſtatu, præparatis humoribus, ruina & ululatu gentium, confuſoque planctu populi, materiam nefariæ iniquitatis belle novi diſpoſitam, ac ſalutari expulſioni aptam: quare ſola uncia duplicata ſyrupi ſolutivi, reſolutionis tempeſtivæ, caput impatientis populi (metitis prius Reip. viribus) abſque ullo necis violentæ timore, aut tumultuantis alternationis, peſſimos ac turgentes tyrannidis humores expurgavi, cum bella conſerentia & tolerantia, quo patriam ad priſtinam ſalutem ac libertatem duxi. Tu vero minus prudens in minus circunſpecta reſolutione, te dediſti præcipitem ſolo recuperandæ amiſſæ libertatis flagranti deſiderio; ſed crudis & incoctis humoribus tyrannidis: tali intellectus caligine; ut te ipſum & populum, in triſtiorem ſervitutem redigeres, quando Cæſarem in ſenatu perdere decreviſti: nam debili libertati Romanæ, & viribus attritis, crudis adhuc humoribus, effrene catharticum ex antimonio & coloquintida imperaſti, quo omnem humorum cruditatem conturbaſti; nec expulſis humoribus morbum effreniorem reddidiſti, ac omnem corporis harmoniam ad confuſam ametriam expuliſti, in tuam primo, poſtea ſociorum ruinam, in cauſamque peſtiferæ lamentabiliſque proſcriptionis, quæ abolitam in totum reddit libertatem: quare te illa damnat Hippocratis ſententia: Concocta medicari, at movere non cruda oportet: vera ſemper illa fuit parœmia, non mutat principem conjuratio, ſed tyrannidem. Fateor quod in deſperatione melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum: ſed illud intellige, dum eſt adhuc principium, ex quo poſſit dimanare ſalus; quare in tam grandi periculo omnia oportuit attente contemplari; & inter media fortiora prius decet attendere, quibus patriæ libertatem occupavit Tyrannus, quia dum illa vigent, non eſt honeſti Zeli, ſed crudelis & propriæ libertatis contrarii, tyranno inſidiari, cum proſcriptione patriæ libertatis: nihil enim æque ſanitatem impedit, quam crebra remediorum mutatio: non venit ad cicatricem vulnus, in quo crebro auxilia mutantur: nihil tam utile eſt quod in tranſitu proſit: jam non Tarquinios triſtis populi favor conſervabat; ſed callidis artibus illicitus tyrannidis in ſpeciem compoſitus: cum vitæ ſævitia, luxuria infamis, ſacra & nefanda cupiditas, Tarquinium incœperant jam præcipitem dare, quo ruerunt imperii fundamenta: ac ideo libertati ſine violentia ceſſit facinus: ut noſtra conjuratio, à cervicibus Tarquinios non depulerit; ſed ruentes jam, dederit præcipites; cum publicum odium illos præcipitabat: & adverte quod in communi miſeria, miſerabilem omnes lugent Reip. ſtatum, ſed fere nullus auxiliari audet; nam validæ reſolutiones firmam frontem deſiderant: tuum autem Cæſarem, adhuc exercitus benevolentia conſervabat; quem tot per annos prodiga liberalitate obſtrinxerat, qua & communi obſequio, aut timore, populi libertatem occupaverat; & dum tam ſolidis columnis nitebatur, nil aliud paraſti, quam Julii in Auguſti perſonam imperium commutare, cujus aſtus, in crudelitate proſcriptionis nitebatur. Illius autem in falſa clementia, ut utrique tyrannis redderetur ſecura: ante omnia noſmet ipſos debemus æſtimare, quia plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus: nam alius eloquentiæ fiducia prolabitur: alius patrimonio ſuo plus imperavit, quam ferre poſſit: alius infirmum corpus laborioſo preſſit officio: quidam ad res civiles idonei non ſunt, quæ firmam frontem deſiderant: quorumdam contumacia non facit ad aulam, quæ vivit ex adulatione: quidam non habent iram in poteſtate ſua, quos indignatio præcipitat: alius urbanitatem neſcit, nec à periculoſis abſtinet ſalibus: omnibus his utilior negotio quies eſt. Quare ferox impatienſque natura, irritamenta nocituræ libertatis evitet; nam omnium maxime prudentia adornat libertatem, re-*

rum experientia & valor. Debet esse semper plus virium in latore, quam in onere: multa dulcia gloriæ obtentu vita mentitur: nos vero, cum vivere incipimus, tunc morimur; nihil enim est inanius quam libertas non sua vi enixa; ideo vitæ vanitas major quam utilitas est.

Non majori versatur in periculo Resp. quam cum abolita est libertas senatui; & princeps per omne genus sævitiæ grassatur; seu cum præ ignavia, aut timore, arbitrio non suo, sed alieno vivit: ut Vitellius qui exprobranti aliquando reticuit, ut pavida ingenia solent: hoc etiam senatui Romano legimus accidisse; illusit olim Neroni fortuna, & Bassi cujusdam Pœni consilium de promisso thesauro, sed senatus miserabili servituti adactus, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus, adjecitque facundiæ coronam, ut ludicra deformitas velaretur: & pavido timore, suam & principis fecit notiorem infamiam. In magna enim confusione, iniquitate, & adulatione, ad invicem certantibus, nulla libertas datur, quoniam nullus ordo metu & periculo vacuus, & ut Neronis tempore quanto magis occultare & abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Clamor vocesque vulgi ex more adulandi, nimiæ & falsæ, non metu, non amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis privata cuique stimulatio, & vile jam decus publicum. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessit facilis mutatu, & in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur, ruentem impulit. Omnium quidem occupatorum nempe pavore conditio misera est, eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant; sed ad alienum dormiunt somnum; ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur; si isti velint scire quam brevis sit eorum libertas, cogitent ex quota parte sua sit. Fateor esse periculo expositum, se super alios libertate, aut gravis alia claritudine extollere: habet enim aliquid ex iniquo omne magnum exemplum quod contra singulos utilitate publica rependitur, fateor etiam vilem animum multum de antiquo splendore minuere, cum libertatem invertit adulatio: ideo forte Senecæ objiciebat populus eloquentiæ laudem uni sibi ascire, & carmina crebrius factitasse, postquam Neroni amor eorum venisset.

Tacit. 14. Annal. 13. — 16 Annal. 1. — 16 Hist. 16. — 2 Hist. 12. — 14 Annal. 15.

Nec semper acerrima libertas intendat arcum; nam si animum aliquando flecti nolumus, fortasse frangemur; non omnia sunt acriori censura irritanda: nec desunt honestæ excusationes libertatis defectui: & pleraque petunt necessario obsequium, ad plausum maxime consequendum: nihil enim acrius in se concitat iram, quam superba elatio: nam sunt homines liberi in civitate libera; sed primores hominum honestam libertatem amittere pro vili plausu, de animi vilitate arguit; Nec deerat Otho (cum tentaret imperium) protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione. Ingreditur theatrum Nero cunctis citharæ legibus obtemperans, postremo flexu genu, cætum illum manu veneratus, sententias judicum operiebatur, ficto pavore; ubi crederes lætari, ac forte lætabantur, per injuriam publici flagitii. Hæc sunt quacunque fortuna securiora, sed non magis honesta: licet res utriusque fortunæ, à duris judicibus parum probentur: viros quacunque professione summos, libertate laudabis: ab his secundos hilari vultu sine commendatione honorabis: encomia cum admiratione quibuscunque vitabis: non est enim sapientis admiratio, modesta decet interdum adulatio, intra metas prudentiæ, licet proprio gliscat genio: *Neque turpe est*, inquit Plato, *neque abhorrendum consequendæ sapientiæ gratia, servire cuilibet, & honestis obsequiis unicuique morem gerere.* Facetiarum libertas aliquando nos decipit, nunquam nos cautos reddit: ideo adverte quod odia ex intima sodalitate contracta, magis percellunt animos: sæpe enim asperæ facetiæ, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Illud alte perpende, ne publicis aut privatis alterius malis abutens, aut nobili fortasse amicitia ad occasionem privati odii relabaris.

1 Hist. 7. — 16 Annal. 1. — A — Dialog. Eutidemus. — B

At sunt plerique hominum, qui aut genio, aut vitæ integritate nequeunt aut nesciunt, parcere libertati; si non etiam ex obligatione. Lucius Vetus, accusatori cessit implacabilis, eo solo crimine, quod vitæ integritate & modestia principis facinora incusavit, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio fœdaret. Cum Crœsus Soloni thesaurum ostendisset, ô hospes Atheniensis, inquit, nunquid me beatior est alius: ego vero, inquit Solon, vidi beatissimum, Tellum Atheniensem, mediæ fortunæ virum, Bitonem Cleobulum: Crœsus autem actus in furias prorumpit: adeo ne tibi, quasi nulla, contemnitur nostra fœlicitas, ut ne nos privatis quidem hominibus æquiparandos ducas? Hæc dicens Solonem nullius momenti faciendo dimittit. Postea vero Lydis & Crœso potitus Cyrus, Crœsum in pyra concremare, cum aliis bis septem Lydorum filiis jussit. Crœso autem supra pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis quod ab eo sibi nutu Dei fuisse dictum, ex viventibus beatum esse neminem; & cum animi angore consternatus ingemisceret, ter dixit O SOLON! *utinam omnes Tyranni te audirent?* sed in chronicis & annalibus temporum *de dictis & factis principum* maxima desideratur scriptorum libertas; quoniam cessit avaritiæ integritas & valor, si non ambitioni; aut timori. *Priori ævo*, dixit Tacitus, *res gestæ majorum memorabantur, pari eloquentia ac libertate; postquam autem ad unum potestas redacta est, magna illa ingenia cessere, simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia Reip. ut alienæ, mox libidine assentandi aut rursus odio adversus dominantes, ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios.* Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; interdum autem libertas vitio malignitatis cessit, nam obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur; quippe adulationi fœdū crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis est: omnia omnibus fert temporibus tempus, vitia virtutes, libertatem aut servitutem, principum genia insequuntur; at sceleribus imbuti homines, haud minus vitia principis amabunt, quam olim virtutes venerabantur. *Incidimus in Nervæ principatum*, dixit Tacitus, *& Trajani imperium, rara temporum fœlicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias, dicere liceat. Nec perinde tempore quo scelera, calamitates & nefanda mala obruunt civitatem, defuere virtutis, & bona exempla, & laudabiles*

16 Annal. 2. — C — Herodotus lib. 1. Clio. — D — E — 1 Hist. 1. — F

dabiles antiquorum moribus pares exitus: & à contrario introducto Galba, servorum manus subditis avidæ, & tanquam apud senem festinantes, eademque novæ aulæ mala, æque gravia, non æque excusata, quippe hiantes in magna fortuna cupiditates amicorum, ipsa Galbæ fælicitas intendebat, cum apud infirmum, credulum, & avarum, minori metu & majori præmio peccaretur! O mirabilis necessitudo temporum: nihil sub luna novum! Hæc videtur nostri sæculi facies.

1 Hist. 2.

Nemo ad securas res accedit, ipse facit; utilissimus quidem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus; cogitare quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris: nam auget, aut temperat libertatem fœlicitas: licet difficilius sit temperari fœlicitate, qua te non putes diu usurum; ideo fortasse mansit Celso etiam pro Othone fides, ac libertas integra, & infœlix; quia ruerunt simul. Nemo enim apte potest de futuro discernere: ab Vitellio (imperium ingressus) postulavit exercitus ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, sed mira libertate inhonestam adulationem compescuit: deinde mobilitate ingenii, quod palam abnuerat inter sacrata convivii largitur. Illud erit principibus securius consilium, quod dedit Tiberio Augustus; *Fidem, constantiam, libertatem, præcipua homini dona; tu quidem eadem constantia retinebis, alii per obsequium imminuent:* Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas: nos illa quæ non assequimur, semper desideramus, cæteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum loquuntur. Libertas nobilis veritate & animi fiducia adornatur, & deficit libertas, ubi illa deficiunt; maxime ubi ingruit timor, aut mentem enervavit fœlicitas, & paupertas fiduciam. A mille etiam contrariis illuditur libertas, & in senatu maxime, scilicet à principis potentia, qui alterius regitur avaritia, seu vana ambitione, & ab excessu numeri validioris calculi: nam hæc omnia tulit in hoc sæculo nostra morum corruptio, quæ in divitiarum libidine exarsit. Et sic reor ut quanto magis principi sit suspecta libertas, sit etiam contumacius silentium, si nihil ex illa speras profuturum: nam omnia tempore evanescunt, usque dum meliori obviemus fortunæ: ne proferas imprudens libertatem, ut levissimus quisque spe vana tumens, & futuri improvidus: nam cadmice & sine fine certant qui inter opulenta fluctuant: vetus enim jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque: nam rebus modicis æqualitas facile habebatur, sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus & potentibus, in Rep. viris Regibusque excisis, aut intrusis, securas opes concupiscere vacuum fuit. Prima tunc inter patres plebemque certamina exarsere, usque dum medullas intravit, cum opulentia luxus, audacia, avaritia, luxuria & ambitio: ut apud nostros recentes mores ad priscam severitatem restituere, nisi iterum Hispania perdatur, sit impossibile: nec perinde judicari potest; quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. Nec est nostrum sæculorum deterius; nulla enim ætas vacavit culpa; *Et vitia sunt hominum, non temporum:* Et plerisque temporibus crudeliora vitia observavit vetustas, veluti sub Tiberio, Nerone & Caligula: sed unus quisque sua vulnera sentit; nam in vasta Monarchia, scelera subditorum nec possunt comprehendi, nec puniri; *Inter Vitellium & Vespasianum*, dixit Tacitus, *Mucianus non jus, non verum in cogitationibus expectabat, sed solam magnitudinem opum; nam pecuniæ bonis malisque temporibus æque valent:* ne ista videantur solius nostri sæculi avaritia & luxus: nec ad talia vitia nostri dejecti sunt, ut apud Romam olim, ubi cautum severe fuit, ne equites Romani ludo & arena polluerentur: & apud cæteras nationes, etiam nobilitatem in varia dedecora præcipitavit luxus: at licet nostros seducat avaritia, aliquando ambitio, (vitia incomprehensibilis monarchiæ necessaria non æque excusata) non tamen impulit ad contraria hereditario & antiquo valori, nempe ad vilitatem animi; nam nostrorum valor, visceribus inclusus, excitatur periculis; & vitiis vilitatis non cedit.

2 Hist. 11.

2 Hist. 16.

Est pleraque libertatis species, quæ videtur principis ignaviam incusare, oblitum aut dormientem excitare: & à majestate æstimatur pro crimine; ast illa sola decet emeritum in bello aut in pace, & non quemcunque virum; & ista debet ferri à principe. Vespasiano se manu & armis Imperatori suo, militare dixit Antonius, cessisse tamen in irritum labores, si præmia periculorum soli assequantur, qui periculis non affuerint. Idem Secundo Philippo, utriusque orbis Regi, dixit dux ille invictissimi animi *Ferdinandus Cortes*; (sæculorum invidia,) hoc etiam liceret Dolobellæ petenti triumphalia fine dato in Numidia, triumphalibus armis, quod abnuit Tiberius in veste, & tribuit Sejano privo amico suo, ne laus avunculi Blesi obsolesceret; sed neque Blesus ideo illustrior; & huic denegatus honor, gloriam intendit: laudabili etiam libertate, *Cremutius Cordus* oravit, cum capite apud Cæsarem postularetur; *Brutum & Cassium laudavisse dicor*, inquit, *quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit: sed plerique ob morum similitudinem, aliena malefacta sibi objectari putant: carmina Bibaculi & Catuli, referta Cæsarum contumeliis leguntur, sed ipse Divus Iulius, ipse Divus Augustus & tulere ista, & reliquere: haud facile dixerim moderatione magis an sapientia, namque spreta exolescunt, si irascere, agnita videntur: sed maxime solutum, & sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemisset: suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii & Bruti, sed etiam mei meminerint.* Egressus dein senatu, *vitam abstinentia finivit.* Hujus libros per ædiles cremandos censuere Patres, sed manserunt occultati & editi; nam contra punitis ingeniis gliscit autoritas. Hoc adverti in illa severa & prisca libertate, ut tantum ad mortem pateret iter, non ad præmia: ideo omnis ad adulationem libertas versa est: & apud omnes fere nationes practicatur. Honores olim Vespasiano & familiaribus decernuntur à senatu, cæteri vultu manuque, pauci quibus conspicua dignitas, aut genium adulatione exercitum, compositis orationibus assentabantur; nemo honores libertate discernit.

3 Hist. 11.

4 Annal. 6.

4 Annal. 8.

Remp. pristinæ libertati restituere, est æque difficile, ac vitia delere in habitu contracta: ultimum enim miseriæ est; cum ita sunt adulta vitia, ut opus sit punire veritatem. Et cum sunt intolerabilia vitia, sed magis intolerabilia supplicia.

 Est

Est tantum expectandum auxilium ex venienti sæculo, meliori fortuna educato: non sub ignava opulentia & luxu: nam severa & generosa si non creat in animo virtutes, ingerit educatio: ac generosioribus fere connaturalis enascitur libertas. Romana potentia sub vasto imperio pari dominatione & excidio viguit; ceciditque, dum virtus imperavit, aut cervicem luxui & vitiis submisit. Jugum imposuit Hispania cæteris nationibus, dum severa & prisca disciplina viros suos in vitæ moderatione coërcuit: sed valor & libertas, cum opulentia & luxu, incepit declinare: extrema autem pauperie abolevit; nam æque luxus ac pallida paupertas valorem minuit, ac libertatem delet. Eluidius Priscus, illustre ingenium altioribus studiis juvenis admodum dedit, non ut plerique, sub nomine magnifico, segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita Remp. capesceret: doctores sapientiæ sequutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerat: nihil est in optima civitate, civium justa educatione honestius; nihil prava infœlicius. *Quam beatum tibi videtur*, dixit Plato, *Tyrannicum filium genuisse, voluptate & delitiis educatum, cui parentum supellectilis non sufficiet: an non proprio, parietem alterius perfodit domus, vel nocte tarde euntis pallium rapiet, deinde templum aliquod spoliabit: tandem vero amoris tyrannide irretitus, qualis raro erat in somnis, talis semper erit vigilans: nam & à nulla cæde impia abstinebit, vel ingluvie, vel facinore; ac si pauci tales in civitate sint, cæteri vero modesti, minuta mala committent? furabuntur, muros fodient, marsupia incident, expoliabunt, prædabuntur, sacra rapient, captos homines servire cogent, nec non calumniabuntur; quandoque si dicendo facundi sint, perjuriis decipient homines: muneribus corrumpent judices.* Haud prope accedit, ut est in proverbio, civitati talis miseria. nemo enim est sponte malus, sed propter pravum corporis habitum, rudemque educationem, malus omnis, fit malus. nec est qui caveat capite alieno. non ergo solum sub veræ sapientiæ præceptoribus, sed sub libera & ingenua libertate, sit nostra filiorum educatio, severa & non lubrica; ne illis virtutis aspiratu, quod Arideo accidat, qui dum ascendere tentaret, hiatus minime permittebat, ac ex alto depressus, iterum & fataliter nitebatur ascendere: est enim educationis disciplina, ea vitæ à pueritia institutio, quæ in amorem virtutis paulatim adducit animam puerilem: prava utique disciplina, victoriam sui præstat: victoria nonnunquam negligentiam & ruditatem gignit; multi enim victoria elati, alia quoque vitia multa per insolentiam contraxere: vera quippe disciplina, nulla unquam Cadmea fuit; qua victor vinceretur: cujus defectu nos nostrique liberi viritim pœnas damus: humanum genus natura quadam insita, immortalitatem desiderat; cujus rei quisque natura summopere cupidus est: nemo enim non desiderat perpetuum apud posteros fieri, quoniam ideo in sempiternum durat quod filiorum filios relinquendo, optime educatos, unum & idem semper per generationem immortalitatem adipiscatur. nefas est ergo immortalitate se ipsum sponte privare: hac se sponte privat, qui negligit filios in severa disciplina continere: & qui hanc legem negligit, honorum Reip. particeps non sit, dixit Plato: nemo igitur liberorum gratia, pecuniis cumulandis incumbat, ut relinquat ditissimos, si veram non quærit disciplinam; neque enim ipsis neque civitati id conducit. Sed sensus tum adulatione vacuus, tum rerum necessariarum non indigens, omnium decentissimus est. Adhuc in bello vastata civitate cives adulterina disciplina educati, suscipiendi non sunt, dixit Plato; *necessitatem enim*, ut fert parœmia, *nec Deus violat*; nam delitias, difficiles, morosos, iracundos, & levi de causa excitabundos juvenum mores parere, docet experientia: contra vero nimia servitus & atrox, cum abjectos & illiberales & humana perosos facere: severi patres severius educant filios, filiorum modestia delectantur; ideo illos tristiori continent disciplina: hujus quod sæculi conditio magis fræno quam calcaribus indiget: educatione homo distat à pecude, Græcus à Barbaro, liber à servo, Philosophus ab imperito: ô utinam sub aquila & signis omnes educarentur: ibi enim severissime observantur præcepta, & acerrime puniuntur delicta, absque eo quod judices corrumpat avaritia; Licet & armorum judicium jam olim corrumpi cerneremus: ideo Herus Harmonius apud inferos testatur se vidisse animam Aiacis Telamonii, leonis vitam elegisse, fieri hominem fugientem, dum armorum judicium olim datum mente revolveret: ac ultimam sortem Ulyssis animum elegisse, ac præteritorum laborum memoria, vitam privati incuriosi hominis; eamque vix tandem alicubi jacentem, & neglectam, ab aliis reperisse, dicentem, non aliam se vitam electuram, etiam si sortem primam nacta esset.

Ad utilitatem Reip. pertinet, & principis honorem, optimos eligere; quoniam *imperando pauci apti, omnes obsequio* sufficiunt; nam ultra modum libertas societatem præcipitat & pacem: id magis vitandum censui, ne pervicacia quorundam ministrorum irritetur animus semper suspensus; & vultus quoque ac sermones omnium circunspectans: oportet se meminisse temporum, quibus natus sit; quam civitatis formam patres avique instituerint; recens quid imperet necessitas, ac contraria æqua lance perpendere: ulteriora mirari, præsentia sequi, bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare: libertas majestuosam auctoritatem æquet, libertatem auctoritas, aut intra metas consistat: sed illud pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium: illi levia, hi falsa formidabant; nos utraque. Noveris generosam animi celsitudinem natura etiam multis animalibus datam: virtutem solam proprium hominis bonum esse; deos fortioribus adesse, cum unam in audaciam spem salutis posuere: sed interdum in diligentia veri, & adulandi libidine cuncta miscentur, aut crudelitate gubernantium, aut ignavia: ne te præcipitet populi semper implacidi querimonia, aut in necessaria libertate coërceat; nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt; sed tributa semper feruntur graviter: nec est lex ulla insanienti populo: inter hæc plerique vana & sine viribus nomina sibi imposuerunt, ut majora viribus aggrederentur,

Marginalia: 4 Hist. 1. — Dialog. 9. de Rep. — Plat. Dialog. 1. de leg. — Dialog. 4. de leg. — Plato dialogo 10. de Rep.

tur, quæ ædificia defectu fundamenti corruere; ideo forte Germani, consilio & auctoritate simul, nihil neque publicæ neque privatæ rei, nisi armati agunt: at interdum exhortationes & consilia melius audiuntur auctoritate suadendi, quam jubendi potestate, maxime apud illos qui jugum servitutis ægre ferunt: idque pretium virtutis est, ac virium argumentum, quod ut superiores agant, non per injurias assequantur. Neque ad famam quidem, (cui etiam boni indulgent) libertatem valore aut per artem quæsieris, nisi utili Reip. conducat; nec illa cedat in vanitatis pretium.

Tacit. Germania 2.

Procul ab æmulatione adversus collegas, & à contentione in dicendo, attente & simpliciter, tuam dixeris sententiam: *Nam Julius Agricola,* inquit Tacitus, *in comitiis vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur: fronte non caperata promptus in spem, firmus adversis, semper oportet dicere. Nam apud nostros ea insequuta sunt Reip. tempora, veluti sub Domitiano olim, quæ silere Julium Agricolam non sinerent, aut ob temeritatem, aut ignaviam gubernantium, & ducum; quare cum damna damnis continuarentur, poscebatur ore vulgi Dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine aliorum: & sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur; quia non contumacia, nec inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat; quod huic nostro sæculo fortuna denegavit: quoniam si quis nostrum valore, aut constantia, gloriam promoverit in bello, aut in pace; non in gloriam præceps, sed, aut in otium iners aut fatale exilium, mittebatur, ubi valor, constantia, gloria, & libertas aut cederet veneno implacidæ fortunæ, aut livori; neque laudandi viros illustres libertas nobis relicta est: & apud nostros vidimus quod de aliis legimus, cum Aruleno Rustico Petus Trasea, Herenio Senecione, Priscus Elvidius, laudati essent, capitale fuisse, neque in nos modo auctores, dixit Tacitus, sed in liberos quoque eorum sævitum, delegato trium viris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum, in comitio ac foro urerentur: scilicet illo igne, vocem populi Romani & libertatem senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur: expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta; ne quid usquam honestum occurreret, ut segnitia cum otio intraret: emissa pariter virtute ac libertate, dedimus profecto grande patientiæ documentum; & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid ultimum in servitute, adempto per inquisitiones & loquendi & audiendi commercio: memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere,* hæc Tacitus.

Tacitus Agricolæ 8.

De duplici fortuna, insita & arte comparata.

Fortunam, necessitatem, & fatum adoravit antiquitas; ac differentiam inter illa asterisco notavit. Thales validissimam *necessitatem* dixit, cum mundo dominetur: Parmenides & Democritus, omnia necessario evenire, eamdemque ipsam esse cum *Fato*, cum ipsa Providentia & judicio. Plato quædam in Providentiam, in Necessitatem quædam retulit; Necessitatis essentiam Empedocles, causam principiis & elementis utentem arbitratur: Democritus resistentiam, motum & impetum naturæ, & Plato materiam interdum, & interdum habitum ejus qui circa materiam operatur: Heraclitus omnia *fato* evenire contendit; ac ideo à *necessitate* non distinxit; at Tullius & Plato majorem partem tribuunt *libertati*: Stoïci Platonem hac in parte sequuntur; *necessitatem* attamen definiunt, per insuperabilem & violentam causam: *fatum* vero illam causarum seriem dixerunt, in qua illa quoque causa continetur, quæ nobis ipsis inest, ut quædam fato fiant, quædam aliter: *fati* vero essentiam Heraclitus finit, per rationem, substantiam universi permeantem: corpus æthereum, dixit alter, quæ tanquam semine gignitur universum: ac tandem Plato, perennem rationem, & legem naturæ totius universi. Chrysippus vim ordine cuncta gubernantem dixit. *Est enim,* inquit, *lex quædam & ratio naturæ, cujus providentia omnia quæ sunt in mundo gubernantur; vel ratio per quam orta sunt omnia, oriuntur nascentia, oritura nascentur.* Causarum seriem Stoïci dixerunt; hoc est ordinem & nexum intransgressibilem; tertium à Jove Fatum, constituit Possidonius, ut primus sit *Iupiter*, & secunda *Natura*, tertium vero *Fatum.* Aliquid ergo est Fatum, quoniam si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, & forte temere, casu, aut pleraque fierent, aut omnia: & si omnino nihil est, ad rerum naturam fortunamve, omnia referantur oportet. Quare qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devinciunt, & nihil liberum in nobis relinquunt; & velut Epicurus, cum ita animus moveatur, atomorum motu cogi asserit: quod maluit accipere Democritus, & omnia necessitate fieri confiteri. Sed illum cum bona gratia dimittamus: & ad aliorum sententias veniamus, qui docebant, omnia ab animi motu voluntario fieri; sed illud sine causa, antecedente & externa, intellige; non sine causa penitus: motus enim voluntarius eam naturam in se ipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; neque id sine causa: ejus enim rei causa ipsa natura est; aut prorsus à causis externis: unde hæc illis erat conclusio: si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt: quod si ita est, omnia necessitate efficiunt, & nihil in nostra potestate erit. Quare duæ veterum Philosophorum extitere sententiæ; una eorum qui censerent omnia ita *Fato* fieri, ut id fatum non vim necessitatis afferret: in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles & Aristoteles fuit; ut asseruit Tullius. Altera est eorum qui æstimant, sine ullo fato esse animorum motus voluntarios. Chrysippus autem medium tenet iter, licet magis ad *fati* necessitatem relabatur: dicit enim quod res fiunt à causis quæ in nostra potestate non sunt; aut aliter contingunt: illas omnino *Fato* fieri asserit: quæ autem in nostra potestate sunt, in his fatum abesse: & huic sententiæ videtur Tullius inclinare: *Hoc enim modo,* inquit, *hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus & de via declinantibus præsidium petere; nam vim habebat atomus ut dicebat Democritus ab impulsione, quam ille dixit plagam, seu ut dixit Epicurus ab ipsa gravitate & pondere. Quare fati decretum immutabile, divini Numinis attulit providentia, sub*

Lib. de Fato.

Lib. de Fato.

sub libera hominis voluntate libratum; non quod prima causa actum voluntatis neceßitet, sed agnoscat; sunt enim assensiones atque actiones in nostra potestate: aliter enim nec essent laudationes justæ, nec vituperationes, honores, nec supplicia: quare recte concluditur, quod in hoc fati essentia consistit. Pleraque etiam extra Fatum esse videntur: illa nempe quæ maxime hominis violentia, extra humanitatis limites, exterminat: quæ violenta sunt, ut quæ hominibus ex suæ sortis homine nil tale sperantibus adveniunt: id non tantum dixisse, sed prædixisse legimus Ciceronem, primo Antoniarum: *Hunc igitur*, inquit, *ut sequerer, properavi, quem præsentes non sunt sequuti, non ut proficerem aliquid, (neque enim sperabam id, nec præstare poteram) sed ut si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur, præter naturam, etiam præter Fatum) hujus diei vocem, testem Reip. relinquerem, meæ perpetuæ erga se voluntatis.* Præter naturam esse quæ violentia veniunt, non est dubium: præter fatum etiam, non tantum est nostra, sed Gellii sententia, 13 *Noct. attic. cap.* 1. intra Fatum omnia fere clauserunt veteres, quæ natura dominante adveniunt: ab his tamen excipiunt quæ rapit violentia: *Nihil autem dubium est*, inquit, *quin violentam & inopinatam mortem significaverit Cicero, quæ quidem potest recte videri præter naturam.* Sed cur extra fatum posuerit, non est hujus loci: illud tamen non prætermittam, quod Virgilius quoque id ipsum, quod Cicero de fato, opinatus est, quando *libro 4 Æneidos*, de Morte violenta Elisæ sic scripsit:

Nam quia, nec fato, merita nec morte peribat.

Tanquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt, non videantur è fato, venire: quam certe sententiam, ex Demosthene pari facundia, ac sapientia viro, Cicero accepit, in quadam egregia & nobili oratione, quasi nulla res naturalis & fatalis ulla extrinsecus vi coacta adveniat. Ex his ergo colligitur Fatum apud veteres, in rebus illis tantum contineri, & illas gubernare, quæ naturaliter, perenni quadam vicissitudine, cursum peragunt suum: illas vero quas exterminat hominis violentia, extra communem cursum, hæc nulla Fati necessitate contineri, sed rapi, ad hominis arbitrium.

Fortunam definit Plato, per quandam occultam causam, quæ rebus insideat, quas facere eligimus: causam Aristoteles dixit, quæ ipsis rebus inest, quas libertate facimus, obscuram tamen & instabilem. *A Fato tamen in hoc Fortuna differt*, dicit ille, *quia quæ fortuna fiunt, casu fiunt, cum fortuna in nostris tantum consistat actionibus: quæ vero à fato, non à fortuna omnia, non enim omne fatum ad nostras pertinet actiones; ac ideo fortuna tantum hominibus spectat, & fatum non ad homines tantum, sed ad bruta, & cætera universi individua, licet careant sensu*; Epicurus inconstantem & ipse causam dixit, modis, personis & temporibus, Fortunam. Anaxagoras etiam cum Stoïcis, causam quam humanus intellectus non assequitur: & concludit ex rebus, alia quidem necessitate, alia fato, alia electione, alia fortuna, & alia tandem casu fieri. Si hæc ita contingunt, nonne summæ dementiæ erit, sese divinæ providentiæ oblitum manibus fortunæ committere? furor est profecto, furor; apage grande malũ à mentibus Christianis. Cum fortunæ inconstantem naturam veteres indicare constituissent, eam sive pingendam susceperint, sive fingendam, in fœmineam speciem exprimere non contenti, (licet hoc amentiæ signum satis esset) gubernaculum ejus manibus habendum, basim pedibus globosam subjecerunt; eam denique orbatam oculis effinxerunt: ut per has figurandi rationes, Fortunæ inconstantiam denotarent: ut igitur in navi ideo tempestatibus jactata, ut & fluctibus obrui, & mergi periclitetur, ejus gubernaculum cæco gubernatori male commendari putaverim. Sic in vita quoque diligenda ubi naufragia domibus majora, quam in mari contingunt, non recti judicii est: qui per hæc rerum discrimina sese Deæ eidemque mutabili credat: quippe quæ tam stupida tamque amens est, ut plerunque & digniores negligat, & exaltet indignos; tribuendo divitias, easque non stabiles, sed quas eadem, qua dedit ratione, eripiat. Deam hanc inscia hominum maximo numero turba comitatur: sed stabili sede non quiescit, imo basi innixa volubili, late rapitur vaga, fertur in præcipitia, ut in pelagus ruat, ubi & ejus miseri sequaces pari nece intereant: at illa absque noxa evadit, & miseros demittit, ac lugentes irridet. Hoc etiam agnoverunt Platonici, & cæteri Philosophi diserti. *Fortunam* cum Apelles *sedentem* depinxisset; quare ita; quæsitus: *Quia nunquam stetit*, respondit, & ambiguo certe responso lusit: *stare* enim non tantum apud Græcos, verum apud Latinos, non tantu *rectum esse*, sed etiam *permanentem* significat. Volubilis & instabilis dicitur, quod Veteres adumbrare volentes, ut Eusebius dixit, in pila sedentem effingebant; cui etiam & alas addiderunt, ut velocissimam transmutationem denotarent: id quod Horatius illo carmine cecinit:

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax: (Lib. 3. Ode 29.)
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc aliis benigna;
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Thebanus Cebes in tabula, quam de Fortuna dedit, cæcam mulierem depingit & amentem, quæ insistit sub lapide rotundo; sedentem supra Cylindrum. Artemidorus & comptam & ornatam, aliquando incultam, in manu gubernaculum: ut legitur expressa in antiquis monetis. Extat etiam in antiquis lapidibus caduceus, binæ quem circundant serpentes, in cujus vertice pileus alatus prominet, & utrimque duæ cornu copiæ, ut utramque fortunam nobilis designaret antiquitas: & illa quæ sagaci solertia consequitur, & illa quæ fortuito venit: & non tantum ut bonam fortunam designarent, ceu voluit Vincentius. Et tantum plerique fortunæ detulerunt, ut virtus parum absque illa existiment prodesse; ut licet ad egregia facinora nos concitet, nisi *fortuna comite* non ascendat fastigia; ac ideo illam finxere Deam: nihilominus tamen *suæ quemquam esse fortunæ architectum:* bonæ, si bene iis quæ nobis sese offerunt, uti sciverit: malæ, si illa male sana prudentia digerit. Hoc enim est commune judicium sapientum. Sic Seneca scripsit ad Lusilum: *Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna; valen-*

valentior enim omni fortuna est animus, qui res ducit ad extremorum aliquod: ac ideo beatæ miseræque vitæ causa est; quare cum male cedit, est nostræ imprudentiæ partus; & cum bene, non semper est filia prudentiæ. Ideo forte hominum vetustissimi, *Occasionis* imaginem *Fortunæ* simillimam depinxerunt; ac inter Deos etiam retulerunt, ne absque vigilantia temporum momenta præterirent: res enim temporibus & fluunt & mutantur; & in idem flumen bis non descendimus. *Occasionis* olim illa erat imago: *nuda* mulier, rotæ pedibus aut pilæ insistebat, in fronte erant longi capilli, cæterum occipitio recalvastra, & pedibus alata, quam semper comitabatur *Pœnitentia*; nam occasione elapsa, solus dolor relinquitur. Sic *Occasionis* Phidias effinxit simulacrum, de quo Ausonii elegans legitur epigramma. Et Latini & Græci eam ut Deam coluerunt; hujus altare positum apud Ælios, Pausanias enarrat, ac inter Saturni filias numerasse illam vetustas dixit. Calistratus masculi generis *occasionem* fecit, ad exemplum fortasse Posidippi, inter Græcos Poëtas nobilissimus, ac καιρὸν Deum ipsum vocitarunt; puerum effinxerunt & florentis ætatis formosum, & crinibus sparsis; quod sit Fortunæ comes: nihil enim æque facit Fortunam ac Occasio. Scythæ Fortunam sine pedibus, sed manibus alatis, effinxerunt, ut refert Quintus Curtius, tam cito evolantem, ut adhuc manibus porrectis non comprehendas; & licet videatur nostris manus suas junxisse; manus abstrahit, lubricas pennas porrigit, ne possit comprehendi, ut semper sui juris persistat: instabilis ideo est illius fœlicitas; dat enim, ut habeat quod auferat: ideo forte vitrea à plerisque describitur; quoniam, sicut vitrum, ad quamvis levem occasionem frangitur; sicut fortunæ dona, quæ quavis adversa fortuna facile collabuntur. Et tantum Fortunæ veteres crediderunt potentiæ, ut Spartianus de Severo imperatore dicat: *Jussisse eum, cum esset morti proximus, ut duo fortunæ simulacra in duorum filiorum cubicula deferrentur, divisis inter se diebus, quod divisum esset inter illos imperium:* ut Antoninus Pius, qui Fortunæ etiam simulacrum in Marci Antonini cubiculum transferendum curavit; quod translati imperii signum esset. Apud Ælios fuisse Fortunæ simulacrum, ex ligno inaurato, cum manibus & pedibus marmoreis, Pausanias scribit: & refert in Achaicis Ægiræ fuisse Fortunæ simulacrum, dextera *Cornu-copiam*, & alia *Cupidinem* complectens. Alii Fortunam depinxerunt, in mare fluctibus agitato: alii in altissimi cautis aut prærupti montis, constituerunt culmine: alii tandem super equum imposuere velocissimum, eamque *Fatum* arcu intento insequentem effinxerunt; tanquam quæ fati vi semper exagitetur. Ibi enim est fatum, ubi nullus est Fortunæ locus; sub Lunæ figura Fortunam fingi fecit Macrobius, ac si æqualis esset utriusq; influxus in hæc inferiora, quæ variis Fortunæ casibus sunt obnoxia; & perinde mutantur, & à quibus rerum ortus & interitus pendeat: ac ideo ex Pindaro Pausanias Fortunam Parcarum dixit maximam, cæterisque plus virium fuisse, existimavit.

His ergo in cultum Deorum superstitiosæ vetustati derelictis, ad veram Fortunæ rationem veniamus: Deus rerum omnium opifex, omnia in pondere & mensura creavit; hæc omnia eadem

A actione, justicia conservat: ita ut semper ab illius pendeat actione, & conservatione: ergo naturalis rerum vicissitudo, & perennis generationis transmutatio, sub illo celebratur concursu: & hoc est certe opus divinæ providentię: quo omnia gubernat, ergo in illa etiam & est fati necessitas, & lex fortunæ tacita, quæ rebus ipsis inest, quas libertate facimus: cum rebus ipsis nulla insit necessitas, sui ratione intrinseca, sed superius data, in illis quæ fluunt & refluunt fataliter in hoc rerum concursu: quæ possunt etiam aliter evenire, & de facto eveniunt, ad auctoris arbitrium, ut B constat ex ipsa sacra pagina in Rege Ezechia, & solis cursu retrogrado; ad Aronis imperium divina permissione Numinis, quod omnia gubernat; sed quia divina providentia rerum naturalium medio operatur, videamus quæ sit res naturalis, quæ dicitur *Fortuna.* Est enim *Fortuna innata quædam virtus, quæ fœlicitatem promeretur: interdum habitus operandi fœliciter, quatenus ad finem fœlicitatis conducit; cujus motus principium est ab ipsa divina providentia, dum per causas secundas operatur, ad insitam C & naturalem legem liberrimi arbitrii; & in perfectionem universi.* Hic duplicem fortunam tibi adnotare par erit; & quæ à generationis primordiis resultat, veluti fortitudo & audacia, & virtus in magnete tractiva; & hæc nobiscum nascitur, ut cæteræ animi passiones; nam Fortuna (si divinam providentiam excipias,) si qua datur inter humana naturalis, aut movet intellectum, aut voluntatem movet, fœlicitatis tempore: & si fœlicitas, absque motione intellectus, adveniat, ut cum subito venit, absque prævisione, & ab innata D fœlicitate trahitur, & promeretur ex singulari dispensatione divinæ providentiæ, est illud argumento quod videamus homines torpentes & ignavos adhuc invitos, ad ipsam fœlicitatem trahi & divitiis & honoribus perenniter affluere. Et est alia artificialis fœlicitas, quæ arte comparatur, & consequitur per artem: *Et est habitus operandi fœliciter.* Hanc dirigit prudentia & gubernat sagacitas: hujus *fortunæ est mater diligentia*, ut dixit adagiolum: hæc autem cui præcipue diligentiæ sit, non est humani judicii definire; nam E alius alio modo & suopte ingenio quisque terminat: omnem tamen fœlicitatem, perennis rerum vicissitudo agitat, cum ad summum pervenit, (cum aliis nec medium attingat,) ut labatur oportet; si alibi quiescit: nam feruntur res humanæ, non consistunt, & fluxu perenni dilabuntur. At fere semper nos latent causæ fœlicitatis, ut altissimi Numinis decreta: cum ignavos & impios videamus: summa fœlicitate beari, justos & sapientes agitari infœlici fortuna; quod & Maro cecinit de lubrica Fortuna.

F
O Fortuna potens, quam variabilis,
Tantum juris atrox quæ tibi vendicas!
Evertisque bonos, eligis improbos.
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit;
Justos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, & retinet senes:
In justo arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectave judicat.

Inconstans, fragilis, perfida, lubrica;
Nec quos clarificat, perpetuo fovet.
Nec quos deseruit, perpetuo premit.

At prima illa insita & ingenita, à principiis generationis resultat, ab illa scilicet elementorum mixtione, ut alię proprietates indicibilis: est enim illa quæ resultat fortuna, aut temperamenti harmonia perfectissima, huic fœlicitati, aut quædam facultas indicibilis, quæ oritur ex proportione ac symmetria primarum qualitatum, quæ in principio formationis ad talem fœlicitatem inclinat: & si non est intellectus operatio, est res unica quæ movet intellectum, in tempore & occasione fœlicitatis, media ad fœlicem finem imperare; hæc est unica species entresiasmi, quæ inscium reddit eloquentem, fatuum sapientem; ac fœliciter semper operantem, ex virtute ultimæ individuationis talis temperamenti: quæ non tantum in próprio subjecto operatur; sed ad extra propriam inducit qualitatem, ut cæteros ad fœlicem inclinet: quare inter nos ad fores cordis pulsant actiones aliis inutiles, nobis fœlices, à rebus orientes nobis prorsus ignotis: & ut clarius dicam, est inspiratus furor, veluti, Oratoribus & Poëtis contingit: hoc est nobis fortuna: hæc est temperamenti incantatio, sicut linguæ quæ omnes hominis partes, utilli obsequantur, compellit. Difficile creditu quibusdam fuit, quod fortuna quæ à prima generatione resultat, hominem non reddat æqualiter fœlicem, ac per omnes ætates fortunatum; seu illa sit facultas, seu proprietas quædam indicibilis: cum aliis desinat in juventa, & plerisque senectute incipiat. His tamen respondemus, quod aliis fortuna perennat, quibus à primordiis generationis fœlicitas enascitur, ut de Romulo legimus; cui nihil adversi in vita contigisse, illa vetustas dixit: sed alios fœlicitat ad tempus; hæc fortuna incipit aliquibus: cum proportio, fœlicitati apta, ad symmetriam fortunatam resultat: aliis ad juventam: plerisque ad maturam ætatem: ad senectam paucissimis; semper occulta & semper indicibilis per effectus soli fœlici nota: vocitatur *instabilis*, non quod à bono cesset, sed quod cedat meliori fortunæ: licet mihi illud maxime fortunæ instabilitati conducere natum sit, ipsa rerum vicissitudo & perennitas: nam alios à fœlici præcipitat statu, aut principis ignavia, aut tyrannis; aut privi amici Regis, politica crudelis, aut morosa conditio: popularis tumultus, & bella intestina. Hæc & pleraque alia, quæ pendent ex libero arbitrio, hominem perpetuo fœlicem esse non sinunt: veluti qui ad annum sexagesimum juste victurus erat, quadam morte violenta interpellatur.

Nec ex Philosophis plerique defuerunt, qui vim fati fortunæ privilegium in divinam providentiam retulerint; & maxime Platonici; (viri, arbitri moralis Philosophiæ.) *Dii sunt fati duces,* dixit Jamblichus Platonicus, *ab iis à fati vinculis liberantur; fortunam elargiuntur Dii: postremæ naturæ hoc est mentes humanæ, à Diis descendentes mundi generationem corpusque complexæ, fatum perficiunt; rursus fati clavos adamantinos Diis ipsis non impingimus; quos uti solutores fati colimus: merito itaque Diis omnem sanctitatis cultum ferimus, eo quod soli per intellectualem Suadelam, necessitati imperantes, mala omnia, à fato venientia prorsus absolvunt.* Quantumvis dicat Plato, *neminem vitare posse fatum:* præterea non omnia in natura fati devincta sunt, si alterum animæ principium spectemus, Deo communicans; si vero alterum, erant Dii fati duces, qui vitas hominum insolubilibus devincunt Parcarum staminibus. Ideo forte vetustas fecit Parcas *necessitatis filias:* Lachesis præterita, præsentia Clotho, Atropos futura prædicebat: *Jupiter apud nos,* dixit Seneca, *est mundi rector, animus & spiritus universi: vis illum fatum vocitare, non errabis: ex illo enim suspensa sunt omnia, ex quo sunt omnes causæ causarum: vis illum dicere Providentiam, recte dices; nam huic mundo providet: vis illum naturam vocitare, non peccabis; est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus: vis illum vocare mundum, non falleris: ipse enim est totum quod vides, & sustinet vi sua.* Et ideo à Jove fulmina mitti dixerunt, quia sine illo nihil genitum: fatum enim existimo necessitatem rerum omnium, actionumque; quam nulla vis rumpat: & est veluti series implexa causarum; hinc Heraclitus fatum omnia gubernare contendit; ac Democritus cuncta secundum necessitatem fieri, cum sit rerum necessitas fatalis. Potitus Crœso Cyrus, *quis te ad bellum impulit?* quæsivit. *Ego,* inquit Rex, *hoc feci, tuo prospero, meo infausto fato: neque enim quispiam ita amens est, ut bellum, quam pacem optet; nam in pace filii patres, in bello autem patres filios sepeliunt: sortem enim fato destinatam fugere, Deo quoque est impossibile. Properantius quam prudentius feci,* dixit Cambyses, (extremum lugens fatum) *neque enim in hominis manu situm est avertere quod eventurum est;* ac tandem omnem suam conditionem flevit: nam malorum proprium est in fine flere. Homines enim, à cœlestium Deorum auspiciis, absolvuntur à nodo fatali; quoniam intellectualis actio, perfectissima naturæ, imperium tenuit: & vertibiles esse Deos, ut Homerus putabat, nefas erit: nam sacri cultus opera, ab initio constant decreta, sanctissimis legibus, ac intellectualibus; tum altiore & potestate inferiora solvuntur: & cum primum nos transitum fecerimus in fœliciorem statum, protinus à deterioribus avellemur: nam in hoc nihil proficitur, nisi instituto sempiterno & immutabili: fœlicitatem & fortunam suis numeris Pythagoras adscripsit, perfectissimo & summam & pulcherrimam, ut septimo & trino; minus perfecto aliam: in primo posuit sanitatem, velut fortunæ sobolem; secundo, pulcritudinem, divitias, in tertio, sensuum acumina, in quarto; dispositionem tyrannidum in quinto; hoc est Politicam in regno conquirendo & conservando. Quare fœlicitas vel est prudentia; vel non est sine illa: nam sapere & contemplari, opus virtutis est; & hoc primo mortalibus hominibus eligendam arbitror propter quod unumquodque appetitur; nam illud si est, altero melius prudentia desideratur; illa ergo quæ magis ad fortunam conducit, erit potius eligenda: ex his constat, apud veteres utramque fortunam celebrari.

Amorem & benevolentiam infortunatum fœlicitas influxit; illi autem securius conservantur, quorum amoris principia ignoramus: interdum astra influunt & inclinant; sed non semper fœliciter: & quod transit influxus ante impressionem, & quod recipiatur in subjecto patibili & mutabili. Beneficia etiam aliquando hominem reddide-

Secmento 8. cap.7 & 8.

reddidere fœlicem, si terra beneficio grata inseruntur; si vero in sterili & avara, in tribulos & amaritudinem vertit beneficium: Saul triumphantis David non recordatur, qui antea illi erat gratissimus; forsan quia *memoria beneficii est ingrata*: nunc *beneficii memoriam*, delevit, quæ *in solo beneficio* consistit: interdum benevolentia ante genitorem moritur; & inde ruit privi amici Regis benevolentia, quia Rex illum ut creditorem adspicit, & forte injusti alicujus facinoris; quare horret ad illius aspectum, & ut inimicum odit. Dubitavit quispiam, an amoris principia inclinationisve, ab intrinseco principio oriantur, an à fortuna oriendi gubernentur; & arbitrum hujus eventus fatum constituit; & cum sorte oriendi copulavit, ac omnia fere reduxit ad astrorum influxus: & addit; si aliam noverunt rationem politici, hanc audirem. Hæc non docentur, sed nobiscum nascuntur. Illud tamen astrorum influxu fœlici videtur repugnare, quod si duo, in paribus momentis oriantur; quare non utrique fœlicitas influxit? alius enim duxit vitam miserrimam, & alius fœlicem. Quare par erit credere, aut ex virtute ultimæ individuationis dimanasse, aut ex acri solertia. Bene poterit aliquis per valorem ascendere, aut altam sapientiam: per illa tamen æstimationem consequetur, non amorem. *Amorem* dixerunt aliqui *Copiæ & Inopiæ filium*: alius amor, ex similitudine nascitur: ex cœlo alter: & stellarum influxu, ex æquali consuetudine alter: ac tandem alius ex specifica hominis pulcritudine: occultam potius dicerem sympathiam. Credimus equidem quod stellæ aliæ influunt amicitiam, & amorem aliæ: hæ, veluti characterem & amabilitatis impressionem in subjecto producunt, quæ non oritur ex temperamento: quin imo continet nescio quid cœleste, quod astrorum influxus in formatione in tenerrimo corpore impressit: & ille erit, ædepol, amabilior, qui magis de charactere participat, & qui minus, tantum erit benevolentiæ objectum, non amoris: quoniam pulcrum est amoris objectum, non qua simile sed amabile: aliter enim non esset in cœlo, in Deum talis amor: & si aliquando æqualem pulcritudinem diligimus: illud aut reflexione accidit; aut quia pulcriorem non vidimus: si bene divina pulcritudo est unicum primum & ultimum amoris objectum, quod solum ultimum voluntatis affectum satiatur: sola enim pulcritudo hanc habuit sortem, ut maxime omnium perspicua & amabilis sit: quod si daretur intus aspici anima, quæ in occulto latet, omnes contineret in ecstasi potentias: sed quia viatores divinum non aspicimus lumen, super illam reflectimus pulcritudinem quæ à cœlo in nobis impressa manet; hæc in humorum symmetria non consistit, neque in imagine; ideo pulcriores non sunt magis dilecti: & si reflexio reciproca deficiat, in amore mutantur: & si sola pulcritudo diligitur, non erit reciproca dilectio: Diogenes *donum formæ* vocavit pulcritudinem: *modici temporis tyrannidem* Socrates: Plato *naturæ privilegium*: *Tacitam deceptionem* Theophrastus; *eburneum detrimentum* Theocritus, *Regnum solitarium* Carneades.

Fortunam, ut instabilem; super rotam subnixam prisca depinxit ætas: immerito infamatur fortuna: volubilis enim, fragilis est ipsa natura rerum, quibus fortuna imperat: hæc nihil firmum permittit, nec stabile; ac ideo fœlicitas, pulcritudo, & salus, in ascensu labuntur, intrinseca mutabilitatis ratione: & cum hac prosperiora clam insidiatur periculum: non possunt res humanæ in eodem statu permanere, dum fœlicem diem præoccupat infœlix. *Virtute quæcunque vulgo placent, quæ casus attribuit, & omne fortuitum bonum suspitiosi, pavidique subsistite*, dixit Seneca; *munera ista quæ fortunæ putatis, insidiæ sunt; maxima quæque bona solicita, nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ credatur: alia fœlicitate ad tuendam fœlicitatem opus est: & pro ipsis quæ successerunt votis facienda sunt vota: omne enim quod fortuito venit, instabile est; quo altius surrexit, vergit protinus in occasum; ac ideo inter secunda moderatus esto, inter adversa prudens.* Alios vero econtra, (rarissimo miraculo,) à summa miseria, ad summam fœlicitatem duxit, ut nulla inter illa extrema detur quies: in cistula ad mare projiciuntur pueri, & Romulus & Remus: vicit crudelitatem fati maris misericordia; nam pueros ex medio elementi ad margines transponit; ploratum puerorum audivit lupa, seu mulier feræ similis, nomine aut educatione: quos mare pie obtulit, accipit sinu pueros, suaviter blanditur, impense admiratur: obtulit pia ubera, ac alit, quos mater, & omnis humana pietas deseruit. miraculosa! grande fatum, promittunt grandia, pollicentur inaudita; puerorum miraculum pastori Fausto fortuna obtulit, & in furti compendio Regalem miratur majestatem, & in casu stellarum influxum admiratur; cum sponte intrepidus se salvatorem obtulit: sub principis enim decore nescio quid divinum sub majestate latet, forsitan à cœlesti influxu, à divina harmonia aut splendore luminis: illos cum accipit, sub proprio tugurio pueros Laurentæ uxori tradit alendos: hos unicum sustinet elementum, unica fera alit, unicus pastor fovet, eventus futuri in prodigium: hæc cœlum nunquam ostentat magna, veluti & cometas nisi in Regis caput; quoniam cum causam universalem agat, licet unicus sit, si est in principe, universale agit; vitia enim principis & virtutes, populus experitur læto aut tristi fato.

Non est fœlicitas ubi non est securitas; ideo muniuntur civitates & sub principis augurio fœlicis dulcescit servitus, ac ingrata feruntur tributa; inde conservatur societas, & crescit opulentia Regni & subditorum: illud tamen abditum & occultum non est humanæ mentis, quod interdum fœlicitas seditiosos elevat, comitatur injustos, beat seditiones, & clarescit inter tumultus belli; ut quos non ditarit pacis securitas, ipsa fœlicitet rerum vicissitudo: fortuna fœlicibus in supplicium dedit invidiam: & miseris pro auxilio & utilitate, compassionis affectum: quia abjectum restituere, caritatem redolet: quod si lucrum non obstet, noxia minus est fœlicibus invidia, quæ non nocet, quam miseris compassionis affectus, si non utilis: non à fortuna, neque gratis accipit principatum, qui accepit ab alio: nam inter duo nutat creditor extrema, quoniam ab alio accipere de vilitate arguit, si ad gratitudinis leges, non rependit æqualiter; & æquare beneficio fere est impossibile, ut alterius imperio subjici, non facile, ipsa fœlicitate jam potito: obligationi

gationi non nisi imperio fit satis: quis totis animis illud obtulit? nullus fere: ideo forte in odium vertitur beneficium; nam libenter munus accipimus, non dantem: & cum ad retributionem non sufficimus, gratiam fragilitas nostra in odium convertit: & nullum est odium perniciosius, quam ex violati beneficii pudore: ut si obligationem tollere non sit possibile; saltem beneficum tollere optamus: nam quod ab inferiori accipitur, de vilitate arguit: & parem solicitat gratiam memoria beneficii; & beneficio æquare, est æquare benefico: quod si magnanimi nomen non assequatur, fortasse non excusat ingrati: Ideo *Alexander à nullo se victum beneficiis gloriatur:* de eodem tamen potuit Socrates gloriari, de eodem Diogenes, à quo victus est: cum illis nec dare quidquam potuerit, nec eripere. Rogavit Socratem Archelaus, *ut ad se veniret invitatus; nolo*, inquit, *capere beneficia ab illo cui paria rependere non possum.* Nihil dat, qui honorem non dat; nec tulit gratis, qui cum rogasset, accepit: nulla res carius constat, quam precibus empta: detrahenda est de beneficio jactantia inanis. res loquentur nobis tacentibus: non tantum ingratum, sed invisum est beneficium, superbe datum. hæc enim beneficii inter duos lex est; *alter statim oblivisci debet dati:* alter, *accepti nunquam.* ad Martialis regulam.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo? Posthume tu loqueris,
Non belle faciunt quædam duo, sufficit unus
Huic operi: si vis ut loquar, ipse tace.

Hoc ex paradoxis Stoicæ sectæ est mirabile, ne dicam incredibile; *Eum, qui libenter accepit beneficium, reddidisse.* Hoc illis temporibus erat, ubi veritas valuit & justitia: sed est prorsus ridiculum in istis, ut cætera philosophiæ præcepta. in magno errore sunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, sinum ac domum replere: cum ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna, aut gloriæ ambitio. *Non est magni animi dare, & perdere. Hoc est magni animi, perdere & dare*; sed illud est magis lamentabile, quod *vitia vincuntur vitiis.*

Valor illustris interdum fortunam de potentia naturæ eduxit. Inter fortunas heroum plerique præmaturam progenitoris mortem annumerant, quia nihilo fœlicius filios adjuvant quam moriendo: at regni fœlicior possessio in labore consistit, non in hæreditate; nam valor gloria immortali coronatur: ac ideo reor, quod minus fortunati sunt, qui nascuntur fœlices: nam clarus & obscurus de potentia valoris fortunam eduxerunt, ut Otho Magnus, & Africanus Scipio: nam semper res humanæ inter ancipitia clarescunt: ideo forte fœlicia ingenia raro quiescunt in statu præsenti; quoniam fœlicitas, in rebus, quæ non possidentur, quæritur; in possessione, inhians quiescit, sed non satiatur desiderium; nam credunt homines posse aliquando fœlicitatem consequi; semper fœlicitatis Tantali: neque miror; quoniam non datur augmentum ubi non datur motus. Et inde oritur, nullo in statu quiescere hominem, tædio præsentium, laudatorem temporis acti: *Fœlicissimus*, dixit Plato, *est ille, cujus animus vitia supergreditur:* est enim maximum hoc hominibus malum, secundo loco qui ab hujus mundi malo liberatur, si jam correptus præterritusque pœnas dederit: pessime vero vivit qui injustus est: qui vero nec ab ipsa absolvitur justitia, miserrimus: motum appetere, præsenti non satiari, & futurum attendere, novitate attrahit, sed non detinet, nec in tempore nisi ob lucrum durat, aut ambitione devincit; imperii principio ubi parva auctoritas, magna repræsentatur; sed hæc magna est in progressu parva, ut hinc ægre feratur; fœlices actiones tenemur adjuvare antequam in letheo eas mergat confusio: nam mirabiles adorat reverentia, opera verbis illustriora fiunt, veritas apparentia commendatur; & omnia simul juvenes incitant ad majora, si non inerti oblivione delitescant; nam super res humanas prædominatur fatum, hoc est pereundi necessitas; at illas quanto magis fœlices, in hominum memoria æternitas commendat.

Dialog. Gorgias.

Mille implicat difficultates, fortunam gubernare: imperium æque, necessitas, ac labor, lacessivit: æque difficile est victoria bene uti; ac in prosperis, adversisve, se ad mensuram gerere: nec est regula quæ nos securos reddat rebellionis animorum; vel à livore, tutos aut perfidia: homines beneficiis capere, est impossibile; nec alia compensatur quam libertate servitus.

Sagacitas non tantum juvat sed conservat fortunam; hoc docuit Paulinus, cautus natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent; fœlices illi dicentur principes, quorum hereditas est acre subditorum ingenium; & qui fœliciter inter seditiosos populi tumultus introducuntur: sed illi fœlicissimi, qui sola morum severitate, citra omnem invidiam dominantur; nec sanguinis vindicta polluuntur: & sicut fluvii quanto magis à se ipsis recedunt, magis crescunt: fœliciora exempla avidius homines insequuntur, licet rara, quam ex virtute parta, si communia; velut aliud agentes in timore periculi, fortuna in bona plus enixi, quam de mala timentes: & ubi paritas deest, ad optatum confingunt, ubi revera noscunt disparitatem, ut magnanimi fiant aut vilescant: Valida Romanis semper aspiravit fortuna, illis semper magnifica; fortasse ob Romuli solertiam. Nam invalidum adhuc populum multi vicinorum in principio valuerunt opprimere; nullus præscivit: & cum facilis patuit debellatio, nullus vim intulit: in augmento ob commune periculum nemo periclitatur; ac tandem in statu omnes formidine perculsi, constiterunt: & ubi cunctis facilimum erat superare, in triumphum singuli dedere manus. Facilimum extitit his temporibus Lusitaniæ tumultum coërcere, ni fiducia nostri, nos plus posse quam possumus suaderet, & si nuda veritas ad majora principem concitaret; nam reor quod omnia illa sola principis præsentia, ut tenebræ confusæ evanescerent: facilius est augmentum impedire quam vitam: illorum sententiæ non assentior, qui omnia Romanorum facinora, soli fœlicitati adscripserunt, ac si horum fœlicitas foret nota injuriæ, non valoris; est enim in homine valor & audacia fortuna plausibilior; & animo intrepidus magis quam fortunatus, forte quod extra nos fortunam operari credimus, si illam non adspicimus: in hoc valde decipimur: est enim fortuna veluti quidam valor innatus, qui nos

Tacitus 2. hist. 5.

nos movet in occasione & tempore fœlicitatis.

Ad valoris gloriam non sola fortuna sufficit, si hanc virtus non fovet, & clarificat: & hæc præmio & fide caret si deficit fortuna: nam virtus deificat fortunam;ista beat virtutem: ideo in hoc orbis theatro hos infœliciores æstimavi,quorum effectus fœlicia, aut infidelia anteirent consilia: quoniam isti cum fœlicitatis suæ reddere rationem non valeant, in illam absque ista præcipites feruntur: ac si fœlicitates jam elapsæ, præludia futuræ forent gloriæ: an argumentum potius, jamjam advenientis miseriæ, inter orbis ludibria: ubi fœlix ille stellarum influxus, qui mane supra caput adstitit ad Zenith, vespere sub pedibus influit,adNadir:ideo antiquitas miraculo apponit, quod inter illustrissimas actiones moriatur Romulus gloriose, quin adversam experiatur fortunam: fortunæ, temporum sunt prodigia, admirationi potius quam imitationi: noli illius tranquillitati fidere: momento mare vertitur; eo die quo luxerunt,navigia absorbentur: res est inquieta,fœlicitas;ipsa se agitat, movet cerebrum, non uno tantum genere vanitatis, quin imo cunctos irritat in varia ludibria, hos in potentiam, illos in avaritiam, plerosque in luxuriam; hos ditat ut præcipitet, multos ad vitam sedentariam seducit, plures in ambitionem trahit: hos inflat, illos mollit, & cunctos vitiorum colluvie resolvit. Est tandem sicut vinum fortuna; quæ proprias & insitas passiones intendit, nec medetur immodicis; non est itaque quod tibi persuadeas eum esse fœlicem qui à multis aulicis obsidetur, clientibus blanditur:nullius enim rei finis est; sed in orbem omnia nexa sunt; fugiunt & sequuntur: diem nox premit, dies noctem; æstas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quæ vere compescitur: omnia transeunt ut revertantur, nihil novi video, nihil novi facio: non est quod unquam fortunæ armis putes te esse tutum: pugna virtute & valore contra ipsam fortunam, quoniam fortuita non armant, sed variis periculis exponunt: labuntur res humanæ ac fluunt: nulla pars vitæ nostræ, tam obnoxia est atque tenera quam quæ maxime placet: ideoque fœlicissimis optanda mors est, dixit Seneca, quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod perit certum est: crede mihi, dixit Cyro Crœsus, nam meæ ruinæ etsi ingratæ mihi, tamen extitere disciplinæ: si tibi videris esse immortalis, non tibi opus est mea sententia: si vero te hominem agnoscis, illud imprimis discito, humanarum rerum circum esse, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. Hoc fatale præsagium, Thomiris Reginæ fœlicitas excepit, ad cujus pedes Cyri fortuna cecidit, ut alio fœlicitas transiret; *Neque sunt infrequentia miseræ infœlicitatis exempla,quam fœlicis fortunæ, sed inter humanas miserias multa doloremsuperant, ut non possint ex merito defleri, cum jam nimia sensatio dolorem abstulit.* Psamneticus, Amasis Regis filius,vastato à Cambyse exercitu, paætereuntes intuens filium adduci ad mortem, & filiam vinctis manibus, Ægyptiis complorantibus,ipse non flevit; his quoque prætergressis accidit, ut quidam compotorum ejus jam natu grandior pristinis bonis delapsus, ac nihil habens nisi quod inops mendicabat, obiret per exercitum, Psamneticum & alios, Ægyptios in suburbanis concidentes, quem ut conspexit, Psamneticus, erumpente ingenti fletu, compellans nomine amicum, caput suum cedebat: cui dixit Cambyses; quare Psamnetice tu visa filia indigne affecta, eunte ad mortem filio neque ejulasti neque flevisti, pauperem tanti feceris, tibi, ut ab aliis audivi, non propinquum. Fili Cyre, dixit, domestica mala erant majora quam ut possem ea deflere; at amici lamentatio digna lacrimis fuit,qui à multis ac fortunatis opibus ad inopiam recidit in extremo limine senectutis: quo audito omnes miserti sunt,lacrimatus est Crœsus, & miserationem subit Cambysis.

Herodotus lib.1. Clio.

lib. 3. Thalia.

Virtus cum sola non agnoscitur,& licet à paucis æstimetur, si non est fortunata, aut ita excellens, ut omnem superet æmulationem, aut despecta vilescit, seu ut infœlix plangitur: si Deus daret quod rebus essent effectus, contra nostræ prudentiæ rationem forte crederent homines, quod Fatum mundo dominaretur: si vero ad nostram prudentiam metirentur, non dubito quin humana fragilitas illam deificaret, quando solo lumine naturali, adhuc invita credit quod prudentia quid invisibile extra nos operatur: qui cum virtute copulatam habuere fortunam, rerum eventus, suæ ipsi tribuerunt prudentiæ, ad nihilum redigentes fortunam; ac isti ad extremum fiduciæ dilabuntur, instabilitatem fortunæ non timentes, cum rerum vicissitudines ab illa pendere non existiment: quos virtus alit, hos adorat fortuna, usque dum celsitudinis elevet fastigia. Ille beatissimus est fortunæ gradus, securus sui possessor, qui crastinum sine solicitudine non expectat: fœlix, sed non beatus est, quem talem dicit vulgus, ad quem magna divitiarum opulentia confluxit; sed ille vere beatus est, cui omne bonum in animo est,erectum & excelsum, mirabilia calcantem qui neminem vidit, cum cujus fortuna se velit commutatum: qui hominis eam solam partem æstimat qua homo est,qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur; sic vivit, cui bona sua nulla vis excutit, qui malæ in bonum vertit: certus judicii, inconcussus, & intrepidus, quem aliqua vis movet, nulla turbat, quem fortuna cum in illum telum contorsit, pungit, non vulnerat; qui tandem est rerum exactissimus æstimator: illud te altius istam veritatem suadeat,quod si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives: exiguum natura desiderat; opinio immensum; naturalia desideria infinita sunt, ex falsa opinione nascentia; ubi desinant non habent: *Multis paravisse divitias, non finis fuit miseriarum, sed mutatio:* non est enim in rebus vitium, sed in animo; non te, extra te quæsieris. quid refert, an æger in lecto ligneo an aureo,collocetur, utrobique jactabitur, & quod pejus est, quod mutationibus ut remediis utitur, donec anima exhalet inter illas; inter fortunas, mutantur, non vitantur pericula; interdum graviora irritantur: quid mirum si me ipsum fero quocunque feror;magnum est divitiis non corrumpi;magnus erit inter divitias pauper: qui æstimat pro merito divitias, est dominus illarum & non servus, sed securior qui divitiis caret, si illum non deprimit paupertas: si te vexat tristitia & rerum inquies, animum debes mutare, non cœlum: quoniam licet vastum trajeceris mare,

mare, & ut ait Virgilius, *terræ urbesque recedant*, vitia te sequentur, quocunque jeris. Hoc idem dixit Socrates: *Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te ipsum circumferas, peremit te eadem causa quæ te expulit, tecum fugis, onus animi deponendum est, non quæ te urget causa.* Sicut in navi onera immota minus urgent, & inæqualiter convoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt: quidquid agis contra te est, & motu, ægrotum animum concutis: qui prudens est, temperans est, qui temperans, & constans, qui constans est, imperturbatus est, & qui talis, moderatur tristitiam, nec moritur ut fatuus. Nam sicut leonibus magister manum infertat, osculatur tygrim custos, & elephantem mimus æthiops facit ambulare per funem; sic sapiens est artifex domandi mala, dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & horrenda quæque, cum ad hunc pervenere, mansueta redduntur.

Ut plurimum meriti privilegio & fructus dulcedine, caruere virtutis immortalis labores & fortunæ liberalitas fide. Ille autem vere fœlix dicetur qui virtutem habuit fructuosam, ac stabilem fortunam; illud tamen non patitur aut hominis ambitio, seu vanitas avara: quare illud fabricæ peccatum hominis est, non fortunæ: stabilitatem & permanentiam, hominis appetitum non servare, inde accidit, quod finem adæquatum non habet in hoc mundo; quare omne quod illi objicitur appetibile, ut finem appetit, ac cum illo potitur, in medium convertit, ut finem alium consequatur: qui in hoc latitabat, & tantum in ratione finis persistit, quantum in consequutione: omnis parva possessio, si nihil obtinetur, pro magna reputatur; ubi aliquid, si non totum, nihil obtinere videtur: adhuc extremo potito fine, volubili sub rota non quiescit: & si alio non valet, inobedientia fortunâ agitat: est enim illa audaciæ intellectus filia, aut depravati sensus, aut quod sibi semper melius operari complacuit; seu quia ad deterius operandum inclinat: in uno irascitur fragilitas, contemptum movet in alia: verum quod intellectui objicitur, non ita brevi transit, quin voluntas ut bonum amplectatur: aversetur ut malum: nisi illi obstat sensuum depravatio. Ideo forte æque difficile est, malum à malitia separare, quam bonum in malo detinere: perpetua diligentia, necessitat, & hac deficiente revertitur: ideo, inobedientiam civilis Monarchia prosperis in eventibus adhuc, severe punit: victorias sinistre partas deteriores judicat, quam omnino deperditas, nisi prava dominetur iniquitas aut lucrum. In hoc Saulem plerique imitantur, inobedientiæ victimas offerendo, ac pretiosa illa quæ comparat iniquitas: hæc videntur altaria exornare cum crimina objiciant, ac hypocrisi fœdant, soli humanæ ambitionis ostentationi serventia: at qui Deum illis holocaustis pacare judicat, Deum provocat: nam sacrilega blasphemia Deum prædicat impium in corde suo, cum illum participem iniquitatum faciat, ac si Deo placeret injustitia: execrabilis est illa propositio, idem esse bonum ac videri: hæc solum illis placuit quorum scientia in opinione consistit, & res ad normam consuetudinis, & non veritatis metiuntur: at Christus Dominus, *Ego sum veritas*, dixit, & non consuetudo: à religione in politicam verti, est nefas execrandum; ac si ratio politica Deum possit illùdere, quæ hominem non fallit: & inter ista fateor quod instrumenta divinæ providentiæ ad humanam fortunam, sunt interdum sedulitas & prudentia nostra: nam temeraria est illa sententia; *Quod Fatum conducit sequentes se, & non sequentes trahit:* quod ex illa Taciti sententia colligitur: *Quare dubitare coger, fato ne res mortalium gubernentur; qui hæc credit sacro numini negavit providentiam: Deus enim omnia suaviter disponit, volentes adjuvat, nolentes non compellit.*

Abjecti animi soli fœlicitati plausitant, amicos deserunt in miseria; generosi autem honoris stimulo, amicorum periculis obsistunt: errat ideo, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat; non immerito igitur, inter fortunas, vera amicitia etiam numeratur, quoniam beatam vitam reddidit amicitia: est enim illa unio duarum animarum in corpore uno, si non reciprocæ benevolentiæ æquitas: quæ si non realiter, duo corpora informat virtualiter: & ideo sunt bona amicorum communia: quare ad infortunia animæ condolescunt; ideo partiuntur fortunas, & se mutuo adjuvant fœliciter degentes: nam si animæ ita displicet corporis informati separatio, quare non ægre tulerit, animæ amici separationem? ad mortem fere duceret alterius discessio, si locorum distantia unionem abrumperet: at hæc non experimur, quod jam olim in nostris defuit, amicitia: in separatione amicorum, corpora condolescunt, non animæ, quia consolatores spirituum fomites deficiunt: nec est credibile spiritus hostiles naturam condonasse inimico, & amico denegasse amicos & benevolos: aliter enim pares essent spiritus odii & amoris. at fœlicitas ruit, velut à fundamentis, si perit amicitia; quoniam defuit quæ conservabat causa, quantumvis integra æquitas & justitia superfit; qui vult recedere ab amico, occasiones quærit, ex ipsa fragilitate comparatas, non ex naturæ legibus; quæ æternam societatem docuit: & in hoc fœlicitas Lunæ assimilatur, quod aut semper accrescit aut decrescit.

Nullus contra fortunam inexpugnabilis murus est: intus instruamur oportet, nam si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest; est fortuna pulcritudini similis, ac humanæ saluti; quæ cum in contra operantia elementorum consistat, agit & patitur in se ipsa, ac eadem actione conservatur qua finitur: quoniam omne agens in agendo repatitur: quare fœlicitas ex sui intrinseca ratione ruit: sed illud magis mirari subit, quam altum soporem induxerit fœlicitas, ut non expergiscantur fœlices, nisi cum mori appetunt: & illud adhuc cum illos concitavit ruina, ac si cum æternitate initum fœdus esset: & utinam ne, cum ista lugemus, eisdem fortunæ fatis obruamur: tunc fœlicem te judica, cum possis in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abscondent; si honesta sunt quæ facis, omnes sciant, si turpia, quid refert, neminem scire, cum tu scias: ô te miserum, si contemnis hunc hostem; excute illos qui quæ cupiere deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt: videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod ægre ferre ipsos & misere loquuntur.

Qui

Qui in prosperitate aut fœlici statu, fortuna indiget, non deserat solertiam; at certo sciat, quod non semper stabit: nam eo ipso graviora tumultuant periculum facere de fortuna, sicut aspidem fugiat, nisi cum omnino dominatur fortunæ, in principis amore, aut ignavia: cum se princeps fatetur amico indigere, aut pro angenti onere sublevando, aut quod ille laborem aversatur; quo nihil est infœlicius Reip. sed inimici vigilant, ut nutantem præoccupant fortunam, aut illam violentia conantur deturbare, odio aut livore; hæc tamen non attendit, fortunatus, fortasse non obsistit, præ angentibus curis, aliquando non valet, cum tempestas inopinato ruit; sed hæc facilius scribuntur quam servantur præcepta: quoniam homines naturaliter fortunam accusant in miseria; & in fœlicitate, proprio valori gratulantur; & sic illa non appetunt auxilia, quæ judicant ignota: ac ideo fortunæ delubro vota non oblationis, sed pacationis offerebantur: erunt attamen sibi tutiora auxilia, amor, & timor; non crudelis audacia, ut plerique dixerunt, principis scilicet & Reip. amor; timor aut publici flagitii, odii, aut livoris; sed dices quod ista sunt fatalia, non æque excusata: illud cogita, ne tu odium concites, aut livorem, gratis, aut ex consulto, aut crudeli & ingrata vindicta; aut barbara tyrannide: nec publico utili tuum peculiare anteponas, licet sit sub præsenti discrimine; nam illud maxime iram popularem concitavit; nulla enim fortuna, fortunam securiorem reddidit: quia tandem aut unius instabile, aut alterius fraudulentum, aut ipsa rerum necessitudo, sive principis zelum, illum dedit præcipitem, quem extulit, aut principis benevolentia, aut acris & occulta solertia, ipsa fœlicitate comparata; & quando hæc omnia deficiant, sola ipsa fortuna, est interitus sui: quoniam res secundæ, non ut adversæ, acrioribus stimulis animum explorant, & sicuti miseriæ, assiduo patiendi usu tolerantur, fœlicitates insuetæ nos corrumpunt; dixerunt Diodorus & Cato, res adversæ se domant, & docent, quando opus sit facto, secundæ res transversum trudere solent, à recte intelligendo atque consulendo; quare licentiam à fortuna ratione coërce, ne te præcipitet; & considera servos non esse quos fortuna deseruit, sed æquales; nam interdum insultantem hostem unius prælii fortuna veteri, aut meliori fortunæ restituit; nec validus privus amicus Regis cadit super amici brachia, sed in acutissimos iræ popularis mucrones; & nihil est in rerum versatione infœlicius quam lapsa fortuna, nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quam fama potentiæ, non sua vi enixæ: cecidit de propria fortuna Agrippina & Imperatrix illa, statim relictum est Agrippinæ limen; *Nemo solari, nemo adire, præter paucas fœminas,* dixit Tacitus, *amore, an odio, incertum.*

Errat fortunata resp. quæ soli suæ fortunæ fidit ad tuendam fortunam: & hæc Monarchia erit parum durabilis, cujus fundamenta sunt solius fortunæ: nam fortunæ fœlicitas valorem & virtutem ac legum observantiam non adorat, si inde non comparatur sui conservationis politica; nam enervat fœlicitas, mores corrumpit, otium, & fiducia sui valoris oblivionem parit: ut apud nostros hodie experimur. Sit tibi ante oculos, Romanorum fœlicitas, & Venetorum Gubernatio; nam initium & augmentum utriusque Reip. fuit civium, in utile commune conspiratio; illud enim semper suo peculiari anteposuit, hæc & illa Resp. dum floruit: hic enim contra omnem fortunæ incursionem inexpugnabilis murus est; hi sunt pœnates Dii, hæc larium tutela: hoc unico amuleto vivit & tutatur Resp. & ab omni grassantis pestilentiæ incursu liberatur: hoc solo præcavetur: non civium discordi avaritia, & lucro inexplebili; non sacra ambitione, quæ harmoniam Utopiæ confundit: quoniam horologium, cujus regula ponderibus contra positis constat, horarum harmoniam diu non retinebit; si aliquod illius instrumentum harmoniam confundit; & parva astrorum conspiratio, quę in juventute simplicis tertianæ causa foret, in senectute necat; magis indiget populus acriori politica, quam fortuna; neuter oculorum avertatur; nam quocunque deficiat, finis claudicat, maxime si pendet à causa conservante.

Primus nunquam à principe discedat, quomodocunque enim principis oculus alio avertatur, perit amor; & hoc deficiente nutat subditus, & invidet alienæ fortunæ: ista tamen non solo artificio & arte conservantur, sed natura, quæ amorem inclinat; benevolentiam tamen ars modificat, quod si illa deficiat, ambitio cum ruina confunditur; fortunatus non ad nutum divinæ sapientiæ, aut virtutis moralis se ipsum extimescat; quia illa fœlicitas, cujus non datur ratio, sibi ruinam parat, & in pleni fortunio eclipsim, inter duo regia luminaria, fortunæ interposita prodigiosa molet. Sacrum Numen impiis fœlicitatem aliquando permisit, justissimis imperavit miseriam: sed hæc altioris sunt ordinis: par fortuna, impar discrimen, haud impari constantia Vitellio & Pomponio tulit: levi ictu, ille per scalprum vitam ægritudine animi finivit: iste autem multa morum elegantia, & ingenio illustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, superstes evadit, à miseria cui damnatus cessit. Horum causam ignoro, & cæteri fortasse manus dabunt; sed ille forte novit, qui ad domum fœlicis mox discessit, de factis non dijudicans & de permissis sapiens: Nihil in theatro fœlicitatis æque suspectum considero, quam nihil adversum evenire: semper vero esse fœlicem, & vitam sine morsu animi transigere, ignorare est rerum alteram partem: *Mihi quidem, ò Policrates,* dixit Amasis, *fœliciter agere cum viro amico meo, & hospiti, audire, voluptati est: tamen tuæ magnæ prosperitates mihi non placent, qui intelligo, quam invidum nomen sit: quod ad me attinet, malim, tum meas ipsius, tum eorum qui mihi curæ sunt, res, nunc prospere ire, nunc offendere; & per varias fortunæ vices ævum traducere, quam in omnibus mihi prospere cedere: tu vero mihi obtemperando adversus prosperitates hæc agito, despice quod tibi magni facias, quodque amissum tibi maxime doleat: id itaque objicito ut non amplius ad homines veniat.* Hæc cum legisset, quæsivit inter sua, & gemmam signatoriam smaragdum invenit, auro inclusam, opus Theodori Samii, magni pretii, ac biremem conscendit cum amicis, & in mare projecit, ac cum maxime doleret quinta sextave die, piscator quidam captum à se piscem grandem ac pulcrum dignum putavit, quo donaret Policratem;

Herodotus, lib. 3. Thalia.

tem: *Rex*, inquit, *hunc ego quem cepi piscem, tibi offero:* & viri humanitate delectatus, *gratulor tibi probe*, inquit, *ad cœnamque te volo invitatum:* at piscem interim ministri rescindentes, in ejus alveo Policratis sigillum offenderunt, (prodigiosa sane fortuna,) quod cum viderunt, ad Policratem lætabundi detulerunt: hoc ab Amasi audito, per caduceatorem ad illum mox remisit, ut jus cum illo absolveret hospitii: impossibile judicans, ne Policrates in tristem casum incidat: quod non multis post diebus palam fecit eventus. Nam ab Orete cruci affixus moritur: & hic prosperitatis fuit finis Policratis, quem Amasis prædixerat.

Sed inde maxime in casus fortunæ homines incidere observamus, cum quos fortuna sublevat, fœlicitas infatuat: hos enim humilis gratitudinis loco, ignavam impulit ad fiduciam, plerosque ad superbiam, ad cæcam temeritatem alios: cum aliorum adigere servitutem, ad nutum superbi genii conantur, obliterata omnino libertate; ac si divina beneficia, utilitati nostræ, & non divinæ gloriæ destinarentur: & illud non attendimus, quod Deum injuste lædimus; ac timentes oramus; & quod idem Numen, nos à miseria subtrahit, ac à fortuna orbat, justo Dei judicio, sed in illo major divinitas elucet, ut sit major fides misericordiæ, quam vindictæ timor: sed illa maxime nos seduxit illusio, quod nemo ita maligne vixit, quin aliquid justitiæ operetur, cui adscribat causam fœlicitatis, inter præmium ac beneficium æquivocus; & de merito gloriatur cum perdere non timet: nec ullus est ita laudabilis, quin illum redarguat injustitia; cui etiam referat infortunia, æquivocus inter exercitia & supplicia: ac cum gratias debet agere, petit, ac si in mundo ubi meremur, & demeremur, locus esset præmii & supplicii: nam eandem rem indivisibilem pari cursu fortuna & calamitas vexat: filios homines optavere, ac illos consequuti maximos in dolores inciderunt, quoniam in illis nequitia superavit fortunam: qui probos genuere, si illis adverso quodam casu orbentur, nihilo minorem in miseriam incidere visi sunt; ut nunquam se prorsus filios genuisse eligerent. Quare non est, quod ultimum finem quæramus in fortuna, sed illa ut beneficio utamur, non ut præmio.

Plato Dial. 2. de Iusto.

In rebus humanis fortuna ut plurimum aut artem, aut valorem deseruit, forte naturæ beneficio, & æquitate, ut sapienter ad pondus librentur beneficia; sapientes enim ac generosos, ac re quaque excellentes artifices, semper fortuna deserit: (forte quod illis sufficit valoris, aut artis excellentia:) comitatur incultos, inscios, imprudentes, & quos omnino nobilitas, aut artium cultura non agnovit. *Fatalis magni ingenii calamitas, paupertas est*, dixit Homerus: cujus rei reddidit rationem Apollinis oraculum, ut nos alibi *nostro Anti-theseo* diximus. Hinc minor disciplinarum cura, cum aderat fortuna: & ubi etiam artes defuissent, peritiam ars, imperitiam fortuna sequitur, dixit Plato; fortasse divina providentia, quæ cuncta mortalium elargitur, ad libitum, non uni cumulata, sed per omnes dispersa, in perfectionem universi, & pro ipsa rerum necessitate, ut dives ignarus; paupere sapiente indigeret: & gnarus pauper, diviti inserviret: & ne unus cesserit in omnium invidiam: ideo excellentissimis hominibus solet fortuna magis quam virtus deficere: inertes puerilibus juvat, in altissimis deserit: *Ut valida Divo Augusto, in Remp. fortuna*, dixit Tacitus, *ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ, aut neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte & fuga punivit.* Debellatis gentibus Germanorum Germanicus Cæsar, in prospera fortuna congeriem armorum struxit; superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum & Albim nationibus, exercitu Tiberii Cæsaris, ea monumenta Marti & Jovi & Augusto sacravisse, de se nihil addidit, metu invidiæ fortunæ suæ, an ratus conscientiam facti satis esse: & hic infelix postea cessit in spolia fortunæ, & non sine veneni suspitione moritur: & Tiberii solertia & odio Sejani; seu quod à populo jactaretur superior invidia. Illud attamen, politicis in rebus experimur, quod divitiæ, toga, & arma, sub aquilis fortunæ militant, scientiarum præmia sub fortuna: nihil est æque arduum ac subjectum fortunæ, quam generosus valor; consilia fortuna discernuntur: plerique non arte, fortuna celebrantur: & eloquentia fortuna discernitur: quos seligit plausus, fortuna celebrat: non meruere fortunam plura, quæ meruere gloriam; ut à præstantissimis viris excogitata subtiliter, & dicta graviter, & generoso valore perpetrata: alii ingenio potius & vi naturæ quam institutione & literis famam eloquentiæ consequuntur, cum purus & pressus, & in quantum satis est, profluens sermo non deest: Julius Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potius literas quam nesciebat, tanquam majorem industriæ & laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis artium adminiculis inniti videretur. Non genus, non scientiam, fortunam tamen adorant homines: illum magis sequuntur quem vulgus celebrat plausu, non quem prudens & gravis æstimatio docti aut generosi viri. Hoc mihi videtur difficilimum, ne dicam impossibile, fortunam modestia superare: diu sordidus, repente dives, mutationem fortunæ mali tegit, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, & inopia juvenis senex prodigus: quare favore populi, & ideo superbia electus, tumidus, inurbanus, aliorum detractor, aliis semper invisus, paulatim levior & vilior haberi incipit. In Germanici morte, rarum dedit prisca ætas exemplum moderatæ fortunæ, indoluere cæteræ nationes; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuque & auditu justa, venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat, funus sine imaginibus & pompa, per laudem & memoriam virtutum ejus celebre fuit, valde Magni Alexandri simile.

3 Annal. 5. *2 Annal. 5.* *2 Annal. 13.*

O rerum humanarum confusio, quid stabile, quid firmum in rebus invenitur? quæ erit certa regula, quæ nos secure ducat: fortuna cuncta regit; hæc ipsa rebus tumultuantibus, ipsa rerum congerie obruitur: est etiam sua cuique, adhuc inanimatis ambitio; suus est cuique livor; bonorum supremam voluntatem, ut plurimum paupertas firmat: Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius de prioribus servis humili sepultura, in privatis ejus hortis contexit: hunc

Hist. 9.

hunc exitum habuit Servius Galba, tribus & septuaginta annis quinque principes prosperа fortuna emensus, & alieno imperio fœlicior quam in suo: ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus: famæ nec incuriosus, nec venditator; & omnium consensu capax imperii ni imperasset. Infelicis summum infœlicitatis genus est fuisse felicem: aliis summam infœlicitatem ascivit summa fortuna; mansit Celso velut fatalis etiam pro Othone fides integra & infœlix, in tumultu imperii. (1 Hist. 14.) Annalibus Romanis, dixit Tacitus, mihi quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur, quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat: sed mihi hæc & alia audienti, in incerto judicium est, fato ne res mortalium & necessitate immutabili, an forte volvantur, (6 Annal. 5.) quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curæ: ideo creberrima & tristitia, in bonos læta apud deteriores esse; contra alii fatum quidem congruere rebus putant. Sed non è vagis stellis, verum apud principia & nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala vel bona quæ vulgus putet; multos qui conflictari adversis videantur, beatos, ac plerosque, quanquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur; cæterum plurimis mortalium, non eximi, quin primo cujusque ortu, ventura destinentur; sed quædam secus quam dicta sunt cadere, fallaciis ignara dicentum: ita corrumpi fidem, artes, cujus clara documenta antiqua & nostra ætas tulerit, sed pleraque ex istis hominis arbitrio prævertuntur, pleraque cedunt fati necessitati. (6 Annal. 11.) Non puto hominem clarissimi ingenii ultro voluisse nomen Atheistæ subire: (quod etiam de Lipsio Bataviæ Sirena, in libro de Constantia, de fati necessitate æstimare, par est) divinam nempe providentiam de rebus humanis substrahendo: sed voluisse libertatem arbitrii, adhuc in summa rerum confusione, causarum naturalium adnotare communi cursu rerum; cum videat res omnes, aut hominum negotiationi cedere, aut humanæ violentiæ obedire; ac si jugum divinæ legis excuterent: cum rebus in ipsis constet, nullibi aptius (in ipsa confusione) aut divinæ justitiæ, aut summæ pietati inservire; seu ut mutet imperia, seu intendat supplicia, aut homines erudiat; si non forte considerat vegetantium aut inanimatarum rerum necessitatem, in operando, aut gentilitiam rerum mutationem; quæ quandam veluti necessitatem rebus ipsis inducunt; immutata hominis libertate; quoniam adorat natura arbitrii gloriam, hanc cavet violare: hoc hominibus injuria putatur, hic livor, hæc contumelia: forte favor naturæ est, fortasse reverentia: noluit enim hominem, à rebus humanis superari, nec illis profundius misceri, ut cœlestia potius intenderet, & meriti privilegio solatur; dubitabat Tiberius de tradenda Rep. de Druso; quia puer, de Nerone, quod Germanici filius, & quod in eo populi studia erant, de Claudio, quia imminuta mens: si extra domum successor quæratur, ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria & contumelias averteret, metuebat: quippe illi non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio: mox incertus animi, fesso corpore consilium, cui impar erat, fato permisit: nec tamen Græcus effugit magnæ fortunæ pericula; Julius, & Augustus: alter enim vitam & alius honorem superbienti fortunæ obtulit: Crœsus obtulit caput: propria fortuna timidi, nescio an avari, aliorum fortunæ invidebant: & quanto magis pavorem abdere nitebantur, manifestius pavidi, ostentabant formidinem, ac si fortuna fortunam fascinaret: dum alios crescere Tiberius, scilicet Germanici filios, aut amari, opinione aut fama, destrui per hæc fortunam suam, (4 Annal. 3.) turpi fragilitate lamentabatur; astu Sejani forte seductus. Tu autem solerti prudentia stabis alienæ fortunæ, initia, conatus, secunda neque diuturna fore judicans; quod si duret, nec illud te seducat, ut in te gliscat aliena fœlicitas; nam tutius est vincere in bono malum, quam virtutem livore maculare.

Animus in adversis debet esse ut contra pondus palma; & quo gravius illud, tanto patientia contumacior; quoniam tanto est victoria plausibilior, quanto acrior hostis & robustior: simplicius ideo Alexander famam æstimabat in hoste, quam in cive; quippe à suis credebat, magnitudinem suam destrui posse, eandem clariorem fore quo majores fuissent quos ipse vicisset, Curtius lib. 8. cap. 14. Gentile decus est magno animo capescendum, nec secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusve, per læta, per adversa res affectabis, sed adversam fortiter tolerabis fortunam: Plotio Othonem exhortabatur majori animo tolerare adversa, quam relinquere: (Histor. 2.) fortes ac strenuos etiam contra fortunam insistere: spei timidos, & ignavos ad deliberationem properare: cui Otho, extrema in calamitate positus, plura de extremis loqui, pars ignaviæ est, inquit: præcipuum destinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror; nam incusare Deos vel homines, ejus est qui vivere velit; illud in solatium cessit in adversis, se obligationi satisfactum; Mithridates à Junio Elone Romam victus ferocius quam pro fortuna sua disseruit: (2 Annal. 3.) hæc dicendo, non sum remissus ad te, sed regressus, vel si non credis, dimitte, & quære.

In fortunam cessit aliis aliorum fœlicitas, cum antea privati vitam exercuissent, sed hæc ipsa illos præcipites dedit in ruinam, seu quod propria abutuntur fortuna, vel ipsa hominum inconstantia aut indecentia zelo alienæ fortunæ, aut ipsa tandem rerum versatione: *Quartus decimus annus est, Cæsar*, dixit Neroni Seneca, *ex quo spei tuæ admotus sum, medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil fœlicitati meæ desit, nisi moderatio ejus: utar magnis exemplis, non meæ fortunæ, sed tuæ: Atavus tuus Augustus, M. Agrippæ Mitelenense secretum: C. Mæcenati, urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit, quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem sed pro ingentibus meritis præmia, acceperant; tu me immensis honoribus cumulasti, nunc me tua præcipitat fortuna: una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui,* (14 Ann. 13.)

sed uterque mensuram implevimus; & tu quantum princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à principe accipere: accipe in fortuna tua fortunam nostram, antequam nos livor aut invidia deturbet; hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse qui & modica tolerassent; cui Nero respondit: *Quæ à me habes hosti funus, & vitæ casibus obnoxia sunt, & licet multa videantur plerisque, haud quaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt, pudet referre libertinos, qui te ditiores spectantur: unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis: at M. Agrippa Seneca & Mæcenas cesserunt in fortunæ ludibria: quoniam canes imitantur fortunati, qui missa à Domino frusta, aperto ore captant, & integra celeri appetitu devorant, semper ad spem futuri inhiantes*: hoc idem nobis evenit, quidquid nobis fortuna objicit, admittimus, ac statim ad rapinam alterius properamus: nam quisquis de accipiendo cogitat, accepti est oblitus, nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est: hoc mihi tamen fœlicitatis crudelis videtur, quod illis non tam jucundum est, multos post se videre, quam grave aliquem ante se: ut ad manus fortunæ pœnas luat, in ipsa sceleris conscientia. Vespasianus inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinatus fuit, donec indulgentia fortunæ, & pravis magistris suammet deturbavit fortunam: & illos certe indulgentia præcipitat, qui pro sua fortuna judicant id æquius, quod validius; & sua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse. Prudentem decet, non tantum prævisa, sed subita etiam expedire, ne fortunæ fallaciis illudatur; nam plura nos posse quam possumus suadet; inde gloriæ egregiis viris pericula gliscunt, licet bello & periculis præmia meruerunt: quare magnam emensus fortunam, emeritus in bello aut in pace non ultra periculum faciat cum fortuna, quoniam comam crinitam vertit cum videtur securior: inter duo extrema & semper ancipitia, anceps fortuna nutat; jam cæca labitur ad ambitionis extremum, jam fiduciæ & semper infidelis: nulla sat est prudentia, vel sagacitas, ad illam continendam; solam post se relinquit occasionis jam elapsæ pœnitentiam: cum inter Cyrum & Crœsum anceps esset fortuna, Cyrus Jones ad pacem invitavit; hanc illi abnuerunt: donec viderent quo se inclinaret fortuna: (propria Venetorum conditio nutare ancipiti fortuna) at cum Jones postea audirent, Cyrum in bello jam Crœsum superasse; à Cyro per caduceatorem pacem petunt: quibus Cyrus respondit: *Tibicen quidam cum pisces in mari conspexisset, canere incœpit tibia, ratus eos ad melodiam cantus in terram progressuros; at frustratus spe, misso in mare vermiculo, ingentem piscium vim complexus traxit, & cum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces, temperate nunc mihi quæso à saltationibus, quando non libuit, me canente saliendo progredi.*

[Margin: 2 Hist.16.] [Margin: 15 Annal.1.]

Haud certe minus prodigiosa observantur, in adversa quam prospera fortuna, ut vix credas quam obscurum per iter illam sequentes ducat; cum bellum esset inter Lydos & Medos sexto anno, cum æquo Marte certarent, stante acie, contigit, ut repente dies nox efficeretur; & ex nocte dies apud nostros: sed nostra fiducia Christiana & justitia promeruit auxilium: inter Othonem & Vitellium prodigiosa diversis auctoribus vulgabantur; in vestibulo Capitolii omissas habenas bigæ, cui victoria institerat: erupisse cella Junonis majorem humana specie statuam divi Julii, in insula Tiberini amnis sereno & immoto cœlo, ab occidente in orientem conversam: proloquutum in Etruria bovem: insolitos animalium partus, varias calamitates præcessisse, historiæ testantur: veluti Julii mortem cometam ostentasse, & apud nostros Sebastiani Portugaliæ Regis, ut his nostris temporibus, antecessisse mortem Philippi Tertii, fœlicissimi Regis; moribus & virtute candidissimi: & plura alia rudibus sæculis etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sub Vespasiani imperii initio cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine repente prociderat, ac postera die eadem vestigio resurgens procera & lætior virebat: grande prosperumque consensu aruspicum: cum Persi Babylonem obsiderent, viginti quam vallati sunt mense, Zopyro Megabysi filio hoc contigit portentum; ut quædam mularum ejus pepererit: quod tam impossibile judicabant, ut miles quidam diceret in obsidione: istinc decedetis Persæ, tunc nos expugnaturi cum peperit mula: & ita factum est; ut post illius partum Babylonem vastarent; nam cum Darius annum & septem menses in obsidione Babylonis consumeret, & tentatis omnibus machinamentis nihil proficeret, Zopyro Megabisi filio in mentem venit quod miles in principio obsidionis dixerat; quod cum mulæ parerent Babylon caperetur: ubi igitur visum est fatale esse jam Babylonem capi, sese deformissima mutilatione affecit; nares sibi procidit, auriculasque, comam totondit, plagas imposuit, ac se deformem reddidit, ac ita ad Babylonios aufugit, ante quos ubi stetit, conditionem ejus miserabantur; cui credentes Babylonii dederunt illi copias, quibus bis & ter, sex millia suorum interfecit, quo fisi aut delusi, ei credere magis ausi sunt: sed tandem per muros & per portas Persas in Babyloniam induxit, ac ita Babylon capta est per Darium, quod nunquam Cyrus valuit.

[Margin: 1 Hist.16.] [Margin: 2 Annal. 5.] [Margin: Herod.lib.3. Thalia.]

Illud tamen maxime subit mirari, quomodo sagacitas noverit occultissimum iter; si non dicimus quod insita fortuna ad id magis inclinat: de hoc nobile exemplum dedit Cæsar, cum à Galliis consilii incertus duxit iter in urbem, arbitrii fortunæ factus: *Is*, dicit Suetonius, *ne qua suspitio moveretur, spectaculo publico interfuit, dein post solis occasum, mulis ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est; & cum luminibus extinctis decessisset, via diu errabundus per angustissimos tramites pedibus evasit, consequutusque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paulum constitit; ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos, etiam nunc inquit regredi possumus; quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt; cunctanti ostentum tale factum est: Quidam eximia magnitudine & forma in proximo sedens, repente apparuit, arundine canens, ad quem audiendum, cum præter pastores plurimi etiam, ex stationibus milites concurrissent, interque eos & æneatores, rapta ab uno tuba, prosiluit ad flumen, & ingenti spiritu, classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam: tunc Cæsar, eatur, inquit, quo Deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat, jactata est alea: & intrepidus nomen dedit fortunæ.* Sed illa illi universi imperium; occulta lege fati ostentis, ac respon-

[Margin: lib.1. in Iulio Cæsar.]

responsis destinatum, Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credimus, dicit Tacitus: multa peritia & monitu fatorum prædicta, ut vera accipiuntur cupidine ingenii humani, libentius obscura credi: tunc quid agendum ipsa fortuna docet: & aliquando decet ad fortunæ introductionem, callidos & audaces pretio aut promissis onerare; nam facilis est omnis civitas, quantumvis magna, ad accipienda & credenda omnia nova: & ad hoc non est aptior qui ad legem naturæ melius operatur; sed ad necessitatem: si daretur talis rerum necessitas, ut aggredi grande facinus, ipsa convenientia postularet: ex quo non minus jacturæ, quam periculi, nec minus utilis instaret, quam fortunæ: quid agendum ancipiti negotio, (gliscit enim prudentiæ, stabile pro incerto commutare, & *dimidium interdum est plus toto*, si illud majori securitate obtinetur) fateor quod omnia pericula circundant, & occasionis properantia multa perdit, sed *facinus magnum & memorabile non fit sine magno periculo:* unde nobilis valoris erit, aliquid generosa fiducia, vel cum periculo aggredi, quam spe dempta, summæ desperationi succumbere: nam minore securitate remedia malorum, quam mala differuntur; licet remedia sint acriora morbo: quo tempore neque temeritati pepercit sapientia: satius est enim in ancipiti anceps remedium experiri, quam nullum: & sicut [illegible] præcipitat audacia, est ad fortunam nobilis generosa: non *quærit nos semper fortuna, nos quærimus fortunam:* gladiator in arena capit consilium, est dextera fortunæ manus solertia: cum hoc tamen prudentius quam properantius facias: leges enim fortunæ nemo novit;& fortunam sæpe fecit prudentia; illam interdum odit: aliquis dixit, *fœlicitas vel est prudentia, vel non est sine illa:* & si valent exempla: Hostilium ad Romanum imperium fortuna perduxit occulta lege fati: ac Priscum Tarquinium à mercatore Demarato genitum, ex ignominioso & inviso gloriosum reddidit: in Servii Tullii statua stat superbus titulus, sed servili cognomine, & regio appellatione perplexus: Othomanæ gentis domus, à belligero pastore conscendit: Romanæ gentis terror, Viriatus, inter horrores nemorum Lusitaniæ antea civis deguit, postea debellator nunquam victus; fortunæ leges ad propriæ fortunæ genium composuit.

In irritum tamen lacessit prudentia fortunam, si deficit fœlicitas, quantumvis sit dextera fortunæ manus solertia: illa enim homines ad fastigia promovet, occulta semita haud satis noto tramite: invia & sine luce est fortunæ via plerique ad fastigia, & principatus alterius odio perducuntur; ad honores conducit fere semper immeritos: periculum in periculo fugat, adit discrimen in securitate; & subito ex discrimine ad pacem inopinato venit; divitias ex ipsa avaritia furatur; principatus, & imperia in audaci fortuna: & miseriam in habitum jam versam, à propriis laribus expellit, & ditat laribus alienis: Othonem promovit ad imperium ex inopia vix privato toleranda: Vitellius nullis stipendiis, nulla militari fama odio Galbo provectus est; *Res omnes à natura, à fortuna, aut ab arte fieri*, dixit Plato; *præsentia, præterita, & futura: maxima autem & pulcra à natura, vel à fortuna fieri, ab arte vero minora, elementa imprimis, pictura & musica in secundis. Si quæ vero artes serium quidquam faciunt, eos esse quæ vim suam, cum natura communicant, qualis est Medicina, qualis agricultura: Civilem vero Peritiam*, (dicit) *parva quadam parte cum natura, magna vero cum arte communicare.* Qui vero cupit fortunæ dare nomen, non jaceat in otio inerti, quantumvis fortuna sit semper sui juris; nam plura ambitione, quædam judicio fiunt: nec in hoc labyrintho ad fastigia ascensus ambitioni gliscunt, & præmiis laboriosa dulcescunt: & pro necessitate & tempore decet, proprium coërcere & componi ad aliorum genium: ideo Vitellius apud severos humiles, comes, & humanus omnibus dicebatur; quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena, quia illum urgebat imperandi cupiditas: sed illud magis miraberis, quod ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur: illud tamen est prodigæ liberalitatis miraculum: & si dixeris, quod nos docemus vitia, adverte, quod sunt inseparabilia Politicæ: quare semper pandere sinum, & venienti fortunæ occurrere, utrinque porrectis manibus oportet, sed pensatis suis & inimicorum viribus: nam *si jus violandum est*, dixit Euripides, *regnandi gratia violandum est*;& illud in occulto principes profitentur, & propalam condemnant: si ergo fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur, animum non coërceas, nam in *prospera fortuna, nihil arduum est fatis:* cuncta animo [illegible]ensanda; & si fortuna annuit, illi impigre oportet da[illegible]omen; facto ubi est opus, divitiis; ubi iter substernitur, [illegible]antiis & secretis colloquiis, si necessitas petit: nulla [illegible] elabatur occasio: in ancipiti vero anceps animus: initia enim bellorum fortuna, victoria consilio, vel solertia perficit: quare præoccupare nutantem fortunam decet; sed in discordiis civilibus, nihil est festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto est opus. Vitellio ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, cum Otho multa pace munia imperii obibat, quædam ex dignitate Reip. pleraque contra decus ex præsenti usu properando, usque dum præoccuparet Vitellii fortunam, cum ipsum de excelsa majestate deturbaret: res enim tali vultu versantur, ut nec diffidere dubiis, aut parum gaudere prosperis videamur: & in hoc statu, nobiliores populos, aut qui magis cæteris dominantur, industria, licentia, per virtutes, per voluptates innocuas, & ut est cuique genium, allicere oportet, non per artes æstimatione indignas: non per avaritiam, aut tyrannidem, ut crescat inde favor & plausus: sed attende ne ruat cum aggeribus ambitio: nec protinus diffidere magni animi est: nam cum non speratur, mutantur infortunia: sed urgentibus fortunæ fatis, nil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordia: quod rebus tumultuantibus cuique timere par est; & præcavere altioris scientiæ: aliis enim, rerum novarum cupidine, & odio præsentium, quieta gliscunt: nam futuri desiderio laboramus, præsentium tædio, quo præcipitat quisque vitam suam: ut hodie nunciatum accepimus, de nobilium Galliarum tumultu, sub principe de Guisa & de Bullione, pro recuperanda pristina libertate, & pro Regni Concordia; quæ sub Cardinalis ambitione fluctuat: sed blanditur fortuna aliis, & aliis

1 Hist. 4.
2 Hist. 14.
Dialog. 10. de legibus.
1 Hist. 14.
Anno 1641. 6 Iulii.

& aliis resistit, pro ipsa rerum versatione: nam in civitate discordi, ob crebras tumultus mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, parvæ quoque res magnis motibus agitantur; & magnæ fluctuante fortuna submerguntur; ut his diebus vidimus, in confuso Hispalensi tumultu, levissimis principiis exorto; nam repente, ubi plures erant, ibi omnes fuere præter nobilitatem: erat enim populus adeo novitate confusus, admiratione perplexus, ut primis diebus nullus ad arma curreret: sed omnes teneret in exstasi confusio: illud tantum audiebatur, & homines contraria inter se postulantes: & dum subsidet furia popularis, bella inter ingenuos & nobiles parantur; quibus non operose furia dissipatur, tumultus evanescit; quoniam his temporibus accidit quod in bello confuso: nam ubi non ordine militari pugnatur, nec in victoria decus est, nec in fuga flagitium.

Anno Domini 1652. 22 mensis, Maii.

Nec minus lacessitur fortuna cum in se oculos vertit, quam sævitia insita mortalibus natura, recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre: magna servitus est, magna fortuna: licet res non ad nutum cessere, meliori fide, quam fortuna; ut in pari causa imparem fortunam paterentur; tempus & locus ad res magnas quærenda; sed dum in animo spes, timor, ratio, & casus obversantur, demens à metu ad fortunam transit: aliter accidit in audaci valore: nam egregiis viris virtus pro fortuna fuit: torpentibus autem fortunæ indulgentia, solet artes superare: plus enim apud socordem animum lætitia, quam cura valet: negotiosi autem fortuna solet artes infringere. Incertus animi & infidis consiliis obnoxius, summi discriminis incuriosus: si fœlix est fortuna miraculo apponendum; at qui nec alienis consiliis reguntur, neque sua expediunt, inurbane vivunt; & hi nec sua, nec aliena uti sciverunt fortuna: sic Vitellius ut aspera quæ utilia judicabat, nec quidquam nisi jucundum, & læsurum acceperat: & inter amicos ejus quanto quis clarior, minus fidus: & hoc eo perduxit, usque dum torporem ultima exceperit infœlicitas: nam tanta & talis torpedo invaserat Vitellii animũ, ut si principem eum fuisse cæteri non meminissent, ipse oblivioni datur foret. Transiit ad Vespasianum Vitellii fortuna: ô mira rerum necessitudo! Vespasianus olim Vitellii cliens, cum isto collega Claudio, nunc imperator orbis, & Vitelli Dominus, ille perdidit ignavia, is fecit audacia & solertia fortunam: inter hæc læta accidunt, experiuntur tristia; magna documenta instabilis fortunæ; summaque etiam miscentis; sed illa est temporum deterior conditio, cum prospera omnes sibi vendicant, & uni imputantur adversa: sed humana conditio nec in bono, nec in malo quiescit; semper implacida præteriti memoria, & præsentis angore: nemo est enim cui fœlicitas sua, etiam si cursu veniat, satisfaciat: quærunt homines & de consiliis & de processibus suis, maluntque semper quæ reliquerunt, & de quacunque fortuna conqueruntur: in prospera de immensis laboribus, de extrema miseria in adversa: & libenter cum primis de fortuna sortirentur extremi: atqui melius fuisset non quæri, quam judicari: habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda noscantur. Nec est desperandum de fortunæ liberalitate, vel in ipsa etiam extrema miseria: nulla est enim tam magna desperatio, quam fortuna non superet. Nam Romulo super aquas exposito, rapidus Tyber secura cuna fuit: expulso Moysi Nilus: occultat numen utrorumque semina; plerumque enim bonorum, malorumque causæ, sub diversa specie latent: at nimis sua fœlicitate confidentem illudit, si artem prorsus deserat; volubili fortuna nixus sua perdit: nam populi fortunæ illam impari cursu insequuntur, cum alii longius distare videntur; alii propius accedere, alii tandem de manu Deæ pendere: ut Lydius Crœsus & Samius Policrates: dum alteri Pactolum auro fluentem cerneres, & alteri marinos pisces etiam servientes: sed in tanta fortuna haud serius Policratem cruci affixum inspicias, & Crœsum Cyri imperio subditum, & morti damnatum: Cyrum in Darii potestatem redactum: quoniam nec secunda quidem minus discriminis habent, ut nobis credere apparenti fortunæ, absque imprudentiæ nota non conceditur. *Mortalium nemo est fœlix*, dixit Plinius, *nec perpetua nec solida fœlicitas est*. Et profecto, si varias rerum cadentias consideras, videbis quod alius de alio judicat dies, & supremus de omnibus: ideo nullis credendum, quod bona malis paria non sint, nec lætitia ullo minimo mærore pensanda: quis nos à tanto errore liberabit? heu vana diligentia, & imprudens numerus dierum comparatur, ubi quæritur pondus, & res non ut sunt æstimantur: externa omnia fœlicitatem comparant, non faciunt; quin imo nec interna, quod *nemo mortalium omnibus horis sapit*; Romanus Psila *fœlicis* nomen quærit, sed civili sanguine & patriæ oppugnatione adoptatus ascendit: ô prava interpretatio, suo & futuro tempori infœlix; cum Psilam nemo non oderit, cum ab invidia gloriam victam præscribat: Lucium Metellum bis consulem clarissimo triumpho civitas exornavit, raro fœlicitatis exemplo: hanc intercepit orba luminibus senectus memorabili casu, sed eventu misero: *Omnium mensuram*, dixit Protagoras, *hominem esse, existentium quidem ut sunt, non existentium vero ut non sunt, deinde qualia singula mi videntur, talia mihi esse, qualia vero tibi, tibi quoque talia*. Et ideo fœlicitatem suopte ingenio quisque terminat; nec scientia, aut divitiæ, nec valetudo, hominem reddidere fœlicem: nemo est sola possessione beatus: oportet enim talem non solum temporalia bona possidere, sed iis bene uti: nil enim sola possessio juvat: sunt cumulatæ divitiæ, velut acervus lapidum, & illa neque bona, neque mala, sed prudentia aut inscitia, bona aut mala effici: usus enim rectitudinem, consequutionis prosperitatem, animus aut scientia præbet; majus est perfringere difficilia, quam læta: sed mea sententia difficilius est, fortunam moderari, quam quæque difficilia: ob hoc fortasse, dixit Athalus, *malo me fortuna in castris suis, quam in delitiis habeat*. Sed morum corruptiones, hujus fæculi vitia, amaram reddidere fortunam, in opulento divitiarum culmine, in salute, in pace aut quiete, aut in ipsa scientiarum gloria; & si quo in alio fœlicitas consequitur: siquidem plerumque homines, aut sunt populi concitatores,

2 Hist. 12.

Plato Dialog. Theetetus.

Dialog. Eutydemus.

Cynædi,

Cynædi, amicitiæ proditores, homicidæ, rapaces, prædatores; fœminæ, meretrices, sine fide aut lege: & si isti fortunam consequantur, iniquitas & injustitia, eos in perpetuum fœlices esse non sinit: Nam nefanda piacula non recentia tantum, sed quorum jam memoria exolevit, fortunatis cesserunt in supplicium, justo Dei judicio: ut per hæc assequamur, nostri fati manus etiam fuisse scelera. Crœso potitur Cyrus, & toto Lydorum Regno, quia fato destinatam fortunam fugere nemo potest: sed observa quod Crœsus quintæ retro ætatis crimen luit; hoc est abavi, qui cum esset satelles domini sui, illius mulieris potitus, dominum interemit: sed recentius nos crimen judicamus, quia Crœsus primus Græcorum fuit, qui adhuc in summa opulentia suos ad tributum pendendum adegit. Cyrus etiam adhuc puer, ab Astiage morti damnatus, ob augurium regni successionis: misericordia liberatur per Harpagum, & à bubulco alitur, & lacte canis pascitur: & cum postea in ludis puerorum præsideret, Rex acclamatur, & illis imperabat: horum tamen gnarus Astiages, augurii memoria conterritus, Harpagum pascit suo ipsius filio in celebri convivio: ille vero facinore & injuria impulsus, Cyrum jam principem in Astiagem convocat, à Persarum Monarchia, ac illum in bello superavit; deque illo triumphat: ac Regnum proditur propter facinus, traditur ob injuriam. Quod idem apud nostros olim legimus accidisse, sub illo infœlici Roderico, ultimo Gothorum principe. Fortunam veteres posuerunt, non in divitiis, non in majestuosa amplitudine rerum, sed in animo, quem nec emollit fortuna, nec infœlicitas infringit, scilicet in robusto & moderato: Aristippum miserabili naufragio demersum, & à mari expulsum considera; cum ad litora appulit Syracusæ, & venit ad Gymnasium, ubi illud Græce exposuit; *Quis vagum atque errantem Oedypum hodie raris excipiet muneribus?* nam illum læto & grato animo excipiunt; votis orant ac muneribus donant: quibus ille, familiæ Cyrenensi dicite, ut eas res sibi curent parandas, quæ cum possessore naufragio enatent, quas nulla auferat infœlicitas: quod vobis nos etiam consulimus. Illud ultimo volui adnotare, quod sicut fœlix suam fœlicitatem præstat alteri, sic etiam infœlix, alios veluti infœlici contagio afficit: quod in privis regum vidimus accidisse; de hoc tamen ex Alberto Magno, ita legitur: *Antequam veniamus ad sermonem, ex prærogativa, dicimus quod valde cavendum est, in omni tempore obviatione & societate hominis infortunati; opus naturæ superioris, ut ab homine cui deminutum sit aliquod membrum, ut, oculus, manus, &c. Causa est, quia quilibet talium est factus infœlix, & sua infœlicitate obstat fœlici: & huc præstat in multis nocumentum, quod est occultum homini ignaro; cum per se non possit comprehendere hoc, nisi per experientiam sui mali: nam homo se non potest custodire ab homine infortunato, quia nocumentum est occultum, & nulla erectura bonæ complexionis si membro diminuta sit, potest suam complexionem conservare, quin in pejus mutetur, raro in melius, unde dicitur:* Cave à signatis; & homini signato aliquo in membro non fidas.

De consultatione; seu arte consultandi.

In consultatione, primo est rei inquirendæ propositio: Secundo mediorum electio, ut si non quod optimum, saltem minus malum consequatur: Tertio executio, quæ sequitur consilii deliberationem.

Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reip. utile, ipsis gloriosum, an promptum in effatu, aut certe non arduum sit: simul ipse qui suadet, considerandus est, adjiciat ne consilio periculum suum, suam, amicorumve utilitatem; & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur: tunc est certe de consilio discernendum. Est enim consilium res sacra; multa comparat, multa perdit consilium: sed veritatis & justitiæ illi prima gloria erit. Illud maxime nobiliorem fecit consulentem, nobilis persuasio & efficax: *Gorgiam sæpe dicentem audivi*, dicit Plato, *persuadendi facundiam artibus cunctis præcellere, quippe cuncta non vi, sed sponte sibi subjiciebat, cum omnium artium longe optima sit.* Non est minor necessitas, consulentes eligere: *Censeo namque*, dixit Plato, *illum qui alicujus sufficienter probaturus sit animam, tria potissimum teneatur habere; primo sapientia, deinde, opinionem prudentis atque benevoli, & tertio, audaciam.* Majoribus dignus debet esse consultor, quem forti animo decet consiliis adstare, invicta [illegible]tate: qui enim in principiis hæsitat, in aliis audebit nunquam: quoniam, *Qui retro pellitur*, ut est in Proverbio, *non expugnat urbem. Postquam vero obstaculum dejicimus, reliqua post hæc minora, levioraque supersunt*, dixit Plato. Quare *periculo in principio obsta*; antequam ignaviæ errores sese prodant; cum nulla cura valet, & omnis solicitudo est inutilis: nam morosæ cunctationi dare nomen, prudentiæ falsa opinio, nec melancholici consueverunt. Illud semper nota, quod major pars negotiorum in pelago desidiæ, sub caumate procelloso submergitur, quia præceps occasio, & obliviosa desidia homines occupavit, & ignava fiducia; maxime apud nostros, ubi solum concitat diligentiam acriori morsu propriæ utilitatis calcar: cum enim de occurrenti discurrit, jam disparuit: ideo momenta non debent in consultatione parvipendi, cum ex illis eventus fœlicitas lucretur; magna, summa attentione debent recoli: sæpe convenit hostiliter pugnare, non discurrere; interdum enim arma superant rationes; ut his temporibus nos docuit necessitas & urgentia rerum, in seditione Barchinonensi, & inconsiderato Lusitaniæ tumultu, quæ statim comprimere, nec arduum, nec difficile erat, antequam imprudentis fiduciæ sese proderent errores; quorum pœnas nos in æternum luimus: nec illam quæstionem agitamus, an Regiam majestatem deceret, has tenebras confusas, solis lumine splendidissimo discutere? illud tamen attendere par est, abavum imperatorem Carolum, sola luminis præsentia sedasse tenebras seditionis Germaniæ confusas; (compendium utilitatis publicæ, & excusatio graviorum malorum.) nam inconsulti impetus cæpta, si non tempore, principis præsentia evanescunt. Nec ideo consulo nimium ut properemus in rebus arduis, & urgentia contraria complicatis; ne nobis illud accidat,

in Philœbo.

Dialog. Gorgias.

Dialog. Sophista.

cidat, quod fertur in proverbio: *Qui nimis properat, tardius absolvit*; sed proh dolor, apud nostros jam olim cessit in parœmiam; *Hispania auxilia*. Res magnas attente decet considerare, neque temere aggredi, quasi leviter peragantur: cogitare vero quid commode fieri possit, qua occasione & quo tempore, est nobilis prudentiæ: nam Sabinos mora arguit, cum Romulum valuerunt opprimere: ac sedulitas nobilitavit Romulum, quod attentus ad occasionem operetur; cum illi, sine fructu ad arma concitantur: potissimum remediorum est celeritas, cum hostium potissimus est tempus. optimæ resolutiones, raro in integrum decernentur: & nihil magnum, semel bene peragitur: res magnas eximia pericula circundant: & interdum non datur optimum eligere; sed dimidium boni: sed non est bonum dimidium illius, quod cum in toto consistat, divisionem non admittit: at eo nostri sæculi miseria devenit, eo lucri cupiditas, eo lubrica temporum & hominum conditio, ut electius sit fortunæ consilium, quam prudentiæ: reducere in memoriam profutura remedia occasione jam elapsa, est inutilis labor: esset imo solatium, oblivio. Neque minus furiosa impatientia præcipitat consilium: in illa enim abyssus abyssum invocat; neque errores impatientiæ ulla excusat mora: tutius est comprimere generosum ardorem, & principia excusare, si in illo observatur periculum, quam obstare principiis: nam impetus odit justitiam, & prudentiam; & est juxta formidinem velocitas, cunctatio propior constantiæ est, prudentia adorat consilium, & fortuna prudentiam; ac ideo consilia fortuna dirigit, sed furor & prudentia longe distant: *Cattis inter Germanos multum rationis & solertiæ est*, dixit Tacitus, *unde illis mos est, præponere electos, audire propositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, & cætera ad occasionem disponere.*

Germania 4.

Ad unum finem sæpe tendunt consilia, licet aliter videantur contraria; nam multæ lineæ idem appetunt centrum & tamen sunt contrariæ: sed non ad unum sæpe consulentes attendunt: & si multi grave commovent pondus, & alter alteri pondus rejicit, movet nullus: nam alii pro naturæ suæ convenientia, pro livore, aut lucro, res suas amicorumque laudant; alienas reprobant, ut extraneas, fortasse ut alterius vilescat æstimatio; comprimatur auctoritas: vanitas enim majorem vanitatem non patitur; nihil ægrius tulit quam ipsa de vilitate argui: in multis denique adversarii inter se vehementer evadunt: sed illud alta mente repone, quod Euripides dixit, *nulla est potentia major, quam bonorum prudentiumque consensus*: eo enim floruit viguitque Resp. Romana, quo bonorum consensus: ideo forte floret opulenta Venetorum Resp. & est nostra invalida, non virorum sed consensus defectu; cum omnia ad nutum unius gubernentur: nec desunt in Hispania viri magni & consilio clari; sed ii aut in occulto latent, præ misero timore; aut nobilis libertatis pœnas luunt, in exilium acti: ut fere nunquam prævaleant digniora in suffragia in calculo: nam illi tantum deputantur consiliis, qui ambulant alieno gradu; & alieno comedunt appetitu; pauci sint consulentes & electi; nam ubi multa judicia, ibi major confusio: lapidum congeries unita, geometricam altitudinem condit, non unitatem physicam: sic ingeniorum multitudo non unum facit egregium, imo simul se mutuo impediunt, non juvant: hoc est aperte falsum quod in visu, unicum egregium & perspicacem duo superant oculi: si potentia unius plus valet ambobus separatis; cum major activitatis sphæra, longiorem consequatur distantiam; & splendor unius superat aliquando duorum tenebras confusas: sed illud multa perdit, quod non est tam bella conditio in comitiis, quin vilescat, si à paucis insequitur: nec tam mala quæ non sit præferenda, si à multis. Ingenui & prudentes debent semper consulere, quod melius, & amplecti interdum quod deterius, si illud est à multis plausibilius: non debemus enim ita propria sententia obniti, ut pro ignorantia æstimemus cæterorum suffragia: est primo necessarium, ad ferenda suffragia, rerum intelligentia, intellectus, constantia; sicut voluntas libera: quod enim intellectui objicitur, non ita brevi transit, quin illud voluntas amplectatur, nisi illi obstet sensuum depravatio: hæc enim prævertit consulentes, ut bonum vestiant sub specie mali: & malum præferant sub aliqua ratione boni: si maxime utili proprio conducit: veritatem veluti suffisticantes, speciosa rationum apparentia: ex lucri labyrintho seu barathro conducta. Hoc tamen est veritatis privilegium, ut aureis catenis vinciat intellectum, nisi lucri illecebris prævertatur voluntas: nam veritas est spiritualis, & potentiæ corporeæ fortius immutantur ab objecto corporeo: ideo apud orbem, potentiarum potius dominatur præversio, quam candida rerum intelligentia, & intellectus nobilis persuasio: adeoque illustres actiones, quia raras fœlicitas commendat, mirabiles adorat reverentia. In hoc tamen plerique contentionis gloriam posuere, ut aliis videantur mirabiles, si fortiter argumenta sequantur, usque dum jus & fas veritatis convellatur; & hi sunt semper sententia antipodæ: quare nostrum erit consilium, *adversum homines, & ad victoriam veritatis pugnare; sed adversum barbaros, ad necem usque certandum*, dixit Plato.

Dialog. Menexeman.

Regni caput, est princeps, oculi sunt principes Ecclesiæ, brachia, nobiles & purpurati viri, pectus divites opulenti, pedes, ignobilis & ingenua plebs: anima regni sunt viri candidati, & sagacis consilii; experientia clari acris & fidelis judicii; leges, dixerunt alii. Quare si corpus universum Reip. patitur habituali morbo; seu læthali laborat, ab anima incipiat curatio, ut in corpus redundet; seu à corpore toto, ut partes illius medeantur: *Oculorum dolor non curabitur*, dixit Plato, *nisi prius capiti medeatur, neque caput absque totius medicinæ.* Zamolxis medicus Thracius, olim dixit, *neque sine anima corpus potest curari*: eaque causa est, quare Medicos adhuc sapientissimos morbi corporis permulti lateant, quia totum ipsum ignorant, quod prius decens erat curare, quo male affecto, impossibile est, bene valere partem ullam: omnia namque vel bona, vel mala, ab anima in corpus & hominem totum dimanare: at animæ tantum medetur incantatio, præclaræ rationis, qua ipsa temperantia comparatur: quare qui medelam docuit incantationum, non prius capiti remedium docuit adhiberi, quam anima incantationibus ipsis purgaretur: me

Plato in Dialog. Carmedes.

me itaque dixit Plato mirum in modum præmovit, qui hæc dixit, mandavitque caverem, ne quis unquam dives, nobilis, neque pulcer, mihi ut aliter faciat persuadeat: hoc ego illi jure jurando interposito confirmavi: est enim temperantia, habitus cognoscendi, & quæ ignoramus, & quæ sapimus: sine errore vitam transire docet; & recte nos & alios gubernare: ideo in consultatione consulentium extrema, temperantia copulantur furoris & ignaviæ, ut calor & frigus in tepido junguntur, quia medio uniuntur contraria; ac illius defectu alter alterum perdit: in rebus arduis ob imminens periculum, prudentes mediant, dum elementa contraria in mixto, ex pugna jam defessa quiescunt, occasione potius quam causa concordiæ: res enim securius moderatione, quam vi componuntur; quod non accidit, nisi cum nostri ingenua cognitio, alterius veritati, si fortior est, cedit; ideo forte Lacedæmonii sapientes olim facto consilio, ex communi consensu, has Delphici Apollinis templo sapientiæ dicaverunt primitias, quæ inscriptæ in limine ab omnibus leguntur, COGNOSCE TE IPSUM: vulgus ex effectu probat consilia; quoniam nec novit rationem, nec justitiam: & quod videat valida ingenia reddi consiliis infœlicia; & cum rationum fundamenta non penetrat, ad effectus attendit: at morum corruptio instabilitatem parit, instabilitas illudit aptiorem discursum & expertam prudentiam: ideo hodie periclitatur prudentia in auxiliis. Quare si in conjecturalibus nulla datur securitas, non erit certa regula, quæ nos secure ducat: ideo qui ad tempora, & occasionis properantiam discurrit, recte consulit, qui gregem recte pascit, populos in pace conservabit; qui recte convivium disponit, exacte gubernabit exercitum: sed qui consulit ad passionis impetum, seu propriæ utilitatis genium, non consulit Reip. utilius; & notato, quod tot sunt orbis lucra, quot orbis individua; & omnes sibi consulunt, sub communis utilitatis zelo: nam in rebus humanis majorem partem sibi vendicat lucrum, quam bonitas: nec illam agnoverunt Politici. Severior Aristarchus sub simulatis ac speciosis verbis, haud unquam satis notam intensionem operit, & simulat; & Tiberii calliditatem imitatur: qui cum virtutem Drusi extolleret, in speciem magis verbis adornatam, dicebat, quam ut sic penitus sentire crederetur. Hoc magis usitatum in aulis, lenibus & simulatis verbis decipere, & fallaci humanitate adulari; plerique enim occultant in verbis animum, ut plus dignationis habeat adulatio. Cæteris mortalibus eo stare consilia, dixit Tiberius, quod sibi conducere putent: ab odio, & amore sit procul consultatio, & omnem superet animi passionem; nam timori omnes animi passiones cedunt, quia nulla operatur, cum vita est in dubio; quæ est omnium operationum principium: æmulatio difficulter ab animo evellitur: amor, quadam veluti necessaria illectione allicit voluntatem, necessitatem fingit, ut sit æque difficile agnoscere, quæ promptius transferat malum in bonum, an (quod erit frequentius) bonum in malum: hominis quotidie humiliant vanitatem, & discursus fallacia, & perennis rerum vicissitudo, & eventus spectationi contrarii; & in ipso errore delusi moriuntur: rerum essentia, sublunarium est ipsa mutabilitas, violentum, stabile: si ergo violentum ipsa conservat mutabilitas, quid violentiam poterit conservare? nihil firmum ipsa natura patitur: in oppositis & contrariis operibus solet Deus operari; & faxit, ut experrecti dormiant, confundantur prudentes, & timeant fortissimi: quo in tempore, soli lyncei oculi, Dei omnipotentiam agnoverunt: quia communis providentia causis naturalibus utitur; ne unquam possit homo prævidere certissima: at homines, sicut augures, norunt, & sic sub incerta fortuna, magnarum rerum prædictiones instituunt inter homines, quorum centrum malitia ad leges arbitrii librata: & ideo accidunt aliquando, velut astrologorum prædicta, quod in nobis semper naturalis propensio, ad male operandum inclinet, & non semper obsistitur.

Parum secura est humana conditio; haud stabilis ipsa natura rerum; cuncta mortalium incerta; inter causas malorum est, quod *ad exempla vivimus, non ad rationem componimur*: unde *plures exemplo quam ingenio peccant*; incertum metu, an per invidiam; nam res hodie opinione magis, quam veritate pollent: & perculsæ mentes sunt mobiles ad superstitionem: inde consuetudine abducimur; & recti apud nos tenet locum error, ubi publicus factus est. Inter insaniam publicam, & morbosam, hoc interest, quod hæc morbo laborat, illa opinione animi: ideo nemo præceptis curat insaniam publicam, plerosque coërcet castigatio, quibus mens mota; non erepta est; Reip. statū decet gubernantem contemplari, & non exemplis uti jam præteriti sæculi; nam *homines ut sæcula mutantur, mores & consuetudines*; nam qui subditi erant acriori Politica, nunc adhuc leviora ferre non possunt; & educati in licentiosa libertate, jugum tristioris servitutis ferre nequeunt; nec ideo repente illos coërcere oportet ad servile obsequium, sed in obedientia continere, ne irritata patientia exbalistet; nam ægre tolerat Resp. subitas & magnas mutationes: altius enim & diu radicatæ consuetudines non nisi clamoso dolore evelluntur: unde magnæ mutationes pariunt novitates; & vix seditiones compescibiles. Mutatione olim agitata Moneta, ad centum fere annos non quiescit. Et his nostris temporibus, quot infœlicitates experimur? eadem nempe causa nunc incœperunt Galliarum tumultus, & intestina bella: cave alieno discrimine, & discito infœlicitate aliena: memento infœlicis tumultus Lusitaniæ; & nunquam ex merito deflebilis vastationis Carpentaniæ: & si ad hujus provinciæ epitaphia accesseris, gentium ruina, obliterato Hispaniæ valore, lege, & luge, & tacitus discede; ne hæreat faucibus lingua tua; seu in effusi sanguinis supplicio, seu in crudelitate proscriptionis. Nihilominus ad conservationem aliqua conducunt documenta. Ad honorem, utilitatem, & pacem, conducit, si privata odia publicis utilitatibus remittantur; sed in generali corruptione morum, & in magna rerum confusione, non differt ab imprudenti sapiens; consilia à casu: sed cuncta pari violentia volvuntur, & miscentur: velut in repentinis casu, aut tempestate, pavidus miles casuum maris ignarus, turbat nautas; vel non juvat in tempore; aut

aut officia prudentium corrumpit. Quare sola *occasio solet dare consilium:* hoc eruit prudentia, de causarum potentia. Misit Tiberius Drusum filium, ut sedaret Germaniæ seditionem antequam Romana verteretur fortuna, nullis certis mandatis, ex re consulturum; non decet enim duces spectatæ prudentiæ, mandatis togæ inexpertæ bellorum coërcere; nec credere quod imperent fortunæ. At ministrorum plerique contra fas operantur; subdola, inhonesta, & solæ adulationi servientia; propriæque utilitati; & consultationem fucata principis voluntate adornant: multa enim fœlici consensu audiuntur, quibus omnia principum honesta, aut inhonesta, laudare mos est; hoc tamen non evadunt, quod illa plures per silentium, & occultum murmur, excipiunt. *Tibi soli peccavi,* dixit Rex musicus, quia Regis in aula interpretantur vitia pro virtutibus; quoniam adulatio peccata speciosa convertit in virtutes; sed fingentibus cœlestia mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent. Plerique tamen ita occultant in verbis animum, ut nulli jactantius mœreant, quam qui maxime lætantur: at illud est, ex adulatione Reip. periculum, ut dum veritati consulitur, corrumpatur libertas: hanc nihil æque atterit, ac principis patefacta voluntas, aut ministri crudelitas. Adhuc cupidine severitatis, Tiberius in his quæ rite faceret, acerbus, consulentes obterruit, ut silentium & paupertatem libertati & confusioni præponerent; quare in re gravi, & ancipiti negotio, nihil spernendum, modo non omnia metuenda: & in veritate audienda semper ambiguus princeps, non se debet sentire percussum; sed inter severitatem & spem, vultus consulentium spectare. Relinquendum interdum est rumoribus tempus, quo senescant; falsa enim tempore, aut spatio evanescunt: clarescunt veriora: sed res adversæ, consilium adimunt; nutat & in flagitio consilium: & plerumque non magnæ auctoritatis viri sunt, recenti invidiæ impares: hoc est scelestum facinus, in consilio privatum odium falsis criminibus tegere: nam agnita principis credulitate, vigent delationes, fama incerta crescit, & cuncta ex longinquo aucta deterius adferuntur: statim credita, mox divulgantur: ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures, cumulata transferant. Nec est ita graviter consulendum; neque ita severe, ut principis facilitatem arguat; nec tam serviliter; ut adulationem: illud tamen attende, si in hoc tempus incidas, quod est angusta & lubrica oratio, dicentibus sub principe qui adulationem odit, aut adfectata severitate terret: quare pavidis etiam consilia in incerto sunt; metus enim propriam quamque eloquentiam debilitat; nec minus facundiam violentia præcipitat.

1 Annal. 7.

1 Annal. 15.

Ad decisionem negotii communis, plures elige; sed ad peculiare, selectos, sed non plures: nam vera, aut in deterius credita, judice ab uno facilius discernuntur: dixit Tacitus, *odium, invidiam apud multos valere.* Sed nec ex facili vulgatis oportet credere; adeo fama maxima quæque ambigua sunt, dum alii quodammodo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt; & gliscit utrumque posteritati: ut nullibi integra fides habeatur. Illud constat, multos in provinciis, contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse; & ideo non est ex rumore statuendum: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, & avito valore, experimur; & alios hebescere. Fateor neque posse principem cuncta sua scientia complecti; nec expedire, quin ambitione aliena trahatur: deceret tamen, ut notitia virorum candidæ & sanctæ electionis illustraretur: & in hoc quidem impensius laboret.

Illud mihi videtur Chaos inaccessibile; de morum corruptione disserere: æque enim ardua ac difficilis est, de vitiis Reip. consultatio; ac de necessaria illorum efformatione. *Nescio an suasurus fuerim;* dixit Tacitus, *omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.* Sed in hoc statu, nec est honestum silere, nec proloqui expeditum; cum splendidissimo cuique calumnia paretur; cum neminem criminis expertem clamet populus: atqui, ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas; corruptor æger, & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus exardescit.

De publicis ærariis nos aliter sentimus ac communis fert sententia: nam ærarium illud cujusque auro plenum, talem perdit Remp. quod etiam in frumenti cumulo, in annonæ tempus reservatum: experimur nam primum quidem novos sumptus, senatores & ministri reperiunt: ad hoc leges novas deducunt, quibus neque ipsi, nec ipsorum mulieres obtemperant: inter se amicos & clientes, & frumenti, & auri ærarium commune partiuntur: quod iterum recolligere, civium potentia, & auctoritas vetat; & ipsa senatorum collusio; deinde æmulatione & exemplo; multi tandem tales evadunt: hinc effusius ad pecunias cumulandas delapsi, tanto id pretiosius existimant, quanto virtutem æstimant viliorem: an non ita virtus à divitiis discrepat, quasi utraque in stateræ lancea sint opposita, semperque in contrariam partem declinat? quando igitur in civitate divitiæ ac divites honorantur, virtus, probique viri despiciuntur: nam *contrarii unius summum, alterius est principium;* sicut extrema libertatis licentia, extremæ servitutis est initium: ac tandem sumptibus indeficienter necessariis ipse calor, qui fovet, humidum radicale consumit, & congenitus vermis ipsiusmet substantiam populatur: si forte avaritia copulatur potentia, aurique sacra fames; an vis dicamus, quemadmodum in favo fucus ortus examinis apum morbus est; ita & hominem hujusmodi domi natum pestem Reip. fore? hæc est petra scandali judici criminali, ac plebi perpetua invidia, ut æterno in circulo delationes volent: hoc ut inexplebili principis cupiditati, & communi necessitati obsisteret, politica invexit, & Remp. fortasse graviori periculo exposuit, cum dormientem ad auri cupiditatem excitaret; ut olim Antiochum Judæorum divitiæ. Ubi sunt tot à majoribus repertæ leges, tot quas tulit Augustus, illæ oblivione, hæ, (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere: nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: aut si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor erit: cur ergo

olim

olim parsimonia pollebat; quia sibi quisque moderabatur, quia unius regni cives eramus, non externis polluti gentibus; ne irritamenta quidem eadem, intra Hispaniam dominantibus, externis victoriis aliena: civilibus etiam nostra consumere didicimus. Nostra Hispania externæ opis indiget, non inopia mercium, sed ambitione dominantium; & parta tuendi necessitate: seu quia vita populi per incerta moris & tempestatum quotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiæ, & dominis & servitiis & agris subvenirent: nostra nos scilicet nemora nostræque civitates tuebuntur: profecto mare civitati proximum quotidiana quadam jucunditate eam afficit; sed vicinitas ea nimium revera salsa & amara est: nam cum mercibus & pecuniis cauponando civitas repleatur, dolosi animi & instabilis infidos mores parit: unde parum & ipsa, ad se ipsam, & ad gentes alias fidem & amicitiam colit: adversus hæc tamen illud habet remedium, quod omnium est ferax, & solatium, quod dominatur omnibus. Attamen multa auri & argenti copia nihil pernitiosius ad generosos justosque mores: hos autem restituere ad sanctissimos olim, sola valet divina providentia: nam humana, non nisi iterum Hispania vastata, & redacta ad antiquam miseriam; ut dum solis armis & invictę virtuti incubuere nostri: nobis intra animum medendum est, ut nos pudor, inopia, necessitas, aut vitiorum horror in meliores mutet: nam luxus magis exemplis quam legibus coërcetur. Romæ præcipuus adstricti moris Vespasianus antiquo ipse cultu victuque, obsequium inde, in principem æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus: nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit, verum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant.

Majoribus dignus debet esse consultor, ut dicebamus antea, rerum providus, constans in periculis, offensionum pro publica utilitate impavidus; templa & effigies non marmoribus, sed in animis hominum debet struere; nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur; raro virtutes pro consultatione necessariæ in uno cumulantur: hic hac virtute excellit, alter illa; nemo potest omnia, quæ circunstant consilium, prudentia complecti; agnoscere futura, occasiones discere: quia tam multarū rerum necesse est alicujus esse ignarum: multi certant pari ambitione, sed viribus diversi; neque multum inter se distantia memorant; alii proferunt simulata consilia, in suam aut amicorum gratiam; alii persuadendo excellunt; alii dicendi impetu. Domitius Afer, prosperiori eloquentia quam morum fama fuit; nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fœda mente retinet silentii impatientiam. Quintus Haterius eloquentiæ celebratæ moritur; monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur; scilicet impetu ingenī, quam cura, magis vigebat. Utque aliorum meditatio & labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud & profluens cum ipso extinctum est. In executione nostri viri cæteras nationes excellunt, & in ipsa laborum tolerantia, sed impatientia, consilium præcipitant; nam valoris ardorem ferre nequeunt: & præcipiunt quæ in brevi pæniteat; aliterque quam summa rerum postulat. In re gravi ancipiti senatu: Junius Rusticus fatali quodam motu, seu prava solertia, senatum suspendit, disseruitque brevibus momentis, *summa verti posse*; dandumque interstitium, aut pænitentiæ postulanti; aut tempori. Non est enim de summis rerum statuendum subito: illud tamen altius prudentia discernit; nam pro rerum magnitudine & occasionis necessitate, brevius aut serius operandum; callidius aut segnius occasio præcipit, aut impellit necessitas; Artabano non fraus, non preces, nihil omissum erat, quo ambiguo inliceret, & prompti firmarentur: at rebus tumultuantibus, ubi instat periculum, qui inter seditiosos introducitur, ambigua sententia, & cauta solertia, oportet dicere, (si hoc valet in hoc rerum statu) callida & æquivoca simulatione expedire: sed in officii necessitate & periculo, communem sententiam sequi, erit tutius; licet non æquius. Rogatus sententiam Scipio; *Cum idem*, inquit, *de admissis Poppeæ sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes.* Eleganti temperamento, dixit, inter conjugalem amorem & senatoriam necessitatem: haud minus dignum erit senatoriæ prudentiæ, cautione expedire in principum mandatis; & illud in primis discito (si illud tempus ferat,) ne principum actiones nostro sub judicio cadant: at si instat periculum, & effici illud petit necessitas, humili obsequio, & libertate nobili, neque decens est, neque justum silere: illud enim silentium est proscriptæ libertatis inditium: fateor, quod principes debent audiri non quæri: nec est, nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollat: nam præter justas causas illis summum jus Dii dedere, ait Tacitus, nobis autem obsequii gloria relicta est: abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, illicitum anceps que erit: ferenda sunt regnantium ingenia, neque usui fore crebras mutationes; ferendo potius quam imperia ducum sciscitando, res omnes continentur: aliis arma & animus sint, penes alium consilium, in principis furore, immortali silentio fatum vinces.

Varia consulentium facies cujusque proprium concitat genium, calliditas aut œstrum: paucis decus publicum curæ, & plures tuta disserunt: unicum est omnibus hominibus negotium: & hoc est cuique proprium: omnes scelus externum, cum lætitia habendum judicant, semina etiam odiorum jacienda plerique crediderunt: ut sæpe principes Romani, cum Armenium specie largitionis turbandis barbarorum animis tribuerunt, potiretur, Radamestus male partis multis placuit ut redderetur invisus & infamis, quando id magis ex usu, quam si cum gloria adeptus foret: alii seditiosos intulerunt, ut turbarent Remp. & ut ferro aut veneno inlicerent duces generosæ fortunæ: & in hoc spem invalidi valoris posuerunt; id armis posse consequi desperati: res novas fovebant multi, quibus nova & ancipitia præcolere, avida, & plerumque fallax ambitio est: nam magnarum rerum curam non dissimulant, qui animum etiam levissimis advertunt; genus orandi est plerisque nobile, & usu celebre, aliis ad implendas populi

5 Annal. 1.

6 Annal. 10.

16 Annal. 2.

12 Annal. 10.

4 Annal. 13.

aures, latum & ſonans, alios ſuadendi facundia reddidit nobiliſſimos; alios propoſitionis elegantia, ac tandem plures electio melioris conſilii. Juvenes oportet auctoritate, ſenes precibus monere: inter hæc tamen omnia ſuperat æmulatio, turbatis maxime rebus; nam populi rumor neminem ſine æmulo ſinit. Multis tandem inter conſulendū veritas placuit, & is populo redditur plauſibilior, quoniam publico utili pauci conſulunt. Patrum noſtrorum tempore conſultum eſt de Mauritanis Hiſpania pellendis; & viſum eſt aut omnes capite puniendos, aut in Africam relegandos, ob ſcelera graviſſima, in quæ omnes dedere manus, aut major pars illorum: quod de uxoribus aut filiis credere par non eſt: at omnes pari ſupplicio pænas luunt: & in prædam ceſſit imbellis ætas. Et hinc facti ſunt illarum gentium hoſtes noſtri in capite, & barbaram nationem prælia & arma docuerunt: & facta ſunt oræ Hiſpaniæ maritimæ inſecuræ: ducti poſtea ſunt in captivitatem viri noſtri: unde apud noſtros & illos luunt pœnas inſontes, noſtri captivitate: & filii illorum & uxores immerito exilio; erant certe capite puniendi, conjurati in noſtros, in Regem & in regnum; & nihil univerſorum juri derogandum, ex ſanctiſſimis legibus contra libertorum, fraudes, & male meritos Romæ olim diſſertum eſt. Severiſſime omnes capite puniendos, dixerunt alii, aliis paucorum culpam, ipſis ſolum exitioſam fore: magis placuit, nihil univerſorum juri derogandum: & horum prævaluit ſententia, ne pæna damnarentur inſontes. Cum alibi etiam Pedanium ſecundum ſervus interficeret, publico judicio calumniæ damnatus eſt; & uſque ad ſeditionem ventum, inter magiſtratus cum novas leges puniendi poſtularet aliorum judicium; de antiquis nihil mutandum aliis ſentientibus: ex quibus C. Caſſius ſententiæ loco in hunc modum diſſeruit: *Sæpe numero in hoc ordine interfui, cum contra inſtituta & leges majorum nova ſenatus decreta poſtularentur, neque ſum adverſatus, non quia dubitarem ſemper omnibus negotiis melius atque rectius olim proviſum, & quæ converterentur, in deterius mutari: ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere viderer, ſimul quidquid hoc in nobis auctoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, ut maneret integrum, ſi quando Reſp. conſiliis eguiſſet; ſuſpecta majoribus noſtris fuere ingenia ſervorum, facite ut ne inſontes pereant: habet enim aliquid ex iniquo, omne magnum exemplum quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Petrus Traſea, pro Antiſtio crimine majeſtatis poſtulato, ſic diſſeruit: non quidquid nocens reus pati meretur, id egregio ſub principe, & nulla neceſſitate obſtricto ſenatu, ſtatuendum eſſe; carnificem & laqueum pridem abolita, & eſſe pænas legibus conſtitutas, quibus ſine judicum ſævitia, & temporum infamia ſupplicia diſcernerentur. Plerique tamen judices Carinatem imitantur, Græca doctrina ore tenus imbutum, animo vero, veris artibus ſpoliato, fortuna eſſet in principem & judices incidere, quibus rara temporum fælicitate, ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere, liceat: ſed fortius allicit lucrum, fortuna, potentia, & adulandi amor, quam veritas: imo apud pleroſque integritas crimen rigiditatis luit; apud inſontes vapulat inſcia temeritas; ſapiens vocitatur reſolutio in deterius

13 Annal. 6. — *14 Annal. 13.* — *Cap. 14.*

A prona amore adulandi, ſeu ad utile proprium: honoris ac veritatis amor propriæ conſervationis præcipitium: qui vero occultæ adulationis violentiæ, miti & fraudulento lucro, & fictæ humanitati cedit, ſub fucato propriæ conſervationis colore, ad nutum illius politici præcepti, *bene vivere & lætari*, is miniſtri fidiſſimi apicem adipiſcitur: utinam non fœdiſſimi! *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua homini bona; tu quidem pari conſtantia retinebis* dixit Piſoni Galba, *ſed alii per obſequium imminuent, irrumpet adulatio, blanditiæ, peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique utilitas; ego, ac tu, ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur, libentius cum noſtra fortuna, quam nobiſcum loquuntur.* Securior in conſultando politica eſt medentis ſimilima; ſcilicet curare & conſulere; non ſolo valore pretii, nec proxima pecuniæ cura, ſed pro deſiderato & perdita ſalute adipiſcenda: ſatis enim peragitur quod in communi agitur; & ſit ſatis ægrotis & adſtantibus: nam quæ fato manent, quamvis ſignificata non vitantur, & hoc penatibus ſuis in omen ſalutis gratis damus; nulli prodeſt propriæ æſtimationis jactantia, nocet antiquus rigor, & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus; quantum vis nos majoribus dignos vanitas perſuadeat; ſemper negotia ſint tibi curæ publica, non particularis adulatio. Nequiſſimi autem conſulentes, vi & legum timore à conſultationibus evellatur, doctis & ingenuis aſcitis: perditiſſimi enim non agris aut fænoris curant, ſed inſtrumenta vitiorum conſervant, ac inordinato clamore veritatem quam non intendunt ſimulant, aut ſub fucato zelo neceſſitatis publicæ ut difficulter in turbido eliciatur conſilium; hoc publicum petit auxilium: nec contatione opus eſt, ubi pernitioſior ſit quies, quam temeritas: nec eſt moræ locus in eo conſilio quod non poteſt laudari niſi peractum: quare in diſcordiis civilibus nihil feſtinatione tutius, ubi facto magis quam conſulto eſt opus: nam fælici temeritate interdum ſecurius præcipiti negotio occurritur, quam ſegni & tardo conſilio in tempore librato; talis enim eſt urgentia aliquando, ut ultimo indigeat auxilio: & inſipientis eſſet, & improvidi, à minoribus certe inchoaſſe, ut hodie luget ſine fructu Hiſpania.

Quod ſi propria auctoritas non valet in re magni momenti, callidos & audaces pretio aut promiſſis onera; ſic enim quæ videbantur prorſus impoſſibilia, conſequuntur. Inter Romani imperii tumultus data pecunia ad pertendendos plurium animos, ſuſcepere duo manipulares ad imperium populi Romani, transferendum, & tranſtulerunt à Galba ad Othonem, in conſcientiam facinoris pauci aſciti, ſuſpenſos cæterorum animos diverſis artibus extimulant. Hac eadem politica Luſitaniæ imperium alio tranſlatum noſtri reducere intendunt, ſed detecta conjuratione apud illos nutat anceps conſilium, & armis permittitur quod ſagaci conſilio non conſequitur: ſed imperitus conſilii adhuc ægri periculum non adeat; & vide, ne, ſicut Galba, ſacris intentus, & ignarus, alieni jam imperii Deos fatigaveris: integra auctoritas majoribus remediis ſemper eſt adſervanda, ſed decet aliquando, malorum pœnitentiæ & bonorum conſenſui ſpatium concedere: nam *ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt*: ultro

1 Hiſt. 12. — *1 Hiſt. 5.* — *Anno 1640. 20 Auguſti.*

tro solum eundem, ubi par est regressus facultas; aut si pæniteat, aliena potestate non sit: virtus est honestis consiliis, robur; sine hac omnia quamvis egregia, invalida in tumultuosis contradictionibus, id solet evenire quod in consiliis infœlicibus, optima videri quorum tempus effugerat: facilior est inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam; ut in discordi Lusitania nunc experimur. Inter dubia, alii silentium, multi secretum murmur, plerique cujusque audaciam spectantes, attendunt in ancipiti: & alii populari impatientia jactantur, insita mortalibus natura propere sequi, quæ piget inchoare; nam ruptis inde rebus, nec cuiquam ultra fides, aut memoria prioris sacramenti; sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, ibi omnes fuere: quo in tempore præoccupare nutantem fortunam decet; sed non ut pessimus quisque, qui diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitas, licet in tutatione ex scelere quæsita: at populi intenti occupaverat animos prior auditus, facili transitu ad proximos & validiores; bonis tamen auspiciis illis accidit, si annuit fortuna, neç omnibus male cessit implacidis; quo in statu seditiones non alio auxilio tutius, quam venia, & mercede pacantur; sed principatus scelere quæsitus, subita modestia & prisca pravitate retineri, sine discrimine non potest; quoniam tumultus proximæ causæ, & initium sunt rerum novarum, cupiditas, ambitio, & odium, interdum ut in conjuratione Lusitaniæ, in Regem quem erexerant; accidisse ab aliis accepimus; *Anno 1641.* sæpe enim honestæ rerum causæ, nisi judicium adhibeas, pernitiosos exitus consequuntur; nam pereunte obsequio, etiam imperium intercidit: omnia consilia, ratio rerum, aut occasionum, non velocitas patitur. In discursu enim ac tenebris ubi rerum confusio, occasio adversus innocentes potest fieri: quare prius oportet bene deliberare.

Propriis cujusque rebus suum sæpe fallit consilium; an quia res ipsæ à proprio amore convulsæ immutantur, an quia procax & insolens cupiditas tenebras effundit intellectui, hominem obscuritate complet, nec tandem semper & ambiguum: quare desideratum eligit, non optimum, quia non sui compos: Othonem consilium fefellit; & in bello occubuit: *2 Hist. 1.* res fallunt, ipsas discerne: mala pro bonis amplectimur; optamus contra id quod optavimus; pugnant vota cum votis; consilia cum consiliis: nihil æque fœliciorem reddidit consilii expeditionem, ac concordia: propriam utilitatem deponere, ac tandem in communi consulere: sed non ut apud plerosque hodie celebratur, ubi omnia consilia reducuntur ad unius consilium: Vespasianus ac Mucianus, hic Syriæ, Judææ ille præpositus vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis, odiis in medium consulere, primum per amicos; *Ibidem.* dein præcipua Concordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate absolvit, natura atque arte compositus alliciendi, etiam Muciani moribus. Quid inde absolutum; ut, Vespasianum erexerint in principem, & in imperii participem Mucianum. Illud tamen fere semper contingit fluctuante Rep. ut boni malique causis diversis, studio pari, omnes bello studeant, nemo concordiæ: multis enim rerum novarum cupidine, & odio præsentium, quieta gliscunt, cum ex fatis spectarent fortunam: at rarissime sunt ex fato spectanda consilia, ut dicebat Paulinus cautus natura; & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent: licet interdum consilia contra prudentiæ decreta inopinato cedant: nec perinde judicari poterit quid optimum factum fuerit, quam pessimum fuisse, quod factum est. Hoc etiam casus habet infaustum, quod desperationem moliatur: Tacianus & Proclus ubi consiliis vincerentur, ad jus imperii transibant: *2 Hist. 8.* nec ideo improbo acriori consilio fortunæ annuenti manus dare, & periculis ire, adhuc inter fortunæ dubia: ego te, Vespasianum, ad imperium voco; dixit Mucianus, tam salutare Reip. quam tibi magnificum, *2 Hist. 14.* juxta Deos in tua manu positum est: non adversus Divi Augusti acerrimam mentem, nec cautissimam Tiberii senectutem, nec contra Cai quidem aut Claudii, vel Neronis fundatam longo imperio domum, exugimus: cessisti etiam Galbæ imaginibus: torpore ultra & polluendam pudendamque Remp. relinquere, sopor & ignavia videtur: abiit jam & transversum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium; ne tamen Mucianum Socium spreveris, quia æmulum non experiris, me Vitellio antepone te mihi; discrimen ac periculum ex æquo partiemur; nec mihi major in tua vigilantia parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. Sed meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt; quare audaciæ, constantiæ, fortitudini cessit fortuna, & imperium Muciani consiliis, adhuc inter dubia acrioribus: tempus & locus ad res magnas quærenda: sed dum in animo spes, timor, ratio, & casus obversantur, demens à metu ad fortunam transit.

Boni laude hortantur segnes exemplo: nam ex hominibus alii facilitati cedunt, humanitate molliuntur, terrentur metu, inliciuntur lucro, aut miti alliciuntur genio, in quamque indiscretam sententiam. Sabinus suopte ingenio mitis, *2 Hist. 12.* ubi formido incessit, facilis mutatu, in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur ruentem impulit, incertus animi & infidis consiliis obnoxius, timore preveniens discrimen: quod nuper Lusitaniæ accidisse accepimus, dum in ancipiti, in recens juratum Regem nutaret conjuratio. *20 Augusti anno 1641.* Rerum cadentias, status & principia, oportet contemplari; hominum genia, animi passiones, vitia & virtutes, ad homines alliciendos in propriam sententiam: alii enim ambitionis vanitate, generis nobilitate plures, & ficta valoris adulatione plerique alliciuntur; sed præ omnibus & lucro & pecunia. Vespasiano, infringere exercitus virtutem, inter artes erat; *2 Hist. 19.* quantumque hebes ad laborem miles, tanto ad discordias promptior is agnoscebat: quare quos perdere desideras, in torpore & luxu; fortunæ indulgentia exercere oportet; sed ex variis considerationibus edisce providentiam: nec omnia pariter omnes decent: nam omnia inconsulti impetus cœpta, spatio languescunt: initia bellorum, fortuna, victoria,

ctoria, conſiliis, & ratione perfici: alios inter conſultandum promovet propriæ æſtimationis gloria; alium livor alienæ fortunæ detorquet; odium aut dubia voluntas: nam ut ſunt hominum genia, moderationem laudantium, aut conſtantiam requirentium, facies variatur conſilii: eo die quo de imperio Veſpaſiani cenſebant Patres, placuerat mitti ad Principem legatos; hinc in ſenatu, inter Eluidium & Eprium, acre jurgium; Priſcus eligi nominatim, à magiſtratibus juratis: Marcellus, urnam poſtulabat: ſed Marcelli ſtudium propius rubor excitabat, ne aliis electis poſthabitus crederetur: paulatimque per altercationem, ad continuas & infeſtas orationes provecti ſunt, Eluidio quærente, quid ita Marcellus judicium magiſtratuum paveſceret: eſſe illi pecuniam & eloquentiam, quibus multos anteiret, memoria flagitiorum urgeret: forte & urna mores non diſcerni, ſuffragia & exiſtimationem ſenatus, reperta ut unius cujuſque vitam, famamque penetrarent: pertinere ad utilitatem Reip. ad principis honorem, hoc ſenatus judicio veluti admoneri principem, quos probet, quos reformidet: Marcellus ſecundum vetera exempla, quæ ſortem legionibus poſuiſſet, cenſebat, ne ambitioni aut inimicitiis locus fieret: nihilque eveniſſe, cur antiquitus inſtituta exoleſcerent: aut principis honor, in cujuſquam contumeliam verteretur: ſufficere omnes obſequio: id magis vitandum, ne pervicacia quorundam irritaretur animus; novo principatu ſuſpen[illegible] vultus quoque ac ſermones omnium circunſpectans; ſe meminiſſe temporum quibus natus ſit, quam civitatis formam patres avique inſtituerint; ulteriora mirari; præſentia ſequi, imperatores voto expetere; qualeſcunque, tolerare. Hæc magis utrimque concionibus jactata, diverſis ſtudiis accipiebantur: vicit pars quæ ſortiri legatos malebat, etiam mediis patrum, annitentibus retinere morem: & ſplendidiſſimus quiſque eo inclinabat metu invidiæ, ſi ipſe eligeretur. In obſcura rerum caligine conſiliis tumultuantibus accidit, nihil prodeſſe virtus, fors cuncta turbare, & ignavorum ſæpe telis fortiſſimos cadere, vel quia minoribus major æmulandi cura; vel quod contra dicendo non deſunt rationes; vel quia miſeratio juvat invalidos: aperta enim odia armaque palam depelli poſſunt; fraudem & dolum obſcura eoque inevitabilia: neque deſunt in Rep. viri, qui nomine libertatis alunt ſeditiones, nequitiæ miniſtri, & eo juventutem inclinant, & viros male meritos: ideo dicebat Curtius, contra Regulum: *Reſervate hominem tam expediti conſilii, ut omnis ætas inſtructa ſit, & quomodo ſenes noſtri, Marcellum Criſpum, juvenes Regulum imitentur.* Invenit etiam æmulos infelix nequitia: quid ſi floreat vigeatque; nam apud vulgum indiligentia veri, & adulandi libidine cuncta miſcentur: veraque & falſa more famæ in majus innotuere.

4 Hiſt. 1.

4 Hiſt. 4.

Germania 2.

4 Hiſt. 5.

In conſiliis debet eſſe omnimodo libertas & ingenua: nam conſilia & exhortationes melius audiuntur, auctoritate ſuadendi, quam jubendi poteſtate: imperium ſiquidem ſervitus odit; & qui conſilium proponit, debet prius libertatem proponere; & promiſſis ſtare; ac ideo decet ut animus à deceptoria fraude liber penitus agnoſcatur, ut in promiſſis ſit inconcuſſa fides; nam fidem non ſervare promiſſis, efficit veritatem non credi; ac deficiunt in poſterum contractus: quod apud noſtros hodie eſt cauſa graviorum malorum, penitus abolitis negotiis, ubi nulla ſperatur ſecuritas: *Germani de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant*; dicit Tacitus, *tanquam nullo magis tempore ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat: ergo detecta ac nudata omnium mens poſtera die retractatur, & ſalva utriuſque temporis ratio eſt; deliberant, dum fingere nequeunt; conſtituunt, dum errare non poſſunt: conſilio & auctoritate ſimul, nihil neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armati agunt: conſultationes per mutuam caritatem, & pro utili publico mutuo alios ante ponendo exerceantur.* Conferentiæ enim ingenium alunt & eruditionem, & pro cujuſque vice literarum ſtudium: unde ſi ad eruditionem ingenium & meditatio accedat, divinum reputabitur, & veritas ut in catino depurabitur: aliis fruſtra cedunt conſilia, omnibus rite diſpoſitis; quia deeſt fortuna, aliis abſque conſilio cedunt conſilia. Cerealis parum temporis ad exequenda imperia dabat, ſubitus conſiliis, ſed eventu clarus; aderat enim fortuna, ubi artes defuiſſent: unde eſt forte illa orta parœmia, *mulieris primum conſilium.* In ea tempora nos tandem incidimus, ubi nec conſilia, nec fortuna valent; nam fortunatis divitiæ ſunt extremo pernities; conſilia vero, quo validiora & illuſtriora, eo magis compreſſa obſervamus: tu[illegible] in otio vitam degere; & inertia, pro ſapientia fuerit: quia ubi juriſdictio deficit, obtineat ſilentium: nam licentia fortunas ſuas præcipitat, alienas deturbat: quia jam nobis pares non ſumus. Utilia ergo honeſtis miſceamus; Julium inſequentes Agricolam, qui rariſſima moderatione maluit videri inveniſſe bonos, quam feciſſe; ad libitum demittens, an ſuo, an aliorum ingenio. Prudentia aut arte in dicendo facile, juſte, & ſine pompa agas, & ubi officio ſatisfactum, nulla ultra poteſtatis perſona triſtitiam, arrogantiam, avaritiam, aut levitatem exue: ne tibi quod ſæpe accidat, aut facilitas auctoritatem, aut ſeveritas amorem minuat: procul ab æmulatione adverſus collegas, à contentione in dicentes, attente & ſimpliciter ſententiam dicendo: conſultationis lex, te fecit collegam, non dominum; ſententia ſit ſatis, non imperio: libertate indiget conſultatio: ſi vis cæteros reverenter anteire, ſit tua moderatio auctoritati par, non inflatus, non vanæ ambitionis avidus. Julius Agricola in comitiis vincere inglorium, & atteri ſordidum arbitrabatur: ne te tuis promoveas ſermonibus, ſed te parem magnis alii judicaverint: haud enim ſemper errat fama, aliquando eligit; ſi validiores inter ſe diſſentire cognoveris, ſilentio utrorumque rationes attende, & æquius perpende: nil aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis erit utilius, quam quod in communi non conſulunt: ita ut dum ſinguli pugnant, univerſi vincantur: fronte non caperata, promptus in ſpem, firmus adverſis, ſemper oportet dicere: neve prælii unius, aut alterius eventu paveſcas; taliter in dubiis, in adverſis, in lætis, te debes gerere, ut dubia prudenter tractes, adverſa fortiter, læta moderate: ita te ad omnia utilem, tibi & amicis exhibere potes: cedere tamen validiori fortunæ, tempus & occaſio docent. Domitianus

Germania 3.

5 Hiſt. 5.

Agricola.

nus talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis inditium erat; secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit: reponere odium, donec impetus famæ, & favor exercitus in Agricolam languesceret. Non improbo, quod suam quisque æstimet sententiam; interdum enim melius quam sperabatur consilium cessit: curiosum etiam nobis natura dedit ingenium, (nec rejicit, nec eligit quempiam philosophia) & artis sibi ac pulcritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter dicta, tam nitida, & non uno genere formosa, solitudini ostenderet: hæc produxit ut doceantur, & admirentur homines: at unusquisque dicat super id, in quo clarus evasit, & enituit clara experientia, nec dicat extra aleam, quoniam magna ingenia, quanto plus uno emicuerunt opere, tantum in aliis defecere. Virgilium illa fœlicitas ingenii oratione soluta relinquit, Ciceronem eloquentia sua, in carminibus suis destituit: Orationes Salustii in honorem historiarum leguntur: eloquentissimi viri, Platonis Oratio, quæ pro Socrate scripta est, nec patrono, nec reo digna est. Quid si toga de ordine disserat militari, de Rep. nauta, & dux de præceptis Philosophiæ, & eruditione? judicum corrumpentur officia, cedet confusioni valor; & velut in pyramide Babylonis pro scuto & ense, afferentur libelli.

Plerique ita de se senserunt magnifice, adeoque illis propria complacuit sententia, ut cæterorum judicia judicarent insaniam; & velint omnia ad genium metiri. (O execranda vanitas! homo non capit hominem, nulli cedit) quod est æque impossibile, ac absurdum: sed sunt valde cognata vanitas & fatuitas. Olim Socrates dixit, *unum quemque proprium vexat dæmon*: nos hanc ultimam dictionem œstrum vertimus: nam cognatum gentilitium est cuique genium. Æque varias, ac effigies hominum cogitationes invenies, *quot capita, tot sententiæ*. Nec statim tamen deterius est quod diversum est: vitio malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio sunt: nec semper veriora, quæ magis plausibilia: id optat consultatio, ut perpendatur summa prius necessitas; nec omnia difficilia simul aggrediantur: impetus & maturitas semper dicendi ornamentum comitetur: sed qui statim fortioribus argumentis concludit, plus fidei meretur; non qui alto clamore, aut vana eloquentia: nam quando quis falsa opinione decipitur, circa res plurimi faciendas; hæc vocatur *inscitia*; nullibi terminata, & trepida semper; ut quæ tota in futurum feratur; nisi forte audaciæ copuletur: tunc enim nil difficile timet, quia causam timoris non assequitur: sed sui irruit imprudenti fiducia, ac si calleret omnia, scientia infusa; nullis enim magis videntur omnia conspicua, quam ignorantissimis, ut Aristoteles dixit: nec semper scientiarum culmen insequitur fœlicitas consilii; nec vera illius rei notitia, de qua agitur: *Plurimis magis prodesset, neque nosse quidquam, neque putare se noscere: quia promptior illis erit notitia ad illa quæ noverunt, vel opinantur scire; dummodo scientiam rei de qua agitur calleant, aut saltem optimi scientiam.* Qui vero multis ac variis artibus & scientiis est imbutus, si est expers melioris scientiæ, non ne ductus ab aliis, multa tempestate jactabitur; quippe cum absque gubernaculo oberret in pelago, brevi tempore periturus? nam is, ut bene dixit Hesiodus, *multa quidem noverat, sed male noverat omnia: est enim divinum donum consilium.* Lacedæmones à Diis semper pulcra cum bonis sibi tribui postulabant: hoc forte illos celebriores fecit in consiliis. In his enim consiliis, quod in bona valetudine, accidit, dixit Plato; ut bona tueatur symmetria valetudinis, nutrimentum, aut exercitium intendes aut remittes: Nec te in comitiis deterreat, grandioris auctoritas; nec principis majestas, neque frons caperata severi Aristarchi: nam *disputare cum Socrate licet*, dixit Plato; *dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere.* Nec in consultatione debemus semper pari rationum efficacia decertare; nam in re parvi momenti, quæcunque rationes sufficiunt: rationes utique cum his rebus quas exprimunt, cognationem quandam habere videntur: ergo cum de re firma & stabili, & mente comprehensibili disseritur, stabiles similiter immutabilesque, & quam maxime fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet; cum vero de ipsius rei stabilis firmæque simulacro disputatur; verisimiles rationes sufficiunt. In decani officio non quæras qui magis vera dicat, sed quis magis negotio consentanea? egregie dicere solebat Demetrius, *plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu, tibique in usu sint; quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum*: sicut luctator; non refert enim quam multa sciat, si scit quantum victoriæ sat est. Hæc non tantum prudentia solerti, sed doctrina & frequente rerum inquisitione, & experientia assequuntur: ne te seducat gentilitius amor, lucrum aut propria utilitas, sub apparenti bono: alterum enim nobis insinuat Veritas, alterum Persuasio; & illud quidem semper cum ratione vera; hoc autem sine illud nulla ratione mutabile; hoc mutationi subjectum. Notato etiam quod voluptas est esca maxima mali, dolor, fuga, impedimentumque bonorum; audacia & metus consultatores amentes, iracundia implacabilis, spes blanda conciliatrixque cum irrationabili sensu, amor omnium invasor: Dii ergo hæc miscentes, mortale corpus composuerunt: ideo tamen caput à reliquis membris interjecto collo separaverunt, ne divinum ulla mortalium contagione, nisi quantum summa cogit necessitas, pollueretur. Prudentis dumtaxat officium est, quæ à fatidico furentique ingenio, dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere; & quæcunque visa, eluxerint, ratione ita discernere, ut qua quidque ratione, & cui futurum aliquod, præteritum, vel præsens, bonum vel malum portendere videatur, explanet: illius autem qui mansit manetque in furore, non est officium quæ viderit aut protulerit, judicare: scitum profecto priscum, id dictum, *agere sua, seque ipsum cognoscere, solius prudentiæ esse*: tempus autem, & mora, & frequens inquisitio, ad aperiendam conferunt veritatem. Cavere tamen debet majestas senatoria, ne ferat invocatus judicium, aut invitus. Judicium enim virgo quædam pudica esse dicitur: pudoris autem judicio,

Plato in Thimæo.

cio, secundum naturam odio est mendacium; *Et suspectus habetur ille, qui sponte se offert*, dixit Baldus; præterquam quod merces ultroneæ vilescunt, excepto cum patriæ conducit aut honori, ut asseruit Plato: *Duo maxime contraria sunt consilio*, dixit Bias, *ira*, *& festinatio:* nec quæcunque prudentia comitiorum judicio, & ferendo suffragio est idonea; sed aliis virtutibus adornata, solertia scilicet, fortitudine generosa & constantia; nam invalida & timida prudentia, omnia reformidat, quod omnia considerat; nec alacriter aggreditur difficile, quia pati non valet: voluptati est judicanda musica, non tamen quorumvis hominum voluptati: * hæc sola est pulcherrima, quæ optimos satisque eruditos delectat, præcipue vero, quæ virum virtute & disciplina præstantem. Virtute ergo egere judices remur, prudentia & fortitudine: prudentia quidem, quia quæ discernenda sunt judicio, non debet ab alio ediscere, & quasi stupefactus, tam clamore multorum, quam ignorantia sua, ita ferre sententiam: fortitudinis vero, quia non propter ignaviam & formidinem debet ferre judicium: sed in hoc plerique simulant sapientiam, adornant fortitudinem, audacia scilicet & rerum adfectata notitia; & sub publico zelo, occultant avaritiam; & sui sociorumque lucrum, ut ordinis senatorii aliquem observavimus. Nec illos sapientes dici volumus, qui litigantibus dicendi viribus adsunt, quippe cum memoria, & usu, opinionis moribus se accommodent, & à veræ justitiæ intelligentia procul aberrent, reliqua est mira quædam vis, quæ sibi opinionem sapientiæ similiter vendicat; quam naturam magis dices, quam sapientiam: in hoc consistit illa, cum quis facile discit quæ velit, & fortiter & diu multa meminit; & quod unicuique idoneum est, cum oportet cito, & commode reddit. Hæc omnia alii naturam, sapientiam alii, & plerique solertiam nuncuparunt; sed nullus mente compos veræ sapientiæ esse concedet: cum hoc tamen necesse est sapientiam invenire, qua potitus, non solum videatur, sed re vera sit sapiens: dulcissimum vitæ genus est quies; sed pulcrius est labor; & sua quisque agere. Sed illud quoque decet considerare, nullum nostrum sibi soli natum: sed ortus nostri parentem, sibi patriam vendicare, partim parentes, partim amicos: multa item pro temporum diversitate nobis accidere, quibus vita nostra occupata sit. Vocante igitur te patria ipsa ad Remp. gubernandam, absurdum forsan esset, non parere; si id maxime accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius quod optimum est; ratione proficiscuntur ad publica. Non est tamen quod æstimes ullam ætatem aptiorem esse ad bonam mentem, quam quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit. Nec sit tibi consilii propositum *subtilitas*, sed *veritas*; nihil enim est acutius arista; sed quædam inutilia & inefficacia, ipsa subtilitas reddidit: scio à præceptis incipere, qui convincere aliquem volunt; & in exempla desinere; aliter aliquando cum aliis agendum est, nam quosdam ratio ducit, quibusdam clara & exempla & auctoritas, quæ liberum animum non relinquat: ad speciosa stupentem apponenda sunt speciosa.

Epist. 9. Archita.

** tunc enim quieti anteponendus labor.*

Nec desperaveris etiam diutinos ægrotos posse sanari, si contra intemperantiam steteris; si multa invitos & facere coëgeris & pati: sapientia ars est, certum petat, eligat profecturos, ab his quos desperaverit recedat, non tamen cito relinquat; sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet: prudentia occasiones eligat, disponat media, & differat ad tempus; & ferat immortali patientia hominum contrarias passiones, & inter ancipitia & contraria urgentiori necessitati subvenire conetur: nec erit profecto spectatæ prudentiæ, quem non longa rerum domuit patientia: hæc enim est vera norma & regula prudentiæ; nam aut est nobilis patientia prudentia, aut non est sine illa: in consiliis, nemo ad extrema fiduciæ dilabatur; aut ignaviæ: bona mens non commodatur, nec emitur; & puto, si venalis esset, non haberet emptorem; at mala quotidie emitur: bona tamen patet omnibus: omnes ad hoc sumus nobiles: nec rejicit quempiam Philosophia; omnibus tamen lucet. Patricius Socrates non fuit; Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus; Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit: omnes illos ut spectatæ mentis veneramur: illorum eris dignus, si tibi persuaseris, longe lateque laborandum, in iis passionibus frænandis, quæ præcipitant mentem: nec pauperis consilium despexeris, nec divitis extollas; quoniam sincerius res, ut sunt in se, æstimat pauper, at pro fortuna sua, dives: nec sortem meliorem dedit natura diviti, neque pauperi defuit: præterquam quod pauper poterit esse clarior; neminem ex servis non esse oriundum, dixit Plato; & neminem non servum ex Regibus; omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit: à primo mundi ortu ad hoc tempus produxit nos: ex splendidis sordidisque alterna series: non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, dixit Seneca: nemo in nostram gloriam vixit: neque quod ante nos fuit, nostrum est: animus facit nobilem: quare est pluris æstimanda nobilitas quæ valore consequitur, quam quæ hæreditatur: nam hæc proavis & atavis debetur; illa virtuti nobilis. Cuique ex quacunque conditione, supra fortunam licet insurgere, intuendum est, non unde veniant, sed quo eant: si quid est quod beatam vitam possit efficere, id bonum est suo jure, non alieno. Hanc esse summam sapientiam, dixit Socrates, bona malaque distinguere: sed ut sis beatus, inquit, & te alicui stultum videri sine: semper tamen veritate immobilis: inhonesta est enim omnis trepidatio: nam *Degeneres animos timor arguit:* honestum vero, securum & interritum, si possumus, fortius loquamur, dixit Seneca; sin minus, apertius: tutius erit, extrema devitare; & ad hominum & ad temporis genium utiliora dicere: non est enim ullum tam stabile præceptum, quod aliqua limitatio non invertat: quoniam si Protagoræ credimus, *nihil est in natura*, *nisi dubium:* si Nausifani, *hoc unum certum est, nihil esse certi:* si Parmenidi, *nihil est præter unum:* si Zenoni, *ne unum quidem:* ergo nihil, nec certum, nec incertum. Tu autem in comitiis, stude ne plus dicas, sed ut melius dicas; non ut plus scire videaris, sed ut meliora, & tempori necessaria comprehendere. Ferunt, homines plus in alieno negotio videre, quam in suo; hoc vere illis

lis accidit, quos amor sui obcæcat; & impatientia præcipitat; sed non vere prudentibus. Illo autem negotio, quo dissentire salva gratia, nec consentire, salva conscientia possumus, tutius erit, nos ipsos abdicare à consilio: nam dicere, & retractare, sine causa, sententiam; & indecorum, & inhonestum est; sapiens rebus honestis consilium non mutat, dum ipsæ non mutantur: nemo mutatum Catonem toties mutata Rep. vidit: at in aliis non est turpe cum re mutare consilium. Artabanus Histaspis filius, contra Xerxis expeditionem disseruit, dum in Græciam, armato milite iret, (in regio consilio.) sed Imperator ira percitus, juvenili impulsu; tu, ignavus, inquit, ne comes sis expeditionis nostræ; sed hic maneas inter fœminas: at ubi dies illuxit; responsi pœnituit, somnio contra expeditionem lacessitus: ac dixit, viri Persæ, veniam mihi date; nam hodie contrariam muto sententiam; nam cum imprudenter inveherer Arthabanum; nunc itaque agnoscens erratum meum, utar illius sententia. *Prudentius esset, regiam moderari patientiam: sed errorem agnoscere, est non tantum ingenui, sed sapientis viri:* nam solet errare sapiens, & insipiens; sed in errore perseverare, solius insipientis est. Nec tibi semper fit contradicendi amor, ut plerisque contingit, & rebus, & hominibus; antipodæ: illud semper observa, satius esse prodesse malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.

Dices fortasse, quid proderit præcepta dare, nisi amoveris obstantia præceptis, in tali scilicet corruptione morum, ubi nullum non perdidit contagium: nec justitia, neque veritas valent, modestia, nec valor: sed majorem partem sibi vendicat lucrum, sua cuique utilitas, ubi omnes ad nutum illius operantur: & non ad leges candidæ Veritatis. Hoc forsitan tibi præcepta dabunt, ut quod oportet facias, non quemadmodum; quod si tibi non præstant; nihil virtuti proderit: idem dicenti ac docenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere: acumine ingenii Socrates nitebatur, non tam alios sententia refellere, quam ipse quod verum esset, invenire.

Quatuor observa, initurus consilium: quid primo decet dicere: & secundo, quam multa: tertio, cui dicas; & quarto, quam oportune dixeris: selecta tibi, reip. utilia, & audienti clara. Prius oportet dicere: secundo, neque plura, neque pauciora quam postulet necessitas: & tertio, ætati & personæ congruentia, utili ac decenti ornatu: ac ultimo, nec prius nec posterius, quam prolabens occasio postulaverit: non vulgari, nec humili stilo, sed prorsus eleganti, & omnifaria eruditione exornato. *Eruditionem*, dicebat Aristoteles, *esse inter prospera ornamentum; inter adversa refugium, ut disciplinam juvenibus, sobrietatemq; & senioribus solatium; veluti divitias omnibus ornamentum.* Inter ætates, virilis est aptior consilio; nam ætate juvenili corpore augescente, augetur & ingenium; senescente autem, cum memoria etiam consenescit; & corpus ad omnia munia elanguescit, & inter passiones timor & avaritia maxime occupat senectutem, ut reddat nutantem senem ad consilium, inopem & egenum, melioris arbitrii: ideo apud Romanos olim tales *depontani* dicebantur, ut in *nostro Theseo* adnotavimus; nihilominus tamen valida & robusta senectus, variis experimentis adornata, est aptior consilio, ut quæ magis adorat arbitrii gloriam, & extra passiones dominatur; quantum virilis ætas excedit ad majora facinora.

Nisi diversæ sententiæ inter se dicantur, non potest quis eligere meliorem; sed necesse habet eis quæ dicta sunt uti: at cum plures dicantur, licet tanquam aurum purum, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero, discerni potest. In hunc usum excogitavit necessitas comitia, magistratuum judicia, & suffragia; & hinc per calculos discernuntur sententiæ: ac ideo consultare, comperio maximum esse lucrum: nam & si quid à contrario eventurum sit, nihilo tamen minus bene consultum est; superavitque fortuna consilium: qui vero negligit consultare, aut turpiter consultat, suffragiis favore, aut pretio comparatis, si ei fortuna obsecundat, fit ille quidem voti compos; nihilo tamen minus male cœpit consilium: at hoc plerunque facimus, ut consilia eventis ponderemus; & cui bene quid processerit, multum illius providentiæ tribuamus; cui secus, nihil sensisse dicamus: ut jam nihil esse videatur, nisi divinare sapientis, dixit Tullius: *Si quis tamen est*, inquit, *qui illam Postumi, sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive (ut gravissimo verbo utar) temeritatem vituperandam putet, ego ejus opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut cum ab ipsa fortuna crudelissime videat hujus consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet, satis est homines imprudentia lapsos, non exigere; urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanum, præsertim judices.* Nam sæpe Deus humiliat consilium, in hominis fiducia, humanæ prudentiæ vanitatem, & hominem in se ipso dimittit: altiora cacumina, excelsa ædificia & prægrandia animalia Deus fulmine ferit, & eminentissima quæque dejicit: ab exiguo magnus profligatur exercitus: ac propterea quidam secus ac eorum dignitas postulabat, in calamitates inciderunt: quia Deus neminem patitur de se magnifice sentire.

Si contraria urgent in consilio, & haud æqualia suppetunt auxilia, considera homines in arbitrio fortunæ esse, non fortunam in hominis arbitrio; nec humanam capacitatem futura comprehendere: attamen in ancipiti & arduo negotio, merito multa consideras & perpendis; (adverte quod hæc est summa rerum, & electio melioris consilii.) non est tamen ut omnia reformides, & quæ imminent pericula, omnia peræque consideres; nam si omnia perpendis, * omnia extimescis; nunquam aliquid efficies: non fit enim facinus magnum & memorabile, sine magno periculo: & ubi potius aut nobilius est, quod periculo emitur, quam quod timore dimittitur, aut perdere timetur. Satius & prudentius est, omnia alacriter aggredientem, dimidium ærumnarum pati, quam omni in re præsumpto metu, & desperatione nihil omnino pati; nam dimidium facti consistit in audacia; quare famæ, cum inspirat, oportet dare nomen, quæ novis inceptis validissima est; lucratur valore, quod perditur ignavia. Nemo ergo vilescat in humili fortuna; illud enim valor mille experimentis comprobatum reliquit, in

Desta se valio Cæsar passando el Rubicon, dudoso si passaria à Roma.

in omni conditione & gradu: non est certe discrimen sine necessitate adeundum, quod si repugnando omnibus quæ dicuntur, non ostendis quid firmum sit, perinde peccas, atque is, qui contraria istis dicat: at vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem rem omnem quæcunque pati possit, reputans extimescit, in re autem agenda audax sit: scire vero aliquem (cum sit homo,) qua ratione quid firmum esse oporteat, nequaquam arbitror: at iis qui facere quid volunt, consuevit plerumque emolumentum accidere, raro autem iis qui pensant omnia, & quos agere pigeat: non enim magni duces, nisi periculo irrumperent, ad magna devenissent: magna enim negotia magnis cum periculis suscipi optant, licet omnium exitus sit incertus.

Nudam principes oderunt veritatem, maxime si propriæ reluctatur sententiæ: illa etiam nec favori non gliscit, si principi displicuit: at licet oderint principes veritatem, illam & dicentem cum jam dies illuxit, postea venerantur. O orbis imperator, Xerxi dixit Regina Arthemisia, hoc tibi persuadeo, ne cum Græcis prælium navale facias, qui tantum sunt tuis præstantiores, quantum fœminis viri: vereor enim ne copiæ nauticæ male re gesta, sint etiam pedestribus exitio: hoc etiam, Rex, attende, usu venire, * *ut bonis quidem hominibus mali servi sint, malis autem boni*: & ideo quanto Rex magis bonus, in majori periculo est, à servis qui in numero sociorum censentur. Contraria dixerunt alii, vereor an metu an invidia: & alii, ne inferiores censerentur; nihilominus ut pluribus staretur, dixit Xerxes; nam plures sententiæ fere semper vincunt meliores: at facto periculo, exercitus tam vasti, ruit illa potentia super humanas major: cum in summa calamitate positus, dixit Xerxes, viri quidem extiterunt mihi fœminæ; fœminæ vero viri; cum Arthemisia gloriose se gereret, valore & consilio. Hoc tamen est hominibus acerbissimum, eum qui multa sapit, minime potentem esse: sed illud infœlicius, validos, consilium retorquere sapientis, si pauperis invalidi: nam neque infœlici æmulationem defuturam, ex fomite naturæ, humana conditio suasit; sic etiam semper tulit rerum perennitas. Super omnem miseriam, ad scopulum ligata stat Andromeda, cum formosæ Nereidæ citatiorem ejus solicitabant finem, ne aliquis Deorum ei fortasse obvians, illam protinus cæco amore deperiret. Talis est livor, ut adhuc summæ infœlicitati non parcat invidia; quoniam sævit infœlix adhuc inter infœlicitates æmulatio.

Herodotus lib. 8. Vrania.

** Regi hoc Philippo IV. nostro sæculo evenit.*

Ne huic consultationi quid deficiat, duo veterum exemplaria dare libuit, & auctoritatis senatoriæ, & communi officii consultandi. De studiorum mercede ac literarum præmio, apud posteros olim dissertum est: Sylius acriter incubuit senator, pro studiis; non fore præmia capescenda, veterum oratorum exempla referens, qui famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima: alioquin & bonarum artium principem, sordidis ministeriis fœdari; nec fidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur; quod si in nullius mercede negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, & injurias foveri: ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic Fori tabes pecuniam Advocatis ferat: meminissent, C. Asinii & Messalæ, Aruntii & Esernini, ad summa provectorum incorrupta vita & facundia: nimis sedula sacra & avara cupiditas, tenebras offundit intellectui, attentionem & tempus necessarium furatur; contumacia obruit voluntatem, urbaninitatem tollit, pietatem non admittit; & ingratam humanitatem reddit; amicitiæ jura prævertit, fas gentium conturbat, omnia confusione obtendit: tædio infensum, odio infœlicem, cupidum, non amicis tantum, sed alienis incultum, & incivilem hominem reddit: cui Sylius dixit: quem illum tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat, usui & rebus subsidium præparari, ne quis inopia Advocatorum potentioribus obnoxius sit: neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se negotiis alienis intendat: multos militia, quosdam exercendo agros, tolerare vitam: nihil à quoquam experti, nisi cujus fructus ante providerit: facile Asinium & Messalam, inter Antonium & Augustum, bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarium heredes Eserninos & Aruncios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari soliti sint: se modicos Senatores, qui à Rep. nulla, nisi pacis emolumenta, peterent: sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura, vel minus decora: non ideo sunt inquirendi sinus in avaritiæ prædam, sed decenter literarum pretia capessenda, nomine pretii honorifici. Hoc etiam nos meminisse decet, an quod hodie apud nos exemplis tuemur, inter exempla erit? nam omnia quæ vetustissima creduntur, nova fuere; præterquam quod consuetudines ad tempora mutantur; & nostrum tempus litium pretium excepit.

Herodotus lib. 3. Thalia.

De præstantia gubernationis olim disseruit antiquitas: nam mortuo inter Persas Cambyse, absque successione liberorum, tumultuosa oritur conjuratio, reducta in paucos tyrannide; interque illos de maximis rerum initur consultatio: Othanes proferens Democratiam, vir tyrannus, inquit, ut qui omnia obtinet bona, debebat sine livore esse; verum ita natura comparatum est, ut is sit adversarius popularibus suis, siquidem optimis invidet, deterrimis delectatur, & quod indecentissimum est, criminatores ac delatores admittere, optimum putat: nam sive admireris eam modeste, offenditur, quod non profuse, offenditur, quia sibi assentiris: & ut exæquem dicendo quæ maxima sunt; jura patriæ labefactat, fœminæ vim infert, ac in idem natos interimit; quos timet odit; & quos odit, perdit. Et sæpe qui stirpe & potentia præcipuus est, animi bonis deficitur, tanquam verentibus fatis ne si summam fortunam aut mentem dent homini, Deum faciant ex mortali. Non igitur dignissimus utique erit, quem principem comitia dicent: sed aut potentissimus aut fœlicissimus; quorum utrumque ab arte regnando abesse multum potest: ille viribus suis suffragia, aut terrebit aut emet; ille ignavia favorem apud eos inveniet qui sperabunt sub tali principe ipsi regnare, meliora enim sperari non possunt, in hoc sæculo maxime, in quo reclamant vitia hominum, & toties

ties experimenta in contrarium versa: licet injuria occultetur virorum sapientia, qui destinant suffragia. Popularis autem gubernatio, pro executione legit optimos, omnem fugit tyrannidem, si deterrimos novit; severissime punit; ac tandem communem libertatem & amat, tuetur, & conservat, & honores & labores inter se compartitur: & unus quisque ut particeps illorum fiat, pro unione Reip. & veritate pugnat. Hujus verba excepit Megabisus: quæ Othanes dixit, inquit, de abolenda tyrannide amplector: ad summam deferri multitudinem, errat: etenim populari multitudine, nihil est insipientius, effrenius, nec insolentius: populus enim ingratus est, morosus, crudelis, invidus, & immodestus, per extrema depulsus, ut qui sit ex colluvie turbæ, & stultis insolentibus collectus: nam tyrannus plebis imitatur sævitiam intemperantis; & tyrannus facit intelligens: at plebi inest, nihil intelligere, sapere, nec audire: quomodo enim intelliget, qui neque doctus est, nec quid honesti novit: ne domesticum quidem, qui res agendas sine consilio præceps ruit, torrenti similis: præter quam quod libertas ipsa, libertate corrumpitur; populari invidia, & inæquali civium potestate: nos vero, qui cætum virorum optimorum diligimus, ad hos deferamus: nam inter illos & nos erimus: & ex optimis viris credibile est, optima existere consilia. Darius autem tertio loco dixit: si rebus in omnibus optimū quærimus, nunquam fere discernemus consilium: nam multa alioquin fœliciter cessura, importuna irritantur prudentia: quod Megabisus dixit de statu populari, bene dixit; non bene, de statu paucorum: nam inter hæc multum antecellere unius imperium sentio, ut inter multos unica præpotentis sit sententia, quam multi insequuntur, pretio aut timore; & ad nutum illius gubernentur; isque fortasse injustus, ambitiosus, & avarus, Remp. fere totam ambiens: sed unius viri boni, nihil melius esse constat, si prudens, justus, & impavidus est: in statu vero paucorum, cum paucissimi virtuti incumbant, in publicum vehementiora, privatim odia excitari consueverunt: cum enim quisque princeps esse optet, & vincere in dicenda sententia, transierunt ad odia, hinc ad seditiones, & ex illis ad cædes: è cædibus ad unius imperium devenitur, proximo principe advocato ad intestina bella: unde datur intelligi, quanto sit hoc illo præstantius. Fateor quod Monarchiam in propria essentia constituit Tyrannis; est enim illa inseparabilis à monarchia, quæ in immensum crescit: at sunt aliæ tyrannides piæ & necessariæ; ut oneris angentis pondus sublevetur, & præsenti occurratur periculo in ancipiti alea: ast sunt aliæ impiæ, & crudeles, & animi avari, quæ sub ardoris impietate militant; quæ jus sceleritati largiuntur, per manus impiorum; qui videntur civitatum satellites ac bonorum tortores; qui sæviunt in cives, eosque ditiores: quoniam inter alia tyrannis sævit crudelius in divitias: illam vero, si non laudamus, ut certe tolerabilem judicamus: quare aliorum sententiæ acquieverunt isti: ideo decreverunt, (barbarum sane dictu,) ut omnes viritim equos conjurati ascenderent, simul ad ortum solis, cujus tamen equus prius dedisset hinnitum; is daretur in regem. Obarem equisum solertem quidem habebat Darius, hic Darii equum fecit super equam cubare, in loco designato, qua præcedebat nocte, qui mane inter omnes exultans, mox ad loci conspectum dedit hinnitum, ut dominus monarchiæ Persarum potiretur. His tamen alio derelictis, omnium nationum consensu, Monarchia est omnium gubernationum nobilissima: libenter ideo Romanus populus, per omnes tyrannidum status jam expertus, cum ad Cæsaris imperium (posito trium viri nomine) pervenit, non invitus accepit; neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium; & avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi ambitu, postremo pecunia turbabantur.

Tacitus 1. Annal. 12.

Licet Plato optimatum Remp. laudaverit, Monarchiam tamen prætulit, si talis inter homines daretur, qualis inter apum examina, qui animi & corporis habitu cæteros antecelleret: sed omnium maxime execratur tyrannidem. Illud etiam Isocrates ad Nicoclem commendat Græca illa sententia: *Tanto monarchiam faciliorem judicaverimus*, inquit, *quanto facilius est, animum suum unius viri instituto adaptare, quam multis & variis opinionibus placere conari*; *ex multorum enim principatu, factiones oriri, quodammodo naturale est; ob diversa jubentium & parentium studia.* Proinde tantum perstitit & floruit Resp. quantum publico utili incubuere Patres: nam tandem qui Reges à propriis cervicibus depulere, hi postea Regem quærere coacti sunt; ut Northumbria in Anglia, domestico exitio agitata, anno 827. aut palam necessitatem confiteri, regibus absque ulla resistentia admissis: veluti post varias conjurationes, Romana experitur Resp. quæ omnem gubernationem experitur, & sub nomine etiam democratiæ, fere semper recidit in monarchiam, non tam consilio populi, quam virorum electorum à populo. Ideo nulla unquam constitit democratia: quoniam ubi suo regitur nutu & consilio, illustrissimos & sapientes viros, tempore fœlicitatis contemnit, aut projicit in tempore adverso, furiosus aut pavidus, aut omnino, nobilium & potentum regitur consilio; ut personatas potius diceres democratias, aut aristocratias, simulatas inani titulo democratiæ: & si qua est hodie democratia, si verum fateatur, nihil, præter nomen, habere confitebitur: cum suffragia omnia & consilia potentum familiis illustrissimis credantur: ad nullum fere negotium populo advocato, nisi ad solas pecunias colligendas: quod etiam democratias transtulit ad monarchias; nam si majori ex parte populus super nobiles familias dominatur, instituto Reip. Chaos inexplicabilis Remp. confundit conturbat, & disperdit: ut misero lamento lugent hodie Barchinonenses viri; nam inde deducuntur immensæ leges, quas alii ut ditentur dissimulant; alii contemnunt, & facinora neque punire audent; & dum se ad populares transferunt, justitiam & æquitatem negligunt: est enim populi democratia centum capitum hydra; nam semper sine delectu ruit ex ignobilibus & sordidis congenita: hoc Romani cives exemplis expresserunt; cum specie libertatis jura hæc usurparunt, ut nec dominorum potestati, nec tyrannorum imperio, nec magistratuum potentiæ,

tentiæ, nec creditorum libidini, nec civium suorum gratiæ, essent obnoxii; ejusque libertatis causa, leges ipsi sanxerunt, ut P. Valerius Publicola, qui legem Valerianam consul protulit, post exactos Reges publicæ libertatis: ut si quis magistratus civem necare, verberare, aut multare velit, ut ad populi judicium vocaretur: at interim à magistratu nihil damni acciperet, aut mora pœnam excusarent delicta, ut dixerunt Livius & Plutarchus. Hanc sequutæ sunt aliæ crescente populi pervicacia, à tribunis plebis sancitæ; ut Tribuni Plebis singulo quinquennio crearentur, adversus consules, pro auxilio plebis. Est alia sancita, ut ipsi Tribuni inviolabiles essent, & sacrosancti. Est alia, ne is honor, nisi à plebeis peteretur: & ultimo, ut Gellius testatur, aucto tribunorum numero, ut intercedendi jus haberet. Quarta lex lata fuit, ne de capite civis Romani, nisi centuriatis agi comitiis possit: de quibus etiam Tullius memoriam fecit nobilem. Lex Porcia virgas à civibus prohibuit: & libertatem civium Lictori diripuit, ut adnotavit Cicero.

Livius l. 3. Decad. 3.

3 de Legib. Pro Rabirio & Catonis Oratione.

Fere naturaliter recidit in unum plurium principatus: non enim fert socium regni possessio; alter alteri gliscit, nec intellectus, quando voluntas cedit, aut è contra: Abimelec post mortem Gedeonis occidit septuaginta fratres, quoniam neque fratrem patitur gubernatio, Remum Romulus; & ut dixit Lucanus:

In bello civili.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit; nec gentibus ullis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine Muri.

Et postea:

——— *Stimulos dedit æmula virtus.*
Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompejusve parem.

Tritum est illud Homeri Græco versu:

οὐχ᾽ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω.

Non bonum multorum gubernatio, unus sit dominus; unus Rex. De apibus dixit Plinius, esse sine Rege non possunt; interimunt autem eos cum plures fuerint; potiusque nascentium domos diruunt: sed dedit rationem Aristoteles; enecant apes ipsæ etiam duces, si plures, quam satis sint, habeantur; & potissimum improbos, ne principum multitudo seditiones in examine faciant; necant præcipue cum non ampla sobolis copia extitit; nec habent quos tanquam coloniam mittant: favos etiam regum eo tempore, si parati sunt, diruunt. Grues unum ducem sequuntur: hic cæteris dormientibus, & conditis capitibus sub alis capite, & collo erectus prospicit; & quod senserit voce profert, ut tueatur suos. Ut non merito principatum unius prætulerit. Est tamen principatus veluti regnum solitarium; ideo Eucratem Regem filius interemit, ut retulit Justinus; fratrem Cambyses; in necem patris conjuravit Darius: Eurysthenem & Proclem fratres, Lacedæmoniis in Regnum destinavit Apollinis Oraculum, sed non consociavit: quin alter alteri insidias pararet. Neque tulit Amulias in regni societate Numitorem; quoniam in dominatione neque filium tulit pater: quia sicut principum filii comites in sceptro non tulerunt; sic nec amorem principes. Fallitur qui inter filium & patrem non agnoscit invidiam: hoc semper antiqui observarunt, displicere regnantibus civilia filiorum ingenia. Destrui per hæc fortunam suam Tiberius ratus est; dum Germanici filios, crescere vidit, aut amari, imparemque tanto merito rebatur; nam honores dati filio, si patris honorem cumulant, humaniter feruntur: si filium reddiderunt plausibilem, impatienter; interim tamen simulatur invidia.

11 Nat. hist.

9 de Arist. animal. 40.

1 de Hist. anim. 1. & 10 Nat. hist. 23.

Lib. 41.

4 Annal. 5.

Quæcunque in hoc triplici Tribunali, seu in communi dicta, seu singulari asterisco notata, & nondum exacto veritatis examine continentur, Catholicæ subjicio Censuræ Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ: & ut filium decet fidelem, & Catholicum, desidero prolata: & si quid forte è manibus elapsum, quod expurgari optet, nos illud retractamus, & expungimus, die 20 Octobris anni Domini 1654.

Hæc gesta sunt, sub Principe Catholico PHILIPPO IV. Magno, Hispaniæ Rege, Indiarum Imperatore, Fidei Defensore: & principum Europæ belli & pacis arbitro; sui Imperii anno 35. nam cœpit regnare anno 1621. & Apostolicam Sedem Gubernante INNOCENTIO X. Pontifice Maximo, sui Pontificatus anno 10. nam incœpit anno 1644.

FINIS.

INDEX

INDEX PRIMUS,

Rerum memorabilium, quæ in Medico-Magico Tribunali continentur.

Primus numerus folium indicat, litera locum paginæ.

talem

Pueri

INDEX SECUNDUS,

Quo, quæ in Tribunali Politico, scitu digniora, continentur.

Primus numerus folium indicat, litera locum paginæ.

B.

C.

D.

Fœlici-

G.

H.

Mansue-

O. Obe-

O.

P.

Præmia

Q.

R.

S.

T.

V. Valor

V.

X.

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI, BENE PRECATUR.

Cum Clarissimi D. Authoris mens fuerit, sequentem discursum Hispanicum, immediatè, non injucundæ coronidis loco, *Theatro Politico* subnecti, nescio queî factum sit, ut nobis interciderit, & nonnisi ad umbilicum perducto opere, repertus fuerit: maluimus itaque Eundem vel ipsis indicibus subjungere, quam D. Authorem suâ mente, & curiosum Lectorem suavissima hujus Discursus utilitate frustratum. Hoc est, cujus Te, benivole Lector, certiorem facere volui. Vale, & nostros Labores, communi rei Litterariæ commodo inservientes, fovere ne desine.

Bt. Hodgkins 10s

June 1966